43
1 H
16

VETVSTIVS OCCIDENTALIS ECCLESIÆ MARTYROLOGIVM

D. HIERONYMO

A CASSIODORO, BEDA, VVALFRIDO, NOTKERO,

ALIISQVE SCRIPTORIBVS TRIBVTVM,

Quod nuncupandum esse

ROMANVM

A MAGNO GREGORIO DESCRIPTVM,

AB ADONE LAVDATVM,

Proximioribus sæculis præteritum, & expetitum
non leuiora argumenta suadent.

FRANCISCVS MARIA FLORENTINIVS
NOB. LVCENSIS.

Ex suo præsertim, ac Patriæ Maioris Ecclesiæ, pluribusq; alijs probatæ fidei codicibus, quà Notis, quà Exercitationibus explicatum, integrè vulgauit.

fr. Augustini Deluca

LVCÆ, Ex Typographia Hiacynthi Pacij, &c. MDCLXVIII.

Superiorum Permissu.

Digitized by Google

PSAL. XLIX.

Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant Testamentum eius super Sacrificia:

THEODORETVS CYRI EPISCOPVS

In admirabili Opere aduersus Gentiles Libro 8. in fine, per interpretem, ita de vbiq; seruatis, notioribus, ac suo tempore veneratis Martyrum nominibus, testatur.

Philosophi quidem, præclarique Oratores obliuioni iam dati sunt, Imperatorum verò, ac Magnorum Ducum, ne nomina quidem multi hodiè norunt, cum tamen MARTYRVM NOMINA, magis quam familiarium, cuncti mortales sciant. Quin etiam nascentibus filijs ea imponi curant; ita custodiam illis, tutelamque certissimam comparantes.

Digitized by Google

SANCTISSIMO,
AC BEATISSIMO PATRI D. N.
CLEMENTI IX.
PONTIFICI MAXIMO.

D SANCTISSIMÆ MAIESTATIS VESTRÆ vestigia procumbo, CLEMENTISSIME PATER, & è domestico latibulo prodiens, tolerabili quadam animatus licentia, de splendoribus Sanctorum audeo non contemptibile munus offerre. Vetustius, Romano emendato vberius, quod procidens exhibeo Martyrologium, vindemia sanguinis fuit. Vinum germinans virgines, à pluribus iam sæculis ipsa vetustate commendabile, nostro tempore recentatum, repetere fortasse non dedecet cellaria Domini. Sed quis in Ecclesiæ penum reducere illud audebit, nisi summus Dominicæ Vineæ custos, & promocondus? Quis sacros palmites, tot annorum si-

deratione areſcentes, in primæuam viriditatem poterit reſtituere, niſi ſuperni Patris Vicarius Agricola?

Latuit anteactis ſæculis in ſacris aliquibus cimeliarchijs neglectus theſaurus, & lynceos magnorum virorum oculos aufugit. In domo pauperis diutiùs latitare non potuit. Breues angulos ſæpiùs perſcrutari docet inopia, & ad pauperiem tegendam antiqua non rarò ſupellex reconcinnatur in nouam. Ex veteris Lucenſis Baſilicæ ruderibus vetuſtum codicem, neſcio quæ ſors, in manus meas dederit. Huius ſpecimen vidit Vaticanæ olim Bibliothecæ cuſtos Lucas Holſtenius, & datis ad me literis theſaurum dixit. Ad ingenij mendicitatem leuandam abſconditas exindè cæpi diuitias refodere, & variarum dudùm Eccleſiarum manu ſcriptis codicibus adiutus, ſuperinductam potiùs rubiginem indicare, quàm extergere laboraui. Per ſummam Cardinalis Bonuiſij benignitatem animum, & calcar addidit SANCTITATIS VESTRÆ Deceſſor laudatiſsimus ALEXANDER. Eo verò ad beatam vitam vocato, non mihi diù deliberandum fuit, cui latentes deberentur opes. Theſaurus ſequitur fundi Dominum. In plurium Eccleſiarum agro olim defoſſus ſupremo debebatur Hierarchæ, & omni iure, omnium Eccleſiarum Principi oppigneratus, ad SANCTITATIS VESTRÆ veſtigia deferri debuit.

Apoſtolico igitur priſco more qualecunque libri pretium ad Apoſtolicos pedes depono. Si pondus vetuſtas non addit, ſi manibus offerentis vileſcit, tot ſacrorum

pu-

pugilum memoria, quam notioribus adhuc Diuis ſociatam, aureis characteribus ſcriptam eſſe ſuadeor in libro vitæ, æſtimatione ſaltem materiæ, improbari non debet. Plures quidem, & diſparati diuerſarum Eccleſiarum vetuſti codices, dum eoſdem ſimul Cœlites in ſacris tabulis deſcriptos, & publicis ſupplicationibus inuocatos oſtendunt, vſitatum non ſemel illis, & quotidianum quodammodò honorem videntur aſſerere. Primùm ergo SANCTITAS VESTRA Auguſtiſsmum Nomen in fronte libri affixum non refigi patiatur, dignetur deinde in populoſum Martyrum cenſum conijcere oculos illos, quibus dubiam in terris ſanctimoniam ſecernere, indubitabilem vindicare datum eſt deſuper, facilè IVLIOS plures, facilè CLEMENTES multos, non tám nominum, quàm meritorum ſocietate exhilaratos dignoſcet. Quid ſi ſacris aliquandò per SANCTITATEM VESTRAM amplificatis dypticis, reliqua cœleſtium Ciuium nomina, proximis inaudita ſæculis, iterùm aures fidelium perſonuerint? Audeo dicere, Exultabunt Sancti in gloria, & lætabuntur in cubilibus ſuis.

Beauit, BEATISSIME PATER, Chriſtianum orbem SANCTITAS VESTRA, cum primùm omnium bonorum voto Solium aſcendit: hilariores, ni fallor, cæleſtes Ciues efficiet, ſi diuinæ laudis in partem vocari iterùm, vel inuocari permiſerit. In Gentilitio ſtemmate, cui me deuotum eſſe SANCTITATIS VESTRÆ Gentiles non ſemel benigniſsimis

obſtrin-

obſtrinxerunt officijs, Aurea, & geminata planicies, Aureum multipliciter Regnanti ſæculum pollicetur; ſed duplex ſerenioris Cœli fragmentum magnum aliquid prædicit ex æthere. Angulares Sapphiri, atque Chryſolithi, nimirùm tetragoni ex duodecim Vrbis Beatæ fundamentis perpoliti lapides, ſupernam in terris Hieruſalem noua claritate decorandam præſagiunt.

Vaticinari proindè licet, labentibus annis futurum, vt Cœleſtium Purpuratorum Senatus, ſi quandò probata, & rediuiua veneratione lætabitur, in laudes VESTRÆ SANCTITATIS aſſurgat, & poſt conſummatæ virtutis faſtigium, ſublimius in Regnum triumphali pompa deducendam ſuſcipiat. Sed ignoſcat CLEMENTISSIME PATER, SANCTITAS VESTRA, ſi tantam eidem felicitatem nos aſtringimur inuidere: ad omnium enim virtutum exemplum, ad Catholicæ Eccleſiæ incrementum longiſsimam in terris moram cogimur adprecari. Ita cum reliquis voueo. Ita enixè rogo: Vt deinceps, á DEO diutiſsimè ſoſpites annos SANCTITATI VESTRÆ impetrare, Gloria ſit omnibus Sanctis eius.

Ad SANCTISSIMOS PEDES prouolutus.

Humillimus Seruulus.

Franciſcus Maria Florentinius.

IN tanta nostri ſæculi ſcriptorum redundantia, & nos literaria malacia laborantibus minùs ꝟſitatas dapes obtrudimus. Faſtidienti ſtomacho, ne copia tumultum moueat, breue operis antæcenium damus. Paratùm ſyntagma hoc erit. Admonitiones aliquæ pro Vetuſtioris Martyrologij notitia præcurrunt. Exercitationes ad implicatiores nodos ſoluendos interponuntur. Epiſtolæ dubiæ fidei, omnibus ferè ꝟetuſtis Martyrum codicibus præfixæ, quantùm licuit, aſſeruntur. Apoſtolorum hiſtoria multis ambagibus inuoluta, ꝟel tenuiùs contexta, nonnihil collata ſtipe adornatur. Et quia ſingula per notationes diſſerta in elenchum repetere inopportunum duximus, ſelecta magis quædam per literarum elementa diſtincta, in breuiori ſynopſi contraximus. Veterum Librorum cum Martyrologio noſtro, & Cathedralis Lucenſis conſonantiam vndique anxiè quæſiuimus, & præter iamdiù editos codices, ꝟbiqꝫ cum ijſdem ſequentes contulimus, hoc eſt, mſs. Antuerpienſem Bollandi, & Henſchenij omnium ꝟetuſtiſſimo charactere exaratum, Corbeienſem, ſiue ex Dufreſnij ꝟarijs lectionibus, ſiue ex Dacherij nupera, & non integra editione, Sueco Regium ex poſthumis Holſtenij, Viennenſem Blumanium, ꝟltra octingentos annos ſcriptum, noſtriſque libris apprimè conſonum, ſed ſerò acceptum. His ꝟetuſta hædina Calendaria, & Hagiologia addidimus, ꝟt in eiſdem, ſupra triginta ſex mille, ſiue numero tantum, ſiue nominibus expreſſis, Cælitibus recenſendis longiùs petiti, ac diſſiti codices exhibitæ olim in aliquibus Eccleſijs ꝟenerationis concordiam ꝟniſoni confirmarent. Ne quid verò malacorum palato excitando deficeret, amplum, & alphabeticum nominum indicem in fine ſubſtratum apponimus, ꝟt quod ad ſingulorum Sanctorum agnitionem conducere ꝟaleat, ꝟnicuique facilè occurrat. Vtinam ꝟberes, ac ſpiſſi Calcographi errores non ita in propatulo eſſent. Nemo ſine crimine ꝟiuit, neque plumbeus Typotheta, ſiue Lentulum ex quinquenij mora, ſiue Craſſum inter pinguia ſphalmata dixeris, ſiue ex Græcorum characterum inopia agrammatum Irum ꝟocare malueris. Sunt maculæ quædam minùs attentè ſcribentis: ſunt ad leges orthographiæ malè tornati calami ductus: ſunt in antiquorum codicum excerptis patentes næui, quos tamen abſtergere religio fuit. Primi ordinis, magiſque enormes lapſus ad ſynopſis calcem ꝟerecundi reiecimus, dignos profectò, qui arceantur â limine. Sperare tamen præcognitos licet, ꝟel à legentibus edolandos humaniùs, ꝟel tolerandos eſſe pacatiùs. Si forte liber recudi aliquando meruerit, hinc nitidior prodibit. Locupletior exadet, ſi quis Auctorem de noua editione monuerit.

OPERIS

OPERIS SYNTAGMA.

VEtuſtioris Martyrologÿ vulgandi propoſitum. Admonitio I. Luca Holſtenÿ ad Auctorem Epiſtola pag. 4.

Vetuſtiſſima Sanctorum Tabula per ætates ſuppleta, & Martyrologÿ origines. Adm. II. p. 6.

Primus Martyrologÿ auctor, ſive Euſebius, ſive Hieronymus, & Vetuſtioris characteres. Adm. III. p. 11.

Martyrologium à Roſuneydo editum, non eſſe vetus Romanum, & cum noſtro Vetuſtiori exæquari non poſſe. Adm. IV. p. 17.

Romanam, ſeu Occidentalem Eccleſiam proprium olim Martyrologium habuiſſe aſſeritur. Adm. V. p. 21.

Vetuſtioris Martyrologÿ, Hieronymo aſcripti, apographi codices, additamenta, ætas, & editorum fragmentorum collatio. Adm. VI. p. 26.

Vetuſtiſſimum, ſeù Romanum Bollandi, & Henſchenÿ Martyrologium, conſimile Corbeienſe, aliique mſſ. codices, eorumque fragmenta cum libris noſtris conferuntur. Adm. VII. p. 32.

Litaniæ ad cuiuſcumque menſis initium in antiquis Martyrologiis annotatæ, earumque Eccleſiaſticus uſus. Adm. VIII. p. 38.

Confeſſoris titulus, dies natalis, & depoſitionis nomen in Sanctis Martyribus explicantur. Adm. IX. p. 42.

Dubia Sanctorum nomina fraude, vel incuria ſacris Tabulis ſuperaddita pro veritate exploranda. Adm. X. p. 45.

Anniverſaria in Martyrologiis ſignata temporum momenta non ſemper cum originario celebritatis die conuenire. Adm. XI. p. 48.

Epiſtola Martyrologio Vetuſtiori præfixa. p. 55.

In eaſdem Annotationes. p. 57.

Contra earumdem Epiſtolarum ſinceritatem argumenta. p. 58.

Concilium Mediolanenſe ſub Theodoſio. ibidem.

Sub eodem Imperatore, D. Hieronymi tēpore, adhuc in Italia Arianorū purgamēta. p. 61.

Veſpertina Miſſarum Sacrificia, & quotidiana Martyrum veneratio. p. 63.

Euſebÿ feriale Martyrum, eidemq. tributus ſanctitatis titulus explicantur. p. 64. 65.

Euſebiana Martyrum collectiones, an Conſtantini opera. p. 66.

Paſſiones, ſeu Acta Martyrum ab Euſebio collecta quale opus fuerit. p. 67.

Ex Martyribus, ſine numero multis, celebriores tantùm in Martyrologium Vetuſtius relati. p. 13. & 69.

Calendæ Ianuarÿ immunes plurimùm ab hominum pœna. ibid.

Adducta ſub Hieronymi nomine, & ad Hieronymum Epiſtola, neque falſitatis vitio, neque S. Doctoris ſtylo conſcripta. p. 70.

Euſebius Cæſarienſis Paleſtinus, an ſanctitatis titulo, quo apud aliquos inſignitur, videatur exuendus. Latè diſſeritur Exercitatione I. p. 71.

D. Hieronymi ſententia contra Euſebium Cæſarienſem de Arianiſmo inſimulatum confirmatur. Exerc. II. p. 84.

Indiculus de Feſtis Apoſtolorum diebus Vetuſtiori Martyrologio præfixus, p. 91.

Quatuordecim in Indiculo Apoſtoli numerati Vetuſtius eſſe Martyrologium ſuadent. Exerc. I. p. 93.

Tres ſub Iacobi nomine Apoſtoli. Exerc. II. p. 95.

Natalis dies SS. Petri, & Pauli explicatus. p. 102. & 633.

Marcelli

Marcelli Historia de mirificis rebus, & actibus Beatorum Petri, & Pauli, & de magicis artibus Simonis Magi ex antiquo mss. p. 103.
In eamdem Notationes. p. 111.
Pilati apocripha Epistola ad Tiberium ex duplici mss. apographo. p. 112. & 113.
Ad passionem S. Andreæ Apostoli collectanea. p. 116.
Sancti Iacobi Maioris, seu Zebedei festus dies. p. 121.
S. Ioannis Apostoli Assumptio comprobata. Exerc. III. p. 123. & 143.
Melitæ Laodicensi Episcopo tributa S. Ioannis Euangelistæ Historia ex antiquo mss. p. 130.
In eamdem animaduersiones. p. 137.
S. Iacobi Apostoli fratris Domini ordinatio, seu Natalis Cathedra Hierosolymitanæ. p. 145.
S. Thomæ Apostoli notitia, & ex antiquis mss. excerpta. p. 145.
De SS. Philippo Apostolo, eiusque filiis Virginibus, à filys Philippi Diaconi diuersis, asserti. p. 150.
S. Iacobi Apostoli fratris Domini certamen. p. 153.
S. Iacobus Alphæi, Apostolus frater Matthæi, & Publicanus, eiusq. passio explicata. p. 155.
S. Bartholomæi Martyrium per Crucem, eiusque collectanea. p. 157.
S. Matthæi Apostoli genus, & locus Passionis. p. 159.
Natalis SS. Apostolorum Simonis, & Iudæ. p. 160. 635. 640.
S. Simonem Chananæum, dictum etiam Zelotem, vnum ex Domini fratribus, & eumdem cum Simeone Episcopo Hierosolymorum fuisse, ac in Perside Crucis martyrio coronatum. Exerc. IV. p. 161.
S. Iudas Simonis frater cognomento Zelotes, Thaddæus, & Lebeus, & de eo excerpta. p. 171.
S. Matthiæ Apostoli analecta. p. 176. & 543.
Vetustior, & multiplex Ecclesiarum Epocha, annique Christiani, & sacri numerandi ratio. Exerc. I. p. 180.
Natalis Dominici celebritas, origo, & pervigilium. Exerc. II. p. 195.
Hypapanthes, seu Occursus Domini festum, & tempus institutionis. Exerc. III. p. 225.
Magorum ad Christum venientium historia, hoc est Patria, itineriſque tempus, & stella. Exerc. IV. p. 340.
Passionis Dominicæ celebritas. Exerc. VII. p. 399.
Initium Prædicationis Dominicæ, eiusque præcipuum tempus, & signatus olim in Ecclesia dies. Exerc. VII. p. 478.
Primitiæ martyrum, quæ dicenda, & earum festum. p. 506.
Eusebius Cæsariensis in Cappadocia Episcopus apud cæteros Patres sanctitatis opinione clarus. Exerc. X. p. 607.
Prima Romæ à D. Petro dedicata Ecclesia expenditur. Exerc. XI. p. 697.
B. V. MARIAE, quæ prima Romæ consecrata Basilica fuerit, & de Niuis Miraculo. Exerc. XII. p. 726.
Locus, & dies, quo natus, & sepultus est S. Ioannes Baptista. Exerc. XIII. p. 786.
S. Eiusdem Præcursoris officium nondum positum, ac Conceptionis, & Natiuitatis locus iterum expensus. Exerc. XIV. p. 857.
Vetusti, sacrique Viduarum cœtus, ac eorundem Ecclesiastica officia. Exerc. XV. p. 979.
Asserta in Vetustiores Martyrologio nostro Siricij Romani Pontificis Sanctimonia, pluribus rationibus comprobatur. Exerc. 16. p. 1001.
Parvum Hieronymianum, siue Martyrologium, siue Calendarium. p. 1049.
Ex codice Blumanio serius accepto Varia Lectiones. p. 1053.

✠ ✠

OBSER-

Obseruationum præcipuarum Synopsis.

Egarus, siue Abagarus Rex Osroenorum à Thaddæo Apostolo curatus. p. 188.

S. Aciscli Martyris sepulcrũ quotannis Rosis prodigiosè ornatũ. p. 976.

Additiones ad vetustius Martyrologium laudandæ, non improbandæ. p. 6. quis Auctor 30.

Æra Diocletiani, seu Martyrum. 183.

Dionysiana, siue annus Paschalis. 185.

Agatha Martyr multiplex 659. Mammilla Luca 302.

Agnetis nomine plures Martyres 921. Natalitias celebrata raro exemplo. 288.

S. Alexandri PP. & Martyris corpus, seu reliquiæ pluribus in Vrbibus venerata 384. & 496.

Amaon ex discipulis Domini. 165.

S. Ammonij Martyris corpus ab Vrbano VIII. auctori dono datum. p. 304.

S. Andreas Apostolus à 16. qualis eius Crux ibid.

Anni Christiani numerandi ratio, seu vetustior Ecclesiæ Epocha. 180.

Anni Edessani à Seleucio. 188.

Anni initium à Consulibus, & Regnantibus 181. à Passione, seu Incarnatione 186. in cereo Paschali inscribebantur. ibidem. ab Epiphania, à prædicatione Domini, & à fundata Ecclesia Romana 191. 193. à Solstitio brumali 191. antiquissimum à mense Septembri. 184.

Annuntiationis festum 398.

Antrum Bethlehemiticum an in Oppido, vel extra. 205.

S. Antherus, siue Antherotes PP. 997.

S. Antonius Presbyter primus heremita 463.

Apostoli nonnulli antea coniugati 150. eorum communis dies festus 154. plures in Persida passi. p. 170.

Apostolorum Indiculus 91. Acta deinceps explicata, à Manichæis, aliisque perduellibus depravata. p. 137. 143.

Aprilis Mensis Martyrum feracissimus. 411.

Arca Noemi diù in reliquijs seruata, & vbi. 663.

Ariana hæresis chronologia ab initio deducta. 74.

Assumptionis Deiparæ solemnis dies, varius à die depositionis, siue obdormitionis. p. 261. 263. & 754.

Assumptio S. Ioannis Euangelistæ 123 dies. 552. & 634.

Baptismus Constantini. p. 81. 215.

Baptisterium, eiusque dedicatio 635. in titulis antiquitùs. 715.

S. Bartholomæus bis Martyr. 157. certamen consummauit in Vrbe capite deorsum posito. ibidem.

Basilica, seu Augustiores Ecclesiæ post Constantinum frequentes 729.

Basilica Liberiana ad sacrum vsum 730. duplici miraculo celebris. 731.

Bedæ nomine editum Martyrologium genuinum illius non esse. p. 16. & 257.

Bethlehem natalitium antrum an in oppido, vel extra p. 205. ibi alij Martyres sub Herode præter Innocentes pueros 310.

S. Bonifacius PP. & eius depositionis dies. 808.

Cæcilia nomine plures Martyres. p. 838.

Cæsariani Milites inter primos Romæ Christianos 699.

S. Cæsarij Acta explicantur. p. 453.

S. Caius vide Gaium. p. 331.

S. Caij PP. corpus inuentum 332. 455. 637.

Calliroes Vrbs Iudææ. 864.

S. Callistus PP. 917. vbi sepultus. ibidem.

Canonica Sacra Virgines XL. Martyres 1047. septem. 425.

Catacumbæ. 117.

Cathedra idem quod ordinatio in Episcopum. 144. S. Iacobi ibidem. S. Petri Romæ 261. Antiochiæ 335.

Cherubæ, seu gynecæa sacrarum mulierum 986.

Christianam fidem nascentem reprimere, deuincere conati sunt Romani Imperatores quando primùm, & quomodo. 507.

Christus Dominus plures quam tres mortuos suscitauit p. 139. eius effigies Romæ. 702. vbi baptismum susceperit. 857.

Circumcisio Domini in domo patris, quam in templo peracta. p. 217. eius festum quando celebratum. ibidem.

S. Clementis PP. notitiæ aliquæ. 994.

Concilium Mediolanense sub Theodosio 61.

Confessoris titulus vetustior, & recentior. 42.

Constantini Baptismus p. 82. 215. Baptisterium 635. an Eusebius eius inuentione Martyrum acta collegerit. 66.

Conuentus quid. 776.

SS. Cosmæ, & Damiani sub eodem nomine multiplices. 879.

Coronati quatuor, cur quinque dicti. p. 957.

Crucis appariciones variæ, earumque celebritates 761. Exaltatio. 828. Inuentio. 493. Reuelatio per Iudam, seu Quiriacum. 489.

S. Cyriaci Martyris corpus in Lucensi ditione auctoris opera. 437.

Depositionis nomen, Confessorũ potius, quam Martyrum sepulturæ accomodatum. 42. 445. 472. pro die natali, seu celebritatis 123.

Dedicatio primæ Ecclesiæ à D. Petro Romæ 699. S. MARIAE ad Niues 730.

Die-

Diaconi antiquitus officium 252.
Diaconissæ ex Viduis, & Virginibus olim selectæ. 985.
Dies vetusto Romano ritu à media nocte incipit. 207.
Dies anniversarij, in Martyrologio signati, nõ semper cum vero die passionis, aut actionis conueniunt 48. 508. *& tamen ita ab Ecclesia statuti prodigijs confirmantur.* 54.
Dies luminum 225. *Nullus tempore persecutionum immunis à Christianorum pœna.* 450.
S. Dionysius PP. Confessor, & Martyr. 743. *Areopagita an diuersus à Parisino.* 908.
Diocletiani æra, siue Martyrum 183.
Domine quo vadis locus Romæ. 114.
Dyptica, seu duplices in Ecclesia tabulæ. 9.
Ecclesia prima Romæ consecrata à S. Petro 697. *facilè in Exquilijs, & S. Petri ad Vincula* 699. *An Domus Pudentis, vel Pudentiana; an Titulus Pastoris* 701. 702. *Beatæ Virgini primùm dicata Romæ, & prodigijs illustrata.* 726.
Ecclesiæ ferè omnes Vetustiores sub Diocletiano diruta, vel in vsum profanum redacta. Quæ remanent ferè omnes post Diocletianũ. 727. *Quales primis sæculis.* 707.
Edessanorum annus quomodo numerati 188.
S. Eleutherius PP. an Martyr 812. 813.
S. Emilianus Episcopus, an Trebiates, vel Lucensis. 303.
Epiphania initium anni 193. *Secunda Domini nativitas nuncupata; Olim solemnior quam prima celebritas.* 201. 223.
Episcopæ Viduæ. quæ. 985.
Epistola sub Hieronymi nomine Martyrologio præfixa, quo ad veritatem defensa 55. 57. *quis illius auctor.* 16.
Epocha, seu anni numerandi ratio, quæ nam vetustior in Ecclesia 180.
Epularum festum S. Petri 335.
S. Eusebius TP. an Martyr 865. *depositio* 892.
Eusebij Palæstini Sanctitas dubia, vel malè asserta 65. 71. 84. *Eiusdem collectiones Martyrum* 11. 12. 67.
Eusebij Cæsariensis in Cappadocia sãctitas ex cæteris scriptoribus explorata 606. 607.
Exquilina Regio 700. *ibi prima S. Petri domus. ibid.*
S. Felix PP. primus 211. *secundus* 687. 1042.
Feriale Eusebij, idem cum codice Martyrum. 64.
Festos in Ecclesia dies non semper cum eorum origine conuenire 48. *& tamen prodigijs esse confirmatos.* 52.
Festum omnium Apostolorum 154.
Fratres Domini vocati quomodo tales essent. 164.
S. Frigiani, seu Frigdiani dies natalis, & translationes. p. 977.
S. Gaius PP. qui & Caius, & Cajus 331. 453. 637.
Gargani Montis dedicatio. 885.
S. Genesij dies 774. *prodigium quotannis renouatum* p. 777.
S. Gregorius PP. 377.
Herodiades quomodo S. Præcursorem perdidit 787. *timor de eodem redeuntis* 793.
S. Hieronymus vetustioris Martyrologij auctor à pluribus creditus 11. 26. *Eusebius Hieronymus nuncupatus.* 28. *eius nomine epistola* 55. *expenditur* 57. *sententia de Eusebij Arianismo comprobata* 84. *dignus reputatus qui Damaso succederet. Siricio postpositus* 1003.
S. Hilarius PP., & depositionis dies. 822.
Hypapantes, seu Occursus, & Purificationis festum. 295.
S. Iacobi nomine tres Apostoli. 95.
S. Iacobus Alphæi frater Matthæi 155. *Publicanus* 155. *per Crucem martyrium complonit.* 155.
S. Iacobus Zebedæi 190. 681. *de eo error in Menologio Basilij.* p. 122.
S. Iacobus frater Domini, eius cathedra, seu ordinatio 144. *extra numerũ duodecim Apostolorum, & eius laudes.* 145. *Maior ætate quam Dominus ibidem. Venit Bethlehem ad eius nativitatem. ibidem. Obitus dictus, & Ecclesiæ Columna.* p. 153. *passio.* p. 154.
SS. Iacobi, & Philippi dies festus. 150.
Ianuarij Calendæ immunes ab hominum pœna, exceptis Martyribus; dissolutionibus referta, & in eas SS. Patrum declamationes. 69. 217.
Ieiunium Nativitatis Domini 202. *Incarnatio Domini initium anni.* 186.
Indictiones quæ 184.
Initium prædicationis Domini olim in Ecclesia celebratum, & quo die. 478.
SS. Innocentium cædes quando 239. *Matres ab aliquibus inter Martyres numerata.* 217.
S. Innocentius PP. 375. *Martyr* 1040.
Ioanna discipula deficit in Martyrologio nostro, in alio Hieronymiano memoratur. 548. 549.
S. Ioannis Apostoli immortalitas expensa. Assumptio, siue Transmigratio asserta. 123. *Historia à Mellito Laodiceno scripta* 130. *in hanc Annotationes.* 137. *Manna sepulchri* 141. 143. *an sub Nerone relegatus* 138. *ætas* 141. *quo die assumptus* 552. 624.
S. Ioannis Baptistæ locus, & dies natalis, conceptionis, & sepulchri. 623. 786. 857. *Non in Samaria, sed trans Iordanem in Macherunte obtruncatus.* 783. *Conceptionis festum* 855. *cur prætermissum in Ecclesia.* 856. *adhuc conversionis præcursor* 857. *vbi primùm baptizauerit* 864. 866.
S. Iob patientissimus inter martyres reputatus. 123
S. Ioseph Domini nutricius quantum vixerit, &

vbi sepultus 389.
S. Iuda Apostoli, Thaddæi, Lubei, & Zeloles nuncupati Natalis, & gesta. 179. Frater Domini. filios habuit. 164.
Iuda in scripturis, & apud Patres aliquando pro Judæa 860.
S. Iulius PP. primus 431.
Legio I hebræa 850.
S. Leonis PP. dies depositionis expensus 961.
Liberiana Basilica ex dapsili miraculo celebris. 734.
Liberius PP. vt Sanctus venerarus. 535. 854.
Litaniæ ad cuiuscunque mensis initium. 38. quid nomen significet. 39.
Luca Holstenij de Vetustiori Martyrologio ad Anglorem epistola. p. 4. eiusdem de Eusebiana martyrum collectione in Bibliotheca Scoruli testimonium p. 12.
S. Lucas Euangelista an Martyr. 849. translatio. 923.
S. Lucij PP. & Martyris patria. 763.
Macherunus Castrum in Judæa. Regia domus Herodis. vbi Io: Baptista obtruncatus, fortasse conceptus, & natus. 860. & seq. quomodo nunc vocetur. 869.
Magorum ad Christū Dominū venientiū historia, hoc est patria, tempus, stella 129. & seq.
Magdalena, & Martha Hierosolymis veneratæ, an Massilienses. 272.
Manichæi alia Apostolorum corruperunt, & eorum hæresis 137.
Mēna ex sepulchro S. Ioānis Euangelistæ 141. 143.
Marcelli de SS. Petro, & Paulo, ac Simone Mago historia ex mss. 103.
S. Marcellus PP. Confessor, & Martyr 256. 895. 902. cū Marcellino à Græcis confusus 257.
S. Marcellinus PP. 570.
S. Marci nomine duo Pontifices Romani 875. 899 902. Euangelistæ cathedra 145. Martyrium. 853.
S. MARIÆ Virginis depositio. 261. Obdormitio, translatio, & assumptio. 263. & seq. 754. Martyrium ab aliquibus scriptoribus assertum 266. Prima eidem Romæ dicata Ecclesia 726. Nivis, & aliud prodigium ibidem. Nativitas à quo tempore celebretur. 816. Panagia Græcorum festum. 265. Assumptio quando celebrari capta. 266. 267. Patria Nazaret, & vbi duplex domus. 817.
Martyrologium in Ecclesia semper auctum, eiusq; primæ origines. p. 6. Auctor creditus Eusebius, siue Hieronymus. 21. Romanum, vel Occidentalis Ecclesiæ 21. 491. Vetustius nostrū ex variis fragmentis assertum. 26. 32. de eo Holstenij iudicium. 4. cum hoc vetus Rosweydi non æquiparandum 17. Primò codex martyrum nuncupatus. 13. in sacrificijs Missarum recitatus 11. in vsu ad lectionem 38. Non omnia Martyrum nomina continebat, sed in suis locis celebriorum 69. Quomodo, & quando mutatum 9. 21. 27. quis additionum auctior p. 30. laudandus 6. potius improbandi qui decurtarunt. ibidem. retentus emendatum adhuc emendatione egere aliqui existimant. p. 51. Corbeiense Dauberij non integrè editum. p. 208. Blixianum varia lectiones p. 1053.
Martyrum nomina plurima cur tanto tempore latuerint. p. 7. cur vulgatis Martyrologijs Iubratia 24. 27. eorundem Aprilis mensis fecundissimus 411. Initium, seu primitiæ 506. Collectiones Eusebij Cæsariensis 67. nomina inter Missarum solemnia recitari consueta 30. 40. cur Sanctorum Martyrum tantum 45. in Romanis extra Vrbem vnus palmam adepti Romæ in Martyrologio Vetustiori tributi p. 95. 320. plures anonymi Romæ 634. qui vocati Massa candida. 759. Scyllitani p. 667. Martyrum aliqua nomina in Codice Corbeiensi dubiè apposita videntur. 740.
Matres Sanctorum Innocentium Martyres à nonnullis reputatæ 217.
S. Matthæi Apostoli natalet, & translationes 548. 849.
S. Matthiæ Apostoli notitia 178. 543.
S. Maximus Martyr p. 436. plures huius nominis Romæ 993.
Menologia Græcorum p. 16.
Mellini historia S. Ioannis Euangelistæ ex ms. veteri, & in eandem notationes 130. 137.
Metaphrasis, seu migratio Deiparæ. 263. S. Ioannis Euangelistæ 123. 142.
S. Michaelis dedic. Ecclesiæ montis Gargani. 885.
Miliciades PP. 246. 641.
Missæ Vespertinæ. 62. anteluceanæ 141.
Natalis Domini duplex festum. Secunda nativitas, seu Epiphania celebrior 109. in solstitio 205. quādo caperit recoli die vigesima quinta Decembris. 195. eius pervigilium 198. anni inde numerati. 187.
Natalis Sanctorum idem quod dies festus, & celebritas 42. Cathedræ 144. 153.
Nathanael quis ex Apostolis. 186.
Nero primus Christianos pœnis affecit 538. in hos eius ludibria, & tormenta ibidem. mortis tempus. 115.
Nivis miraculum in Exquiliis. 726.
Noemi. Arca vbi resederit, & eius reliquiæ diutius seruatæ. 669. S. Iacobo Nisibitæ tantùm videri permissæ. ibidem. In Turcarum meschitas translatæ. 664.
Nonus Sol dictus dies Brumalis solstitij. 191.
Obdormitionis vox in Assumptione Deiparæ à Baronio improbata 754.
Occidentalis Ecclesiæ Martyrologiū cur Vetustius dictū

dictũ 21. confirmatũ. 227. 743. 855. 1039.
Occursus festum, seu Hypapanthe 225.
Orientis nomine quæ tam Orbis pars 231. 743.
Panagia Græcorum festum, seu revelatio Assumptionis Deiparæ. 265.
Paschalis annus, seu Æra Dionysiana. 185.
Passionis Dominicæ Dies solemnis 396. & 399.
Pastoris Titulus vbi 702.
S. Paulus cum Petro passus Romæ eodem anno, & die 633. eiusdem translatio, sine connexio. 282.
Persecutio prima in Christianos. 507.
Persis plurium Apostolorũ sepulcra habuit. 170.
D. Petrus primam Ecclesiam Romæ dedicauit, seu consecrauit 697. fortasse S. Petri ad Vincula nuncupatam. ibidem. eius Vincula, tam Hierosolymis, quam Romæ venerata. 694. pluribus in locis Romæ baptizauit 705. Cathedra Romana 261. Antiochena 325. eius vxor Martyr. 511.
SS. Petri, & Pauli natalis 202. eorundem acta contra Simonem Magum 103. eodem die martyrio coronati 633.
S. Petronilla filia Petri spiritualis 561.
S. Phoca nomine tres martyres 263.
Pilati epistola apocrypha, & eius bina exemplaria 105. & 113.
S. Philippi Apostoli natalis diuersus à Philippo Diacono 150. filiæ diuersæ à filijs Philippi Diaconi. Passio ex mss. 153.
S. Pontianus PP. & eius translatio. 751.
Prædicationis Dominicæ initium, ac celebris dies 477. & 478. aliquibus principia anni 193.
Presbyteræ Viduæ quæ. 982.
Primitiæ, seu initium Martyrum, & sacer illis dies. 505.
Primæ Christianorum Ecclesiæ quales 697.
Pudentis, Pudentiana, & Praxedis inter primas Romanæ Vrbis Ecclesias. 701.
S. Reguli Episc. memoria in Martyrologio Vetustiori addita, eiusque alia monumenta. 798.
S. Reparatæ corpus vbi quiescat. 905.
Resurrectionis Dominicæ dies. 406.
Romani nomine plures insignes Martyres. 973.
Romanum Vetustius esse quod damus Martyrologium. p. 21. Emendatum adhuc egere emendatione scripserunt aliqui. 4. & 51.
Sanctitatis tituli dignitatis aliquando fuit, non morum, aut vitæ. 65. 606.
Sanctorum Tabulæ, & memoriæ à vetustissimo tempore auctæ. 6. nõmina aliqua fraude, vel inscitia inducta 45. corpora pluribus in locis venerata. 384. 753.
Sebaste, seu Samariæ sepulcrum fuit S. Ioannis Baptistæ, non carcer, nec ibi obtruncatus. 627. 786. 867.
S. Sigismundus Rex frigore laborantibus opitulatur. p. 491.
Simeon Prophetæ visio in carne Domini facta. 227.
Simon Cyrenæus ex discipulis Domini. 165.
SS. Simonis, & Iudæ Apostolorum notitiæ. 160.
Simon, & Simeon idem nomen. 164.
S. Simon Cananæus, idem ac Simeon, & frater Domini, Episcopus Hierosolymitanus, dictus etiam Zelotes. In Perside martyrio coronatus. p. 61. & seq.
Simonis Magi mors 113. an statim à precipitij lapsu. ibid.
Siricius PP. in pluribus Martyrologijs veneratus, eius sanctitas explicata. 1001. an Martyr. & Cyriacus; an S. Vrsulæ socius. 1009. laudes, & epitaphium. 1010.
Sol nouus, siue hyemale solstitium. 191. initium anni. ibidem.
Stellæ Magorum quæ forma. 231.
S. Syluester PP. 215.
Thebæa Legio. 850.
S. Teclæ nomine duæ Pauli Apostoli discipulæ. 853.
S. Thaddæus Apostolus idem ac Iudas Zelotes. 171. an is, vel alius frater Thomæ ex septuaginta discipulis missus ad Abgarum Edessenum. 172. 173.
Theodotus Episcopus Laodicenus ab aliquibus Martyrologijs removendus. 947. fuit Arianus 77.
Thermæ Titianæ, & Traianæ an diuersæ 705.
S. Timotheus Romanus discipulus Pauli Apostoli. 767. alius ab Ephesino Episcopo, de quo. p. 882.
Thlibomeni, siue egentes 981.
S. Thomæ Apostoli notitiæ 145. dictus Iudæ 149. & 171. In India martyrium complenit. 146. quomodo eius corpus translatum Edessam. 117. 1040.
Titi Thermæ, Titianæ, & Domitianæ nuncupatæ. 706.
Tituli Romæ erecti, eorumque vetus origo. 714.
Traiani Thermæ 706. quomodo, & quando is in Christianos persecutionem moueris. 168.
S. Victor PP. 449.
Viduæ Sacræ 979. earum cætus antiquus Virginum 980. desolatæ, & professæ. 981. Velatibus nigellis vtebãtur 982. Velamen. 983.
Vigiliarũ seu sacrarum pernoctationũ origo. 197.
Vigilia, seu Pernoctatio Dominicæ Natiuitatis. 191.
SS. Vincentij, & Benigni monumenta p. 582.
Virginum Sacrarum antiqui cætus. 746. 980. ex his quadraginta Canonicæ Martyres. p. 1047. septem pariter canonicæ 426.
S. Vrbanus PP. an Martyr, vel Confessor p. 551.
S. Zachariæ patris S. Ioannis Baptistæ domus vbi. 860.
S. Zephyrinus PP. an martyrio coronatus 1036.

Pudet Martyrologij Textum, candidè ex libris noſtris editum, tot nævis eſſe maculatum; non piget tamen à Sanctorum amaſijs appoſitam emendationem rogare. Deterſas reliqui operis quiſquilias in poſtremam Mantiſſam detruſimus.

DECEMBRIS die 28. poſt Saturninam hæc addantur omiſſa In Tracia Gaiani, Domiciæ.	
30. Polocliti *lege*	Polocliti.
31. Sennionis Paſſio	Sennonis paſſio.
IANVARII die. 5. Sernij	Fermi.
7. Faloronis	Filoronis.
9. Selli	Silli.
10. habent	habèntur.
11. Abſolami	Alſolami.
Pirolomi	Piloromi.
12. Hortenſi	Hortinſi.
15. Genomi	Genonij.
16. poſt Saturninum addatur.	Fauſtini.
17. Teuſſe	Tecuſæ.
Sancte	Sate.
19. Vitalis	Vitalis.
Menelampi	Minelampi.
Tiberiani	Tybariani.
22. Fici	Tyci.
24. Euſtaſi Epiſc.	Euſtaſi Conf.
25. Potioli	Potiolis.
Theugeni	Thengenis.
26. Anthemaſius	Antemiaſius.
29. & aliorum XLIII.	& aliorum XLIIII
FEBRVARII die 2. qui	quæ Aurelianis
Aurelianis.	
6. Sancti Sotheris	Sanctæ Sotheris.
Reuocati	Reuocate.
9. Orioni	Orion.
12. Eulialiæ	Eulaliæ.
14. Breconi	Preconi.
Moyſe	Moyſei.
15. Foebi	Poebi.
Auanti	Auentij.
17. Gundinis	Gundynis.
18. Frutuoſi	Fructuli.
19. Bacchei	Barechei.
Maruli	Mauili.
21. Iocundi	Iocuni.
Secundi	Sancti.
23. Carmiani	Cariniani.
Sineritis	Sineritis.
24. Abſolanas	Abſolonas.
poſt nomen Nicofori addendũ Claudiani.	
28. Satthei	Garthei.
MARTII die 1. Andegauis &c. ſcribenda eſſent	
Italico charactere.	
3. Saliani	Sabiani.
Aſtri	Aſteri.
Socij	Focii.
Aſcilipi	Aſclipi.
Frunumi *lege*	Frunimi.
6. Plantiſgioni	Plantiſgoni.
7. Sutunde	Sucundæ.
9. & in territurio Rodomi &c. ſcribẽdæ eſſent	
charactere Italico.	
10. Alexandria Eraclı	In Alexandria.
corpus	corporis.
12. Netar	Necar.
Zimæ	Zmirnæ.
13. Mitritiæ	Matriciæ.
Zedioni	Zeddoni.
Duoni	Duomini.
14. Frontinæ	Frotinæ.
Frummi	Frunimi.
15. Thophili	Theophili.
17. Marinæ deleatur.	
18. Aplis.	Aprilis.
19. Friſciani	Fiſciani.
Ioſeni	Ioſeri.
20. Valentiani	Valentini.
In Fontanella &c. ſcribenda eſſent Italico	
charactere.	
22. S. Pauli Epiſcopi	S. Pauli Cõfeſſoris.
24. Firoſi	Firon.
Saturniai	Saturnini.
& depoſitio Iuuini burgo. ſcribenda	
charactere Italico.	
31. *Vualframmo*	*Vualframno.*
APRILIS die. 1. In Ægyto Sanctorũ.	In Ægypto
paſſio Sanctorum.	
3. S. Paſſerati	S. Pancrati.
In Mirca	In Mirea.
5. Sanctorum Virginum.	Sanctarum Virginũ.
6. Hermei Epiſ	Herenei Epiſc.
11. Filonis	Filoni.
12. Flanini	Flauini.
15. Cypani	Cypriani.
20. Geme Corniliæ	Geme Comiliæ.
23. Theodonę	Theodoræ.
Naboris.	adde Item Siluij.
24. Fortunatæ	Fortunæ.
26. Germiani	Germani.
27. Pañi. Priami. ſcribe Priani.	
Gemilliani	Gemillini.
28. *Sãcti Euſeby Epiſt.*	*Depoſitio S. Euſebij Epiſ.*
29 Codomoni	Eodomoni.
Baſili	Baſeli.
30. Criſpini.	adde Itẽ Criſpini.
Nomeſis	Nomenſis.
Teleſfori	Teliſfori.
MAII die 2. *presbyteris*	*presbyteri.*

7. Item

7. Ité Augustini Episc.	dele Episcopi.
Iustiniani *lege*	Iustiani.
Floriani	Floridiani.
8. Marie	Marcie.
Iohunis	Iohannis.
Aialæ	Stiale.
9. Mediolano	Mediolano.
Natalis S.B.Cō.	scribe Italico charactere.
10. Matuli	Matuli.
11. Sipponi	Sippioni.
12. Pancrati	Pancrati.
14. CCCIIII. marty.	CCCCIIII. martyr.
& Anduci	Andrei.
15. Augustiduno &c.	scribe Italico charactere.
16. Manerini	Menerini.
Peregrini primi.	*Peregrini Episcopi primi.*
18. Petecon Diaconis	Petecon Diaconus
20. Saudeli	Baudeli.
24. Zcoli	Zoeli.
Timissi	Timini.
25 Septini	Septimi.
28. Zotoli	Zetoli.
29. Carchi	Carelli.
31. Leuticæ	Lauticæ.
Tertuli	Tertulæ.
IVNII die 1. Coteusi	Coteusę.
Casse	Carre.
Niuæ	Ninæ.
Lepaci	Sepaci.
Silleræ	Silliræ.
2. Pauli Rauli	Pauli Pauli. fortè
incuriosa repetitio.	
Fortunati. Fortunatę	anfra etiã emendãdũ.
Euanci	Euanciæ.
Samnatræ	Sammatæ.
Datuli	Datulæ.
Frontei	Fontei.
Terij	Tertij.
Comminis	Commini.
Potamiæ	Petamiæ.
Samniæ	Iannicæ.
3. Zinci	Zinci.
& aliorum CXLII.	& aliorum CXLVII.
Urbani. Felicis. Mesoni.	delenda sunt nomina Urbani, & Felicis.
Passomi	Passemi.
Papori	Napori.
Titonij	Titorij.
Oberce	Oberci.
Siluani	Siluanæ.
Romani	Romoni.
Veranti	Verani.
4. In Sabaria	In Sabaria ciuitate
5. Iappe	Sappe.
6. & alibi depositio &c.	scribenda sunt Italico charactere.
9. *Popeis*	*Popeie martyris.*
10. In Autisiodoro &c.	scribe inclinato charactere.
12. Aureli *lege*	Aurili.
20. Pellici	Bellici.
23. Inuentio corporis S. Quintini Martyris.	scribenda charactere Italico, sicuti pariter die seq. In ciuitate Augustoduno &c.
25. Lunitani	Lamtani.
26. Luceiæ	Luciæ.
28. Miliani	Niliani.
corporinis	corporis.
28. Phesci	Phesici.
IVLII die 1. Gagi	Romæ Gagi.
cum alijs VI.	adde Orion cum alijs VIII.
Idonij cum alijs.	Idonij cum filijs.
& Augustiduno depos.	Leoni Episcopi.
Egolisma ciuitate &c.	scribenda sunt charactere Italico.
2. Turonis &c.	scribe charactere Italico.
3. Honestis	Orestis.
Serenæ	Seueri.
Martyniani	Martyrij. Ami.
4. in Syria	in Syrmia.
Luciani Episc.	Lauriani Ep.
6. Sichetis	Archetis.
In Augustiduno &c.	scribẽda charactere Italico
7. Codomuni	Eodomuni.
Patheni	Partheni.
Parmi	Parni.
Ammias	Animias.
Pidinij	Pydiui.
8. In Austria passio S. Kiliani.	scribenda charactere Italico.
Pramati	Pramcati.
Eleti	Elenti.
Fromedi	Tromedi.
9. & Fraterni Episcopi.	scribendum charactere Italico.
11. Perdiciæ	Prodiciæ.
12. Carnilisi	Corninsi.
14. Gunni	Gummi.
15. Nisiuis	Niciuis.
Etropi	Eotropi.
similiter	simul.
17. Bessiæ	Bessæ.
18. Faltei Epis.	Falbei Epis.
21. Stencoris	Stercorij.
Dimesi	Dimeli.
25. Aconiti	Aconti.
26. Laudaci	Laudaie.
27. In ciuitate Autisiodoro &c.	signanda charactere Italico.
30. Ammonici	Ammonij.
Donatuli	Donatulæ.
AVGVSTI die 1. VI. Fratrum.	VII. Fratrum.
Antiochio	Antiocho.
Manandri	Menandri.
Proluni	Profuni.
In Gallia ciuitate &c.	scribenda diuersa charactere.

3.	Acellai *lege*	Acelli.
4.	Natais	Natalis.
8.	Cyrici	Cyriaci.
	Sacundini	Secundini.
9.	Permeni	Permoni.
	Crescentiani	Crescentianæ.
	Samaragdi	Jamaragdi.
	Saftiri	Sactiri.
	Ladicis	Ladici.
	Istriani	Iuriani.
	Urbe Lemoucis &c. scribe inclinato charactere.	
10.	Seni	Seui.
13.	Antiocheni Epis.	Antiochi Epis.
	postquè adde *Lugduno Gallie natalis Sancti Antioci Episcopi*, & reliqua etiam scribe charactere inclinato.	
15.	cum socijs	cum socijs eorum
17.	in Calcidona	in Calcidonia.
	Disci	Disci.
19.	Ponti	Ponto.
	Falionis	Filionis.
	Rosini	Roffini.
21.	Semi	Seui.
	Steri	Asteri.
24.	Presbyteris	Presbyteri.
25.	Milites	Mil.
27.	Cæsaris	Cæsarij.
28.	Iuliani	Iubiani.
Septembris die 1.	Eutl	Euoti.
	Bellausia	Bermusia.
4.	Cassi	Casti.
8.	Peneti	Paneti.
	Serapionis lin. 6.	Arapionis.
9.	intra duos.	inter duos.
10.	Caprici	Cupsici.
	Orosoni	Oroponi.
12.	Dietcli	Diosoli.
	Eucotis	Euanti.
13.	Andecauis ciuit. &c. Italico.	scribēda charactere.
15.	Mercibi *lege*	Merubi.
16.	Pristiani	Prisciani.
19.	Paeli	Palei.
	Quapilici	Quapilei.
	Musicij	Musei.
	Bectoria	*Betoria.*
27.	Ad Acia	Adacia.
28.	Longeræ	Longesæ.
Octobris die 2.	Platonis	Plationis.
4.	Mssli	Marsi.
10.	Sciendi	Secundi.
16.	Sufis	Susli.
	Mirei	Merei.
20.	Euticij	Euticis.
24.	Flauiani	Flauini.
27.	Sancti Florenti	*Sancti Florentij.*
31.	In Italia &c. scribenda	Italico charactere.
Novembris die 5.	Marcis	Martij.
6.	Venericini	Veuericini.
8.	Symphronis	Simphronij.
13.	Bricci	Brici.
16.	Fronloni	Frontoni.
21.	Basilisci	Basiliscæ.
	Theodoli	Seodoli.
22.	In Asrigia Crisogeni.	In Africa Erisogeni.
28.	Cuceri	Euceri.
Decembris die 1.	Aleguati.	Alequati.
4.	Cristai	Christiani.
5.	Briuati	Priuati.
10.	Maggini	Miggini.
	Drasonis	Trasonis.
11.	Samnioni	Sammoni.
	Meriti	Emeriti.
15.	Mathri	Matheri.
17.	Octosi	Octori.
18.	Tersuri	Terturi.
	Semtimini	Sentumini.
	Anesthi	Aresti.
	Cosei	Cusei.
22.	Theodotiæ	Theodosiæ.

AD VETVSTIVS MARTYROLOGIVM ADMONITIONES PRÆVIÆ.

De vetuſtioris Martyrologij Vulgandi propoſito.

ADMONITIO I.

QVOD in tam varia diſtractus operoſiſſimum opus ſuſceperim, momenta tecum Beneuole Lector ediſſeram conſilij mei. Excuſabilis temeritatis fiducia non aliunde, quam ex trepidatione manauit. Habet, & timor audaciam ſuam, fortemque reddidit aliquando periclitatio, quem ſecuritas nimia detinuiſſet ignauum. In hoc multorum Martyrum Hagiologio, ſiue proferendo, ſiue emaculando, quantulus cumque conatus euaſerit, extremæ lineæ timor eſt, & ſummi iam aduentantis Iudicis non inconſulta formido. Suſtinuit ille diutiſſimè clemens inertiam meam, & patientiſſimè diſſimulauit nequitiam. Iam iã ſenio ingruente propè eſt, vt Paterfamilias rationem villicationis repoſcat, & frugiperdam arborem, quam diutius tolerauit in agro ſuo, deſignet, vt ſuccidatur. Quis in die mala liberabit, niſi Sanctorũ cætus excipiat? An neſcimus *quoniã Sancti de hoc mũdo iudicabunt*? Non ne præcipuè Martyres, vt loquitur Dionyſius Alexãdrinus apud Euſebiũ lib. 6. cap. 42. *Aſſeſſores ſunt Chriſti, & regni illius conſortes, ac iudicij participes vnà cum ipſo iudicaturi*? Omnium horarum peccator, quæ ſupereſſe poterant analecta dierum, in nouiſſimam horam deuoui, & ex Anniuerſario Sanctorum circulo, non vtique mihi coronam, qua tempore redimirem diſpoſui, ſed præcium, quo tempus malo diſpendio conſumptum alieno theſauro redimerem, decoctor improbus deſignaui. Vtinam dies diei verbum bonum eructet, & in tanta ſæculorum nocte tot Martyrum detecta nomina poſtremæ mihi noctis ſcientiam indicent ſalutarem. In vno horum dierum auſpicaturus æternitatem, non malè difficillimum iter capeſſerem, ſi quis ex multis probatæ fortitudinis pugnatoribus ductor præiret, vel per deuia errantem ex alto ſpeculator

aliquis ad tutiorem arcem dirigeret. Fiduciariæ à Christi commilitonibus conscriptæ sanguine literæ in spem aliquam securitatis attollunt, & plurium Sanctorum Nominum amuleta æternæ mortalitatis contagia pollicentur auertere. Commune pluribus vorum est ad Diuorum tutelarium delubra pro securitate deponi, nosque præsertim D. Maximus ex alijs vetustioribus monuit Homelia in Natali SS. Tauricorum. *Ideo à maioribus prouisum esse, vt SS. ossibus nostra corpora sociemus, quia dum illos Christus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat.* Quid si non dissonum putauerim sub vberrimo Martyrum censu latere, ac minùs pœnam metuere? Quamquã vero inter Sanctorum nomina misceri non sit in partem meritorum ascribi, eorundem tamen probitate obumbrari, expiari simul est, ac ditescere. Diues equidem in misericordia Deus eorundem precibus emollitus non continebit in ira diuitias suas, sed in probrosam etiam paupertatem ignoscendo diffundet. Fiduciam ergo inde mihi obuenisse profiteor, vnde timor emersérat. Solemnem quoque eorum artem vsurpare non erubui. Dum causæ etenim æquitate desperans, ita totus in Iudicis laudes incubui, vt demuleito animo, qui crimen non poterat non agnoscere, benevolus tandem dignaretur ignoscere. Sed inconsultam fortasse ridebis industriam, quasi per meam in hoc opere inscitiam, Dei laudes inde putem augeri, vnde non parum possint ex imperitia vilescere. Nemo Deum dignè laudare valet: Laudat quoquomodo Dominum in Sanctis eius, qui iustorum memoriam æternandam in cœlis apud homines etiam satagit perennare; de seruorum si quidem præconijs aliquid etiam Domino videtur laudis accrescere. Voluit aliquando Deus suorum in terris monumenta celari, ac ita per sæculorum caligines deformari, vt posterorum habeant ingenia, vnde defodiendo ditescant, & in Sanctorum, ac sua repastinanda gloria, non vile capiant ex lucubrationibus lucrum. Ita Pionius, dum Smyrnensium epistolã de Polycarpi Martyrio ferè corruptam ipsius reuelatione restituit, ex consimili labore, non dissimile sibi suadebat & præmium. Siquid igitur vel abscondita detegendo, vel deprauata complanando in Dei, & Iustorum gloriam proferre contigit, si quid ex antiquitatis studio per subseciuas meo muneri horas proficere, totum illi cui omnia debeo vectigal pendo, non ignarus interim in summa bonorum pauperie nihil dignum offerre. At planiùs etiam alias tibi Lector rationes aperiam, cur sacra hæc cimelia vulgare succurrerit, quæ quamuis humaniores videri possint, non tamen à gloria Dei velim esse seiunctas. Cur si licuit ætate nostra Heriberto Rosuueydo, nec sine laude, vetustas Sanctorum Ephemeridas in lucem prodere, ac sub Veteris Romani Martyrologij programmate Pontifici Summo, tanquam summum munus offerre, non licebit & mihi, quando inenarrabilis bonitatis Deus paupercula viduæ quadrantem à Gazophilaceo non repulerit? Putauit quidem Vir doctus, ac pius, non modo illud Romanum esse aliorum fontem, quodque D. Gregorius per vniuersam Ecclesiam suo tempore diffusum graficè descripserat, sed etiam quod Ado, vt archetypum, suo præfixum Martyrologio reliquerat, ac proinde veluti cunctis eruditorum oculis optatissimum vulgare festinauerat. Vulgauit, sed minori plausu, quam augurabatur à titulo; plura enim in eo Viri docti obseruarunt, quæ minus illud à Baronio expetitum esse suadereant. Potsum & ipse facilius quam Rosuueydus decipi; at inuento ex Lucensi Ecclesia vberiori, ac vt puto, vetustiori Martyrologio, quis in tenebris amplius latere piaculum non duxisset? Repetebam profectò & ipse memoria Lãphranci Cantuariẽsis grauissimi viri monitum aduersus Berengarium, monimenta ecclesiarum, & Sanctorum historias; tametsi eam, quam diuina scriptura auctoritatem nõ habeant, *hoc tamen* inquit *probare sufficiunt quòd hanc fidem,*

quam

quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt, à priscis temporibus habuerunt. Illius inde præcepti memor, quod diuinus Vates vulgauerat *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia*, alacriori tandem animo concipiebam, non ingratum Deo futurum, si pluriũ Martyrũ nomina quæ scripta sunt in Cælis, & in Augustissimo dudum sacrificio, vel Litaniarum pompa recensebantur, iterum in Christianorum auribus personarent. Sed tolerabilia etiam quædam respiciebam; putabam enim apud eos, qui de sacræ historiæ prouentu soliciti sunt, aliquam me gratiam initurum, dum multo interuallo vberius martyrologium, & ad Romani vetustioris puritatem magis accedens, exhiberem. Nec me latebat eruditissimos Viros Ioannem Bollandum, & Godefridũ Henschenium in Sanctorum monumentis colligendis nostro quoque sæculo desudare, quibus si suppetias ad locum saltem, & diem passionis me ferre contingeret, durissimi laboris non pæniteret. Hinc quædam ad Apostolorum præsertim historiam, tot ambagibus inuolutam, spectantia, neque adhuc, quod nouerim, edita interfuere placuit, & quia nondum probata essent aliquibus etiam notationibus complanare. Accesserat postremò humanioris adhuc rationis momentum, quod tibi erudite Lector celare nequeo; Humanissimi nempe, ac Sapientissimi Viri Lucæ Holstenij Vaticanæ Bibliotecæ Præfecti solemnis admonitio: Quod nanque hoc vetustiori monumento eadem Pontificia Bibliotheca careret, datis ad me, quæ humanitas eius fuit, benignioribus literis editionem non semel suasit, ac veluti magno authoramento coegit. Quia vero dum hæc prælo pararem Vir summus, cuius memoria in benedictione sit, esse desijt in terris, Epistolam, quam transmisso primùm Martyrologij specimine primam ad me dedit, hic apponere non piguit, tanta enim penes me Viri dignitas est, tanta apud omnes candoris, & eruditionis existimatio, vt hi, quibus consilij mei argumenta minùs placere posse timerem, tanti Viri iudicio non me facilè stoliditatis conuincerent. Si quæ tamen in notis, tam ad Apostolorum Indiculum, quam ad reliqum opus adieci, quæ vel à Baronio doctissimo, vel alijs qui Romanum Martyrologium restituerunt, dissonantia videantur, non adducta vti validiora argumenta velim, sed quasi leuiora offendicula summo tantùm digito indicata, vt ab his facilè remoueantur, qui Pontificia auctoritate per tempora sacris fastis emendandis præfuerint, & vt vetustissimus Sãctorum Martyrum catologus, si ita videbitur, ijsdem sacris Tabulis addendus quàm emendatus prodire possit. Ne vero Sanctitatis titulo in pluribus non ità certò, ab Ecclesia probatis Martyribus, me abuti quis obiurget, memor Vrbanæ Pontificiæ Sanctionis iuxta illius tenorem omnia dicta esse profiteor, meque præter antiquorum codicum fidem nihil addidisse, non modo prò certo sciat, sed quòd ad extremum vsque vitæ momentum omnibus Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ decretis subesse libentissimè ac demississimè velim. Hæc Lector in limine te potius exoratum maluissem quàm monitum, nisi quædam magis ex rè fuisset præmonere quam rogare. Si quæ vero perfunctoriè hic tantum indicata doleas, vberius in sequentibus explicata fortasse te non pigebit excurrere, dum interim doctissimum Holstenium non dedigneris audire.

Franciſco Mariæ Florentinio Viro Ill. & Clariſſimo Lucas Holſtenius ſalutem pl. dicit.

EGO vero Clariſs. V. Florentini, felicitatem iſtam, & tibi, & rei Chriſtianæ ex animo gratulor, quæ fruſtra hactenus quæſitum theſaurum tibi tandem in manus dedidit: Vetus illud inquam, & genuinum Martyrologium Romanum, Baronio, Roſuweydo, aliiſque ſacræ antiquitatis amatoribus tantopere expetitum. Salinam mihi non ita pridem monuit Iacobus * Bollandus Societatis Ieſu Theologus Antuerpienſis, qui ſpiſſum, & magnum ſanè opus de Vitis Sanctorum in Belgio nunc procudit: cuius menſem Ianuarium duobus ingentibus tomis diuiſum te vidiſſe non dubito. In prolegomenis eius operis per quam eruditis capite quarto adminicula, quibus ad hagiologium illud concinnandum vtitur, commemorat, & in illis vel primo loco Martyrologium iſtud Hieronymi, & Euſebij nomine inſignitum; exemplum nactus ex Carthuſia Treuirenſi. Specimina aliquot proponit tuis illis ſimillima: ita vt dubitari non poſſit quin idem omnino vtrumque opus ſit; Exhibet deinde ad ſingulos Ianuarij dies Sanctos eò numero, atque ordine, vt in Codice Treuerenſi habentur. Fidem optimam eius Martyrologij vnum præ cæteris illuſtre exemplum mihi comprobauit. Cuius periculũ etiam in Lucenſi exemplari facere poteris. ad V. Idus Ianuarias Martyrologium Baronianum commemorat in Africa natalem SS. Martyrum Epicteti, Iucundi, Secundi, Vitalis, Felicis, & aliorum ſeptem. Vetuſtiſſimum S. Hieronymi apud Bollandum tomo 1. pag. 567. In Africa Epicteti, Quincti, Secundi, Iocundi, Saturnini, Vitalis, Quincti, Vincentij, & Felicitatis: Item Quincti, Felicis, Artaxis, Fortunati, Ruſtici, Silli, Quincti, & aliorum ſex. Baronius in notis Epictetum anteſignanum, Aſſuritanum Epiſcopum ex ſola nominis ſimilitudine, quod apud Cyprianum extat, conijcit, adeoque ſub Decio paſſum. Sed mihi Hieronymiani illius Martyrologij beneficio certo conſtat, Martyres hoſce Seueri perſecutione periiſſe. quæ anno Chriſti 205. ponitur, nam acta paſſionis Sanctarum Martyrum Perpetuæ, & Felicitatis, quæ Tertullianus libro de paradiſo laudat, & Pontius principio libri de Vita Cypriani tacito nomine innuit, tum vero S. Auguſtinus quatuor homelys quaſi verboſenus exponit, ex vetuſtiſſimis membranis Africanis à me erutæ, hoſce Martyres in viſione Paradiſi, vt Tertullianus vocat, ita commemorant. Quatuor illi angeli qui geſtabant nos, depoſuerunt nos: & pedibus noſtris tranſiuimus ſtadium viæ latæ vbi inuenimus Iocundum, & Saturninum, & Artaxium qui eadem perſecutione viui arſerant; & Quinctum, qui & ipſe Martyr in carcere exierat. Sic acta vetuſtiſſima. Itaque eadem perſecutione Iucundus cum ſocijs menſe Ianuario, & Perpetua atque Felicitas cum Reuocato, Saturnino, Secundulo, & Saturo ſocijs, nonis Martij paſſi ſunt: Et quia priores illos viũicemburio periiſſe conſtat, rectiùs de ipſis accipi puto verba Tertulliani Apologet. c. 50. quæ Baronius alijs minus certis tribuit ad diem 6. Ianuarij. Hilarianus enim qui hanc perſecutionem exercuit, primus exſeruit gladium in Chriſtianos Afros, teſte Tertulliano ad Scapulam. Sed multa minus recte à Baronio ſcripta actorum iſtorum fide corrigi poſſe alibi oſtendam.

* Ioãnes

Et quamuis Bollandus Martyrologij huius editionem in ijſdem prolegomenis promittat, vix tamen illud futurum puto niſi toto hagiologio abſoluto. Proinde quam primum tu eo beneficio nos mactes, vt publicato theſauro coinò ermi fruamur. Neque opus habes mea admonitione, vt puram putam codicis tui antiquitatem religioſè nobis repræſentes, cum luculentum diligentiæ, & iudicij ſpecimen Matildis tua exhibuerit.

Nam

Nam qui in Martyrologio, quo nunc vtimur, concinnando varias diuersorum codicum lectiones non satis accuratè dispexerunt, pro veris falsos, & pro vno plures Sanctos effinxerunt. Exemplum in ipso limine offendes. Qui enim die secunda Ianuarij tanquam diuersi ponuntur B. Isidorus Episcopus, & paulo post S. Siridon Episcopus, pro vno vero duo falsi substituuntur, vitio ambo creati ex vera lectionis ignoratione, vt ex Vetustissimis M SS. deprehendi, in quibus semel simpliciterque legitur: Antiochiæ Syridoni Episcopi eiusdem loci. Vnde, & veram lectionem, & erroris originem facile perspexi. Quis enim non videt legendum Antiochiæ Syriæ, Domni Episcopi eiusdem loci. Atque ita vero illius loci possessore in integrum restituto duos hypobolimæos expungendos? Scio Baronium in annalibus non satis fauere Domni istius famæ; cum tamen ex publicis hisce tabulis constet nomen eius in Romana Ecclesia dyptichis olim commemoratum fuisse. Antiochia autem Syriæ dicitur, vt à Pisidiæ, aliisque eiusdem nominis discriminetur. Sed hæc apud te accurati iudicij Virum probatione non egent. Simili errore ad diem vii. Ianuarij inuitis omnibus antiquorum Martyrologiorum exemplaribus inseritur, In Dacia Sancti Niceta Episcopi, qui feras, ac barbaras gentes &c. cum eundem alibi suo loco, hoc est xxii. Iunij, & Romanum ipsum, & alia probatæ fidei Martyrologia commemorent. Quo loco Baronius neque ipsius Niceta, neque Ciuitatis Episcopalis verum nomen perspexit, vnde ex vno eodemque Niceta duos constituit. Fuit autem Nicetas Romitiana Episcopus olim S. Paulini Nolani hospitio, & carminibus celeberrimus, ideoq; cum de certo exitus eius die non constaret Ecclesia eius cõmemorationẽ cum S. Paulini memoria coniunxit: quod Romano Martyrologio consuetũ esse nemo ignorat. Neq; aliã ob causã Ioannes Neapolitanus Episcopus itidem Paulino eodem xxii. Iunij die subiungitur, quam quod idem Paulinus eum ad cælestia regna vocauit. Itaque Baronius gemino errore hic hariolatur, dum Niceam Niceta prefert, & sedem eius ex Dacia ad Aquileiam transfert. Fuit enim Romatiana Daciæ Mediterraneæ Ciuitas sub Metropoli Serdicensi, inter Naissum Constantini Magni Patriam, & ipsam Serdicam posita: & Antonini itinerario Remisiana, Hierocli, & Constantino Porphyrogenito Remesiana, tabula autem Augustana Romesiana dicitur; Bessos autem hunc Daciæ tractum circa Romesianam, & Serdicam incolaisse si alia veterum testimonia deessent, docet nos vetus lapis Neapolitanus apud Capaccium pag. 331. in quo Aurelius Abitus miles legitur natione Bessus, natus regione Serdica, Vico Magan, &c. Hæc non eo animo ad te scribo, vt Magni Viri hallucinationes sugillem, sed vt te commoneam quantum referat veram, genuinam antiquitatem non interpolari, sed religiosè produci ad veterum librorum fidem: ita tibi, & Lucensi Ecclesiæ laudem, & gratiam conciliabis apud eos, qui ex merito sacra ista cimelia æstimant &c. Vale Cl. Vir, & præclari operis editionem quam primum publico cum fauore, & plausu absolue.

Romæ iv. Kal. Feb. CIↃIↃC LVIII.

De

De Vetuſtiſſimis Sanctorum Tabulis in Eccleſia per ætates ſuppletis, Primiſq; Martyrologij Originibus.

ADMONITIO II.

EXPETIVIT non ſemel Doctiſſimus Baronius purũ Martyrologiũ illud, quod D. Gregorius deſignauit, atq; Ado per antiquum dixit; at quia, neque dum Vir ſummus aduiueret, neque deinceps integrè comparuit, doluerunt alij viri docti, nullum Martyrologium ad nos hucuſque peruenisſe, quod auctum à recentioribus non fuerit, & à priſca puritate nõn deflexerit. Ita vero nonnulli doluerunt, quaſi piaculum fuerit Sanctum aliquem nonnihil recentiorem perantiquis, ac nullis additionibus maculatis faſtis indidiſſe. At ſicuti per ætates, piorum virorum induſtria, ſemper aliqua ſacris tabulis accreuiſſe conſentio, ita è contra querimonijs modum imponendum eſſe exiſtimo, & bono animo ferendum ex vetuſtioribus, & clarioribus Eccleſijs nullum ad poſteriora tempora Martyrologium potuiſſe ſine additionibus peruenire; Quòd nimirum ex Apoſtolicæ Eccleſiæ decretis, & inſtituto, additis primo Martyribus, deinde alijs Sanctitate præclaris viris, ſacras Tabulas locupletare ex ipſa præcepti neceſſitate conueniret. Quapropter dolendum potius eſſe putarem, ab inconſultis antiquarijs, nè Martyrum Codices nimium excreſcerent, dum noui quotidie emergerent, huiuſmodi tabulas fuiſſe decurtatas, atque ita, dum Sancti recẽtiores, & notiores addebantur, vetuſtiores, minuſque notos decreuiſſe. Hoc in Martyrologio S. Cyriaci nuncupato, & à Baronio non ſemel adducto, atque in alijs aliarum Eccleſiarum apud Bollandum, obſeruari non difficile poteſt. Dolendum præterea eſſet, niſi pietas vitaret, quòd Beda, Florus, Vſuardus, Ado, & alij, qui eorum veſtigia preſſerunt, Martyrum ignotorum ſegetem amputauerint, & ab eorum Martyrologijs ſine vllo crimine remouerint. Etenim labentibus ſæculis accidere facile potuit, vt monumenta aliqua Martyrum, quantumuis antiquitùs illuſtrium, ſiue vetuſtate, ſiue Tyrannorum ſæuitia ex hominum memoria euaneſcerent, ſuperſtite tantum in Eccleſiaſticis tabulis loco, nomine, ac die paſſionis, ac inde quoque euenerit, vt à fidelibus populis Acta aliquorum, Martyrum quæ ſupererant, præcipuè compendioſius narrata, pronis magis auribus ſuſciperentur, quam plura, nudaque Martyrum nomina, quorum reliqua monumenta laterent. Ex hac autem pia in notiores Martyres propenſione, cum etiam magis pietas per rerum geſtarum exempla videretur augeri, excitatus fortaſſe Beda Venerabilis, primus nouam, & diuerſam Martyrologij rationem inire tentauit, & opus à Gregoriano Martyrum Codice diuerſum omnino condidit. Non ſtuduit profectò Beda, vt plurima quotquot inuenire potuiſſet nomina Martyrum in vnum volumen colligeret, ſed in hoc præcipuè incubuit, vt eorum tantum, quorum inuenerit paſſiones, additis nominibus breuiorem narrationem componeret. Cum verò id per ſingulos menſium dies abſoluere non valuerit, & ad omnes Calendas ſupplendas Acta Martyrum deficerent, aliquas intactas reliquit, Flori deinde, Vſuardi, ac Adonis ſtudio ſuppletas quemadmodũ in eorumdẽ præfationibus continetur. Ita cũ in dies fidelibus populis compendioſa huiuſmodi aliquorum Martyrum narratio magis arrideret, quam multiplex, nudaque nomenclatura, neceſſariò etiam accidit, vt

ex

ex Vetuſtiori, ſiue Martyrologio, ſiue paſſionum codice in recentius, & diffuſius non niſi aliqui magis innoteſcentes Martyres tranſponerentur, alijque minus noti à populorum auribus ſubmouerentur, qui tamen Dei beneficio cum nomine, loco, ac die paſſionis in hoc quod damus, aut conſimili Martyrologio Gregoriano ſuperſtites remanſerint. Hæc verò, quò ad geſta Martyrum, latiora Martyrologia, quamquam deuoto populorum ſtudio magis placuiſſe, & pietatis fortaſſe vberius prouentum ex ijſdem emanaſſe conſentiam, negare tamen nequeo, non leue inde detrimentum minus cognitorum Martyrum monumentis accidiſſe, quòd tantis ferè ſæculis neglecti, & ab hominum memoria alieni latuerint. Verum, & ſi citra crimen, imò cum laude, ac pietatis incremento Sancti præclarique Viri huiuſmodi opus perfecerint, dolendum tamen remanet, quòd præter intentionem exinde huiuſmodi veterum codicum detruncatio, ac tantorum nominum in Martyribus iactura prouenerit, magiſque dolendum, quam quod vis additamentum, etiam ab imperito ſcholiaſte confectum, cum multo difficilius ſit mutila, ac detruncata reſtituere, quam ſuperaddita, vix eruditorum oculos effugientia, à vetuſtioribus ſegregare. Cum autem Bedæ præcipue, ac Flori conſilium fuerit, nouum potius, ac latius conſtruere, quam vetuſtius Martyrologium nouis Sanctis augere, ſi forte aliquos addiderint, auctaria hæc inter illa non reponenda cenſerem, quæ ex vi legis Apoſtolicæ, aut priſco Sanctorum Patrum inſtituto vſitata in Eccleſia nõ fuerint. Notiſſimum eſt, morem adnotandi exitus Sanctorũ, vt eorumdem ageretur memoria, ab Apoſtolorum æuo defluxiſſe; Neque enim apud poſteros ex Apoſtolorum præcepto recoli poterant, qui præceſſerant; niſi ad memoriam retinendam in aliquibus tabulis adnotarentur. Quòd verò id Apoſtoli mandauerint ex D. Pauli verbis ad Hebræos cap. vltimo non conſulentis, ſed præcipientis videtur educi. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis imitemini fidem.* Nec deſunt, qui conſimile præceptum agnoſcant in alijs eiuſdem Apoſtoli verbis ad Romanos cap. 12. iubentis nos Sanctorum memorijs communicare. Vbi enim in vulgatis codicibus habetur. *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes.* Origenes, D. Ambroſius, ac Optatus Mileuitanus legunt *Memorijs* non *neceſſitatibus*, & S. Hilarius libro contra Conſtantium Auguſtum non modò idem retinet, ſed præceptum in ijſdem verbis agnoſcit. *Apoſtolus* inquit *iubet communicare nos Sanctorum memorijs, tu eas damnare elegiſti.* Eccleſiam quoque Latinam ad eandem lectionem reſpexiſſe videtur, dum in Auguſtiſſimo Sacrificij canone adhuc aliquorum Sanctorum memoriam recolit. *Communicantes, & memoriam venerantes in primis Glorioſæ Virginis Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum &c.* vetuſtiſſimo id quidem more; cum in omnibus liturgijs Sanctorum agatur commemoratio, & apud Cyrillum Hieroſolymitanum Cathecheſi. 5. per interpretem hæc verba legantur: *Hoc ſacrificium tibi offerimus, vt meminerimus etiam eorum, qui ante nos dormierunt: in primis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum, vt Deus Orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.* Vbi obſeruare licet, antiquitùs non niſi Martyres poſt Apoſtolos in Miſſæ ſacrificio numeratos, quòd in ſacris, & pretioſioribus tabulis, ex quibus Martyrologij nomen defluxit, non niſi Martyres notarentur. Exuberante tamen deinde tam Martyrum, quam aliorum Sanctorum ſegete, non licuit amplius in Canone alia nomina addere, præter ea quæ Canon ipſe exiberet, ſed tantum poſt dominicam Orationem, vt alibi adnotamus. Et quamquam in Græcorum liturgijs, tam Baſilij, quam Chryſoſtomi nomen tantum Sancti illius addi videatur, cuius eo die memoria, ſeu feſtum celebraretur, latina tamen Eccleſia non vnius tantùm, ſed plurium Beatorum, quorum

dies Natalitius intercurreret, memoriam habendam esse censuit, quod ad longioris lectionis molestiam tollendam Gregorius Papa tertius potius generali commemoratione transigendum his verbis præcepit apud Ordericum Vitalem lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ. *Quorum solẽnitas hodiè in conspectu maiestatis tuæ celebratur Domine Dominus noster in toto Orbe terrarum.* Sin verò huiusmodi Sanctorum commemoratio ex Ecclesiastico præcepto peragebatur, & quotidie Sanctorum numerus exuberabat, certum esse videtur tabulas quotidie fuisse augendas: Ita prisci persecutionis temporibus factum esse constat, ex Epistola Smyrnensium apud Eusebium lib. 4. cap. 15. qui cum reliquis Martyrum natalitijs Policarpi diẽ celebrari pollicẽtur in loco, vbi tanti Martyris ossa condidissent, admiscentes eius memoriam cum alijs glorioso certamine perfunctis. Ita S. Aldelmus septimi sæculi Scriptor lib. de Virg. cap. 25. testis est S. Gregorium addidisse *in Canone quotidiano quando Missarum solemnia celebrantur in Catalogo Martyrum* S. Fælicitatem Anastasiam, &c. aliarumque Sanctarum Virginum nomina, quæ ante in Sacrificio non recitabantur. Morem hunc vetustissimum adnotandi diem, & acta certaminum Sanctorum, ita à sæculo Apostolorum fluxisse tradunt eruditi, vt S. Clemens ijsdem suppar, & successor Notarios ad gesta Martyrum curiosè colligenda primus apertè constituerit, & per Vrbis regiones diuiserit; Anterum itidem S. Pontificem acta Martyrum à notarijs congesta ita diligenter exquisiuisse referunt, vt inde sibi viam aperiret ad palmam; Huic S. Fabianus successit, qui (nisi potius D. Cornelius auctor illius constitutionis fuerit) omnibus Ecclesiæ Catholicæ cõministris in prima decretali Epistola mandauit, vt exemplo septem Subdiaconorum, quos nuper ad gesta Martyrum colligenda præfecerat, in idem & ipsi munus incumberent. Verba epistolæ sunt non modo monentis *quod etiam vos omnes agere monemus*, sed & precipientis, *& ideo fidelissimis hæc negocia committi præcipimus, ne aliqua in eis illusio inueniatur*. At quia hæc non omnibus probantur quòd commentitiam Epistolam illam aliqui suspicentur, sinceriora ex D. Cypriano addenda sunt, qui adhuc persecutionũ procella vigente, non modo, vt Acta Martyrum scriberentur sedulò curabat; sed ad natales eorundem celebrandos dies consummati agonis diligenter adnotari præcipiebat. Ita præter Tertulli religiosissimi presbyteri studium qui agones Martyrum, & scripserat, & scribebat in Africa, Presbiteris, & Diaconibus Ecclesiæ Cartaginensis, tabularum sacrarum additiones iniunxit Epist. 37. *Dies eorum, quibus excedunt adnotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus*. Hinc frequenter de Martyribus Epistolæ, vltra citraque ex prouincijs in prouincias transmittebantur, ipsique fideles Sanctorum certaminibus, vt eorundem acta, exitusque adnotarent, cum codicillis adstabant, quemadmodum apud Eusebium, & sinceriora acta Martyrum vnicuique inuenire facilè erit. Hinc sacros census, & municipales fastos, hoc est proprios singularium Vrbium indiculos, in quibus dies natales Sanctorum posteritati cõmendarentur, ortum duxisse omnes consentiunt. Cõmentaria hæc Tertullianus de Corona militis in Ecclesiarum tabularijs reposita, & vulgò notissima ideo perduellibus obijciebat, vt morem ab Ecclesiæ crepundijs ortum duxisse conuinceret. Sanctus equidem Asterius Amasenus non obscurè indicare videtur orat. in Sanctos Martyres, codicem aliquem sua ætate in vsu fuisse, qui toto anno florentes Martyres contineret, vt per integrum anni circulum eorundem festos dies peragi possent. Vixit Sanctus Episcopus sub Iuliano Apostata, & ex Combefilij versione ita rem attingit. *Ecce enim, per vniuersum orbem impletus est Christi athletarum circulus, nec est locus vllus quo non eorum memoria habeatur, vniq; tempora omnia &c. Quo circà, vt aliquis sedulus esset*

Martyrum

Martyrum amans, atque omnium passionibus festi vellet celebritate litare, ne diem quidem in anno non festum praeteriret. Quomodò verò festi dies singulos per annos peragi possent sine calendario, aut consimili codice memoriali? Hinc post Martyrum agones, silente iam persecutionum procella, consuetudinem inualuisse par est credere, vt aliorum etiam virorum sanctitate præstantium nomina, & depositionis dies ecclesiasticis tabulis, siue ex præcepto, siue inducta in vim legis consuetudine, consignarentur. Non me tamen latet ab antiquo tempore duplices fuisse in Ecclesijs tabulas, quæ dyptica dicerentur, quasi tabulæ duas plicas habentes, siue Ausonio Epig. 137. Bipatens pugillar. In horum altero pugillari viuentium, in altero defunctorum nomina describebantur. Primæ hæ tabulæ licet Pontificum, ac Præsulum potiùs, quam Virorum fama tantùm sanctitatis coruscantium nomina referrent, ita tamen sacræ, ac venerabiles reputabantur, vt Catholici Antistites neminem ex his eradere auderent, quantumuis ab ecclesiasticis dogmatibus, & honestis moribus deflexisset, nisi expresè Romanus Pontifex consentiret. Quod inter cætera ex Epistola Hinc mari Rhemensis Episcopi ad Nicolaum Pontificem eruditi scriptores deducunt. At pretiosiores tabulæ, quæ in ecclesijs seruabantur, hoc est, quæ nomina Sanctorum in cælis regnantium continebant, ac in quotidiano Missæ sacrificio, vt innuimus, recitabantur, quamuis Episcoporum dypticis consimiles viderentur, in hoc tamen ad inuicem maximoperè distabant, quòd pro illis, qui in primis dypticis continebantur orationes funderentur ad Deum; de secundis verò ita ageretur memoria, vt non pro eis oraret Ecclesia, sed vt latina liturgia monet, *vt illis oblatio quidem proficeret ad honorem, nobis autem ad salutem.* Hunc Ecclesiæ morem adhuc suis temporibus vigentem non modò D. Augustinus retexuit, sed quam adduximus rationem solidissimè ita explicauit de verbis Apost. serm. 17. cap. 1. *Habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles norunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ibi non pro eis oretur, pro cæteris autem cõmemoratis defunctis oratur. Iniuria est enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari*, & serm. 101. inter additos à Louanienſibus. *Habent honorabile locum Martyres Sancti. Aduertite in recitatione ad Altare Christi loco meliore recitantur, non tamen pro Christo adorantur*, & rursus Homel. XL. ex codice Cartus. *Scitis quo loco Martyres recitentur. Non pro illis orat Ecclesia. Nam meritò pro alijs defunctis dormientibus orat Ecclesia, pro Martyribus non orat, sed eorum potius orationibus se commendat.* Cum autem sub persecutionum rabie innumeri quotidiè Martyres in quauis ferè regione excrescerent, & tandem pace Ecclesijs reddita, plurimi qui Deum inculpabili vita confitentes sub Confessorum titulo pretiosioribus tabulis mererentur ascribi, & à Romana præcipuè magistra Ecclesia re vera ascriberentur, quot Sanctorum nomina accreuisse necesse est in antiquis, siuè indicibus, siuè calendarijs, non tantùm Romanæ Vrbis exemplo, quàm Pontificum, & Episcoporum præcepto? Quanta additamenta, vel auctaria in Martyrologijs, siuè sacris dypticis emersisse necesse est? Equidem etiam si initiò Acta Martyrum strictim & compendiosiùs indicata continuissent, exuberante tamen numero in tantam molem deindè excrescere oportebat, præsertim in Romana Matre omnium Ecclesia, vt ad celebrantium, vel audientium laborem minuendum, opus tandem fuerit nomina tantùm, locum, & diem passionis, vel depositionis adhuc compendiosiùs in Commentarium redigere, non quidem quorumcunque Martyrum, sed in suis Vrbibus, vel regionibus clariorum. Nudum nomenclatorem, seu nominum cathalogum iam tùm vsu receptũ S. Ioannis Chrysostomi ætate, ex eiusdem verbis, quæ hom. 21. in Apostolica Acta habentur, elici posse videtur, in quibus non tantùm Mar-

tyrum nomina cum D. Augustino recitari, siuè in sacrificijs memorari consueuisse supponitur, sed ex sola nomenclatura quantùm ijsdem Sanctis Martyribus honoris accresceret, ita per interpretem docetur. *Quid putas pro Martyribus offerri, quòd vocantur in illa hora? licet Martyres sint, etiam pro Martyribus magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur, & horrendum sacrificium, & ineffabilia Sacramenta. Nam quasi sedente Rege, quæcumque voluerit perficit. Vt autem surrexit, quæcumq; dicit, frustra dicit. Ita & nunc quandiù proposita fuerint mysteria omnibus honor maximus in memoria haberi.* Apertiùs verò Sanctus Gregorius binis ferè sæculis Chrysostomo recentior in Epistola ad Eulogium Alexandrinum testatur, Sanctorum nominum codicem iam per vniuersam Ecclesiam diffusum fuisse, vt Martyrum memoria quotidiè inter Missarum solemnia recoleretur, sed in quo nomina tantùm, locus, & dies passionis exhiberentur. Quia verò in Admonitione sequenti de hoc Gregoriano codice diffusiùs differendum nobis est, nunc ostendisse sufficiat, non de quibusque ad sacras tabulas additionibus dolendum nobis esse, imò de plerisque gratias potiùs addentibus esse habendas. Si enim post Magnum Gregorium Veteres Patres, quibus ad sacra diptyca augenda, nec præcepta, nec exempla deerant, antiquo Sanctorum nomenclatore solummodò contenti, nullos ex Sanctis Viris eorum ætate florentes ijsdem tabulis addidissent, quanta profectò silentibus ipsis ad virtutem incitamenta deessent? Optarem & ipse ad corrigendos aliquos recentiorum in auctarijs errores aliquod illibatum, & sine additionibus volumen à D. Gregorij ætate ad nos vsque fuisse seruatum. Et ò vtinam, vel Dæmonis inuidia, vel humanæ ambitionis gloria non aliqua intercurrentibus sæculis sacris Martyrologijs irrepsissent falsa, vel ex perduellibus impura, quæ Ecclesiam impulerint prohibere, ne noui Sancti colerentur; quemadmodum cautum fuit tùm in Concilio Francofurdiensi anno 794. tùm anno 789. in capitularibus Caroli Magni cap. 42. & deinceps duodecimo sæculo labente ab Alexandro, & Innocentio Pontificibus, quandò vetitum fuit fidelibus, aliquem pro Sancto colere, nisi is pro Sancto à Summo Pontifice, & Apostolica sede probaretur. Cum verò tàm Concilia, quam subsequentes Pontifices additiones præteritas non vetuerint, eas præsertim, quæ ex veteri instituto, tacito Apostolicæ Sedis consensu, & communi alicuius prouinciæ, vel Episcopi canonica approbatione factas fuisse probabile erat, facilè crederem ea, quæ in nostro Martyrologio auctaria extant, sub censura illa nequaquam cadere, cum tempus non attingant, quandò ex tunc editis constitutionibus credibile est, nimiam in album Sanctorum inscribendi licentiam excreuisse. Priscas certè Sanctorum Tabulas totus exhibiti Martyrologij contextus emulatur, & vna, aut altera ex additionibus facilè segregata, ita vetustiora sæcula videtur redolere, vt Gregorianum specimen omninò præseferat, quod pluribus rationum momentis deinceps constare posse non diffido. Interim si quis singulare illius pretium ex sola vetustate metiri nolit, vberrima saltem nououeterum Martyrum nomenclatura perfruatur, & ad plura sæcula ignotos Martyrum populos veneratus, ex Ecclesiæ Lucensis cimelijs mecum lætetur in Domino, iterum reuirescere syluam palmarum. Ex illa inquam Ecclesia, quæ non modò sub Neroniano gladio inter primitias Martyrum, Patris, ac filiorum stolas purpurauit in sanguine, sed quæ inter Thuscas primogenita fidei plures Cœlo dedit Martyres antesignanos.

De

De Primo Martyrologij Auctore, siue Eusebio, siue Hieronymo, deque Vetustioris charactere.

ADMONITIO III.

SVNT qui Martyrologij primordia ab Eusebio Cæsariensi deducant, arbitrantes nil aliud nomen ipsum continere, quam sermonem de Martyribus, quorum acta ipse primus collegerit, siuè Martyrum syllogen, siuè synagogen, siuè Epigraphem opus suum nuncupauerit. At Martyrum codicem, vel nominum elenchum, qualem S. Gregorius suo tempore in Romana Ecclesia vsitatum descripsit, Eusebium composuisse, difficillimum est credere. Petierat à Magno Gregorio Eulogius Alexandrinus. *Cunctorum Martyrum gesta, quæ piæ memoriæ Constantini temporibus, ab Eusebio Cæsariensi collecta erant.* Hæc S. Pontifex, dum in Romanis Bibliothecis diligenter perquisita ignorare fatetur, de Martyribus vulgarem tunc Romæ codicem exibuit, in quo *non quis qualiter passus*, sed tantummodo *nomen, locus, & dies passionis* indicaretur. At multum aberat codex huiusmodi à Sanctorum collectione, quam contexuerat Eusebius. Acta enim non modo locum, & diem passionis, sed integrum certamen, & alia ad Martyris, & Martyrij notitiam pertinentia continere debuerant. Exempla sunt in eiusdem Eusebij, quæ adhuc remanent, historijs. Equidem miror, quòd aliqui docti viri existimauerint, Eusebium nil aliud de Martyribus scripsisse, quam quod in historia prostat; nam collectionem de Martyribus seiunctim ab historia composuisse manifestè liquet, tum ex lib. 4. cap. 14. vbi de S. Pionio lectorem plura cupientem ad proprium opus de Veterum Martyrijs relegat, tum lib. 5. cap. 20. vbi de Apollonio Senatore agit. Ne quis autem putet collectionem illam breuem esse Syllogen, in qua ad instar Codicis à S. Gregorio indicati, nomen, locus, & dies passionis tantum contineretur, specimen libri exhibet, & plura complecti his præcipuè verbis de S. Pionio scribit, ex versione Christoforsoni. *Cuius confessiones singillatim habitas, libertatem Sermonis, Apologias pro fide eorum populo, ac Iudicibus recitatas, conciones ad docendum accomodatas, susceptionem benignam eorum, qui persecutionis acerbitate lapsi erant, solatia in carcere fratribus ad se confluentibus adhibita, quæ præterea sustinuerit tormenta, quos in ijs perpessus sit dolores, vt confixus sit clauis, qua rogum pertulerit animi constantia, qualem post tot res admirandas habuerit vitæ exitum, cum plenissimè cõtineat, qui de ipso conscriptus est commentarius, ad huius lectionem amandamus eos, quibus studium erit illa cognoscere, est autem veterum Martyrijs à nobis collectis insertus.* Cumque his non dissimilia continere addat, Acta Sãcti Apollonij Senatoris, quæ penes se ipsum in collecta de Passionibus veterum Martyrum prostare testatur, non modò breue non fuisse opus suum ita confirmat, sed qualia essent acta Martyrum à se collecta non obscurè demonstrat. Quod profectò spissum, & amplum opus valdè distare à contracto D. Gregorij codice necesse est, & à vulgato Martyrologij charactere prorsus fuisse dissimile, eo magis quòd plura Eusebium de Martyribus collegisse volumina, ex sequentibus suaderi non diffiteor. Non me quidem latet Baronium doctissimum existimare Eusebij opus, vel volumen de Martyribus vnicum fuisse; ideo enim redarguit cap. 6. de Martyrologio Romano Hieronymi nomine scriptam ad Chromatium, & Heliodorum Epistolam, nostro etiam Martyrologio præfixam, quòd in ea dicatur Eu-

ſebium Conſtantini Imperatoris auxilio totius Chriſtiani orbis Martyres collegiſſe. *Quonam pacto* inquit *vnus liber, volumen vnum tot Martyrum acta continere valuiſſet?* At non vnicum fuiſſe Euſebij de Martyribus volumen, ſeu opus ex ipſo met Euſebio deducitur, & quicquid ſit de illius epiſtolæ infra diſcutiendæ ſinceritate, neutiquam inde conuinci poteſt, quòd de omnibus Martyribus ſcripſerit, aut omnium acta diffuſius collegerit. Collectiones ſuas profectò Euſebius ad minimum in duo volumina, vel potius voluminum genera diuiſit, & alterum voluminum genus de antiquis Martyribus, alterum de recentioribus, vel de ſui temporis Martyribus appellauit. De antiquis Martyribus collectionem iam vidimus indicaſſe lib. 4. cap. 14. lib. 5. cap. 20. & alibi; At de recentioribus, & ætatem ſuam attingentibus collegiſſe opus facilè is ſibi ſuadebit, qui librum octauum legerit, iuxta Chriſtoforſoñi recenſionem, vel iuxta Græcorum codicum fidem poſt octauum integrum librum de Martyribus Paleſtinis in nouiſſima editione Valeſij. In hoc Martyrum Paleſtinorum præcipuè agones ſua ætate conſummatos ita commemorat, vt etiam ſi multa ſtrictè, & per compendia indicauerit, alia tamen diffuſius, & diebus paſſionis adnotatis perſoluiſſe demonſtret. Inter hæc fortaſſe opus de Pamphilo Martyre numerabat, eius enim meminit, tum lib. 6. cap. 25, tum lib. 7. cap. 29. vbi ſeparatim de eius martyrio libellum ſcripſiſſe docet, quem in tria volumina diſtinctum habet, tam ipſe Euſebius lib. 8. cap. 21, quam D. Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam. Hæc de martyribus, tam antiquis, quam recentioribus opera huc vſque nullibi comparent. Et quamquam aliqui in Schoriali S. Laurentij Bibliotheca latitare affirment, ac Voſſius præſertim in Append. ad lib. 2. cap. 17. de Hiſtor. Græcis, ex eiuſdem Bibliothecæ catalogo ibidem extare ſcribat librum Euſebij de SS. Martyribus, & alterum de Martyribus è Cæſarea Paleſtinæ, doctiſſimus tamen alias memoratus Holſtenius oculatus teſtis ita ad Magnum ducem Ætruriæ de ijſdem Schorialis voluminibus ſcripſit. *Ibidem Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij antiquiſſimum, & pulcherrimum extat exemplar in folio maiori. Decimo libro ſubiungitur fragmentum de Martyribus in Paleſtina paſſis, qua tota narratio totidem ferè verbis lib. 8. legitur. Hoc fragmentũ ab Hiſpanis aliquando habitum fuit pro libro illo quem de Martyribus ſeorſim ab ſe ſcriptum non vno loco fatetur Euſebius; qui vix tandem eius copiam fecerunt Vaticanæ Bibliothecæ Præfectis.* Quod Epiſtolare fragmentum opera humaniſſimi, & eruditiſſimi Equitis Ioannis Guidaccij Florentia ad me tranſmiſſum, ſicuti ſpem adimit, vt aliquando lucem videant, quæ nõ extant, ita eorũdem operum de Martyribus deductum ex hiſtorijs ſpecimen ampliora quidem fuiſſe ſuadet, non tamen ita ampla, vt in immenſum extenderentur. Neque meherclè omnium Martyrum Acta collegiſſe Euſebius idem profitetur, ſed aliqua collectim indicaſſe, plurimaque ex infinito athletarum Domini numero præteriiſſe. In primo autem volumine quod de antiquis Martiribus inſcripſit, eos tantùm recenſuiſſe exiſtimarem, qui ab ortu Saluatoris, vſque ad euerſionem, & vaſtitatem Eccleſiarum pertingerent, hoc eſt, vt ipſe ad calcem libri ſeptimi non obſcurè indicat, vſque ad trecentos, & quinque Dominicæ natiuitatis annos; deinceps enim de Martyrum ſui temporis collectione ſermonem inſtituiſſe, ex his quæ eodem loco ſubiungit coniectare non eſt difficile, ac de ijſdem ſecundum volumen deinceps confeciſſe; niſi fortè quis crederet octauum hiſtoriarum librum, vel ſeiunctam de Martyribus Paleſtinis hiſtoriam in Græcis codicibus, & editione Valeſiana, nil aliud eſſe quam de recentioribus Martyribus opus, tum quòd magis accuratè acta, & dies paſſionis ſignari, quam antea videantur, tum quòd ad ea narranda via his verbis ſternatur. *Sequitur vt deinceps certamina eorum, qui viriliter, & excelſo animo pro pie-*

pietate hoc noſtro tempore dimicarunt, quam multa, quamque grauia, & acerba fuerint ad poſteritatis memoriam ſcriptis prodamus. Quibus verbis quamuis omnimodam de coæuis martyribus hiſtoriam polliceri videatur, non tamen omnes adnotauit, neque vbique terrarum, quemadmodum ex pluribus eiuſdem libri locis apparet. Infinitos quandoquidem fuiſſe initiò perſecutionis fatetur cap. 4. & cap. 7. & poſt Nicomedienſes Martyres ſummatim indicatos ita cap. 7. Lectorem monuit. *Multitudo Martyrum, qui denuo in ſingulis prouincijs occumbebant, à nemine dinumerari poteſt, & eorum maximè, qui in Africa, in gente Maurorum, in Thebaide, in Ægypto denique Martyrio defuncti ſunt.* Ita, & Martyres in Arabia, & Cappadocia nominatim commemorare ſuperſedet, nè in immenſum hiſtoria excreſceret eodem lib. cap. 24. Sed cap. 25. ex verbis quæ apud omnes Græcos codices Curterius inuenit, & addit ad verſionem Chriſtoforſoni, quãta etiam in antiquis Martyribus Euſebius præterierit, clarè apparet, poſt enumeratos enim aliquos ex celebrioribus in Ægypto, & Thebaide ſubdit, *alijque præſtantes viri præter iſtos propè infiniti, qui in eccleſijs regionis, & loci cuiuſque, vbi habitabant, multorum ſermone celebrantur, quorum toto orbe diuini cultus nomine labores exantlatos, & ſingula exactè, quæ illis contigerunt, narrare non eſt noſtri muneris, ſed eorum potius qui res oculis vſurparunt. Quibus verò ipſe interfui, eoſdem alio opere poſteritati commendare conabor.* Quæ verba, vel conſimilia, cum proſtent etiam in editione Valeſij cap. 13. manifeſtè etiam oſtendunt Euſebium de recentioribus, ſiue ſui temporis Martyribus ſeiunctim à veteribus athletis opus, vel ſcripſiſſe, uel deſignaſſe, non tamen, ut ea tantum quæ ipſe oculis uiderit in Commentaria redegerit, ut Martyres Paleſtinæ, & Ægypti, ſed etiam aliarum Prouinciarum, quòd ita cap. eodem 25. perſecutionis ætate ſua graſſatæ claudit hiſtoriam. *Talis fuit perſecutio contra nos concitata, quæ ab eccleſiarum euerſione, & vaſtitate initium ſumpſit,* & infra. *Innumerabilis extitit Martyrum multitudo in ſingulis prouincijs, quæ à Libya per vniuerſum Ægyptum, Syriam, & partes verſus Orientem, & vndique ad oras vſque Illirici pertinent, nam ea loca, quæ illis iam demonſtratis adiacent, vt Italia, tota Sicilia, Gallia, & quæ ad ſolem occidentem vergunt, & ad Hiſpaniam, Mauritaniam, & Africam ſe porrigunt, vbi non duobus annis integris impetum perſecutionis ſuſtinuerant, celerrimè clementis Deobtutu ſunt placati, & pacis tranquillitatem conſecuti.* Quomodo enim in illis prouincijs ſciret, immmerabilem fuiſſe Martyrũ multitudinem, & cum Occidentaliora Italiam non niſi ad duos annos perſecutionem paſſam eſſe, niſi hæc diligentius perquiſiuiſſet, & fortaſſe Conſtantini deinde auxilio. Siue igitur vnum de antiquis Martyribus, alium de recentioribus, vel plura de vtriſque volumina ſcripſerit, diuus certè Hieronymus teſtis eſt, Euſebiũ plures libros de eadem re compoſuiſſe; Sed cum libellos, non libros idem vocauerit, non immenſa volumina recogito, qualia nonnulli ex Epiſtola ad Chromatium, & Heliodorum, ſub eiuſdem Hieronymi nomine deducunt. De cuius fide, ſicuti, & de altera Epiſcoporum ad Hieronymum, cum in notis ad eaſdem noſtro etiam Martyrologio præfixas ſuo loco à nobis agẽdum ſit, ſufficiat nunc de Martyrologij propriè dicti auctore affirmare nullum vetuſtiorem hucuſque apparere, quam qui in ijſdem Epiſtolis aſſeritur, hoc eſt vetuſtius illud eſſe in Scriptorum memoria Martyrologium, quod Euſebio aſcribitur, vel D. potius Hieronymo ex collectionibus Euſebij; ex his equidem collectaneis Martyrologium omne, ſiue calendarium Martyrum ortum habuiſſe vetuſtus Scriptor Vitæ S. Valeriani affirmat, vt in notis ad Epiſtolas iam dictas indicamus; Neque omnino negat D. Gregorius, dum Epiſcopo Alexandrino Euſebij de Martyribus volumina perquirenti, codicem notiſſimum obijcit, quaſi Euſebij fuerit, ſed nimis breuẽ, vel ex

Eu-

Eusebio collectum, Hieronymi, vel alterius laboribus. Nec diligentiùs mihi perquirenti primum Martyrologij auctorem inuenire licuit uetustiorem, quam Eusebium, ac Hieronymum, apud Bedam locis infra adnotandis. Et quamuis idem Hieronymi Martyrologium ante Bedæ ætatem vulgatum fuisse liceat coniectare, non tamen sub Martyrologij nomine, sed titulo Epistolam de passionibus Martyrum, vel passiones Martyrum, aut quid simile præferebat. Cassiodorus primus est, quod ego sciam, qui Martyrum collectionis sub D. Hieronymi nomine vulgatæ meminerit. Hic vno circiter sæculo post Hieronymum aduiuens, & plurima eruditione pollens, maximam fidem meretur, dum ascetas suos in diuinis lectionibus instituens cap. 32. illis ad Sacræ historiæ prouentum, ita cum Martyrum passionibus Hieronymi opus commendat. *Passiones Martyrum legite constanter, quas inter alia in Epistola Hieronymi ad Chromatium, & Heliodorum destinata procul dubio reperietis, qui per totum Orbem terrarum floruere.* Quæ postrema verba respicere illa videntur, quæ in Epistola Hieronymo ascripta leguntur *omnium penè Martyrum Prouinciarum &c.* Martyrologij vtique Cassiodorus nomen illi non tribuit, sed Epistolæ passionis Martyrum; cum uerò Epistolam dixerit, quis magnum codicem fuisse existimabit? Non dissimilem, & fortasse eundem Gregorius Magnus pinxit, qui gemino sæculo post Hieronymum uixit, uno uerò post Cassiodorum. Quod enim sub Hieronymi nomine Martyrologium damus, notis à Gregorio codici suo attributis ita respondet, vt nomine, & Martyribus per totum orbem florentibus Hieronymi Epistolæ congruat, cuius meminit Cassiodorus. Volumen illud Romanæ Ecclesiæ, quod Eulogio Alexandrino non sine vulgaritatis metu D. Gregorius proposuit, & tamquam rem notissimam subticere velle confinxit, characteres huiusmodi habuit. *Nos autem penè omnium Martyrum* (Epistolæ Hieronymo ascriptæ stylo) *per dies singulos passionibus* (& eodem titulo cum Cassiodoro de Martirum passionibus) *collecta in vno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus, non tamen in eodem volumine, quis qualiterue passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus, & dies passionis ponitur* (relictis nimirum ad breuitatem Iudicis nomine, atque passionis constantia, vt in Eusebij collectionibus auctor Epistolæ contineri indicauit) *Vndè fit, vt multi ex diuersis terris, atque prouincijs, per dies, vt prædixi, singulos cognoscantur Martyrio coronati, sed hæc habere vos Beatissimos credimus.* Ita Eulogio notum existimabat Gregorius codicem illum, vel quia Occidentalibus ecclesijs iam vulgaris esset, vel quia ex Eusebij collectionibus paratus, Eulogio ipsi Eusebij opera perquirenti, non videbatur obijciendus. Vereri enim Sanctus Pontifex poterat, ideò Eulogium Eusebij opera de Martyribus postulare, quòd in Epistola Martyrum passionibus præfixa, tamquam origines adducerentur, & quòd in Græcorum Bibliothecis, vel ignota, vel deperdita ille existimaret in Romana Ecclesia omnium Matre seruari potuisse. At sicuti à D. Gregorio adductum codicis specimen cõuenire ad amussim videtur cum eo, quod damus Martyrologio, ita viris doctis non omninò placuit, idipsum esse, cuius Cassiodorus meminerit sub epistolæ titulo. Primum quòd Epistolam sub Hieronymi nomine Martyrologijs præpositam, Vir ille eruditissimus ex stylo debuisset statim agnoscere non esse Hieronymi. Deindè, quòd Epistolæ nomine satis ineptè Martyrologium, siue Martyrum elenchus nuncuparetur. At qui hæc obijciunt animaduertere primum expediret, Cassiodorum ibi de Hieronymi opere ita perfunctoriè agere, vt locus non daretur opportunè discutiendi, an Hieronymi re vera esset opus illud, quod vulgò nomen eius præferebat, an non. Satis enim illi tunc erat, Ascetis suis indicare, vndè proficere potuissent. Secundò me-

memoria recolant plura Hieronymi opuſcula, nec minoris molis, quam relictum ſub eius nomine Martyrologium, in eius Epiſtolarum voluminibus recenſeri conſueuiſſe, ſicuti apparet ex editione annorum 1480. Multò verò magis, quòd conſimile de ſcriptoribus Eccleſiaſticis opus olim ſub epiſtolæ nomine circumferebatur, vt Victorius in Scholio fatetur. Inſuper opuſcula aliqua, vt aduerſus Heluidium, certum eſt adhuc inter epiſtolas numerari. Nec dedecebat à Caſſiodoro totam collectionem Martyrum epiſtolam vocari, quod eidem epiſtolæ ſubtenſa verba demonſtrabant *Vt videre dignabimini*, neq; opus aliud breuius, & ab eo quod damus Martyrologio diuerſum eſſe poterat Martyrum elenchus, ſi in eadem epiſtola paſſiones Martyrum legi poterant, *qui per totum terrarum Orbem floruerunt.* Non omnes profectò, ſed *penè omnes*, ſeu plurimos, quòd liber non omnia acta Martyrũ contineret, ſed paſſiones, hoc eſt Paſſionũ memorias, vt D. etiam Gregorium explicare monuimus. Hunc eundem codicem, quem poſt D. Gregorium Martyrologium vocatum fuiſſe inuenimus, illum antiquiſſimum extitiſſe credimus, quem à Romano Pontifice Aquileiam, cuidam Sancto Epiſcopo tranſmiſſum refert Ado, & quem etiamſi Martyrologium dicat, incertum eſt, an ipſe ita vocauerit, vel ita iam inſcriptum repererit. Ab hoc licet ſe plurimũ adiutũ eſſe Ado fateatur, nõ tamen quis credat in faſtis Sanctorũ latius, & apertius deſcribẽdis, ſuppetias illi dediſſe, ſed tãtùm, *vt dies Martyrũ veriſſimè notarẽtur, qui cõfuſi in Kalẽdis ſatis inueniri cõſueuerũt*, vt inde nõ diſſimile ab eo, quod Gregorius deſcripſit volumen cõcipiat, & nõ magnũ ſibi fingat, quod in ſui operis fronte tranſcriptum præfigere pollicetur. Martyrologij Euſebio, & Hieron. tributi bis meminit apertiſſimè Beda, qui Adonẽ ſaltẽ vno ſæculo præceſſerat, Primũ lib. 2. in Marcum cap. 26. dum vocat *Martyrologium Euſebij, & Hieronymi vocabulis inſignitum*. Secundò cap. 1. retractationis in Actus Apoſtolorum his verbis, *liber Martyrologij, qui B. Hieronymi nomine, ac præfatione attitulatur, quamquam idem Hieronymus illius libri non Auctor, ſed interpres, Euſebius autem Auctor extitiſſe narretur*. quod poſtea luce clarius Vualfridus Strabus ſequenti ſæculo ita explicauit. *Hieronymus Martyrologium, ſecutus Euſebium Caſarienſem, per anni circulum conſcripſit, ea occaſione ab Epiſcopo Chromatio, & Heliodoro illud opus rogatus componere, quia Theodoſius Religioſus Imperator in Concilio Epiſcoporum laudauit Gregorium Cordubenſem Epiſcopum, quòd omni die Miſſas explicans, eorum Martyrum, quorum Natalitia eſſent, nomina plurima commemoraret.* Quæ ex epiſtolis iam tunc Hieronymi Martyrologio præfixis accepta fuiſſe, nemo poteſt ambigere. Ita Vſuardus Vualfrido paulo ſenior, ſi re vera ſub Carolo Magno floruit, non verò ſi Carolo Caluo aduixerit, vt veretur Bollandus, Hieronymi Martyrologium cæteris vetuſtius agnouit, ac inter Patres, qui Martyrologium ſcripſerint, ita primum numerat Hieronymum, vt præ cæteris etiam breuitati ſtuduiſſe confirmet. *Præterea, & Venerabilium Hieronymi, ſcilicet, ac Bedæ presbyterorum pijs, quamuis ſuccinctis, ſuper hoc prouocabar ſcriptis, quorum vnus breuitati admodum ſtudens, alter verò quamplures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis præterijſſe neceſſaria.*

Hinc etiam vtriuſque auctoris ſpecimen colligere licet, D. quidem Hieronymum faſtos integros cuiuſque diei adnotaſſe, ſed breuiſſimè, quod idem prorſus uidetur, ac apud Gregorium, nomen, locum, diem paſſionis tantùm indicare; Bedam uerò non id præſtitiſſe, ut D. Hieronymi cathalogum nominibus augeret, neque dies Martyrum apponeret, quos inuenire potuiſſet, id enim iam D. Hieronymus perfecerat, *verum etiam quo genere certaminis, vel ſub quo Iudice mundum vicerint adnotare ſtuduit*. Quod præcipuè Beda in ſuorum operum catalogo, qui in editione

tione Parisiensi anno 1583. Epitome historiæ Anglicanæ subnectitur. Hinc facilè deducitur, cur in Bedæ Martyrologio plures Kalendarum dies vacui tunc remanserint, & cur tot, sæculo sequenti, additiones, Flori, Vsuardi, Rabani, Notkerij, & Adonis emerserint, nimirum quòd pij Viri certarent sub pijs Imperatoribus ea supplere latius, & apertius scribentes, quæ vel Hieronymus breuitati studens non apposuit, vel Beda, & Florus non integrè præstiterunt; Et ijsdem circiter sæculis Menologia Græcorum æmulantium latinorum pietatem in Orientali Ecclesia initium habuisse Viri docti existimarunt. Præterea *Græca auctoritatis Martyrologium*, quod Hilduinus in Areopagiticis habuisse profitetur eo tempore compositum, *quo Constantino iubente Martyria Sanctorum Domini de toto orbe collecta, & Cæsaream sunt connecta*. Nisi enim Martyrologium illud esse velit, quod Eusebio, & ex illius laboribus tribuitur Hieronymo, ignotum penitus antè, & post Areopagitica scriptoribus omnibus esset Græcum Martyrologium. Menologia quidem nil aliud Græcis sunt, quam Latinis martyrologia, vel kalendaria, neque aliud in illis habetur, nisi vel Sanctorum vitæ quolibet die per totum annum summatim expositæ, vel eorum commemoratio, quorum vitæ non haberentur. Tale est, quod ex versione Sirleti Cardinalis Canisius exhibuit T. 2. antiq. lectionum, & aliud Basilio Imperatori tributum, ex editione eruditissimi, & amicissimi Viri Ferdinandi Vghellij, quibus in adnotationibus, tàm ad Apostolorum indiculum, quàm ad reliquum Martyrologium frequenter deinceps vtimur, & aliud antiquissimum, quod in Barberina Bibliotheca asseruari testatur Allatius, qui animaduertit Menologium illud sub Paulo V. anno 1615. in Vaticana Bibliotheca repositum, & quod Basilio Macedoni à Baronio tribuitur ad annum 886, Basilio Porphirogenito circa annum Domini 977. tribuendum potiùs esse, quod solidis argumentis conuincit in dissert. 1. de libris Ecclesiasticis Græcorum. Hæc autem Menologia, sicuti Mænea, & quæcunque Græcorum Kalendaria nullo vnquam tempore Vniuersalis Ecclesiæ propria fuisse patet, proterea quòd non omnes ex quibusque Prouincijs Martyres in ijsdem recolantur, sed inter paucos latinos plurimi Orientales Viri sanctitate conspicui præcipuis laudibus, & narrationibus exornentur: dum Occidentalis Catholica ecclesia omnes sanctos Martyres in sinu suo fouit, & ex omnibus Prouincijs, vt suprà patet, collegit, atque in ipso, quod damus Martyrologio luculenter apparet. Hoc autem Martyrologium D. Hieronymo eadem fortè ratione tributum fuisse suspicarer, qua auctor prædicatur Ecclesiastici antiqui voluminis, quod Lectionarium, vel Comes appellabatur, & prologum eiusdem S. Doctoris nomine præfert; Equidem præter illud, quod Pamelius edidit, seruatur adhuc in Lucensium Canonicorum Bibliotheca venerabile, & membranaceum sacramentarium Comitis titulo insignitum, in quo, vt obiter indicetur, antiquæ modulationis Ecclesiasticæ characteres minutissimis quibusdam punctis designati conspiciuntur, & cui sub B. Hieronymi nomine præfatio inest; quæ cum stylo magis epistolis vetustioribus Martyrologijs, & nostro pariter præfixis, quam genuinis eiusdem alijs assimiletur, ansam dedit dubitandi, ne idem vetustus Auctor vtrasque, tàm præfationes, quàm literas exarauerit, & fortasse Paulus, vel Paulinus quidam Diaconus fuerit, cui in eodem Sacramentarij volumine aliquæ additiones tribuuntur. At cum affirmare id non liceat, probabilius videtur ex veteri traditione librum illum Comitem nuncupatum D. Hieronymo fuisse asscriptum, sicuti illum re vera agnoscunt Auctorem Micrologus de obseruationibus Ecclesiasticis cap. 31. Honorius in gemma animæ lib. 1. cap. 88. & Berno, vel Benno Augiensis de rebus ad officium Missæ pertinentibus cap. 1. quamuis præter ordinem & industriam nihil ferè ex se S. Doctor in opere illo

adie-

adiecerit. Ita vidi in eadē Canonicorū Lucensium Bibliotheca Pontificalē Historiam antè octingentos annos scriptam, & Anastasij Bibliothecarij laboribus deinde auctam, in fronte præferre epistolas B. Hieronymi ad Damasum Pontificem, & Damasi ad Hieronymum, in quibus non obscurè operis illius, quod inscribitur *Episcopale*, B. Hieronymus ipse auctor constituatur: quasi omnes ecclesiasticas collectiones sub Damaso Hieronymus vel composuerit, vel refecerit. Quid autem vetat ex consimili vetusto titulo, eidem B. Hieronymo Martyrologium tribuisse Bedam, Vsuardum, Vualfridum, ac reliquos, epistolas vetustiores secutos, etiāsi codicis passionum Martyrum instructor tantum, & ordinator D. Hieronymus fuerit? siue is ab Eusebio, siue ex antiquis Romanis dypticis Martyrum memorias collegerit, siue Romæ sub Damaso, vt alia plurima ad Ecclesiæ vtilitatem perfecerit, siue Episcoporum Synodi Mediolanensis precibus, dum in Palestina versaretur. Epistolæ quidem S. Viri nomine adornatæ, quia nostrum quoque martyrologium in limine antecedunt, annexum opus eidem S. Doctori ita tribuere suadent, vt piacularis haberi posset si quis auferret.

Martyrologium à Rosuueydo editum non esse Vetus Romanum, & cum nostro exæquari non posse.

ADMONITIO IIII.

THESAVRVM dixit Doctissimus Holstenius Martyrologium nostrum, vt primùm vnius laterculi specimen vidit. Benè sit. Sed liceat inuenti thesauri pondus ad trutinam reuocare, & aliena primùm lance, deinde nostra, cum veteri Romano à Rosuueydo vocato martyrologio conferre. Andreas Saussayus in apparatu ad Gallicanum martyrologium pluries Heriberti Rosuueydi in Romano veteri Martyrologio cudendo non satis laudandam curam prædicauit, quòd in lucem opus ediderit ab Adone commendatum, & à Baronio vehementer, sed frustra expetitum. At vix eodem loco laudes congessit, cum primùm videns opus illud Baronij assertioni fauere, quòd Beda veteris martyrologij instaurator fuerit non integri, & noui auctor, in eundem Rosuueydi codicem insurgit, & cum ipso Bedæ martyrologio componens, quòd recentioribus Sanctis auctum sit, minus habere ponderis statuit, & esse *merum Martyrologij Bedæ indicem* pronunciat. Acriùs autem in eundem inuehitur, dum biennio post editū Gallicanum Hagiologium in Mysticos Galliæ scriptores incumbens data opera ipsum expendit, & plurium argumentorum serie impetit, quòd assertæ Dionysij Areopagitæ in Galliam prædicationi minùs conducere existimaret. Postquam enim pleroſque graues, & eruditos viros negare affirmauit, martyrologium illud Rosuueydi esse vetus Romanum ab Adone laudatum, & à S. Gregorio depictum, ex ipsis elogijs, seu lineamentis operi præfixis, *Spurium, diuersum à vero, & repudiandum esse* censet, & purum non esse, sed *corruptum, fucatum, & ex corruptissimo codice depromptum* decernit. Proinde sagaciùs se gessisse Mosandrum addit, quòd Adonem exibens eidē adnexū indiculum, quem merum Kalendarium ad vsum Monasterij S. Pantaleonis Colonienſis congestum existimat, non euulgaueris,

uerit, neque vt Rosuueydus martyrologij dignauerit appellatione; dumque videri plures dies vacuos à martyribus continere, quod aduersus Baronium in Apparatu edixerat, hic retractat. Docuerat quidem prius, Bedam ex veteri Romano martyrologio nomina Martyrum in proprium transferre nequiuisse, quòd quantumlibet sudauerit in conquirendis Sanctorum martyrum fastis, non tamen dies singulos eorundem natalibus insignire potuerit, quod alioquin facilè potuisset, si vetus Romanum Rosuueydi nactus aliquando fuisset, in quo nullum diem à martyribus vacuum adhuc animaduerteret. Cum verò contrarium diligentiùs perquirenti occurrerit, iam inuictum, quod existimauerat aduersus Baronium argumentum, eneruè sibi quoque apparuisse fatetur, & dum validius idem in Rosuueydum retorquet, vetustius negat ab ipso editum martyrologium esse idem posse, quod D. Gregorius designauit, & in quo nomina martyrũ apposita erãt per singulos dies, cũ pleriq; dies vacui martyrũ natalibus in illo sint, aliqui verò ita vacui, vt à quibusq; Sãctorũ nominibus prorsus sileant. Quantũ verò vetus Rosuueydi Kalẽdariũ Saussayus ex hoc capite conuellit, tantò magis vetustius nostrum confirmat, quòd nullã diẽ sine martyribus pertranseat. Nimis tamen acriter rigidus censor illud proscinderet, quòd in Gregoriano non quis qualiter fuerit passus martyr indicetur, in veteri verò Rosuueydi non modò qualitas passionis exprimatur, sed à quo baptizatus, & sub quo etiam passus fuerit, si id rarissimè, & breuissimè adnotari contingeret, si vnus, aut alter Sanctus adderetur, quamuis martyr expresè non esset, cum à maiori parte denominatio martyrologij accipienda videatur. Quis nanque martyrologium antiquum damnaret, si præter martyres, festos dies Christo Domino, eiusque Matri dicatos adnotaret? quinimò si vnum, aut alterum ex propriè dictis Confessoribus! Vetustum equidem Sacramentariũ D. Gregorij, tàm quod studio Angeli Rochæ ex Bibliotheca Vaticana, quàm quod recentiùs Hugonis Menardi opera ex Corbeiensi prodijt, non modò martyrum natales exhibet, sed etiam alias celebritates, quæ propriè martyres non respiciunt, vt sunt Basilicarum dedicationes, natale S. Augustini, S. Martini, & aliorum, qui Confessoris vulgato deinceps titulo, non martyris decorantur. Quæ enim, tàm in Gregoriano Sacramentario, quàm Rosuueydi martyrologio recentiora illius S. Pontificis ætate sunt, codices illos auctos quidem esse suadent, non tamen quæ vetustiora continent tamquam falsa explodenda esse compellunt. Iam supra monuimus sacras tabulas, siue diptyca, siue martyrologia, nisi per summã notariorum Ecclesiasticorum incuriam ad posteriora sæcula sine additamentis peruenire nó potuisse, & in tãta sacrorum codicum iactura, tantisque intercurrentibus sæculis seruata aliqua monumenta dolere non debemus, præsertim si addita nonnulla sint, quæ omni prorsus careant suspicione falsitatis. Nec illius à Rosuueydo editi martyrologij vetustati, officere videbatur vocabulũ *Natalis*, quod tanquam proprium, & singulare martyribus, antiquitùs Confessoribus fuisse tributum negat Saysaius, cum suo loco notatum à nobis sit, nomina hæc etiã S. Gregorij Pontificis ætate fuisse confusa. Vrgent quidem fortiùs, quæ deinde censor opponit, martyrologium nempe illud nequaquam esse posse, quod Ado laudauit, & à quo se plurimum adiutum fatetur. Primùm quod ex tribus antiquis codicibus, quibus Rosuueydus vsus est, in vno tantum inuenerit Adoni præfixum, cui potius præfigi tanquam Kalendarium potuerit, & cuius specimen re vera non incongruum exhibet. Inde Rosuueydum exagitat, quod putauerit Adonem vbique vestigijs Romani veteris inistere, cum ex locis adnotatis certum ostendat Romanum illud putatitiũ in multis cũ Adone non cõuenire, in aliquibus exuberare; At hæc Rosuueydum, quòd ita existimauerit, tangunt, non sinceritatem

codi-

codicis destruunt. Aliqua transcribentis vitia concederem, at malè ex Adone deduci putarem, quòd ita se Romani apud Aquileiam reperti vestigijs accomodare voluerit, vt ne latum quidem vnguem transgredi putaret. Adiutum certè se plurimùm ab eo fatetur, *vt dies Martyrum verissimè notarentur, qui confusi in Kalendis suis inueniri* solebant; At non eius institutum erat, ita se ad amussim aptare Aquileiensi Martyrologio, vt nihil in suo mutare, vel addere voluerit; quinimò ex multis, quos nactus erat, passionum codicibus in spem erectus, non modò præteritos à Beda, & Floro dies festos supplere posse credidit, sed etiam *aliorum, qui per totum annum ibi notatim positi erant, latiùs & paulò apertiùs describere*. Sed adhuc magis oppugnant Rosuueydi Kalendarium dies frequentes à Martyribus vacui; si enim Ado in præfigendis diebus festis malè alioquin per singulos dies, ac Kalendas dispositis, hoc vsus esset, cum & in eodem aliqui dies deficerent, non vtique Bedam, & Florum supplere potuisset. Insuper negari nequit, quin ad recentiora tempora martyrologium illud ablegent, quæ subdit Saussayus, ad annum scilicet 1049. Etenim cum in eo ad diem 20. Octobris Remis solemnitas Sancti Remigij adnotetur, quæ antea die migrationis 13. Ianuarij peragi consueuerat, & hæc in eandē diē accomodata fuerit in Concilio Remensi, Leone Nono adstante Pontifice, nemo potest concedere martyrologium illud esse, quod Authographo suo præfixerit Ado Episcopus Viennensis circa annum 875., sed compositum, vel scriptum vndecimo sæculo excurrente. Postremò Rosuueydi siuè martyrologium, siuè Kalendarium illud non esse à Baronio desideratū, probat Saussayus, quia Magnus Annalium scriptor in prolegomenis ad martyrologium cap. 8. ita, quod expetiuit, descripserit *simplex absque alio additamento Romanum martyrologium per breue, in quo tantum nomina Martyrum, locus, & dies passionis positi habentur*. Ex his tamen falsum esse codicem à Rosuueydo vulgatum non conuincitur, & illum ipsum non esse, quem Mosander edere pretermisit, non probatur. Ne verò Saussayus aliquid prætereat, quod omnem adimat auctoritatem Rosuueydi Kalendario, idemque nullæ certitudinis, aut pōderis codicillum esse, futile, crassisque erratis respersum prorsus concludat, addit pro coronide ridicula etiam quædam continere, idque ex adnotatis ad sextum Idus Nouembris probare nititur. *Eo ipso die quatuor Coronatorum Seueri, Severiani, Carpophori, Victorini, quorum festiuitatem statuit Melchiades Papa sub nominibus quinque Martyrum celebrari, quia nomina eorum non reperiebantur, sed intercurrentibus annis cuidam Sancto viro reuelata sunt*. Quomodò enim (inquit Saussayus) Melchiades Papa statuit celebrari festiuitatem sub nominibus quinque Martyrum, si erant tantum quatuor? At durus nimis exactor, vt Dionysium Parisinum eundem esse, ac Areopagitam mordicùs defenderet, quod a Rosuueydi tàm martyrologio, quàm adnotationibus, non nihil infringi conijciebat, dum acrius omnia rimatur, non vidit ea, quæ putabat ridicula, ex mystico suæ Galliæ Scriptore Albino Flacco de diuin. offic. cap. 24. explicari facilè posse, hoc est natalem diem quatuor Coronatorum ignoratis eorum nominibus celebrari consueuisse eodem die, quo alij quinque Martyres in eadem ecclesia recolebantur, & quorum nomina nota erant, accidisseque postea, vt quatuor etiam Coronatorum nomina innotescerent: sed remanente prisco vsu, quinque Martyrum festiuitatem, sub quatuor Coronatorum titulo celebrem pariter remansisse, quæ non ridiculè apposita discere etiam poterat, tum ex Gregorij Sacramentario, tum ex ordine, & martyrologio Romano, vt ad diem illam adnotamus. Verùm ficuti Saussayo facilè concederem, Rosuueydi nuncupatum martyrologium non esse vetus Romanum à D. Gregorio indicatum, & à Baronio expetitum, ita ex Bedæ

Hagiologio contractum nequaquam consentirem, cum potiùs ex Adone conferenti cuique excerptum videri compendiosius Kalendarium omninò possit. Contuli equidem cuiuscumque mensis plurimos dies, & ex ijsdem ab Adone excerptis, ac in proprium vsum, vel obscuriori, vel mutilo, vel recentiori stylo deductis facilè agnoui, non Adonem ex hoc Kalendario, tanquam ex antiquo Aquileiensi codice in suum martyrologium transtulisse, sed è contra recentiorem scriptorem indè suum Indiculum compegisse. Euagemus compendiosè, si libet, per vnum, aut alterum mensem, & aliquos signatos dies in quibus Rosueydi ephemeris præter Sancti nomen, aliquid, vel de passione, vel de baptismo, vel de tyranno, vel de translatione agit, cum Adone, & nostro simul conferamus, vt assertionis non minùs veritas, quàm nostri vetustioris ætas appareat. Quam verò opportunè ab ipso limine auspicari accidit. Rosueydi Martyrologium recentiori ritu quam nostrum à Kalendis Ianuarij annum orditur, quod euulgator ipse fatetur in annotationibus ad Adonem, nosque ad eandem diem comprobabimus. In ipsa autem Kalendarum die præter octauam Natalis Domini, & Circumcisionē, non alios, quàm tres Martyres exhibet, vnumq; Confessorem, relictis apud Adonem triginta Martyrum Romanorum Corona, Euphrosina Virgine, ac Eugendo Abbate. In Almachio, tamen de quo aliqua fusiùs habet Ado, non modò genus passionis, more post D. Gregorium, vsitato, exhibet, sed, & Præfecti nomen, sub quo passus est, non silet. Nostrum verò præter Domini Circumcisionem, & S. Stephani apud Orientales memoriam viginti ferè Martyrum nomina profert, & sine nomine tres & quadraginta recolit. Inter hos nequaquam Almachium exhibet, quem ex Beda in suum Hagiologium transferre Ado potuit, multò minùs Tyranni nomen, aut passionis genus. Silentij verò ratio in promptu est, nimirum, quòd inter antiquos Martyres Almachius non sit, sed sub Honorio, vel potius Theodosio triumphauerit. At quia nimis tæderet omnia singillatim perpendere, quæ Kalendarij illius compilator mutila transtulit ex Adone, conferat in eodem primo mense curiosus Lector diem decimam tertiam, quam Coronas, & nominibus quadraginta militum mutilat; Decimam nonam, vbi Pontianus ad bestias damnatum ex multis colligit, sed præcipuè vigesimam diem animaduertat, & agnoscet Fabianū ab Adone Romæ Episcopum dici, à Breuiatore verò recentiori more Papam appellari, quem titulum cum vtique, & constantissimè Romano Pontifici tribuat, & rarissimè apud Adonem inueniatur, non obscurè videtur arguere Kalendarij auctorem post Gregorium Septimum aduixisse, quòd anno Christi 1073. Pontifex ille statuerit, nomen Papæ alijs hactenus Episcopis, & clarioribus Presbyteris communè, proprium deinceps, & singulare Romani Pontificis cognomentum esse debere. Videat etiam cordatus lector diem ipsam vigesimam in Sebastiano, vigesimam primam in Publio, vigesimam nonam in Papia, & Mauro, trigesimam in Matthia Episcopo; atque Alexandro, & ex Adone extripsisse conuincet. Sed pressiùs diem vndecimam Martij animaduertat, in qua, dum quadraginta militum nomina apud Adonem enumerata silere viderit, non indè Adonem suum aptasse Martyrologium, at è contra Kalendarium ex Adone contractum affirmabit. Quid verò expressius, quam Kal. Aprilis Theodoram sororem Hermetis Martyris ex Adone cum Barbarismo actiui verbi excribi? puta *martirizauit*. Ita 7. die Septembris, vt multa, & minutiora præteream in Ioanne Martyre ijsdē Adonis verbis additur, *librum iniqua legis minutatim discerpsit*, & Kal. Nouembris 1. *Festiuitas Romæ celebris & generalis agitur*, quæ verbis ipsius Adonis constantur, quemadmodum die 8. eiusdem Mensis quinque Romani Martyres *artifices* dicuntur ex ipso Adone *insignissimi*. Decima verò die Martini Papæ

pæ exilium Cherſonæ Liciæ, non tantùm cum Adone reponit, ſed eiuſdem uerbis addidit, quòd ibi *relegatus vitam finiuit*. Vigeſima ſexta eiuſdem menſis die translationem Alexandri Epiſcopi à Damaſo celebratam cum ijſdem verbis Adonis exſcribit, quod *feſtinitatem ei dicauerit*. Quin etiam vigeſima octaua ipſius Nouembris Rufum per Chryſogonum lucratum, decima octaua Decembris per Rufum alterum, & Zozimum de primis diſcipulis, primitiuam Eccleſiã de Iudæis & Græcis fundatam, & decima nona Nemeſium per calumniam, quaſi latronem ad Iudicem delatum eſſe animaduertet. Quæ omnia purum putum Adonem ſapere non negabit. Ex his Bollandi doctiſſimi viri hæſitantia tolli poteſt, vtrum ex hoc, quod Romanum minùs vocare potius decreuit, quàm vetus, adiutus Ado ſit cum plures multo Sanctos apud Adonem recenſeri fateatur, quàm in Roſuueydi Romano contineantur; nam conſtare ex dictis arbitror vetus Romanum, ſiue cum Bollando minùs Romanum ex Adone contractum potius eſſe, quia characteres à D. Gregorio indicatos non retineat, quã vti perantiquum Adoni facem prætuliſſe. Patet igitur martyrologium vetus Roſuueydi eſſe illud non poſſe, quod purum nominibus tantùm veterum Martyrum ſignatum expetiuit Baronius, & æque minus Aquileienſe, ſeu Romanum, à quo adiutum ſe eſſe Ado profitebatur, *vt ſupplerentur dies abſque nominibus Martyrum*. Quandoquidem nec nuda ferè ſemper Martyrum nomina contineat, ac aliquos dies à Martyribus vacuos, alios verò tantùm Sanctorum recentiorum actis, vel tranſlationibus ſignatos exhibeat, quòd Bollandus ipſe pius eiuſdem cum Roſuueydo Societatis alumnus ingenuè profitebatur in Gener. præfat. §. v. Valeſius etiam nuper in annotationibus ad lib. 7. Euſebij cap. 32. Roſuueydi martyrologium, nec vetus eſſe, nec Romanum affirmat, maximaq; parte ex Rufini Eccleſiaſtica Hiſtoria deſcriptum ſe obſeruaſſe dicit, quòd tranſlati in illud errores ſint, qui apud Rufinum leguntur. Atqui ſi eruditorum omnium calculo id eſſe vetuſtius martyrologium exiſtimatur, quod ad puriorem tantùm Martyrum Nomenclaturam accedit, & contractiora, & vetuſtiora continet additamenta, noſtrum quod damus ſupra omnia, quæ hucuſq; edita ſint ex ſola ipſius nomenclaturæ inſpectione, additionum ætate, & loquendi ſtylo vetuſtius exiſtimandum eſſe non dubitamus, tantùm verò illud à Roſuueydo editum antecedere, quantũ omnia in vetuſtatis characteribus antecedit & quantum in ſimpliciſſima Martyrum meſſe, largo prouentu, ſupra illud redundat.

De Romano, ſeu Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio.

ADMONITIO V.

PARTIM igitur ex his, quæ huc vſque dicta ſunt, partim ex infra dicendis facilè lector agnoſcet, cur vetuſtius Occidentalis Eccleſiæ martyrologium nuncupare noſtrum libuerit, quantumue Romanum vetus Roſuueydi genuinis characteribus antecellat. Quia verò nuper videre contigit Henrici Valleſij præter ſuperius adductas notas, etiam diſſertationem de martyrologio Romano ganiſus ſum Viro Eruditiſſimo placuiſſe, aſcriptum D. Hieronymo martyrologium pluribus in Occidente Eccleſijs commune olim fuiſſe, vt iurè meritò, tùm Vetuſtius, tùm Occidentale nuncupari à me promeruerit. Veruntamen quia Ro-

BIBLIOTECA MAI ROMA

Romanum dici non debere addit, ſubſtiti, & in momenta rationum euagatus, dum eidem aſſenſum nequaquam me præbere potuiſſe deprehendi, cum eodem doctiſſimo Viro paululum ad lectoris admonitionem exerceri placuit, non tàm vt vetuſtius noſtrum Occidentalis Eccleſiæ martyrologium D. Gregorio memoratum eſſe confirmarem, quam vt deſtractis recentioribus aliquibus additionibus omninò Romanum eſſe comprobarem. Aſſumit Vir doctus ad Roſuueydi martyrologium de ueteris Romani maieſtate deponendum, non modò quædam malè ex Ruffino in idem tranſpoſita, quæ noſtrum non tangunt, ſed in illud præcipuè incumbit, ut aduerſus Baronium, cæteroſque, qui contra ſenſerint omninò affirmet, nunquam Romanum uetuſtius martyrologium extitiſſe, quia nullum Romana Eccleſia proprium ullo tempore habuerit; quam aſſertionem his uerbis non ueretur concipere. *Ego verò contra aſſumo nullum vnquam fuiſſe proprium, ac peculiare martyrologium Eccleſiæ Romanæ ante illud, quod iuſſu Xiſti Quinti Pontificis Maximi editum eſt hoc titulo, & Baronij notationibus illuſtratum*: Et quia diſſertationis illius pondus in illis uerbis reponi animaduerterem *proprium, ac peculiare*, primò fluctuaui, an reliquas Eccleſias Occidentis ita à Romana vellet ille diſiungere, vt ſciſſuram faceret, quaſi quod Catholicum, & vniuerſale ſaltem Latinæ Eccleſiæ martyrologium, ſeu Martyrum Nomenclator fuit, Romanum eſſe non potuerit. Secundò, an martyrologium illud ſub Xiſto Quinto editum peculiare ita eſſe voluerit Eccleſiæ Romanæ, vt ante illud tempus conſimile habere nequiuerit. Primum quidem offendiculum in Viro Catholico ſuſpicari non libuit, quòd omnibus Latinis idem ſit Romana eccleſia, ac vniuerſalis. Quamquam enim in his, quæ ad diſciplinam, & ritus pertinent, Romana aliarum mater Eccleſia aliquibus prouincijs varios aliquos ex antiqua traditione ritus permiſerit, & aliquibus de Romana Eccleſia optimè meritis ſodalitatibus id adhuc indulgeat, non indè tamen conſequi reputabam, vt quod alioquin omnibus eccleſijs commune diceretur, illicò Romanum non eſſet, & à Romana eccleſia ſeiunctum. Quin potiùs inferebam illud, quod commune omnibus Eccleſijs eſſet, Romanum neceſſariò dicendum. Inſuper memoria repetebam quam accuratè vetuſtiores Romani Pontifices curauerint, vt memoriæ martyrum colligerentur, quæ ſi recoli à fidelibus debuiſſent anniuerſaria celebritate, vt alibi monuimus, exuberante Martyrum copia, ſine codice, quo nomina, & dies paſſionis notarentur, labentibus annis peragi poſſe non videbam. Optauerat fortaſſe Valeſius, Romanam Eccleſiã ita proprium habuiſſe martyrologium, vt in eo tantum Martyres illi numerarentur, qui vel in Vrbe, vel in ſuburbicarijs regionibus floruiſſent, tunc enim tanquam proprium, & peculiare Romanæ eccleſiæ ſuſcepiſſet. Equidem Romana fides, etiam D. Pauli tempore toto Orbe celebris, tam frequentes in Vrbe Athletas habuit, tamque exuberantes in confinibus locis, vt magnum ex ſe codicem ſolo nomine, & paſſionis die conſignatis, producere potuiſſet; Sed vel furente perſecutione omnes in ſacras tabulas referre non licuit, vel vniuerſalis Mater non ita præſentes filios curauit, vt abſentes negligeret. Calendarium vtique, ſiue Indiculum pro Romanis incolis, & Vrbanis feriis à martyrologio ſeiunctum parare Eccleſia Romana conſueuit, & huius vetuſtum ſpecimen apud Bucherium, & Ioannem Frontonem extare ipſe Valeſius fatetur, recentius verò exemplum videre poterat iam omnibus Eccleſijs commune in codicibus Miſſalibus, & Breuiarijs Romanis, quorum ueſtibulis breuiter quotidianæ Sanctorum feriæ, & aliæ ſolemnitates affiguntur. Sin uerò, & magis proprium intelligere maluerit, editur etiam nunc Romæ quotannis paruus codex, ſicuti alijs etiam eccleſijs in uſu eſt, in quo non modò ſacræ quotidianæ feriæ ſignantur, ſed modus etiam docetur,

quo-

quomodo, & quibus locis ibidem debeant celebrari. Ex his autem inferre Ecclesiam Romanam proprium martyrologium non habuisse, incongruum est; diuersum enim vtriusque vsum fuisse, nemo ignorat. Martyrologij codex antiquitùs Nomenclator erat, in quo nomen, locus, & dies passionis notabatur, vt Martyrum nomina in sacrificio Missæ recitarentur, uel ut Litaniæ fierent, ut alibi notauimus; Indiculus uerò, seu Calendarium ferias in honorem, uel Dei, uel Sanctorum tantummodò indicabat, & in magnis Vrbibus, vt Romana erat, Ecclesias in quibus conuentus, vel stationes fierent, præsignabat, non autem in sacrificio Missæ, aut diuinis officijs recitabatur. Alios etiam codices Romana Ecclesia sibi parauit, quos alijs Ecclesijs esse communes non præcipiebat. Attamen, quia norma semper aliarum Ecclesiarum fuit, statim alijs euadebant communes. Sacramentarij, Antiphonarijque codices tales erant, qui Romæ à Sanctis Pontificibus ordinati in alias promptissimè Ecclesias euolabant, nec tamen Romanæ Ecclesiæ proprij esse desierant; nisi quatenus aliæ Ecclesiæ ad earumdem singulares celebritates ex propria deuotione accomodatos, proprios quodammodo sibi reddebant. Nil Sacramentario magis commune Occidentis Ecclesijs fuit, quod tamen D. Gregorius *Papa primus, à quo omnia Ecclesiastica officia pene habemus*, vt verbis vtatur Micrologi cap. 25, ex Gelasij ritualibus libris in vno volumine coarctauit, *& librum Sacramentorum prætitulauit*, vt Berno testatur de officio Missæ cap. 1. ex Ioanne Diacono lib. 3. c. 17. Iam eiusdem Micrologi tempore tàm Sacramentaria, quàm martyrologia ad Sanctorũ festiuitates indicandas in vsu erant, & de vtrisque ita meminit. c. 55. *Ideò esse inuenimus in Martyrologijs, siue in Sacramentarijs festiuitas Sanctorum Iacobi, & Philippi, & omnium Apostolorum.* Martyrologij aliquem codicem à temporibus saltem D. Gregorij habuisse Romanam Ecclesiam, rectè censuit Baronius, quamquam in eo designando D. idem Gregorius martyrologij nomen non expresserit, & vel librum passionum Martyrum, siue codicẽ nominum magis appellare illi placuerit. Neque enim quæstionem denuda martyrologij voce intentare, vel dirimere mihi est animus, cum sciam illum re uera fuisse Martyrum codicem, siue martyrologium, quod venerabile, & uetustissimum Roma Aquileiam transmissum apud Adonem legimus. Negat Valesius codicem Gregorianum illum, quantumuis martyrologium diceretur, proprium fuisse Romanæ Ecclesiæ, quòd D. Gregorius non ita uocauerit expressè, quin potiùs contrarium docuerit, nempe Latinis, & Occidentalibus commune. Per uerba enim illa *Vos beatissimos* Orientales significare uoluisse existimat, sicuti per alia uerba *Nos penè omnium Martyrum, &c.* Occidentales Ecclesias; At nisi has uelit Acephalas constituere, non nisi Ecclesia Romana, & cui præerat Pontifex, dicere iurè poterat *Nos penè omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in vno codice nomina habemus.* Etenim quæ nã Occidentis Ecclesia, secluso Romano capite, iurè sibi arrogare omnes Martyres poterat, præsertim si eodem Valesio auctore Occidentalibus omnibus commune olim fuisset martyrologium S. Hieronymo tributum? In hoc autem cum plures Martyres Orientis numerentur, nulla Occidentalis Ecclesia eos sibi poterat ascribere, præter Romana, quæ tanquam uniuersalis Mater omnes Martyres inter filios agnoscebat. Profectò codicem illum Romanum, quem Eulogio obtulerat D. Gregorius, Hieronymi nuncupatum martyrologium fuisse facilè assentior, & quia in eo *ex diuersis terris, atque prouincijs per dies singulos multi* cognoscebantur *Martyrio coronati*, & de illis Missarum solemnia quotidianis diebus Romana Ecclesia peragebat, ita proprium illius Ecclesiæ fuisse apparet, vt dies non effugeret, quo eo non vteretur. Neque propterea, quòd Hieronymi nomen præferret, Romanæ Ecclesiæ

mar-

martyrologium esse desierat. Nam & liber Comitis, seu lectionarium secundum morem Romanæ Ecclesiæ D. Hieronymo ascriptum, de quo in admonitione de martyrologij auctore aliqua diximus, re vera Romanum erat, *& eius libri ordinē S. Gregorius diligentissimè obseruauit*; vt notat Micrologus cap. 31. Eodem enim modo, quō D. Gregorius librum Sacramentorum, & Antiphonarum composuit, ita *& B. Hieronymum* fuisse *ordinatorem lectionarij*, vt *ipsius testatur Prologus appositus in capite eiusdem Comitis* Berno Abbas inquit; in quo quidem Prologo, quāuis expressè non dicatur librum in Romana Ecclesia compositum fuisse, dum tamen asseritur ab Auctore concinnatum *per ordinem, quem assiduum in Ecclesia dicebat*, hoc præclaro titulo Ecclesiæ non aliam quā Romanam Catholicam significari palam est. Sicuti ergo pluribus Occidentalibus Ecclesijs fuisse olim commune Hieronymi nuncupatum martyrologium non repugno, atque illud à Rosueydo editum non esse vetus Romanum fateor; ita Romanam Ecclesiam proprium martyrologium non habuisse vsque ad tempora Xisti Quinti constantissimè inficior. Assentior quidem à Beda, Floro, alijsque latinis Romanum martyrologium ita immutatum fuisse, vt pluribus Martyrum nominibus detractis, quia eorum gesta perierint, aliorum verò actis strictim additis, quòd fidelium pietati magis ita arrideret, purum nominum codicem, siue vetustissimum martyrologium in vsu esse desijsse, præsertim quòd circa hæc tempora ex sacrificijs Missarum ad matutinas laudes martyrologij lectionem translatam fuisse appareat ex additione prima Capitularis Lūdouici Imperatoris cap. 69. ad annum 817. Ecclesiam tamen Romanam martyrologio caruisse non concedo. Ablegato enim deinceps codice nominum, siue D. Hieronymi, siue D. Gregorij, longo vsu in Romana Ecclesia Vsuardi martyrologium locum habuisse, docti plures fatentur. Antiquū Monasterij S. Cyriaci, quod adducit sæpè Baronius, Romanum aliquando fuisse probabile est, & ante Xistum Quintum integro ferè sæculo sub titulo Martyrologij Romani emendatum à se, & auctum edidit Bellinus de Padua primò Venetijs 1498. deindè Parisijs 1321. Contractum Sanctorum, siue Vsuardi codicem sub hac item Epigraphe *Martyrologium secundum morem sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ* edidit Franciscus Maurolycus Abb. Messanensis Venetijs 1527. Aliud pariter martyrologium S. Romanæ Ecclesiæ typis Venetis cum doctis annotationibus publici iuris fecit 1578. Petrus Galesinius. Quapropter miror doctissimum Valesium non modo hæc Romanæ Ecclesiæ ascripta martyrologia latuisse, multo tamen magis præterijsse anno 1583. antequam Baronij notis locupletatum in lucem prodiret, Gregorij Decimi tertij iussu Martyrologium Romanum Romæ editum fuisse tali prorsus titulo *Martyrologium Romanum ad nouam Kalendarij rationem, & Ecclesiasticæ historiæ veritatem restitutum Gregorij XIII. iussu editum*. Vnicuique autem notum esse existimo Gregorium Decimum tertium ante Xistum V. cathedrā ascendisse. Sicuti ergò posterioribus sæculis de sacris codicibus Missalibus, & Breuiarijs, qui pro sacramētarijs, & lectionarijs successerant constat accidisse, vt, qui vniuersales totius Ecclesiæ Romanæ esse debuerant, additis proprijs, & singularibus Prouinciarum, & Vrbium celebritatibus à suis originibus deformati discederent, necesse fuit ad plures abusus tollendos iterum Summorum Pontificum iussu veteribus abolitis Romanum Missale, ac Breuiarium, aliaque ritualia volumina castigata recudi. Ita in martyrologio euenisse palam est. Quòd enim minùs aptè plures singulares Ecclesiæ Sanctos suos adderent, alijque errores irreperent in varijs sub martyrologij nomine codicibus, qui Romanæ Ecclesiæ titulum vel tacitè, vel expressè præferebant, necesse fuit, vt aliquando quantum emendatius fieri potuerit martyrologium Romanum ederetur, aliaque

sub

ſub hoc titulo in Eccleſijslegi vetarentur, non quidem Xiſti Quinti, ſed Gregorij Decimi tertij iuſſu; Hæc Vir doctus Valeſius videre poterat in pagina liminari ipſius Romani martyrologij etiam Pariſijs editi 1645, & in proxima pagina quæ ſub datum Romæ die 13. Ianuarij 1584. Gregorius Decimus tertius non modò ſe curaſſe teſtatur *Romanum Martyrologium* (ecce quomodo etiam ante ipſum extabat) *non nullis in locis librariorum, typographorumque negligentia mendoſum* corrigeretur; ſed diſtrictè præcipit, *vt omni alio Martyrologio amoto*, illo, quod vt ſupra emendari curauit, omnes Eccleſiaſtici in peragendo diuino officio vterentur. Verùm ſi diutius fortaſſe, quàm par ſit, in his contigit immorari, ignoſcat cordatus lector. Non malè enim factum putaui, ita minùs verſatos monuiſſe, ne ex eruditi Viri auctoritate veluti manu ducti in aliquem errorem impingerent. Subdere autem libet Hieronymi, quod damus, martyrologium ex frequenti memoria Sanctorum Martyrum, qui Romæ paſſi ſunt, ex dedicatione plurium Baſilicarum eiuſdem Vrbis, & quod optare videbatur Valeſius, ex plurium Sanctorum nomenclatura, qui non expreſsè alicui Vrbi, aut Prouinciæ aſcribuntur, & Romæ paſſos eſſe manifeſtum eſt, illud idem conuinci, hoc eſt præter alienas, & recentiores, quæ facilè ſeiungi poſſent additiones, Eccleſiæ Romanæ vſui deſtinatum fuiſſe, & proprium martyrologium Romanum antiquitùs fuiſſe, non tamen Vrbicarium tantùm Indiculum, quo etiam ſeiunctim à martyrologio nunc vtitur, ſed vniuerſale, & Romanæ Vniuerſalis Eccleſiæ proprijſſimum. Hunc vero codicem, ſeu Martyrum nomenclatorem Gregorij tempore, & antequam Græcorum Eccleſia manifeſto ſchiſmate à Romana ſeiungeretur, comunem Orientalibus fuiſſe, & fortaſſe ſub Euſebij, & Hieronymi nomine, verba illa innuere videntur, quæ poſt ſuperius recenſitos Romani martyrologij characteres D. Gregorius Eulogio Alexandrino ſcribens ſuperaddit. *Sed hæc habere vos beatiſſimos credimus.* Vlterius etiã adijcere libuit, neque in hoc aſſenſum præbere doctiſſimo Viro nos potuiſſe, quòd martyrologium illud à Roſuueydo editum antiquiſſimum, & vetuſtiſſimum fuerit, quo vſus ſit Ado. Præter plura enim, quæ in ſuperioribus admonitionibus attulimus, ita etiam ſuadent bini noſtri codices, in quibus D. Hieronymo aſcriptum, & à nobis exhibitum martyrologium Adoni prorſus ſociatur, quod antiqui characteres, qui Gregorianum omninò demonſtrant vix dubitandi locum relinquunt, quin illud ipſum ſit apud Adonem *venerabile, & perantiquum martyrologium ab Vrbe Roma Aquileiam cuidam Sancto Epiſcopo à Pontifice Romano directum*. Quæ verba ideò libenter adduximus, quia Romanum Martyrum codicem fuiſſe etiam contra Valeſium decernunt, quia Roma, & à Pontifice Romano tranſmiſſum fuerit, & quia perantiquum etiam Adonis ætate, atque ante octingentos annos dici meruerit. Diuinare verò, quòd à Monaco Ado Epiſcopus deceptus ſit, neque pium videtur, neque alijs coniecturis fulcitum, præter quam quod illud a Roſuueydo editum peruetuſtum Adonis eſſe non potuerit, quod libenter concedimus; inde tamen educi in Romana Eccleſia non inueniri vetuſtius, omninò negamus. Optarem autem doceri, cur martyrologium, quod plures Sanctos diuerſorum locorum exhibuerit, Romanum eſſe antiquitùs non potuerit, poſſit tamen recentius eſſe, hoc eſt poſt Xiſtum V. cum tamen præter ſtylum, additiones, & caſtigationes aliquas, martyrologium cum notis Baronij editum eadem ferè contineat, quæ iam Bedæ, Adonis, Vſuardi, & recentius Bellini, ac Maurolycij martyrologia exhibebant. Vel enim ex his nullum Romanum eſt, vel neque poſtremum, quod tamen Valeſius concedit. Non igitur noſtrum Vetuſtius Occidentale diximus, quòd Romanum perantiquum eſſe negaremus, ſed quòd omnibus ferè Occidentalibus commune à Græcorum Menologijs ſeiunge-

geretur. *Romani enim codices*, vt D. Gregorius testatur lib. 5. Ep. 114. *multò veriores sunt, quam Graci: quia nostri sicut non acumina, ita nec impostura habent.*

De nostri Martyrologij auctore Hieronymo, autographis Codicibus, additamentis, ætate, ac ad consimilis Martyrologij edita fragmenta collatio.

ADMONITIO VI.

PRÆTER ea, quæ vniuersim de Martyrologij originibus, deque Eusebij, ac Hieronymi laboribus hucusque tradita sunt, de huius quod exhibemus auctore, auctario, autographis codicibus, fragmentisque consimilibus iam editis, aliquid addere consentaneum duxi, ne quid ad pretium eius æstimandum deesse lector conqueratur. Primùm igitur, ac iterum assumo, præter volumen de passionibus Martyrum Hieronymo ascriptum, nullum vetustiorem Martyrum nomenclatorem, aut nominum codicem ad nos peruenisse, & siue auctor, siue concinnator Hieronymus fuerit, de eius vocabulo, aut laboribus apposito deinde fuisse martyrologij nomen. Huius Eusebio simul, & Hieronymo tributi fragmentum adfert Beda lib. 2. in Marcum cap. 2. idque satis diffusum, & in quo non modò legitur *4. Cal. Septembris in Edessa Ciuitate Phœnicia Prouincia Natale Ioannis Baptistæ die, quo decollatus est*, sed longa deinde ex Marcellino Comite intersuitur narratio de eiusdem Præcursoris decollatione, die, & inuentione Capitis, quæ totidem ferè verbis apud Adonem 6. Cal. Martii, *ex Martyrologio, quod Eusebij, & Hieronymi vocabulis insignitum est*, adducitur. At quia hæc eadem verba cum reliqua Historia, & iisdem penè syllabis prostant etiam in martyrologio Notkeri, plura suggerunt animaduertenda: & primò constanter inde videtur colligi, iam Bedæ temporibus vulgatum sub nomine Eusebii, & Hieronymi martyrologium præ manibus cunctorum fuisse, sicuti pariter ex libro retractationum in Acta Apostolorum cap. 1. idem conuincitur, sed longè diuersum fuisse à Nomenclatura, seu libro Passionum Martyrum, cuius meminit D. Gregorius, omninò videtur. Si enim reliqua specimini, seu fragmento à Beda adducto respondere deberent, vtique non tantùm nomen, locus, & dies Passionis in illo Eusebii, & Hieronymi martyrologio signata esse conueniret, sed plura, & longiora acta Martyrum continere, quam breuitati Hieronymiano martyrologio ascriptæ congruere minimè possent. Equidem à Romani vetustioris martyrologii decantata breuitate tam longa de inuentione capitis S. Ioannis Baptistæ historia, dicam amplius ex Baronio, tam inconcinna, prorsus abhorret, neque Gregoriano Martyrum Indiculo aptari vllo modo potest. Quid igitur dicendum est? An fortè ad Bedæ manus purum putum Eusebii Hieronymi martyrologium nuncupatum non peruenisse, quando ad Vsuardum vno, & amplius sæculo recentiorem peruenit? Verisimilius profectò putarem fragmentum illud ex aliquo recentiori martyrologio, & latioribus narrationibus iam aucto, ad caput illud Bedæ accreuisse, præsertim quòd in Bedæ edito martyrologio ad sextum Cal. Martii multò breuius eadem hæc,

hæc, quam in Marci commentariis delibentur. Nescire quidem Vir doctus Beda nequierat Marcianum, quo imperante ea capitis præcursoris inuentio accidisse narratur, non modo longius ab Eusebii tẽporibus abesse, sed & post Hieronymi mortẽ pluribus annis euenisse. Cur ergo Ado, qui peruetustum Romanum, & Aquileiense martyrologium D. Hieronymo non ascripsit, sed tantùm pro Romano agnouit, Eusebio tamen, & Hieronymo tribuerit fragmentum longius de inuentione capitis Ioannis Baptistæ 6. Cal. Martii? dicendum esset Adonis temporibus iam auctum martyrologium sub Eusebii, & Hieronymi titulo vulgare ita fuisse, vt ex eo, non modo in Bedæ euangelica explanatione lacinia illa à Neoterico librario intersui potuerit; sed ex ipso Bedæ iam aucto codice, vel Hieronymi, & Eusebii eodem martyrologio in suum, quod latius conabatur construere, Ado ipse trastulerit, præsertim cum iisdem penè verbis, quibus prostant inedito apud Bedæ fragmento, idem apud Rabanum, & post eum Notkerum, legere quisque possit. Plures quidem Patres in Martyrologio ampliando desudasse, ante Adonem coæuus Vsuardus testis est, qui licet præter Bedam, & Florum nomina eorum sileat, quibus in coagmentando Hagiologio vsus fuit, ingenuè tamen fatetur, opus suum *ex quibusdam præcedentium Patrum martyrologijs in quandam collegisse vnitatem*. Vix autem credibile est Adonem, si peruetustum illud martyrologium, quod in fronte operis sui prætulit, Hieronymo tributum inuenisset, tanti auctoris nomine carere voluisse, quasi non leue inde pondus auctoritatis emergeret. Sed quòd ita signatum non inuenerit, & Hieronymi genuinum non esse existimauerit, anonymum reliquisse, vel potius, vt Romanæ Ecclesiæ proprium, non alteri, quam Romano Pontifici ascribere voluisse. Et quamquam nullum ex peruetusto Romano martyrologio fragmentum adducat, quo conuinci possit, præter Martyris nomen, locum, & diem passionis, aliquod insuper ex actis in eo latiùs recensieri, ex modo tamen loquendi colligi posse videtur, nihil præterea continuisse, quam quod Gregorii Index, vel Nomenclator habuerit, neque alio sibi vsui fuisse profitetur Ado, quam *vt dies Martyrum veriſſimè notarentur, qui confusi in Kalendis satis inueniri solebant*. Difficile autem est credere, si suppetias inde habuisset ad acta Martyrum explicanda, de peruetusto, & quod tanti fecerat Martyrologio, silere voluisse, quando ingenuè fatetur ex pluribus vndequaque collectis passionum codicibus latius, & paulo apertius supplere in animo fuisse martyrologium, *quod Venerabilis Flori studium in labore Domini Bedæ accreuerat*. Quæ coniectura maximè ex nostro martyrologio confirmatur, quia in binis codicibus hadinis peruetustis, tã Lucẽsis Cathedralis, quã Musæi nostri, nusquam, præter quam in Epistola, præfigitur Hieronymi nomen, & quãquã eadem Adonis ipsius martyrologio in vtroque codice copuletur, nil tamen prorsus continet, quod latiora Martyrum Acta respiciat. Nec illud esse, quo vsus est Ado, & in capite martyrologii sui describendum curauit, dubitauimus, locũ enim in frõte tenuisse potuit, quousq; recitari in sacrificio Missæ desierit. Postquam autem magis arriserat fidelium pietati, aliquid ex gestis Martyrum audire quam plura ignota nomina recensieri ad calcem facilè amandari potuit, quantumuis copiosiorem Martyrum messem contineret, ac vetustius esset. Non tamen negamus ex Romano autographo ab Adone seiuncto in alios quoque codices potuisse transferri, ac in apographis describi, & tale illud S. Vuillebrordi apud Bollandum putamus post Cassidori, & Gregorii, vt infra patet, ætatem conscriptum. Cæterùm sicut potuit transcribi, ita ante ipsum Adonẽ potuit ampliari, & in aliquibus decurtari. Nec difficilè auctum illud fuit, cuius fragmentum exhibet idem Ado 6. Cal. Martii, & Eusebii, ac Hieronymi martyrologium vocat,

quemadmodum codex perantiquus apud Bollandum §. 6. ex Monasterio S. Martini Tornaci, qui hunc præfert titulum. *Incipit Martyrologium Eusebij Hieronymi, & Bedæ Presbyteri.* Subijt autem hic suspicari, an post Cassiodorum, qui epistolam de Passionibus Martyrum Hieronymo tantùm tribuit, non Eusebio, & Hieronymo, accidere potuerit, vt librarius aliquis, dum sacrum diarium ex laboribus Eusebij confectum in epistolis martyrologijs vetustioribus præfixis legeret, deinceps Eusebium à Hieronymo distinxerit, & addita particula coniunctiua *et* leue mendum induxerit, nesciens Hieronymum appellatum quoque fuisse Eusebium, siue Eusebium Hieronymum; vt in adducto titulo Tornacensis martyrologij obseruare quis potest. Paucos verò latere puto, duplici hoc nomine Sanctum Doctorem appellari ex patre Eusebio; atque ita pariter antiquas, & recentiores epistolarum editiones præferre; quin potius epistolam ad Occanũ de vita Clericorum inter spurias, non sine iniuria, doctissimi Baronij iudicio, reiectam, eundem trinomium exhibere, & Sophronium Eusebium Hieronymum indigitare. Vrget suspicionem Cassiodorus cap. 32. diuin. lect. qui etsi Epistolã, in qua totius Orbis florentes Martyres reperiri docet, nõ Eusebio Hieronymo, sed Hieronymo tantũ ascripserit, in fine tamen Chronicorũ, dũ tẽporũ anacephaleosim ita restringit, inquit. *Ab Adam vsque ad Diluuium, sicuti ex Chronicis Eusebij Hieronymi collegimus anni sunt MMCCXLII*, vt confirmare prorsus videatur, ætate, qua ille vixit, binomium S. Doctorem adhuc permansisse. Nisi quis potius existimare maluerit, Eusebio Hieronymo sine coniunctiua particula libros illos tributos fuisse, quia D. Hieronymus ex Eusebio in latinam linguam vertendo proprijs laboribus auxerit, quale Chronicon erat, & quale Martyrologium, si ex Eusebij pariter voluminibus concinnatum fuisse concedamus. Notkerus qui Adoni Viennensi aduixit anno DCCCLXX, vt ex die decima Kal. Iunij conuincitur, Hieronymo pluries tribuit vetustius martyrologium, siue Calendariũ, idque ex Eusebij Cæsarienſis monumentis. Ita septimo Kal. Maii, post quam *iuxta Calendarium sagacissimi Hieronymi decuit*, ea die in Perside memoriam peragi S. Georgii Martyris, subdit diem festum *S. Marci Euangelistæ à supradicto Hieronymo Sancto priori die, ideſt octauo Calendarum Maiarum, auctoritate Eusebij Cæsarienſis* celebrem fuisse, die vero 13. Kal. Iulii, Nazarium, & Celsum adiunxisse fatetur Geruasio, & Protasio iuxta martyrologium S. Hieronymi, cui vi. Idus Augusti in enumerandis Martyribus Colonienſibus inhærere profitetur. Et quamquam postrema hæc cum nostro conueniant, ac idem Hieronymianum martyrologium, quo vsus est Notkerus, in pluribus Martyribus ad mensem vsque Septembris indicandis, cum nostro plurimùm consonet, in hoc tamen discrepat; quòd S. Marci memoria, tàm in codicibus nostris, quàm in vetustiori Bollandi, & Henschenii nequaquam illa die compareat, sed natalem habeat Alexãdriæ viiii. Kal. Octobris, Georgium verò nostri codices exhibeant; non 7. Kal. Maii, sed inter Africanos Martyres 9. Kal; vel in superadditis cum Sancto Polione 8. Kalendas, silente interim vtrobique de Sancto Georgio Hieronymiano Bollandi. Veruntamen cum semel Notkerus fragmentum martyrologii, quod Eusebii, & Hieronymi vocabatur, vi. Kal. Martii his verbis adducat, *iv. Kal. Sept. In Emissa Ciuitate Phœnicis prouincia Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ die, quo decollatus est*, & hæc eadem penè verba sint ab Adone ex eodem martyrologio producta, certè cum nostro non conuenire fatemur; legit enim vetustius nostrum ad illam diem in vtroque codice. *In Prouincia Palestinæ Ciuitate Sebastia Natalis S. Ioannis Baptistæ*. Suspicari quapropter licuit, tàm Adonem, quàm Notkerum diuersum à martyrologio nostro codicem habuisse, vel apud Bedam ex aucto iam martyrologio

accepiſſe; ſunt enim ad amuſſim verba, quæ ille habet lib. 2. in Marcum cap. 26. & nos ſupra adduximus. Conſimile martyrologium nomine Sancti Hieronymi inſcriptum ſæpè producit Petrus de Natalibus; at hoc ipſum pluribus additionibus lucupletatum fuiſſe, non dubitarem. Salomen Chriſti Diſcipulam, eiuſquæ vitæ aliqua ex martyrologio S. Hieronymi adducit lib. 9. cap. 9. De Maria Salomæ alia lib. 4. cap. 5; Plura etiam lib. 4. c. 66. de Timone Diacono ex antiquis, ac eius agone per Crucem conſummato, in quibus auctorem profert Hieronymi Martyrologium; quæ tamen cum in noſtro non inueniantur, & quia longiora etiam ſunt, quam codicis Gregoriani ſtylus patiatur, diuerſum à noſtro martyrologium eſſe conuincunt, præſertim quòd etiam alia, quæ ex Hieronymo habuiſſe teſtatur, in noſtro non legantur, qualia ſunt adnotata de ſexdecim millibus Martyribus in Perſide paſſis ſub Sapore Rege Perſarum lib. 4. cap. 78, de Dioſcoro lectore lib. 5. cap. 11. & de Ioanna, ac Manae diſcipulis lib. 5. cap. 24. & 25. ſicuti plura nomina Sanctorum, quorum, præter diem feſtum, & locum Paſſionis, aliud ſe non inueniſſe fatetur, vnicoque Catalogo comprehendit lib. 11. cap. 130. cum noſtris codicibus conuenire fatemur, & ſuis locis indicauimus; Quæ verò ab eodem Petro recenſita Acta Martyrum reſpiciunt, nequeunt cum vetuſtiori noſtro, aut Gregoriano conuenire, quòd, præter nomen, locum, & diem paſſionis Martyrum, aliud hæc continere non debeant. Qualis inſuper fuerit liber ſcriptus, quo vſus eſt in martyrologio ſuo exornando, & emendando Petrus Galeſinus, non ſemper in notationibus indicauit, ſed pluries Martyrologium Cremonenſe, ſeu codicem Cremonenſem nuncupauit, & eidem multum tribuit vt 6. Idus Ianuarii, & alibi. Sub Hieronymi quidem nomine martyrologium adduxit, pridie Nonas Maii in Lucio, & Martyrologium quod *S. Hieronymi* putatur 13. Kal. Aprilis in S. Cirillo, ac ſociis, & 7. Kal. Decembris de Sancta Catharina nihil inueniſſe fatetur, neque apud S. Hieronymum, neque apud cæteros latinos martyrologii ſcriptores; diſertiſſimè vero ad tranſlationem S. Ignatii 16. Kal. Ianuarii eiuſdem martyrologii his verbis meminit. *De qua S. Hieronymus in martyrologio, quod eius nomine inſcribitur*. Verùm quia huius fragmenta nunquã expreſsè protulit, cum noſtro conferre in pluribus non licuit; deprauarum, & in multis Martyrum nominibus mutilum fuiſſe in notationibus noſtris paſſim ad errores dignoſcendos indicamus, & quantum, ex ipſa Sancti Ignatii tranſlatione in noſtro nequaquã appoſita coniicere potuimus, in aliquibus diuerſum à martyrologio noſtro affirmare cogimur. Vulgatum aliquando fuiſſe in Gallia martyrologium ad Euſebii, & Hieronymi, aliorumque exemplum iuſſu Imperatoris Caroli Magni digeſtum, & impreſſum annis 1490. & 1536. monuit Molanus cap. 12. præfationis in Vſuardũ, ſed quòd ipſius Vſuardi paucis mutatis eſſet, non negauit. Antiquiſſimũ Bollãdi, & alia martyrologia olĩ in Patauinis Bibliothecis manuſcri, pta S. Hieronymi nomen præferre in ſequẽti admonitione cõſtabit, vbi de nõ editis adhuc Vetuſtioris martyrologii codicibus agẽtes, nõnullos codices Corbeiẽſes S. Hieronymi, alios Euſebii, & Hieronymi nomina oſtendere adnotamus. Ex his igitur apparet in pluribus Occidẽtis Eccleſiis, & à pluribus ſæculis martyrologiũ vetus extitiſſe, aliquãdo S. Hieronymo tantũ tributũ, aliquando Euſebii Hieronymi nomine, aliquãdo Euſebii, & Hieronymi titulo adnotatũ; nõ id tamen expreſsè ex noſtris codicibus docere nos poſſe cõfitemur, cũ tantùm ex præpoſita epiſtola, & alia eidẽ Hieronymo tributa, illud, aut cõſimile ex monumentis Euſebii compoſuiſſe Sãctũ doctorẽ appareat. At quia additiones aliquas poſt Hieronymi, Caſſiodori, & D. Gregorij ætatẽ in pluribus eidem Hieronymo tributis martyrologiis, quorum fragmenta videre contigit, irrepſiſſe, & à noſtro nequaquam abeſſe deprehen-

prehendimus, non abs re forè duximus, si eaſdem in noſtro additiones expendẽtes, quis earum auctor fuerit, vel vnde emanauerint inquiramus, vt de noſtrorum codicum fide, & ætate etiam, atque etiam conſtare poſſit. Auctorem equidem ignorare me fateor, & vnum tantùm fuiſſe vix crederem: Monachum aliquem, vel Monachos Fontanellenſis cœnobij, & Antiſiodorenſis Eccleſiæ Clericum, vel Clericos ex maiori parte coniectare licet. Nonnulla etiam addita Aquileiæ ſuſpicor, vbi primùm Ado conſimile nactus eſt martyrologium. Aliqua Rauennæ, vbi perantiquum Romanum volumen in fronte ſui martyrologij tranſcribi idem Ado curauit. De Aquileienſi Auctario coniecturam facit, quòd præter conſuetum huius martyrologij ſtylum inter cætera adnotetur aliquarum Sanctarum reliquiarum ingreſſus Aquileiam die tertio Septembris. De Rauennate additamento ſuſpicionem ingerunt eiuſdem Vrbis Epiſcoporum dies Natales diligentiùs ſignati, quàm reliquarum Italiæ Vrbium, præſertim die prima Februarij, & v. Idus Aprilis dedicatio Oratorij S. Polieti. Fontanellenſem vero Monachum additionum plurium auctorem fuiſſe ſuadent adnotata ad eundem cœnobium ſpectantia, quæ vetuſtiſſima eſſe nequeunt, & omninò poſt annum ſexcenteſimum quinquageſimum quartum, quandò S. Vuandregeſilus Fontanellæ Cœnobium inter Rotomagum, & Pariſios fundauit. Nil autem magis propenſum in res ſuas ſtudium ipſius Monaci produnt, quàm pluribus verbis repetita illius Eccleſiæ dedicatio iii. & xi. Kal. Auguſti, & minutiora quædam de S. Ausberto Epiſcopo vi. Idus Maij, aduentus nimirum, & exceptio corporis eius, & ii. Kal. Aprilis tranſmutatio corporis S. Vuandonis Abbatis, cũ frequenti memoria illius cœnobij Beatorum. Iiſdem penè rationibus videtur conuinci auctarium aliquod perfeciſſe Clericum, vel Monachum Antiſiodorenſis Vrbis in Gallia Lugdunenſi. Præter crebram enim Sanctorum illius Eccleſiæ memoriam, ſingulariter ad xvii. Kal. Maij adnotatur *dedicatio Baptiſterij, qui eſt iuxta Baſilicam S. Germani Epiſcopi, & Confeſſoris, vbi ſunt conditæ reliquiæ S. Ioannis Euangeliſtæ.* Quæ niſi omninò Gallos arguerent additionum auctores, idem prorſus conuincerent frequentiſſimæ commemorationes Sanctorum Galliæ, quæ in tanto Italicarum Vrbium, earumque Sanctorum Epiſcoporum, & Baſilicarum ſilentio, Italum auctorem reijciunt, præſertim quòd præter ſupraſcriptas Rauennates, & Aquileienſes additiones vix Mediolanenſis Eccleſiæ memoria reperitur ad vii. Idus Maij, & Lucenſis xiv. Kal. Decembris. Cæterum, cum non tantùm ſcire referat, quis additionum Auctor fuerit, quàm eas à vetuſtioris martyrologij textura ſeiungere, quid in his obſeruare licuit, & de Apographorum fide, præter iam dicta, hic aliqua libuit attexere. Sicuti ergò negari nequit, codices non eſſe etiam quo ad additiones autographos, ſed ex vetuſtioribus alijs apographos, ita aliqua menda pariter librariorum incuria, & obſcitantia in ijſdem irrepſiſſe fateri oportet, præſertim in marginalibus aliquibus auctarijs reponendis; Non ſemel enim accidit, vt ſuo loco adnotamus, librariũ, vel amanuenſem additiones quaſdam, fortè marginum penuria interlineares, in martyrologium ipſum intruſiſſe, ac nomina Martyrũ inter ſe coniuncta diſſociaſſe: aliquando verò marginale additamentum, quod ad calcem latereuli de more reponendum fuiſſet, in capite præfixiſſe. Quia tamen attentè inſpicienti appendices huiuſmodi difficilè non videbatur ſecernere, nihil immutantes, nec iota quidem, diuerſo tantùm caracteres ignauimus. Vtinam verò tam facile mihi fuiſſet nomina Martyrũ reſtituere, quæ corrupta aliquãdo librariorũ vitio occurrunt, quã ſuperadditа agnoſcere. Bini quidẽ codices, & optimæ notæ hædini, ex quibus fideliter martyrologium reddidi, integri ſunt, & ætate inter ſe fere ſuppares, ſed vel ex eodem exemplari, vel alterum ex altero excerptum. Primus eſt Cathedralis Lucenſis,

non

non in Bibliotheca, sed in secretiori tabulario cum alijs vetustis Sanctorum Actis magnis hædinis libris seruatur: Characteres decimi, vel vndecimi circiter sæculi videntur, vnde circa millesimum, vel millesimum centesimum annum exaratum fuisse coniicio, quamquam aliquas additiones contineat recentiori manu confectas, quæ annum notatū præferunt MCIII. In fronte codicis hæc verba profitent. *Hic liber est B. Martini Lucensis Episcopatus, quē si quis furatus fuerit, aut fraudolēter retinuerit ex auctoritate huius matricis Ecclesia, quæ caput est omniū Ecclesiarum huius Episcopatus, & consensu Canonicorum anathema sit in perpetuum, nisi reddiderit. Amen fiat fiat fiat.* Præcedit martyrologium Adonis, quod sequuntur Vitæ aliquæ Sanctorum, nempe Iacobi intercisi, Pauli primi Heremitæ, S. Augustini, S. Paulæ Matris S. Eustochiæ, S. Mauri Abbatis, deinde Martyrologium metricum Vuandelberti in aliquibus ab eo, quod edidit Molanus, diuersum. Huic sine aliquo tituilo Vetustius, quod damus Martyrologiū ab Epistolis ad Hieronymum incipiens connectitur. In huius marginalibus spaciis recentiori charactere, & seiuncti a nonnullorum Episcoporum Lucensium, ac aliorum, qui eidem Ecclesiæ aliquod beneficium præstiterunt, obitus & memoriæ, quas prætermisimus, adduntur. In eodem pariter codice, sed eadem librarii manu Chronicon breue extat ab anno 700. vsque ad millesimum circiter centesimum, quod in monumentis Matildæ Comitissæ editis Lucæ anno 1642. non semel adduxi. Alter ex codicibus folio hædino, & ab iniuria temporum illesus in nostra Bibliotheca seruatur. Fuit hic olim ad vsum Canonicorum Basilicæ Sancti Theodori, & Donati extra Lucensem Vrbē. Præfert initio Kalendarium pro eadem Ecclesia accomodatum, in quo pariter aliquorū beneficorū obitus recentiori manu adnotātur, & præcipuè Io: Prioris S. Donati Lucensis MCLXVII. Deinde sequitur martyrologium Adonis, cui immediatè subnectitur, quod D. Hieronymo asscribimus, & suo loco exhibemus. Alia in eodem codice sequuntur, nempè Canonicorum illius Basilicæ ordo de Nouitiis, qui ad conuersionem veniunt, D. Augustini, & D. Benedicti seiunctim regula, B. Gregorii Dialogi, & alia opuscula ad fidem catholicam profitendam spectantia. Primus codex qui ad plures annos in Cathedrali Lucensi Ecclesia legi consueuisse non dubito, maioris quidem ponderis est, quòd Ecclesiæ vetustissimæ, & quæ non modo in Edibus Episcoporum vberrimum plurium monumentorum tabularium seruat, sed etiam penes Canonicos instructam plurium mss. librorum Bibliothecam ostendit. Alter verò codex, quamquam in priuatas manus meas peruenerit, non leuioris ponderis est. Et si enim ab imminenti cultro Bibliopolæ inuolucrá librorum meditantis non magna pecunia redemerim, dudū tamen, vt in ipsa fronte apparet, ad vsum Basilicæ vetustissimæ fuerat S. Donati, & Theodori. Hæc in Lucensis Episcopatus octaui sæculi membranis Ecclesia dicitur Sedalis, hoc est, in qua illius Vrbis Episcopi aliquando resederint, vt humatum S. Theodori Episcopi corpus confirmat. Insigne in ea Canonicorum Collegium olim conuiuebat, donec auorum nostrorum memoria belli metu solo æquata in Sancti Paulini Basilicam cum omnibus sacris cimelijs translata fuit, & volumen illud dispersum. Ceterùm vtriusque codicis exemplar, vt prædixi. Lucam delatum ex Gallia coniectaui, sed qua ætate incertum mihi ad amussim est. Post septimum sæculum non dubitarem; Profectò cum Adonis martyrologio in vtroque Lucensi codice subnectatur, non nisi post Longobardorum Regnum etiam in Italia Carolinghis dominantibus euenire potuit, quāuis nullis post Adonem Sanctorum additamentis, locupletetur neque intra octauum seculum, quo Ado Viennensis vixit, & post eum Rabanus, & Notkerus. Recentiores vtique animaduertere non licuit additiones, quam Fontanel-

tanellenſes Landonis Abbatis, & Vuandonis item Abbatis, qui ſeptimo ſæculo obierunt; Alter enim cuius memoria extat 16. Febr., ſi Sauſſayo credimus, octauus fuit Abbas Fontanellenſis: Alter vero, qui in noſtro martyrologio memoratur 2. Kal. Aprilis, & 15. Kal. Maij, cum duodecimus Abbas numeretur, atq; ſub Theodoro, ſeu Theodorico, Cala ſiue Calenſi Rege floruerit, vt Sauſſayus aſſerit in Appendice ad Gallicanum martyrologium, viuere potuiſſe dicendum eſt ab anno 720. ad 737, in quibus Rex ille regnauit, quemadmodum accuratè prodit idem Bollandus ad vitam S. Sigisberti 1. Febr. §. 12. n. 102. Idem ferè tempus 729. collimat dedicatio Eccleſiæ S. Petri Fontanellenſis, vt diximus ad diem xi. Kal. Auguſti ex ſcriptore vitæ B. Vuandrageſili Tom. 1. Bibliothecæ MSS. Lebbei p. 785. in qua, cum Vuando etiam cognomento dicatur, me in ancipiti reliquit an idem Vuandrigi filius, & Vuando ſit, cum vterque Presbyter, & Abbas in hoc martyrologio, & alibi nuncupetur. Sed præter additiones, neque ita purum, vt prædiximus, martyrologium noſtrum exiſtimamus, quin aliquibus librariorum maculis ſcateat, quas ingenuè ſuis locis adnotabimus. Negliguntur paſſim Grammaticæ leges, cuius obſeruantiſſimus alioquin D. Hieronymus fuit, ſæpe Vrbium, & locorum nomina à recta ſcribendi ratione declinant, ex ipſa tamen barbarie, ac pluribus minùs accuratè ſeruatis; ex ſilentio Martyrum Vuandalicæ perſecutionis, & alijs multis, quæ paſſim in adnotationibus indicamus, priſca tempora redolere patet, & hinc clarum eſt, quantum diſtet ab indiculis ſingularium Eccleſiarum. Certè ſumma Religione in Vrbe Lucenſi ſeruatum video, & præter S. Frigdianum ſiue Frigianum vbique celebrem, nullum ex Lucenſibus Sanctis, quorum plurimis Vrbs illa decoratur, & quorum aliqui in antiquis Litanijs meo codici annexis memorantur, additum agnoſco, quaſi Lucenſis Eccleſia hanc Sanctorum nomenclaturam, veluti Romanum codicem reuerita nihil addere cogitauerit, ſicuti vel minimum apicem mouere ipſe quoque piaculum omnino eſſe exiſtimauerim.

De Vetuſtiori, ſeu Romano Bollandi, & Henſchenij Martyrologio, conſimile Corbeienſi, alijſque m. ſs. Codicibus, & eorum fragmentis cum Occidentali, ſeu Vetuſtiori noſtro collatis.

ADMONITIO VII.

IAM Chalcographus noſtri Martyrologij editionem parauerat, iamque inſtabat impreſſor, cum Clariſſimus, & Doctiſſimus Godefridus Henſchenius Societatis Ieſu Theologus Antuerpienſis, & in Atlantico opere de Actis Sanctorum Ioannis Bollandi ſocius Lucam Vrbem in Tuſcia, meaſque ædes acceſſit, ſecumque P. Daniel Papebrochius eorundē veſtigia premens, vt pro reliquo opere ditando theſauros aliquos effoderent. Attulit, quæ ſua fuit humanitas, Henſchenius toties ab eis in magnis voluminibus Ianuarij, & Februarij adductum martyrologium, vſque ad vigeſimam Iunij diem in laminis ſumma diligentia procuſum, ſiue Antuerpienſe S. Hieronymi, ſiue Romanum vetus, ſiue à loco vbi aliquando ſcriptum fuit, Epternacenſe, ſiue à S. Viro cuius in vſu fuit S. Villibrordi

Digitized by

di placeat nuncupare. Præsciuerat Vir Clarissimus à Luca Holstenio piæ memoriæ Vaticanæ Bibliothecæ Præfecto, consimile Hieronymianum codicem penes me esse, & anhelabat vt videret; exhibui libentissimè cum omnibus, quæcunque in paruo Musæo nostro Sanctorum monumentis existerent, quod ad gloriam Dei communicatũ integrè descripsit. Gauisus & ipse summopere fui, non tam deoptato eorumdem aduentu, quam de vetustissimi Romani insigni fragmento; concupieram sanè illud cum nostro conferre, sed præter specimen, & disiuncta hinc inde in Actis Sanctorum edita segmenta, non nullaque ad diem 6. & 5. Kal. Iunij, 15. & 14. Kal. Septembris, 5. & 4. Nonas Octobris spectantia à summo Viro Ioanne Bollando accepta, reliqua me latebant. Verũ per eorũdẽ Bollandi, & Henschenij humanitatem, reliquo accepto exemplari, cum prototypo nostro contuli, vidiq; in pluribus, quæ coniectauerã me non valdè à scopo aberrasse: fateor tamen laboris noui pertesum, vix animum in plura, & diuersissima distractum applicuisse, vt aliqua immutarem, cõtentus ad vnumquemque diem, quæ per impressionem liceret, festinatissimè apponere; sed vicit in Sanctos qualecunque obsequium, & vniuersũ martyrologium illud Antuerpiense cum nostro collatum inserere libuit. Hoc quidem Antuerpiense, quoad librarium, esse nostro vetustius non negauerim, nostrum tamen minus à librario corruptum, & vberius, quam illud agnosco, vt ingenuè etiam fassus est Henschenius. Cum autem alter codex ad alterũm sit conferendus, de illius ætate hìc aliqua prælibanda esse duxi, partim à Bollando ipso, partim ex ijsdem additionibus, quæ vt plurimum in calce Calendarum prostant. Codicem fuisse ad vsum S. Vuillibrordi Episcopi Traiectensis rectè coniectatur Bollandus. In Carthusia Treuerensi illud Rosuueydus reperit, & in laminis iam dictis excudi pro parte à Moreto curauit. In huius fronte non tantùm codex S. Vuillibrordi dicitur, quia iam fuerit Cænobij Epternacensis in Mosellana ditione, vbi S. Vuillibrordus quieuit, sed etiam quia ad ipsius S. Vuillibrordi vsum fuisse ex nota marginali annexi Kalendarij conuincitur. In hac ipsius S. Clementis Vuillibrordi manu (Clementem enim vocatum à Sergio Papa dum in Archiepiscopum consecraretur, Aleuinus Abbas in eiusdem vita testatur) adnotatũ legitur, venisse in Frãciã anno sexcẽtesimo nonagesimo: Anno verò sexcentesimo nonagesimo quinto à Sergio Papa ordinatum Episcopum, & dum illa scriberet ad oram Calendarij, iam excurrere annum ab Incarnatione septingesimũ vigesimum octauum. Si parergum hoc martyrologio additum esset, iam illud ante notatũ tempus scriptum conuinceret: at cum ad Calendarium additum dicatur, non ita probat, quin Laurentius Leuita Cænobij Epternacensis, & martyrologij illius librarius non potuerit eundem codicem post S. Vuillibrordum exarare, & sicuti Calendarium ab alio conscribi ante S. Vuillibrordum potuit, in quo S. Vir notam addiderit in ipso a se fundato Epternacensi Monasterio, ita ab alio recentius potuit cum recentiori martyrologio compaginari. Sanè nisi ijdem characteres tàm Calendarij, quàm Martyrologij appareant, affirmare alterutrũ non licet, quemadmodum, neque an S. Vuillibrordi iussu Laurentius Diaconus codicẽ illũ scripserit, & an ex martyrologio in Angliam à D. Augustino Archiepiscopo D. Gregorij munere delato, ac ibidẽ reperto descripserit, vel ab alio codice, quẽ Romæ, dũ ibi S. Vuillibrordus ordinaretur à Sergio Papa, acceperit, difficile est diuinare. Archetypum vnde fuerit excerptum Bollandi, siue Epternacẽse martyrologium, non esse Roma adductum omnino existimarem, sed à vetustiori aliquo desumptum, in quo iam plures Galliæ Sancti accreuerint, cum sæpissimè aliqui Galliarum Sancti Viri, præsertim in calce Calendarum recensentur, & additiones eodem prorsus charactere, cum reliquo in martyrologio illo adnotentur, quæ omnia;

ex alio codice iam Sanctis recentioribus aucto excerptum esse, non eidem illos à librario superadditos fuisse, suadent. Excurram tantùm Ianuarij mensem, vbi Augustoduno Agrippinum die prima, Viennæ Florentum die 3., Redonis S. Melanium 8. Idus, Augustoduno Egemonem 6. Idus, Pictaui S. Hilarium Idibus, Remis S. Remigij 18. Cal. Feb., Arelate S. Honoratum Episcopum die 23. Kal., & Treueris depositionem Valerij Episcopi 4. Kal. Febr. Aliud argumentum non esse auctographum exhibent loca quædam mutila, quæ punctis tantùm explentur, vel quòd in vetustiori typo fuerint corrosa, vel à librario non integrè perceptis nominibus Martyrum derelicta. Patet id inter cætera ex procusis laminis die 9. & 6. Cal. Martij. De ætate verò, qua codex ille vetustissimus à Laurentio Diacono scriptus sit, sicuti certi aliquid scire nequeo, ita post D. Gregorium Magnum omninò scriptum putarem, cum 4. Idus Martij *S. Gregory* Papæ Romensis memoriã recolat, & 10. Kal. Iunij Desiderium Episcopum Viennensem ipsius Gregorij coæuum recenseat. Cum enim Magnus Gregorius terram reliquerit anno sexcentesimo tertio, vel quarto, & ex Sigisberto Desiderius anno 612. iam post hunc annum esse scriptum certo certius est. At quo anno, tàm D. Gregorius, quàm Desiderius venerationem Sanctorum cæperint habere, vt in martyrologio reponerentur, non ita facilè decerni posse existimarem. Statim post mortem D. Gregorium apud omnem populum pro Sancto habitum non fuisse docere potest inuidorum conatus incendendi eius libros, vnde necesse fuerit Petrum Diaconum propria morte Gregorianæ Sanctitati testimonium ferre, quemadmodum Ioannes Diaconus refert lib. 4. cap. 69. Ritu quidem Sanctorum super posita Ara veneratum non nisi sub Gregorio quarto apparet, non quidem quinquaginta annis, vt legitur apud eundem Diaconum cap. 80., neque centum viginti quinque, vt corrigitur apud Baronium editionis Venetæ anno 604. n. 35, sed ducenti viginti quinque, aut ducenti viginti, vt rectius emendauit idem Baronius anno Christi 827. n. 40. Tunc enim sacrum eius corpus cum indumentis ex sepulcro incorruptis in Ecclesiam S. Petri Translatum esse, & eius anniuersariam solemnitatem cum pernoctatione celebratam, testatur ipse Ioannes Diaconus. Sin verò eo tantum tempore in album Sanctorum S. Gregorius adscriptus fuisset, cum annus primus Gregori quarti incidat in annum 827. iam recentior additio illa esset in martyrologio S. Vuillibrordi, quinimò si eodem prorsus charactere omne martyrologium scriptum est, fatendum etiam esset, omnem codicem tempore additionis recentioris scriptum fuisse. At ante annum octingentesimum D. Gregorium sacris tabulis additum suadet decretum Concilij Clouesshouiensis anno 747. can. 17. vbi præcipitur Natalitia PP. Gregorij celebrari. Quamquam verò eruditissimus Bollandus hunc etiam martyrologij codicem candidè fatetur additiones aliquas habere, & in commentario Historiæ S. Seueri Episcopi die 1. Februarij recentiores ab eo illucusque obseruatas additiones non magis descendere, quam ad annum 523. aut 524. in S. Auito Viennensi Episcopo, & S. Brigita Virgine, id equidem tanto Viro consentire non possum. Nam præter D. Gregorium, qui, vt diximus, obijt anno 604. v. Cal. Iunij, Ciuitate Parisius depositio S. Germani Episcopi recensetur, qui obijt anno 576. Translatio pariter Optati Episcopi, & sociorum Presbyterorum, quæ indicatur 6. Nonas Maij, recentiora tempora sapit. Floruit ille sub Vigilio Papa post annum 540., sed translatio, vt ad diem illum adnotamus recentior fuit. Item quartò nonas Aprilis S. Nicetæ, seu Nicæ Episcopi Lugdunensis agitur commemoratio, qui vixit circa annum 580. Claudius, seu librarij vitio Caudius Vilontinus 6. Iunij recolitur, qui obijt 683. Atalius Abbas discipulus S. Columbani 6. Idus Martij, qui floruit circa annum 626. Recentius adhuc 13. Cal. Aprilis Gut-

bertus

bertus Episcopus, qui sedere cæpit anno 685., & migrauit è vita anno 688. quemadmodum ex Beda Baronius habet in notis, vel vt Sigibertus anno 687. Cùm verò præter excusas laminas, quæ diem 20. Iunij non excedunt, hucusque non licuerit omnia examinare, si in eodem ex schedia quadã Bollandi ad me transmissa recolatur 15. Cal. Augusti S. Arnulphus Metensis, qui iuxta Baronij supputationes obijt anno 640., vel vt idem Bollandus fatetur anno 637. si pariter de S. Martino Papa memoria esset Pridie Idus Nouembris, qui obijt anno 654. vel 655. additiones post tempora S. Gregorij, ipsius S. Vuillibrordi ætatem, & septimum ferè sæculum attingerent; Idem profectò suadent Sanctorum additamenta ad finem sexti sæculi defunctorum, cum vix credibile sit, statim ab eorundem depositionibus appositos in martyrologio Romano fuisse, presertim cum vniformes librarij characteres additiones fuisse aliundè excerptas fateri cogant. Verùm cum argumenta, quæ ex sola librarij manu ducuntur, respiciant potius librarij ætatem, quàm operis, cumque facilè accidere possit, vt quod antiquissimum est recenti manu exaretur, & in Ecclesiasticis præsertim codicibus, qui quotidie manibus teruntur, & vsu consumuntur, ætas non ex sola scriptione commensurari debeat, sed quòd scribendo non ita facile librarius in vsum recentiorem aliquid immutauerit, cogitandum potius esset, an codex ille vetustissimus Bollandi, an & noster ita à prisca sinceritate degenerauerint, vt vereri possit martyrologium vetustissimum illud tempore S. Gregorij, & Cassiodori taliter ex additionibus fuisse immutatũ, quòd in cæteris antiquam formam non retineat. Vtrumque sanè codicem nequaquaquam degenerem puto, & vtrumque idem aliquãdo in prototypo fuisse, & ex Gregoriano, seu Hieronymi, aut vetere Romano scriptum existimo. Quandoquidem præter additiones Sanctorum Galliæ, & paucorum Italiæ, nihil in illis obseruatur, quòd à vetustioris, & purioris caracteribus, vel paululum declinet. Conferendo tamen binos codices nostros cum Antuerpiensi, seu S. Vuillibrordi, quamquam nostros recentiori manu scriptos esse non negauerim, audeo tamen dicere, melioris notæ esse, quàm illud, non modo quoad librarium scribentem, sed quò ad totius martyrologij constructionem. Habent, & nostri codices sua scripturientis vitia, & præter adnotata in fine admonitionis, & quæ passim in notis occurrunt, frequens est librarij inscitia in nominibus proprijs locorum, aut Vrbium, quæ facile inuertit: non infrequens est etiam aliqua transpositio, vel additæ commemorationis inopportuna interpolatio, quas tamen maculas non difficile remouendas etiam sine alterius codicis auxilio existimaui. In Antuerpiensi verò sunt non infrequentes omissiones Martyrum, & verborum transpositiones, quæ non facilè sine alijs codicibus emendari possent. Harum quædam, priusquam huius martyrologij ectypa communicata mihi essent, ex editis fragmentis animaduertisse fateor, quæ minus purum vetustissimum illud suaderent. Cum enim tunc nihil aliud conferre potuissem, quam quòd in specimine Generalis Præfationis Bollandus ipse exhibuerat, nempe aliquot dies Ianuarij mensis, cumq; reliqua, tùm eiusdem mensis, tùm Februarij fragmenta iam edita, non me aliquando sinerent laterculorum initium cum fine componere, suspicabar in reliquis latiora additamenta contineri. Exemplum integrum Calendarum Ianuarij præferebam. In hoc die non modò librarij oscitantiam agnoscebam, & codicis deprauationem, sed in Martyribus ipsis additiones, & mutationes, quas omnes minùs in Actis Sanctorum versatos agnoscere etiam posse existimabam. Quid enim longius à Gregoriani Nomenclatoris, vel Martyrologij vetustioris stylo distare poterat, quàm martyrium Coronæ, nomen præfecti Asclepij, & integram passionis causam narrare, quando illud Gregorii non qualiter

passus sit Martyr, sed tantummodo locus, & dies passionis continere debuerat. Deprauatio verò, vel mutilatio, non modo ex codicibus nostris, sed à vetustis omnibus martyrologijs arguebatur, dum Coronæ nomen, siue sit singulare Martyris, siue genericum turmæ triginta militum, à calce transpositum in capite, relictam ibi lacunam ostendebat, & dum Almachij, vel Telemachi Martyris nomen deficere videbatur, Coronæ ascriptum animaduertebam, quod Telemacho, siue Almachio debebatur; præter quam quòd non is ex antiquis Martyribus fuerit, sed qui, vt Theodoretus rem gestam Romæ narrat lib. 5. Hist. Eccl. c. 26. sub Honorio principe triumphauerit, vel vt Baronius potius existimat, sub Theodosio. Hinc non modo recentiorem Martyrem additum videbam, sed latiùs, quàm stylus vetustioris martyrologij ferret, acta eius narrata esse suspiciebam. Attamen cum reliqua in communicatis exemplaribus contenta sedulò deinde perlustrauerim, nihil aliud in illis licuit obseruare, quod non sinceritatem, & vetustatem redoleret, præter additiones, quarum aliquæ cum nostro etiam comunes sunt, & fortasse à Clerico pariter Autissiodorensi concinnatæ. Igitur omnium, quæ penes scriptores memorentur, & quorum fragmenta videre contigit, vetustius, ac pauciora, & vetustiora additamenta continere, hoc S. Vuillibrordi martyrologiũ apud Bollandum, & Henschenium esse puto, quòd ita etiam forma caracteris in laminis ad amussim expressa facilè illis possit suadere, qui vetustas aliquando tabulas per manus habuerint. Vtinam & integrum Corbeiẽse addere possem, quod non dum licuit. Licuisset profectò, nisi immatura mors Eruditissimi Viri Raffaellis Dufresnii interceßisset. Humanissimus equidem Vir ille, cuius memoria in benedictione sit, quam plurimas varias lectiones ex vetusto Corbeiensi codice, vti quæsieram transmisit, & vnà cum Clarissimo Petro de Faultrei non pauca integra segmẽta addidit. Quæ cum sint omnia suis locis inserta, aliquid etiam de hoc martyrologio dicendum remanet, quòd ipsius laciniæ quædam à recentioribus Galliæ scriptoribus afferantur, præcipuè ab Hugone Menardo in notis ad D. Gregorii Sacramentarium. Corbeiæ Monasterium S. Petri in extrema Piccardia etiã Amalarii Fortunati tempore pluribus Vetustis codicibus refertum erat; nam initio libri de diuinis officiis Amalarius testatur, dum Romæ esset, anno 831, à Gregorio tunc Pontifice quarto audiuisse Vualam legatum Apostolicum secum adduxisse in Franciam libros diuinorum officiorum, & inuenisse volumina Galliæ, quamquam Matrem Romam agnoscerent, vetustiora Romanis, quæ supererent voluminibus, & præcipuè inuenisse affirmat in Monasterio Corbeiæ copiam Antiphonariorum. In hac pluribus vetustis codicibus referta Bibliotheca, non modo Hugo Menardus in præfatione ad Sacramentarium extare testatur Martyrologium m.ſs. S. Hieronymi, verùm etiam de eo iudicium suum ita apponit. *Quod quidem, vt liberè dicam, quod de eo sentiam, non videtur purum: cum in eo multa Sanctorum, qui post S. Hieronymum vixerunt, nomina adiecta videantur ab ipso scriptore, qui sane fuit Monachus Corbeiensis. Si quidem ibi notatur translatio Sancti Precordij, cuius & corpus in dicto Monasterio seruatur, obitus Theofredi primi Abbatis eiusdem cœnobij, dedicatio Ecclesiæ eiusdem loci, & nonnullorum Sacellorum quæ adhùc Corbeiæ visuntur. Codex tamen antiquus est, & videtur scriptus ante annos sexcentos.* S. Præcordii translationem ad Monasterium Corbeiense sub Berengario Abbate, notat Bollandus ad diem 1. Februarii incidisse inter annum 932. & 942. quibus Berengarius Corbeiæ præfuit. Producit etiã passim Monardus in notationibus paruum martyrologium assutum Remensi Sacramentario, & alia martyrologia m.ſs. illius Bibliothecæ, distincta à martyrologio Hieronymi, vt p. 39. 46. 48. 175. 176. 177. &c. Manuscriptum hoc S. Hieronymi Corbeien-

ſe idem exiſtimaui, quod aliquando etiam ſub Euſebii nomine adducitur in diſceptationibus de duobus Dionyſiis apud Milletum, & de Lauony, & nuper meminiſſe vidi Henricum Valleſium in diſſertatione de martyrologio Romano ex Bibliotheca S. Germani. Bibliothecam enim Corbeienſis Monaſterij metu bellorum tranſlatam fuiſſe Pariſios ad Monaſterium S. Germani de Pratis me pridem monuerũt amici Pariſienſes, & codicẽ eſſe in pluribus præ vetuſtate corraſum. Audiui autem nuper à Clariſſimo Henſchenio D. Lucam Acherium eiuſdem Bibliothecæ S. Germani Præfectum, aliquot veterum ſcriptorum ſpicilegium publici iuris facere, inter quos martyrologium illud numerabatur; niſi hoc ſerius quam impreſſio cæpta patiatur ad manus meas peruenerit, excurrere ſine integra collatione non ſinam, interim dum varias lectiones, integroſque laterculos conferre cum noſtro licuit, non admodum vnum ab altero differre cognoui, quamquam in aliquibus vel feſtis diebus, vel Martyrum nominibus, vel eorundem numerandorum ordine a noſtro variare non dubitauerim, ſicuti apertè conſtat illud etiam eſſe recentioribus additionibus interpolatum. Vtique dedicationem Corbeiæ ſuperadditam, præter Menardum, notauit etiam Ioannes de Lauonoy cap. 7. diſcuſſ. n. 8. & alia quæ ſuis locis diſcutimus. Propius ad noſtrũ hoc accedere, quã Vetuſtiſſimum Romanum Bollandi, & Henſchenij, ſeu Antuerpienſe ſuſpicamur. Non me latet etiam ſub nomine martyrologij S. Hieronymi duos codices protuliſſe Tomaſinium in m. ſ. Bibliothecis Patauinis; alterum ex Bibliotheca maioris Eccleſiæ hoc titulo *Martyrologium S. Hieronymi elegantiſſimo caractere ſcriptum*; alterum ex Bibliotheca Caroli Auantij hac Epigraphe ſignatum *B. Hieronymi Martyrologiũ quarto in membranis elegantiſſimis, incipiens à Vigilia Natiuitatis Domini apud Antiochiam, &c.* Hos ambos amicorum opera Patauij diligenter perquiſitos inuenire non licuit. Aliud martyrologium m ſ. Hieronymianum adducit Vſſerius Armachànus cap. 2. de antiquitatibus Eccleſiarum Brittannicarum, cui adhærere libellum de feſtis Apoſtolorum addit, & ex quo pleraque omnia in librum ſuum de Patribus noui Teſtamenti tranſcripſerit Iſidorus; ſed an idem cum noſtro martyrologio ſit me fateor ignorare. Libellũ illũ diuerſum eſſe ab indiculo Apoſtolorum a nobis exhibito, non eſt dubitandum, quia Philippum Apoſtolum *Gallis prædicauiſſe Chriſtum* habeat, quod in noſtro ſiletur. Aliud etiam Sub Hieronymi nomine m. ſ. producit in notis ad Tertullianum Pamelius (locus aufugit) quòd an ſit idem cum noſtro, vel diuerſum affirmare non auderem. Præter hæc ſub Hieronymi, vel Euſebij nomine alia m. ſs. vel edita Martyrologia hucuſque mihi non innotuerunt. Sed aliqua ex Bibliotheca Canonicorum Lucenſium ſiue parua martyrologia, ſiue Kalendaria ex membranis contuli, vt quantùm liceret emendatum, & illuſtratum vetuſtius noſtrum Martyrologium exiret. Inter hæc breuiſſimum quoddam Martyrologium, ſeu Calendarium extat in Bibliotheca illa, quod ſine titulo præfigitur libro vetuſtiſſimo Cathedralis Lucenſis aliàs adducto, & Comes nuncupato. Hoc idem recentius ſcriptum in alio codice quarto paruo item membranaceo eiuſdem Bibliothecæ extat, ſed ita malæ cuſtodiæ culpa detritum, vt pauca excerpi poſſint. Profert Bedæ nomen in ipſo limine Kalendarij quod Lucia Abbatiſſa S. Mariæ de Pontetecto pro anima ſua ſororumque ſuarum, ac parentum ſuorum deſcribere fecit anno Domini 1278. At quamuis in eiuſdem fronte hæc verba legantur *Incipit Martyrologium Bedæ*, nequaquam Bedæ Martyrologium eſſe poteſt, tum quia nuda nomina continet, non aliquos Martyres diffuſiori ſtylo proſequitur, tùm quia, vt alibi diximus, non omnes Kalendas Bedæ impleuit, quas hic, licet plurima nomina Sanctorum obliterata ſint, aliquibus tamen ſemper referta fuiſſe apparent. Hoc Bedæ inſcriptum, quia aliquibus

quibus paginis mutilum est, & pauca excerpere licuit, integrum exhibere non potui, sed illud potius sine titulo expressum libuit ad calcem nostrarum adnotationū apponere, quia ex vetustissimo codice expressum est, & vetustiores characteres præseferre videtur, quam quod Rosuueydus sub titulo veteris Romani edidit. Adnotaui tamen ad margines quæ ex illo Bedæ nuncupato varia decerpere potui. Placuit vero pàruum S. Hieronymi Martyrologium Lucense nuncupare, quia statim post Anonymum illud in limine appositum, siue Kalendarium, siue Martyrologium, sequitur liber Comitis ita in codicis vestibulo D. Hieronymo tributus. *In nomine Domini incipit Prologus S. Hieronymi Presbyteri de libro qui Comitis appellatur.* Paucos Sanctos quidem continet; veruntamen exhibere placuit ad nomina, & dies commemorationis aliquorum certius confirmandos, & ad auitam in Sanctorum venerationem consonam semper pietatem certò certius adstruendā.

De Litanijs ad cuiuscumque Mensis initium in antiquis Martyrologijs adnotatis.

ADMONITIO VIII.

INDICTÆ etiam Litaniæ in capite mensium eiusdem Martyrologij nostri vetustatem confirmant: quamquam enim veritus aliquando sim, nè in cuiusque mensis limine Litaniæ titulus appositus argueret potius Sanctorum nomina, quæ sequuntur, in alium vsū, quam Martyrologij coadunata esse, cum tamen eodem prorsus modo, & ijsdem vocibus *Litanias indicendas* viderim adnotatas tam in hoc, quod puris ferè nominibus componitur, quam in m. s. Corbeiensi, & in diffusiori Adonis Martyrologio, siue penes me antiquo, & membranaceo, siue ex tribus m.ss. codicibus edito apud Rosuueydum, à sententia non discessi. Omnem vero hæsitationem deinde abstulit Vualfridus Strabo octaui sæculi scriptor, qui me docuit ex D. Hieronymi Martyrologio Litaniarum morem defluxisse, quem pro re nostra præstabit audire in libro de reb. Eccles. cap. 28. *Notandum autem Litanias non tantùm dici illam recitationem nominum, quæ Sancti in adiutorium vocantur infirmitatis humanæ: Sed etiam cuncta, quæ supplicationibus fiunt, orationes appellari. Litania autem Sanctorum nominum postea creditur in vsū assumpta, quam Hieronymus Martyrologium secutus Eusebium Cæsariensem per anni circulum conscripsit.* At verò cum frequens sit apud antiquos sacros Scriptores Litaniarum memoria, non hic pigebit pro appositi tituli explicatione Litaniarum origines non nihil altius repetere, quòd viderim auctorē de Ecclesiasticis Processionibus aliqua sicco pede præterijsse. Litania Græcis nil aliud sonat, quam Latinis Rogatio. Hanc vocem Simeon Thessalonicensis opusculo contra hæreses ita per interpretem explicauit. *Litania autem est supplicatio ad Deum, & communis deprecatio propter iram imminentem, aut agendas gratias propter collata beneficia.* A consueto igitur orandi modò secernitur Litania, quòd eodem Symeone teste *fiat multis simul per mediam Vrbem congregatis Deum, Sanctosque eius in auxilium inuocantibus*, vt Goar animaduertit ad Euchologium Græcorum. Litania ergo genus orationis, seu supplicationis est, à consueta oratione aliquo modo seiunctum. Indicebantur vt plurimū Litaniæ ad pœnitentiam excitandam, & ideo ieiunijs, alijsq; pœnalibus operibus copulabantur. Psalmodijs tamen, hymnis, & circuitibus,

seu

seu Processionibus, vt plurimùm complebantur. Ex his tamen aliæ stabiles erant, & sine circumeuntium pompa, vt quæ ex antiquo ordine Romano, tàm in celebratione Missæ, quàm in ordinatione Pontificis proponuntur. Baronius doctissimus inexploratum sibi esse fatetur à quo primum Litaniæ fuerint institutæ. Rupertus Abbas lib. 9. de diuinis officijs cap. 5. à Constantini temporibus Litaniarum vsum in Ecclesia cæpisse refert. A temporibus verò Sancti Gregorij Thaumaturgi sub Decio iam in vsu fuisse, ex Basilij quidem epistola educit eruditissimus Baronius. At nisi me fallat interpres, educi posse non video; Nam Neocesarienses reluctantes ad Psalmodiam, & Matutinas preces monere ideò conatur Basilius, quòd Litanias iam in vsu haberent, quæ sub Gregorio eorum Episcopo in vsu non essent, ita enim eos arguit. *Sed ista dicitis tempore Gregorij Magni non fuisse. Verum neque Litaniæ, quas vos iam in vsu habetis, illius tempore fuerunt.* Ex quibus potius confirmatur Ruperti opinio, vsu receptas Litanias Sancti Basilii tempore paulo post Constantinum, quam Gregorii Thaumaturgi ætate ante Constantinum. At, ne decipiamur in eiusdem vocis vsurpatione, sciendum Litaniæ nomine antiquis venisse Græcorum formulam illam *Kyrie eleison*, quæ humilem supplicationem sonat *Domine miserere*. Huius vocis significationem, & si passim apud Scriptores sacrorum ritũ obseruare licet, & ex ipso ordine Romano, attamen Vualfridum hic Strabum adducere libet, quòd ex eo Micrologus, & alii in sua transtulerint de reb. Eccl. c. 22. *Litaniæ autem, quæ sequuntur Kyrie eleison, & Christe eleison, à Græcorum vsu sumptæ creduntur, quia & Græca sunt verba, & ea ipsi Græci sæpius in suis iterant missis.* Plura vero quæ de Litaniis apud antiquos prostant hoc sensu intelligi debere palam est. Ita in Sacramentario Gregorij, dum Sabbathi Sancti ritus proponuntur, post Infantium baptisma decernitur, vt schola faciat *Litaniam quinam ad fontes*, & post confirmationem incipiat *Litaniam ternam*, hoc est quinquies primo, mox ter repetat Kyrie eleison: quod expressius de Septena, & Quina Litania docetur in ordine Romano post fontium benedictionem. Huius Litaniæ originem Hugo de Sancto Victore de officiis Ecclesiasticis lib. 2. cap. 11. refert in S. Siluestrum Papam, qui *Kyrie eleison* de Græco sumpserit; ita tamen vt Gregorius deinde Magnus statuerit, ad Missas cantari debere; sed reuera Gregorius ipse insimulatus, quòd Ecclesiam Constantinopolitanam vellet opprimere, transferendo illius ritus in Romanam lib. 7. Epistola 63. Indictionis 2. ita se purgat. *Kyrie eleison autem nos, neque diximus, sicut à Græcis dicitur, quia in Græcis simul omnes dicunt, apud nos autem à Clericis dicitur, à populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis ante Missas ista, quæ dici solent, tacemus, tantummodo Kyrie eleison, & Christe eleison dicimus, vt in his deprecationis vocibus paulò diutius occupemur.* Et quia ante D. Gregorium non modo per Orientales Prouincias, sed per Occidentales, huiusmodi Litaniarum vsus inoleuerat, & Concilium Vasense Can. 3. his verbis ostendit, *dulcis & suauis salutaris consuetudo est intromissa, vt Kyrie eleison cum grandi affectu, & compunctione dicatur*, Gregorius tantùm addidit *Christe eleison*, & in quotidianis Missis sub præcepto dici mandauit, quemadmodum Rupertus Abbas lib. 2. de diuin. off. cap. 21. expressè docet. Anceps verò fui, an ex hac Litaniæ significatione mos ille fluxerit, qui adhuc in Ecclesia perdurat, vt post Kyrie eleison repetitum, Deus Sanctique eius in auxilium vocentur, & an Litania in Martyrologio nostro, ad cuiuscunque mensis caput indicenda, quotidiana fuerit, hoc est, si post Kyrie Sanctorum illa fieret inuocatio, quorum ea die memoria recolebatur. At quia non modo ex Epistola Hieronymo ascripta, totiesque adducta, sed ex alia D.

Gre-

Gregorii genuina ad Eulogium Alexandrinum clarum est, Martyrum ascriptorum nomina in Missa quotidie recitari consueuisse, neque statim post Kyrie eleison cõmemorationem illam peragi appareat, id suadere mihi non potui, quando & ipsam Sanctorum in Missa recitationem ex Hieronymi Martyrologio Litaniarum fuisse originẽ Vualfridus Strabo indicare videatur, non tamen statim post Kyrie eleison affirmet. In Liturgia Basilij ex antiquo latino codice tom. 6. Magnæ Patrum Bibliothecæ quatuor in Missæ celebratione Litaniæ recensentur. Prima ante primam orationem, & Euangelium. Secunda post lectum Euangelium. Tertia postquam admissi sunt Cathecumeni ante lotionem manuum. Quarta post consecrationem in Commemoratione Sanctorum ante Communionem, sed hæc de more Ecclesiæ Orientalis. Hunc verò illius Ecclesiæ ritum, an in alijs Occidentis seruare contigerit, incertus sum, quia Sanctorum nominum seriem aliquando ante consecrationem recitatã fuisse inuenerim. Ità in Mozarabum, siue Gothorum Missa, quæ S. Isidoro tribuitur, vsu receptum video. Multa enim in ea Sanctorum nomina adduntur statim post oblationem in duas classes diuisa, Apostolorum, & Martyrum primò, deinde aliorum Sanctorum. Ita apud eos qui Romanos ritus sequebantur, aliquando obseruatum educitur ex Stephano Educensco, qui non sæculo vixit, in libro de Sacraméto altaris cap. 13. his verbis *Ante consecrationem fit memoria plurimorum Martyrum, qui stolas suas in Sanguine Agni dealbauerunt*. Ita & ex Rodulfo Tungrense habetur nomina Sanctorum addi consueuisse in oratione secreta Ordinis Romani, *Suscipe Sancta Trinitas, &c.* vbi post memoriam Apostoli Petri, & Pauli, adduntur hæc verba, *& Istorum atque omnium Sanctorum*. Particula enim illa *Istorum* appositum aliquem Sanctorum Indicem designare videtur, eorum nempe qui addi in eadem oblationis oratione cõsueuerint. Addit idem Rodulphus ex Micrologo. *Aliorum Sanctorum nomina annumerare non debemus, nisi quas antiquitùs descriptos in Canone reperimus, excepto secundum Micrologum in oratione post Pater noster, vbi iuxta ordinem quantalibet Sanctorum nomina internumerare possumus*, & repetit post Dominicam Orationem in ea, quæ incipit Libera nos, &c. *Hic* inquit *nominet secundum Micrologum quotquot Sanctos voluerit*. Sed hæc Martyrologium Hieronymo ascriptum, & Litanias ex eo confectas respicere non existimarem, quòd iam S. Gregorii tempore vsitatum de more Romanæ Ecclesiæ quotidie in Missa recitaretur. Hi enim Sancti Martyres ab Ecclesia pro vsu Missæ probati, & suscepti, extra canonem non erant, nec ad libitum addebantur, quemadmodum videtur sentire auctor Micrologi à Rodulpho indicatus, cuius verba cap. 13. ita se habent. *Aliorum Sãctorum nomina annumerare nõ debemus, nisi quos in Canone inuenimus antiquitus descriptos, excepto post Pater noster in illa oratione, vbi iuxta ordinem quãtalibet Sãctorum nomina connumerare possumus*. Quæ autem sub Gregorio, vel ante ipsum in vsu erant sæculo quinto, iam Micrologi tempore, qui decimo sæculo floruit, benè antiquitùs descripta, intercurrente spacio quingentorum annorum, appellari poterant. Siue ergo ante consecrationem, siuè post, huiusmodi Sanctorum series ex Codice Martyrum, siuè Hieronymi Martyrologio recitaretur, fortè Litania dicebatur, & sub hoc titulo in vetustiori nostro martyrologio signatur. Non diù tamen morem hunc perduraſſe suspicor. Nam à Beda, & Floro dilatatis martyrologijs, & diffusioribus Sanctorum actis impositis, cum longius fortè quam deceret protraheretur oratio, statutum fuit, vt ad finẽ matutinæ Synaxis Martyrologiũ recitaretur. Ita enim, vt alibi diximus, cautum legitur anno 817. in constitutionibus sub Ludouico Pio Imperatore nimirum, *vt ad capitulum primitus Martyrologium legatur*. Quòd enim tunc in Ecclesiis vsus Martyrologii esse cæperit, vt Menar-

dus

dus ad Gregorii Sacramentarium educit sub nomine fortasse martyrologii concedi posset, sed de libro Martyrum non tantùm in Ecclesia, sed in Missarum celebratione legi consueto, luculentius est Gregorij testimonium, quam tergiuersari debeat. Dubium tamen adhuc remanere videtur, an Sanctorum Martyrum huiusmodi recitatio Litaniæ dicerentur, & vt verè fatear, neminem id expresè docentem inueni. Certum est Adonis locupletatum Sanctorum historijs Martyrologium, quod Rosuueydus edidit, Sanctorum nuda nomina non exhibere, & quāquam latiùs expressa Sanctorum gesta contineat, in nominibus tamen Sanctorum palam est plura desiderari, quæ in Hieronymi Martyrologio adhuc prostant, & nihilominus in capite cuiusque mensis scriptum præfert *Litaniæ indicendæ*, hancq; formulam singulis mensibus ex m.ss. tribus codicibus præmitti in notationibus idem Rosuueydus addit, nosque in nostro satis antiquo Adonis martyrologio testamur ita inscribi *Litanias indicēdas mēsis Ianuarij*, vt sic deinceps singulorum mensium initio signetur: argumento quidpiam præter nominum simplicem numerationem intelligendum esse. An fortè initio cuiuscunque mensis Litaniæ ex illius mensis Martyribus ad diuinam opem implorandam peragebantur! vel vt vna eiusdem mensis die siue hebdomada perficerentur in capite mensis indicebantur? expressum fateor, nondum mihi inuenire contigit, nisi Litaniarum frequentem vsum fuisse antiquitùs, idque præsertim ex Gennadio de Viris illustribus in S. Honorato deduci posse existimo, dum inter Sancti viri laudes hæc additur, *quod Litanias* ad supplicandam Dei clementiam cum plebe sibi credita pro viribus agebat. Nimis autem latè menstruanas Litanias illas appellat Rosuueydus, quas Sergius Papa indixit circa annum Domini 687. Constituerit enim ille quantumlibet in diebus Annunciationis, Domini Natiuitatis, & dormitionis Sanctæ Dei Genitricis, ac S. Simeonis, quod Hypapanton, Græci dicunt, Litanias exire debere à S. Adriano, & populum ad Sanctam Mariam occurrere, in hac certè sanctione menstruanas Litanias me non agnoscere fateor. Sub Sergio quidem anno 694. in concilio Toletano 17. cap. 6. non modò anniuersarias Litanias in vsu fuisse ex antiquo Patrum instituto inuenio, sed etiam per singulorum mensium cursum, hisque verbis rem nostram maximè illustrantibus. *Quamquam priscorū Patrum institutio per totum annum per singulorum mensium cursum Litaniarum vota decreuerit persoluendum*; & infra. *Statuendum decernimus, vt deinceps per totum annum in cunctis duodecim mensibus per vniuersas Hispaniæ, & Galliarum Prouincias pro statu Ecclesiæ Dei, pro incolumitate Principis nostri, atque saluatione populi, & indulgentia totius peccati, & à cunctorum fidelium cordibus expulsione Diaboli exomologesis vobis gliscentibus celebrentur*. In quo autem differat Litania ab exomologesi explicat concilium Moguntinum Primum celebratum anno 813. cap. 23. *Quod Litaniæ Græco nomine appellantur, quæ latinè dicuntur Rogationes. Exomologeses verò per solam peccatorum confessionem aguntur. Sed nunc iam, vtrumque vocabulum, sub vna designatione habetur*. Hebdomadarium insuper Litaniæ vsum apertissimè habemus apud Anastasium in vita Honorij primi, circa annum Domini 626. his verbis. *Hic fecit constitutum in Ecclesia, & decreuit, vt per omnem hebdomadam Sabato die exeat Litaniæ à B. Apollinare, & ad B. Petrum Apostolum cum hymnis, & canticis populus omnis occurrere debeat*, quòd iterum Stephanus tertius circa annū Christi 732. statuit *Pro salute Prouinciæ, & omniū Christianorū omni Sabatorū die Litaniam omni postposito neglectu fieri*. Sanctū igitur hunc morē Litaniarum frequentium ex Romana in alias Ecclesias profluxisse videtur, atque eas indicere singulo mense, vel singula hebdomada ab illius consuetudine promanasse. Quòd ex Sanctis vero in Hieronymi Martyrologio adnotatis fieri consueue-

rit ex iisdem verbis Vualfridi Strabonis initio huius admonitionis adductis non obscurè deducitur, atque insuper quòd litania Sanctorum nominum diceretur, vocatis nimirum Sanctis in humanæ, vt ipse ait, infirmitatis auxilium. Et si enim Litaniæ anniuersariæ in Ecclesia institutæ primò fuerint ad aliquod Dei flagellum instans, vel præsens declinandum, & frequentiùs fieri poterant ad Dei misericordiam implorandam, attamen ad gratiarum quoque actiones, & gaudium Deo acceptæ gratiæ testandum vsu receptas scimus. Ita Anastasius in vita Leonis tertij non obscurè confirmat. Post quam enim Pontifex se purgauit super quatuor Euangelia, omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & cuncti Clerici *Litania facta laudes dederunt Deo*. Et S. Gregorius lib. 2. epist. Litaniam maiorem celebrari monet, vt non modo misericordiam Dei supplicantes purgari, sed de antiquioribus, & præsentibus beneficijs referre gratiam mereamur, cui consonat adductus initio Simeon Thessalonicensis.

De Confessoris titulo, & Die Natali, seu Depositionis Sanctorum.

ADMONITIO VIIII.

INTER ea, quæ ex antiquitatis censu Martyrologium nostrum remouere apud eruditos possent, aliqua fortè nomina essent, pluries in eo apposita, quæ posteriora D. Hieronymo sæcula sapere videãtur: nimirum Confessoris titulus Sanctis ijs ascriptus, qui pro fidei confessione nullum in corpore tormentum passi sunt; Deinde natalis dies, vel natale aliquibus accomodatum, qui Martyres, vel strictissimè Confessores non fuerint; Depositionis item vox, quæ aptari posterioribus sæculis consueuit his, qui extra persecutionum procellam in pace quieuerint. Offendicula hæc remouere pro viribus conabor, vt hinc etiam vetustioris nostri martyrologij pondus non minuatur. Confessoris titulus penes antiquos Patres spectabilis minus erat, quam Martyris. Vnde apud Eusebium in epistola Viennensis, & Lugdunensis Ecclesiæ ad Asiæ, & Phrygiæ fideles cap. 2. ita per interpretẽ designati Martyres loquebantur. *Illi iam verè sunt Martyres, quos Christus propter fidei confessionem ad se recipere dignatus est, & quorum Martyrium ipso præclaro vitæ exitu, tanquam sigillo certissimo, obsignauit. Nos autem tenues sàlum, & abiecti Christi nomine Confessores*. Notissimum est apud Tertullianum, & Cyprianum illos Confessores fuisse, qui Christi fidem ante Iudicem interpellati confessi essent, & qui vel carceribus, vel exilio, vel iactura bonorum, vel alia qualibet pœna pro Christi confessione multati, vitam protrahentes communi deinceps morte quieuerint, vt neque cathecumeni Confessoris titulo priuarentur, neque quod magis est, hi qui ab ecclesiastica disciplina deflecterent. Hinc apud D. Cyprianum epist. 6. Confessores praui dicuntur, qui nomen adhuc retinentes a Christianis moribus deuiabant, quos alibi Confessores extra Ecclesiam dixit epist. 47. & Confessores bonos è contra vocauit ep. 4. quos illustrauit gloriosis initijs diuina dignatio. Ita donec persecutionis procella in Catholicos detonuit, & per aliquot deinde annos Confessores strictioris vocabulo dicti sunt, qui ob Christi nomen damnum aliquod pertulerunt. Cum verò in Ecclesia Christiani non amplius à gentilibus vexati vitam quietam ducebant, qui pietate supra alios excellebant

lebant

lebant Confessores paulatim appellari cæperunt, & sensim in Ecclesia vniuersamos obtinuit, vt qui sanctitate pollerent extra Martyris palmam in sacris dypticis sub Confessoris titulo signarentur, quasi per bona opera contra vitia pugnantes Christum Dominum verum Legislatorem confiterentur. Sed hæc confessionis significatio non ita recens est in Ecclesia, neque septimo, vel octauo sæculo, vt nonnulli putant, emersit. Caius Pontifex in Actis Sanctorum Martyrum Sebastiani, & Sociorum circa annum Domini 286. aggregatis omnibus fidelibus vniuersam Sanctorum Ecclesiam ita in Martyres, & Confessores diuisit. *Dominus noster Iesus Christus præscius fragilitatis humanæ duos credentium in se gradus constituit confessionis scilicet, & Martyrij, vt qui Martyrij pondus se non posse ferre viderentur, confessionis gratiam teneant.* Sanctus quoque Ambrosius de Pœnit. lib. 1. cap. 3. non obscurè significat, ex quocumque vitæ genere Deum confitentes confessionis titulo decorandos. *Diximus quid scriptum sit, colligamus sententiam: omnis, inquit, qui me confessus fuerit, ideſt ex quacumque vita, ex quocumque statu qui confessus me fuerit, habebit remuneratorem me confessionis suæ.* Diuus quoque Augustinus passim docet, in scripturis duplicem esse confessionis significatum, hoc ést gementis, & laudantis, vnde qui factis, & vitæ exemplo laudat Deum is Confessor dici possit. Extat inter Sermones de Sanctis apud eundem Augustinum postremus de vno Confessore, in quo palam est Confessoris titulum vsurpari in eo sensu, quo apud Ecclesiam recentioribus sæculis accipitur, ideſt pro Sancto qui martyrium, vel pœnam aliquam per Christo non sit passus; Sed aliam Confessoris significationē nonnulli eliciunt ex libro Sacramentorū Sancti Gregorij, dū in Missa 4. feriæ Sacræ hebdomadæ ita Ecclesiastici ordines recēsentur. *Oremus, & pro omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Acolythis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiarijs, Confessoribus, Virginibus, Viduis, & pro omni populo Sancto Dei.* Menardus in obseruationibus ad hunc locum existimat, Psalmistas, & Cantores significari sub Confessorum nomine, quòd hi in Concilio Cartaginensi can. 11. in inferiori Clericorum gradu, sicut & illi ponantur, eo quòd confiteri Domino in Sacra scriptura passim idem sit, ac Dei laudes decantare, & hoc sensu in Concilio Toletano 1. can. 9. videtur prohiberi *ne professa, vel vidua absente Episcopo, vel Presbytero in domo sua antiphonas cum Confessore faciat*, & can. 6. eiusdem Concilij, ne puella Dei *familiaritatem habeat cum Confessore*. Cæterum in eo sensu, quo nunc Ecclesia vtitur, ad illos significandos, qui pietate insignes in Christo quieuerunt, video Cassiodorum, qui eo sæculo, quo Hieronymi martyrologium in vsu esse cæpit, Confessoris nomen à Martyribus distinctum eadem, qua nunc vtimur significatione, accepisse, dum primo *Confessiones fidelium* a passionibus Martyrum in eodem Hieronymi martyrologio, siue epistola seiungit, mox verò quos Martyres intellexerit, quosue Confessores ita declarat. *Scientes quia non solum in agone sanguinis, aut in virginitate carnis posita sunt corona, sed & omnes, qui iuuante Deo vitia sui corporis vincunt, rectèque credunt, palmam sanctæ remunerationis accipiunt.* Sed manifestissimè Gregorius Turonensis, qui librum de gloria Martyrum ob id seiunctim ab eo composuit, quem de gloria Confessorum inscripsit. In hoc palam est, plura miracula Sanctorum referri, qui Confessoris nomine, iam silentibus persecutionum procellis, in Domino quieuerunt. Ita in Sancti Gregorij sacramentario sub die v. Kal. Septembris legitur. *Intercedente B. Augustino Confessore tuo, atque Pontifice, &c. Sancti Confessoris tui Augustini nobis Domine pia non desit oratio, &c. qui B. Augustinum Confessorem tuum, &c. & B. Confessor tuus Augustinus*, & nonis Octobris de S. Marco Papa, quem pro fi. de passum aliquid non narratur, ita legitur. *Interueniente B. Marco Confessore tuo*

atque Pontifice. Neque hæc recentius addita Sacramentario vereri possunt, quandoquidem ipsius Gregorij tempore officium de martyribus distinctum esset ab officio Confessorum, teste Micrologo cap. 44. Si ergo in vetustiori, quod damus martyrologio, aliquando titulus Confessoris occurrat, & Sancto alicui tribuatur, cui fidem, exilio, carceribus, aut tormentis coram Iudice confiteri non contigerit, seuerus non statim censor post sextum, aut septimum sæculum indicta causa reijciat. Neque ita stricte obseruari etiam potest consignatum celebritatis diem sub natalis voce, quasi Martyribus tantùm antiquitùs tribueretur. Quamuis enim Tertulliani tempore dies passionum Martyrum Natalitia appellari consueuerint, & id ex prisca maiorum traditione vsitatum confirmet Albinus Flaccus; idem tamen Albinus libro de diuinis off. in cap. Parasceuis antiquum fuisse morem testatur, Sanctorum quorumcunque in Domino morientium natalitia celebrandi, atque dies obitus natales nuncupandi: quod ex Origene hausit libro 3. in Iob. Palam verò est idem natalis nomen alijs celebritatibus fuisse tributum. Ita Natalis dies Romani Pontificis dicebatur, in quo Cathedram ascenderat, & ex Epistola Hilarij, ac Sixti Pontificum plures scriptores deducunt. Exempla sunt, præter Romanam, aliarum etiam Ecclesiarum, vt apud S. Ambrosium natale Felicis Comensis Episcopi lib. 8. ep. 60. & apud D. Augustinum serm. 32. de verbis Domini natale Aurelij Episcopi Carthaginensis, qui pariter suæ ipsius Cathedræ sub natalis nomine meminit Homil. 24. & 25. ac festiuitatem Cathedræ S. Petri natalem dixit Serm. 15. de Sanctis. Natales Idolorum prophanos Tertullianus agnouit à Cicerone, alijsque vetustioribus edoctus, qui alicuius numinis natalem vocabant templi dedicationem, vt lib. 4. ep. ad Atticum natalis Salutis dicitur dies, quo saluti fuerat dedicatum templum, qua significatione in Sacramentario Gregorij 3. Idus Maij dedicatio Sanctæ Mariæ ad Martyres dicitur natale, sicuti eodē modo appellatur cōmemoratio Sācti Ioannis ante portā Latinam. Sāctus quoque Eligius Nouiomensis Episcopus, qui initio 6. sæculi floruit, Hom. de Cœna Domini inquit. *Vocatur hæc dies Cœna Domini, vocatur & natalis calicis*. Sed antiquū fuisse Ecclesiæ morem diem obitus, tàm Martyrum, quàm Confessorum natalitium appellare apertissimè testatur Nicolaus Papa in Epistola ad consulta Bulgarorum cap. 5. his verbis. *Consuetudinem tenet Ecclesia, vt solemnes Beatorum Martyrum, vel Confessorum Christi dies, quibus ex hoc mundo ad regionem migrauerunt viuorum, nuncupentur natales: sed & eorum solemnia, non funebria tamquā morientium, sed vt pote in vera vita nascentium natalitia vocitentur*. Nec dissimilem vsum apud veteres Ecclesiasticos scriptores obseruare licet in voce *Depositio*, quæ quamuis frequentius Confessoribus tribuatur, & ijs qui in pace dormierunt, non tamen incongruè etiam Martyribus, eorumque sepulturæ accommodari testis locupletissimus est D. Ambrosius, qui Eusebij Martyris, & Episcopi Vercellensis natalem diem, depositionem non modo in titulo sermonis appellat, sed ita ex eadem voce exorditur. *Depositionem S. Eusebij hodie celebramus, &c.* & infrà *Vnde, & depositionis ipsa dies natalis dicitur, quòd delictorum carcere liberati libertati nascimur Saluatoris. Sed videamus S. Eusebius cum qua gloria ad hanc diem depositionis aduenerit*, Palam autem est in subterraneis Romanæ Vrbis vetustis Cœmeterijs, & in sepulcralibus inscriptionibus, siue Martyrum, siue aliorum fidelium nihil frequentius inueniri quàm vsu receptissima forma *Depositus in pace*. Quod passim videre est apud Aringhium in Roma subterranea, præcipue vero lib. 2. cap. 22. n. 2. Ex quibus constare arbitror, quam durus exactor Sauussaytis propter harum vocum vsum minùs, vt ipse existimabat, appositè vsurpatum in Rosueydi Martyrologio antiquitatem reijciat, quæ ideo libuit adnotare, ne quis ijsdem indu-

ctus

ctus rationibus in noſtro pariter vetuſtatem conuelleret: quam quam Confeſſoribus tantùm depoſitionis vocem accomodare animaduerterim. Quia tamen beneuolo lectori ratio videtur reddenda, cur frequentiùs apud antiquos, Martyrum, quam Confeſſorum celebritates occurrant, & Martyrum numerus millies Confeſſores excedat, ab Hugone de S. Victore in libello de Canone myſtici libaminis, ita rationem mutuari licebit. *Sancti Patres, magna, ſubtilique conſideratione inſtituerunt, vt in Canone Miſſæ nullus Confeſſorum, vel Virginum niſi qui martyrio sãguinis purgatus eſt, nominetur, quoniam de Martyribus nulla dubietas eſt, quin ſtatim de corporibus egredientes, eorum anima regnum Cælorum conſcenderint. De cæteris autem qui in pace Eccleſiæ tranſierunt incertum eſt vtrum adhuc in alia vita aliquid expiandum habeant, ſicuti de Paſchaſio Diacono refert B. Gregorius, quòd etiam poſt mortem miracula fecerit, & tamen à S. Germano pœnitentiam agens repertus ſit pro leuiſſima culpa, quam nec culpam eſſe credidit, & ideo fletibus non extinxit.* Aliam tamen rationem ita reddit Auctor micrologi de Eccleſiaſticis obſ. cap. 48. *Quod hic ſoli Martyres nominantur hoc ideo factum, quia nondum apud antiquos memoria Confeſſorum adeo celebris erat.* Qua propter dicendum videtur Confeſſores, qui Doctoribus, Epiſcopis, alijſque Sanctis præponuntur in Lithurgijs Sanctorum Iacobi, Marci, & Baſilij pro Martyribus potius in agone non conſummatis, quam recentiori more pro Confeſſoribus accipiendos eſſe, quemadmodum D. Cyprianus Aurelium Lectorem pluribus confeſſionibus illuſtrem Martyrem dixit ep. 33. Niſi potiùs libeat ſuſpicari Lithurgias illas, ſupereſtire adhuc veteri titulo, in recentiorem vſum aliquando fuiſſe accomodatas.

De dubijs Sanctorum nominibus fraude, vel incuria ſuperadditis, pro veritate explorandis.

ADMONITIO X.

PRÆTER ea, quæ in notationibus ad Apoſtolorum indiculum de priſcorum Hæreticorum fraude in Apoſtolica hiſtoria deturpanda ſparſim animaduertimus, addendũ hic eſt, poſterioribus etiã ſæculis fuiſſe, qui Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum Acta mendacijs aſperſerint, & veteribus noua inſuendo, ita ſuper inductis laruis amabilem veritatis vultum immutauerint, vt à pijs, doctiſque lectoribus vix agnoſci potuerint. Dæmones hos appellauit Arnobius Afer, quòd ille ab initio ſemper fallax, odio quo in veritatem ardet, perditos ſuique ſimiles homines aduerſus Deum, qui veritas eſt, Satanico æſtro incitauerit. Vixit Arnobius ſub Diocletiano, & iam ſui temporis in ſacra hiſtoria fraudes, ita l. 1. aduerſus gentes lamentatur. *Si qua ſunt literis, conſcriptionibuſque mandata maleuolentia Dæmonum, quorum cum & ſtudium eſt, hanc intercipere veritatem, & conſimilium his hominum interpolata quadam, & addita, partim mutata, atque detracta verbis, ſyllabis, literis, vt credentium tardarent fidem, & geſtorum corrumperent auctoritatem.* Hæreticorum igitur fraude, & Dæmonis æſtu factum primò eſt, vt falſa veris admiſcendo dubiam redderent veritatem, deinde aperto bello in veritatem inſurgendo, omnino falſa pro veris piorum oculis obtruſerint, & falſos, ſuique ſimiles Sancti nomine perduelles in ſacris dypticis, ſynaxarijs, aut Calendarijs intruſerint. Et quamquam oculata mater Romana Eccleſia in id ſemper incu-

incubuerit, vt veram Martyrum segetem à superinductis zizanijs seiungeret, in tanta tamen sæculorum intercapedine, vix Catholicorum, linceorumque oculi ab huiusmodi laruis temperarunt. In Apostolicam, & Martyrum messem Epiphanij tempore, iam Manichæi, alijque sectarij insæuierant. Donatistæ, vt Cæciliano Carthaginensi Episcopo inuidiam conflarent, Donati Martyris ita fabulam adornarunt, vt nostro sæculo etiam Erudito Rosuueydo imposuerint, quemadmodũ Bollandus animaduertit, apud quem impostturarum huiusmodi progressus diffusiùs recensetur, nimirùm ex Sanctorum actis, alia fuisse ab hæreticis dolo malo adulterata, alia non à valde doctis contracta, & interpolata, alia conficta prorsus à tenebrionibus, perditisque hominibus, alia etiam à Catholicis, vel morum conformandorum prætextu, vel exercendi styli gratia. At sicuti de fabulosis narrationibus magno morum, & pietatis detrimento accidit in Italia præsertim nostra, vt sub heroum, & equitum nominibus impuri amores, artesque indignæ dulci blandiloquentiæ lenocinio in adolescentium animos instillentur, ita ad inflatos magnatum aliquorum tumores amplificandos, & quod deterius esset, lucri captandi causa, vtinam non defuerint, qui Sanctos aliquos viros in familias nobilium fabulis additis adoptauerint, vel ignota omnibus sæculis acta, atque ex proprij cerebri penetralibus deprompta vulgauerint, quibus hominum minùs alioquin dignorum commentitias virtutes adornauerint. Alij præterea sunt qui ad alicuius regionis, vel patriæ Vrbis dignitatem augendam, & vetustatem extollendam ignotos, & nusquam in Ecclesia constitutos Sanctos ambitioni seruire cogant, & ad ornandas Ecclesiarum origines, primos omnes Episcopos in Apostolorum æuum refundant, vt non paruam posterioribus sæculis nubem veritati offusam iri non dubitem. At quia instituti nostri non est acta Sanctorum colligere, quod abundè & candidè præstant Bollandus, & Henschenius in Belgio, sed de sinceritate Sanctorum, qui in vetustiori hoc Martyrologio continentur inquirendo animaduertere, an in additionibus aliquod minus candidè appositum supra vetustatem fuerit, quod suspectam veritatem reddere quoquo modo posset ab huiusmodi querimoniis desistimus. Non hic memoratur Xinorides, non Sulpicius Seuerus a Romano Martyrologio iam expuncti, non Theodotus Episcopus Laodicenus, non Paphnutius Ægyptius, quos aliqui ab eodem expũgendos opinantur, & nos in sequenti admonitione indicamus; Non Faustus Rhegiensis in Martyrologio Galesini, & Maurolycii appositus, non Ammonius Origenista in aliquibus martyrologiis à recentioribus additus, vt adnotauit Bollandus ad diem 16. Ianuarii. Non Lucifer Calaritanus; non Barsanuphius, non alius, quem viderim, in nostro legitur, qui sit ab aliquo tanquam dubiæ sanctitatis notatus. Cum verò præter paucos Galliæ Sanctos vix aliquem additum inuenerim, qui multum à D. Gregorij temporibus exorbitet; neque additiones huiusmodi ea præsertim sæcula respiciant, quæ magis fraudi locum dare potuerint, suspicionem mihi nullam fabulosi nominis huc vsque intulerunt. Propria sæculorum delicta nil magis ostendit, quam ad eadem coercenda, vel restitutæ, vel promulgatæ piorum Principum leges. Romanum Concilium sub Gelasio anno 494. iam præter Apostolorum historiam ab hæreticis maculatam, aliqua etiam Acta Martyrum, quæ in Ecclesijs extra Vrbem indiscriminatim legerentur, & suspicionem fraudis excitauerant, notauit, & sicuti in eodem Concilio, Gelasius sanciit, neminem ex Catholicis in Sanctorum Martyrum gestis dubitare debere multiplices tormẽtorum cruciatus, & maiori etiam gratia Dei toleratos ab ijsdem esse, ita de ijsdem Actis addidit. *Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui conscripsere nomina penitùs ignorantur*

rantur, & ab Infidelibus, & idiotis superflua, aut minus apta quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicuti cuiusdam Quirici, & Iulitæ, sicut Georgij, aliorumque huiusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ propter quod, vt dictum est, ne vel leuis subsannandi oriretur occasio in S. Romana Ecclesia non leguntur. Igitur quia vel ab Hæreticis inquinata, vel à minus doctis, aliqua Sanctorum Acta minùs congrue composita erant, Ecclesia Romana non habens maculam, neque rugam omnia tanquam inculpata admittere noluit, & aliqua prorsus reiecit, ac inter apocripha relegauit, quemadmodum Actus nomine Andreæ, Petri, Thomæ, Philippi, Theclæ, & Pauli, & alia quæ Sanctorum gesta respiciebant, in eodem decreto adnotata; non tamen exinde Sanctorum Martyrum venerationem voluit imminui, quinimò cum iam nomina Martyrum in Ecclesia recitarentur, vt ex Cassiodoro vidimus, non longè ab ætate Gelasij, iam opus Hieronymi de Martyribus, siuè epistolã, siuè martyrologium dixeris, inter piorum manus versaretur, nõ modo in eo decreto liber ille nõ reijcitur, sed sub vniuersali approbatione inter custodienda, & recipienda *Opuscula Beati Hieronymi Presbyteri* numerari par est credere, nec malè inter illa eiusdem decreti verba contineri quis existimaret. Equidem sine aliquo Martyrum Nomenclatore impossibile prorsus erat, vt pluries diximus, tot Sanctos in Ecclesia Romana venerari potuisse, & sicuti facile quotidianus numerus vrbanorum memoria excidisset, ita faciliùs de exteris accidisset, quos tamen vniuersalis Mater Ecclesia amplectebatur vt filios. Acta igitur aliqua Martyrum, quòd non ita prudenter, aut candidè scripta essent, tamquam dubiæ fidei in Romanæ Vrbis Ecclesijs legi vetabantur, non verò codex Sanctorum nominum, siue Hieronymi deinceps dictum Martyrologium, in quo locus, & dies passionis, & plurimorum per orbem Martyrum nomina adnotabantur, hoc etenim deinceps sub Gregorio tamquam exploratæ fidei, Romana eadem non modo suscipiebat Ecclesia, sed in Sacrosancto Missæ Sacrificio sæpissimè repetebat. Igitur quemadmodum in Martyrum codice Romano mendum, aut labem inductam, ad illa vsque tempora neutiquam apparet, ita in alijs Martyrologijs, seu sacris dypticis fraudem aliquam irrepsisse non obscurè videtur colligi ex Caroli Magni capitularibus lib. 1. cap. 42. seu potiùs Episcoporum Concilijs sub pijssimo Principe collectis, vt creditur anno 789. caput quippe illud inscribitur, *De falsis nominibus Sanctorum*, & sancitur, *vt falsa nomina Martyrum, & incerta Sanctorum memoria non venerentur*. Ita in Concilio Francofurdiensi cap. 42. anni 794. eodem Carolo præsente statutum est, vt nulli noui Sancti colerentur. Argumentum hinc videtur deduci, eo tempore scriptores aliquos, vel inanis gloriæ studio, vel ad Principis pijssimi promerendam gratiam, vel quod deterius esset, lucri causa in Sanctorum dypticis, noua etiam nomina intulisse. Ex cætu eorum, qui glorioiæ inanis pruritu, vel lucri instinctu nouam Sanctorum historiam confinxerint, nouosque Sanctos superinduxerint, suspicantur viri docti aliquos fuisse, qui Apostolorum nonnullorum Galliæ vitas scripserunt, & de falsarijs huiusmodi testimonia profert vir doctus Ioannes de Launoy in discussione de duobus Dionysijs cap. 5. n. 9. & 10. Ita circa annum Domini 848. Hugonem Abbatem S. Martialis ex Confessorum classe, primum inter Apostolos repositum contra Episcopi Lemouiensis sententiam ex Iordani epistola ostendit, & Gausbertum Monachum *lucri causa* de Sãcto Frõto scripturam nouam edidisse. Hos verò, & consimiles grauiter in Cõcilio Lemouicẽsi accusatos refert ex Damiano Solemniacensi Abbato, & Letaldo pietate, ac eruditione illustribus; Quæ tamen plurimùm videntur distare à fragmentis illis Concilij Lemouicẽsis, quæ apud Baronium, & septimo Tomo Conciliorum generalium producuntur. Aliqua igitur

San-

Sanctorum gesta, in malæ fidei suspicionem venerunt a Caroli Magni, Ludouici Pij, & deinceps ætate; ac inde falsa aliqua nomina in Martyrologijs irrepsisse suspicari licet, Helduini fortasse exemplo, qui apud nonnullos etiam Galliæ scriptores malè audit, & fraudis insimulatur; Græcum quippe ab eo visum Martyrologiū vetustate consumptum, sunt qui rideant, cum de eo altum apud alios silentium sit. Neque hic ad trutinam reuocare est animus, Beatos illos viros, qui etiam ex Apostolorū æuo, vel nostro, vel superiori sæculo in lucē euocati apud Hispanos plausū obtinuerunt: quòd docti censores, non modo illos tanquam dubiæ sanctitatis respuant, sed veluti supposititios reijciant, siue ex Chronica Dextri, Maximi, alijsq; consimilis farinæ quisquilijs emerserint, siue ex Granatensibus laminis, nullius adhuc in Romana Ecclesia ponderis, imo tanquam suspectæ fidei vetitis, prodierint. Neque de Sanctis Sardiniæ Martyribus nostra ætate repertis, minusque Romæ probatis agere operæ prætium est, cum nullus eorum in nostro martyrologio reperiatur ascriptus. His tamen omnibus moniti fatemur, Apocriphorum timore quæcunque inuenimus à sexto sæculo additiones, non modo alieno charactere in Martyrologio nostro adnotauisse, sed si quæ suspicionem excitauerint in notationibus candidè indicare pollicemur, dum tamen nihil tale nactum hucusque à nobis esse, affirmare non dubitamus.

Anniuersaria in Martyrologijs signata temporum momenta non semper cum originario celebritatis die conuenire.

ADMONITIO XI.

SVNT docti Viri, qui in argumentum aliquando Historicæ veritatis, dies in Romano Martyrologio adnotatos ita adducant, vt eodē illo die accidisse, festū quod Ecclesia celebrat, tanquā certissimum accipiant, & tamen minùs id Ecclesiam curasse, testis est S. Petrus Damianus in opusculo, cui titulū fecit Dominus vobiscum cap. 15. vt pote quæ non magni pendat *articulos temporum, sed ad deuotionem potiùs, & vnitatem respiciat animorum*. Exempla de præcipuis solemnitatibus adducit, & sicut in Paschali gaudio Ecclesiam dicere consueuisse fatetur, *Deus qui hodiernæ die, &c.* quamquam liquidò cuncti sciāt computatis temporibus Hebreorum Pascha præcedere; ita in Ascensione Domini, & S. Pentecoste, eadem vti voce *Hodie* admonet, licet festiuitates illæ, iuxta rationem Paschalis temporis disponantur. Neque id tantùm Ecclesiam seruare adnotauit in celebritatibus illis, quæ vulgò Festa Mobilia vocantur, sed in pluribus etiam Sanctorum commemorationibus eundem morem retinuisse docet, B. Ioannis Baptistæ exemplo, cuius truncatæ ceruicis natalem diem, quamuis Augusto mense commemoret, tempore tamen Dominicæ passionis, seu Azimorum, ab Herode trucidatum fuisse non dubitat. Eadem quoque ratione de S. Iacobi nece, ac D. Petri Vinculis memoriā in Ecclesia agi Sanctus Doctor obseruat diuerso prorsus tempore, quo hæc inciderint; Herodes namque Iacobum fratrem Ioannis gladio occidit, & apprehendere Petrum appposuit, cum erant dies Azimorum, & Petrum à quatuor quaternionibus militum custoditum, vt acta Apostolorum habent, post Pascha producere

ducere populo cogitauerat. Quoniã verò alio anni tẽpore, hæc per executiones operum facta,& alio postea tempore eorum colendis solemnitatibus instituta esse dignoscit, rectè quoque existimat ob id, quod in solemnitate Paschali Sancti illi venerari dignè non poterant, ad eorum cultum aliud tempus esse Ecclesiastica dispositione prouisum; ac ita omnia pro re nostra concludit. *Sancta Ecclesia non tam constringitur lege temporum, quam vices ad suum cohibet nutum.* Hæc autem præmisimus, ne cum in Vetustiori nostro Martyrologio aliqua occurrerẽt à Romano „& Baronij vsitato diuersa, hinc aliqui reijciendum esse omnino existimarent, cum præter ea,quæ S. Petrus Damiani adnotauit, alia etiam sint,quæ non semper Ecclesiam eodem modo obseruasse demostrent, quin potius pro diuersitate locorum,temporisque opportunitate, alia iuxta alicuius gentis vsum, vel semper, vel aliquo tempore tolerauerit, alia ecclesiasticis legibus declarauerit. Exemplo in primis sit Sãctum Pascha,quod ad plures annos plurimi luna decimaquarta peregerunt, *Non enim Ecclesia*, inquit Ioannes Nicenus de festo die natali,*omnes tunc poterat coercere, vsque ad tempus pacifici illius Constantini, qui celebrata Nicena Synodo os omne hæreticorum obstruxit.* Nec rè vera ante vnitatem Nicenæ fidei etiam inter Sãctissimos Viros de Paschatis die celebrando vnus sensus fuit, vt inde etiam Quartadecimana hæresis ortum duxerit. At dum Sancti illius Concilij Patres, vt idem Ioannes Nicenus testis est *Varias festiuitates singulas diebus propriis ordinari sanxerunt*, Paschalem etiam Canonem statuisse apud omnes in confesso est. Cæterum non tantùm Paschatis diem,qui lunationibus, & æquinoctio dirigebatur variè obseruatum legimus, sed ipsum etiam Domini Natalem. Apostolica erat apud Romanos traditio Natalem Domini in diem 25. Decembris incidisse, sed & Iacobi apud Orientales constitutio erat, quibus pariter nitebantur Armeni, vt 6. Ianuarij Theophania, tam nati, quam baptizati Domini celebraretur. Neque tamen pugnare Iacobi Episcopi constitutionem, cum Apostolica Petri in Romana Ecclesia traditione putauerat idem Ioannes Nicenus Archiepiscopus, quòd *à principio alias regulas posuerunt Apostoli iis qui crediderant ex gentibus dicentes,vt abstinerent à suffocato,fornicatione, & sanguine. Nunc autem variæ Ecclesiasticæ regulæ, ac canones, qua spectant ad dogmata, ac doctrinam complectuntur. Non enim eandem Altissimus omni tempore legem sanxit, sed cuique tempori congruam.* Quomodo vero, & quando Ecclesia vniuersa Natalem Domini vigesima quinta Decembris die secundum morẽ Romanæ susceperit, quia in exercitatione de Christiana Epocha diffusiùs à nobis ostenditur,vetustam eiusdem diei celebrandi disparitatem indicasse sufficiat. Præterea negari nequit, alias ex festiuitatibus, quæ in Ecclesia recoluntur, diuersa omnino die ab ea, in qua prototypum inciderit celebrari. Exemplo rursus sint Dominici omnes dies, in quibus non tam Domini Resurrectio memoratur, quam omne id, quod in Sabbatho Iudæorum præsignatum odio Iudaicæ perfidiæ Ecclesia deinde in Dominicum diem transtulit,& quod cumulat D.Augustinus serm. 251. de Tempore, vbi post multa de eiusdem diei insignibus addit. *Atque ideò S. Doctores Ecclesiæ decreuerunt omnem gloriã Iudaici Sabbathismi in illam transferre, vt ip ipsi in figura,nos celebraremus in veritate.* Quod idẽ est, ac docere Sanctos Apostolos in aliã diẽ veteris legis mysteria trãstuliisse, quæ olim in Iudæorũ Sabbatho non minùs inciderant, quam recolerentur; sed, & alias tam recentiores, quam vetustiores celebritates palam est in Ecclesia non ijsdem diebus peragi,in quibus, quod veneratur acciderit. Visitationis Deiparæ memoriam, quæ mense Iulio recolitur, Mense Martio, vel Aprile accidisse ex Euangelica narratione colligitur. Insuper si ea vera sunt, quæ prostant in Epistola Euodij apud

Nicephorum lib. 1. cap. 3. certum etiam est, vel Stephanum Prothomartyrum eò die, quo eiusdem Martyrium celebratur nequaquam lapidatum fuisse, vel D. Paulum non eodem die vocatum esse, quo Ecclesia eius Conuersionem recolit, cum inter illius Martyrium, & Pauli vocationem sex menses interfuisse diserte referat Euodius Apostolorum coæuus. Annunciationis Festum, seu, vt vocant Patres Cõcilij Toletani decimi festiuitas Dominicæ Matris, olim plerisque in Ecclesijs 15. Kal. Ianuarij celebrabatur, vt ex eodẽ Concilio Toletano manifestè apparet, quia in Quadragesimæ tempus luctui deditum incidens non poterat *celebrari condignè, quod interdum Quadragesima, vel Paschale festum videatur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, conuenit celebrari*: quæ ideo verbotenus adduxi, vt inde plures solemnitates tempore Quadragesimæ, vel Paschæ recurrentes in alios dies fuisse antiquitùs translatos appareat, quando Concilium Toletanum sexto sæculo iam id ab antiquis obseruatum confirmet, & xv. Kal. Ianuarij festum Annunciationis celebrari debere, ita ex aliarum Ecclesiarum more constituat; *In multis itaque Ecclesijs à nobis, & spatio remotis, & terris hic mos agnoscitur retineri; Proinde, vt de cætero quicquid est dubium sit remotum, solemnitas Dominicæ Matris die 15. kal. Ianuarij omnimode celebretur*. Alium item Deiparæ Virginis festum diuerso die olim recoli consueuisse ad 15. Kal. Februarij ostendimus, Obdormitionem nempe, quam sub Assumptionis nomine non ante Iustiniani tempora 18. Kal. Septembris solemnem haberi cæpisse existimamus. Neq; re vera in vnum, certumq; diẽ pro Natalibus Martyrum celebrandis ita semper consensit Ecclesia, vt pro varietate regionũ non varios etiã celebritatis dies esse permiserit. Ita apertissimè his verbis docuit Amalarius de Eccliast. Officijs lib. 4. cap. 37. auctorem proferens Hieronymum, *Pro varietate regionum diuersa in honore Martyrum tempora constituta*, quæ quidem apud S. Doctorem prostant in comm. epistolæ ad Galatas lib. 2. cap. 4. Quis verò in tanta fidelium pressura, quantam tempore persecutionum pati necesse erat, minus exquisitam in diebus Martyrum notationem non toleraverit? Officiosæ Cypriani Carthaginensis sedulitati multorum Martyrum in Africa Natales debemus, quibus præcipuè nostrum scatet Martyrologium: plurimorum tamen non solum dies agonis, sed & nomina deficere, & aliqua nõ accuratè signata suspicari iure merito, licet; quandoquidem Romanorum Imperatorum Natales, quibus omnium calami, & publica monumenta defudabant, incertos fuisse, ac multiplices; doctiores Critici apud Suetonium animaduertunt. Translata pariter hinc inde Sanctorum Lypsana, quia celebriores alicubi ferias translationis reddebant, quam facilè verum agonis diem, altero remanente, poterant obliterare? Hinc præcipuè in recolendis Sanctorum Apostolorum natalibus multiplices illæ celebritates emerserunt, quas in notationibus ad Indiculum nostro martyrologio præfixum numerauimus. Passim hæc in Romano emendato Martyrologio occurrunt, & facile ex ipsius doctissimi Baronij obseruationibus, quis eliciet. Vnum nos, aut alterum exemplum pro re nostra indicabimus. Serapia virgo in ipso Romano Martyrologio 3. nonas Septembris memoratur, quæ tamen agonem 4. cal. Augusti consummauit. Nemesius Diaconus, ac Lucilla virgo eius filia, 8. Kal. Septembris martyrij palmam acceperunt, & eorum Romæ natalis pridie Kal. Nouembris celebretur. Hadrianus martyr Nicomediæ 4. nonas Martij passus est, & 6. Idus Septẽbris recolitur. Brigitta vidua Romæ decimo Kal. Augusti quieuit, & octauo Idus Octob. in Romano Martyrologio recensetur. Hæc vero frequentiùs in illo, quam in vetustiori nostro obseruare liceret, nisi qui in illius emendationem incubuerunt

buerunt repetitas solemnitates prudenter abscidissent. Negari verò nequit, quin aliqua etiam cõfusa reliquerint. Galesinus, qui sub Gregorio Decimotertio ante Baronium restaurare tentauit martyrologiũ, in aliquibus à recentioribus arguitur. Notissimus vero in Romano Martyrologio error fuit ad diẽ 24. Ianuarij Antiochiæ noua Martyr Xynorides, quæ tam in edito anno 1580., quã in primo etiam à Baronio emendato, ac notis illustrato irrepsit, & non nisi grauissimorum est virorũ monitis expũcta, quòd nimis supinè pro proprio Martyris nomine inductum appellatiuum fuerit. Dolent pariter aliqui inter Galliæ scriptores, quòd ex duplici in antiquis martyrologijs memoria Dionysij, nempe Parisini 7. Idus Octobris, & Athenienſis 5. Nonas Octobris Galesinus vnum conflauerit Parisinum simul, & Athenienſem, minùs sincera Hilduini Areopagitica secutus; & nuper Henricus Valesius in dissertatione de Martyrologio Romano animaduertit ad diem 2. Nouembris Theodosium Laodicenum Episcopum memorari, qui post Nicenum concilium Arrianorum sectator in Eustathium catholicum Episcopum Antiochenum conspirauerit, vt testis est Theodoretus lib. 2. Hist. cap. 14. quamuis id ex Beda, Vsuardo, & Adone videatur desumptum. Nec Combefisius in notis ad Anonymum de Actis Nicæni Concilij Baronio acquiescit, quod ad diem 11. Septembris Paphnutium Ægyptium addiderit, Meletianum illum quidem non spernendis rationibus astruens, cuius Epiphanius, & Athanasius meminerint. Probarunt quidem Pontifices sapientissimi Romanum Martyrologium, & de eorum, qui emendationi præerant prudentia, & eruditione confisi, quam emendatum prodire satagerunt, sed adhuc næuos aliquos irrepsisse, sunt, qui conquerantur. Ferrarius ad calcem nouæ Topographiæ Romani Martyrologij aliqua emendanda in subiuncto Indice proponit, præsertim quantum attinet ad historiam, quæ sanè addit Saussaius in apparatu ad Gallicanum Martyrologium cap. 18. *dignissima notatu sunt, & propera vindicatione*. Nouovetera quotidie ex cimelijs proferuntur, quæ ante actis sæculis lucem non minimam afferre possint. Equidem si Baronius oculatissimus Martyrologium Adoni præfixum, & à se toties expetitum vidisset, ditasset vtique Romanas tabulas martyribus plurimis, & obscuris adhuc, atq; incertis lucem doctissimus intulisset. Sed dies erit, cum in lucem prolatis, quæ de Martyrologijs Bolandus eiusque socij meditantur sapientissimus alius Pontifex iterum Romanum Martyrologium emendari, & locupletari mandabit, cui si aliquid conferre martyrologium nostrũ contigerit, de maximo in me Dei beneficio, in id ipsum me lætaturum confido. Non equidem Gregorius Decimus tertius, multa laude alioquin dignus postremam Ecclesiasticis tabulis emendationem decreuit: sed quantum potuit emendatas prodire curauit, nec omnem exhaurire potuit, quam habet Romana Sedes in examinandis Ecclesiasticis libris auctoritatem. Ita accerrimi iudicij Pontifex Vrbanus Octauus nostro sæculo demostrauit, qui Sulpitium Seuerum, tam ex ipso Romano Martyrologio, quam ex Breuiarij lectionibus S. Brunonis prodigiosam conuersionem expunsit. Cæterum, &si aliqua videantur animaduersione digna, non cuiusque iuris est censorem agere, sed expectandum quousque re maturè discussa, emendationem, si opus est, Ecclesia ipsa decernat. Quanta enim Deus fecerit in diebus etiam alicui solemnitati dicatis Ecclesiæ suæ Decreta, quamuis fortasse non exactè ijsdem responderent, quibus ea, quæ recolerentur, contigerint, ex sequentibus prodigijs facilè erit animaduertere. Epiphaniæ Festum celeberrimum dudum in Ecclesia fuit, quòd tribus miraculis ornatum, Magorum aduentu, Christi Domini Baptismo, aqua ad nuptias in vinum commutata, trina celebritate veneraretur. In hac singulariter die 6. Ianuar. putarunt aliqui ex Sanctis Patribus

tria prorsus illa apprimè memoranda euenisse, & D. Ambrosius, non modo serm. 4. de Epiphania testatur, plerosque memoriæ prodidisse hæc tria mysteria eodem die contigisse; sed rursus serm. 5. idem repetens suam ita addit sententiam. *Quod licet à diuersis alterutrum factum esse credatur, ego tamen vtrumque factum esse confirmo, & aliud signum de alio contineri: vtrumque enim factum est.* Idem confirmare videtur S. Augustinus serm. 29. de tempore, & apertissimè S. Maximus hom. 6. *Sicuti posteritati sua fidelis mandauit antiquitas, hodie Saluatur humani generis cælestibus ostensus indicijs à Chaldæis est adoratus: Hodie Christus B. Ioannis ministerio fluenta Iordanis benedictione proprij Baptismatis consecrauit: hodie etiam inuitatus ad nuptias, diuinitatis sua potentiam manifestans, aquã vertit in vinũ.* His aliisq. minus vetustis Auctoribus ductus Salianus Annalium Ecclesiast. tom. 6. ad annum Christi trigesimum necesse prorsus esse existimauit, vt inter Baptismum, & Nuptias annus intercurreret, & quinque Paschata, postquam Christus Dominus per Baptismum innotuit, ad Crucem vsque præterijsse. At contra Baronius steterat DD. Augustino, Paulino, & Maximo, alibi dubia de trina illa solemnitate loquentibus, innixus ad annum Christi trigesimum primum num. 36. & vno eodemque anno Baptismum, & in Nuptijs Vini prodigium accidisse existimauerat: ita tamen vt cum D. Augustino serm. 154. de tempore tribus miraculis vnum, eundemque diem communem fuisse consenserit, non respectu mensis, & calendarum, sed hebdomadæ, & feriarum eius, hoc est tria illa mysteria in diem Dominicum incurrisse, quo & alia Dominus mirabilia fecit ab eodem Augustino ibidem numerata, & à Baronio proprijs verbis adducta: quæ quidem tanti Doctoris auctoritate suffulta plura euitare incommoda videntur ex alia opinione emergentia, puta non statim post Baptismum prædicationem à Domino auspicatam, cum annus ocioſus interponatur, nec vltra quadriennium Dominum prædicationem extendisse contra omnium antiquorum sententiam, præcipuè S. Ignatij, qui eodem sæculo vixit. Nec est, quòd ab Ecclesiæ consensu recedere Salianus puret huius opinionis assertores, quòd in diuersis diebus hæc voluerint accidisse; Ecclesia enim sub aduerbio *Hodie* trina illa prodigia ita recolit, quemadmodum ipse Baronius explicat, & in festis mobilibus palam est, vt idem dicere sit *Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias*, ac si diceretur *Hodie eius rei memoria agitur.* Nec profectò D. Augustinus dubium in Ecclesia suo tempore, an Miraculum vini pro nuptijs Galileæ in eandem cum Epiphania diem 6. Ianuarij inciderit, tanti fecit, vt illum violare communem fidem timuerit, qui contra existimaret; *licet enim*, inquit serm. 27. de tempore, *de solemnitate huius diei veterum sit diuersa traditio, vna tamen sanctæ deuotionis est fides.* De Trina in eadem die coniuncta festiuitate antiquam traditionem retulit quidem D. Maximus serm. de Epiphania, sed an alterutrum re vera, ipsa die contigerit, incertum ita hominum cognitioni reliquit, *In hac dilectissimi celebritate, sicut relatu paternæ traditionis instruimur, multiplici est festiuitate lætandum; ferunt enim Christum hodie, vel stella duce à Gentibus adoratum, vel inuitatum ad Nuptias aquam vertisse in vinum, vel suscepto à Ioanne Baptismate Iordanis fluenta consecrasse; sed quid potissimum præsenti hoc factum sit die, nouerit ipse qui fecit.* Quamquam verò Ecclesia Romana ab antiquo tempore, non modo tria illa mysteria in die Epiphaniæ recoluerit, sed quartum refectionis quinque millium hominum etiam retinuerit, vt in antiquo ordine Romano continetur; attamen secunda post Epiphaniam Dominica die nuptiarum miraculum pressiùs, vt nunc, venerabatur, & in Sacramentario Gregorij peculiaris eiusdem diei Missa continetur. Cæterum, quia per eandem Epiphaniæ celebritatem

britatem Orientalis Ecclesia, non dum in fide ab Occidentali diuulsa, Dominici Baptismi præcipuè recolebat memoriam, & festum luminum nuncupabat, inualuit vsus, vt tam in primo, quam in secundo Natali Domini Cathecumenis etiam Baptismus solemni ritu impertiretur, & quousque à S. Leone Pontifice, Concilijsque vetitum non fuit, Deus omnipotens Ecclesiæ morem, & fidem nouis etiam prodigijs prosequebatur. Ita in die Epiphaniæ, quæ aliquibus eadem erat cum Natali Domini ad Vicum Soroba sacrum Baptisterium testatur Ioannes Moschus in Prato c. 214. ita exudare consueuisse, vt per tres horas continuis incrementis augeretur, & post Baptismum peractum alijs tribus horis decresceret. Ita non minus in Paschalibus gaudijs, quam in Natalitijs Gregorius Turonensis refert de glor. Confess. c. 69. Ebroduni in Gallia accidere consueuisse, vt lauacrum, quod Marcellinus primus illius Vrbis Antistites construxerat, diuinitus exurgentibus aquis impleretur; tunc verò credendum est in die Natali aquas sponte exilire desijsse, quando per illud tempus vetauit Ecclesia Baptismum conferri; quādoquidem Ado, qui xij. Kal. Maij in Martyrologio idem miraculum prosequitur, suo tantùm tempore referat, Paschalibus festis, non Natalitijs ex ignotis fontibus lauacrum illud impleri, quia non amplius diem Diuino Baptismo, vel Natali sacratum, sed eum in quem Ecclesia consenserat, miraculis Dominus authorare voluerit. Ita & si minùs congruè Natalis Dominici dies quinta, vel sexta Ianuarij in Orientali Ecclesia tempore D. Epiphanij celebraretur, & eodem temporis momento Nuptiarum in Cana Galileæ prodigium incerta originis die recoleretur, dum tam Ecclesia illa non adhuc schismatica ita seruabat, eiusdem fidem anniuersario miraculo Deus aduersus incredulos confirmabat. Notissimū est, quod D. Epiphanius refert de fluuijs, ac fontibus in multis locis per illam diem in vinum conuersis, & oculatus ipse testis de fonte Cyberes se bibisse, sicuti ex eo, qui est in Gerasa, fratres suos. Et quamquam ille Hær. 51. cum alijs multis nequaquam sentiret, eadem die sexta Ianuarij Redemptorem nostrum baptizatum in Iordane fuisse, sed prorsus Domini baptismum in sextum Idus Nouembris reiecerat, & verum Natalis Domini diem non sexta, sed quinta Ianuarij accidisse proprio computo demonstraret, idem tamen Epiphanius addit, non modo Deum illius Ecclesiæ fidem vndecima die Tybi, seu quinta Ianuarij confirmare, sed ad Euangelicæ veritatis robur horam ipsam miraculi ostendere; qua enim hora hauserunt ministri, & ipse dixit date Architriclino, aquæ illæ fontanæ, vel fluuiales in vinum mutari palam esse testatur. Verùm, sicuti D. Gregorius Nanzianzenus orat. in S. Bapt. multis disputat Ecclesiā Dei non omnia, quæ à Christo facta sunt, eodem tempore, quo ille, peragenda suscepisse, ita præter Baptismi tempus in ipsa Epiphaniæ celebritate susceptum, ac olim prodigijs illustratum, idem S. Doctor de Quadragesimali ieiunio confirmat, quod ab Ecclesia non eo temporis momento indicatur, quo Dominus, eiusdem norma, ieiunasse prohibetur; sanè ieiunij terminum potius, quam Baptismi Dominici diē ab Ecclesia immutatum existimat Honorius de antiquo ritu Missæ lib. 3. cap. 45. qui etiam causas affert, cur ante Pascha Quadragesimale ieiunium seruetur. Quemadmodum autem non in omnibus semper magni existimauit Ecclesia, vt Mysteriorum dies strictissimè ijs responderent, in quibus origines incidissent, quoniam vnitatem fidei ab hac varietate discindi non putauerit; ita Deus ad augendam credentium fidem, vel infidelium perfidiam conuincendam, quod Ecclesia sanciuerat, non semel superadditis miraculis comprobauit. Iam supra indicauimus Annunciationis Dominicæ festum in pluribus Hispaniæ Ecclesijs celebre prisco more fuisse die 18. Decemb. Accidit aliquando, vt aduenientes ex Hi-

spania

ſpania Monachi, Cluniacum à S.Odilone illius Monaſterij cœnobiarcha peterẽt, de more ſuo poſſe Annunciationis ſolemnitatem peragere 15. kal. Ian. Indulſit pius ille Pater, ſed nocturnæ viſionis indicio didicit minùs placere Deo, antiquam aliam apud Cluniacenſes conſuetudinem immutari, ſicut refert Glaber Rodulphus lib.3. hiſt. cap. 3. Nec enim Deus conſuetum ibi morem abrogari permiſit, qui communis reliquæ ferè Eccleſiæ eſſet, dum interim in Hiſpania veterẽ alium morem ſeruari non denegaret. Quantum verò, decreta Eccleſiæ de præcipuis feſtiuitatibus Deo curæ fuerint, ipſe docuit,cum Nicæni Concilij de Paſchate conſtitutionem non ſemel prodigijs confirmauerit, & aliquando non paſſus ſit per errorem violari. Confirmauit vtique anniuerſario Baptiſmalis fontis miraculo, quod Nicæna Synodus ſanciuerat in Marciliano Lucaniæ, ſicuti fusè, & eloquenter retulit Caſſiodorus lib.8. variar. ep.33., & Ebroduni in Gallia, vt ex Adone iam diximus, & in Oſem Luſitaniæ campo, vt refert Gregorius Turonenſis lib.1. de glor. Martyr. cap.24. Eodem autem modo, quo Eccleſia decreta probauit, noluit Deus Paſchale idem ſtatutum per errorem mutari. Tempore enim Zoſimi Papæ fons ille baptiſmalis, qui in parua Eccleſia Meltinæ, quotannis in ſacra Paſchatis nocte diuinitus replebatur, inducto in Paſchali computo errore, nequaquam exuberare potuit, ſed die Dominica, quæ rectæ computationi reſpondebat, hora tantùm competenti prodigioſa aqua iuſſu Dei comparuit, vt Paſchaſius Epiſcopus Lilibæi teſtis eſt inter S. Leonis epiſtolas. Ita Gallis, & Hiſpanis de vera Paſchatis die certantibus, dum Hiſpani ad 12. Kal. Apr., Galli vero ad 14. Kal. Maij Paſcha celebrandum contendunt, fons ille apud Hiſpanos iuſſu Dei litem diremit, quòd in Gallorum obſeruatione repletus rectè illos Paſcha celebrare oſtenderit, vt Sigibertus auctor eſt ad annum 573. Ex his omnibus igitur conſtare arbitror, quod quærebamus initio, Anniuerſarios nempe in martyrologio ſignatos dies, & tam ad Dei, Deiparæque Virginis, quam aliorum Sanctorum honorem aſſignatos, non ſemper cum diebus illis calendarum congruere, in quibus, quæ recoluntur euenerint, ſed in id præcipuè Eccleſiam incubuiſſe, vt repræſentata Myſteria temporum opportunitate conſtabilita, ita à fidelibus venerarentur, vt in fidei potius, morumq. proũctum, quam in præciſam dierum obſeruationẽ collimarent; Quæ verò Eccleſiaſtico decreto confirmata eſſent, vel Deus additis prodigijs comprobauerit, vel temerè immutari non permiſerit. Vt enim D.Auguſtinus docuit contra Fauſtum lib. 32. cap.12: *Ea anniuerſariè in Eccleſia celebrantur, quæ inſigniter excellentia certis diebus facta ſunt, vt eorum neceſſariam, ſalubremque memoriam feſtinitas concelebrata cuſtodiat*; Non ita tamen, vt non alio, quam eo die memoriam celebritatis admittat. De dubia Epiphaniæ origine inquit, idem S. Doctor ſerm. 27. de temp. *In omnibus feſtinitatem eſſe veram, quia in omnibus filius Dei creditur, & veneratur*. & Diuus Ioannes Chryſoſtomus de vario apud Orientales, & Occidentales Natalis Domini die addit Homil. 2. in Lucam *& illi, qui tunc dicunt naſci Saluatorem, & nos qui hodie dicimus naſci, vnum Dominum colimus, vnũ infantulum ſuſcipimus*. Optarunt equidem primi Concilij Toletani Patres in Sanctioribus ſolemnitatibus vnitatem, ſed ex diuerſitate fidem diſcindi, his verbis non conſenſerunt. *De celebritate feſtiuitatis Dominicæ Matris, cũ nihil fidei ſinceritas per diuerſitatẽ aduerſum incurrat, & vnitatẽ Catholicæ regulæ varietas nulla decerpat; Eſt tamen, ꝙ niſi temporũ vnitate ſeruetur, & diſſidiũ indiſciſſæ vnitatis parturiat, & Sacramentorũ vnitate conſtare nõ valeat*. Quia,&ſi in omnibus vnitatẽ, & veritatẽ ſeruare Eccleſia ſemper ſtuduerit: attamen in veræ magis celebritatis vnitatẽ, quam in originariã kalend. conſonantiã ex dictis incubuiſſe apparet.

EPISTOLÆ

EPISTOLÆ MARTYROLOGIO VETVSTIORI SINE ALIO TITVLO PRÆFIXÆ, ET IN EAS NOTÆ, ET EXERCITATIONES.

Incipit Epistola Chromatij, & Heliodori Episcoporum ad Hieronymum Presbyterum.

DOMINO Sancto Fratri Hieronymo Presbytero Chromatius, & Heliodorus Episcopi in Dño Salutem. Cum Religiosissimus Augustus [a] *Teodosius Mediolanensium Vrbem fuisset ingressus, vniuersosque Episcopos Italiæ ad se* [b] *inuitaret: vt causam aliquantorum Episcoporum, qui ex Ariana face suas animas inquinassent* [d] *perquireret. Contigit, & nostram paruitatem in eodem* [e] *deuenire concilio. In quo cum dicēda dicta essent, & definiēda definita, capit Christianissimus Princeps S. Gregorium Episcopum Cordubensis Ecclesiæ in eo præferre antistitem, quòd omni die, siue non ieiunans matutinas, siuè ieiunans vespertinas explicans Missas, eorum Martyrum, quorum natalitia essent, plurimorum nomina memoraret. Factumque est, vt omnes pariter* [f] *statuerent ad tuam scribere caritatem, quod vt* [g] *famosissimus feriale de arciuis Sancti Eusebij* [h] *Cæsariæ Palestinæque Sacerdotis inquirens Martyrum ad nos dirigas festa, vt possit hoc officium per tuam Sanctam industriam melius perfectiusque Domini Martyribus exhiberi.*

a Theodosius Augustus
b inuitasset Cob
d defuit in Codice Epternacensi.
e deuenisse
f statueremus
g famosissimū
h Cæsareæ

Rescriptum

[a] Item Hieronymus Chromatio, & Eliodoro Scis Epis Hieronymus in Dō æterno salutem.

[a] Rescriptum Hieronymi Presbyteri.

CHROMATIO, & Heliodoro Episcopis Hieronymus Presbyter. Constat Dñum nostrum omni die Martyrum suorum triumphos excipere, quorum passiones à S. Eusebio Cæsariensi Episcopo [b] scripta reperimus. Nam Constantinus Augustus cum Cæsaream fuisset ingressus, & diceret memorato Antistiti, vt peteret aliqua beneficia Cæsariensi Ecclesiæ profuturæ, legitur respondisse Eusebium opibus suis ditatam Ecclesiam nulla petendi [c] beneficia necessitudine compellente, sibi tamen desiderium immobile [d] stetiste, vt [e] quicquid vbique in Republica Romana gestum sit erga Sanctos: Dñi, Iudices [g] Iudicibusque succedentes in vniuerso orbe Romano sollicita perscrutatione monumenta publica discutiendo perquirerent, & quis Martyrum à quo Iudice, in qua Prouincia, vel Ciuitate, qua die, quane passione perseuerantia sua [h] obtineret palmam, de ipsis arciuis sublata, ipsi Eusebio Regio iussu dirigerent. Vnde factum est, vt idoneus relator existens, & Ecclesiasticam historiam retexeret, & omnium penè Martyrum prouinciarum omnium Romanorum diligens Historiagraphus declararet. Et quoniam omni die Sacrificium [i] Domino offerentes eorum nomina meminissent [k] studentes, qui die ipsa, qua offerunt Sacrificium viatores Diaboli [l] extitissent martyrij sui triumpho pollentes, atque ouantes ad regem suum [m] peruenire Christum. Hac de causa [n] singulorumque dierum festa conscripsimus, vt iubere [o] dignamini perenne nostra paruitatis nomen memoriam habiturum fore credentes, cum diebus omnibus [p] per tot annorum festa Sanctorum fuerint nominum festiuitates celebrare: Et quoniam per singulos dies diuersarum prouinciarum, diuersarumque Vrbium plusquam [r] octingentorum, & nongentorum millia martyrum nomina sunt nominata, vt nullus sit, qui non intra quingentorum numerum reperiri [s] possit excepto die Kalendarum Ianuariarum.

Considerans inter [t] innumerabiles turbas lectoris animum vnum mensē posse lassescere, ne idem [u] veniat succincte, & breuiter eorum, qui sunt in amplissima [y] festiuitate in suis bonis tantum pro omnibus moratus sum, vt amputato fastidio vnus de omnibus sufficiat libellus ascriptus. Sanè in prima parte libelli omnium Apostolorum festa conscripsimus, vt dies vary non videantur diuidere quos vna dignitas [z] Apostolos in Cælesti gloria fecit esse sublimes.

[b] scriptas

[c] beneficij necessitate compelli

[d] extitisse

[e] vt quid quis vbique

[f] Dei

[g] Iudicibus succedentes

[h] obtinuerit

[i] Deo offerens

[k] studēs, qui die ipso quo offertur

[l] existeret martyri suo

[m] peruenerint

[n] singulorum mensium singulorumq. dierum

[o] dignati estis perennem nostra parnitatis memoriam fore credentes

[p] per tota anni spatia

[q] festiuitas celebrata

[r] octingentorum Martyrum nomina sunt nominanda

[s] possit ascriptas

[t] innumeras turbas Lectoris animum intra vnum mensem posse

[u] eueniat

[y] ciuitate

[z] Apostolica

In Epiſtolas ſupraſcriptas.

ADNOTATIONES.

VEREOR, ne poſt acceptiſsimum doctis ferè omnibus doctiſſimi Baronij iudicium, tam de Chromatij,& Heliodori, quam Hieronymi Epiſtolis,Martyrologijs aliquibus vetuſtioribus præfixis,calculum iterare, audaciæ potiùs imputetur,quã veritatis amori.Quia tamen in huius Martyrologij limine eædem pariter proſtãt, ſicut etiam in fronte vetuſſimi Martyrologij S. Vuillibrordi apud Bollandum, & Henſcheniũ, vnde varias appoſitas ſectiones excerpſimus,vt omnia candidè exhibeã, eas præterire non licuit.Sauſſaius, vt in multis à Baronio diſcedit, ita & in hac epiſtolarum cenſura. Nec enim tanti eſſe putat magni illius Cardinalis in eaſdem Epiſtolas argumenta, vt auctoritati Caſſiodori præponderent; quamquam in his ſe nolle immorari profiteatur, quòd facilia conciliatu ſint. At dum ſe caduceatorẽ largè promittit, vereor ne nouas ſuſcitet diſceptationes. Pacem inter Baronium,& Caſſiodorũ paruo negotio ſe compoſiturum pollicetur, *Si dicamus*, inquit, *illam,quæ commendatur à Caſſiodoro,Hieronymi epiſtolam peryiſſe, nec enim quæ hodie circumfertur, hoc nomine, his pulcris characteribus, quibus quam laudat Caſſiodorus, inſignitur conſpicua renidet*. Quinam verò deficiant characteres non explicat; Catalogus equidem ille Beatorum, tanti ab eodem Caſſiodoro habitus, cum non hæreat ſubiunctus, nec alibi quouis ſubſiſtens appareat, dudum excidiſſe fateri conſentaneum magis putat. At quid quæſo erat ſeries illa Sanctorum tempore Vvalfridi Strabonis, quæ Epiſtolam Hieronymi ad Heliodorum, & Chromatium conſequebatur, præterquam Beatorum Catalogus ille, qui vltra ſanguinis agones, coronas Virginitatis,& vitiorum corporis victorias in omnibus Sanctorum generibus contineret, niſi Martyrologium? Equidem epiſtolas noſtro Codici præfixas tale argumentum non tangit,cum plurimorum cuiuſque generis Sanctorum nomenclatura ſtatim ſubſequatur. Si ergò integra verba Caſſiodori, cum ijs, quæ Vualfridus enunciat conferantur, & inter hos Beda intercedat, vt ſupra etiam monuimus, nemo prorſus illos de diuerſis epiſtolis loquutos fuiſſe affirmabit, & iam à temporibus Caſſiodori ad Vualfridum, & deinceps Martyrologio ſub Hieronymi nomine epiſtolas eaſdem præfigi conſueuiſſe fatebitur. Fortaſſe nondum Caſſiodori ætate vox Martyrologij innotuerat, ſed quod ille viderat ab Epiſtolis, vt noſtrum, incipiens, Epiſtolæ nomine adornauerat. At Bedæ tempore Martyrologium iam dicebatur, & ex Hieronymi modeſtiſſima epiſtola Euſebio primus tribuebatur labor, ſicuti, & adhuc Cronicon Euſebij dicitur, quod non modo Hieronymus in latinam linguam conuertit, ſed etiam auctum in epitomen deduxit. Verùm,vt equa lance epiſtolarum quas dedimus pondus, & Baronij eruditiſſimi contra eaſdem energia argumentorum expendatur, libuit hic eadem verba adiectis argumentorũ neruis appendere, vt æquo inde lectori calculum ferre non pigeat.

Incipit epiſtola Chromatij, & Heliodori Epiſcoporum ad Hieronymum Præsbiterum.

Hos fuiſſe Epiſcopos, D. Hieronymo amicitia, & familiaritate coniunctos nemo neſcit. Vtriuſque in operibus ſuis meminit, & primum inter Aquileienſes ſpectatę virtutis Præsbyteros numeratum, Heliodorum verò iam Epiſcopum Altinenſem eiuſdem Hieronymi litteris plurimum commendatum Aquileienſi

Concilio subscripsisse scimus anno 381. Chromatium seriùs, & post Sanctum Valerianum ad Aquileiensis Ecclesiæ, quæ tempore Hieronymi chorus Sanctorum dicebatur, primatum ascendisse notum est, vnde ratione dignitatis, non temporis, in epistola fuisse Chromatium Heliodoro præpositum, par est credere. Ita passim videre est apud S. Doctorem in præfationibus ad Tobiam, Salomonem, & Paralipomenon, in quibus Chromatium vocat Episcopum Sanctissimum, & doctissimum, & quem etiam Romana Ecclesia inter Sanctos veneratur die 2. Decembris.

Domino Sancto fratri Hieronymo. Ita constanter bini nostri Codices, & antiquum S. Villibordi, *fratri*, non patri datam Epistolam legunt; ita etiam Maurolicus præfert, quamquam Molanus, & Baronius patrem, non fratrem scriptum inuenerint. Hinc facilè obiectum primum tollitur, quod Chromatius, & Heliodorus præter antiquum morem Episcoporum, qui Sinodi nomine scribunt, Hieronymũ patrem dixerint; nam fratrem hic apertissimè vocant, quemadmodum D. Hieronymi antiqua editio annotum 1484.

Cum Religiosissimus Augustus Theodosius, &c. Plura aduersus hanc narrationem obijcit sapientiss. Baronius, & quòd sub Theodosio contra Arianos nullum memoretur à scriptoribus illius sæculi Concilium, & quòd nec præsente Theodosio Mediolani conuocari potuerit. Non in primo aduersus maximum Tyrannum Italico Theodosij aduentu, anno Imperij decimo, esse potuit, cum D. Hieronymus catalogum suorum operum retexens ad annum ipsius Theodosij decimumquartũ, neque à se collecti Martyrologij, neque illius epistolæ meminerit. Non pariter in secundo ad Italiam Theodosij aduentu aduersus Eugenium, hoc est xvj., & postremo ipsius Imperantis anno, cum sexta die Septembris victoriam consecutus inde Mediolanum se contulerit, & ab hoc tempore ad diem 17. Ianuarij, quo obijt, omnia eius gesta Ambrosius, alijque Scriptores recensent. Hæc in notis ad Martyrologium, ex quibus iterum ad annum 388. num. 101. easdem epistolas explodit; & quamquam ex Cassiodoro consentiant D. Hieronymum breuem Sanctorum collectionẽ elaborasse, præfixam tamen libello epistolam dolet amissam, & ab imprudente, vel improbo alias fuisse suppositas, eo prorsus argumento, quod talis Sancti Doctoris elucubratio in catalogo Ecclesiasticorum scriptorum non fuerit recensita, cum post annos quatuor ille librum de Viris illustribus scripserit. At quamquam magni huius Cardinalis sententias ipse semper sim reueritus, amore tamen veritatis ductus, licere mihi saltem duxi, qualescumque in mentem venerint ad ea, quæ obijciuntur, responsiones proponere, vt qui in eius opinionem deinceps, his pensatis abierit, nodos soluat, & quæsitam veritatem illustret. Validiora, quæ ad Epistolæ Chromatij, & Heliodori fraudem detegendam Baronius eruditissimus acuit argumenta negatiua prorsus sunt, nimirum scriptorum illius sæculi silentium, Ambrosij præcipuè, qui nihil de Concilio Mediolanensi scripserit, & Hieronymi pariter, qui Synodicæ illorum, vel propriè epistolæ, cui martyrologium subnecteretur, non meminerit, cum præsertim ad calcem Ecclesiasticorum scriptorum 14. Theodosij anno, vel Christi 392. quæcumque scripserit, ita recenseat, vt omnino post hunc annum Sanctorum martyrum Indicem constructe dicendum sit. At hæc non tanti facienda videntur, vt ex his Epistolæ illæ explodi debeant, cum ex ijsdem magni Viri Annalibus omnia plana sint. Dolet is ad annum 382. num. 24. ex vndecima Hieronymi epistola plura sub Damasi nomine eiusdem Sancti Doctoris descripta perijsse, eaque præsertim, quæ ex diuersis Ecclesiarum Concilijs, Romã perlatis consultationibus scripta reliquerit, & de quibus ita ille testimonium afferat, *Ante annos plurimos cum*

in chartis Ecclesiasticis inuarem Damasum Romanæ Vrbis Episcopum, & Orientis, & Occidentis Synodicas consultationibus respondere, &c. hisq; addit Baronius non modo, ea omnia, sed ipsa etiam Conciliorum egregia monumenta simul perijsse. At de Apostolicis huiusmodi ad Synodicas epistolas responsionibus, quas ante annum 384. quo Damasus esse desijt, scriptas esse necesse est, nequaquam expressè meminit Hieronymus in catalogo, siue quia proprio nomine datæ non essent, siue, quia in vno epistolarum volumine cuius meminit, simul continerentur. Cur ergo alia epistola, cui subnectebatur Martyrum Index sub eodem Epistolarum, vel responsionum Synodicarum titulo amplecti non poterat, & vel in eodem epistolarum Codice contineri, vel seiunctim etiam in Catalogo non memorari, vt de alijs Synodicis epistolis clarum est? Equidem, vt aliàs lectores monimus Epistolæ nomine hoc Martyrum opusculum vocauit Cassiodorus, & responsio ad Synodicam Episcoporum Mediolanensis concilij epistola illa etiam dici poterat. At quanta numerat Cassiodorus D. Hieronymi opera, quæ nec in Catalogo indicata, neque vllis manifesta hodie sunt, quæ Hieronymi non fuisse, hoc solo silentij argumento incongruum penitus negare esset? Nonne D. Augustinus lib. de Hær. ad Quodvultdeum in fine alium librum de hæresibus Hieronymo tribuit, & doluit, non inueniri, sicuti librum de resurrectione carnis? Hos verò quis nos docuit, an ante, vel post catalogum exarauerit S. Doctor, qui omnia à se scripta non recensuit, & quorum plurima Baronius ipse numerat ad annum 420. num. 42. Hoc igitur argumento epistolæ Martyrologio præfixæ non exploduntur; nec alio validiori vrgentur, quòd scilicet Concilium Mediolanense circa hæc tempora conuocatum non fuerit, vt inde, vel à Synodo, vel Synodi nomine epistola scribi ad Hieronymum non potuerit. Equidem planè constat anno Domini 390. Mediolani Concilium congregatum, & quod mirandum videtur doctissimus idem Annalium scriptor, eodem pariter anno, & ipso Theodosio in Italia, & Mediolani agente collectum fuisse testatur. At sicuti probabile est inter cætera ad Ariani Seminis reliquias euellendas Synodum fuisse coactam, ita dum suaderi aliquibus rationibus potest, id in primo Theodosij ad Italiam aduentu accidisse, de secundo eiusdem Theodosij in Italiam reditu silebimus. Quanta semper fuerit pietas Theodosij, quantoque studio hæreses omnes extirpare curauerit, non est hic opus referre. Plures eruperunt eius sæculo nouæ hæreses, sed Ariana non penitus desierat; Quamquam enim Sanctus Valerianus Aquileiensis Episcopus Chromatij antecessor, qui biennio tantum ante Mediolanense Concilium obierat, ex diœcesi sua omni conatu Arianismum extinguere laborauerit, non tamen certum est Italiam reliquam ab hisce sordibus fuisse purgatam; quinimmo cum Theodosius legem contra Arianos tulerit eodem anno, quo in Italiam venit, siue adhuc Constantinopoli ageret, vt edita Codex habet 6. Idus Augusti, siue iam Italiam teneret, vt opinatur Baronius, tali quidem edicto Arianos exagitare voluisse probabile est, illos scilicet, qui rescripto Valentiniani pro Arianis sectantibus professionem Arimínensem innixi, eodem tanquam à Theodosio promulgato vterentur, q eius nomen inscriptum de more præferret; At in illos cogitas Theodosius animaduertere, edictu aliud præmittere expediebat. Nec difficile admodu erat, ex Concilijabolo Arimínesi Episcopos aliquos adhuc superesse huiusmodi labe infectos, vt in Epistola, quam discurimus, continetur. Si quis vero Concilium Mediolanense ad hoc vocatum fuisse negaret, improbabilis adhuc coniectura non esset, quòd ante Synodum à Baronio relatam, alius Episcoporum Conuentus Mediolani præcesserit, siue conuocatis à Theodosio pro pace Ecclesiæ Episcopis, siue sponte ad illum pacis conspicuum accurrentibus; quandoquidem non tan-

tùm clades Theſſalonicenſis Concilium Mediolanenſe præceſſerit, ſed etiam Theodoſij pœnitentia, ut idem Baronius oſtendit. Profectò aliquem Epiſcoporum conuentum Mediolani fuiſſe, antequam Theodoſius iniuſtam Theſſalonicenſium cædem deſtinaſſet, ex D. Auguſt. lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 26. elici poſſe videtur, dum eius religioſam humilitatem laudat, quando Theſſalonicenſium grauiſſimum ſcelus, *cui iam Epiſcopis intercedentibus promiſerat indulgentiam*, vindicare quorundam tumultu coactus, Eccleſiaſtica coercitus eſt diſciplina. At cum non ſemper Mediolani poſtquam in Italiam aduenit Theodoſius moram traxerit, ſed præter breuem Aquileiæ, & Veronæ ſtationem, Romam ſe contulerit, ibique ad plures menſes permanſerit, ac deinde Mediolanum anno 390. redierit, Synodum vtique, cuius S. Ambroſius meminit in reditu, ſeu ſecundo aduentu Mediolanum (aduentus enim poſt longam moram in Vrbe Romana, non incongruè appellaretur reditus) collectam fuiſſe ex eiuſdem Ambroſij ad Theodoſium epiſtola non obſcurè deducitur. Iam exoratus pro Theſſalonicenſibus fuerat ab Ambroſio, & poſt Theſſalonicenſem vindictam, iam illum, ad quē ſcribit, in aduentu ſuo ita declinauiſſe fatetur Ambroſius. *Vnde colligi poteſt, quod non ingrato aliquo affectu aduentum tuum, ſemper mihi antehac exoptatiſſimum declinare potuerim*; Quin etiam ſequentibus verbis eidem Imperatori obiecerat cauſam abſentiæ ſuæ, quòd nimirum particeps ſecretorum non fieret, vt loqui poſſet. *Emori tamen voluiſſem, quam aduentum tuum biduo, aut triduo non expectare; ſed quid facerem non erat. Factum eſt in Vrbe Theſſalonicenſium, quod nulla memoria habet, quod reuocare non potui, ne fieret. Immō quòd ante atrociſſimum fore dixi, cum toties rogarem*. Igitur Theodoſium Ambroſius pro remiſſione pœnæ Theſſalonicenſium prius rogauerat, & ipſum allocutus fuerat antequam Mediolanum iterum rediret. Sed de Concilio ſtatim ſubiungit, *Et quod ipſe, ſeu reuocando, grauem factū putaſti, hoc factū extenuare non poteram. Quando primū audiēdi eſt, propter aduentū Gallorum Epiſcoporum Synodus conuenerat, nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit, non erat facti tui abſolutio in Ambroſij communione*. Rectiſſimè ergo Mediolanenſe Concilium in Epiſtola, quam diximus, à Baronio reiecta enunciatum eſſe conſtat, & præſente in Italia Theodoſio conuocatum. Nec de primo ſtatim aduentu in Italiam, & Mediolanum intelligi hæc poſſunt, cum Paulinus in vita Ambroſij teſtis ſit, quòd Theſſalonicenſem cladem præceſſerit alia publica Ambroſij in Theodoſium increpatio pro edicto incenſæ Iudæorum Synagogæ reſtituendæ, cuius rei geſtæ hiſtoriam Ambroſius ad Marcellam ſororem ſuam retexuit. At cum de Theſſalonicenſi clade, idem Sanctus Doctor, in ipſo ſtatim aduentu loquatur, dum Synodus iam cogebatur, clarum eſt, de ſecundo ad Vrbem Mediolanenſem reditu intelligi debere. *Ambroſius enim*, inquit Theodoretus lib. 5. cap. 17. poſt Theſſalonicenſem vindictam *imperatori Mediolanum aduentāti, & in ſacrum templum ingredi cupienti extra ſacra veſtibula obuiam procedit, &c.* Rectè hinc Baronius in annum 391. Concilium Mediolanenſe repoſuit, quod benè etiam conuenit cum Chromatij, & Heliodori Epiſtola; ſi enim hæc ſcripta eſſet anno 388., ſub quo eaſdem in Annalibus exagitauit, dubitari etiam de ſinceritate potuiſſet, quod Chromatius non eſſet adhuc Epiſcopus Aquileiēnſis, ſed circa huius anni finem ſuffectus fuerit Sancto Valeriano eiuſdem Ciuitatis Epiſcopo, vt Baronius idem anno 388. num. 34. recenſuit: cum ſcilicet Ambroſius Aquileiæ eſſet, poſt nuncium incenſæ ſynagogæ die Kal. Auguſti. Quæ omnia, non minus cum epiſtola Martyrologio præfixa mirè conueniunt, quam cum Mediolanenſe Concilio, cum Chromatij, atque Heliodori Epiſcoporum ætate, & aduentu Theodoſij Mediolanum, ſiue is primus,

ſiue

siue secundus ad illam Vrbem numeretur, qui primus in Italiam omnino fuerit. Ex hoc igitur capite, quæ ad epistolarum fraudem arguendam afferebantur, ita euanescere visa sunt, vt de alijs, quæ obijciuntur, desperandum non esse crediderim.

Vniuersis Italiæ Episcopis, &c. Iure hic nemo dubitabit, si ex Gallia D. Ambrosio teste, Episcopi ad Synodũ Mediolanensem, sub aduẽtu Theodosij conuocati cõuenerant, quin ex vniuersa Italia vocati etiã fuerint, & non impediti aduenerint.

Ob causam aliquantulorum Episcoporum, &c. Quamquam ex epistola Maximi, siue Imperatoris, siue Tyranni, quæ primo Conciliorum Tomo ex antiquo Codice Basilicæ Vaticanæ prostat, Italiam omnem cum Africa, Gallia, Aquitania, Hispania Niceni Concilij decreta suscepisse appareat, & hinc in epistolis Martyrologij fraudis suspicio oriri posset, si quis tamen recolat anteactos Iustinæ Matris Valentiniani conatus, vt non solum in Italia Ariani tolerarentur, sed ijsdem Basilicæ traderentur, non ita difficile existimabit reliquias adhuc Arianorũ in Italia sub aduentum Theodosij superfuisse, & nonnullos adhuc Episcopos, quos Synodus, vel purgaret, vel condemnaret, aduixisse. Ablatas Catholicis Episcopis, siue Sacerdotibus Ecclesias, in fine eiusdem Epistolæ Maximi Tyranni, ita quisque legere potest. *Vnde æquum admodum est, ne Sancto Nomini dicata conuellas, Italiam omnem, & Venerabilem Romam, cæteraſq. Prouincias suis Ecclesijs, suis Sacerdotibus reddas.* Hæc tyrannus non Tyrannicè Imperatori à Matre decepto scribebat. Maximus is est, qui occiso Valentiniano Theodosium coegit in Italiam venire, & cuius Epistolæ etiam Ruffinus meminit lib. 11. cap. 16. Nec mirum esset Arianam labem adhuc in Italia latere, quòd nec Gentilitas ex ipsa Romana Vrbe adhuc propalam exularet. Non me hic fugit doctissimum Baronium existimare Concilium Mediolanense coactum tantùm esse ad hæresim Iouiniani damnandam, seu potius eiusdem Romanam censuram vulgandam, sed neque id facile deducitur ex epistolis Syricij Papæ, & Ambrosij, neque esset inconueniens, vt Concilium pro plurium errorum vendicatione cogeretur. Ætas profectò illa, vt diximus, hæresibus admodum ferax fuit, Manichæis præsertim in Iouiniano repullulantibus, & Ariannis in plura agnomina, & factiones diuisis: dumq. Acta conciliorum penitus desunt, non est cur epistolam sub Chromatij, & Heliodori nomine, ex eo quod de aliquibus Episcopis Ariano commercio inquinatis meminerit, fraudis arguamus, cum ante biennium Iustina Arianis apertè fauisset. Ex Constitutione insuper Theodosij circa idem tempus Concilij, & in ipsa vrbe Mediolani promulgata contra omnes hæreses, quæ non modo Italiam, sed vniuersam ferè Ecclesiam maculabant, indictum tunc fuisse Concilium facile quis existimaret, præcipuè verò aduersus Conciliabula Clericorum Arianæ hæresi fauentium. Cum autem edictum illud Theodosij in quo de Episcopis hæretica labe inquinatis mentio inijcitur, mirè cum epistola ex hoc capite à Baronio doctissimo mendacij insimulata congruat; ex ipsis Annalibus hic integrũ non pigebit referre sub anno 389. num. 76. *Hi, qui sacri dogmatis retinent Principatum, hoc est Episcopi, Presbyteri, Diaconi, atque Lectores, & qui Clericatus velamine Religioni maculam conãtur insligere sub cuiuslibet hæresis, siue erroris nomine constituti, ex funestis Conciliabulis, seu intra Vrbem, seu in suburbanis esse videantur, omninò propellantur. Dat. vi. Kal. Decẽbris Mediolani Timasio, & Promoto coss.* hoc est iuxta Cuspiniani epocham anno Xpi 389. postquam scilicet Roma Mediolanum Theodosius redierat. Cur enim Ariani ab hac lege excludendi essent, qui nuper obijciebant Ambrosio, in redemptionem captiuorum sacra vasa cõfregisse? vt ex eius epistola 57. ipse refert Baronius ad annũ 387. n. 61.

San-

Sanctum Gregorium Cordubensis Ecclesiæ Antistitem, &c. Difficile non est, præterea vniuersos Italiæ Episcopos, aliquos etiam ex Hispania aduenisse ad Mediolanense Concilium, sicuti de Gallicanis Sanctus Ambrosius meminit. De Sancto hoc Cordubēsi Episcopo nullum fateor genuinum monumentum hucusque inuenire licuit, nisi idem cum Sancto Gregorio Bætico dicatur, & ab Illiberina eiusdem Bæticæ Hispaniæ Prouinciæ Ecclesia ad Cordubensem, vel e contra translatus. Sanctum equidem Gregorium Bæticum, hoc tempore Sanctitate, & literis conspicuum floruisse, ex Catalogo Sancti Hieronymi liquet, & de eo pluribus agit Baronius ad annum 388., sicuti in Martyrologio ad diem 24. Aprilis. Sed hic Eliberi, seu Illiberi, & Granatensis Episcopus nuncupatur, non Cordubensis, qui nō modo huius Concilij tempore floruit, sed ad vixit etiam post annum 392. ex eodem D. Hieronymo Arianorum expugnator egregius. An Gregorius aliquis rè uera hoc tempore fuerit Cordubensis Episcopus, non mihi adhuc bene liquet. Equidem si Higinus idem sit, ac apud Seuerum Adiginus, vt coniectatur Baronius anno 387. num. 52. & 54., qui fuit Confessor illustris, & Priscilliani Hæresiarchæ Antagonista, facile accidere potuisset, vt hic diem clausisset extremum, & Gregorius eidem in Cordubensi Ecclesia fuisset suffectus, cum D. Ambrosius, ita eius iam morituri exilium sub Maximo Tyranno, quòd Episcopis eius asseclis communicare noluerit, graphicè describat. *Higinum Episcopum Senem in exilium duci comperi, cui nihil iam nisi extremus superesset spiritus. Cum de eo conuenirem Comites eius, ne sine veste, sine plumario paterentur extrudi Senem, extrusus ipse sum.* Gregorius quidem Beticus, & Eliberi Episcopus adhuc, dum librum de scriptoribus Ecclesiasticis cōscriberet D. Hieronymus, aduiuebat, & Gregorius cognomento Hispanensis ab eodem memoratur in Chronica inter Episcopos, qui maxime Arianos auersati fuerint; sicut Hispanensis pariter dicitur, & laudatur à Theodosio Imperatore in rescripto apud Baronium anno 388. num. 96. An Cordubensis dici Gregorius Bæticus potuerit, quòd insigne prodigium aduersus Osium Cordubæ ediderit pro catholica fide, quemadmodum Isidorus ex Marcellini, & aliorum schismaticorum libello narrat? Sed hæc, quæ Baronio non arridēt, summè placent Tamayo in Martyrologio Hispano, in quo, non modo duo hoc sęculo Gregorij Illiberini Episcopi venerātur, sed duo etiā Cordubenses. At mihi cum suo Dextro, Biuario, ac alijs huius farinæ scriptoribus omninò Tamayus valeat.

Quòd omni die, siue non ieiunans Matutinas, siue ieiunans Vespertinas explicans Missas, &c. Duo in his displicent, & fraudem suadent magno annalium conditori Baronio. Primùm, quod hoc tempore, quinta tantùm feria maioris hebdomadæ, Catholicę Ecclesiæ mos esset, ex Augustino ep. 118. cap. 5. huiusmodi Missas celebrare; deindè quòd impostura sit asserere Gregorium ieiunij tempore Natalitia Martyrū agere, contra Ecclesiæ consuetudinē, & canones Conciliorū. At nequaquā D. Augustin. negare videtur, aliquādo Missas in Vesperis celebrari vsitatum in Ecclesia fuisse, sed quinta id magis feria consuetum affirmat. Nam in eo incumbens, vt explicaret Ianuario singularum Ecclesiarum consuetudines, quæ neque Diuinis scripturis, neque sanctionibus Conciliorum, aut vniuersæ Ecclesiæ moribus aduersarentur, tolerandas esse, non damnat in quinta feria Missas celebrantes, siue mane, siue in Vesperis, hoc est mane pro his, qui non ieiunabant. Ita enim ait cap. 7. *Et quia nonnulli etiam ieiunium custodiunt, mane offertur Christo propter prandentes, quia ieiunia simul, & lauacra tolerare non possunt, ad vesperam vero propter ieiunantes*, ex quibus verbis, sicuti non obscurè educitur, in aliquibus saltem Ecclesijs morem fuisse, Missas in Vesperis celebrare, vt de Gregorio

gorio Cordubensi hic asseritur, ita clarum est, reliqua, quæ de feria quinta, vt singularia afferuntur, non vespertinam absolutè Missam respicere, sed vespertinam Missam à non ieiuno celebrandam, quod extram quintam sacræ hebdomadæ feriam vetabatur. Ita in Conc. Cartag. 3. can. 29. cauetur, vt Sacramentum altaris non nisi à ieiunis hominibus celebretur, excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur. De verspertinis, & matutinis Missis extat memoria, in can. 30. Concilij Agathensis sub Symmacho, quod ex Codice Nicolai Fabri restituit Fronto Duceus, & confirmatur ex Gratiano de consecr. dist. 5. c. 13. De Missis pariter vespertinis apertè meminit Vualfridus Strabo de reb. eccl. cap. 23. his verbis, *Tempus autem Missæ faciendæ secundum rationem solemnitatum diuersum est. Interdum enim ante meridiem, interdum circa Nonam, aliquando ad Vesperam, interdum noctu celebrantur.* Et de moribus Ecclesiarum communicandi in vesperis quædam habet cap. 20. Quia verò in his parum etiam solicitus immoratur Baronius, quasi hæc rationum momenta ad epistolarum fraudem detegendam, & ipse non magnifecerit, impostura magis vrget ex eo, quòd in diebus ieiunij, Martyrum natalitia celebrare, de more Ecclesiæ non esset. At quicquid sit de veritis natalitijs Sanctorum die ieunij recolendis, quod ex Canone 51. Laodicensis Concilij, id tantùm in Quadragesima vetantis, vniuersim elicit eruditiss. Baronius, non videtur ambigendum, de solemni Martyrum festiuitate tunc cautum solummodo esse; nam quotidie commemorationes Martyrum, nominibus tantum explicatis peragi posse, & consueuisse, cum epistola Chromatij, & Heliodori, Sanctus Gregorius Papa in celebri ad Eulogium Alexandrinum Epistola, apertissimè consentit. Postquam enim se Codicem habere profitetur in quo distinctis per dies singulos passionibus omnium ferè Martyrum nomina comprehenderentur, addit. *Atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus.* At sicuti nemo de impostura epistolæ Gregorij dubitauit, etiamsi quotidianam, non exceptis ieiunijs, celebrationem Missarum in Martyrum veneratione expressius ostendat, quam epistola Chromatij ad Hieronymum, ita nec reijci inter adulterina debet, quòd de Gregorio Cordubensi refertur, non Missas de festiuitate Martyrũ quotidie per egisse, sed *eorũ Martyrum quorũ Natalitia essent*, hoc est, vt eorum, quorum dies Natalis anniuersarius intercurreret, solaplurima nomina memoraret, quod nequaquam vetitum inuenitur. Sanctus certè Asterius Amaseæ in Ponto Episcopus, qui vixit circa annum Dñi 400. oratione in Sanctos Martyres inquit ex interpretatione Combefis. *Quo circa, vt aliquis sedulus esset Martyrum amans, atque omnium passionibus festi vellet celebritatem litare, ne diem quidem in anno non festiuum præterires.* Quod si illicitum quotidie fuisset, quotidianas Martyrum celebritates non laudauisset. Et quid aliud Episcopi Synodi Mediolanensis à Hieronymo petebant, nisi quod ex Bibliotheca Eusebij Cæsarienſis plura Sanctorum nomina diligentiùs colligeret, vt hinc officium commemorationis melius, perfectiusque Martyribus exhiberi posset? eodem prorsus modo, quo post bina sæcula Sanctum quoque Gregorium Pontificem obseruasse conuincitur.

Factumque est, vt omnes pariter statuerent ad tuam scribere charitatem, quòd, vt famosissimus, feriale de Arcinis Sancti Eusebij Cæsariæ, Palestinæque Sacerdotis inquirens, Martyrũ ad nos dirigas festa, &c. Diuersimodè hæc sonãt tam in antiquis nostris Codicibus, quam in his, ex quibus easdem epistolas ediderunt Mauroly-cus, Molanus, & Baronius. Ita enim omnes legunt, *Factumque est, vt omnes pariter statueremus ad tuam scribere charitatem, vt famosissimos feriales de Arcbinis Sancti Eusebij Cesarea Palestina Episcopi inquirens, Martyrum ad nos dirigas festa,*

sta, vel vt addit Maurolycus *notata festa*. Sensus autem ex primis verbis elici potest, vt D.Hieronymus,iam in Ecclesia pluribus operibus famosissimus,ex Archiuijs, seu Bibliotheca Eusebij feriale inquirens, hoc est inquirendo componens, signata Martyrum festa ad Episcopos Italicos dirigeret; vel intelligi potest, ex famosissimis Eusebij ferialibus festa à Hieronymo excerpi debere,vt Occidentalibus communicaret.At quamuis vtrumq; tolerari possit,cum apud neminem de huiusmodi Eusebij famosissimis ferialibus aliquid legere contigerit, nisi vt infra adnotabimus,apud auctores vitæ S.Syluestri, & S. Valeriani minùs probatę vetustatis scriptores, prima lectio magis arridet, hoc est, vt ex Eusebij eiusdem opere de Martyrijs, feriale, siuè feriarum sacrarum codicem Hieronymus construeret, vt re vera ex responsione id perfeciſſe cognoscitur,& Episcopi optabant. Non tamen negarem.ad vsum Ecclesiæ Eusebium etiam feriale volumen ordinare potuisse, quòd pro Ecclesiastico vsu iussu Constantini, non paucos codices Constantinopolim transmiserit, vt suo loco animaduertimus . Barbara quidem vox feriale est pro feriarum Indice, seu Kalendario; sed in Chromatij, quæ restant fragmentis, non dissimilis est vox Mercatus pro Nundinis, qua non semel vsus est in Homilia de Beatit.,vt inde scire possimus,Sanctum Episcopum,si auctor Epistolæ fuit, latini sermonis candori minus accuratè incubuisse . Feriale ideo dictum putarem volumen illud, quia in eo festiuitates;quas D. Asterius hom. v. in festum Kalendarum *ferias diuinas* dixit, adnotarentur; & quamquam non me lateat, feriarum in Ecclesia nomen ante Syluestrum Papam in vsu fuisse, sicuti pluribus in locis adnotauit Baronius doctissimus: non eidē tamen facile concederem, ideo Sancti illius Pontificis Acta mendacissima esse, quia ablatis per hebdomadam Idolorum nominibus, dies appellandos decreuerit per feriarum numerum, puta primam, secundam, & deinceps ad Sabbathuna vsq; Aliud enim est S.Syluestrum hanc numerandi rationem primum inter Christianas induxisse, quod falsum esse eruditissimo Baronio concederem, aliud Romanis, vel in Romana Ecclesia præcipisse, vt in posterū ad dies significandos,his feriarū nominibus,& compuro vterentur, q plures vti verū suscipiūt, & præcipuè Rabanus, qui lib. 2. Instit. Cleric.cap.46. ita de ferijs scripsit. *Feriæ à fandodicūtur,ob quā causā Syluester Papa primus apud Romanos constituit, vt dierūnomina,quæ anteasecundū nomina Deorum suorum vocabant, idest Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Veneris, Saturni, ferias deinceps vocarent, idest prima feria, secunda feria, tertia feria, quarta feria, quinta feria.* non ita tamen diem Dominicam primam feriam appellari mandauit Pontifex ille Sanctus, vt portentosum mendacium Baronius inde existimauerit in illius Actis contineri, quippe idem Rabanus subdat, *Sabbathum autem antiquo legis vocabulo vocari præcepit, & primam feriam Dominicā, eo, quod Dominus in illa resurrexit.* Ex hac ergò feriarum lege,Constantino regnante sancita, sicuti dies intra hebdomadam constituti,feriæ aliquibus, etiam ex antiquis dictæ, in vniuersa Ecclesia deinceps vocari cæperunt, ita Kalendarium, quod celebritates Martyrum quotidie indicaret,facile feriarum Codex, vel feriale dici potuit, & hoc nomen ab Episcopis Chromatio, & Heliodoro in eodem sæculo vsurpari . Si cui vero etiam Arciui, seu Archiuij vox displiceret, sciat Tertullianum aduersus gentes cap.19. eadem vsum esse, cum D.Ignatio in ep. 9. ad Philadel. ac Concilio Afric. sub Innoc. Primo, sicuti Hieronymi tempore Ruffinus Aquileiensis interpretatione Iosephi lib .2. de Bello Iudaico . & deinde auctor vitæ Gelasij Primi in libro Pontificali vsi sunt..

Sancti Eusebij Cæsareæ Palestinæque,&c. Ad Eusebij Palestini, seu Pamphili Episcopi Cæsariensis, titulum Sanctitatis,non modo in præuijs ad Martyrologium dissertationibus

tationibus exhorruit hæreticorum hostis Baronius, sed ita acriter in Annalibus excanduit, vt planè eum iam ab hæresi defendere nil aliud esse profiteatur, *quam Ecclesiam Catholicam impugnare*. Fateor me initio, cum viderim, tam in epistola Episcoporum Synodica, quam in ascripta Hieronymo responsione sanctitatis nomen Eusebio tributum, & in aliquibus Martyrologijs pro Sancto memoratum inuenerim, hæsitasse, & antiquos Patres, historicosque ad eius ætatem proximiores laboriosè euoluisse, si forte de Ariana labe, cuius illum Sancti Athanasius, Epiphanius, Theodoretus, Hieronymus, & quintæ Synodi acta manifestè insimulant, excusari posset, vel aliquando resipuisse constaret: ex eo præsertim, quòd vetustius nostrum Martyrologiũ eadem, qua Vsuardus, & Maurolycus die 11. Kal. Iulij ipsius Sanctitati ita videatur astipulari, *In Cæsarea depositio Eusebij Episcopi*. At quicquid asserant alij, me hic cum doctissimo Baronio sentire profiteor, & quamuis aliqua pro Eusebij resipiscientia, & sanctitate cumulauisse fatear, plus tamen ponderis in contraria assertione inuenisse. Ne tamen fucum illis faciam, qui eruditissimi alioquin Eusebij miserentur, & eidẽ fauẽt, libuit in vtramque partem exerceri, & postquam ad epistolas martyrologio præpositas notas expleuerim, de Eusebij asserta sanctitate exercitationem non minus dare placuit, quam suo loco, quis nam Sanctus Eusebius ille esse potuerit in nostro Martyrologio memoratus, pro viribus explicare. Verùm quamuis omni sanctitatis titulo Eusebiũ Pamphili exuendum esse existimauerim, ex eo potissimum, quòd ita D. Hieronymus senserit, cui in hæreticorum censura primas detulit in Romano Concilio Gelasius, ex hoc tamen capite epistolas, quas discutimus, vti supposititias reijciendas esse non putarem; potuit enim à librario aliquo, & excriptore nouitio nota sanctitatis appingi, quòd ita ille deceptus in eodem, cui præfigebantur, martyrologio sanctum Eusebium Cæsarienſem Episcopum adnotatum inuenerit, ac facile ex vno Cæsarienſi Palestino Eusebio in alterum Cęsarienſem Cappodocem digredi contigerit, vt suo loco docebimus. Nec difficile esse potuit, vt Chromatius, & Heliodorus, quibus minus prospectus esset Eusebij Pamphili in hæresim Arianorum relapsus, de more illius sæculi, Eusebio Sanctitatis notam, præcipuè officij, & dignitatis ratione tribuerint, non autem Hieronymus à cuius stylo Sanctum dicere Eusebium, prorsus abhorrere fateor: librarius verò eandem etiam notam in epistola Hieronymi nuncupata addiderit. Profectò eodem, quo D. Hieronymus viuebat, sæculo, sanctitatis titulus facilè à Viris doctis, pijsque tribuebatur illis, qui dignitate, vel pietatis opinione florerent, non longe ita ab antiquo Ecclesiæ, & D. etiam Pauli more abeuntes, quo Sanctorum nomine Christianos omnes amplecterentur. Idem certè D. Hieronymus Melaniam seniorem non semel Sanctã dixit, & tamen Origenis erroribus imbutam à Catholico tramite deuiasse cõstat, & si Baronius resipuisse coniectetur; anno 409. n. 30. ita aduersus Luciferianos de Lucifero Calaritano Episcopo male sentiens, Beatũ tamen appellare non desijt. *Cogor*, inquit, *de B. Lucifero secus quicquam, quam & illius meritum, & mea humanitas poscit existimare*, & quamquam illum excusset, quòd verbis potius ab Ecclesia, quam rebus dissenserit, tamen Luciferum ab Ecclesia esse segregatum, & in Schismate mortuum, dubitari posse fatetur Baronius ad annum 362. Ita D. Ambrosius Sanctum vocauit Gratianum Imperatorem, & D. Augustinus Sanctum dixit Hilarium Diaconum Luciferianum, cuius tamquam ab Ecclesia diuulsi meminit D. Hieronymus loco ante adducto cap. 8. Eodem pariter sæculo Sanctus Paulinus Nolanus, non modo eandem Melaniam sanctitatis titulo decorauit, sed & Sanctum dixit Ioannem Hierosolymitanum Episcopum Origenistam, & illius sectæ patronum. Ita enim Sancti Patres frequentissimè san-

ctitatis titulum, honoris gratia, etiam dubiæ fidei Episcopis tribuebant, quamdiu eorum causa desperata non esset; Ita etiam sæculo D.Gregorij, in quo saltem hoc Martyrologium vetustius in vsu fuisse existimamus, Ioannes ieiunator, qui in peccatis obijt, sanctæ memoriæ vocatur lib. 6. regist ep. 6. Sanctum Iustinianum, ac Theodoram Augustam à sanctitate morum remotissimos, à Patribus sexti Concilij fuisse vocatos, ex antiquis aliquibus Codicibus testatur Alemannius ad arcanam Procopij Historiam; & Alexander Tertius apud Baronium anno 1177. in rescripto ad Regem Æthiopiæ hæreticum Sanctissimi titulo vsus est, quo insigniri à Regionis illius populis sciebat, vt morem sine iracundia seruaret, non vt Sanctũ, & inculpabilem ostenderet. Fortasse igitur Chromatius, & Heliodorus Sanctum Eusebium dixerunt, decepti a Constantini pijssimi Imperatoris epistola ad Antiochensem Synodum, in qua Eusebium sanctissimum Cæsariensis Ecclesiæ Episcoporum vocauit, non honorario tantùm titulo, sed quòd ita ex moribus existimauerit. Non hinc ergo quòd Sanctum dicant Eusebium Palestinum Epistolæ martyrologio præfixæ fraudis imputandæ sunt, cum potius, si cui non arrideat, facili emendatione, ab epistola Hieronymi, qui toties Arianum dixit Eusebium sanctitatis titulus remoueri possit.

Nam Constantinus Augustus &c. Timet hic fraudem oculatissimus Baronius, quòd de Imperiali iussione, & de corrogandis ex toto Romano orbe Sanctorum Martyrũ actis, insignique Constantini beneficientia Eusebius, suarum laudum egregius prædicator, nihil adnotatum reliquerit, cum tamen res gestas à se cum Constantino, non modo narrare, sed extollere consueuerit. At cum illius opuscula de martyrijs non supersint, malè hinc possumus affirmare, quòd Constantini munificentiam, & pietatem tacuerit. Eusebius equidem, quamquam epistolas ad se scriptas in ipsius Constantini vita retulerit, in proprias tamen laudes non ita apertè erumpit, vt præter eas, quæ ex ipsius epistolis elici possunt, alias nisi summo latendi studio addidisse videatur. Neque inficiari possumus ad vsum Ecclesiarum sub Constantino, vel ab Eusebio, vel aliunde Martyrum historias fuisse collectas, quandoquidem Romano Imperio subiectis gentibus, Idolorum cultu interdicto, statutum a Constantino apud Eusebium lib. 4. c. 23. seu potius à Concilio Niceno fuerit, *vt consecratos Martyribus dies honore* omnes prosequerentur. Probabile autem est, quòd sicut pro Constantinopolitana Ecclesia Sacros Codices transcribendos Eusebio Constantinus mandauit, ita etiam historias Martyrum, ex prouinciarum actis Eusebio inter omnes illius sæculi scriptores in Ecclesiasticis monumentis versatissimo commissa fuerit. Quomodo enim *consecratos martyribus dies*, præcipuo honore prosequi poterant, vel ut Valesius vertit *festos martyrum dies iussa principis obseruabant* Præsides prouinciarum, nisi ex dypticis, actisque Prouincialibus in vno, vel pluribus codicibus signati essent. Equidem sacri Codices ad Constantinum transmittendi ab Eusebij arbitrio pendebant, lib. enim 4. cap. 36. pius Imperator optauerat, *vt scripturarum volumina, quarum & apparitionem, & vsum maximè Ecclesia necessarium videbatur*, Eusebius ipse cognosceret. Antiquissimũ Ecclesiæ fuisse morẽ, vt Martyrũ triumphales dies ad eorum memorias celebrandas adnotarentur, & in aliquibus etiam Ecclesijs per dies martyribus consecratos eorum acta legerentur, alibi à nobis dictum est. Hinc facile euenire potuit, vt inter alia Ecclesiastica volumina, martyrum etiam Codex, seu festi eorundem dies in Codice signati pro vsu Ecclesiæ ab Eusebio ad Constantinum transmitterentur, & nihil vetat quin aliquod ex illis de antiquis Martyribus opusculum inscriberetur Martyrum Pathemata, siue Ephemerides, vel vt in Latino-Barbara voce epistolæ Chromatij, & Heliodori legitur, Feriale quam-

Quamquam enim edictum Constantini non extet, vt prouincialia de Martyribus acta vndique ad Eusebium transportarentur, in ijsdem tamen Constantini literis ad Prouinciæ Præfectum continetur, vt pro conscribēdis sacris libris, & ad apparandos Codices, quæcumque necessaria essent, Eusebio promptè suppeditarentur. Erat Prouinciæ Præfecto summa administratio, & ex Eusebij libitu pendebat, vt ad sacros Codices concinnandos etiam Acta Martyrum, vel eorum saltē Indices eidem traderentur. Ita enim verba Constantini sunt Christoforsono interprete. *Visum est hoc significare prudentiæ tuæ, vt quinquaginta illarum scripturarum volumina, quarum, & Apparitionem, & vsum maxime Ecclesia necessarium cognoscis, quæque præterea facile legi, & circumferri queant, ab artificibus, scitè scribendi peritis, politiore membrana describi cures. Nostra clementia ad Prouinciæ Præfectum litteras dedimus penes, quem totius administrationis summa est, vt quæ ad eas conficiendas necessaria videantur, omnia summa diligentia suppeditari curet.* Ex quibus, minùs improbabilia in Epistolis Martyrologij scripta esse, æquus lector pensabit.

Et omnium ferè Martyrum Prouinciarū &c. Has Eusebij collectiones de Martyribus, si quis strictè verba epistolæ accipere velit, immensum opus concipere necesse haberet, & iurè meritò cum Baronio cap. 6. de Martyrologio Romano affirmandum esset, non vnum librum, non centum, non mille ea capere posse, si prolixè Eusebius hæc, vt cætera Historiæ Ecclesiasticæ, prosequutus esset. Viginti libros passionum Martyrum scripsisse affirmat Græcus auctor in actis S. Syluestri Romani Pontificis apud Valesium, ideſt *duas decadas omnium penè prouinciarum passiones Martyrum, Episcoporum, & Confessorum, & sacrarum Mulierum, & Virginum continere fecit.* Quod sequentibus verbis repetitur in manuscripto veteri Breuiario Lemouicensi apud eundem Valesium. *Præterea, vt legitur, omnium prouinciarū cum multorum Sanctorum Martyrum passiones, & Confessorum vitam, ac Virginum cognouisset, viginti libros de eisdem Sanctis scriptitauit.* Vndecim tantum libris Eusebium *omnium ferè, cunctis in Prouincijs, certamina Sanctorum Martyrum, Episcoporum, Confessorum*, intexuisse, non viginti legit Combefisius, qui vitam S. Syluestri ex Græco codice Mazarinio, post Valesij fragmentum, integrè edidit, & tamen siue viginti libris, siue vndecim opus de Martyribus Eusebij contineretur, D. Hieronymus, qui Eusebij opera, & Bibliothecam euoluit, non magnum opus, & maxima volumina has de Martyribus collectiones vocauit, sed *Opuscula*. At sicuti suspicari licet, Anonymum Vitæ S. Syluestri, & Breuiarij illius scriptores vetustissimos non esse, ita facilè etiam coniectari libet, ex eadem Epistola Hieronymo tributa desumpsisse, quòd Eusebius *omnium penè prouinciarū passiones Martyrum collegisset*. Vnde verò habuerint, in duas decadas diuisum opus fuisse, apud alium non legi. Variant hic non nihil huius Epistolæ exemplaria; Vbi enim Baronius, vt puto ex Maurolycio, & Molano legit, *Et omnium pene Martyrum prouinciarum, omnium Romanorum, trophæa diligens historicus declararet*, nostri Codices vocem illam *trophea* non retinent, sicuti neque Martyrologium S. Villibrordi, neque vetus editio epistolarum D. Hieronymi Parmensis annorum 1480. Et quidem si Eusebius omnium fere Martyrum prouinciarum trophæa declarare animo concepisset, hoc est diffusiori stylo prosequi, non vnus, neque mille codices suffecissent. Sin verò tantùm ea explicare designasset, quatenus opus esset, vt sacrificia Deo offerentes eorum nominum meminisse valerent, seu vt ex Concilio Niceno iam diximus, vt consecrati Martyribus dies venerari possent, iam parum opus conciperem, quale & Cassiodorus, & D. Gregorius designarunt, Licet enim Cassiodorus Eusebij non meminerit, dum codicem Passionum Mar-

tyrum aſcetis ſuis propoſuit, ſed Hieronymo collectionis laborem tribuerit, non magnum tamen opus indicauit, dum Epiſtolæ illi nomen accomodat. Et quamquam in breui opere contineri affirmauerit paſſiones Martyrũ, *qui per totum terrarum Orbem floruerunt*, non diuerſa tamen loquendi formula vſus eſt ab ea, quæ in hac D. Hieronymo aſcripta Epiſtola legitur, *omnium penè Martyrum prouinciarum*, hoc eſt non omnino omnium, ſed penè omnium, ſeu plurimorum, vt communis loquendi vſus conſentit, quemadmodum etiam ſcripſit D. Gregorius, *dum penè omnium Martyrum* in vno codice nomina contineri affirmauit. Et quamuis Euſebium hic dicatur collegiſſe Acta Martyrum, quatenus diuinum ſacrificium offerentes, eorum memoriam agere poſſent, non ita intelligendum putarem, quaſi nomina, ſeu paſſiones Martyrum per anni circulum diſtribuerit, ſed quòd tantùm feriatos dies in honorem Sanctorum confuſo ordine in ſuis voluminibus conſignauerit, vt qui deuotioni ſtudens nomina in ſacrificijs commemorare vellet, quantacunque liberet, excerpere poſſet. Etenim ſi Euſebius ſingulorum menſiũ, ſingulorumque dierum anniuerſariam ſeriem in ordinem redegiſſet, quid ineptius Chromatius, & Heliodorus Epiſcopus petere à Hieronymi induſtria poterant, quam vt Martyrum iam per Kalendas adnotata feſta in melius, & perfectius officium Deo, & Sanctis exhibendum tranſmitteret, ſi tantùm in Latinam linguam conuertere debuiſſet? Et quid ineptius D. Hieronymus, vel quiſquis ſub eius perſona latuerit, reſpondere poterat, quàm ſingulorum menſium, ſingulorumque dierum feſta conſcripſiſſe? niſi diceretur inter Euſebij labores, & D. Hieronymi induſtriam hanc fuiſſe diſparitatem, vt ſcilicet Doctor, relicta innumerabili Martyrum turba, eos tantùm ſuccinctè ſingulis diebus accomodauerit, qui in ſuis locis celebriores eſſent, & diuerſo ab Euſebij feriatis codicibus numero, & ordine compoſuerit. Conſonant hæc ijs, quæ ſcripſit vetus Auctor in Paſſione S. Valeriani, ex codice Moſciacenſi: ita enim de Euſebij collectionibus loquitur. *Qui & ſi Martyrum ſingulorum integras non explicuit paſſiones, tamen Chriſtianis deuotis, atque fidelibus, vnde deſcribi, vel celebrari debeant, veraciter intimauit.* Quaſi tantùm loca indicauerit, vnde Martyrum acta haberi poſſent, hoc eſt locum, & diem paſſionis idque in vno codice conſignatum. Addit propterea de eodem Euſebio. *Ita per ſupradicti viri relationem, ab vnius codicis fonte diffuſam, ſcriptis manantibus fidelium, totum Orbem celebranda paſſiones martyrum rigauerunt.* Quæ quidem verba, ſi vetuſtior eſſet Auctor, quam Hieronymo aſcripta epiſtola, non obſcurè confirmarent, ex Euſebij Cæſarienſis collectaneis omne deinceps martyrologium originem duxiſſe.

Pluſquam octingentorum, & nongentorum millia martyrum &c. Ita antiqua D. Hieronymi Parmenſis editio numerum Martyrum cum noſtris codicibus exhibet, quemadmodum Vſuardus apud Molanum, & Baronius; Antuerpienſis verò codex S. Villibrordi octingentorum Martyrum nomina tantùm habet. At Maurolycius, ſicuti totius anni cenſum minuit, ita quotidianum auget, *Centum octuaginta millium* Martyrũ nomina in vniuerſo martyrologio refert, & circiter quinque millium quocunque die, dum Codices noſtri, & S. Villibrordi non niſi ſingulo die *quingentorum* numerum explicant. In tanta diſparitate, quis ex libris mendum in numero contraxerit, ignorare me fateor, cum neque quinque millium, nec quingentorum numerus ſingulis diebus aſſignatus multitudinem annui, & maioris cenſus adæquet. Sanctorum Martyrum ſegetem ſupra quamcunque expreſſam multitudinem exuberare non dubito, *ſolique Deo innumerabilem* D. Gregorius exiſtimauit hom. 27. in Euang. & ante ipſum D. Cyprianus, non dum Deciana perſecutione ſilente, lib. de exhortat. ad Martyr. cap. 11. *Hoc ampliorem glo-*

gloriam computantes temporis noſtri, quòd cum vetera exempla numerentur, exuberante poſtmodum copia virtutis, ac fidei, numerari non poſſunt Martyres Chriſtiani. Parum autem refert, an maiorem, vel minorem numerum, vel alterutram lectionem ſequamur, cum D. Hieronymus, aut quiſquis reſponſiuam Epiſtolam conflauit, non omnes Martyres, quos inuenerit, in anniuerſarium circulũ redegerit: ſed ne intra innumerabilem turbam, cito lector laſſeſceret, breuiter eos tantùm recenſuerit, qui in ſuis locis, vel Vrbibus celebriori memoria venerarentur, vt amputato faſtidio vnus pro omnibus paruus codex ſufficeret.

Excepto die Kalendarum Ianuariarum &c. Exempto die legit Baronius, ſed *excepto die* habent cum noſtro Codex Antuerpienſis S. Villibrordi, Vſuardus, Maurolycus, & antiqua editio S. Hieronymi. Nihil autem intereſt, vtro modo ſcriptum ſit, dummodo non inde intelligamus, Kalendis Ianuarij nullos notari Martyres, quia tunc omnino carnificinæ ſiluiſſent, vt explicat Baronius, ſed quòd minor tunc eſſet Martyrum numerus, & ſupra quingentos, vel quinque millia eo die numerari non liceret; ex his enim, quæ eruditiſſimus Baronius adducit ad diem Kalendas Ianuarij, manifeſtè apparet, vel lege cautum, vel antiquo more tanquã piaculum ſeruatum eſſe, ne in ſontes diebus feſtis animaduerteretur: quamquam ſub inhumanis principibus, in Chriſtianos potiſſimum ſæuientibus, accidiſſe non negauerim, vt in celebritatibus ſolemnioribus à cæde Martyrũ non temperarent. At ex ipſis feſtiuis ferijs, quæ in alias cogitationes, & immodicas licentias Principes, ac populum diſtrahebant difficile crederem, vt ipſa Kalendarum Ianuarij die, in quam omnes Sancti Patres declamant, & præcipuè Sanctus Aſterius, vbique Martyrum carnificina, & paſſim exerceretur, vt numerus quingentorum, vel quinquemillium conflaret, ac proinde non eſſe improbabile, vt minor ea die Martyrum cenſus, in Actis ab Euſebio collectis inueniretur, quòd vniuerſus populus in ſpectacula, & voluptates potius intenderet, quam in edictorum Imperialium ſeueritate exercenda. Egregius locus eſt apud Suetonium de Tiberij ſæuitia lib. 3. cap. 61. *Nullum à pœna hominum ceſſauit dies: ne religioſus quidem, ac ſacer. Animaduerſum in quoſdam ineunte anno nono.* Vnum, aut alterũ Martyrem, in odium religionis noſtræ, detruncatum non dubitarem, vt de Almachio, ſeu Telemacho Hiſtorici referunt etiam ſub Honorio. Igitur cum in noſtro Martyrologio, multi Martyres in ipſis Kalendis Ianuarij adnotentur, nimis ſupine peccaſſet, quiſquis Hieronymo, etiam falsò, epiſtolam tribuiſſet, dum Kalendas Ianuarias pluribus Martyrum nominibus refertas, non animaduertiſſet, & vel non abſtuliſſet, vel epiſtolam non detruncaſſet. Dicendum ergo eſt, epiſtolæ auctorem per illa verba, *vt nullus dies, qui non intra quingentorum Martyrum reperiri poſſit aſcriptus, excepto die Kalendarum Ianuariarum*, ſignificare voluiſſe, diem illum, non modo ſupra quingentos Martyres non exuberare, ſed ne dum talem numerum attingere. Cum verò idem ſcriptor profiteatur, non omnia, quæ inuenerit nomina Martyrum, in Paſſionum codice retuliſſe, ſed tantum eorum, qui in ſuis locis, ſeu Vrbibus celebriori memoria recolerẽtur, facile eſt credere, in Kalẽdis Ianuarij notatos Martyres inſigniores fuiſſe, vt pote qui feſto apud Gentiles die, ſummo in religionem noſtram odio, ac maiori ſæuitia neci traditi fuerint.

Poſtremum in epiſtola ſub Hieronymi nomine, ad Chromatium, & Heliodorum remanet offendiculum, idque grauius, & quod omninò me coegit ſentire, re vera à Hieronymo ſcriptam non eſſe: quamquam falſa non contineat, & ante mille annos tot ſæculorum teſtes, eidem Sancti Doctori, vel eandem, vel conſimilem epiſtolam tribuerint: offendiculum inquam mihi inſuperabile, quòd à Sancti Doctoris ſtylo prorſus abhorreat. Iam Sixtus Senenſis in Bibliotheca

ſancta

ſancta monuit, vario dicendi genere Sanctum Hieronymum vti conſueuiſſe, iuxtà varium ſcribendi genus. In exotericis namque opuſculis, quæcumque ea ſint, ſiue Paræneticа, ſiue Apologetica, ineſſe animaduertit dicendi genus, varia quadam, & admirabili omnium rerum miſtura compoſitum; in enarrationibus verò diuinæ ſcripturæ, ſpreta omni ſæcularium litterarum pompa, ab omni eloquentię ſplendore temperare, & dictione vti ſuccincta tantùm, & aperta. In hoc poſtremo dicendi genere, non eſt tamen illi tam inculta oratio, vt à pedeſtri locutione ſæpè non exurgat, & nitorem cum quadam dicendi energia, non vbique retineat. Cum verò epiſtolę in primo lucubrationis genere ſint, in eo ſcilicet, quòd eloquētiæ flores non detrectet, eo magis Hieronymi grandiloquentia, ac ſplendore indigna videretur epiſtola Martyrologio præfixa, quò magis his careret genuinis eiuſdem calami dotibus. Facilè autem accidiſſe putarem, vt à B. Hieronymi obitu, plura eidem anonymorum opera aſcriberentur, partim quòd confuſa aliqua in ordinem ipſe redegerit, & opus ita ab eo diſtinctum, & elaboratum, addito, in tanti viri memoriam, nomine eidem tribui contigerit, partim, quòd nonnulli, ad augendam alicuius operis dignitatem, proprio auctore ignorato, nec obſeruato ſtylo, aliqua tanto Doctori minus conſultè tribuerint: partim vero quòd hæretici indigniſſima quædam, ſuis dogmatibus fauentia, tanto nomine indigniſſimè adornauerint. Poſtremæ huius ſortis ſunt aliqua, iam à Viris doctis exploſa, vt Commentaria in omnes Epiſtolas, & epiſtolæ quædam, quæ non ſolum Pelagianæ ſunt, ſed ipſum Pelagium hæreſiarcham auctorem agnoſcunt. In horum claſſe, quamquam hæreſes non contineant, geminę epiſtolæ ſunt, iam à Sancti Doctoris operibus exulantes, altera Chromatij, & Heliodori ad Hieronymũ, altera Hieronymi ad eoſdẽ reſpõſiua, quę præfigebãtur olim opuſculis interį Apocripha à Gelaſio relatis, diuoque Matthæo Euangeliſtæ tributis *De ortu, ſiue ſtirpe ſanctæ Mariæ, & de Infantia Saluatoris*; Quæ cum omninò ſint Valentinorum, & Gnoſticorum commenta, ad authoritatem illis in poſterioribus ſæculis conciliãdam, huiuſmodi fictis epiſtolis à ſectarijs exornabantur. Secundi generis ſunt, quæ iã olim Hieronymo tributa, ſuis deinde auctoribus reſtituta fuerunt, vt quædam Euſebij, Ruffini, Auguſtini, Gennadij, & aliorum eſſe conſtat. Primi verò generis pro re noſtra videntur plura, quæ ad ritus, diſciplinamque Eccleſiaſticam pertinent, vel quia Damaſus, Hieronymi conſilio vſus, ita obſeruari mandauerit, vel quòd idem Hieronimus ex antiquioribus codicibus confuſa in ordinem redegerit, qualis eſt liber Epiſcopalis, & qui Comes dicebatur, quorum alibi meminimus. Ità contigit pariter D. Hieronymo præfationes quaſdam ad libros noui teſtamenti in antiquis codicibus aſcribi, quę eius ſtylum non redolent, quamquam doctiſſimi Viri eas tanquam genuinas receperint, & notis, ac Commentarijs illuſtrauerint, vt D. Thomas, & Nicolaus de Lyra. Hæ quãuis in recentioribus ſacrorum Bibliorum voluminibus expreſſum D. Hieronymi nomen non præferant, falſa tamen continere, non niſi temerè quis doceret. Non longè ab his epiſtolas, omnibus ferè antiquis martyrologijs præfixas, abire exiſtimarem, quæ licet à magno cenſore Baronio, vti fictitiæ, & erroribus refertæ prorſus reijciantur, & poſt Baronium alij recentiores gregatim incedentes idem confirment, vetuſtas tamen in pluribus Eccleſijs fuiſſe, & ab aliquo pio Viro compoſitas negari nequit, ſiue ille ex antiqua traditione, ſiue ex vetuſtiori aliquo libro in his contenta retulerit. Hinc alter facilè potuit, tàm martyrologij, quàm lectionarij, & aliorum ad Eccleſiaſticos ritus ſpectantium, libros Hieronymo tributos præfationibus ornare, alter tandem præuijs epiſtolis Hieronymi nomen addere, & primam Chromatio, & Heliodoro Epiſcopis, Sancto Doctori familiaribus tribuere

buere, quòd illis alia eiusdem opera passim inscribi viderit; Explodendas tamen ex hoc capite, tanquam falsas, & mendacijs refertas epistolas mihi, non nisi magni Baronij auctoritas suaderet, cum omnia in eis contenta, vel omninò vera sint, vel mitius saltem interpretari posse videantur.

An Eusebius Cæsariensis Sanctitatis titulo, quo apud aliquos insignitur, exuendus sit.

EXERCITATIO I.

Cũctà cecidit sãctitate, qui ab Ecclesia Catholica spõte prosilijt, clamat S. Maximus Martyr in epistola ad Petrum Illustrem, *quod non nisi per piam confessionem, & orthodoxam fidem sanctificationem recipi, Sanctumque vocabulum possit*. Eusebium alioquin doctissimum ante Nicenum Concilium propalam Arianum fuisse, ex dicendis constare arbitror, resipuisse verò, quod aliqui existimant, ita incertum, vt plurimi ex antiquis non credant. Quid hac in re statuendum sit, Romani Pontificis iudicium omnino sit; mei enim non est sanctitatis alicui titulum, vel tribuere, vel abrogare. Ad martyrologij tamen vetustioris Eusebio pariter, ac D. Hieronymo tributi lucem addendam, quæ antiqui, magnique viri de eo senserint congerere libuit, vt interim a D. Hieronymi sententia non discederem. Neque hic negarem, quod iam supra profitebar, antiquum Codicis scriptorem xv. Kal. Iulij, Eusebij alicuius Episcopi Cæsariensis sanctitatem famosiori, de quo epistolæ martyrologio præfixæ loquebantur, facilè tribuisse, atque inde Vsuardo, Petro de natalibus, Maurolycio, Ferrario, alijsque Eusebianæ sanctitatis assertoribus accidisse, vt impositum ex eruditione, vel dignitate sanctitatis titulum, ad pietatem, & mores extenderint, nullumque Cæsariensem Eusebium præter eum, qui Pamphili dicebatur, agnoscentes, fine districtiori examine, quicquid de Eusebio adnotatum viderint, in Historiographum transtulerint. At meminisse oportebat præter Cæsaream Palestinæ, alias eiusdem nominis saltem duas Vrbes à Geographis memorari, quæ Cesareæ dicerentur. Et plures etiam S. Viros reminisci oportebat Eusebij nomine fuisse vocatos, quorum aliquis sub ea die coli potuerit. Pro Eusebio quidem Pamphili à Baronio doctissimo repositum Eusebiũ Samosetanum Martyrem videbam, sed cum hic Dolichiæ diem suum obierit, neq; adhuc appareat ad aliquã ex Cesarienſibus Vrbibus reliquias eius translatas fuisse, non nisi per vim Martyrologio nostro accomodari posse verebar, cum expressè Eusebij depositionem Cesareæ retineat. Quem autem hic Eusebij nomine Sanctum reponendum esse cogitarem, & an Cesareæ Palestinæ, vel Cappadociæ, vel Mauritaniæ legendum foret, quia diffusius suo loco remanet discutiendum, hic in Cæsarienſi Palestino parumper lectorem meum detinebo. Bellarminius vtique de script. eccl. post Baronium miratur recentiores nonnullos nimio ardore ab Arianismo reuocare Eusebium Pamphili tentasse. At excusandi aliquo pacto sũt, quòd pro Viro eruditissimo, ac inter Ecclesiæ Magistros ab ipso etiam Hieronymo annumerato laborauerint, pro illo nempe, qui in Vsuardi martyrologio dudum, & ad plures annos in Ecclesijs pro sancto habitus, & veneratus sit. Quis Eusebium recogitans, vel filium Pamphili Martyris, vel ex sorore nepotem, vt Nicephorus lib. 7. cap. 16, testatur, vel cum eodem Pamphilo in carceribus Confesso-

fessorem, vt Photius astruit n. 118. & Aphiani Martyris præceptorem, vt ipse testatur libro de Martyribus Palestinæ, non optaret, ex Sanctis traducem, Martyrisque socium, & magistrum Sanctum esse? Quis Euagrij historiæ initium perlegens non cuperet, tantum virum inter Catholicos, & Sanctos Episcopos numerari? *Eusebius* (inquit) *cognomento Pamphili vir sanè, cum in alijs rebus disertissimus, tum in scribendo tantùm pollens, vt posset lectores suorum librorum, & si non efficere perfectè Christianos, ita tamen persuadendo impellere, vt Christianam religionem lubentes colant.* Quis eius celebratam à Constantino Imperatore modestiam, & Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantiam recolens, dum à propria inferiori sede in Antiochenam transferri renuit, ab Ecclesia Catholica diuulsum non doleat? Et quem inde Beatum dixerit Constantinus apud Sozomenum lib. 2. cap. 18. quòd non ad vnius ciuitatis, sed ad totius orbis terræ Episcopatum idoneus existimaret, perditum esse non conqueratur? Admirabilem virum Eusebium vocat D. Hieronymus initio de locis Hebraicis, passimque doctissimum dicit, & quòd maius est cap. 9. in Danielem, Ecclesiæ magistrum, & tamen cum alijs summis viris extra Ecclesiam ejicit. Verùm negari nequit Arianum Eusebium Pamphili aliquando fuisse, ita apertè docente Athanasio ante Concilium Nicenum, *Eusebius quoque ex Cesarea Palestinæ in literis ad Eufrationem non veritus est palam dicere Christum non esse verum Deum.* Sed præcipuè quòd ipse met fidem suam satis prodat, quemadmodum ex antiquis animaduertit Photius, tùm n. 11. tùm 107. Bibliothecæ, inter recentiores Billius lib. 1. obs. 23. & post eum Gothifredus ad Philostrogium lib. 1. cap. 23., qui editas ab Eusebio Ariani dogmatis sententias diligenter enumerant. At cardo exercitationis nostræ in hoc versatur, an post Arianissimum resipuerit, & post damnatam in Niceno Concilio Arij sententiam pœnituerit. Alij profectò Patres fuerunt, qui in hæresim lapsi ad sanam deinde mentem redierunt, & inter catholicos computati deinceps sunt, & talis aliquando Theodoretus fuit, qui S. Cyrilli coæuus, & hostis, Nestorio primum fauit, postea resipuit, & in Concilio Calcedonensi inter Catholicos recenseri meruit. Quòd enim falso aliquis, & fidei Catholicæ aduersa scripserit, non dum re tunc apertè definita, non hæreticus dicendus est, quandoquidem fidei perduellem non faciat assertio falsa, sed contumacia, & aduersus Magistram Ecclesiam obfirmatio, quemadmodum D. Augustinus docuit ad Vincentium Victorem lib. 3. de orig. animæ cap. 15. & de dono perseuerantiæ cap. 21. Resipuisse Eusebium nō modo quòd Niceno Concilio subscripserit, sed quòd in Ecclesiæ faciem data Apologia se purgauerit ab erroribus Arij, sunt qui doceant, & in primis Gelasius Cizicenus quarti sæculi scriptor, qui in Actis Concilij Niceni lib. 2. cap. 1. ita Eusebium dealbat, *Nemo autem existimat virum hunc ex his, quæ de illo fama circumferuntur, quasi Arij blasphemiæ consenserit, sed credat si quæ protulit, aut scripsit Arij dogma tantillum subolentia ea, non ex iniquo illius sensu protuliſſe vnquam, aut scripsisse, sed ex minus curiosa, parumque solicita simplicitate, vt ipse in libro Apologetico, quem ad Orthodoxos omnes Episcopos misit, plenius ista probauit. Verùm dicere hominem conijciet quicunque prudens considerat, quo tempore ille vixit, & ex illo credat, quod nondum ea, quæ sunt Arij illo tempore audita vsquam fuerant, demonstrabant verò idem ipsius in Synodo Nicena contra impietatem Arij pro Apostolica, & Orthodoxa fide certamina.* Græcus iste Auctor, cuius opusculum suppresso nomine Acta Nicenæ Synodi vocant, & quem Photius n. 88. & 89. Bibliothecæ vnum putat ex Gelasijs Palestinæ Episcopis, duo hic videtur adstruere Primum quòd innocenter Eusebius à se scripta ante Concilium Nicenum in vulgus ediderit, nondum damnatis Arij blasphemijs. Secundum quòd etiam post

Conci-

Digitized

Concilium propriæ ſententiæ librum Apologeticum vulgauerit ad Orthodoxos omnes Epiſcopos, in quo plenè probauerit, ſe ea non attentè ſcripſiſſe, quòd idē eſſet, ac retractionem compoſuiſſe. At cum Socrates, qui primus pro Euſebij reſipiſcentia ſtetit, huiuſmodi Apologiæ non meminerit, dubitari iure poteſt Gelaſium librum Apologeticum Epiſtolam vocare, quā Euſebius ad Cæſarienſes ſuos ſcripſit, excuſationibus potius, quā verę pęnitētiæ argumētis refertā. Dubitari autē nequit Hiſtoriæ libros, in quibus Ario cōſentientia quædā inueniuntur, ante Concilīū editos nō fuiſſe, ſicuti pariter quæ in libris de Euang. præp. & Demonſtratione Arium ſapiunt, cum libros huiuſmodi ante hiſtoriam ſcriptos fuiſſe, ex eiuſdem hiſtoriæ capite ſecundo non obſcurè appareat, & his, aut ſimilibus rationibus Zonaras lib. 3. in Conſtantino, quæ Euſebio de Arianiſmo opponebantur, diluere tentet. Equidem prouectæ ætatis iam erat Euſebius, cum eidem ſynodo interfuit, tùm quòd ſub Diocletiano in carceribus cum Pamphilo, alijſque Confeſſoribus fuerat, tùm quòd inter primos Epiſcopos ſubſcribit iuxtà antiquum morem, quo Seniores Epiſcopi ante Iuniores Conciliorum decreta confirmant. Nemo autem reſipiſcentiam Euſebij, ſi aliunde conſtaret, immò niſi aliunde ſuſpecta eius fides eſſet, poſſet apertius confirmare, quàm ſynchronus ſcriptor Athanaſius, cuius verba, quæ libenter hic addo ex Decretis Nicenæ Synodi contra Arium, ita per latinum interpretem eidem fauere videntur. *Euſebius ex Cæſarea Paleſtina cum pridie abnegaſſet, in eandem ſententiam tamen poſtridie ſubſcripſit, quam etiam Eccleſiæ legendam miſit, dicens eam eſſe Eccleſiæ fidem, & Patrum traditionem, omnibuſq; manifeſto apparuit eum prius, & temerè erraſſe, & fruſtra contra veritatem pugnaſſe. Nam tametſi eum puduit ſcriptis errorem fateri, vt potuit ſe Eccleſiæ excuſauit &c.* Profectò verba illa opinionem ſuam *Eccleſiæ legendam* miſiſſe viderentur ſignificare, quòd publicè ſententiam ſuam ſcripſerit, & faſſus ſit reliquorum Orthodoxorum opinionem eſſe Eccleſiæ fidem, & Patrum traditionem, niſi hæc Epiſtolam ad ſuos datam adhuc ſuperſtitem, excuſationibus, & pudore refertam potius reſpicerent, quàm Apologeticum aliquem librum, vel retractationem à Gelaſio Cyziceno memoratam. Quin potius ex D. Athanaſij verbis appareat, puduiſſe illum errorem fateri, & magis excuſationem, quàm retractationem Eccleſiæ obtuliſſe, *quia puduit ſcriptis errorem fateri, & vt potuit ſe Eccleſiæ excuſauit.* Ex quibus, neque vera reſipiſcentia, neque efficacis retractatio conuincitur. Magis vtiq; ſi Euſebij verba eſſent, quæ in ipſius latino Chronico habentur ad annum 324. bona fide reſipuiſſe probarent, atque ſincero animo in Homouſion conſenſiſſe. Talia enim ſunt. *Alexandrina Eccleſia 19. ordinatur Epiſcopus Alexander, à quo Arius presbyter de Eccleſia electus multos ſua impietati ſociat. Ad quorum perfidiam coarguendam ſynodus 318. Epiſcoporum in Niceam vrbem Bythiniæ congregata omnes hæreticorum machinas Homouſij oppoſitione delenit.* At cum in Græco codice non legantur, & alieno loco videantur appoſita, Viris doctis placuit à B. Hieronymo addita omninò fuiſſe, quòd longe ab erubeſcentia illa diſtare videantur, cuius meminit D. Athanaſius, & quæ fortaſſe intra catholicæ confeſſionis cancellos culpabilis non fuiſſet. In viro ſiquidem tanti nominis, tantiſque editis voluminibus claro, errorem propalam fateri non ex minimis eſſet, & omni prorſus laude digniſſimus extitiſſet, ſi veritati deinceps litans, qui inter Eccleſiæ Magiſtros numerabatur, à ſui ipſius æſtimatione maluiſſet, quàm ab Eccleſia diſcedere; Sed præterquamquod Epiſtolam, quam in ſui excuſationem Euſebium ſcripſiſſe D. Athanaſius addit, eandem eſſe patet cum ea, quam ad Cæſarienſes, vel potius ad Arianos quoſdam, defectionem eidem improperantes dedit, vt Theodoretus refert lib. 1. cap. 2. neque prorſus in ea ſinceram Confeſſionem, & Arij damnationem

D. Athanasius cognoscit, sed vi extortam veritatem, & inuoluntariam damnatæ hæresis accusationem. Ad illa namque verba, quæ attulimus statim subdit. *In Epistola tamen, in qua Dei filium consubstantialem, & ex substantia Patris existere non inficiatur, clarè se in errore fuisse demonstrat, miserque prorsus in eo fuit, quòd vt se purgaret, coactus sit Arianos accusare.* Non enim epistolam illam producit Athanasius, vt Eusebium pœnitentem ostendat, sed Acacium peruicacissimum Arianum, suo etiam Præceptori stolidè refragantem coarguat, & Arianos omninò apostatas esse doceret. Ita enim ait. *Vnde eos (nempe Arianos) perduelles videas, & in primis Acatij aduersus præceptores suos stoliditatem deprehendas.* Quamquã verò in his, quæ attulimus, D. Athanasius apertæ hæresis Eusebium insimulare non videatur, quin potius Niceno Concilio subscribentem, dato fidei libello adhæsisse consentiat, dum tamen Arij dogmata apertè impugnare voluisse negat, quamuis infamiæ metu se Ecclesiæ excusaret, in Niceno Concilio damnationem Arij; non nisi coactum, & nolentem ratam habuisse significat. Cæterũ sicuti illum apertè Arianum post Nicenum Concilium apud D. Athanasium non inuenio, sed ex propensione in Arij gregales dubiæ fidei reputatum, ità eundem apud alios inuenio hæresis studiosè palliatæ manifestius insimulatum. Cùm autem confusam horum narrationem, etiam in antiquis Ecclesiasticis Chronologis docti viri suspicentur, cumque minùs apud illos accurata temporum ratio in recentioribus plures anachronismos induxerit, & ex ordinata gestorum serie constare facilè possit, an Eusebius Cæsariensis dubiæ fidei, & in Arium propensus vsque ad mortem extiterit, altiùs, sed breuissimè ea repetero, quæ Eusebium Cæsariensem respiciũt, mihi licere arbitratus sum, & insuper quia à Baronio doctissimo dissentire in aliquibus cogor, ea vetustiorum testimonia ad amussim adducere, ex quibus Chronologiam contexuerim. Qua quidem in re vbi testem habere potui D. Athanasium, quia Sanctus, quia coæuus, & pars magna eorum fuit, ab eo non discessi; in alijs verò D. Epiphanium, Theodoretum, Socratem, Sozomenum, Philostorgium, quamuis pariter Arianum, authores eidem æuo proximiores sequendos ita duxi, vt quæ vnus tacuit, ex altero supplerem, nec suas interim partes Eusebio eidem negarem, vel in his quæ ex publicis monumentis refert, vel in quibus veteratoriè se gessisse, non apertè conuinci posset. Arius ergo Ecclesiæ Alexandrinæ, quæ est in Ægypto Presbyterij, Meleti primùm fautor, deinde in Petrum Episcopum Alexandrinum infensus, suscepta ab Achilla Petri successore venia, & ab Alexandro, non minùs propter ingenij acumen magni existimatus, quàm in dubijs disputationibus toleratus, dùm primum dogma impium per modum disceptandi induxit, ità deinde peruicaciter retinuit, vt Ecclesia cum suis fautoribus ab Alexandro interdiceretur. Hinc presbyteris aliquibus in suam doctrinam, & non exigua populi multitudine adductis, Episcopos quoque proximiores lucrari contigit, inter quos *Eusebium eo tempore Nicomediæ Episcopum virum illustrem, & in aula Imperatoris magno honore habitum*, non modò suæ opinionis gregalem acquisiuit, sed antagonistam habuit. Inde acriùs excitata contentione, cum Alexãder Episcopus Alexandrinus in Catholici dogmatis constantia egregiè persisteret, Concilium in Bythinia cogitur, in quo Episcopi Arij fautores, Alexandrum in eandem sententiam cogere posse sperarunt. Cæterùm in irritum cedentibus conatibus *Arius mittit legatos ad Paulinum Episcopum Tyri, & Eusebium cognomento Pamphilum Ecclesiam Cæsareæ Palestinæ gubernantem, & Patrophilum* Episcopum Scythopolis orauit, vt sibi Presbytero liceret populum sibi fauentem, ad conuentus vocare, quia Alexandrinis presbyteris ita mos esset. *Isti cum aliquot Episcopis in Palestina in vnum congregati postulationi Arij suffragati sunt.* Hinc

primas Arianorum turbas, satis dilucidè ortas esse, narrat Sozomenus lib. 1. cap. 14. Arij autem dogmata facilem aditum in Eusebium Cæsarienſem inuenerunt, quia ex Origene, quem plurimi ſemper ipſe fecerat, defluxerant, nec ab editis iam per Eusebium libris, vnde forte, vel didicerat Arius, vel dogmata fouerat, non abhorrebant, & quia, vt in literis Arij, apud Theodoretum lib. 1. cap. 5. cõtinetur, inter eos fuerat Euſebius Cæſarienſis, quos anathemate Alexander Epiſcopus ferierat, & tandem quia iam Euſebius Arij defenſionem ſcriptis ſuſceperat, vt ex Epiſtolę Nicomedienſis Euſebij ad Paulinum in hiſtoria eadem Theodoreti cap. 6. apparet. Ex his diſſentionibus, quas cùm alijs etiam ægrè ferebat Conſtantinus, Concilium Nicenum originem duxiſſe in confeſſo eſt. In hoc primum Arij partes Euſebium tutatum eſſe, mox cùm Catholicis non ſine pudore conſenſiſſe, & decretis fidei conſubſtantialis coactum ſubſcripſiſſe iam vidimus: altiùs verò hic repetiuimus, vt quàm fortes, & annoſas in Euſebij animo Arij dogma radices egerit, deducatur, & quàm difficile ab animo ſcientia inflato auelli deindè paſſus ſit. Parta igitur inter Epiſcopos pace, & poſt Concilium Nicenum, cum iam anno Conſtantini vigeſimo, vt Sozomenus memorię conſignat lib. 2. cap. 18. omnia ſedata eſſent, & vt ipſe pariter Euſebius in vitæ Conſtantini cap. 57. lib. 3. fatetur, auctor eſt Socrates lib. 1. cap. 18. prima in Ægypto ſemina diſcordiarum *ſtatim poſt confectum Concilium*, opera Euſebij eiuſdem Cæſarienſis emerſiſſe, *quòd ſecum decreuerat, ea quæ in Concilio Niceno conſtabilita erant, ſua ſententia neutiquam confirmare*. Ad hæc pacis, & tranquillitatis tempora, tumultus pro noui Epiſcopi electione Antiochiæ excitatos idem refert Euſebius lib. 3. c. 59. vt in ſui laudes artificiosè deſcenderet, & modeſtiæ ſuæ, ac canonicæ obſeruantiæ ſignũ à Cõſtãtino laudatum interſereret: ſed ſuppreſſis, vt ipſe inquit, Epiſtolis, *ne calumniæ notam, his qui erant in crimen vocati* inureret, dubium ſatis reliquit, quis nàm tumultus ille fuerit, & ex cuius Epiſcopi electione promanauerit. Pro Euſtathij Epiſcopi electione, excitatas turbas putat Baronius ante Nicenum Concilium, quòd Euſtathius Antiochenus eidem Niceno ſubſcripſerit. At cùm Nicena Synodus, ad aliquot ſaltem menſes perdurauerit, pluraque diſcuſſa fuerint in eo dogmata, nondum coacto Concilio inceptam fuiſſe diſſentionem ſuſpicaretur, & in ipſo Concilio abſolutam; Quandoquidem non ab Antiochenis inter ſe diſcordantibus, & alijs in Euſtathium, alijs in Euſebium Cæſarienſem propenſis, Euſtathij in Antiochenum Epiſcopum electio fuerit, ſed Nicena ipſa ſacra Synodus, Euſtachium in Antiochenam ſedem tranſtulerit. Si enim ea vera ſunt, quę tradit Sozomenus lib. 1. cap. 2. iam Criſpo, & Conſtantino Cæſaribus accidit, vt vacãte Antiochena Eccleſia *Epiſcopi Nicæa coacti Euſtathium propter cùm vitæ, tùm doctrinæ præſtantiam admirati dignum iudicarunt, qui ſedem Apoſtolicam capeſſeret, & ob eam cauſam, cum eſſet Epiſcopus Beroeæ Vrbis finitimæ illum inde Antiochiam tranſtulerunt*, quod ità intelligerem, vt Patres Concilij ab Antiochenis electum Euſtathium ad diſſentiones ſopiendas confirmauerint, ità enim docet Theodoretus, ex quo fortaſſe aliqua confundens Sozomenus accepit, vt ſcilicet non Philogonio, ſed Romano, Antiochena ſede vacante, Euſtachius ſubſtitutus fuerit; præſtat igitur Theodoretum ipſum audire lib. 1. cap. 7. ità de inito Concilio Niceno ſcribentem. *Statim vt ſeſſum eſt, Euſtathius ille magnus (qui Philogonio cuius ſupra mentionem feci, ex hac vita ad aliam meliorem tranſlato, Epiſcopatum Eccleſiæ Antiochenæ obtinuit, quippe cum Epiſcopi, & Sacerdotes, & vniuerſus populus Chriſto deditus communibus ſuffragijs, inuitum Eccleſiam pro Philogonio paſcere coegerant) ille inquam Euſtathius Imperatorem laudis inſignibus ornauit, & ei pro ſingulari ſuo ſtudio erga res ſacras eximia gloriæ præconia tribuere ca-*

pit,&c. Hæc autem ideò integra transcripsimus, vt in hoc etiam Eusebium videamus Eustathij gloriam silere, quòd tantùm narret de Vita Constantini, se in eiusdē primo ad Nicenum Concilium ingressu orationem habuisse; Silentij verò causam facile est coniectare, quòd simultas illi cum Eustathio esset. Ex ipso enim Eusebio patet, altercantibus pro noui Episcopi canonica electione Antiochenis, plures ipsum Eusebium Cæsariensem, etiam quadam vi à Cæsarea abducere volentes, in Antiochenum Episcopum postulasse, ipse verò renuisse, siue sponte, siue quia de voluntate Constantini conscius id reijceret, quod Imperator non admisisset. In Epistola equidem, quam ad populum Antiochenum dedit Imperator, apud eundem Eusebium lib. 3. Vitæ Constantini cap. 58. non ideò sacris Canonibus repugnare dixit, alienæ Ecclesiæ Episcopum in aliā Ecclesiam transferri, vt passim erat eo sæculo vsitatum, sed quòd in electione, & suffragijs pensandis Ecclesiæ canon non fuisset seruatus, ac proinde Constantinum Eusebij electionem ratam non habuisse, quamquam de animi moderatione Eusebium ipsum amplissimè interim ad demulcendum animum laudauerit. Has autem populi Antiocheni turbas accidisse in Eustathij electione, quamuis in narrationis serie subticeat Eusebius, attamen ex titulo cap. 57. inscripti *De tumultu propter Eustathium Antiochiæ suscitato*, manifestè apparet, in noui Episcopi electione scissuras illas Antiochenæ Ecclesiæ accidisse. Neque enim Theodoretus dixit vniuersum populum (Antiochenum hic intellige, quid enim Nicenus populus in Antiocheni Episcopi electione?) Eustathium elegisse, sed vniuersum Christo deditum, hoc est Catholicorum cætum, nam Schismaticorum partem facilè est in Eusebium Arij fautorem descendisse. Cum verò dissentio hæc Antiocheni populi diuersa omnino sit ab ea, quando post plures annos Eustathius ab Eusebianis depositus exulauit, & iterum Eusebius Pamphili ad eandem sedem expostulatus fuit, confundenda tempora non sunt, & motus hic Antiochenus ab alio seiungendus. Nec difficile est simultates inter Eusebium, & Eustathium ortas, ex opinionum pariter discrepantia, & Arij iam ab Eusebio suscepta protectione, originem duxisse, sed etiam ex æmulatione quadam accreuisse, Socrates enim lib. 1. cap. 18. Eusebium refert ab Eustathio ortodoxo Episcopo acriter perstrictum, *vt pote fidem in Concilio Niceno roboratam deprauantem. Eusebius Pamphili, tùm se fidem illam non omnino violare assereret: tùm Eustathium, vt Sabelij opinionem inducentem, graniter insimularet.* Quæ ideo etiam afferre non dedecuit, vt hinc pariter apud Catholicos Eusebium malè audientem cognoscamus, & dubiæ religionis à fidelibus deinceps etiam fuisse habitum. Sed quæ post Nicenum Concilium nouæ turbæ excitatæ sunt, & quas Eusebius Cæsariensis fouit, animaduertere expedit. Eusebius Nicomediensis, qui vt aliqui volunt, subscribere in voce Consubstantialis noluit, vel vt alij narrant, quamquam subscripserit, statim & iterum pro Arianis classicum intonauit, à Constantino in exilium cum socijs mittitur *post tres à Synodo menses*, quemadmodum Philostorgius notat in excerptis lib. 1. cap. 10. At per fraudem dato pœnitentiæ libello, quòd Socrates narrat lib. 1. cap. 5. ab exilio Eusebius reuocatur, & Ecclesiæ tuæ restituitur, idque *post tres annos integros*, vt idē addit Philostorgius, tùm apud Photium, tùm diffusius apud Nicetam in Thes. ortod. fidei lib. 5. cap. 8. in fin. *exacto* nempe *triennio*. Hunc autem Nicomediensē Eusebium *statim à reditu symbolum hæreticæ fidei proposuisse, & vbique misisse ad euersionem Synodi Nicenæ, & Alexandrum Episcopum Alexandriæ depellendum, & abdicandum*, subdit Philostorgius lib. 2. cap. 7. in eo corrigendus, quòd pro Athanasio Alexandrum posuerit fortasse scriptoris vitio, quandoquidem tertio, vel quarto anno post Nicenum Concilium Athanasius Ecclesiæ Alexandrinæ præ-

fuerit,

fuerit ſuffectus Alexandro, qui à Niceno Concilio quinto menſe deceſſerat, vt auctor eſt Theodoretus lib. 1. cap. 26. Philoſtorgio adſtipulatur Socrates lib. 1. cap. 18. dum Euſebium, & Theognidem, ab exilio reuocatos omne ſtudium ad euertendam Nicenam Synodum contuliſſe narrat; duobus nominibus ad eam rē impulſos, improba videlicet Arij opinione, & odio, quo aduerſus Athanaſiū flagrabant. Inter primos autē impietatis conatus fuit, ſanctos, catholicoſque Antiſtites magis eorum votis repugnantes à proprijs ſedibus exturbare. In primis narrat Philoſtorgius lib. 2. cap. 7. Euſtathium Antiochiæ Epiſcopum incontinentiæ accuſatum, ac depoſitum exulaſſe, quod Euſebij, & ſociorum opera perpetratum, addit Theodoretus lib. 1. cap. 21. in eo non ſequendus, quòd vel falsò, vel fortaſſe per anticipationem ſcripſerit, vt infra oſtendemus, Euſebium Nicomedienſem Conſtantinopolitanam iam Cathedram obtinuiſſe. Calumniam meretricis longius illic proſequitur Theodoretus, & pro re noſtra Euſebium Ceſarienſem ſceleris non minùs, quam hæreſis ſocium, ita depingit. *Illi autem* (poſtquam amicè ab Euſtathio Antiochiæ recepti fuerant) *vbi venere ad Sacra Hierosolymorum loca, & Euſebium Epiſcopum Ceſareæ, Patrophylum Scythopolitanum, Aetium Liddæ Epiſcopum, & Laodicia Theodotum ſuæ opinionis fautores, alioſque quos labes Ariana infecerat, viderunt facinus, quod per inſidias molirentur illis aperuerunt, quibus comitati rediere Antiochiam.* Et quamquam aliqui doctrinæ Apoſtolicæ propugnatores clamarent, per calumniam Euſtathium adulterij reum inſimulari; eundem tamen illi abdicauerunt, & Imperatori celeriter crimen perſuadentes, *caſtitatis Athleta velut adulter ſimul, & tyrannus in exilium pellitur.* Concilium tunc coactum Antiochiæ, habet Socrates lib. 1. cap. 18. & Euſtathio abdicato, grauem ibi ortam ſeditionem narrat de nouo Epiſcopo eligendo, cùm populus in duas factiones diuideretur, *Quarum altera, Euſebium cognomento Pamphilum Ceſareæ Paleſtinæ Antiochiam transferri, obnixè contenderet, altera Euſtathium denuo reducere magnopere laboraret.* In hac ſeditione Socrates putat Euſebium Antiochenam Cathedram accipere renuiſſe, & propterea ab Imperatore maximopere commendatum eſſe. At quia tempus Antiochenæ pro eo excitatæ tumultuationis Euſebius ipſe non aliter ſignat, quàm per Eccleſiæ pacem Niceno Concilio ſubſecutam, hanc eandem illius Eccleſiæ ſciſſuram diu perduraſſe ſuadeor, & per Epiſcoporum, breui interuallo, ſibi inuicem ſuccedentium, repetitam electionem non ſemel redintegratam fuiſſe exiſtimo, præſertim poſt Euſebianorum ab exilio reditum; Quod in Epiſtola Conſtantini indicatum conijcio, cum non pro reſtitutione Euſtathij, ſed vacante Eccleſia pro noui Epiſcopi electione de ſuffragijs certatum eſſe narratur. Malè quaproter Socrates ad octo annos Antiochenam Eccleſiam Epiſcopo caruiſſe, & Euſronium tandem ab hæreticis Epiſcopum deſignatum refert, nam Theodoretus ſtatim lib. 1. c. 22. Eulabium ſubſtitutum Euſtathio narrat, quo paulò poſt mortuo Antiochenos *Euſebium Epiſcopum Ceſareæ* ad ſe transferre poſtulaſſe, eo verò renuente, vel Imperatore vetante Euphronium elegiſſe, quo etiam poſt annum, & menſes aliquot obeunte, Epiſcopatus ad Placentium delatus ſit, qui Flaccillus alijs dicitur, & in Conciliabulo Tyri ſubſcripſit; ſed in his omnibus prævalens Arianorum factio, cujus farinæ fuerit, ſubdit his verbis Theodoretus, *In horum omnium animis delituit Ariana labes.* Ex Euſtathij ergo viri ſanctiſſimi abdicatione, & Epiſcoporum Arianorum intruſione non difficile eſt arguere, cur Antiocheni Ariana fæce maculati, tanto ſtudio Cæſarienſem Euſebium in Epiſcopum efflagitauerint, quia ſcilicet occultè Arianum eſſe ſcirent. Hìc autem circa tempus Antiochenæ ſeditionis omninò à Baronio eruditiſſimo diſcedere vel inuitus cogor, quòd contra omnes Eccleſiaſti-

fiasti ex historiæ scriptores Eustathij exilia ad Constantij tempora retulerit, & in annum 340. reiecerit; Supra Theodoretum enim, Socratem, & Philostorgium iam adductos, Sozomenum addere possumus lib. 2. cap. 18. & D. Hieronymum in Chronico, qui omnes sub Constantino, non sub Constantio, id apertissimè referunt. Nec est quod Theodoretus Eustathij abdicationem referat, cum iam Eusebius Nicomediensis Constantinopolitanus esset Episcopus, nam vel id per prolepsim addidit, vel in eo manifestè deceptus est, quòd viuente Constantino Eusebius eam Cathedram arripuerit, cum alioquin doceat turbas Antiochenas sub Constantino excitatas esse. Plurimi equidem non facerem Eustathium eiectum dici, quia fidem Nicenam propugnaret, & ideo tunc expelli non potuisse, quia ne mutire quidem contra eandem fidem sub Constantino liceret, Eusebianos enim clam, sed omnibus viribus eandem infringere tentasse, catholicosque varijs tecnis circumuenisse, ita notum est, vt probatione non indigeat; Quandoquidem, & si Eustathius ob fidem re vera exulauerit, extructis tamen incontinentiæ calumnijs, alijsque impositis sceleribus, ita apud facillimum Imperatorem subdoli egerunt Ariani, vt in Eustathij proscriptionem descenderet. Quod ergò ex Athanasio ad solitariam vitam agentes, ac Hieronymo de script. Eccl. adducitur, vulgatus error est librariorum, qui Constantium pro Constantino vtrobique reposuerunt, & in Athanasio quidem conuincitur, quia Flaccillum Eustathij depositi successorem in Synodo Tyria, sub Constantino indubiè habita, circa annum 334. omninò retinet, & apud Hieronymum pro Constantio Constantinum antiqui codices referunt, præcipue editio anni 1480., quemadmodum in Græco Sophronius constanter exhibet. At præter hæc, illud amplius suadere doctissimo Baronio poterat, Eustathium sub Constantino fuisse proscriptum, quod indubiè Athanasio idé prorsus euenerit. Iam post reditum Eusebij Nicomedienſis ab exilio, turbæ illæ, quæ in Ægypto excitatæ erant, studio, vt diximus, Eusebij Cæsariẽsis ità inualuerãt, vt Cõstãtinus calumnijs pluribus ludificatus, tãdẽ Athanasiũ expelleret. Theodoretus ergo primam per milites calumniam Sancto Episcopo extructam narrat lib. 1. cap. 26., quasi Tyrannum quendam, per impositũ Ægypto tributum foueret, sed Athanasius Constantinopolim pergens tecnas primas dissoluit, quàm fortasse, vt Socrates innuere videtur, Eusebius Cæsariensis primũ commouerat, eas enim fraudes, quas deinde in Athanasium Ariani construxerant cap. 28. iam ab Eusebio Nicomedienſi, cum socijs ab exilio reuocatis, promotas fuisse palam est, quippe qui accusatores multorum scelerum ad Constantinum deduxerant, & suaserant contra Athanasium *Cæsarea Palestinæ (ibi enim complures erant Athanasio infesti) concilium conuocari*. In Vrbe ab Arianis subdolè proposita, quid de Eusebio eiusdem Ciuitatis Episcopo sperare illi possent, & qualem se præstaturum spoponderit in causa Athanasij, pro Religione re vera inducta, sed fabulis aliorum scelerum adornata, coniectari facilè esset, nisi Theodoretus ipse animaduertisset, Athanasium Concilium Cæsareæ indictum refugisse, *propter illius Vrbis antistitem*, atque ideo Constantinum iussisse, vt Concilium Tyri cogeretur, datis, tàm ad eosdem Episcopos conuocandos, quam ad Athanasium litteris, amarulentia, & bile in detrectantem refertis. Iam trigesimus annus Constantini imperantis agebatur, quemadmodum notat Socrates lib. 1. cap. 20. & Athanasius, qui Concilio Cæsarienſi non obtemperauerat, *quòd fraudolentum iudicium, tùm Eusebij illius Vrbis Episcopi, tùm alterius Eusebij Episcopi Nicomediæ, tùm aliorum, quos circa se habebant veritus esset*, vt Sozomenus addit lib. 2. cap. 24. licet grauiùs vrgeretur, *circiter menses triginta profectionem distulit. Postea autem cum vehementius impelleretur venit Tyrum*. Verùm ex eo, qui Concilia-

liabulo Tyrenſi præſedit, & eiuſdem Concilij exitu arguere quiſque poſſet, quæ fides Euſebij Cæſarienſis tunc fuerit palam in Catholicos infenſi, & alijs quæſitis cauſis hæreſim occultantis. Sed tam apertè S. Epiphanius eundem Euſebium perfidæ illius congregationis, & iuſſu Conſtantini Præſidem, Arianæ hæreſis ſuſpectum pingit Hæreſi 68. vt eundem potius à fide Apoſtatam, quàm dubiæ fidei inſimulatum fuiſſe doceat; quemadmodum per interpretem audire opportuniſſimum erit, hoc pacto primum de Conſtantino loquentem, *Iubet autem conuocari Synodum in Phœnice in Vrbe Tyro, & iuſſit iudicare cauſam hanc Euſebium Cæſareæ Epiſcopum, & alios quoſdam; erant autem hi quodammodo magis inclinati ad Arianorum vanitatem.* Parum autem dixiſſet Epiphanius, ſi Euſebium Cæſarienſem occultè tantùm Arianum iudicare voluiſſet, niſi in eodem Conciliabulo, ab Ægyptijs Catholicæ partis Epiſcopis, & præſertim à S. Potamone Confeſſore, omnimodæ Apoſtaſiæ inſimulatum referret. Neque audiendum hìc putarem Binium in animaduerſionibus ad Conciliabulum Tyrium, qui abnegatæ fidei notam Euſebio Nicomedienſi, non Cæſarienſi tribuerit, cum apertiſſimè D. Epiphanius iam dictis ſequentia verba ſubnectat, quæ niſi de Euſebio Cæſarienſi Præſide, ac Iudice poſſunt intelligi. *Et vocati ſunt Epiſcopi Ægypti Catholicæ, & ſub Athanaſio Principe quidem veri, ac maiores, & in Deo illuſtrem vitam habentes. Inter quos erat Beatus Potamon, magnus ille Heraclææ Epiſcopus, ac Confeſſor, ſed & ex Meletianorum partibus, qui Athanaſium accuſabant. Quem autem zelotes eſſet pro veritate, ac recta fide prædictus Beatus Potamon liberum habens os, & qui nunquam perſonam alicuius ſuſcepit; oculo enim in perſecutione propter veritatem orbatus erat, cum vidiſſet Euſebium ſedentem, ac iudicantem Athanaſium ſtantem, ſuperatus triſtitia, & lacrimans ob ea, quæ apud veritatis profeſſores fiunt, iaculatus eſt voce magna contra Euſebium, ac dixit. Tu ſedes Euſebi, & Athanaſius innocens exiſtens à te iudicatur, quis tulerit talia? Dic verò mihi tu nonne mecum fuiſti in Carcere tempore perſecutionis? Et ego quidem oculum amiſi pro veritate, tu verò nihil mutilatũ in corpore habere videris, neque teſtimonium per confeſſionem præbuiſti, ſed ſtetiſti viuens nulla parte detruncata, quomodo diſceſſiſti è carcere, niſi quòd promiſiſti his, qui neceſſitatem perſecutionis nobis intulerunt, id quod nefarium eſt ne facturum, aut ſanè feciſti?* In eo verò conuentu Apoſtaſiæ notam Euſebio Ceſarienſi obiectam ab Ægyptijs Catholicis fuiſſe, confirmant Synodalis epiſtolæ verba hæc apud Athanaſium Apologia 2. *Non ne Euſebius Cæſarienſis de Immolatione Idolorum à noſtris Confeſſoribus accuſatus fuit?* Ni fortè ante Tyri Synodum apertius de immolatis (quod hic à S. Potamone tantum dicitur) à pluribus etiam accuſatus fuerit. Pergit hìc S. Epiphanius narrare ab obiecto crimine Euſebium ſe purgare non laboraſſe, ſed indignatum Potamoni de tyrannico more, intẽtatum iudicium diſſoluiſſe, non quòd Tyri tunc Conciliabulum omnino diſſolutum ſit, ſed quòd detectis in Athanaſium calumnijs, Euſebius interim diſcedens, nonnullos Epiſcopos Arianos in Ægyptum ad nouas fraudes parandas miſerit, vt idem D. Epiphanius addit. Nec diſſimiles in Aſclepam Gazeum Epiſcopum fraudes paratas fuiſſe ſuſpicor, quamuis Catholicus pariter Epiſcopus ad Tyri conciliabulum vocatus fuerit cum alijs nonnullis, *qui ob doctrinæ prauitatem accuſabantur*, inter quos Theodoretus lib. 1. cap. 29. Aſclepam numerat, & Athanaſium; Quamuis enim Imperator, vt variorum criminum accuſationes diſſoluerentur, concilium indixerit, de prauitate tamen doctrinæ, orthodoxos ab Arianis accuſatos fuiſſe dubitari nequit; Detectis verò in Athanaſium calumnijs de Macarij poculo, & Arſenij bracchio eo modo, quo Theodoretus refert lib. 1. cap. 30. *cum oporteret, & accuſatores, & Iudices* (hic Euſebium Cæſarienſem ex Epiphanio accenſeo, quòd

Iudex d

Iudex esset) *qui facinoris erant conscij pra pudore se in latebras addere, optareque vt tellus sibi dehiscceret, Concilium tumultu, ac seditione compleruntt*, & Athanasium *quem paulo ante cadis reum egerant discerpere, & mactare aggrediuntur.* Feciissentq; nisi qui ab Imperatore tranquillitati præpositi erant, Athanasium hostium manibus ereptum, & naui impositum recta ad Imperatorem direxissent, ac ita seruassent incolumen. Tunc Asclepas falsi pariter criminis insimulatus absoluitur, eodem prorsus tempore, quo Dalmatius Censor iussu Constantini, iam Sycophantiam de poculo agnoscentis, vt Athanasius scribit Apol. 2. n. 607. de Arsenij homicidio iudiciũ Antiochię peragebat, ita enim de Asclepa Athanasius ipse Apologia 2. p. 594. *Asclepas comministe noster in sacris prolatis Actorum monumentis Antiochiæ confectis docuit, cum ibi simul, & accusatores, & ipse Eusebius Cæsariensis adessent* iudicio Episcoporum, qui huic causæ præsidebant innocentem pronunciatum esse. Delictum Asclepæ Gazei explicat Sozomenus lib. 3. cap. 7. hoc est in crimen vocatum fuisse ab Arianis quibusdam, *quòd altare euerterit*. Hæc autem omnia afferre non piguit, vt qualem se in Orthodoxos gereret Eusebius, hinc etiam dilucidè appareret. Quæ cum & Tyri, & Antiochiæ peragerentur, iamq; de occiso rediuiuo dissolutum esset fabulæ argumentum, Constantinus ex eodem Athanasio p. 607. *inhibuit iudicium Censoris, litteraſque misit, quibus calumnias improbabat, Eusebianosque in Oriente contra Athanasium venientes inhibuit, re infecta abire iussit*. Et quod addit Socrates lib. 1. cap. 22. mandauit, *vt Concilium maturè se Hierosolymam reciperet*. Interim qui calumnias ideo in Catholicos struebant, vt Arium ab exilio iam reuocatum in communionem reciperent in Encæniorum festo sui voti compotes fiunt. *Itaque Episcopi nulla interposita mora Tyro Hierosolymam properè iter faciunt, solemne festum ob locorum illorum consecrationem celebratur, Arius cum suis in Ecclesiam recipitur, quem referebatur erroris sui pœnituisse, & propterea ab ipsis merito receptum esse, Athanasium autem communis consensu relegatum*. Nequid verò in quocunque conciliabulo deesset, quod ad alicuius Catholici perniciem dirigeretur, Hierosolymis Marcellum Ancyræ Episcopum de falsa libri a se editi doctrina insimulant, & iudicium eius depositionis incipiunt. At cum Constantinus resciuisset hæc omnia per vim, & tumultum perpetrata, & eidem Athanasius omnia denunciasset, Episcopis per litteras hæc præcepit. *Omnes qui ad Concilium Tyrium coactum conuenistis è vestigio ad Castra nostra maturaretis, reque ipsa vestrum iudicium æquum, sincerumque commostraretis me audiente. At Eusebius* (subdit Sozomenus lib. 2. cap. 27.) *einsque fautores ad Imperatorem profecti Concilium Tyri habitum iusta, æquaque de Athanasio decreuisse constanter affirmarunt*, & falsis inductis testibus, nouisque calumnijs Athanasium oneratum eo vsque Imperatorem circumuenerunt, vt Athanasium in Gallias, tandem relegauerit, quemadmodum omnes historici fatentur, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, sed Athanasius ipse exul, qui Cæsariensis Eusebij apertè meminit, dum verumque Eusebium tanti facinoris incusat, post Constantini Epistolam ita Constantinopolitanum conuentum retulit. *Quibus cognitis consciij suorũ facinorum, ceteris Episcopis à profectione retentis, soli Eusebius, Theognis, Patrophilus, & alter Eusebius, Vrsacius, & Valens, principem adierunt absque omni mentione calicis, aut Arsenis. Decrat enim illis eius rei fiducia, sed aliud crimen commentitum detulerunt, Athanasium scilicet minatum esse se impediturum, quo minus frumentum ex Alexandria in patriam Cæsaris deueheretur, & paulo infra emicuit ibi Cæsaris ira, et emisso indicio, quid in expectatione erat pos. in Gallias relegauit.* Neque his contentus Eusebius, vt Marcellum etiam Ancyranum deijceret ipsius iudicium Constantinopoli iterum assumendum curauit, quòd ita Socrates narrat.

rat. *Vbi verò Concilium cum festinatione dimissum erat (Imperator enim Episcopos Constantinopolim accersiuerat) Tandem de Marcelli causa Constãtinopoli coram Eusebio, et alijs Episcopis, qui cum eo erant, denuo disceptatum est*; nec finem Iudicium habuit, quin Marcellus de gradu Episcopali deijceretur, culpato hæresis Pauli Samosetani libro, cuius se deinde in Concilio Sardicensi Marcellus purgauit, vt idem Socrates in fine capitis addit. Hæc autem diffusiùs adduxi, vt eo magis Eusebij perfidia clarescat, quem Cæsariensem, non Nicomediensem fuisse, ex eodem Socrate patet cap. 24. lib. 2. dum subdit *librum eius*, hoc est Marcelli, *Eusebium tribus libris confutasse*, ex quibus idem Socrates alibi Apologiam pro Eusebio Cæsariensi retexuerat. Hucusque igitur, anno iam trigesimo Imperij Constantini labente, qualis fuerit Eusebius Cæsariensis, facilè constare arbitror, qualis verò fuerit post horribilem Arij mortem, quę hoc tempore Constantinopoli, aperta Dei prouidentia accidit, & an cum his multis resipuerit, quibus proficua mors Arij fuit, optandum potius, quam credendum arbitror. Certè plurimi ex ijs, qui ante decepti erant, conuersi sunt, ideò nimirum, quòd *non quiuis alius, sed ipse Dominus, blasphemijs impetitus, condemnauerit hæresim aduersus se conflatam*, quæ verba sunt Athanasij ad Serapionem p. 523. Inter hos certè resipuit Constantinus, toties ab Arianis circumuentus, idem enim Athanasius ad solitarios p. 653. testis est, quòd *si Arium sub oculos suos admisit, cum tamen eum periurum, ac proinde effusis visceribus disruptum iacere cognouisset, nulla benenolentia prosequutus est, sed eum re cognita damnatum, et pro hæretico habuit*. Quid autem Eusebius ad hæc? Nil adnotatum de eo præcipuè inuenio, sed ex Athanasio eodem ad Serapionem p. 523. suspicor mortuum Arium non abominasse, sed cum Eusebianis sepelisse, *Eusebiani autem magnopere confusi socium coniurationis sepelierunt*; & alibi non conuersos Eusebianos refert orat. 1. contra Arianos p. 130. sed omnibus innotuisse *fractas esse Eusebij ruinas, Arijque spem frustra fuisse*. Quis verò Eusebius iste fuerit, an Nicomediensis, an Cæsariensis ignoro, Cæsariensem equidem, vel signiferum Eusebianorum, vel gregalem adfuisse non dubito, quòd Constantinopoli esset. Et quamquam mihi non ita apertè constet, quomodo post Arij mortem Eusebius Cæsariensis se gesserit, & an versipellis pellem mutauerit, vereor tamen obdurato corde in eadem sententia permansisse; Constantinus enim non multo post Arĩ obijt, hoc est anno, & paucis mensibus ab exilio Athanasij apud Theod. lib. 1. cap. 32. Quo defuncto, ac vix Athanasio restituto, Eusebius Cæsariensis pariter deuixit, hac de se opinione relicta, vt Ariani adhuc Theodoreti ætate lib. 1. cap. 12. ipsum *velut eiusdem cum ipsis doctrinæ fautorem venerarentur*. Post mortem verò Arij, Eusebium in eadem sententia permansisse, non inde educerem, quoniam in gratiam Constantij Imperatoris Ariani finxerit Constantinum paulò ante obitum Nicomediæ baptismum suscepisse, quo argumento doctissimus Baronius putat ad annum 324. Eusebium propensi admodum in Arianos animi conuinci; neque enim id tantum affert Eusebius, sed tamquam vulgo receptum extat, apud Socratem lib. 1. cap. 26., Theodoretum lib. 1. cap. 32. Sozomenum lib. 2. cap. 32. Gelasium Cyzicenum apud Photium cod. 88. D. etiam Hieronymus apertissimè, ita in appendice ad Eusebij Chronicon confirmat. *Constantinus extremo vitæ suæ tempore, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat, à quo vsque in præsens tempus Ecclesiarum rapina, et totius orbis est sequuta discordia*. Neque ab his longè abijt D. Ambrosius in orat. de funere Theodosij: quos omnes quantumuis deceptos ab Epistola Synodica Ariminensium catholicorum, quæ tùm apud Theodoretum lib. 2. cap. 19. tùm apud Socratem lib. 2. cap. 29. tùm apud Sozomenum lib. 4. cap. 17. prostat, existimemus cum Baronio, quòd

mendum in ipsa irrepserit, & loco Constantis, Constantinus ab inscio librario suppositus fuerit, non tamen inde argui tàm graues scriptores possent de animo in Arium propenso, præsertim quòd D. Athanasius, ex quo Synodicam illam Epistolam corrigendam esse Magnus Annalium Pater contendit, in binis Græcis Codicibus, tam Commelinianæ editionis anni 1600., quàm Parisinæ recentioris anni 1627. non Constantem, vt Petrus Nannius latinus interpres vertit, sed Constantinum omnino exhibeat: quem ad nodum ante mille annos retinet Cassiodorus in Tripartita, & quod magis est, legitur apud D. Hilarium Constantino ferè supparem in fragmento epistolæ Ariminensis. At sicuti ex Baptismo Constantini apud Eusebium non magnum argumentum de illius Arianismo capi posse existimarem: quòd Arianorum Baptismum Ecclesia non respueret, id expressissimè eodē docente D. Hieronymo aduersus Luciferianos, ità de eodē Constantini baptismo, cuius antiquissima quæstio est, vt idem fatetur Baronius ad ann. 324. n. 42. ea me venerari profiteor, quæ Romana Ecclesia, tàm in Martyrologio, quàm in Breuiario sentire videtur, & à septingentis, & amplius annis etiam Græci affirmant in Actis S. Syluestri, & in Menologijs ad diem secundam Ianuarij; quamquam nuperrimè Valesius in notis ad cap. 41. libri quarti de vita Constantini, non modo eiusdē Baptismū apud Eusebiū in extremo vitę ratū habere videatur, sed cathecumenum Constantinum non nisi Heliopoli propè finem vitę fuisse contendat. Cum igitur (vt ad Eusebium redeamus) incertum sit, an post mortem Arij pœnituerit, tantisque argumentis appareat, ante Concilium Nicenum, scriptis etiam libris, propalam Arianum fuisse, post Nicenam verò fidem semper cum alijs Eusebianis orthodoxum videri studuisse, occultè verò in Arium propensum, & Catholicis infensum fuisse, dubiæ quoque fidei in Ecclesia habitum semper non dubitarem, quòd Socrates etiam veritate compulsus non abnuit, dum ipsum fatetur vti bilinguem malè apud plerosque audiuisse lib. 1. cap. 18., quantumuis alibi ab Arianismo eundem per Apologiam purgare laborauerit. Hanc Orientalis Ecclesiæ sententiam esse, & Eusebium inter suspectæ fidei homines relatum, testis est Nicephorus, qui scriptis Eusebium palinodiam recantasse non consentit, & de Socratis Apologia hæc adnotata reliquit lib. 7. cap. 37. *Ego verò si ille quidem sine scripto rectam complexus est opinionem, Socrati non refragor, sin autem ex scriptis illius, quæ legi, res sit diiudicanda multum abest, vt sanam, sinceramque eiusdem fidei sententiam fuisse putem*, & deinde rursus lib. 9. cap. 12. ad Socratem Eusebium defendentem addit. *Ego quidem talem potius virum eum fuisse velim, Ecclesia autem Catholica non talia fortasse indicat, quam potius sequi par est*, concluditque denique occultum huius rei iudicium Deo relinquendum; Apertiùs vero Arianismi Eusebium insimulauit Photius pluribus ante Nicephorum annis ep. 144. ad Cōstantinū Patriciū his per interpretem verbis. *Eusebius ille Pamphilis siue seruus, siue amicus Arianismo infectus fuit. Hoc libri ab illo scripti clamant. Hunc morbum tandem inuitus ipse confessus est, sed ipsamet resipiscentia sua magis se patefecit non resipuisse. Nec enim per Apologiam, vt videri voluit, persuadet se à priori hæresi recessisse, aut sanctæ, & vniuersali Synodo consentire: sed prodigiosè comminiscitur Homousij sectatores in ipsius sensum transijsse, & in sua sententia simul acquieuisse. Hoc ita esse, cùm multa alia confirmant, tùm quam scripsit ad suos Cæsarienses Epistola. Sed quod, vt ab initio Arij dogmata fouit, ità ad finem suum ea amplecti non destiterit, plerique intelligunt, & multa sunt quæ facilè persuadent.* Qui pariter Photius de Eusebij callida hæresis occultatione etiam post Arium apertè scripsit Bibliothecæ c. 127. Nec dissimilem Ecclesiæ vniuersæ consensum elicere possumus, ex his, quæ in septima Synodo, seu Nicena secunda, circa annum Domini 787. Epi-

phanius

phanius Diaconus ad confutandam pſeudoſeptimam Synodum Actione 6. in medium protulit. Præterquamquod enim Synodus illa Euſebij teſtimonium tamquam Ariani reiecerat, ne quis obijceret ea ante reſipiſcentiam ſcripta fuiſſe, ità Epiphanius. *Si verò quidam hunc defendentes dicunt, ſubſcripſiſſe illum in Synodo, concedamus ita fuiſſe; ſed labijs ſuis veritatem honorauit, cor autem longè fuit ab eo.* Et infra. *Si enim corde credidiſſet ad iuſtitiam, & ore confeſſus eſſet in ſalutem verum ſermonem, vtique pro ſcriptis ſuis veniam poſtulaſſet, horum correctionem faciens, & pro epiſtolis ſuis profectò verbum rationis feciſſet, ſed hoc nullatenus vſq; fecit; manſit enim ſicut Æthyops non mutata pelle.* Igitur ſicuti hinc deducitur, eo tempore etiam aliquos fuiſſe, qui pro Euſebio decertarent, ita illius Concilij Patres, ſaltem Epiphanio non repugnando, fatentur, Euſebium veteratoriè Niceno Concilio ſubſcripſiſſe, & Arianiſmum, vt alij eiuſdem ſectæ præſtiterunt, occultaſſe Conſtantini, & Catholicorum metu; Hoc enim ſemper, & vbique Euſebiani omnes ſtuduerunt, ex D. Athanaſio Apol. 2. *vt & hæreſim in Eccleſia immitterent, & ipſi interim damnati hæreſeos non haberentur.* Deceptus igitur eſt poſt quingentos ferè annos Vſuardus, qui xi. Kal. Iulij eius ſanctitatem ita commemorat. *Ciuitate Cæſarea Paleſtinæ Sancti Euſebij Epiſcopi, et Confeſſoris Viri excellentiſſimi ingenij, et hiſtoriographi.* Deceptus de reſipiſcentia eſt Ado Viennenſis in chronico, vbi ad annum 337. hæc ſignata reliquit. *Euſebius Cæſareæ Paleſtinæ in ſcripturis diuinis ſtudioſiſſimus, ac Bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo Martyre diligentiſſimus perueſtigator moritur, qui primum in Arianam hæreſim lapſus ad Catholicum dogma correptus redijt.* Deceptus eſt Freculphus Lexouienſis, qui chronic. lib. 3. cap. 17. de his agens, qui Concilio Niceno interfuerunt, non modò apoſtaſiæ maculam ab Euſebio conatur abſtergere, ſed tempore perſecutionis in fide nobiliter perſeueraſſe prædicat. *Pariterque Euſebius Pamphili Cæſarienſis Eccleſiæ Pontifex, qui tempore perſecutionis nobiliter in fide perduraſſit, & multorum illuſtrium opuſculorum Auctor fuit ſagaciſſimus.* Ex his fontibus aliquos ex recentioribus in Euſebij ſanctitatem conſpiraſſe, facilè eſt credere. Ita Petrus de Natalibus in Sanctorum Catalogo vitam eiuſdem Euſebij retexuit. Ita Mauroly-cus in Martyrologio non modo ad xi. Kal. Iulij cùm Vſuardo, ſed iterum, & ſeiunctim ad 19. Kal. Sept. Euſebij memoriam refricauit. Ità Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non ſunt, Euſebium Cæſarienſem ad diem 21. Iunij in album Sanctorum retulit. Sed in eo ſupra alios decipitur, quòd Galeſinum auctorem eiuſdem ſententiæ producat, cum re vera Galeſinus ad eandem diem de Euſebio in Martyrologio ſilens, in notis potius rationes adferat cur remouerit, & auſus non ſit Euſebium in Martyrologio numerare. Ità inter recentiſſimos deceptum putarem Sayſſaium Gallicani Martyrologij non infimæ notæ ſcriptorem, dum in marginalibus notis ad Epiſtolam Vvariharij cap. 10. Apparatus, refert Lemouicenſem Eccleſiam Euſebium illum pro Sancto colere, & non tam pro magno habet; quòd Ferrarius in Catalogo Vrbano Pontifici dicato inter Sanctos retulerit, quamquod Vrbanus idem non improbauerit; At pari momento exiſtimare debuerat, Galeſinum contra ſentientem è Martyrologio ſuo Gregorio XIII. dicato, Euſebium Cæſarienſem remouiſſe, non modò Gregorio non refragante; ſed in Romano Martyrologio iuſſu eius recognito, quòd remoueretur probante, tùm in prima editione 1583. tùm in recentiori, additis ad id exponendum Baronij notis. Itaque cum teſtes tàm multi inter antiquos ſuppetant, qui ſuſpectam Euſebij fidem prodant, & occulti Arianiſmi labem inurant, recentiores non audiendi ſunt, & vnus pro omnibus mihi Hieronymus eſſet, qui non longè ab Euſebio vixit, & in omnibus literis verſatus hiſtoriæ etiam incubuit, &

appendicem ad eiusdem Eusebij Chronicon reliquit. Sanctus profectò Hieronymus, non modo Arianæ labis suspectum Eusebium habuit, sed vt hæreticum palam, & sine hæsitatione damnauit; Vnum verò, aut alterum ex ipsius operibus fragmentum proferre libuit, ne omnia quæ de Eusebij Arianismo passim profert, hic impingam. Lib. igitur primo Apologię aduersus Rufinum cap. 2. his verbis Eusebium Arianorum antesignanum appellat, & Origenistam agnoscit. *Sex libris, vt antea iam dixi, Eusebius Cæsariensis Episcopus, Arianæ quondam significr factionis, pro Origene scripsit, latissimum, & elaboratum opus, & multis testimonijs appellauit Origenem iuxta se Catholicum, ideest iuxta nos Arianum esse.* Et epistola 65. ad Pammachium, & Oceanum, ita eundem contumacem Arianæ hæresis propugnatorem describit. *Fortissimos libros contra Porphyrium scribis Apollinarius, Ecclesiasticam pulchrè Eusebius historiam texuit, alter eorum dimidiatam Christi introduxit Oeconomiam, alter impietatis Arij apertissimus propugnator est.* Ne quis autem dicat Eusebium apud D. Hieronymum non semper, sed quondam, & ante Concilium Nicenum, cum Historiam scripsit, significrum, & propugnatorem Ariani dogmatis fuisse, eiusdem Sancti Doctoris aduersus Rufinum lib. 2. c. 4. verba sine vllo subterfugio prolata audiat, dum Pamphili Martyris pro Origene non agnoscit Apologiam, sed *quam nos*, inquit, *Eusebij Arianorum Principis probauimus*. Audiat etiam dum coactus Eusebij eruditionem laudare, quid de eius fide senserit ad Rufinum eodem pariter loco apertissimè suam sententiam explicantem. *Vir doctissimus Eusebius, doctissimam dixi non Catholicum, ne more solito mihi, et in hoc calumniam struas.* Et in Apologetico eodem aduersus Rufinum rursus. *Laudani Eusebium in Ecclesiastica Historia, in digestione temporũ, in descriptione Sanctæ Terræ; et hæc ipsa opuscula in Latinum vertens meæ linguæ hominibus dedi. Nam ex eo Arianus sum, quia Eusebius, qui hos libros condidit, Arianus est.* Est inquam, non fuit. Quanti verò D. Hieronymum de hæreticorum censura Ecclesia semper fecerit, quod alibi etiam diximus, hic ex Gelasij verbis in Concilio Romano T. 3. Conciliorum p. 662. adducimus, & in hoc exercitationi de Eusebio coronidem imponimus. *Sed quoniam D. Hieronymus eum* (Ruffinum scilicet) *in aliquibus de arbitrij libertate notauit, illa sentimus, quæ præditum B. Hieronymum sentire cognoscimus, et non solum de Rufino, sed etiam de vniuersis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei, et fidei Religione reprehendit.*

Pro D. Hieronymi sententia contra Eusebium Cæsarienſem de Arianismo insimulatum.

EXERCITATIO II.

HACTENVS de Eusebij Cæsariensis minùs probatæ fidei resipiscentia, quaiiacunque digesseram, dum noua, & accurata eiusdem Historiæ editio Parisijs prodijt, in qua vir doctus Henricus Valesius, non modò veterum omnium Eusebij Orthodoxiam asserentium, vel impugnantium testimonia profert, sed de vita, & scriptis eiusdem dissertationem præponit. Et quamuis diligenter omnia non minùs retexuisse, quàm perpendisse videatur, in omnia tamen, & ego cupidè euagatus, ac omnibus iterum ad amussim reuocatis, sententiam nullatenus mu-

mutare potui, verùm in eadem perſiſtens, iterum, & breuiter exerceri placuit. Propendet Valeſius non modò in Euſebij catholicam fidem, ſed cùm Gallicana Eccleſia in ſanctitatem, ac ſanctitatis venerationem deſcendit, tantò vtique conatu, vt indubiæ, & celeberrimæ ſanctitatis Doctorem Hieronymum ingratitudinis inſimulare, & immodicum Euſebij perſecutorem, ac infamatorem nuncupare non vereatur. Mitius quidem, quamquam priuatas inimicitias cum Euſebio geſſerit, egiſſe Athanaſium animaduertit, & iratus D. Hieronymo, ita iracundiam ſuam prodit. *Hieronymum verò quis patienter ferat, qui non contentus Hæreticum illum, & Arianum dicere, Arianorum ſigniferum non ſemel nominat?* & poſt pauca addit. *Hieronymus verò qui nullas odij cauſas aduerſus Euſebium habebat, immò qui ex illius ſcriptis tãtoperè proficerat; qui Chronicon eius canonẽ, & librũ de locis Hebraicis in latinum ſermonem conuerterat, hoc Euſebium infamat elogio, quòd ne infeſtiſſimi quidem hoſtes vnquam illi tribuerunt. Cuius rei cauſam inuenire non poſſum, niſi quod Hieronymus ſuſcepto aduerſus Origenem odio, cunctos eius dogmatum defenſores, ac præcipuè Euſebium noſtrum immodicè eſt perſecutus.* Fatetur quidem Valeſius Euſebium, quamuis Arianorum ſigniferum dici poſſe non velit, cum Arianorum ſigniferis poſt Nicænam Synodum perpetuò verſatum fuiſſe. Sed ignorare non debuerat etiam D. Athanaſium non ſigniferum tranſlatitia illa voce Euſebium dixiſſe, ſed magis propria voce Arianorum Magiſtrum vocaſſe, dum Acacij peruicaciſſimi Ariani, & reliquorum Arianorum præceptorem nuncupauit in tractatu de Synodis Arimini, & Seleucij. Idem etiam apud Theodoretum obſeruare potuerat, cuius fragmentum ex Cõmentarijs epiſtolæ ad Hebræos de Arianis loquens attulerat, *Euſebio certè Paleſtino credere eos oportet: quem patronum ſuorum dogmatum appellant*, nempè Ariani; parum autem differt, ſiue Patronum, ſiuè ſigniferum, ſiuè anteſignanum dixeris. Talem quidem agnouerat Ægyptiorum Epiſcoporum Synodus apud D. Athanaſium in Apol. ſecunda aduerſus Arianos, cum ad Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos ſcriberet, adhuc viuente Euſebio, & turbas contra ipſos concitante. *Non ne Euſebius ob Arij inſaniam aduerſus nos irruit, & alios idem cum ipſo ſentientes adducit*, quæ non de Euſebiõ Nicomedienſi intelligenda ſunt, ſed de Cæſarienſi; idem quippè repetitur in Epiſtola Synodica eorundem Epiſcoporum Ægypti ad Tyri conciliabum; *Scitis enim*, inquiunt, *eos noſtros inimicos eſſe, & cur non ità pridem Euſebius Cæſarienſis* (tanquam ſignifer notatur, quia tanquam Iudex in Arianorum malignantium collegio illo præſidebat) *inimicitias aduerſus non ſuſceperit*. Cùm verò Valeſius, Athanaſium, quamuis infenſiſſimum hoſtem innuat Euſebij, mitius de eodem loquentem inducat, acriùs verò obiurgantem Hieronymum, minùs videtur Sanctorum virorum artes callere. Quòd enim Athanaſius, cum Euſebio priuatam aliquã cauſam ſimultatis haberet (ſi tamen vlla præter religionem erat) mitius ſe gere debuerat, ne quis malè ſuſpicaretur, odij cauſa acerbius aliquod protuliſſe. Sed Hieronymus, qui mortuo Euſebio ſcripſit, & quantum ex Euſebij ſcriptis, & voce, Ariani profecerint, ſciebat, zelo, quo in Eccleſiam pollebat, non penicillo mitiori Euſebium Arianæ ſectæ patronum deſignare in dogmatibus debuerat, ſed vt vitarentur in Viri alioquin doctiſſimi libris errores, acerbiùs notare expediebat, & perſtringere. Quòd enim odio in Euſebium non anderet, præterquam dum dogmata Origenis, vel Arij proſequeretur, palam ex adductis in præcrita exercitatione conſtat, dum Euſebium doctiſſimum, & eruditiſſimum, ac Eccleſiæ Magiſtrum appellare non veretur. Sicuti igitur malè Valeſius D. Hieronymo ingratitudinis, odij, & infamiæ in Euſebium notam inurit, neſciens quanto ſemper odio Apoſtolici Viri, à S. Ioanne Euangeliſta moniti, in Hæreticos

exarserint, ita minùs neruosè orthodoxiam Eusebij, & Sanctitatem tueri videtur. Et si enim præmittat, non se Eusebij defensionem concinnare, sed iudicium Ecclesiæ, & Patrum sententiam potius sequi velle profiteatur, in eius tamen resipiscentia sparsim ita laborat, vt catholicum, & pro sanctitate cum Ecclesia Gallicana venerandum, non parum desudasse videatur. Percurrenda igitur nobis sunt momenta rationum, vt cur illi assensum non dederimus, nostras quoque rationes reddamus. Pro Eusebio igitur assumit Valesius, quòd palam Concilio Niceno subscripserit, & proinde Historiarum libri, ac alia ante Concilium scripta minùs contra ipsum adduci possint, non dum opinione damnata: quòd ipse in eadem Nicena Synodo Apostolici Symboli, eiusque formæ auctor fuerit, cui tantum ad confutandam noui dogmatis impietatem reliqui Patres addiderint, *Deum verum de Deo vero, genitum non factum consubstantialem Patri*: quòd vocem Homousion, seu Consubstantialem initio quidem recusauerit, deinde ab Episcopis edoctus admiserit: quòd in libris contra Marcellum, & in orationibus de fide aduersus Sabellium, quos certè post Concilium Nicenum scripsit, tàm rectè videatur sentire, & contra Arij sententiam catholicè loqui, vt eos damnauerit, qui dicerent filium Dei de non extantibus fuisse factum, & fuisse tempus, cum non esset. Addit quòd Occidentales omnes vno ferè excepto Hieronymo de Eusebio honorificè senserint, & Gallicana Ecclesia Sanctorum numero eum ascripserit; idque ex Victorio Aquitano, Vsuardo, alijsque colligi posse docet, quibus satius sit credere, quam Orientalibus schismaticis. Affert deinde, quòd nulla maior sit auctoritas, quàm Pontificum Romanorum Gelasij, & Paschalis, quorum alter inter Catholicos scriptores Eusebium reposuerit, alter ab omni hæretica labe immunè pronunciauerit. Quòdsi aliqui, quia Eusebius Orientalis fuit, putent magis Orientalibus credendum, Socratem, & Gelasium Cizicenum inter Orientales esse audiendos, qui de Eusebio benè senserint. Negat interim ex his, quæ Epiphanius narrat in Hæresi Meletianorum posse deduci, Eusebium Idolis aliquando sacrificasse, eosque falli, qui ita fuisse scribant. Neque enim Potamo ille Heracleopolitanus Episcopus, & Confessor insimulauit de Idolatria Eusebium, sed tantùm quòd saluus è carcere dimissus, suspicandi ansam præbere potuerit: cũ Eusebius alio modo dimissus fuerit è carcere, quàm obiecerit Potamo: & cum dubium aliquibus scriptoribus sit, de Eusebio Nicomediensi intelligenda à Potamone obiecta prorsus esse, quia ille, non Cæsariensis in Tyria Synodo præsederit. Negat insuper Septimæ Synodi iudicium esse attendendum, quòd id obiter tantùm, & non data opera peractũ sit, nullo adhibito discrimine, inter libros ante, vel post Concilium Nicenum ab Eusebio exaratos, vti constat de epistola ad Alexandrum à Concilio reiecta. Quibus omnibus pro Eusebio adductis, eiusque orthodoxia, quia non difficile mihi visum est è contra pro D. Hieronymo respondere, breuiter omnibus satisfaciendum putaui. Primùmque Valesio concedo, neque D. Hieronymum, neque alium ex antiquis Patribus ignorantiam Eusebio obiecisse, imò de eius eruditione, ac insigni doctrina optimè sensisse, ac in primis D. ipsum Hieronymum, qui non ingrato animo, sed candidè ex eo profeciisse fatetur. Non ita tamen facilè assentior, quòd Eusebius Nicænæ fidei Symbolum composuerit, cum D. Basilius epist. ad Innocentium 319. Hermogenem decessorem suum ex hoc præcipuè extulerit, quòd *magnam illam, & firmissimam fidem in magna illa Synodo conscripsit*, vt vertit, & notat Combefisius ad Gregorium Præsbyterum Cæsariensem n. 15. Et re vera quomodo Nicena fides, vel Nicenum Symbolum Eusebio tribui potest, si, vt idem Valesius fatetur; Sancti reliqui Patres illud addiderunt, quod Eusebius subdolè tacuerat, & erat prorsus Nicena fides, quæ ad cum

Ario

Ario disceptabatur. Equidem ex eodem silentio conuincitur, Eusebium non sponte in Homousion consensisse, sed Ario quantum potuit fauisse, licet postea Cæsarienſibus ſuis, vt notat Photius, ſuadere laborauerit, in vocem consubstantialem à se inuentam Patres descendisse, quam tamen vocem vsque ad mortem ipse renuit, vt infra patebit, admittere. Nec est quod in libris aduersus Marcellum, atq; de Ecclesiastica Theologia aduersus Sabellium, post Concilium Nicænum conscriptis, contra Arium videatur sentire, ac expresè docere, Dei filium creaturam non esse; quia è contra nunquam catholica illa voce Homousion vti voluit, vt idē Valesius fatetur, quin potius ex Orat. aduersus Sabelliū appareat, vocē Homousion nequaquam illi placere, quòd scripturarum non esset, & præterea vigentibus adhuc Arianorum conatibus, contra Niceni Concilij à se subscripti decreta ausus sit dicere, vocem illam tollendam ad sedandas lites. Qualis ergò vsque ad mortem animus illi fuerit in Arianos propensus, inde satis liquet, quòd in hoc laborabat, vt voce illa sublata, reliqua Concilij decreta Ariani possent in suos sensus detorquere. Bilinguem verò, & non sinceræ fidei ex ijsdem, quæ Valesius adducit, antiquorum testimonijs satis videtur conuinci, ex D. præsertim Athanasio mitiùs, quàm D. Hieronymus cum Eusebio agenti. Inquit ergo D. Athanasius in epist. de decretis Synodi Nicenę, Eusebium confessum fuisse, *Dei filium consubstantialem, & ex substantia Patris existere*. Et rursus in Epistola ad Episcopos Africæ, ex ijsdem literis ad suos ab Eusebio scriptis, idem D. Athanasius verba hæc affert. *Nouimus quosdam ex priscis eruditis, & præclaros antistites, aliosque scriptores, cum Patris, & Filij Deitate loquerentur voce Homousij vsos esse*. Si ergo non modo Eusebius in Homousion suscripsit, & filium Patri esse consubstantialem suscepit, sed vocem illam Concilij Nicæni fatetur nouam non esse, sed priscorum eruditorum, ac præclarorum antistitum; cur in postrema senectute aduersus catholicam illam vocem insurgit, & deleri suadet, quia scripturarum non esset, nisi vt Arianis faueret, & à decretis Niceni Concilij deflecteret? Quod verò Confessor Potamo de Idolatria Eusebio obiecerat, facilè Valesio consentirem vulgatum non fuisse, nisi apud Ægyptios Confessores, apud quos, vt ex Athanasij Apologia 2. in superiori exercitatione adnotaui, de Immolatione Idolorum accusatus fuerat. Nemo enim alius Eusebio consimile crimen obtrudit, neque D. Hieronymus, qui in eundem zelauerat; potuerat namque aliquo fauore, quia eruditissimus, è carceribus nulla confessionis cicatrice inuta educi; potuerat sine Idolatria aufugere. Difficillimū siquidē fuisset, à catholicis in Episcopū notoriū Apostatam sublimari, ac longissimo tempore tolerari. Neque multū ponderis habere video, quidquid ex Occidentalibus Patribus, & Ecclesia Gallicana educitur. Quòd enim Victorius, siue Aquitanus, siue Capuanus in Canone Paschali Beatum dicat Eusebium Cæsarienſem, ex alibi dictis non magnificiendum videtur, quandò virum eruditum, & Episcopum, titulo quidem dignitatis ornare voluisse appareat, non verò eidem, morum, & fidei sanctitatem illam ascribere, quam D. Hieronymo manifestè tribuere videtur in eiusdem verbis à Valesio adductis. *Recensitis igitur fidelibus historijs veterum, Beati scilicet Eusebij Cæsarienſis Palestinæ Ciuitatis Episcopi, viri in primis eruditissimi, atque doctissimi Chronicis, prologoque, ac perinde his quæ à sanctæ memoriæ Hieronymo ijsdem Chronicis sunt adiecta.* Quātum verò ponderis habeat in alicuius sanctitate statuenda Gallicana Ecclesia contra Romanam, quæ Eusebium à Martyrologio remouit, catholicorum omnium iudicio relinquerem, nisi ex ipso vetustissimo Galliæ Ecclesiæ lumine S. Hilario Pictauiensi, vel coquo, vel suppare, Eusebiū perduellē esse constaret. Is igitur libello secundo ad Constantium Augustum Constantini filium, ità loquitur, & cum

D. Au-

D. Augustino in Iulianum lib. 2. *Catholicus loquitur, Insignis Ecclesiarum Doctor loquitur, Hilarius loquitur. Inquit ergo* nouella, *& teterrima lues, non corrupti aeris, sed execrandorum blasphemorum Ariana effusa est; ita illi, qui ante crediderunt, inanem spem immortalitatis habuerunt. Nuper didicimus, commenta haec fuisse inuenta, & à duobus Eusebijs, & à Narcisso, & Theodoro, & ab Stephano, & Achaico, & Menophanto, & imperitis, atque improbis duobus adolescentibus Vrsatio, & Valente, quorum epistola proferuatur &c.* Duos Eusebios Cæsarienſem, & Nicomedienſem ætate ſua Arianorum, vel ſigniferos, vel duces intelligere D. Hilarium nemo negabit, qui poſt Conſtantinum, & Nicenum Concilium ſub Conſtantio Arianam ſectam, datis etiam epiſtolis, promouere laborauerint. Fruſtra autem Valeſius Gelaſij, & Pelagij Romanorum Pontificum auctoritatem conatur adducere, quaſi alter inter catholicos Eccleſiæ ſcriptores Euſebium numerauerit, alter ab omni hæreſis ſuſpicione his verbis in epiſt. mihi 6. non 3. ad Æliam Aquileienſem immunem declarauerit. *Quid namque in hareſiarchis Origene deterius, & quid in hiſtoriographis inueniri Euſebio honorabilius poteſt? Et quis noſtrum neſcit in libris ſuis, quantum Origenem Euſebius praconijs attollat? Sed quia Sancta Eccleſia ſuorum fidelium corda benignius, quam verba diſtrictius penſat, nec in haereticis ſenſum proprium teſtatio Euſebij abſoluere potuit. Nec rurſum Euſebium laudati Origenis culpa damnauit.* Duo hìc Valeſium pro Euſebio ſuo educere velle exiſtimarem, alterum à Pelagio, ſeu potius à D. Gregorio tunc Diacono, & epiſtolam illam exarante, vt teſtatur Paulus Vvarnefridus lib. 3. de Geſt. Longæ cap 10., non modò honorabiliorem inter hiſtoricos Euſebium à Pontifice illo iudicatum, quàm inter Eccleſiæ fideles numeratum. Alterum ab Eccleſia propter Origenis errores non fuiſſe damnatum. De primo nulla quæſtio eſſe poteſt, nemo enim Euſebio honorabilem in Eccleſiaſtica hiſtoria locum non dedit. Dubitari verò poteſt, an verba illa, *Eccleſia ſuorum fidelium corda benignius penſat* de Euſebio prolata ſint, an verò de Gregorio Nyſſeno, *magnis Origenem laudibus* extollentem, vel de Hieronymo qui ibi dicitur *tanto erga Origenem fauore* interdum ferri. *vt penè diſcipulus eius eſſe videatur.* At ſine diſtinctione prolata concedamus, & de Euſebio fuiſſe etiam cumulatè intelligenda. Poterat ne hoc ità curſim dictum in epiſtola, ſeu potius libro, vti vocat B. Gregorius lib. 2. ep. 36. ad Epiſcopos Hiberniæ, illud irritare, quod data opera ſuperiori ſæculo de libris Apocriphis Gelaſius Pontifex in Romano Concilio ſanciuerat? Nonne Hiſtoriam Euſebij inter Apocripha, & non ſuſcipionda primum numerauerat, poſtea verò propter eruditionem non omninò damnandam ita decreuerat? *Chronica Euſebij Caſarienſis, & eiuſdem Eccleſiaſticę hiſtoriæ libros: quamuis in primo narrationis ſuę libro tepuerit, & poſtea in laudibus, atque excuſatione Origenis ſchiſmatici vnum conſcripſerit librum: propter rerum tamen notitiam ſingularem, quę ad inſtructionē pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos.* Eccleſia igitur iam Euſebij libros, tanquam fidelis ſui nequaquam ſuſceperat, quinimò tanquam ſuſpectos cauendos eſſe decreuerat, ſed propter rerum notitiam ſingularem tollerauerat, & non omninò reſpuerat. Pelagius igitur, aut D. Gregorius ea de Euſebio curſim ſcribens, non hæc retractata voluit, ſed tantùm oſtendere benignioris Eccleſiæ morem fuiſſe, quòd ſicuti proprium, quem nouerat Hæretici ſenſum, ex cumulatis per ſuos ſcriptores laudibus abſoluere non conſueuerat, ità pro huiuſmodi hæreticorum laudibus, neque de hæreſi laudatores damnare, vt quemadmodum Gelaſius propter Origenis defenſionē, ac laudes Euſebium Apocriphum, non omninò reſpuerit, immo propter rerum ſingularem notitiam, indicata interim fidelibus ſuſpecta fide, tollerandum cenſuerit; ità & Pelagius cenſuit, Euſebium honora-

norabiliorem inter hiſtoricos laudati Origenis culpa non fuiſſe damnatum, non tamen doctrinam eius ab Arij hæreſi immunem fuiſſe declarauit. Miror autem contra Gelaſij decretum Valeſium putare, eundem Gelaſium in opere de duobus Naturis Euſebium inter Catholicos ſcriptores retuliſſe, quaſi opus illud Gelaſij Romani Pontificis genuinum fuerit, non verò Gelaſij Ciziceni, vt non leuioribus coniecturis oculatiſſimus Baronius ad annum 496., & Bellarminius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in vtroque Gelaſio docent, quorum Cizicenum alibi oſtendimus, Euſebium ab Arianiſmo purgare laboraſſe. Iudicium verò Septimæ Synodi quomodo tergiuerſari poteſt? maximam quidem habere auctoritatem ipſe Valeſius fatetur, nec præcipitis iudicij, vt probare ille conatur, inſimulari poteſt, quòd Euſebij reſipiſcentiam non admiſerit, cum optimè nouerit, prius quidem illum Nicænæ Synodo ſubſcripſiſſe, ſed duplici animo, ac ſimulato, poſtea verò in priore ſententia occultè perſtitiſſe, nec ſcriptis ſuis veniam deinde ab Eccleſia poſtulauiſſe. Dolendum igitur potius eſt, tantæ eruditionis, & Eccleſiaſticæ doctrinæ virum, excuſari ab Arianiſmo, vel ſaltem à dubia fide non poſſe, non verò Sanctum Doctorem Hieronymum, quòd Euſebium Arianorum principem ſigniferum vocauerit, ingratitudinis, obtrectationis, & odij veluti culpabilem traducere. Quis enim catholicus, vt phraſi eiuſdem vtar, Valeſium patienter ferat ita de Sanctiſſimo Doctore loquentem? Non ego equidem, qui cum Gelaſio Pontifice non Euſebium Arianæ labis quàm maximè ſuſpectum, ſed D. Hieronymum acerrimum Catholicorum dogmatum cenſorem, & ſanctitate clariſſimum cum vniuerſa Eccleſia venerari non deſiſtam.

DE FESTIS APOSTOLORVM DIEBVS INDICVLVS

VETVSTIORI MARTYROLOGIO PRÆFIXVS,

ET IN EVNDEM NOTÆ, EXERCITATIONES,

ALIAQVE ADDITA MONVMENTA.

*INCIPIT * FESTA APOSTOLORVM*

III. Kal. Iulij. * incipiunt

Natalis Petri, & Pauli.

II. Kal. Decembris.

Passio Sancti Andreæ Apostoli.

VIII. Kal. * Augusti

Natalis Sancti Iacobi.

VI. Kal. Ianuarij.

Assumptio Sancti Ioannis, & Ordinatio Iacobi.

XV. ** Ianuarias. * Kal.

Natalis Sancti Thomæ Apostoli.

Kal. Madij.

Natalis Philippi, & Iacobi Apostoli.

VIII. Kal. Septembris.

Natalis Sancti Bartholomæi.

XI. Kal. Octobris.

Natalis Sancti Matthæi Apostoli.

V. Kal. Nouembris.

Natalis Apostolorum Simonis, & Iudæ.

*

vi. Kal. Mart. ex D. Gregorij Sacramētario, aliisq; Martyrologijs.

Matthias de LXX. Discipulis vnus, & pro Iuda Scarioth duodecimus inter Apostolos subrogatus, electus sorte, & solus sine cognomento, cui datur Euangelij prædicatio in Iudæa.

EOdem charactere in vtroque Codice, tàm Cathædralis Lucensis, quàm, & membranaceo Musæi nostri, Indiculus iste Martyrologio, quod Vetustius diximus, cum eodem titulo præfigitur. Consimilem quoque exhibet in Actis Sanctorum tom. 1. Eruditissimus Ioannes Bollandus, & de Sacra historia optimè meritus, suo pariter præpositum Martyrologio, quod Hieronymi inscribitur, & S. Villibrordi olim fuit. Huius specimen, tùm in præfatione generali, tùm nuper cum Godefrido Henschenio reposuit tom. 3. ad diem 6. Kal. Martij. Idem ex impressis à prototypo laminis, vt conferri commodè cum Indiculo nostro possit, iterum exhibere placuit.

Notitia de locis Sanctorum APOSTOLORVM.

III. Kal. Iulij Natalis Apostolorum S. Petri, & Pauli Romæ.

II. Kal. Decembris Natalis Sancti Andreæ Apostoli in Ciuitate Patras Prouinciæ Achiæ. *

* Achaiæ.

VI. Kal. Ianuarij, Natalis Apostol. S. Iacobi Fratris Domini, & Ioannis Euangelistæ. *

* in Epheso.

VIII. Kal. Iulij. Natalis dormitionis Santi Ioannis Apostoli, & Euangelistæ in Epheso.

XII. Kal. Ian. Natalis Sancti Thomæ Apostoli in India, & translatio Corporis eius in Edesa V. Kal. Iulij.

VIII. Kal. Augusti. Natalis Iacobi Apostoli Fratris Ioannis Euangelistæ in Hierosolymis.

Kal. Maij. Natalis Sancti Philippi Apostoli in Ciuitate Hierapoli Prouinciæ Assiæ.

VIII. Kal. Septembris Natalis Sancti Bartholomæi Apostoli qui decollatus est in India iussu Regis Astiagis.

V. Kal. Nouēbr. Natalis Apostoli Simonis Cananæi, & Simonis Zelotis, qui à Templorum Pontificibus occisi sunt in Suanis Ciuitate Persarum.

IN APOSTOLORVM INDICVLVM EXERCITATIONES, ET NOTÆ.

Quatuordecim in Indiculo Apostoli Vetustius Martyrologium esse suadent.

EXERCITATIO I.

ORBIS Columnæ Apostoli, vt Sanctus aliquando dixit Ignatius in ep. ad Philad. 9. quam benè iuxta ipso Martyrologij vestibulo præfiguntur. Hos vniuersa semper Ecclesia singulari veneratione recoluit, nec ab eius instituto discessit, quicumque eosdem in anniuersario Martyrum circulo, repetito Syllabo, præsignauit. Et si enim quorumcumque Apostolorum Natales dies, in hoc, quod damus, Hagiologio proprio describantur laterculo, quia tamen ipsorum *memoria vbique terrarū decantātur*, vt D. Chrysost. hom. 21. in Ioan. scripsit, siue id varia fidelium consuetudine, siue iterata Sanctorum Corporum translatione, siue multiplici Basilicarum dedicatione contigerit, in tantum eorundem celebritates enumerarunt, vt incertum pluribus esse potuerit, sub qua communius die, cuiusque solemnia indicari deberent. Nemo igitur inconsultò factum existimabit, quòd in huius Martyrologij limine sanctiores illorum feriæ prænotarentur. Adonem facilè consimilis indiculus monuit, vt suo etiam Hagiologio libellum de celebritatibus Apostolorum præmitteret, quasi *latiùs, & paulò apertiùs cūcta describens, infirmioribus, & minùs legere valentibus* inseruire ex instituto voluerit. Quòd verò in hac Apostolica serie dignitatis ordo non omninò videatur seruari, quod in Diui Marci Euangelio præstitum existimauit Chrysostomus, ex indifferenti apud cæteros Euangelicos scriptores eorum enumeratione prouenire facilè potuit. Alij enim Euangelistæ, Mattheus scilicet, & Lucas cum Marco in primatu Petri concordes, in reliquis Apostolicis viris enumerandis ita differunt, vt prælationis ordinem penitùs neglexisse videantur. In hoc autem Indiculo, non tantùm duodecim Apostolorum celebriores dies communi more recensentur, sed duo extra duodenarium numerum Apostolorum celebritates adduntur, idque, vt putò, ex vetustissimo Ecclesiæ, vel Patrum stylo. Antiquissimi profectò, & ante

D. Hie-

D. Hieronymum Sacræ Scripturæ interpretes, non intra duodenarium limitem Apostolos nuncupatos cohibuerunt, sed Pauli, & Iacobi cognomento Iusti additione, ad decimum quartum numerum extenderunt. Ità ex eodem D. Hieronymo patet, dum in caput decimum septimum Esaiæ oraculum de quatuordecim oliuis interpretatur, & ex antiquis Ecclesiæ Patribus in suis commentarijs reposuit. *Duas oliuas, & tres, & quatuor, & quinque quatuordecim Apostolos interpretantur, ideſt duodecim, qui electi sunt, & tertiumdecimum Iacobum, qui appellatur frater Domini, Paulum quoque Apostolum vas electionis.* Qui verò antiqui interpretes ità senserint, cum S. Doctor ibidem non exprimat, ex Proemio ad Eustochium haurire facilè possumus, nam in Esaiam scripsisse, & in aliquibus auctores sibi fuisse, refert Martyrem Victorinum, Origenem, Eusebium Pamphili, Didimum, & Apollinarium. Sin verò clarissimi, vel sanctitate, vel doctrina, & vetustiores ante D. Hieronymum interpretes, verba illa Esaiæ de Quatuordecim Oliuis totidem Apostolis conuenire, & aptari posse putauerunt, vtique rem notam, pluribusque receptam apposuisse fatendum est. Alioquin quomodo probabiliter obscurum illud oliuarum propheticum numerum, cum ignoto alio Apostolorum, & inaudito calculo explicare commodè potuissent? Non modò ergo sentire illos oportuit Iacobum fratrem Domini; & Paulum extra duodenarium ordinem Apostolos esse nuncupatos, sed pluribus etiam in Ecclesia sæculo illo fuisse compertum, atq; ita passim consueuisse numerari. Quæ cum ita sint, dum Vetustiori Martyrologio præfixus Indiculus, eosdem Paulum, & Iacobum extra duodenarium ordinem Apostolis superaddit, & quatuordecim cum antiquis apud D. Hieronymum expositoribus ad amussim enumerat, quicunque illi sint, non modò Martyrologij vetustatem non infringit, sed antiquæ quodammodo traditionis roborat consonantia. Quod monuisse ante omnia placuit, ne quis nouum putans quatuordecim in Indiculo Apostolos numerari, inde Martyrologium vniuersum conuellendi ansam arripiat. Non enim me latet Galesinum, & Molanum negare tres sub Iacobi nomine Apostolos vnquam fuisse, & in adnotationibus ad Romanum nuncupatum, & Vsuardi Martyrologium, non modò id apertè docuisse, sed magnum insuper Annalium conditorem Baronium acri omnes censura notasse, qui tertium Iacobum extra duodenarium Apostolorum ordinem *nimis*, vt ait, *imprudenter* constituerint, quòd ex apocripho Clementis fonte hanc primùm assertionem hauserint, deinde in alios inconsultissimè propagauerint. Verùm cum non desint Scriptores pariter graues, imò & vetustiores, qui cum Indiculo hoc in tertio Apostolorum Iacobo consentiant, æqui bonique patiatur Lector, vt re altius repetita, parum hic velitando exercear, & ni fallor ostendam quantos, qualesque Scriptores censura illa perstringat, & quibus argumentis contraria sententia non minùs validè propugnetur.

De

De Tribus sub Iacobi nomine Apostolis.

EXERCITATIO II.

ET si non desint, qui Clementis Constitutiones, non ita facile, vt eruditissimus Baronius reijciant, hanc tamen tanto veritatis amasio veniam dabo, vt inter Apocripha cum ipso reponendas esse consentiam; vltro etiam Dorotheum addam, eiusdem plane de tribus Iacobis sententiæ apertissimum assertorem; At non protinùs antiquis cæteribus Patribus, & non vulgaris notæ scriptoribus inconsultissimæ imprudentiæ notam inuram. Nicephorus primus est, qui tanquam minoris ponderis scriptor à Baronio traducitur, deindè vniuersin, quisquis ità sentire contigerit. Contra hos omnes D. Hieronymum ita in Heluidium declamantem, & tres Iacobos negantem opponit, & quòd magis est Paulum ipsum Apostolum in aciem deducit, qui non alium pronunciet Iacobum fratrem Domini, nisi alterum ex duobus, qui inter duodecim communiter numerantur. Cumulat deinde Clementem Alexandrinum, & Eusebium Pamphili, qui duos tantùm Iacobos inter Apostolos constituant, alterum scilicet cognomento Iustum de templi fastigio præcipitem actum, alterum, qui capite abscisso è vita migrauerit. His addi poterat, & ascriptũ Hippolyto Martyri de duodecim Apostolis Commentariolũ, & Anonymi Oecumenio prefixi consimilis tractatulus; alter enim obscurè Iacobum Alphæi, cum Iacobo Iusto in morte, & sepultura confundit, alter verò apertissimè eundem esse confirmat. At hi omnes tertium Iacobum de medio tollunt, eo prorsus singulari argumento, quòd Iacobus Alphæi vnus, & idem sit, cum Iacobo, qui Iustus, & frater Domini dicebatur. Verùm præterquamquod D. Hieronymus, vt vidimus in Esaiæ Commentarijs, eos peruetustos scriptores non reijcit, qui præter duodecim electos tertiumdecimum Iacobum fratrem Domini a Iacobo Zebedei, & Iacobo Alphæi seiunctim adderent, non desunt pariter ex antiquis alij, qui sicuti Paulum, ita & Iacobum alterum duodenario numero addant, & qui ex apocriphis libris lutulenta non hauserint. Disputat profectò acerrimè S. Doctor Hieronymus aduersus Heluidium de duobus Iacobis, & tertium eo sensu respuit, quòd falsissimum, & turpissimum existimaret, fratres Domini nuncupatos filios esse ex Iosepho illibatæ Virginis Mariæ, quòd impurus ille perduellis conabatur ostendere. His autem neruis impetebat Heluidium. Nemini dubium est, duos fuisse Apostolos Iacobi vocabulo nuncupatos, Iacobum nimirum Zebedei, qui & maior, & Iacobum Alphæi, qui & minor. At Iacobus minor Mariæ filius, quem scriptura commemorat, aut est Apostolus, aut non. Si Apostolus est, filius erit Alphæi, & non de illis Domini fratribus, de quibus apud Ioannem dicitur, quòd in Christum non crederent. Si non est Apostolus, sed tertius nescio quis Iacobus frater Domini, quomodo appellatur Minor, inquit D. Hieronymus, cum Maior, & Minor non inter tres, sed inter duos soleant præbere distantiam. At Iacobus qui frater Domini dicebatur, prorsus erat Apostolus, cum D. Paulus ad Galatas alium in Hierusalem Apostolorum non inuenerit, *nisi Iacobum fratrem Domini*, qui cum Petro, & Ioanne Ecclesiæ dicebantur Columnæ. Filius equidem Zebedei esse non poterat, quòd ex Apostolicis actis iam Martyr occubuisset. Ex his S. Doctor conuincere se posse existimabat, Mariam, quæ apud Lucam Iacobi Minoris, & Iosetis Mater dicebatur, & Mater Domini non erat, vxorem potius fuisse Alphei, & sororem Mariæ Matris

tris Domini, quæ vſitato ſcripturæ more binomia, ex viro quidem Alphei, Maria verò Cleophæ à patris nomine vocaretur; ita vt qui fratres Domini dicebantur filij eſſent materteræ eius, qui antea non credentes poſtea crediderint. At cum D. Hieronymo ſufficeret, contra Heluidium oſtendiſſe, eos, qui dicebantur fratres Domini, Mariæ Virginis re vera non eſſe filios, quòd alijs rationibus conuincebat, ac fortaſſe cognoſceret, non tam validè probatum, quòd Maria Cleophæ vxor eſſet Alphæi, ità candidè de tribus Iacobis, ſeu de duabus Marijs claudit argumentationem. *Verùm in hac parte contentioſum funem non traho. Alia fuerit Maria Cleophæ, alia Maria Iacobi, & Ioſetis, dummodo conſtet, non eandem Mariam Iacobi, & Ioſetis eſſe quam Matrem Domini.* Ex quibus verbis, præter Sancti Viri candorem rem ſibi non ita certam prorſus affirmantis, coniectari etiam non incongruè licèt, quòd adhuc adoleſcens Romæ contra Heluidium ſcribens Hieronymus Hegeſippum non viderit. Antiquiſſimus enim, & ſinceriſſimus Eccleſiæ chronologus, Mariam Cleophæ, non vtique ipſius filiam fuiſſe docuerat, ſed vxorem, & Cleopham eundem fratrem fuiſſe Ioſephi, qui Sponſus Beatæ Virginis erat; vnde ſicut Ioſeph pater Domini dicebatur, ita & Cleopha auunculus exiſtimaretur, & qui erant Domini conſobrini, vt Iacobus, Simon, Iudas, & Ioſetus, fratres quoque conſueto ſcripturæ more nuncuparentur. At cum Maria vxor Cleophæ ſoror etiam Mariæ matris Domini eſſet, non modo quòd ita D. Hieronymus ſentit, ſed quòd ita in Euangelio Sancti Ioannis ſcriptum maximè ſit, vtique eodem tempore vxor Alphei dici non poterat, nec ita binomia, vt à Cleopha tanquam à Patre, cùm vir eſſet, & ab Alphæo tanquam à viro, cum vxor eſſet Cleophæ, nuncuparetur. Iam verò ſi Maria Cleophæ mater Iacobi, & Ioſetis prorſus vxor Alphæi non ſit, & è contra Alphæi filius Iacobus ille ſit, qui Alphei, & minor dicebatur, iam tertium etiam Iacobum addere neceſſe eſt, qui non tam Iacobo Zebedei, ſiuè maiori ſuperuixerit, quàm alius ſit à Iacobo Alphæi, quia Cleopham patrem agnoſcat. Hoc breuiter, ſed iuxta Hegeſippi antiquiſſimi hiſtoriam, confirmat Theodoretus in epiſtolam ad Galatas. *Iacobus vocatur quidem frater Domini, ſed non erat natura, ſed nec fuit Ioſephi filius, vt quidam exiſtimarunt ex priori matrimonio natus, ſed erat quidem Cleopha filius, Domini autem conſobrinus. Habuit enim Matrem Matris Domini ſororem.* Hinc poſt plures annos D. Hieronymus, dum Pauli Epiſtolas enarraret, fortaſſe vidit, non admodum difficile, eſſe ijs reſpondere, quę de duobus tantũ Iacobis contra Heluidiũ adduxerat, nec incongruum primò putauit, Iacobum fratrem Domini, extra duodenarium numerum, inter Apoſtolos conſtituere, ſicut & Paulum: deinde ea tacitè retractauit, quæ de duobus tantùm Iacobis contra Heluidium docuerat, quamquam nec cætera in eadem Apologia contenta infringere videretur, aliqua his verbis cõfirmaſſe appareat. *Memini me dum Romæ eſſem, impulſu fratrum, librũ de Sancta Maria Virginitate edidiſſe perpetua, in quo mihi neceſſe fuit, de his qui fratres Domini dicti ſunt, diutiùs diſputare; Vnde qualiacunque ſunt illa, quæ ſcripſimus, his contenti eſſe debemus. Nunc hoc ſufficiat, vt propter egregios mores, & incomparabilem fidem, ſapientiamque non modicam, frater dictus ſit Domini, & quòd primus ei Eccleſiæ præfuerit, quæ prima in Chriſtum credens, ex Iudæis fuerat congregata.* Cùm autem omnem hic reticeat de Iacobo Hieroſolymorum Epiſcopo genealogiam, & eundem etiam ex duodenario numero tacitè remoueat, tamen ingenuè fatetur, alios etiam extra illum ordinem fuiſſe Apoſtolos, quòd cõtra Heluidium noluiſſe alioquin apparet. *Quòd autem exceptis duodecim quidam vocentur Apoſtoli, illud in cauſa eſt, omnes, qui Dominum viderant, & eum poſtea prædicabant fuiſſe Apoſtolos appellatos.* Neque S. Doctor ita vniuerſim de Apoſtolici nominis ſignificatione

ne ſtatuere alioquin cogebatur, niſi quæ aduerſus Heluidium, de duobus tantùm ſub Iacobi nomine Apoſtolis, retractare voluiſſet. Diuus etenim Paulus in eo loco, quem S. Doctor interpretabatur, prẽter Iacobum Iuſtum, ſeu fratrem Domini nullum alium induxerat, cui extra duodenarium numerum Apoſtolici muneris explicatio aptari poſſet, eo quòd tantùm dixerit, *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem præter Iacobum fratrem Domini*. Sin verò S. Hieronymus, hunc cum Iacobo Alphæi eundem eſſe, & intra duodenarium numerum adhuc exiſtimaret, vtique talem confirmare expediebat, aut ſaltem ſinere, vt ex libro contra Heluidium alij in eadem ſententia permanerent; & tamen ideo nomen Apoſtoli extra numerum duodenarium alijs conuenire addidit, vt Iacobum Epiſcopum, ſeu fratrem Domini, de quo longam deinde narrationem inſtituit, Apoſtolum eſſe dictum oſtenderet, ea prorſus ſignificatione, qua extra duodecim eſſet: quod idem eſt, ac alium præter Iacobum Zebedæi, & Alphæi, inter duodecim numeratos, tertium addere Iacobum. Ne quis verò putaret de alio, præter Iacobum fratrem Domini nuncupato Apoſtolo, loquutum eſſe, aliam ſubnectit ex epiſtola ad Corinthios Diui Pauli auctoritatem, ex qua propalam colligi poſſet, non modo alios præter duodecim vocatos fuiſſe Apoſtolos, ſed inter hos eminentiori quodam gradu Iacobum fratrem Domini fuiſſe recenſitum. *Quia viſus eſt poſthac illis vndecim*, inter quos nemini dubiũ eſſe poteſt, quin vterque Iacobus Zebedęi, & Alphæi prorſus includatur. *Deinde viſus eſt, pluſquam quingentis fratribus ſimul, ex quibus multi manent vſque adhuc deinde viſus eſt Iacobo*. Vnde obiter aduerſus id negantes animaduertere licet D. Paulum, qui pro duobus Iacobis adducitur, alium Iacobum ab vndecim Apoſtolis prorſus diſtinguere, præſertim cum ſtatim addat, *deinde Apoſtolis omnibus*. Minimè autem D. Hieronymus dubitauit Iacobum, cuius extra vndecim meminit D. Paulus, eundem eſſe ac cognomento Iuſtum, & fratrem Domini, cùm totus in ipſius laudes deinde ſit, quas apertiſſimè ex Hegeſippo mutuatur, & cuius fragmentum in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis adduxit. Hinc conijciebam, D. Hieronymum in adoleſcentia contra Heluidium ſcribentem nondum vidiſſe Hegeſippum, & quòd contra magni hiſtorici fidem putauerit Mariam Iacobi, vxorem fuiſſe Alphæi, cum fuerit Cleophæ, & quòd Iacobum fratrem Domini in Iacobum Alphæi hoc fundamento conflauerit, ſed quòd iam ætate confectus in Eſaiam, & D. Paulum ſcribens, mutata ſententia, Iacobum eundem Iuſtum, & fratrem Domini, Apoſtolum quidem, ſed extra duodenarium numerũ, eſſe conſenſerit, quod idẽ eſt, ac in tertium Iacobum conſentire. Nec alioquin accuratiſſimi Baronij ad ann. 44. n. 37. authoritas me in aliam ſententiam rapuit, quod nimirum magis D. Hieronymo contra Heluidium ſcribenti, quàm eidem Eſaiam enarranti credendum ſit, cum poſtremæ curæ omnium calculo meliores eſſe reputentur; Neminem enim mihi negaturum exiſtimo S. Doctorem in Eſaiam, & Paulum poſt Apologiam in Heluidium ſcripſiſſe, quandoquidem id apertè pateat, tùm ex cap. 44. in Ezechiel. his verbis, *Romæ aduerſus Heluidium illius temporis Hæreticum in adoloſcentia non grande librum ſcripſiſſe me noui*, tùm quod in Proœmio Eſaiæ ad Euſtochium ſcribere profiteatur, *ætate, & corporis imbecillitate confectum*, & quamquam in D. Paulum commentaria ante Eſaiæ labores ediderit, id tamen non niſi poſt reditum Bethlem perfecit, & aliena manu *propter oculorum, & totius corporis infirmitatem*, quæ ex proœmio tertij commentarij, iam ingraueſcentem ætatem, non adoleſcentiam arguunt. Nec incongruum eſt, ſenem, & in Sacræ Scripturæ interpretatione conſummatum in aliam ab ea, quam adoleſcens ſequutus fuerit, ſententiam deſcendiſſe, ex eo præſertim, quòd opus aduerſus Heluidium in ardore adoleſcentiæ ſcri-

ptum non magni feciſſe Sanctus Hieronymus videtur, tùm ex his, quæ in Eſaiam de eo reliquit, tùm quod in Ezechielem opus adoleſcentiæ vocauerit, quamquam doctiſſimum ſit, & omnium Catholicorum iudicio tanto doctore dignum. Accedat quòd in eiuſdem opere de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quod nemo negare poteſt ex ijs eſſe, quæ prouecta iam ætate D. Hieronymus compoſuerit, vitam Iacobi fratris Domini retexuit, in qua dum eundem filium fuiſſe Ioſeph ex alia vxore negat, & filium fuiſſe Mariæ ſororis Matris Domini profitetur, altiſſimè dé Alphæo ſilet, cum tamen, niſi à priori ſententia diſceſſiſſet, congruentiſſimum eſſet, vt Patrem oſtenderet. Silet quidem eundem eſſe cum Iacobo Alphæi, & Alphæi filiũ, ſed in adducto Hegeſippi fragmento tacitè ſuam retractationem inuolnit. *Suſcepit Eccleſiam Hieroſolyma* (inquit ex Hegeſippo) *poſt Apoſtolos frater Domini Iacobus cognomento Iuſtus, multi ſiquidem Iacobi vocabantur*. Verba enim illa *poſt Apoſtolos* Sanctũ Doctorem fugere non poterãt, quin ille extra duodenarium numerum Iacobum Epiſcopum conſtitueret, & tamen Apoſtolum agnoſceret, ſubdit enim, *Hic eſt de quo Paulus Apoſtolus ſcribit ad Galatas, alium autem Apoſtolorum vidi neminem niſi Iacobum fratrem Domini*. Parũ autem refert, ſiue cũ D. Hieronymo Iacobum Epiſcopum Eccleſiam illam gubernaſſe accipiamus, vt interpretatur Hegeſippi laciniam, *poſt Apoſtolos*, vel ex illius fragmenti recentiori Combefis interpretatione dicamus, *vna cum Apoſtolis*, cum vtraque lectio Iacobum fratrem Domini à duodenario Apoſtolorum numero ſatis apertè diſtinguat. Mirari verò hìc ſubit Chriſtophorſonij vetuſtioris interpretis licentiam, qui contra Græci authographi fidem verterit, atque ita fortaſſe oculatiſſimo Baronio impoſuerit, *cum cæteris Apoſtolis*. Integrum quapropter ex melioris notæ codicibus hìc libet Hegeſippi fragmentum apponere eo modo, quo nuperrimè accuratiſſimus Henricus Valeſius Græcam Euſebij hiſtoriam latinam fecit, vt inde etiam quæſitam veritatem attingamus. *Eccleſiã inquit* (Hegeſippus) *adminiſtrationem vna cum Apoſtolis ſuſcepit Iacobus frater domini, qui tam inde à Chriſti temporibus ad noſtrã vſque ætatem Iuſtus cognominatus eſt. Nam multi quidem eodem nomine Iacobi vocabantur*. Illud enim Græce *metà tòn Apoſtòlòn*, rectè Rufinum vertiſſe *Cum Apoſtolis* addit in adnotationibus Valeſius, quia Apoſtoli vna cum Iacobo Hieroſolymitanam rexerunt Eccleſiam, non tamen ille ſupra Apoſtolos erat, vt Rufinus ex Clementis Recognit. dixerat cap. 2. ſed infra Apoſtolos, quod ſignificare fortaſſe voluit D. Hieronymus dum verterat, *poſt Apoſtolos*. His addo curſim, vt Hegiſippi de pluribus Iacobis aſſertio roboretur, Græcos in Menologio Baſilij 4. Idus Septembris, alium neſcio quem Iacobum recolere ſine Apoſtoli nomine, qui adſtans Dominicæ Cruci ſanguinem, & aquam ex latere Redemptoris fluentem collegerit. Qualis verò fuerit Hegeſippus Apoſtolis ætate proximus, quantum inſcribendo candoris, & apud antiquos authoritatis, partim ex D Hieronymo de ſcript. Eccl. partim ex Euſebio lib. 2. cap. 22. & lib. 4. cap. 8. quiſquis haurire facilè poterit, dum alter ſinceritatis, & veridici Scriptoris laudes in eo complectitur, quòd Chriſtianorum vitam ſectando, *dicendi quoque exprimeret charactere*: alter verò qui paſſim eiuſdem teſtimonio, tanquam irrefragabili vtitur, eundem appellet hiſtoriæ accuratiſſimum ſcriptorem, veritatis defenſorem, ac patronum, & ſinceræ minimèque fucatæ traditionis auctorem. Non vtique Baronio negarem, Clementem Alexandrinum lib. 7. Inſtitutionum apud Euſebium lib. 2. c. 1. aſſerere duos fuiſſe inter Apoſtolos Iacobos, alterum cognomento Iuſtum, qui ex templi faſtigio præceps datus, fullonis fuſte percuſſus interierit, alterum qui capite truncatus ſit. Sed in rebus hiſtoricis, non quidem concederem tanti ponderis Clementem eſſe, quàm Hegeſippum, tum ætatis ratione, quòd integro

ferè

ferè sæculo Hegesippo iunior ille fuerit, tùm rerum in Ecclesia gestarum peritia, cum apud eundem Eusebium lib. 1. c. 12. palam sit, Clementem in Apostolica historia errasse, dum Cepham, qui Petrus omninò est, non modò à duodenario Apostolorum numero segregauerit, sed inter septuaginta Discipulos relegauerit, & fortasse Clemens non ita strictè asseruit, duos fuisse Iacobos, vt tertium omninò inter Apostolos numeratum negauerit; in Valesij enim accurata interpretatione, sicut in antiqua Rufini, atque communiori Christoforsonij, *duo fuere Iacobi*, tantum legitur, nullaque additur restrictiua particula, quod tres esse non potuerint. Verùm in septimo Hypotip. vt in Cepha, ità & in Iacobo fuisse allucinatum Clementem inter Apocriphos à Gelasio relatũ maximè timerem. Scripserat ille quidem libro 6. *Post Seruatoris ascensum Petrum, Iacobum, & Ioannem, quamuis Dominus ipsos cæteris prætulisset, nõ ideircò de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Iacobum cognomento Iustum Hierosolymorũ Episcopum elegisse*; quasi Iacobus electus non ex illo ternario numero esset, & tamen libro octauo Iacobum Iustum fuisse scribit, cui cum Ioanne, & Petro *Dominus post Resurrectionem scientiæ donum impertijt*, & qui fuste Fullonis occisus est, quæ pugnare inter se videntur. Quantis verò erroribus Clementis Alexandrini libri Hypotyposeon aspersi sint, notat Photius Bibliothecæ num. 109. siue ipse errauerit, siuè quis alius eius personam indutus, Arianis fauens, vt notat Rufinus in Apologia pro Origene. Nec est quòd illius sententię de duobus Iacobis assertores, adiutorem sibi Eusebium Cęsarienſem, ascisçant, cum ipse, vel oppositum docuerit, vel hæsitanter Clementi Alexandrino adhæserit. Profectò ex ijsdem paulo ante adductis D. Pauli verbis Eusebius Iacobum fratrem Domini non inter duodecim Apostolos numerauit, sed inter septuaginta Discipulos, ità recensuit. *Atque si placet obseruatione notare, plures quam septuaginta Discipulos seruatoris nostri extitisse facilè reperies, etiam vel Pauli solum vsus testimonio, qui affirmat illum, post quam à mortuis resurrexisset, apparuisse primum Cephæ, deinde duodecim, postea plusquam quingentis fratribus simul deinceps visum esse Iacobo. Hunc autem non modo vnum ex his, qui in discipulorum numero habebantur, verùm etiam ex illis, qui sunt fratres Domini nuncupati, extitisse constat. Post verò quasi complures præter istos fuissent, qui ad duodecim similitudinem, & exemplum nominabantur (qualem Paulum fuisse accepimus) adiungit, deinde visus est omnibus Apostolis*. Non me latet verba illa in numero discipulorum Iacobum reponentia, non modò in Rufini interpretatione non legi, sed neque etiam in codicibus Græcis Mazzarinio, Mediceo, ac Fukeriano. At in codice Regio, quo vsi sunt, Robertus Stephanus, & Valesius profitare certum est, nec in noua editione Valesium doctissimum aliquid immutare voluisse, quòd multi ex veteribus id scripserint, & D. Paulum in epistola ad Corinthios huic opinioni fauere videretur. Et quamquam idem Eusebius ex sexto, & septimo Clementis Hypotyposeon illa duo fragmenta produxerit, ex quibus duos fuisse Iacobus comprobari videatur, attamen Clementi in hoc consensisse non videtur, cùm anteà in eodem capite 12. docuerit Iacobum Iustum nõ Alphęi, sed ipsius S. Ioseph ante Virginem desponsatam fuisse filium, atque ideo fratrem Domini nuncupatum. Si enim qui capite sub Herode truncatus Iacobus filius Zebedæi fuit, vt probatione non eget, relinquitur, vt alius Alphęi, non Ioseph filius illi numerandus sit, si nimirum duos tantùm agnouisset cùm Clemente, non verò tres, vel plures cum Hegesippo. Contra hunc duorum tantummodò sub Iacobi nomine Apostolorum numerum Græcorum Ecclesia pugnat, quæ tres fuisse non dubitat, & Iacobum Iustum, non minùs à Iacobo Alphæi, quam à duodenario Apostolorum cœtu distinguit, dum Iacobum Alphæi fratrem Matthæi, & æquè

cum ipso publicanum die nona Octobris martyrium compleuisse legit, Iacobum verò Iustum, ac fratrem Domini, tùm vigesima tertia die Octobris recolit, tùm solemniùs Dominica ante Christi diem natalem vna cum Dauide, ac B. Ioseph eiusdem Iacobi consanguineis, vt inter cætera Græcorum Hagiologia extat in Menologio Basilij Imperatoris. Nec à Græcorum Menæis antiqui, Græcique Sancti Patres dissident, Chrysostomus præcipuè, Epiphanius Hom. 33. in cap. 7. Matthæi, Theodoretus, & ante ipsos Cyrillus Hierosolymitanus; quorum primus non modò Iacobum Alphæi à fratribus Domini distinguit, sed fratrem Matthæi, ac æque publicanum demonstrat vnius, & eiusdem Alphæi pariter filium, quemadmodum ex Euangelio Marci videtur etiam non obscurè deduci. Et rursus cap. 1. epistolę ad Galatas Iacobum fratrem Domini manifestissimè filium Cleophæ, non Alphæi constituit, Sanctus Epiphanius verò tanquam notoria contra Collyridianos afferens, post enumeratos Apostolos duodecim, ac inter illos Iacobum Alphæi, hos omnes docet per orbē Euangelium intonasse cum Paulo, Barnaba, ac cæteris, mysteriorū verò auctores eosdē fuisse *vna cum Iacobo* (quem apertè à duodecim distinguit) *Domini fratre, ac primo Hierosolymarum Episcopo*. Duo autem obiter pro Iacobo apud eruditum Doctorem adnotare licet. Primùm hoc eodem loco non obscurè Iacobo vetustiorem lithurgiam tribui, quòd ipse inter cæteros Apostolos mysteriorum fuerit antesignanus, licèt enim *duodecim Apostoli sacrificarent Euangelium super terram, vnà cum Paulo, & Barnaba*, addit tamen Epiphanius id actum esse, *Mysteriorū duce Iacobo fratre Domini, & primo Episcopo Hierosolymarum*. Secundum verò quod licet animaduertere apud Epiphanium contra Nazaræos est, Iacobum Iustum post passionem, siue ascensionem Domini, statim non minùs Episcopum, quam Apostolū extra duodenarium numerum fuisse constitutum; ex eo enim Sacerdotalem dignitatem in Ecclesia agnoscit ex semine Dauid Epiphanius, quia ipse Dominus Pontifex, & Pontificum præfectus statim constituerit Iacobum fratrem appellatum, Apostolum, & Episcopum. Verùm vt vnde digressi sumus redeamus, Theodoretus ità in tertium Iacobum consensit, vt Matthæum, & Iacobum filios Alphæi, & inter se fratres sub communi etiam patria non inficietur per interpretem ascribere ad verba illa psalmi 67. *Principes Iuda Duces eorum &c.* ex his namque Tribubus (Iuda scilicet, Zabulon, & Nephtalim) *Apostoli*, inquit, *originem duxerunt, & illi quidem qui vocabantur fratres Domini, ex tribu Iudæ planè genus traxerunt. Petrus autem, & Andreas, & Iacobus, & Ioannes, & Philippus ex vico Bethsaida fuerunt, Matthæus, & Iacobus dicti sunt habitasse Capharnaum. Simon Zelotes Cananeus nominatus est, omnia autem hæc loca Galilea sunt, Zabulon autem, & Neptalim suam ibi habuerunt sortem*, quod ex Isaia, & Matthæo confirmat. Cum autem certum sit Iacobum fratrem Domini ex tribu Iuda fuisse, certū etiam est Theodoretum non eum miscuisse cum Iacobo ex vico Bethsaida, neque cum Iacobo Capharnaum inhabitante, sicuti inter fratres Domini, & in ipsa tribu Iudæ, Iudam Iacobi enumerasse non dubitarem. Cyrillus verò Hierosolymitanus in Cathechesi 4. & 14. dum Paulum ad Corinthios interpretatur, ac illos recenset, quibus Christus post mortem apparuit, 12. nempè Apostolos, ac quingentos fratres, visum postea esse declarat Iacobo, & reliquis Apostolis, vt cum Paulo omnino à duodecim Apostolis distinxerit. Coronidem tādem his imponat Gregorius Nyssenus orat. 2. de Resurrectione Cyrillo coænus. Is expressè docet Mariam, quę in Euangelio dicitur mater Iacobi, non fuisse matrem Iacobi Alphæi, qui comparatiuè ad Iacobum Zebedei minor vulgò nuncupabatur, sed matrem fuisse Iacobi Parui ita vocati, quòd extra numerum duodenarium Apo-

sto-

ſtolorum prorſus exiſteret, vt hinc apertiſſimè deducatur, præter Iacobos, qui inter duodecim erant aſcripti, adhuc alium Iacobum fuiſſe, qui paruus diceretur, & frater Domini eſſet, cum Ioſete, Simone, & Iuda. At ipſum audire libet ex Laurentij Siſanij interpretatione, *Marcus autem Iacobi parui, & Ioſe matrem eam vocauit, quoniam alter erat Iacobus Alphæi magnus idcircò, quia duodecim Apoſtolis connumeratus erat. Nam paruus non erat de numero eorum.* Hinc ſoluitur D. Hieronymi argumentum de comparatione maioris, ac minoris Iacobi, non enim minor, ſed paruus Iacobus ille dicebatur, qui erat extra numerum Apoſtolorum, comparatione ad Apoſtolatus dignitatem; Iacobus verò Alphæi minor reſpectu Iacobi Zebedei, maior reſpectu Iacobi Iuſti dici ſine abſurdo poterat. Cùm vetuſtioribus hiſce, Sanctiſque Patribus, præter Nicephorum à Baronio doctiſſimo exagitatum, conſentiunt alij etiam minùs vetuſti Hiſtorici, vt Theodorus Metochita, qui ex interpretatione Meurſij p. 63. ait, *Iacobus iſte quidem frater Domini, non de numero diſcipulorum duodecim eſſe, tamen primas inter illos obtinere*, ſed magis etiam Glycas P. 3. Ann. qui tres fuiſſe Iacobos Apoſtolos nuncupatos acerrimè defendit. Ab hac ſententia, quæ ferè Græcorum omnium eſt, non diſcedit inter latinos Author Commentarij in epiſtolam ad Galatas D. Ambroſio tributi, qui ſiue fuerit Hilarius Diaconus Romanus Lucifereanorum fautor, vt ſuſpicatur Bellarminius, vel Sanctus aliquis Hilarius ita à Sancto Auguſtino vocatus, profectò antiquus eſt ſcriptor, & ſub Damaſo cum D. Hieronymo floruit. Neque ex hoc Indiculo tantùm tres ſub Iacobi nomine Apoſtolos Eccleſiam quoq; Occidẽtalem recoluiſſe apparet, ſed prorſus ex Vetuſtiori ipſo Martyrol. & alio à nobis S. Hieronymi paruo nũcupato. In his enim 8. vel 7. Kal. Aprilis Paſſio Iacobi fratris Dñi. x. Kal. Iulij. Natale S. Iacobi Alphęi Apoſtoli, & 8. Kal. Auguſti, Paſſio Iacobi Apoſtoli, quẽ Zebedei filiũ, & Ioãnis Euãgeliſtę fratrẽ fuiſſe ex infra dicẽdis apparet, & expreſsè habetur in notitia de locis Sanctorũ Apoſtolorũ Martyrologio Romano Bollandi præfixa. Conſentit cum Indiculo, & Martyrologijs noſtris Æthiopũ Miſſa, ſeu Canon vniuerſale, ex antiquũ, vt par eſt credere, traditione Tom. 6. magnæ Patrum Bibliothecæ; in oratione enim pro abſolutione celebrantium petitur, vt miniſtrantes abſoluantur *Per os duodecim Apoſtolorum, & Sancti Iacobi Epiſcopi Hieroſolymitani, & Sancti Pauli, & omnium ſeptuaginta duorum diſcipulorum.* Verùm, cum Iacobum cognomento Iuſtum, vel fratrem Domini extra duodenarium Apoſtolorum numerum reponimus, & paruum cum Nyſſeno nuncupatum obſeruamus, non ita intelligi volumus, quin ſaltem poſt ſuſceptam cathedram prȩcipuus inter Apoſtolos diceretur, & vna ex Eccleſiæ columnis mereretur vocari. Quod, dum infra in præcipua eiuſdem Cathedræ celebritate monſtramus, hìc abſtinemus à laudibus. Interim, dum à graui doctiſſimi ſcriptoris cenſura tot antiquos ſcriptores vindicaſſe ſperamus, lectorem noſtrum monitum volumus, ne recentiores, qui ex Eccleſiaſticis Annalibus ſine alio labore crambem recoquunt, audire facilè velit, & ne eruditorum, qui in Martyrologium ſcripſerunt, auctoritate illectus, noſtrum, quod damus, & vetuſtius, ſyncerumque arbitramur, primo ſtatim aſpectu deſpiciat.

III. Kal. Iulij.

Natalis Sancti Petri, & Pauli.

DE Apostolorum, quæ circumferuntur, historijs, ita demissè magnus sentit Baronius, vt veritatem inde haurire posse desperet. In tanta sæculorum, & Apocriphorum caligine, præter ea, quæ ille cumulat, tàm in Annalibus, quàm in Notis ad Martyrologium, qualemcunque facem addere ex instituto laborabimus. De die, locoque passionis Sanctorum Petri, & Pauli quamuis clariora sint omnia, quòd aliqua ex Apostolicis Actis, aliqua ex grauioribus, & vetustioribus Patribus asserantur, perduelles tamen quidã eò vesaniæ deuenerunt, vt cõtra omnẽ antiquitatem, comprobantibus hoc ipsum extra Apocriphos, Iustino, Ireneo, Hegesippo, Eusebio, Tertulliano, Cyrillo Hierosolymitano, alijsque antiquis Patribus, Petrum Romæ vnquam fuisse negauerint. At quamquam Indiculus noster Romæ passos non habeat, in Martyrologij tamen nomenclatura deinceps asseritur, & in notitia de Locis Sanctorum Apostolorũ in fronte Vetustissimi Martyrologij Bollandi, ac insuper in historia Marcelli D. Petri Discipuli continetur. Hanc notationis loco ex manuscripto penes me antiquo Codice exhibere placuit, quòd non modo locum, & diem passionis ostendat, sed postremum cum Simone Mago Apostolorum certamen, ac triumphum describat: eoque magis, quòd eius fragmentum à Ludouico Iacobo ad calcem Pontificiæ Bibliothecæ expositum, integræ narrationis saliuam mouere doctis potuerit. Miror tamen eundem fugisse, quòd maior sui fragmenti portio edita iam sit apud Surium in Actis Nerei, & Achillei, & vsque ad verba illa, *nam altera die &c.* ipsissima sit Marcelli Presbyteri apud eundem epistola, ipsumque latuerit reliquum post epistolam additũ initium potiùs, quàm historiæ diffusioris notabilem partem esse. Animum quoque addidit idem Bibliothecæ scriptor, dum monuit fragmentum illud ex Codice Flauianensi à viris doctissimis quàm maximè fuisse expetitum. Hoc Marcelli antiqui Scriptoris, & ex Discipulo Simonis Magi, Santi Petri assecle, & Romani Presbyteri opusculum agnouit Sigibertus Gemblacensis de viris illustribus sub eodem titulo, quem infra historiæ Marcelli præponimus, cui opuscula etiam alia Trithemius ascribit, nisi vnicum opus sub diuersa Epigraphe fortasse dicendum sit, hoc est,

De conflictu S. Petri, & Simonis Magi liber vnus.

De Actibus Petri, & Pauli liber vnus.

De Artibus Simonis liber vnus.

Auctor verò Bibliothecæ damnatus Gesnerus vnicam tantum Marcelli historiam agnouit, & hoc titulo descripsit.

De conflictu Sancti Petri, & Simonis.

Hanc, vt inuenimus in antiquo, & ante quingentos annos, descripto Hædino Hagiologio, Passionale nuncupato, ex nostro Musæo candidè exhibemus, & ex Sigiberto titulum facimus. Scimus equidem in antiquis Passionalibus libris ferè omnibus prostare, editam tamen ex integro nescimus.

De mirificis rebus, & Actibus Beatorum Petri, & Pauli, & de Magicis artibus Simonis Magi.

VM venisset Paulus Romam, conuenerunt ad eum omnes Iudæi dicentes. Nostrã fidẽ, in qua natus es, ipsam defende; Non est enim iustum vt tu cũ sis Habrens ex Hebræis veniens gentiũ te magistrum iudices, & incircumcisorum defensor factus, tu cum sis circumcisus fidem circumcisionis euacues. Cum ergo Petrum videris suscipe contra eum contendere, quia omnem obseruationem nostræ legis euacuauit: Excluſit Sabbatissimum, & Neomanias, & legittimas ferias inaniuit. Quibus Paulus respondit: Me Iudæum esse, & verum Iudæum, hìc poteritis probare, cum & Sabbatum obseruare, & circumcisionem verè poteritis aduertere. Nam Sabbato die requienit ab operibus Deus. Nos habemus Patres, & Patriarchas, & Legem. Quid tale prædicat Petrus in Regno gentium? Sed & si forte aliquam vult introducere nouam doctrinam, sine conturbatione, & sine inuidia, & sine strepitu nuntiate ei, vt nos videamus, & in vestro conspectu illum ego conuincam. Quòd si forte doctrina eius fuerit vero testimonio, & Hebræorum libris monita, decet nos omnes obedire ei. Hæc & his similia dicente Paulo perrexerunt Iudæi ad Petrum, & dixerunt ei. Paulus ex Hebræis venit, rogat te vt venias ad eum, quoniam hi, qui eum adduxerunt, dicunt non se posse dimittere, vt videat quem vult, antequam eum Cæsari insinuent. Audiens hæc Petrus gaudio gauisus est magno, & statim exurgens perrexit ad eum. Videntes autem se præ gaudio fleuerunt, & in amplexibus suis diutissimè morati inuicem se lacrymis infuderunt. Cumque Paulus illi omnem textum suorum indicasset, & Petrus dixisset illi, quas Simonis Magi pateretur insidias, abscessit Petrus ad vesperum mane die altero reuersurus.

Cumque aurora diei daret initium, ecce Petrus aduenies inuenit multitudinem Iudæorum ante fores Pauli; erat autem inter Iudæos, & Christianos, & Gentiles infinitâ conturbatio. Iudæi enim dicebant. Nos genus electum, regale, amicorum Dei Abrahæ, Isaac, & Iacob, & omnium Prophetarum, cum quibus locutus est Deus, quibus Deus ostendit secreta sua; Vos autem ex gentibus nihil in semine vestro magnum nisi in Idolis, & sculptilibus inquinati execrabiles extitistis. Hæc & his similia dicentibus Iudæis gentes respondebant dicentes. Nos mox, vt audiuimus veritatem, reliquimus errores nostros, & secuti eam sumus; Vos autem, & paternas virtutes, sectas, & prophetarum signa vidistis, & legem accepistis, & mare pedibus siccis transistis, & inimicos vestros dimissos vidistis, & columna vobis per diem in Cælo apparuit, & ignis per noctem, & manna vobis de Cælo data est, & de petra vobis aquæ fluxerunt, & post hæc omnia idolum vobis viuli fabricastis, & adorastis sculptile; Nos autem nulla signa videntes credimus Dominum hunc, quem vos non credentes dereliquistis. Hæc & his similia contendentibus dixit Apostolus Paulus: Non debere eos has contentiones inter se suscipere, sed hoc magis attendere, quia complesset Dominus promissa sua, quæ iurauit ad Abraham Patrem nostrum, quòd in semine eius hæreditarentur omnes gentes, non est enim personarum acceptio apud Dominum, quicunque enim in lege peccasset secundum legem iudicaretur; qui verò sine lege deliquissent sine lege perirent, est enim in humanis sensibus tanta sanctitas, vt bona laudet natura, & puniat mala, quæ inter se inuicem cogitationes, aut accusantes puniat, aut remuneret excusantes.

Hæc, & his similia Paulo dicente, factum est, vt mitigati essent Iudæi, & gentes, sed principes Iudæorum insistebant. Petrus verò his, qui eum arguebant, quòd Sinagogis eorum interdiceret, dixit. Audite fratres S. Spiritum promittentem Patriarchæ Dauid, quòd de fructu ventris eius poneret super sedem suam. Hunc ergo, cui dixit Pater de Cælis filius meus es tu, ego hodie genui te. Hunc crucifixerunt per inuidiam Principes Sacerdotum; Vt impleret autem redemptionem necessariam sæculo permisit se hæc omnia sustinere, vt sicut ex costa Adæ fabricata est Eua, sic ex latere Christi in Cruce positi fabricaretur Ecclesia, quæ non haberet maculam, neque rugam. Hunc Deus aditum aperuit omnibus filijs Abraham, Isaac, & Iacob, vt sint in fide Ecclesiæ, & non in infidelitate Sinagogæ. Conuertimini ergo, & intrate in gaudium Abrahæ Patris vestri, quia quod ei promisit adimpleuit: vnde & Prophetæ canit. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem melchisedech. Sacerdos enim in Cruce factus est cum hostia corporis, & sanguinis pro omni sæculo sacrificium præbuisset. Hæc & his similia dicentibus Petro, & Paulo pars maxima populorum credidit, & pauci fuerunt, qui & ipsi simulata fide non tamen apertè possent eorum negligere monita, vel præcepta. Videntes autem maiores Sinagogæ, & gentium Pontifices, siue per prædicationem eorum finem specialiter fieri, egerunt hoc vt sermo eorum in murmuratione populi eueniret; vnde factum est, vt Simonem Magum Neroni præferrent, & istos culparent. Innumerabiles enim populi dum conuerterentur ad Dominum per prædicationem Petri contigit, vt etiam vxorem Neronis Libiam, & Agrippæ Præfecti coniugem nomine Agrippinam, ita conuerti, vt à latere se suorum maritorum auferrent. Per Pauli verò prædicationem multi desererunt militiam adhærebant Domino, ita vt etiam ex cubiculo regis venirent ad eum, & facti Christiani noluerunt reuerti ad militiam, neque ad Palatium. Hinc populis seditiosa murmuratione agentibus Simon excitatus est in zelum, & cepit de Petro multa male dicere. Dicens eum magum, & seductorem esse: Credebant autem illi qui mirabantur signa eius: faciebat enim Serpentem æreum mouere, se ipsum autem currere, & subito in aere videri. Contra hæc Petrus infirmos curabat verbo, cæcos videre faciebat orando, Dæmonia iussu fugabat, interea, & ipsos mortuos suscitabat: Dicebat autem ad populum, vt ab eius seductione non solum fugerent, sed etiam daserarent eum, ne viderentur Diabolo consentire. Sic factum est, vt omnes religiosi viri execrantes Simonem Magum sceleratum eum adsererent, Petrum verò in laudibus Domini prædicarent. Contra omnes scelerati, inlusores, & seductores, & pessimi adhærerent Simoni, Petrum Magum adserentes, quod ipsi erant, cum Simonem dicerent Deum esse. Qui sermo vsque ad Neronem Cæsarem venit, & Simonem Magum, vt ad se ingrederetur præcepit; qui ingressus cepit stare ante Neronem, & subito mutare effigiem, ita vt fieret sub to puer, & posthæc senior, altera verò hora adolescentior. Mutabatur sexu, & ætate, & per multas figuras Diaboli ministerio iactabatur. Quod cum videret Nero verum hunc esse Dei filium æstimabat: Petrus verò Apostolus docebat hunc esse furem mendacem Magum turpem sceleratum, & in omnibus quæ sunt Dei aduersarium veritatis, nihilque superesse nisi vt iussu Dei eius iniquitas manifestata omnibus panderetur. Tunc ingressus ad Neronem Simon dixit. Audi me bone Imperator; Ego sum filius Dei qui de Cælo descendi, vsque modo Petrum qui se dicit Apostolum patiebar, nunc ergo geminatum est malum: Paulus denique qui & ipse eadem docet, & contra me sentit simul dicitur cum eo prædicare, quod constat quia nisi de interitu eorum cogitaueris, Regnum tuum stare non poterit.

Tunc Nero solicitudine instigatus festinanter ad se eos iussit adduci. Alio autem die cum introissent ad Neronem Simon Magus, & Apostoli Christi Petrus, & Paulus, Simon dixit. Hi sunt discipuli illius Nazareni quibus non est tam bene vt sint de

plebe

plebe Iudęorum Nero dixit; Quid eſt Nazareus? Simon dixit. Eſt Ciuitas in Iudęaquę ſemper aduerſum vos fecit; hęc Nazareth dicitur, & ex ipſa fuit Magiſter eorum. Nero dixit. Deus omnem hominem monet, & diligit. Tu quare eos perſequeris? Simon dixit. Iſtud hominum eſt genus quì totam Iudæam peruerterunt ne mihi crederent. Nero ad Petrum ait Quare tàm perfidi eſtis, vt genus veſtrum? Tunc Petrus ad Simonem ait. Omnibus imponere potuiſti, mihi autem nunquam: Ipſos autem, quos deceperas, per me Deus de tuo errore reuocauit, & cum expertum tibi ſit, quod me ſuperare non poſſis, miror qua fronte in conſpectu Regis te iactes per artem tuam Magicam Chriſti diſcipulos ſuperare. Nero dixit. Quid eſt Chriſtus. Petrus dixit. Ille eſt Chriſtus, qui eſt pro redemptione mundi crucifixus, quem hic Simon Magus ſe eſſe affirmat; hic autem eſt homo nequiſſimus, & opera eius Diabolica. Si autem vis ſcire Imperator, quæ geſta ſunt in Iudæa de Chriſto, mitte, & accipe literas Pontij Pilati, miſſas ad Claudium Cæſarem, & ita cognoſces omnia. Nero autem, vt hæc audiuit, iuſſit eas accipi, & in ſuo conſpectu recitari. Erat autem textus ſcripturæ in hunc modum.

Pontius Pilatus Claudio ſalutem. Nuper accidit, & quod ipſe probaui, Iudæos per inuidiam ſe ſuoſque poſteros [1] Ieſum crudeli condemnatione puniſſe. Denique cum promiſsũ ſuũ haberent Patres eorũ, quod illis Deus eorum mitteret de Cælo [2] filium ſuũ, qui eorum Rex meritò diceretur, & hunc ſe promiſerit per Virginem miſſurum ad [3] terras. Iſte itaque me Præſide in Iudæa [4] cum veniſſet, & audiſſent eum cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, paraliticos curaſſe, dæmones ab hominibus fugaſſe, mortuos [5] autoritate ſuſcitaſſe, imperaſſe ventis, ambulaſſe ſiccis pedibus [6] ſuper vadas Maris, & multa alia mirabilia feciſſe. Hunc [7] cum omnis populus Iudæorum Dei filium eſſe [8] diceret, Inuidiam contra eum paſſi ſunt Principes Sacerdotum, & tenuerunt eum, & mihi tradiderunt, & alia pro alijs [9] multà de eo mihi mentientes dixerunt, aſſerentes iſtum Magum eſſe, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi, ita eſſe, & flagellatũ tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & ſepulto [10] cuſtodes adhibuerũt. Ille autem militibus meis cuſtodientibus die tertia reſurrexit. In tantùm [11] autem exarſit nequitia Iudæorum, vt darent pecuniam eis [12] dicentes, Dicite quia Diſcipuli eius corpus ipſius rapuerunt; & [13] cuſtodes cum accepiſſent pecuniam, quid factum fuerit tacere non potuerunt; Nàm & illum ſurrexiſſe teſtati ſunt ſe vidiſſe, & [14] à Iudæis pecuniam accepiſſe. Hæc ideo ingeſſi ne quis aliter mentiatur, & æſtimet [15] credendo mendacijs Iudæorum.

1 In Hegeſippo deficit Ieſum.
2 pro filio ſuo Hegeſippus legit ſanctum.
3 In terram Heg.
4 Deus Hebraor. cum miſiſſet, cum Hegeſ.
5 etiam
6 per
7 Deficit vox hunc.
8 Deficit eſſe.
9 Deeſt in Heg multa.
10 ſepulcro.
11 enim.
12 Cuſtodibus & dicerent.
13 ſed cum accepiſſet pecuniã.
14 & ſe à Iudæis.
15 Exiſtimet

Cumque perlecta fuiſſet Epiſtola Nero dixit Dic mihi Petre, ita per illum omnia geſta ſunt? Petrus ait Ita; non te fallo bone Imperator. Hìc Simon plenus mendacijs, & fallacijs circundatus, vt putet ſe, cum homo ſit peſſimus, etiam hoc eſſe, quod Deus eſt; In Chriſto enim ſunt ſubſtantiæ duæ Dei, & hominis; Hominis itaque quem aſſumpſit illa maieſtas incomprehenſibilis, quæ per hominem hominibus dignata eſt ſubuenire; In iſto autem Simone ſunt duæ ſubſtantiæ hominis, & Diaboli, qui per hominem conatur hominibus impedire. Simon dixit miror; te Imperator, hunc te alicuius momenti æſtimare hominem imperitum piſcatorem, mendaciſſimum, & nec in verbo, nec in genere, nec in aliqua præditum poteſtate, ſed ne diutius hunc patiar inimicum, modo præcipiã Angelis meis, vt veniant, & vindicent me de iſto. Petrus dixit; non timeo Angelos tuos; Illi autem poterunt me timere in virtute, & confidentia Ieſu Chriſti Domini mei quem eſſe mentiris. Nero dixit. Non times Petre Simonẽ, qui diuinitatem ſuam rebus adfirmat. Petrus dixit. Diuinitas in eo eſt, qui cordis rimatur arcana: Si ergo Diuinitas eſt in iſto, dicat nunc mihi quid cogito, vel quid facio. Quam cogitationem meam ante tuam hic mentiatur, prius tuis auribus inſinuo, vt non audeat mentire quid cogito. Nero dixit. Dic mihi quid cogitas. Petrus dixit. Iube mihi

affer-

afferri panem ordaceum, & occultè dari; Cumque hoc iussum fuisset afferri, & dari Petro, accepto pane fregit, & abscondit sub manica sua, & dixit Petrus; Dicat nunc quid cogitaui, quid dictum, quidue factum. Nero dixit. Vis ergo vt credam, quia hæc Simon nõ ignorat, qui & mortuũ suscitauit, & se ipsum decollatum post diem tertiũ repræsentauit, & quicquid dixit, vt faceret fecit. Petrus dixit sed corã me nõ fecit. Nero dixit. Me adstãte hæc omnia fecit, nã, & Angelos iussit ad se venire, & venerunt. Petrus dixit. Ergo si quod maximũ est fecit, quare quod minus est nõ facit? dicat quid cogitauerim, & quid fecerim. Nero dixit. Quid dicis Simon? Ego me inter vos non conuenio. Simon dixit. Petrus dicat quid ego cogitem. Petrus respondit. Quid cogitet Simon me scire docebo, dum fecerim quid cogitauerit. Simon dixit. Hoc scias Imperator, quia cogitationes hominum nemo nouit, nisi vnus Deus. Petrus dixit. Tu ergo, qui filium Dei te esse dicis, dic quid cogitem, quod fecerim modo in occulto, si potes exprime Petrus enim benedixerat panem, quem acceperat ordaceum, & fregerat, & dextra, atque sinistra in manica collocauerat. Tunc Simon indignatus, quod dicere non posset secretum Apostoli, exclamauit dicens. Procedãt Canes magni, & deuorent eum in conspectu Cæsaris; & subito apparuerunt Canes miræ magnitudinis, & impetum fecerunt in Petrum. Petrus verò extendens manus in orationem ostendit Canibus eum, quem benedixerat panem; Quem, vt viderunt Canes, subito nusquam comparuerunt. Tun Petrus dixit ad Neronem. Ecce ostendi tibi, sciisse, me quid cogitauerit Simon non verbis, sed factis; nam qui Angelos promiserat contra me esse venturos, canes exhibuit, vt se ostenderet non diuinos Angelos, sed Caninos habere. Tunc Nero ad Simonem dixit. Quid est Simon? puto victi sumus. Simon dixit. Hic & Iudæa, & tota Palestina, & Cæsarea ista mihi fecit, & sæpè mecum certando, ideò dicit, quia hoc ei erat contrarium; Me ergo vt euaderet didicit hoc. Namque vt dixi cogitationes hominum nemo nouit nisi vnus Deus. Et Petrus ad Simonem dixit. Certè Deum esse te mentiris; quare ergo non manifestas cogitationes singulorum? Tunc conuersus Nero ad Paulum sic ait. Tu quare nihil dicis Paule. Paulus dixit. Hoc scito Cæsar, quia si dimiseris istum Magum tanta agere, magnum malum patriæ tuæ adcrescit, & regnum tuum à statu suo deijciet. Nero Simoni dixit. Quid dicis in Simon? Simon respondit. Ego nisi me aperte demonstrauero Deum esse, nemo mihi venerationem debitam exibebit. Nero dixit. Et vt quid modo moraris, & non ostendis te Deum esse vt isti puniantur? Simon dixit. Iube mihi turrem altam fieri ex lignis, & ascendam super eam, & vocabo Angelos meos, & præcipiam eis, vt cunctis videntibus in Cælum perferant me ad Patrem meum. Hoc isti dum facere non potuerint, probabis eos homines esse imperitos. Nero autem ad Petrum dixit. Audisti Petre quid Simon dixerit, ex hoc apparebit quantam virtutem habeat, vel ipse, vel Deus tuus. Petrus ad hæc respondit. Optimè Imperator si velles poteras intelligere eum, quia Dæmonio plenus est. Nero Imperator dixit. Quid mihi verborum ambigere circuitus facis? Crastinus dies vos probabit. Simon dixit. Credis bone Imperator quia Magus sum, cum mortuus fuerim, & resurrexerim; Egerat enim perfidus Simon præstigio suo vt diceret Neroni. Iube decollari me in obscuro, & ibidem dimitti occisum, & si non tertia die resurrexero, scias me Magum fuisse; si autem resurrexero scias me esse filium Dei. Et cum hoc fieri iussisset Nero in obscuro, egit ille arte Magica vt aries decollaretur, qui aries tandiu Simon visus est, quamdiu decollaretur. Decollatus autem in obscuro, cum scrutatus fuisset is, qui eum decollauerat, & caput eius pertulisset ad lumen, inuenit caput berbicinum; Sed nihil voluit regi dicere, ne se ipsum detegeret, qui insusus fuerat, hoc in abditis perpetrare. Hinc ergo dicebat Simon, se die tertia resurrexisse, quia caput, & membra berbicis tulerat, sanguis verò ibidem congelauerat, & tertia die ostendit se Neroni, & dixit. Fac

sangui-

ſanguinem meum, qui effuſus eſt extergi, quia ecce, qui decollatus fueram ſicut promiſi die tertia reſurrexi. Cum ergo dixiſſet Nero craſtinus dies vos probabit, tunc conuerſus ad Paulum ait. Tu Paule quare nihil loqueris, aut quis te docuit, aut quem Magiſtrum habuiſti, aut qualiter in Ciuitatibus docuiſti, vel quales extiterunt per tuam doctrinam? Puto enim nullam te habere ſapientiam, nec virtutem aliquam poſſe perficere. Ad hæc Paulus reſpondit. Putas me contra hominem perfidum, & deſperatum Magum, maleficum, qui animam ſuam morti deſtinauit, cuius interitus, & perditio citò aduenier iſti debere loqui? qui fingit ſe eſſe, quod non eſt, & arte Magica hominibus ad perditionem inludit, huius verba ſi volueris audire, vel fore perdes animam tuam, & imperium tuum; hic enim homo peſſimus eſt, & ſicut Ægyptij Magi Iamnes, & Mambres, qui Pharaonem, & exercitum eius miſerunt in errorem quouſque demergerentur in Mare: Sic, & hic per Patris ſui Diaboli peritiam hominibus perſuadet, & multa mala facit per nichromantiam, & cætera mala, ſi qua ſunt apud homines, & ſic multos incantos ſeducit ad perditionem Imperij tui. Ego autem verbum Diaboli, quod per hunc hominem diffundi video, gemitibus cordis mei ago cum Spiritu Sancto, vt cito poſſit oſtendi quid ſit; Nam quantum ſe exaltare putat ad Cælos, tantum dimergitur in Inferno inferiore, vbi eſt fletus, & ſtridor dentium. De doctrina autem Magiſtri mei de qua me interrogaſti non eam capiunt, niſi qui mundum pectus adhibuerint; Nam quæ ſunt pacis, & caritatis ea docui, & per circuitum ab Hieruſalem vſque Hiliricum repleui verbum pacis, & hoc maxime docui vt homines ſe diligant. Docui vt inuicem ſe honore præueniant. Docui ſublimes, & diuites non ſe extollere, & ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo ponere ſpem ſuam. Docui mediocres victu, & veſtimento contentos eſſe. Docui pauperes in ſua egeſtate gaudere. Docui Patres docere filios ſuos diſciplinam timoris Domini. Docui filios obtemperare Parentibus, & monitis ſalutaribus. Docui poſſidentes reddere vectigalia miniſtris Reipublicæ. Docui vxores diligere viros ſuos, & timere eos, quaſi dominos. Docui viros fidem ſeruare coniugibus, ſicut illę ſibi ſeruare pudorem omnibus modis volũt; Quod enim punit maritus in vxore adultera, hoc punit in marito adultero ipſe Pater, & conditor rerum Dominus. Docui dominos, vt mitius cum ſeruis ſuis agant. Docui ſeruos vt fideliter, & quaſi Deo ſeruiant Dominis ſuis. Docui Eccleſias credentium vnum, & omnipotentem, & inuiſibilem colere Deum. Hæc autem doctrina mihi non ab hominibus, neque per hominem aliquem data eſt, ſed per Ieſum Chriſtum, & Patrem gloriæ, qui mihi de Cælo loquutus eſt, & dum me mitteret ad prædicationem Dominus meus Ieſus Chriſtus dixit mihi. Vade, & ego ero tecum, & omnia quæcunque dixeris, aut feceris ego iuſtificabo. Nero his auditis ſtupuit, & conuerſus ad Petrum dixit. Tu quid dicis? Et Petrus ait. Omnia quæcunque loquutus eſt Paulus vera ſunt. Nam aliquot anni ſunt ex quo accepi literas ab Epiſcopis noſtris, qui sũt in vniuerſo Orbe Romano, & penè omniũ ciuitatũ epiſtolis ſcripſerunt mihi de factis eius, nam cũ pſecutor eſſet legis Chriſti vox eũ de Cælo vocauit, & docuit veritatẽ, quia nõ erat p inuidiã inimicus Fidei nr̃æ, ſed per ignorantiã. Fuerũt enim ante nos pſeudoChriſti, ſicut eſt Simon, fuerunt & pſeudoApoſtoli, fuerũt, & pſeudoProphetæ, qui contra Sacros apices venientes euacuare ſtuduerunt veritatẽ, & cõtra hos neceſſe erat agere; hic vero, qui ex infantia ſua nihil aliud ſtudij, geſſerat niſi diuinæ legis ſcrutari myſteria, in quibus hoc didicerat, vnde defenſor veritatis, & perſecutor exiſteret falſitatis. Quia ergo perſecutio eius non ex æmulatione fiebat, ſed ex defenſione legis ipſa veritas eum de Cælo allocuta eſt dicens ei; Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris; Ceſſa me perſequi, quia ipſa veritas ego ſum pro qua videris dimicare. Ergo cum cognouiſſet ita eſſe, deſeruit quod defendebat, & incepit defendere hanc, quam perſequebatur ſemitam Chriſti, qui eſt vera via pure

ambulantibus, veritas nihil fallentibus,& vita credentibus sempiterna.Simon dixit. Bene Imperator intellige conspirationem eorum, aduersum me sapiunt. Petrus dixit. Nulla veritas in te est inimice veritatis, sed ex solo mendacio omnia ista dicis, & facis. Nero dixit. Tu Paule quid dicis. Paulus respondit. Quæ à Petro audisti hoc, & à me dictum crede, vnum enim sentimus, quia vnum habemus Dominum Iesum Christum. Simon dixit. Putasne Imperator cum his habere disputationem, qui aduersum me consensum fecerunt? & conuersus ad Apostolos dixit. Audite Petre, & Paule; Si hic vobis nihil possum facere veniemus, vbi vos oportet me iudicare. Paulus respondit. Bone Imperator vide quales nobis minas intendit. Et Petrus dixit. Cur non irrideas hominem vanum, & alieni capitis, qui ludificatus à Demonibus putat se manifestare non posse. Simon respondit. Ego vobis parco modo, quoadusque ostendam virtutem meam. Ad hæc Petrus respondit; Nisi viderit Simon virtutem Christi Nostri Iesu Christi non credit se Christum non esse. Simon dixit; Sacratissime Imperator noli istis credere, quia hi sunt, qui circumciduntur, & circumcidunt. Ad hæc Paulus respondit. Nos antequam veritatem cognosceremus carnis circumcisionem tenuimus, at vbi veritas apparuit cordis circumcisione, & circumcisi sumus, & circumcidimur. Et Petrus dixit ad Simonem. Si mala est circumcisio, tu quare circumcisus es. Imperator dixit: Ergo, & Simon circumcisus est? Petrus respondit. Nec aliter poterat decipere animas, nisi se Iudæum simularet, & legem Dei docere ostenderet. Imperator dixit. Tu Simon, vt video zelo duceris, & ideo istos persequeris.Est enim, vt video, zelus magnus inter te, & Christũ eorũ, & vereor ne ab eis conuincaris, & magnis malis consumptus esse videaris. Simon dixit. Seduceris Imperator? Nero dixit. Quid est seduceris? Hoc, quod in te video hoc dico euidentem aduersarium esse te Petri, & Pauli, & Magistri eorum. Simon respondit. Pauli Christus Magister non fuit. Paulus respondit. Qui Petrum docuit ipse me per reuelationem instruxit, nam quod nos accusat circumcisos,dicat nunc ipse quare circumcisus sit. Ad hæc Simon respondit. Qua me hoc interrogatis? Paulus dixit. Est ratio, vt te interrogemus. Imperator dixit. Cur vereris respondere istis? Simon dixit. Ideo ego circumcisus sum, quia à Deo præcepta est circumcisio illo tempore, quo eam suscepi. Paulus dixit. Audisti Imperator quid dixerit Simon? Si ergo bona est circumcisio, quare circumcisos tradidisti, & coegisti eos præcipitanter occidi? Imperator dixit. Sed nec de vobis bene sentio. Petrus, & Paulus dixerunt. An tu de nobis sentias bene, vel male non ad rem pertinet, nobis enim necesse erit vt quod promisit Magister noster hoc fiat. Imperator dixit. Quod si ego noluero? Petrus dixit. Non quod tu volueris, sed quod nobis ille pollicitus est. Simon respondit. Bone Imperator, hi homines circumuenerunt clementiam tuam, & obligauerunt te. Nero dixit. Sed nec tu adhuc me de te confirmasti. Simon respondit. Quantis rebus bonis, & signis à me tibi demonstratis miror, quod adhuc dubitare videris. Imperator respondit. Ego neque dubito, neque cuiquam vestrum consentio, sed magis, quod interrogo responde mihi. Simon dixit. Nihil tibi iam respondeo. Imperator dixit. Ideo hoc dicis, quia mentiris. Et si ego tibi nihil possum facere, Deus, qui potens est faciet. Simon dixit iam tibi responsurus non sum. Imperator dixit. Sed nec ego te computem aliquid, vt enim sentio, fallax es in omnibus; sed quid plura vos toti tres inconstabilitum animum vestrum ostendistis, & me ita dubium in omnibus fecistis, vt non inueniam cui credere possim. Ad hæc Petrus respondit. Ego natione Iudæus sum, & quæ à magistro meo audiui, hæc omnia prædico, vt credatis vnum esse Deum Patrem inuisibilem, & incomprehensibilem, & immensum, & vnum Dominum nostrum Iesum Christum Saluatorem, & Creatorem omnium rerum. Adnuntiamus generi humano, qui fecit Cœlum, & terram, mare, & omnia

quæ

quæ in eis sunt, qui verus rex est, & regni eius non erit finis. Et Paulus dixit. Quæ retulit, & ego similiter confiteor, eo quòd non sit per alium salus, nisi per Iesum Christum. Imperator dixit. Quis est rex Christus. Paulus respondit. Saluator omnium gentium. Simon dixit. Ego sum quem dicis; & scitis Petre, & Paule non vobis continget, quod cupitis, vt martirio vos digner. Petrus, & Paulus dixerunt. Adueniat nobis, quod cupimus, & contingat, vt nunquam tibi sit bene Simon Mage, & amaritudine plene, quoniam quæcunque loqueris mentiris. Simon dixit. Audi me Cæsar Nero, vt scias istos falsos esse, & me de Cælis missum, crastino die ad Cœlos vadam, & illos, qui mihi credunt beatos faciam; in istos autem, qui me negare ausi sunt, iram meam ostendam. Petrus, & Paulus dixerunt. Nos olim vocauit Deus ad gloriam suam, tu autem à Diabolo iam vocatus es, ad tormenta festinas. Simon dixit. Cæsar Nero audi me. Istos insanos à te separa, vt dum venero ad Patrem meum in Cœlis, possim tibi esse propitius. Imperator dixit; & vnde hoc probamus, quia in Cœlum vadis? Simon dixit. Iube turrem excelsam fieri ex lignis, & trabibus magnis, & poni in Campo Martio, vt ascendam in illam, & cum in eam ascendero imperabo Angelis meis, vt discendant ad me de Cœlo, & tollant me in Cœlum ad Patrem meum, vt scias me de Cælis esse missum. Non enim in terra inter peccatores ad me venire possunt. Nero Imperator dixit. Volo videre si imples, quod dicis. Simon respondit. Iube ergo celerius fieri, vt videas.

Tunc Nero præcepit in Campo Martio turrim excelsam fieri, & præcepit, vt omnes populi, & omnes dignitates ad istud spectaculum conuenirent. Altera vero die Nero Imperator, cum Senatu, & Equites Romani, & omnis populus, venerunt in Campo Martio ad spectaculum, & cum venissent vniuersi, hic in omni hoc conuentu iussit Imperator Petrum, & Paulum præsentari, & statim adducti sunt ante eum, quibus sic ait. Nunc habet veritas apparere. Petrus, & Paulus dixerunt. Non eum nos detegimus, sed Dominus Iesus Christus filius Dei, quem hic se ipsum esse mentitus est. Et conuersus Paulus ad Petrum dixit. Meum est genibus positis Deum exorare; tuum est impetrare, si quid videris Simonem conaxi, quoniam tu prior electus es à Domino. Et positis genibus orabat Paulus coram omni populo. Petrus autem intuitus est Simonem dicens. Incipe, quod capisti, appropinquauit enim, & sua detectio, & nostra vocatio de hoc seculo. Video enim Christum me vocantem, & Paulum. Nero dixit. Et quo ituri estis contra meam voluntatem? Petrus respondit. Quo nos Dominus vocauerit. Nero dixit. Et quis est Dominus vester. Petrus respondit. Dominus Iesus Christus, quem ego video, nos vocantem. Nero dixit. Et vos in Cœlum ituri estis? Petrus respondit. Quo ipsi placuerit qui nos vocat illuc sumus ituri. Ad hæc Simon respondit. Vt scias Imperator, isti fallaces esse, mox vt in Cœlos ascendero, mittam ad te Angelos meos, & faciam te ad me venire. Imperator dixit. Fac ergo, vt loquutus es. Tunc ascendit Simon turrim coram omnibus, extensis manibus, coronatus lauro, cœpit volare. Nero, vt vidit, Petro sic ait. Iste Simon verax est; tu autẽ, & Paulus seductores estis. Cui Petrus. Sine mora scies nos veraces esse Christi discipulos, hunc autẽ non esse Christum, sed magum, & maleficum. Imperator dixit. Adhuc perseueratis in mendacio? Ecce vide eum Cœlum penetrare. Tunc Petrus ad Paulum dixit, Paule erige caput, & vide. Cumque eleuasset caput Paulus, lacrymis plenũ, & vidisset Simonẽ volantem, ait. Petre quid cessas? Perfice, quod cœpisti, iam enim nos vocat Dominus noster ius Christus. Et Nero audiens eos subridens dixit. Iam isti vident se victos, modeliram. Petrus respondit. Modo probabis nos non delirare. Paulus ait Petro. Citius fac, quod facturus es. Et aspiciens contra Simonem Petrus dixit. Adiuro vos geli Sathanæ, qui eum in aera fertis ad decipienda hominum infidelium corda per eum Creatorem omnium, & per Iesum

Christum,

Christum, vt eum ex hac hora iam non feratis, sed dimittatis ; & continuo dimissus cecidit in locum, qui Sacra Via dicitur, & in quatuor partes fractus quatuor silices adunauit, qui sunt ad testimonium victoriæ Apostolorum vsque in hodiernum diem. Tunc ad sonitum eius quomodo crepuit leuauit Paulus caput, & dixit. Gratias tibi agimus Domine Iesu Christe, qui nos exaudisti, & Simonem magum detexisti, & nos in veritate tuos discipulos comprobasti. Tunc Nero ira magna plenus teneri fecit Petrum, & Paulum in vinculis ; Corpus autem Simonis iussit diligenter tribus diebus, & tribus noctibus custodiri, putans eum resurgere tertia die. Cui Petrus dixit. Erras Imperator, hic iam non resurget, quoniam verè mortuus est, & in æterna pœna dãnatus. Cui Nero respondit. Quis te permisit tale scelus perpetrare? Petrus respõdit. Contentio eius ; & si intelligas multum est ei præstitum vt periret, ne tantas Deo ad multiplicationem supplicij sui inferret blasphemias. Nero dixit. Suspecto animo me fecistis, ideoque malo exemplo vos perdam. Petrus respondit. Non quod tu vis, sed quod promissum est nobis necesse est consumari. Tunc ira repletus Nero dixit ad Præfectum suum Agrippam. Istos homines inreligiosos necesse est male perdere, & ideo cardis ferreis acceptis, iube eos in Naumachia consumi; Oportet enim omnes huiuscemodi homines male consumari. Agrippa præfectus dixit. Sacratissime Imperator, non congruenti exemplo iubes eos puniri. Nero dixit. Quare non congruenti? Agrippa dixit. Quoniam Paulus innocens videtur. Petrus autem, quia homicidij reus est, pœna amaricatiatur. Nero dixit. Ergo quo exemplo peribunt? Agrippa dixit. Vt mihi videtr iustum est Paulo inreligioso caput amputari ; Petro autem eo quod insuper homicidium perpetrauerit, iube eum in Cruce leuari. Nero dixit. Optimè iudicasti ; & confestim deducti sunt Petrus, & Paulus ante conspectũ Neronis. Paulus decollatus est in via Ostiense. Petrus autem dum venisset ad Crucem ait. Quoniam Dominus meus Iesus Christus de Cælo ad terram descendit, recta Cruce sublimatus est ; me autem quem de terra ad Cælum vocare dignatur Crux mea, caput meum in terra debet ostendere, & pedes ad Cælum dirigere. Ergo, quia non sum dignus in Cruce, ita esse sicut Dominus meus, girate crucem meam, & capite demerso Crucifigite me. At illi verterunt Crucem, & pedes eius sursum fixerunt, manus autem deorsum. Conuenit autem ibi innumerabilis populi multitudo maledicentes Cæsarem Neronem, ita furore pleni, vt vellent ipsum Neronem incendere. Petrus autem prohibebat eos dicens, Nolite filioli, nolite quæso hoc agere, sed magis, quod loquor auscultate. Ante paucos enim dies rogatus à fratribus abscedebam hinc, & occurrit mihi in via Dominus meus Iesus Christus ad portam huius Vrbis, & adoraui eum, & dixi. Domine quo vadis? & dixit mihi. Sequere me, quia vado Romam iterum crucifigi. Et dum sequerer eum redij Romam, & dixit mihi, Noli timere, quia tecum sum, quousque introducas te in domum Patris mei. Et ideo filioli nolite impedire iter meum. Iam pedes mei iam Cælestem ambulant. Nolite tristari, sed gaudete mecum, quia hodie fructum laborum meorum consequor. & hæc cum dixisset, ait. Gratias tibi ago Pastor bone, quia oues, quas mihi tradidisti compatiuntur mihi. Peto vt participent mecum de gratia tua. Commendo tibi oues, quas mihi credidisti, vt non sentiant sine me esse qui te habent, & oro vt semper auxilio tuo protegantur Domine Iesu Christe, per quem ego gregem hunc regere potui ; Et hæc dicens emisit spiritum. Statim apparuerunt viri Sancti, quos nemo vnquam viderat ante, nec postea videre potuerunt ; Isti enim dicebant se propter ipsos de Hierosolymis aduenisse ; & ipsi vna cum Marcello Illustri viro, qui crediderat, & reliquens Simonem, Petrum secutus fuerat, abstulerunt corpus eius occultè, & posuerunt eum ad terebintum iuxta Naumachiam in loco, qui appellatur Vaticanus. Ipsi autem viri qui se de Hierosolymis dixerunt aduenisse, dixerunt ad omnem populum, Gaudete, &

exul-

exultate quia patronos magnos habere meruistis, & amicos Domini Nostri Iesu Christi. Sciatis autem hunc Neronem pessimum post necem Apostolorum Regnum tenere non posse.

Accidit autem posthac, vt odium exercitus sui, & odium populi Romani Nero incurreret, ita enim statuerunt hoc, vt publicè Caton tamdiu cederetur, quousque vt erat mortuus expiraret: Quod cum peruenissent ad eum hoc consilium, irruit in eum tremor, & metus intolerabilis, & ita fugit, vt vlterius non appareret. Extiterunt autem, qui dicerent, quòd in siluis dum erraret fugiens ex frigore nimio, & fame diriguisset, & à lupis esset deuoratus. Sanctorum autem Apostolorum Petri, & Pauli corpora, dum à Græcis tollerentur in Orientem ferenda, extitit terræmotus nimius, & cucurrit populus Romanus, & comprehenderunt eos in locum, qui dicitur Catacumba, via Appia miliario tertio, & ibi custodita sunt corpora anno vno, & mensibus septem, quousque fabricarentur loca, in quibus fuerunt posita corpora eorum, & illic cum debito reuerentiæ honore, & laudibus himnorum considerentur. Et positum est Beatissimi Petri corpus in Vaticano Naumachiæ, & Sancti Pauli in via Ostiensi milliario secundo. Vbi præstantur beneficia orationum eorum assidùe fideliter poscentibus ad laudem, & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ego Marcellus Discipulus Domini mei Apostoli Petri, quæ vidi scripsi.

In Historiam Marcelli.

NOTATIONES.

ORDERICVS Vitalis Monacus Vticensis, qui Ecclesiasticam historiam vsque ad annum 1140. sexagenario maior perduxit, & se candidè, quid ex antiquis inuenerit, proferre pollicetur, hanc eandem narrationem vidit, non tamen Marcellum auctorem agnouit, sed Linum Pontificem, qui græco sermone eandem ad Ecclesias Orientales scripserit, quamquam Marcello epistolam interim tribuat, quam Sanctis martyribus Nereo, & Achilleo exulibus datam extare apud Surium diximus. Quia tamen Sigibertus, & Tritemius cum perantiquo nostro Codice consonant, & Marcellum consimilis historiæ auctorem agnoscunt, Marcello, non Lino tribuere maluimus, præsertim quòd sub Lini nomine alia, plurimumq; ab hac diuersa narratio, iam sub Lini nomine edita circumferatur. Huius ipsissimæ paruum fragmentum extat apud Aringhium in spisso, doctoque opere Romæ subterraneæ, ex Codice m. s. Lateranensi sub titulo Actorum Petri, & Pauli Apostolorum lib. 2. cap. 5. nu. 9. in quo Marcellus vir illustris pariter dicitur, & ex Simonis Magi sectatore D. Petri Discipulũ euasisse, ac vnà cũ ignotis hominibus, qui Hierosolymis aduenerant occultè Præceptoris funus curasse narratur. Neque dubitare quempiam posse credidimus, narrationem hanc Marcello tributam impiam illam, ac fraudolentam esse posse, quæ sub nomine Lucij, vel Leucij Cherini apud antiquos prostabat, ita vt sub Marcelli nobilissimi, ac pijssimi viri titulo perduellis ille latitaret: nam Photius, qui specimen prophani illius libri in Bibliotheca reliquit, testis est, detestandum codicẽ Lucij, vel Leucij Cherini

ni nomen præferre sub titulo *Apostolorum Periodi*, hoc est Apostolorum per varias terrarum regiones itinera, quinimmo Acta Petri, Ioannis, Andreæ, Thomæ, & Pauli complecti, sed enormibus scatentia erroribus, qui cum apud eundem num. 114 compendiosè enumerentur, & ab hac Marcelli historia longissimè absint, illius impudentissimi Manichæi opus prorsus non esse suadent. An verò, hæc inter Apocripha reijci debeat, vel inter probata suscipi, doctorum virorum iudicium sit. Surius eam non edidit inter probatas Sanctorum Historias, quamuis in antiquis Hagiologijs facilè inueniatur. Ioannes Hessels Louanienſis Theologus, in Censurâ de quibusdam Sanctorum Historijs, hanc illi non placere scripsit cap. 6. quia in aliquibus videatur pugnare cum D. Luca in Apostolicis Actis, quòd Paulus inducatur quasi nesciens, quæ Petrus doceret, & quòd fabulosam Pilati ad Claudium epistolam contineat. At cum Paulus initio Hebræis, qui Romæ morabantur, minus notus, neque adhuc Christianus existimaretur, non videtur cum eo pugnare, quod deinde Iudæi scirent, eum Christianam religionem docere, vt D. Lucas affirmat. Neque Paulus inducitur nescius Petrum, & doctrinam eius, quod ita, re vera esset, sed prudentia quadam dissimularet ad sedandas turbas, & vt viam sibi sterneret ad animarum lucrum. Quapropter sicuti historiam hanc non certissimæ fidei assererem, ita plura veritati consona continere non dubitarem, ac non esse prorsus reijciendam existimarem. Miror tamen Hesselsium consulere, vt loco huius Historiæ liber tertius excidij Hierosolymitani supponatur, qui Ambrosij non Hegesippi sit, quasi epistola Pilati ad Claudium totidem ferè verbis in Hegesippo illo non prostet.

Pontius Pilatus Claudio salutem, &c. Vel Marcellus ex Iuniori Hegesippo in Anacephaleosi hanc Pilati epistolam accepit, vel è contra Pseudo Hegesippus à Marcello; vna enim, & eadem prorsus est, quam Baronius etiam in annalibus retulit, & lectorum iudicio reliquit. Eundem vtique continet errorem de Claudio Imperatore, qui tamen facilè emendari posset addito Tiberij nomine, hoc est *ad Tiberium Claudiũ Cæsarẽ, vel Tiberio Claudio.* Tiberiũ enim ex stirpe Claudia Claudium dictũ fuisse, latis superq; ostẽdit vulgatissimũ illud scomma à Suetonio c. 42. relatum, vt *pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero* vocaretur. Rursus Pilatũ Tiberio indicasse de Christi miraculis, & morte eius testes sunt Tertullianus in Apol. c. 5. & c. 21. & Eusebius l. 2. c. 2. Sed epistolæ à Pilato ad Tiberiũ scriptæ meminit cũ Orosio lib. 7. cap. 4. Gregorius Turonensis Hist. l. 1. c. 24. & ex Vaticanæ Bibliothecæ vetustis monumentis eiusdẽ epistolę exemplum, ab Eusebio prętermissum, refert Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecę Sanctæ in Pontio Pilato: ac tanquam posteritate dignum, ne periret, ex eiusdem Vaticanæ Bibliothecæ scrinijs, totidem cum Sixto verbis, transtulit Marianus Victorius in Indice ad Diui Hieronymi opera, verbo Pilatus. Huius tamen epistolæ apographum, quamquam re non differat ab eo, quod hic apud Marcellum, & apud Hegesippum prostat, ac eodem pariter titulo muniatur, isdemq. verbis incipiat, in pluribus tamen distat, & alius quispiam ab Hegesippo, stylum in concinnanda epistola, quam prætermisit Eusebius, fortasse exercuit. Fidem, & ipse cum Baronio nec adstruo, nec derogo. Ne quid vero prętermittam, quòd Sacræ historiæ lucem afferre possit, aliud epistolę Pilati ad Tiberium ectipum subdo, quod à notatore quodam in antiquâ penes me pagina, cum alijs memoratu dignis hinc inde exceptis, scriptum inueni circa annum 1480. Vnde verò habuerit, sicuti ille non indicat, ita nec ipse addo, sed mutilo, vt arbitror, circa finem sensũ, bona fide exhibeo.

Epistola

Epistola Pilati Ierosolymorum Præsidis ad Tiberium Cæsarem de morte Christi.

*PILATVS Tiberio Cæsari Salutem. De Iesu Christo, quem tibi planè postremis meis declaraueram, nutu tãdem populi acerbum me quasi inuito, & subiecente supplicium sumptum est. Virum hercle ita pium, ac sincerum nulla vnquam atas habuit, nec habitura est. Sed mirus extitit ipsius populi conatus, omniumque Scribarum, & Seniorum consensus, suis prophetis, & more nostro Sybillis præmonentibus, hunc veritatis legatum crucifixere, signis etiam super naturam apparentibus, dum penderet, & Orbi vniuerso Philosophorum iudicio Lapsum minantibus. Vigent illius Discipuli opere, & vitæ continentia Magistrum non mentientes, imo in eius nomine beneficentissimi. Nisi ego seditionem populi propè extinuant, pertimuissem fortasse adhuc nobis ille Vir viueret. Etsi tua magis dignitatis fide compulsus, quam voluntate mea adductus, pro viribus non restiterim * Sanguinem iustum totius accusationis immunem, verum hominum malignitate inique in eorum famem (vt scripturæ interpretantur) exitium pati, & venundari. Vale. Quarto Nonas Aprilis.*

Altera vero die Nero Imperator, &c. Munus in Amphiteatro ligneo, in regione Martij Campi intra anni spatium fabricato, Neronem dedisse, testis est Suetonius cap. 12. vnde rectè Marcellus narrat, Simonem magum, è turri lignea in Campo Martio se volaturum spopondisse. Spectacula enim ibi Nero edebat, & non longè ab eodem loco Simonem ex aereo volatu orationibus Apostolorum deiectum, videtur, ex eodem Suetonio elici posse, dum inquit. *Icarus primò statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumque cruore respersit.*

Tunc ascendit Simon in turrim coram omnibus, &c. Simonem in quatuor partes fractum medium crepuisse narrat Marcellus, quod non dissentit à Suetonio loco iam adducto; cubiculum enim Imperatoris cruore respersisse latè disrumptum videtur innuere, quòd sanguis nimirum longiùs exilierit. Quamquam enim Arnobius aduersus gentes lib. 2. scribat, Simonem Magum *pondere præcipitatum suo, cruribus fractis iacuisse, post deinde perlatum, Brundam cruciatibus, ac pudore defessum seipsum præcipitem ex altissimi culminis fastigio dedisse,* & ijsdem consimilia etiam addat Hegesippus recentior; attamen, quòd Romæ Simon disruptus obierit, docent cum Marcello grauissimi, & vetusti scriptores S. Cyrillus Hierosolymitanus Catacheſi 6., & expresse S. Epiphanius hæresi 21. S. Augustinus de hæres. 1. & contra Fulgentium Donatistam cap. 23. Seuerus Sulpitius hist. lib. 2. Nicephorus lib. 2. cap. 36. & alij. Et quamquam nonnulli existimauerint Simonem Magum ad suæ potestatis ostentationem se volaturum Neroni spopondisse, quod ex Dione Chrysostomo, Suetonio, & Iuuenali videtur Baronius ad. ann. 68. deduxisse, re vera tamen Simon, non simplicem tantùm volatum, sed Christi seruatoris mendacissimus imitator, in Cœlum per Angelos suos ascensurum se iactauerat, quamquam in modum volantis primo statim conatu cœlos penetrare videretur. Non enim Icarum, ideò à Suetonio appellatum esse crederem, quòd Icarum pennis onustum referret, sed quod infelicissimè vt Icarus cecidisset. Quandoquidem non Marcellus tantùm, sed scriptores alij sacri, & vetusti non in modum simplicis volatus, sed in modum Dominicæ Ascensionis Simonem prestigiosum, in Cœlos raptum præsumentem dipingunt. Arnobius appellat, *cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore diffiatas,* quia per Dæmones Simon

tamquam per igneam quadrigam in Cœlum ferretur. Cyrillus vero Hierosolymitanus ad amussim cum Historia Marcelli conueniens, ita Simonis ipsum orationibus Petri, & Pauli per latinum interpretem ascribit. *Cum enim prædicaret Simon in Cœlos se ascensurum, & vehiculo Dæmonum in aerem esset sublatus, flexis genibus, serui Dei concordiam ostendentes, de qua dixit Iesus, quòd si duo ex vobis consenserint de quacumque re, quam petierint, fiet ipsis: concordiæ hoc telum per orationem emittentes in Magum, deiecerunt illum in terram*; & infra; *ex aere in terram depressérunt eum, qui se appellabat Deum*. Ita, & Sulpitius Seuerus de Simone, ait, *Qui cum Magicis artibus, vt se Deum probaret, duobus suffultus dæmonijs euolasset, orationibus Apostolorum fugatis Dæmonibus, elapsus in terram populo inspectante disruptus est*. Nec enim Deum tantum, se Simon fingebat, sed Christum omninò peruersissimus, tam Magus, quàm hæreticus simulabat, quod ita S. Maximus Taurinensis serm. 5. in Nat. Apost. docuit: *Cũ enim idem Simon se Christum diceret, & tamquam filium ad Patrem asseret volando se posse conscendere: atque elatus subito magicis artibus volare cepisset, tunc Petrus fixis genibus præcatus est Dominum, & precatione facta vitia Magicam lenitatem.* Quamuis enim Petro casus Simonis tribuatur, quod Dæmonibus is imperauerit, & Paulus eidem cesserit, vt est apud Marcellum, vtriusque tamen orationibus Magum fuisse prostratum, supra his verbis narrauerat, *Inter cætera mirabilia etiam Magum illum Simonem orationibus suis de aere vacuo præcipiti ruina prostrauerunt.* quæ Nicephoro prorsus consonant.

Domine quò vadis, &c. ex DD. Ambrosio, & Gregorio rectè historiã hanc confirmat Baronius, ad annum 69. nu. 6. qui cum Lini Acta, non hãc Marcelli narrationem adducat, eandem non vidisse estimarem. Locus extat adhuc via Appia à Cardinale Polo restauratus sub titulo, Domine quo vadis, & lapis vbi Domini vestigia rutilant, in D. Sebastiani Ecclesia translatus veneratur.

Et posuerunt eum ad Therebinthum iuxta Naumachiam in locum, qui appellatur Vaticanus. Aringhius ex codice græco Vaticano de Passione B. Petri hæc verba latine reddita adducit in Roma subterranea lib. 2. cap. 5. *Deducitur Petrus ad eam partem Montis Vaticani, quæ arborem supra Therebinthum habet, & infra in subiecta planicie Naumachiam*, & de Apostoli funere ex eodem Codice addit. *Sustulerunt corpus Sancti Petri clam, & posuerunt illud sub Therebintho propè Naumachiam in loco, qui dicitur Vaticanus*, quod ex m. s. Lateranensi repetit in fragmento, quod cum historia Marcelli, idem esse supra coniectauimus. De Neronis Naumachia meminit Suetonius, & quod in Vaticano, seu propè esset Naumachia pluribus in locis innuit Anastasius, sicuti in Actis Sebastiani Zoem orantem ad B. Petri sepulcrum deductum esse legitur ad Naumachiæ patronum. De loco Therebinthi apud prophanos scriptores monumenta inuenire huçusque non licuit, & nisi alia essent cum Marcello consentiencia suspicari liceret, ne historiæ scriptor ab Ilice ad Therebinthum lapsu memoriæ diuertisset. De illa Plin. lib. 16. c. 43. *Vetustior Vrbe in Vaticano Ilex, in qua titulus æreis litteris Hetruscis religione arborem tunc dignam fuisse significat.* At Sexto Aurelio est Vaticanus lucus, in quo plures arbores fuisse non est inconueniens, & præcelluisse Therebintum non est impossibile, quòd sponte adhuc etiam in Romanis parietinis innascatur, vt refert Panarolus in cathalogo Plant. Amphitheatr.

Extiterunt autem qui dicerent, &c. De morte Neronis omnia clara sunt apud Romanæ historiæ scriptores, Suetonium præcipuè, quòd scilicet propria manu se confecerit iuuante Epaphrodito à libellis. At sub eiusdem fuga ab Vrbe non defuerunt, qui quamquam funeratus videretur, attamen tumulum floribus exornaret,

quasi viuentis, inquit Suetonius cap. 57. *& breui magno inimicorum malo reuersuri*, vt inde pluribus genus mortis ignotum fuisse suspicari liceat. Fugit nudo pede, & tunicatus inter fruticeta, & vepres per arundineti semitam, nec nisi strata sub pedibus veste ad petitam Villam peruenit, vt non difficile per hyemem rumor exire potuerit, frigore diriguisse, & odio nominis sui à lupis laniatum vulgò iactatū esse. At nemo ex antiquis hoc genus mortis narrauit. Inter varia tamen, quæ de eius exitu spargebantur, & id fuisse, negare nemo potest, cum Tacitus Hist. lib. 2. *de vario super exitu eius rumore*, testis sit, & propter dubiam eius mortem plures pseudo Nerones, etiam post plures annos emerserint; & quamquam ex Dione colligere quis posset Neronem frigore mori non potuisse, quando 8. Idus Iunij anno vno, & 22. diebus, ante initium Vespasiani mortuum non obscurè referat: Suetonius tamen, qui diem Neronianæ mortis nequaquam designatam reliquit, sed tātùm dixit eo die obijsse, quo Octauiam interemerat, per hyemē decessisse innuit, & nō longe à Kal. Ianuarij, vt ea videntur indicare portenta, quę eius mortē antecessisse refert, hoc est Kalendis Ian. exornatos Lares in ipso Sacrificij apparatu concidisse, & funeratum stragulis albis auro intextis, quibus vsus Kal. Ianuar. fuerat; frustra enim hæc longius petita mortem Neronis portendisse adducerētur. Neronis mortem non statim ab Apostolorum cæde subsecutam esse putarem, sed aliquo notabili temporis spacio, in quo propalam Nero in Christianos gladium exeruit. In actis quidem vetustissimis Petri Episcopi Alexandrini, nuper à Combefisio editis narratur, quòd ante necem orante illo, vt persecutio tandem cessaret, audita sit vox de Cœlo. *Petrus Apostolorum Principium, Petrus finis martyrum*; & quemadmodum ex Eusebio constat, Petrum Alexandrinum postremo persecutionis anno triumphasse, ita probabile admodum est Petrum, Apostolorum Principem, Martyrum in prima Neroniana persecutione fuisse principium, quia in auctorem reputati criminis, ad aliorum exemplum primò semper Principes animaduetere soleant.

In locum, qui dicitur Catacumba, &c. locus est ad Ecclesiam Sancti Sebastiani extra Vrbem, ita à multo tempore nuncupatus. Nominis huius vsum apud prophanos scriptores non inueni; meminit tamen, qui scripsit acta apud Surium *Sanctorum Fausti, & Iouitæ* Martyrum sub Hadriano circa annum Domini 122. Idem tamen videtur Græcè Chatachombis, ac locus cauus, & profundus, qui Arenarium, crypta, & specus egestæ arenæ vocaretur; Antiquitùs arenę propè Vrbem Romam exuberantes cuniculis excernebantur, & tellus interim in specus effor mabatur. Præter ea enim, quæ de Arenarijs, & arenis fossitijs Plinius lib. 36. cap. 23. & Vitruuius lib. 2. cap. 4. & 6. habent, egregius locus est apud Suetonium in Nerone, qui in fuga sua à Phaonte hortabatur, *vt interim in specum egestæ arenæ concederet*, quasi ex fossitijs arenarijs specus, & latibula tutiora fierent. Vnde acta Sancti Cornelij Papæ sepultum dixerunt ad Cryptas, vbi est cœmeterium Callisti, & in actis Sancti Sebastiani, & sociorum apūd Baronium ad ann. 286. num. 23. dicitur, *Sepulti sunt Via Appia milliario secundo ab Vrbe, in loco eo, qui vocatur ad arenas, quia cryptæ arenarum illic erant ex quibus Vrbis mœnia struebantur*. Hunc eundem locum fuisse dictum ad Catacumbas, tām apud D. Gregorium Pontificē habemus, quam apud Anastasium Bibliothecarium, quorum alter in vita Nicolai Primi scripsit, *In Catacumba vbi corpora Apostolorum iacuerunt*. Alter verò historiam de furatis Apostolorum corporibus ab Orientalibus, paulo postquam passi essent, ita refert, vt ab eodem Marcello mutuasse videatur. Verba quamquam à plurimis, qui de Sanctissimorum Apostolorum Principibus scripserunt allata sint, attexere tamen hic libuit, vt tempus, & repositio Corporum in loco,

qui ad Catacumbas dicebatur, prorsus cum Marcello conuenire quis videat, & Marcelli omnia nõ statim inter Apocripha reijciat. *De corporibus verò Beatissimorum Apostolorum* (inquit D. Gregorius lib. 3. ep. 30. ad Constantinam Augustam) *quid ego dicturus sum? Dum constet, quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorũ corpora sicut ciuiũ suorũ repeterent, quæ ducta vsq; ad secundũ Vrbis miliariũ, in loco, qui dicitur ad Catacumbas collocata sunt. sed dum ea exinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque dispersit, vt talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis quibus nunc sunt condita posuerunt.*

II. Kal. Decembris.

Passio Sancti Andreæ Apostoli.

OMNES ferè scriptores passum esse Andream affirmãt Patris Achaię Vrbe, & sub hac etiam die Noticia Apostolorum, antiquo Martyrologio prefixa apud Bollandum, ita confirmat, *II. Kal. Decembris Natalis Sancti Andreæ Apostoli in Ciuitate Patras Prouincia Achia.* Achiæ nempè antiquo quorundam more pro Achaia. In Epiro tamen contermina regione prædicationis sortem eidem ascribit Nanzianzenus, orat. 11. aduersus Arian., & Eusebius dum in Hist. l. 3. c. 1. refert apud quas gentes Christum Apostoli prædicauerint, Andream Scythiam obtinuisse tradit. At D. Hieronymus ep. 148. ad Marcellũ, in Achaia Apostolicos labores eidem tribuit, Christumque Dominum ostendit omnibus Apostolis vbique locorum adfuisse, singulariter verò interfuisse *cum Andrea* in Achaia. Ibi per Crucem triumphasse docent Hyppolitus, Dorotheus, & Anonymus apud Oecumenium. His consonant Basilius in Menelogio ad diem 30. Decembris, qui Andream fidem Christi prædicasse refert, non modo in Peloponeso, & Achaia, sed in ora Bithynię, Ponti, Traciæ, Scythiæ, in magna Sebastę vrbe ad interiores Æthiopes, postremo Patris Achaię Peloponnesij, vbi ab Ægea Proconsule in Crucem sublatus mortem obierit. Nec dissimilia habet Historia Presbyterorum Achaiæ apud Surium, quam probasse videtur Ecclesia in Romano Breuiario. Prostat hæc eadem historia in antiquo penes me Hagiologio, quæ Præsbyteris, & Diaconibus Ecclesiarum Asiæ tribuitur, non Achaię, & præter ea, quæ apud Surium prostant, in fine hæc adduntur. *Martyrizatus est autem Venerabilis Dei Andreas Apostolus apud Achaiam in Ciuitate Patras, pridie Kal. Decembris sub Ægea Proconsule.* Cum verò eadem paucis mutatis cum illa coincidat, quæ est apud Surium, hìc integram exhibere sustinemus. De Crucis forma, ac Crucifixionis modo variat à communi Hyppolitus martyr in opusculo toties adducto, nempe *Andreas cum Scythis, ac Thracibus prædicasset, Cruci affixus est Patris in Achaia rectus in olea arbore*, vel vt vertit Lipsius cap. 7. lib. 1. de Cruce. *Crucifixum Patris in Achaia ad arborem oliuæ rectum.* Decussatam Crucem ex antiquis imaginibus omnes ferè tribuunt Andreæ, sed ad formam Dominicæ Crucis, & ad rectos angulos concinnatam vidit Massiliæ ad S. Victorem Molanus lib. 3. de Imag. c. 51., & repetit ibi seruari Gretzerus de Cruce lib. 1. c. 4. At

rectum

rectum etiam hominem in Cruce agi apud antiquos consueuisse, stipite funibus, vel clauis alligatum, ostendunt Lipsius, & Gretzerus ijdē de Cruce. Rectū putat Combefis ad opusculū Hippolyti dici, ad differentiam inuersæ Crucis, quam Petrus subire optauit, & oleam fuisse materiam Crucis suspicatur. At arborem conscendisse, ac ita B. Andream fuisse cruciarium Petrus Chrysologus sentit, dum inquit, *Petrus Crucem, arborem conscendit Andreas*. Ex historia equidem Presbyterorū Asiæ videtur elici posse, rectum, & extensum Cruci fuisse alligatum. *Tunc indignatus Ægeas Cruci eum adfigi præcepit, mandans hoc quæstionarijs, vt ligatis pedibus, & manibus, quasi in equuleo tenderetur, ne clauis adfixus citò deficeret*. In equuleo olim Martyres ligno appensos pependisse funibus, aut machinis distentos, ex Eusebio hist. lib. 8. cap. 11. eruditi educunt, & *noxialem stipitem* à Prudentio in hymnis SS. Vincentij, & Rom. vocatum equuleum obseruant, quem tamen ad Crucis similitudinem habent Sanctæ Dorotheæ acta apud Surium; Sed hæc extra rem non longiùs protrahimus. Andreæ sepulcrum D. Chrysostomi tempore latebat, hom. 26. in cap. 9. ep. ad Hebr. *Nam Petri quidem, & Pauli, (inquit) & Ioannis, & Thomæ manifesta sunt sepulcra, aliorum autem, cum sint tam multi nusquam sunt nota*. Quod ergo de Apostoli huius sepulcro Gregorius Turonensis habet de Gl. martyr. l. 1. c. 31. deque prodigijs Patris in Achaia ad eius corpus coruscantibus, posteriora Chrysostomo fuisse dicendum est, & sepulcrum ibi deinceps, vel inuentum, vel recenter excitatum, vel celebre etiam, quamquam occultum. Equidem de Patrarum Vrbe in Episcopalem ab Andrea erectam memimit Martyrologium nostrum infra nonis Februarij, vbi ex Oriente in Occidentem illius Cathedræ celebritatem translatam ita recolit. *In Oriente Patras ordinatio Episcopatus Sancti Andreæ Apostoli*. Quæ, & si in Romano Martyrologio prętermissa sit, Bedam tamen nō latuit, qui hac ipsa die non dissimilibus verbis recensuit. *In Patras Ciuitate ordinatio Episcopatus Sancti Andreæ Apostoli*, Hos Græciæ populos docuisse medij æui scriptores, tanquam notissimum assumunt, & Fortunatus lib. 5. car. 1. ita cecinit, *Andreæ monitis extat Achaia seges*. & alibi lib. 8. c. 4. *Nobilis Andream mittit Achaia suum*. Ecclesiam ibi celebrem fuisse habet Curopalates in Basilio, & inde etiam corpus B. Apostoli Constantinopolim translatum sub Constantino, præter Basilij Menologium ad diem 30. Nouemb. plures scribunt, quamquam magis ad veritatem Philostorgius lib. 3. c. 2. Constantium, non Constantinum legat. At dubitari potest, quomodo Iustiniani tempore Mummolus ad Andreæ, siuè tumulum, siuè corpus in Vrbe Patras sanitati restitueretur, vt Gregorius Turonensis retulit, si iam sub Constantio translatum alibi erat, præsertim cum eiusdem Iustiniani tempore in Vrbe regia iterum Sancti Apostoli Lypsana maiori Basilica, & sepulcro ornata fuerant, vt testatur Procopius lib. 1. de ædific. Iustin. Verùm fateri oportet, quod idem Turonensis fatetur, ætate scilicet sua quamuis in Vrbe Patras sepulcrum Andreæ celebre esset, reliquias tamen pluribus in locis venerari consueuisse, vt Constantinopoli, & alibi. *Si quidem multæ virtutes, vel ad hoc sepulcrum, vel per loca diuersa, in quibus eius reliquiæ collocatæ erant, ostendebantur*. An verò passus Andreas re vera sit in Vrbe Patras, & Achaia, vbi sedem Episcopalem fixit, & eius celebris erat memoria, fateor, me plura ancipitem tenuissent, nisi Romani, tam Martyrologij, quàm Breuiarij auctoritas aliter sentire coegisset. Adducam tamen, quæ dubitationem mouerunt, vt eruditiores nodum soluāt. Iam D. Chrysostomum vidimus negantem suo tempore sepulcrum Andreę notum esse, cum tamen ipse non longiùs à Græcia positus, imò Grecorum Patriarcha, quod ita celebre esset in Achaia, ignorare vix potuerit, vt hinc aliquis coniectaret Festum

Andreæ

Andreę apud Patras fuisse potius prędicationis eius memoriam, seu Episcopatus institutionem, vel Natalem, quam eiusdem Martyrij in eadem Vrbe consummati celebritatem. Translatum Patras B. Apostoli corpus videtur elici posse ex Menologio Sirleti, quod passum potiùs referat his verbis in Æthiopia. *Certamen Sancti Andreæ, qui primus ad Christi fidem vocatus est. Hic cum per totam Bithyniam, Thraciam, & Scythiam, Euangelium Christi prædicauit, postea Sebastapolim profectus, atq; vlteriores progressus Æthiopes Christi fidem docuit, cuius causa Crucifixus est ab Ægeate Proconsule, cuius corpus est apud Patras Achaiæ.* Satis enim impropriè dictũ videretur ab Ægea Procõsule Martyrio coronatũ apud Patras, quod fidẽ Christi apud Æthiopes prędicasset. At esto, quòd sub Ægea passus sit, nõ quòd Euangeliũ ad Æthiopes intulerit, sed quod Christi fidẽ quomodocunq; & in Grecia etiam vulgauerit, dubiũ adhuc me teneret ipsius nostri martyrologij auctoritas, quod 4. Idus Februarij non Patris, sed Bethlem passum referat, nõ sub Ægea Proconsule, vt ex actis Pseudo Abdiæ Presbyterorum Asiæ omnes accepisse videntur, sed sub Herode Rege, hoc est *In Bethleem Ciuitate Iudæ sub Herode Passio Sancti Andreæ Apostoli*. Hìc autem mirari subijt, quomodo diligentissimus Baronius idem apud Bedam sub eadem die expressum legere potuerit, & vel præterierit, vel flocci fecerit. Quòd vir summus diu expetitum vetustius Martyrologium, vel Hieronymi, vel Romanum non viderit, dolendum vtique est, nam plura fortasse emendare, pluribusque ditare Romanum Martyrologium potuisset. At cur Bedam, quem plurimi semper feci', hoc loco, vel vbì de B. Andrea Apostolo alibi agit non adduxerit, difficile est diuinare. Nos, vt in editis Bedę codicibus prostat exhibemus ex quarto Idus Februarij *In Bethleem ciuitate Iudeæ sub Herode Rege passio Sancti Andreæ Apostoli*". Hęc cum Indiculo nostro non pugnant, qui neque locum, aut modum passionis exprimit, sed ab eo dissentit, qui martyrologio siuè Hieronymi, siuè Romano apud Bollandum prefigitur, & multò magis cum Historia Presbyterorum Achaiæ, quæ apertè passum B. Andream in Vrbe Patrarum narrat. Baronius quidem de huius Apostoli actis, quam maximè nutat ad annum 69. *Apocryphorum timore*, & quòd huiusmodi acta à Manichæis corrupta dubię fidei in Ecclesia sint, etiam à D. Augustini, & Philastrij tempore. At cum Sanctus Doctor ex ijsdem Manichęorum actis, sub Leucij nomine, quędã reprehendat, quę in Historia Presbyterorum Achaiæ non leguntur, hanc, vel ab erroribus repurgatam, vel non eandem esse conuincitur. Puriorem hanc ipsam narrationem ab Ecclesia fuisse receptam Petri Damiani ętate ex ipsius verbis in sermone de S. Andrea facilè est conijcere, eam enim refert *non immerito in singularem auctoritatis arcem susceptam esse, quam qui viderunt scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis*, ex eodem etiam fonte ante Petrum Damianum hausisse Adonem, Vsuardum, Freculphum, Remigium Antisiodorensem, Christianum Druthmarum, & si qui sunt alij octaui sęculi scriptores, facilè est coniectare, sicuti hęc non esse acta illa, quæ Innocentius reiecit in epistola ad Exuperantium; Sin verò, quæ in historia Presbyterorum Achaiæ narrantur, vera essent, Apostolus equidem Andreas, qui sub Ægea Proconsule, in Crucem actus dicitur ad maximam senectutem peruenisse hoc pacto coniectari liceret. Fluctuauit sub Imperatorum potestate Achaia, & aliquando quidem sub Principibus Prefidialis, aliquando Senatui reddita Proconsularis Prouincia extitit. Proconsularis profectò lege Clodia Ciceronis ætate fuit, & sub Tiberio potiùs Præsidialis, quòd Principi attributa esset; sed à Claudio iterum Senatui reddita Proconsularis etiam iterum euasit, quod Suetonius confirmare videtur in Claudio cap. 25. dum Imperatorem illum narrat, *Prouincias Achaiam, & Macedoniam, quas Tiberius*

ad

ad curam ſuam tranſtulerat Senatui reddidiſſe. Vnde ſub Claudio in Apoſtolicis actis legimus Gallionem, qui frater fuit Senecæ, Achaiæ Proconſulem fuiſſe. Suſpicari autem indè licet, ſub Nerone Achaiam libertate donatam, proprijs legibus vixiſſe, fortaſsè dum Iſthmum perfodere inſaniens deſignauit, & Achaicam peregrinationem ſuſcepit. Nam Veſpaſianus apud Suetonium cap. 8. Achaiam libertate adempta in Prouinciã redegit; quod anno eiuſdem Veſpeſiani ſexto euenisſe Euſebius habet in Chronico. Igitur ſiue Ægeas ſub Claudio, ante Gallionem, ſiuè poſt illum, Proconſul fuerit, difficile videtur, quod in Crucem egerit Andreã, ſed facilius Domitiano imperante. Nam ſub Nerone cum Achaia libertate gauderet, quam ipſi Veſpeſianus ademit, neque eo tempore Proconſules ius ibi dicerent, vtique difficillimum eſt, tunc Andream ſub Proconſule martyrio coronatum, præſertim, quòd tantùm poſtremis Neronianis annis in Chriſtianos ſæuitum legimus. Non igitur ſub Claudio, quòd nulla tunc perſecutio, lege in Prouincias lata, viguit, ſed tantùm Roma Chriſtiani expulſi fuerint. Non ſub Veſpaſiano, aut Tito, quod nullo pariter edicto tunc Chriſtiani vexarentur. Reſtat igitur, vt id ſub Domitiano euenerit, quod etiam hiſtoriæ Presbyterorum Achaiæ magis conſonat, dum ex officio Ægeam Proconſulem in Chriſtianos gladium mouiſſe narratur. *Proconſul itaque Ægeas, Patras Ciuitatem ingreſſus, cæpit compellere credentes Chriſto ad ſacrificia Idolorum.* Expreſſius verò infra, dum Ægeas ex Romanorum Principum decretis in Chriſtianos animaduertiſſe legitur. *Tu Andreas, qui deſtruis templa Deorum, & ſuades hominibus ſuperſtitioſam illam ſectam, quam nuper detectam Romani Principes exterminare inſſerunt*, verba enim illa in plurali numero *Romani Principes*, Domitianum, qui ſecundus perſecutionem mouit, prorſus videntur attingere; At cum Domitiani perſecutio, vt citiùs, inualuerit anno eiuſdem Imperatoris decimo, & Chriſti nonageſimo tertio, grauiſſimam iam Andreæ ætatem arguere licet. Hæc vt vera fatear, non nihil in me ſuſpicionis induxerant de illius hiſtoriæ ſinceritate. Quamquam enim Ioannes Apoſtolus non modo ad Domitiani, ſed ad Traiani tempora peruenerit, nõ ideò tamen de reliquis Apoſtolis ad maximam ſenectutem protractis, ſine teſtibus facilè admittebam, cum Hegeſippus apud Euſebium, tamquam quid ſingulare animaduertat, nepotes Iudæ, qui coętaneus Chriſto Domino fuit, & frater illius ſecundum carnem dicebatur, ſub Domitiano ſuperſtites eſſe. *Alij ex genere Domini Saluatoris Noſtri orti, nepotes Iudę (qui frater illius ſecundum carnem dicebatur) adhuc erant ſuperſtites.* Hinc animo repetens Chryſoſtomi, vt diximus ætate, ignotum in Achaia, vel alibi ſepulcrum Andreæ, ſuccurrebat, illius Natale in Achaia, & præcipua Patrarum Vrbe, iam olim celebre, & in noſtro martyrologio ad poſtremam Nouembris diem recenſitum, Sedis Epiſcopalis fixionem fuiſſe potius, vel alicuius reliquiæ, aut corporis tranſlationem, quam exantlati ibi per mortem triumphi monumentum. Hinc non pugnare exiſtimabam, quòd Græciæ Apoſtolus, conſtituta in Achaia Epiſcopali Sede, in Iudæam quoquo modo regreſſus, ſub Agrippa Herode in Bethleem martyrium compleuiſſet. Quia tamen hiſtoriã Presbyterorum, ſiuè Aſiæ, ſiuè Achaiæ non diſplicuiſſe Romanæ Eccleſiæ, alijſque antiquis ſcriptoribus videbam, ſuſtiti, & potiùs ad ſeruandam antiqui martyrologij fidem hariolari libuit, an aliqua paſſus eſſet S. Andreas ſub Herode in Bethleem, quæ non vtique ad mortem, ſed tam grauia alioquin fuerint, vt peculiari memoria à fidelibus recoli meretentur; eodem prorſus modo, quo Romæ Ioannis Apoſtoli Paſſioni natalis dies conſecratus legitur, quamquam mortem ibidem non ſubierit. Equidem ex Apoſtolicis actis ſcimus, quod *iniecit Herodes manus, vt afflige ret quoſdam de Eccle-*

ſia

sia, & quod Petri vincula sub Herode adhuc Kal. Augusti venerari non desierint. Cum verò in præstantiores Domini discipulos tunc Herodis procella incubuerit, & præter Petri carcerem Iacobus mortem subierit, nullum sequeretur inconueniens, si Andream, non minimum ex Apostolis, aliqua passum esse suspicemur. In tanta sæculorum intercapedine, & Apostolicæ sinceriores historiæ iactura meliora non succurrunt.

Huc vsque scripseram cum Bollandi Acta Sanctorum Mensis Februarij in lucem prodierunt, in quibus ad eiusdem mensis decimum diem ex antiquis Martyrologijs, non Andreæ Apostoli passio, sed Martyrum Andreæ, & Aponij, siue Aporij Bethleem in Iudæa memoria recensetur. At cum inter Martyrologia apud eundem Bollandum emineat, quod Romanum, siue Sancti Hieronymi vocatur, cum nostro in pluribus conueniens, atque mutilum ita proferatur. *In Ciuitate Bethleē Iudę Sanctorum Andreæ. . . . .* ex alijs huius defectum supplendum esse non dissentiebam; Primumque ex Rabano, qui ijsdem verbis addit, *& Apponij* restituendū videbatur, deinde ex m. s. Martyrologio Tornacense S. Martini tempus martyrij addendum nempè, *In Ciuitate Bethleem Iudæ sub Herode Rege, passio Sanctorum Andreæ, & Aporij*, eò magis, quòd his consentiant expresè Notkerus, & Beda m. s. in Codice Bauarico. Ex illius ergo vetustissimi martyrologij ita restituta lacuna, & aliorum concordia, Bollandum eruditissimum, & in Sanctorum historijs versatissimum rectè censuisse apparebat, editum quoque Bedæ Martyrologium corrigendum esse, & pro verbis *Sancti Andreę Apostoli*, sequentia *Sanctorum Andreæ, & Aporij*, esse reponenda. Verùm cum vir doctissimus hìc non recipiat nomen Apostoli, sed legere malit *Aporij* cur subderet, nomen Apostolorum alioquin attributum esse primis Christi Discipulis, ignorabam, cum prorsus Apostoli vocem in Aporij mutatam exulare hinc necesse sit. At forte Bollandus hos martyres Andream, & Aporium, siuè Aponium sub Herode Rege passos, tanquam Ecclesiæ nascentis proceres Apostolos dicendos etiam esse ex propria coniectura non tacuit. Profectò cum in illo antiquiore, seu Romano Martyrologio ad Andreę nomen nota sanctitatis ita sit omnibus litteris in plurali numero extensa. *In Cīū Bethlem Iudæ pās Sanctorum Andreæ* ..... Socium deficere suadet, qui cum etiam in m. s. Corbeiense Aporius sit, vt ad decimam diem Februarij animaduerto, facile, ipse etiam in eam sententiam descendi, vt Aporius vitio librariorū in codicibus nostris, & vulgato Beda potuerit in Apostolum immutari.

* Augusti

VIII. Kalendas *

Natalis Sancti Iacobi.

QVM in vtroque Martyrologij nostri codice, sine mensis additione Indiculus Apostolorum diem tantùm signet Iacobo Apostolo dicatum *octauo Kalendas* ..... hæsitaui, quis nam ex Apostolis sub Iacobi nomine indicaretur, & qualis mensis restitui deberet; Aprilem equidem, vel Augustum ex mensibus reponendum existimabam, quod deinceps in Martyrologij Calendis octauum Kalendas vtriusque mensis alicui ex Iacobi Apostolis tribueretur. At cum diem octauo Kalendas Aprilis Iacobo fratri Domini dicatum inuenerim, & octauum Kal. Augusti

Augusti Iacobo maiori, siue Zebedei, in hunc, & Apostolum, & mensem descendi, & omninò signandum esse existimaui, *octauo Kal. Augusti Natalis S. Iacobi fratris Ioannis Euangelistæ*. Ità suasit, tùm Noticia Apostolorum Sancti Hieronymi nuncupato Martyrologio præfixa apud Bollandum, tùm apud Adonem opusculum de duodecim Apostolis, suo pariter martyrologio præpositum; Et si enim vetustissima Noticia illa post Andreæ Natalem statim signet. *6. Kal. Ianuarij Natalis S. Iacobi Apostoli Fratris Domini, & Ioannis Euangelistæ*, hanc tamen non præcipuam celebritatem esse, sed ex nostro Martyrologio ordinationem, seu Episcopalis cathedræ festum didicimus; dum ibidem octauo Kal. Augusti post Ioannis, & Thomæ solemnia, Iacobi Zebedei peculiarem hoc pacto memoriam recoli animaduertimus. *Natalis Iacobi Apostoli Fratris Ioannis Euangelistæ in Hierosolymis*, sicuti pariter Ado à vetustiori Indiculo monitus, in suo de duodecim Apostolis opusculo, tertium post Andream Apostolici ordinis locum assignat Iacobo Zebedei 8. Kal. Augusti. In hac me quoque sententia confirmauerunt plures Apostolorum historiæ, & precipuè Hyppolitus, & Anonymus Oecumenij, qui octauo Kal. Augusti, festum Iacobi Maioris cum omnibus ferè martyrologijs, & manuscripto penes me vetusto Hagiologio reponunt. Nec à sententia deterruit, quia certum sit ex Apostolorum Actis Iacobum Zebedei fratrem Ioannis sub Herode Agrippæ gladio consummasse martyrium, vel in ipsa Azimorum die, vel ab ea non longe; auctor enim grauis S. Petrus Damiani, vt alibi diximus, propter solemnitatem Paschalem, ex Ecclesiæ antiquiori instituto, ad hanc Iulij diem eiusdem celebritatem fuisse transpositam, iam me docuerat. Quantis verò mendacijs cuiuscunque Apostoli historia ab hæreticis, insulsisque hominibus respersa fuerit, licet ex sequentibus arguere. Quamquam enim certo certius sit Hierosolymis, vel saltem in Iudæa sub Herode Agrippa, Iacobum Zebedei martyrium compleuisse, non desunt tamen, qui in Ciuitate Marmarica passum, & sepultum dicant. Ita Anonymus apud Oecumenium, qui raro ab Hippolito dissidens, extra Iudæam certaminis locum assignans, ab eo prorsus in Iacobo discedit. Intra Marmaricam sepultum etiam habet Freculphus, & maiori dissonantia in Achaia Marmarica Christianus Grammaticus in Matth. cap. 26. Quòd vero ita inter se discrepent, qui Apostolorum gesta retexuerunt, accidit, quia ab vno in alterum Iacobum facilis fuit aberratio. Iam vidimus quod data opera nonnulli, & graues etiam scriptores Iacobum Alphæi cum Iacobo Iusto confundant, sed quòd alij Iacobum Zebedei cum eodem Iacobo fratre Domini nuncupato in vnum conflauerint, tàm grauis est error, vt vix mereatur refelli. Clarè apud D. Lucam in Apostolicis Actis cap. 12. patet, Iacobum fratrem Ioannis, seu quòd idem est Zebedei filium, gladio ab Herode occisum esse, antequam Petrus in vincula conijceretur; & tamen in eadem narratione solutus à vinculis Petrus fidelibus ait, *nunciate Iacobo, & fratribus hæc*, eidem Iacobo scilicet, qui in primo Hierosolymorum Concilio post Petrum loquitur. Hunc autem fuisse Iacobum fratrem Domini, ex D. Pauli Epistola ad Galatas, iam supra clarum esse ostendimus, cui post Domini Ascensionem Hierosolymitana Ecclesia commissa ab Apostolis fuit, & tamen Græcorum Menologium Basilij nuncupatum, ad diem 17. Kal. Decembris, ita de Iacobo fratre Ioannis, & Zebedei filio historiam narrat. *Eadem die Iugulatio S. Iacobi fratris Ioannis Theologi. Iacobus ex duodecim Apostolorum Collegio, filius Zebedei Galilei, qui cum secus stagnum Gennesareth cum Ioanne Theologo fratre retia ex piscium captura reficeret, vocatus à Domino, relicto statim Patre secutus est eum, post Domini Ascensionem, & Sanctæ Dei Genitricis obitum, dum frater Ephesi prædicationis munus obiret, ipse vt susceptum Hierosolymitanæ Ecclesiæ munus ex-*

pleret, omnes Israeliticas Tribus peragrans Dominum nostrum Iesum Christum prædicabat, Quamobrem Cæsaræa Palestinæ retentus ab Herode Tetrarcha, atque tugulatus in Cælum anolauit &c. Tria hìc notatione digna videntur. Primum quòd Iacobi Zebedei martyrium post Deiparæ obdormitionem cotingerit, deinde quòd Hierosolymitanam Ecclesiam ipse regendam susceperit. Tertium quod Cæsareæ Palestinæ agonem consummauerit. De primo cum nihil certi statui possit, ad ea, quæ alibi à nobis dicta sunt, lectorem nostrum relegamus. De Secundo Clementem Alexandrinum apud Eusebium opponimus, qui *Petrum Iacobum, & Ioannem post seruatoris ad Cælos ascensum, vno consensu Iacobum Iustum Hierosolymorum Episcopum designasse*, in libro 6. Hypotyposeon apertissimè docet. Quod (si fortè erroris suspecta esset in Iacobo Clementis assertio) alibi idem Eusebius repetit ex Hegesippo. Quamuis autem Hegesippus lib. 2. cap. 22. Iacobum Iustum Ecclesiæ administrationem vna cum Apostolis suscepisse tantùm scribat, communis tamen antiquorum opinio est, Episcopum fuisse Hierosolymitanum; & ad illus Menologij errorem arguendum sufficeret, quòd Iacobus Iustus, & non Zebedæi Ecclesiæ Hierosolymitanæ munus, seu administrationem suscepisset. At fortè interpretari Menologium posset, quòd Iacobus Zebedei munus acceperit regendj Ecclesiam, non quæ Hierosolymis manserit, sed quę post necem Stephani dispersa fuit per Regiones Iudeæ, & Samariæ, ita enim habet Anonymus Oecumenio præfixus, *Iacobus Zebedei duodecim tribubus, quæ dispersæ erant, Euangelium prædicauit*, tunc enim ex Actis Apostolicis patet, Ecclesiam, quæ erat in dispersione, diuisam ab ea esse, quæ erat Hierosolymis. Sin verò dispersæ præfuit Iacobus Zebedei, non vtique improbabile fuisset, quòd tertio loco erat animaduertendum, Cesareę Palestinę martyrij palmam accepisse, quòd illuc Herodes diuertere sæpe consueuerit. Quamquam verò id videatur elici posse ex Apostolicis Actis, quòd vnica narratione vincula Petri, & necem Iacobi prosequantur, & idem vtriusque rei tempus per ea verba assignent, *Erant autem dies Azimorum*, attamen quòd è vinculis educto per Angelum Petro, Herodes *descendens à Iudæa in Cæsaream*, carceris custodes secum duci iusserit, indicare potius videtur, nec Iacobi obitum, nec Petri capturam Cæsareæ accidisse. Si quis autem pro Menologio pugnaret, ac vellet, Herodem paulo ante dies Azimorum Iacobum neci dedisse Cæsareæ, & ascendentem Hierosolymam deinde ad diem festum, Vt Iudæis, quibus illius mors arriserat, adularetur, Petrum ibì in vincula coniecisse nõ contenderem. Quidquid enim sit, Romana Ecclesia, tàm in Breuiario, quàm in Martyrologio 8. Kal. Augusti à nobis in Indiculo repositò, adhuc recolit memoriam passionis Iacobi Zebedei, quem in Iudæa, & Samaria, post Iesu Christi ascensum in Cælum, diuinitatem prædicasse consentit.

De

De Ioannis Apoſtoli Aſſumptione.

EXERCITATIO III.

IOANNIS immortalitatem, eiuſque recentiorum contentioſas aſſertiones flocci fecit eruditiſſimus Baronius in notis ad Martyrologium, mitiùs tamen ſe egit in Annalibus ad ann. 101. cum his, qui eiuſdem Aſſumptionem piè crediderint, etiam ſi pro re tanta vnicum adducat Nicephorum, non magnæ apud ipſum exiſtimationis. Inter eos verò, quos Vir magnus nihili duxit, puto non obſcurè Trapeſuntium indicari, qui opuſculum de Ioanne viuente ſcripſit, non adhuc mihi viſum, & à Beſſarione exploſum. Verùm præter Nicephorum, nec pauci, nec recentiores ſunt, qui viuum ad conſummationem ſæculi Ioannem ſeruari putauerint, & quæ ſolida ex antiquis de ſepultura Ioannis profert idem Baronius, cum eiuſdem Aſſumptione non pugnant. Sunt apud Cæſarium Nazianzeni fratrem dial. 3. antiqui quidam innominati, qui Ioannem adhuc viuere exiſtimauerint, & in eandem ſententiam deſcendunt Sancti Patres, Hilarius, & Ambroſius, quos præterijt Magnus Annalium ſcriptor, fortè quòd non ita apertè, & ex inſtituto rem agerent. *Ioannes* (inquit S. Hilarius lib. 6. de Trinit. aduerſus Arianos) *ſic vſque ad aduentum Domini manens, & ſub Sacramento diuinæ voluntatis relictus deputatur, dum non mori dicitur, & manere.* Sanctus verò Ambroſius in orat. de exceſſu fratris, ita confirmat. *Magnum pietatis myſterium, vt mors corporis, nec in Chriſto eſſet excepta, ac licet naturæ Dominus, carnis tamen legem, quam ſuſceperat, recuſaret. Et mihi neceſſe eſt mori, illi neceſſe non fuit. An qui de ſeruo dicit, ſi eum volo ſic manere donec venio quid ad te? non potuit ipſe ſic manere ſi vellet?* Et alibi cap. 1. lib. 7. in Lucam, verba illa in Euangelio Lucæ, *ſunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem*, de animæ morte, non corporis interpretatur, quia generaliter de multis proferantur, alias de Ioanne non difficile admiſſurus. *Quãuis de Henoch, & Helia nullam mortem corporis acceperimus, & de Euangeliſta Ioanne Dominus dixerit, ſic eum volo manere donec venio, tamen quoniam non de vno Ioanne hìc putamus expreſſum, ſed generale de multis hoc eſſe præceptum, non hìc mors corporis, ſed anima denegatur*; Sciebat quippe D. Ambroſius ſerm. 20. in Pſ. 118. aliquos de morte Ioannis dubitauiſſe, dum inquit *de morte eius aliqui dubitauerunt*. Equidem Ioannes Damaſcenus de Transfig. & Strabus, verba apud Lucam de pluribus prolata, de Ioanne tantùm dicta eſſe opinantur, quinimmo venturum cum Helia, & Henoch, vt contra Antichriſtum pugnet in fine ſæculi, ſcriptum reliquit Hippolitus de conſummatione mundi, cui adſtipulantur Pſeudo Dorotheus, Metaphraſtes, & Anonymi alij apud Heliam Cretenſem, qui in Scholijs ad Nazianzeni ſecundam orationem de Theologia, Ioannem Euangeliſtam prodromũ eo ſenſu à Nazianzeno dictum fuiſſe interpretatur, *vt qui etiam tum viuens anteceſſurus ſit Chriſtum in aduentu altero*, ſic enim addit, *quorundam eſt opinio*. Hos tamen, qui ita exiſtimarunt, putat Baronius pugnare cum ipſius Ioannis Apocalypſi, quæ non niſi duos in Chriſti aduentu præcurſores, & teſtes apertè demonſtret cap. 11. Verùm quamquam Hippolytus Portuenſis antiquiſſimus Martyr ab Eccleſia in omnibus, quę de Conſummatione mundi ſcripſit, non recipiatur, multos tamen ex antiquis Hippolyto in hoc conſentire conſtat. Quin potius ex adducto loco Apocalypſis, vnde tam diuerſa oculatiſſimus Baronius de-

ducit, non obscurè eliciunt ad finem capitis præcedentis, se ipsum venturum adūbrare Ioannem, & multos fuisse eiusdem sententiæ auctores testatur Arethas Cæsareæ Episcopus in eandem Apocalypsim cap. 19. his per interpretem verbis. *Non est autem ignorandum, quòd ex hoc dicto oportet te rursus prophetare, opinentur multi, Beatum hunc* (Ioannem scilicet) *viuum vsque ad sæculi consummationem viuere, ac venturum esse circa tempora Antichristi, cum Henoch, & Helia, vt vna cum illis corrigat eos, qui tunc viuent homines, & quòd sub Antichristo interimendus sit.* Hæc eadem prostant apud Andream Cæsariensem Episcopum cap. 29. ex quo Arethas opus suum coaceruasse fatetur, tum in proemio, tum alibi. Is tertij sæculi scriptor, & Magni Basilij in Episcopatu successor ad ea verba capitis decimi Apocalypsis *oportet te iterum prophetare*; ex latina versione tertiam ita adducit interpretationem. *Aut Sanctum certè Apostolum mortem nedum gustasse, sed sub sæculi consummationem venturum, vt impostorum Antichristi imperium sistat, atque coerceat.* At iam adductus Martyr Hippolytus, quem idem Andreas Cæsariensis in Proemio Apocal. vocat virum diuinum; fideque dignum, non ita re vera venturum in fine sæculi Ioannem dixit, vt obdormire prius non potuerit, & assumptum in Cælum, rediuiuum inde in terris resurgere. Mortem quippe Ioannis apud Cedrenum videtur potius adstruere, quam vel vitæ, vel Assumptioni fauere. Ita enim latinus Cedreni interpres ex Hippolyto habet, *Ioannes Iacobi frater cum in Asia verbum Dei propagaret, imperante Roma Domitiano, in Patmum insulam est deportatus. Inde à Nerua reuocatus Ephesum, conscripto Euangelio, & Patefactione quam conspexerat, vita excessit annos natus centum sex*, sed paraphrasticè fortasse Cedrenus ex Hippolyto ea desumpsit, quæ in opusculo de duodecim Apostolis continentur, & postrema verba relinquens, sibi met pugnantem grauissimum scriptorem effecit. Ita enim latinè prostant Hippolyti verba. *Ioannes verò in Asia à Domitiano Imperatore in Patmos insulam relegatus, vbi etiam Euangelium conscripsit, ac Apocalypsim vidit. Sub Traiano obdormiuit Ephesi, cuius reliquiæ cum fuissent quæsitæ, non fuerunt inuentæ.* Duo in his Hippolyti verbis videntur contineri. Primum quidem Ioannem obijsse, secundum quòd post mortem assumptus è sepulcro fuerit, reliquijs nimirum non inuentis. Cum his dilectum Discipulum redituruum in fine sæculi non pugnat quod S. Martyr his verbis docuit in oratione de Mundi consummatione. *Prior ipsius aduentui præcursorem habuit Ioannem Baptistam, posteriori autem, quo venturus est in gloria Henoch, & Heliam, & Ioannem Theologum*, quos tamen a Bestia occidendos esse subiungit. Verùm quomodò præcursorum fine sæculi Apostolus iam somno Sanctorum quiescens esse poterat, nisi è sepulcro rediuiuus assumeretur? Assumptum equidè non inuentæ reliquiæ demonstrant, ac ita Hippolytum significare voluisse videntur. Quia verò hæc Assumptionis probabilis sententia in nostro etiam Martyrologio, sub ipso Assumptionis nomine signatur 6. Kal. Ianuarij, quidquid de obitu, eiusq; deinde translatione testes apud antiquos inuenerim, hic libet adducere. Inter hos autem, qui de Ioannis morte meminerint, primus, & vetustior fuit S. Polycarpus eiusdem Apostoli discipulus, qui in fragmento responsionum apud Victorem Capuanum quinti sæculi Scriptorem; ita præceptoris mortem adumbrat, *& Iacobum quidem nitissimum martyrio consummandū, fratrem verò eius Ioannem transiturum absque martyrio, quamuis, & afflictiones plurimas, & exilia toleraturū.* Concinit eiusdem Polycarpi discipulus S. Irenæus, qui apud Eusebium in Chronico mortem innuit, dum scribit *Ioannem Apostolum vsque ad Traiani tempora perseuerasse*, quod in operibus Irenæi extat lib. 3. aduersus hæreses cap. 3. his verbis, *Ioannes autem permanens apud eos vsque ad Traiani tempora*; Sed cum hi de

obitu

obitu Ioannis ita loquantur, vt Assumptionem non excludant; alij adduci debent, qui de communi cum alijs morte testes antiqui sint. Polycrates Ephesinus Episcopus, & Irenæo coæuus, ita apertè de morte Ioannis loquitur in fragmento epistolæ ad Victorem Pontificem Romanum apud Eusebium lib. 3. hist. c. 25. & l. 5. cap. 23. *Qui Martyr, & Doctor extitit tandem Ephesi morte consopitus occubuit*, sed apertissimè Tertullianus Polycrati synchronus, qui Discipulorũ Domini opinionem, quòd Ioannes non moreretur, ita reprehendit. *Translatus est Henoch, & Helias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet; Caterum morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant. Obijt & Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustrà fuerat spes.* Cum Tertulliano sentit Origenes apud Eusebium lib. 3. hist. cap. 1. ex Tomo tertio Commentariorum in Genesim, vbi ad verbum, *Ioannem Asiam obijt, vbi reliquum etiam vitæ suæ cursum conficiens, Ephesi morte occubuit.* Cæsarius etiam, de quo supra in Resp. ad interr. 177. ita Ioannis mortem apertis verbis retulit. *Ioannes igitur, & omnes Apostoli, & Prophetæ è vita excesserunt, præter Henochum, & Eliam, qui soli adhuc in carne esse perhibentur, paulo post etiam ipsi interficiendi.* His addi possent, qui de sepulcro Ioannis adhuc ipsorum æuo superstite non obscurè testantur. Eusebius nempe ipse Cæsariensis, lib. 3. hist. c. 31. qui ex Papia Ioannis auditore, & Polycarpi familiari, duos fuisse Domini discipulos Ioannis nomine narrat, alterum Apostolum, alterum Presbyterum, vtrumque verò apud Ephesum habuisse sepulcrum his verbis. *Narratio eorum vera esse ostenditur, qui dixerunt, duos eodem nomine nuncupatos in Asia fuisse, duoque illorum Ephesi esse sepulcra, & vtraque ad hanc vsque ætatem Ioannis nomine appellari*; fuerunt quidem ante D. Hieronymum de script. Eccles. qui putarent bina illa sub Ioannis nomine sepulcra, ad eundem Euangelistam, non ad Presbyterum pertinere, quòd idem esset, ac existi mare alterum saltem ex illis vacuum, seu honorarium tumulum fuisse, & tamen S. Doctor affirmare non dubitauit, eundem Sanctum Apostolum Ephesi senio confectum sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuum esse, & iuxta eandem vrbem sepultum. Et Sanctus Ioannes Chrysostomus, qui Ephesi in Concilio contra Episcopum Ephesinum præsedit, præter ea, quæ ex ipso adducit Nicephorus lib. 2. c. 42., non modo in homilia postrema de Sanctis duodecim Apostolis Ioannem mortuum esse supponit, dum etiam *post mortem tanquam viuum Ephesum curare* prædicat, sed homilia 26. in Epistolam ad Hebræos, de eiusdem sepulcro tanquam omnibus noto ita loquitur. *Nam Petri quidem, & Pauli, & Ioannis, & Thomæ manifesta sunt sepulcra.* Quamquam verò in his verbis, non videam sepulcrum ossibus plenum, vel ossibus vacuum expresè signari, sed tantùm sepulcrum esse manifestum, siue Cenotaphium, siue Ossuaria fuerit. At doctissimus Baronius totus in eo positus, vt ostenderet Ioannem communi hominum sorte defunctum, ideo Chrysostomum, & Orientales in Synodica ex Actis Concilij Ephesini de Sepulcro loquentes Celestino Romano Pontifici, de reliquijs Apostoli scribenti, ita copulauit, vt ex vtrisque assertio illa conflaretur, sepulcrum non vacuum fuisse. Verùm poterat Ephesi Ioannis monumentum, vt infra constabit, honorarium esse, siue cænotaphium in Assumptionis memoriam, & reliquiarum nomine præter ossa aliquid ex viuente seruatum intelligi poterat. Cælestinus equidem ad Ephesinum Concilium scribens sepulcri non meminit, sed tantùm de reliquijs his verbis, *secundum vocem Ioannis Apostoli, cuius reliquias præsentes veneramini.* Quia autem de reliquijs aliqua explicanda inferius sunt, emergere prius expedit de sepulcro. Igitur licet de Ioannis obitu, ac monumento ex antiquis Patribus ita constet, non ideo tamen explodenda videtur Assumptio. Nam, & de Sanctissima

etiam Deipara mors, siue obdormitio non negatur, & tamen rediuiuæ ad Cælos celebratur translatio. Non sunt hìc repetenda, quæ alibi longius de B. Virginis migratione differimus, sed ostendere libet, dilectum Domini discipulum, adoptiúque, siue vicarium filium, Virgini Matri commendatæ non dissimilem finem fortitum esse felicem, nec valdè diuersam à Beatissima Virgine mortem obijsse, vt ipse quondam Beatæ Brigittæ lib. 4. c. 1. his verbis reuelauit. *Ego insuper post matrẽ Dei leuissima morte de mundo transiui, quia custos Matris Dei factus sui.* Et rursus eadem B. Vidua lib. 4. c. 23. Matrem Domini Ioanni obloquentem ita se audiuisse narrat. *Tu es quem Deo placuit vocare cum leuissima morte de mundo propinquius mihi, ego enim quasi obdormiui in separatione animæ, & corporis, & euigilaui in gaudio perpetuo.* Ita & Christum Dominum de Ioanne reuelasse narratur S. Geltrudi lib. 4. Insin. diuinæ pietatis. *Tali modo complacuit mihi in presenti vita remunerare quem cum ab omni dolo mortis illesum, quasi in inbilo de morte assumpsi.* Neque miretur quispiam, me hìc probatis reuelationibus vti, quando Eusebius ipse Chronologus de Beatissimæ Virginis Assumptione agens ad annum 48. non alio innitatur fundamento, quam quod *quidam sibi fuisse reuelatum scribant.* De hac leniissima Ioannis morte testatur etiam Sanctus Augustinus Serm. 149. de Temp. his verbis, *Ioannes obdormiuit sine vulnere, sine cruciatu,* quam non modo D. Hieronymus aduersus Iouin. lib. 1. cap. 14. confirmauit ad illa verba. *Si eum sic volo esse quid ad te?* Sed in Assumptione ita quoque non obscurè concordat. *Vnde & sermo exiuit inter fratres illum Discipulum non moriturum. Ex quo ostenditur Virginitatem non mori, nec sordes nuptiarum ablui cruore Martyrij, sed manere cum Christo, & dormitationem eius transitum esse non mortem.* Quòd vero è Sepulcro quasi dormiens Assumptus fuerit, illos omnes opinari credimus, qui vel viuum fuisse sepultum, vel reliquias eo sepulto non esse inuentas mirantes testantur. Inter hos præcipuus est Hippolytus Martyr iam ante relatus, cui concinit Anonymus apud Oecumenium, dum scribit sepultum Ephesi adhuc viuentem, *Dei voluntate sic ordinante.* Ita præter Dorotheum dubiæ fidei scriptorem, idem etiam testatur D. Hieronymus infra adducendus ex Prologo in Ioannem, & Gregorius Turonensis, dum lib. 1. Hist. franc. ait, *Ioannes Euangelista senex, & plenus dierum se deposuit in sepulcro.* Ita Christianus Druthmarus in Matthæum, qui historias se candidè sequi profitetur scriptum reliquit. *Sub Traiano requieuit in Epheso, sed nunc corpus eius non inuenitur in terra, & apertum est sarcophagum, in quo iacuit, sed vacuum est. Ignorant autem quid de eo factum sit, quia ab hominibus non fuit ablatum.* Theodorus etiam Metochita in libro singulari historiæ Romanæ, interprete Meursio, dum Ioannem sub Nerua ab exilio reuocatum refert, reliquias sepulti non esse inuentas eodem pariter modo confirmat. *Sub hoc ab exilio reuocatus est Theologus, vt Hippolytus nobis auctor est, eiusque postea defuncti reliquiæ quæsitæ, nec inuentæ,* vt hinc etiam libello sub Hippolyti nomine ædito contra Cedrenum fides astruatur. At apertiùs in Assumptionem Ioannis Græcorum Ecclesia consentit in Menologio, quod Basilij dicitur, interprete Petro Archudio. In hoc enim non modo ad diem pridie Nonas Septembris asseritur Hermionem Martyrem filiam Philippi Apostoli Ephesum aliquando perrexisse, vt vna cum sorore Eutiche Ioannem Theologum adorarent, & non inuenisse, *Translatus enim iam erat.* Sed clarius ad diem septimo kal. Octobris, quo eius sepultura narratur; reliquias quæsitas, & non inuentas hoc pacto confirmat. *Tempus, quo è vita discessurus erat præuidit; Dominico igitur die cum fratres docuisset, & magna Dei opera dicendo exposuisset, imperauit discipulo, vt paratis hominibus, & quæ ad fodiendum opus essent instrumentis, se consequeretur, quos in locum quendam ductos iussit egesta altè terra in-*

gen-

gentem in Crucis figura fossam perducere, in quam ingressus, paceque fratribus impertita se se in foueam composuit resupinum, quo operto discipuli discessere, verùm paulo post regressi visendi studio, vacuam, & inanem reperere: In titulo autem dicitur, *septimo Kal. Octobris Translatio Sancti Ioannis Theologi, & Euangelistæ*. Hac eadem prorsus Metastasis, seu Translationis voce cum Menologio vtitur quoque Euchologicus liber Grecorum, tàm in Assumptione Sanctissimæ Deiparæ indicanda die 15. mensis Augusti, quàm in emigratione Sancti Ioannis Theologi die 26. Septẽbris, vtrobiq; enim Metastasis scribitur, quãquã interpres modo translationẽ, modo emigrationẽ verterit. Et hanc eandẽ vocẽ Menologiũ Sirleti in Græco Codice, qui non est ad manus retinuisse putarem, quòd latine doctus ille Cardinalis verterit die 26. Septembris. *Migratio Sancti glorioſi, & celebris Apoſtoli, & Euangeliſtæ Ioannis cognomento Theologi*, quã Genebrardus in Calendario Græcorum ad eandem diem *Translationem* dixit. Hanc longius obdormitionis nomine Nicephorus lib. 2. c. 42. prosequitur, & extra Ephesiorum Vrbem in tumulo quodam orationibus eius iam consuetis deputato, accidisse narrat, & addit præterea sepulcrum sibi effodi præcepisse, in quo Crucis signo munitus, ac sepulcralia indutus vestimenta descendit, & appositio operculo, somno, qui Iustis debetur, obdormiuerit. *Et Ioannes*, inquit ex latino interprete, *ita diem ſuum obiit. Dei autem ineffabilis, atque inueſtigabilis gloria ea, quam ipſe ſolus nouit, hora illuceſcens corpus eius terrenum, & corruptibile in immortale, & incorruptibile (ò miraculum ingens) tranſmutauit, & in Diuinum Paradiſum itidem, vt omnibus laudibus celebrandam Dei Genitricem, qua per gratiã Mater eius fuit, recepit; decebat quippe, & ipſam qui matris loco incorruptam ſemper Virginem habuiſſet, & dilectus in primis mirificè Chriſto fuiſſet, fraterque adeo immortalitatis promptuarij extitiſſet, paulatim quodammodo immortalitatis participem fieri. Porrò die ſequenti, quibus id commiſſum fuerat, ita vt præceptum acceperant, ad monumentum venerunt, operculoque eius aduerſo nihil ibi aliud, quam ſepulcralia linteа repererunt*. Signa nempe quæ in Cœlum à Deo translatum B. Apostolum fuisse facile indicarent. His profectò consona Nicephorus alibi docuerat, hoc est lib. 1. c. 35. verba Domini ad Petrum non ita intelligenda esse, quasi Ioannes non moreretur, sed de eius post mortem Assumptione omnino debere interpretari. *Non dixit Ieſus quod moriturus non ſit, moriturus eſt enim eo, quo Dei Genitrix modo, confeſtim verò reuiuiſcet, ac reſurget incorruptibili ſcilicet corpore alterum Magiſtri expectaturus aduentum*. Eodem autem modo, quo Beatissima Virgo, Ioannem quoque in Cælum translatũ esse, *Plurimi aſſeuerant*, inquit Auctor sermonis de Assumptione Hieronymo ascripti, quem tamen Hieronymi, aut Sophronij esse eruditissimus negat Baronius. His quoque non dissimilia habet S. Petrus Damiani, Nicephoro inter latinos vetustior serm. 2. de Ioanne Apostolo, & siue ex Metaphraste, siue obscuro illius sermonis Auctore excerpserit, addit, in sepulcro, quo se deposuit Apostolus, aliud non esse inuentum nisi Manna, *quod ſicut dicitur vſque hodie ſcaturire non deſinat*. Dictis deinde talem coronidem imponit. *Pium eſt arbitrari, vt ſicut de Beata Dei Genitrice creditur, ita etiam B. Ioannes reſurrexiſſe probabiliter aſſeratur, quatenus ſicut in Virginea fuerunt integritate participes, ita nihilominus in anticipata reſurrectione merito videantur æquales, nec ſit in reſurrectione diuerſitas, quibus tanta fuerat vnanimitas conuerſationis in vita*. Paulo vetustior Petro Damiano Fulbertus Episcopus Carnotensis, non modo piũ esse ita credere asserit, sed eius sæculo communem ferè piorum omnium esse sententiam, ita testatur serm. de Natiu. Virginis. *Fuit autem ſepulta Sanctiſſima Virgo in Valle Ioſaphat, vbi eſt edificata Eccleſia in honorem eius & S. Ioannes ſepultus eſt Epheſo. Poſt verò cum Religioſi*

Chri-

Christiani reliquias Matris eius, videlicet Domini, respicere vellent, sepulcrũ vacuũ inuenerunt. Sed & in sepulcro Ioannis respicientes non inuenerunt, nisi Manna. Credidit itaque Christiana pietas, quia Christus Dei filius Matrem suam glorioſe resuſcitauerit, & exaltauerit ſuper Cælos, & quòd B. Ioannes Virgo, & Euangeliſta qui ei miniſtrauit in terra, gloriam eius participare mereatur in Cælo. At de Mannæ è ſepulcro Ioannis ſcaturigine etiam vetuſtius extat apud Gregorium Turonenſem teſtimonium his verbis. *Ioannes verò Apoſtolus, & Euangeliſta Dei poſt peractum, tàm agonis legiptimi, quàm prædicationis ſaluberrimæ curſum viuens deſcendens in Tumulo operiri ſe humo præcepit. Cuius nunc ſepulcrum Manna in modum farinæ hodieque eructat, ex qua beata reliquia per vniuerſum delata mundum ſalutem morbidis præſtant.* Ex his conciliantur, qui non Manna ex ſepulcro Ioannis, ſed puluerem ebullientem ſcripſerunt emergere, quòd puluis ille non niſi Manna eſſet in modum farinæ puluerulentum. De viuente adhuc in ſepulcro Ioanne vigebat D. Auguſtini tempore opinio, & quidam erant, qui verba illa Domini, *Sic eum volo manere*, intelligebant quaſi non defunctus, ſed defuncto ſimilis cubaſſet, & cum mortuus putaretur, ſepultum fuiſſe dormientem, & donec Chriſtus veniat ſic manere, ſuamque vitam ſcaturigine pulueris indicare, *qui puluis creditur, vt ab imo ad ſuperficiem Tumuli aſcendat, flatu quieſcentis impelli.* Huic opinioni, quam ex Apocriphis deceptus refert etiã Freculphus Lexouienſis, ſuperuacaneũ exiſtimauit D. Auguſtinus reluctari Tract. 24. in Ioan; de pulueris tamen ſcaturigine incertus hæc addit. *Viderint enim qui locũ ſciunt, vtrũ hoc ibi faciat, vel patiatur terra, quod dicitur, quia & re vera non à leuibus hominibus id audiamus. Interim cedamus opinioni, quam certis documentis refellere non valemus.* Probabilius tamen putat Sanctus Doctor Ioannis corpus in ſepulcro, vt cætera mortuorum corpora iacuiſſe, *ſed ſi verè ibi ſit quod ſparſit fama de terra, quæ ſubinde ablata ſuccreſcit, aut ideo fiat, vt ea modo commendetur præcioſa mors eius, quam nequaquam commendat Martyrium, non enim eum pro fide Chriſti perſecutor occidit, aut propter aliquid aliud, quod nos latet.* Quamquam enim D. Auguſtinus videatur ſentire, Ioannem in ſepulcro, vt cæteros mortuos iacere, de verbis tamen Domini, *Sic eum volo manere*, incertus fluctuat, & quamuis ingenio acutiſſimus torquetur. Nil de reliquijs ad explodendam in ſepulcro viuentis opinionem adfert, cum tamen de probabili morte nullum potuiſſet luculentius adducere argumentum, quam oſſa, vel lipſana alicubi ſuo tempore venerari. Quæ enim ſupra de reliquijs opponebantur ex Cæleſtini litteris, & Schiſmaticorum in Epheſino Conciliabulo Synodica dilui facile poſſunt, quando reliquiarium nomine comprehendi conſueuerint capilli, veſtimenta, aliaque vtenſilia viuentis. Ita pro lipſanis Deiparę Virginis, cuius nihil eſt de corpore relictum in terris, Deum haberi voluiſſe Veſtem, & Zonam docet, ſiue Andreas Cretenſis, ſiue alius Auctor Encomij prætioſæ Zonæ apud Combefiſium in Auctario latino Græcæ Patrum Bibliothecæ tom. 2. cap. 4. De Ioannis verò tunica meminit S. Gregorius, deque ea more reliquiarum in altari Romæ ſeruata Ioannes Diaconus in eius vita teſtis eſt; Sed Gregorius Turonenſis iam ſupra adductus *beatas reliquias* vocat Manna ipſum ſepulcri, quod per vniuerſum Orbem ſuo tempore diſtributum venerabatur, & apud Epheſios, quibus Celeſtinus ſcribit, proſtare etiam præter Manna in ſepulcro poterant ſepulcralia linteamina, quæ eiuſdem traſmigrationis teſtes relicta in tumulo fuiſſe Nicephorus retulit. Nam Synodica epiſtola ad Senatum Conſtantinopolitanum de reliquijs prorſus non loquitur, ſed ad Ioannis in Epheſo ſepulcrum reſpiciens, ita ex Vaticano interprete quærelas Schiſmaticorum exponit. *Neque è locis vſque adeo remotis venientibus, Sanctorumque, a*

trium-

triumphatorum Martyrum, maximè verò Beatissimi Ioannis Theologi, & Euangelistæ (quem summam apud Deum fiduciam, familiaritatemque obtinuisse constat) mōumenta complectendi desiderio flagrantibus id facere integrum fuerit. Non modò enim Ephesi sepulcrum Ioannis fuisse concedimus, sed duo ibi fuisse supra ostendimus, alterum Ioannis Theologi, alterum Presbyteri; Neque in Græco codice ipsana memorātur, sed vbi latinus interpres vertit monumēta, Græcus codex habet làrnacas, hoc est arcas, siue conditoria. Etsi igitur plures ex antiquis in obitū Ioannis consentiant, & de sepulcro testificentur, pluribus etiam translationis, vel Assumptionis modus non displicuit, vt in tanta de eiusdem obitu, & sepultura historiæ varietate liceat affirmare, quòd sicut Petro curiosiùs scisciranti ideo obscurè Redemptor noster respondit, vt reliquos discipulos, & quotquot in illa verba scripserint exitum Ioannis delituisse voluerit, ita incerta omnia huc vsque fidelibus esse permiserit, & siue viuus è sepulcro ablatus, siue mortuus reuixerit, inter mortis, vitæque crepuscula sic in ambiguo eiusdem monumenta reliquerit, vt non nisi in aduentu eius certi aliquid ab hominibus præsciri, & vnicuique curiosiùs requirenti adhuc responderi posse voluerit, *Sic eum volo manere, quid ad te?* Nihil profectò faciliùs ex ijsdem Christi Domini verbis elici posse confitetur Augustinus, quam quod & reliqui Apostoli crediderunt, *quod scilicet non esset discipulus ille moriturus*, neque magis vti falsum ab eodem Euangelista fuisse redargutum addit. *Cur enim subiungeret non dixit Iesus non moritur, nisi ne hominum cordibus, quod falsum fuerat, inhæreret.* Ecclesia tamen Romana in rediuiuum Ioannem videtur esse propensa, nam eandem D. Augustini Homiliam in Discipuli Deo dilecti celebritate recensitam, non vltra in Augustini dubitationes procedit, sed ea tantùm verba prosequens, quæ Ioannis immortalitatem videantur respicere, ita Euangelicam claudit explicationem. *Sic eum volo manere, &c. Quid enim est hoc? Quantum sapio, quantum capio quid est hoc? nisi tu me sequere per imitationem perferendo temporalia mala, ille maneat donec sempiterna venio redditurus bona.* Quin etiam Ioanni Euangelicæ illa verba ascribit, *sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo.* Quæ de Ioanne intelligi posse negauit Maldonatus ad cap. 16. Matth. quòd apud nullum Auctorem præterquam apud Strabum in ea sententia interpretata inuenerit, Ecclesia tamen eidem Apostolo cum Ioanne Damasceno ascribit, & in eius laudes pro Antiphona canit. Possunt quippe significare, vel Ioannem in sepulcrum descendentem, vt multis antiquis patribus placuisse vidimus, viuum adhuc translatum esse à Deo, vel ita ad breue tempus mortuum, vt rediuus paulo post Assumptus mortem gustare dici nequierit. Bis equidem Martyrologium nostrum de Assumptione Ioannis agit, & Indiculo quem explicamus, & 6. Kal. Ianuarij his verbis. *Assumptio Sancti Ioannis Euangelistæ apud Ephesum.* Quæ pariter in Martyrologio Rhabani eadem die repetuntur apud Canisium tom. 6. antiq: lect. Nec me latet Aloysium ad Vitam S. Ioannis quædam D. Ambrosij verba referre ex serm. de Sanctorum Martyribus tempore Paschali in quibus gloriosa S. Ioannis resurrectio apertè describatur, sed cum sermo ille prostet adducta verba desiderantur. Addit Salmeron tom. 2. tract. 33. Petrum Abelardum serm. 24. eadē verba Diui Augustini nomine adducere, quæ in serm. 25. de Assumpt. B.V. eidem S. Ambrosio assignet, sed & idem Salmeron tom. X. tract. 47. consimilē sententiā D. Leoni Magno tribuit, quam mihi hucusque inuenire non licuit.

Quia verò in idem consonat antiqua Melitti Laodicensis Episcopi historia, & Ioannis Assumptionem confirmat, libuit eandem ex manuscripto, ac peruetusto penes meo Hagiologio attexere, quòd multis tamen non ignotam, & ali-

quibus enunctę naris viris nõ improbatã viderim, eadẽ ferè est, quæ apud Boninũ Mombritiũ legitur. Sed quia illius iã peruetusti codices rariores sunt, dum nostras qualescunque notationes addimus, nec iteratò edere displicuit. Hanc eandem esse, qua Sanctus Petrus Damiani, alijque Patres vsi sunt, Acta, verbaque conferentibus, & ex infra dicendis facile constabit. Eandem quoque esse, quam Ordericus Vitalis lib. 2. Eccles. Historiæ contractam, mutilamque exhibuit palam est; sicuti illam pariter, quam ex Codice Passionali apud Præmonstratenses Louanij vidit Ioannes Nessels, & in historiarum censura, vti pietati, & veritati consonam laudauit. Milerum Dei seruum codex ille Auctorem præfert; noster verò Mellitum Episcopum Laodiceæ, quemadmodum Mellitum habet etiã Ordericus sine Episcopi titulo, quem tamen Laodicensẽ esse alijsque fidelibus scripsisse non tacuit. An verò Miletus, vel Mellitus potius dicendus sit, quamquam non plene liqueat, Orderico tamen, qui ante quingentos annos scripsit, & non minoris ætatis Hagiologio nostro adhæreo, qui Mellitum non Miletum expressè legunt. Melitonem Asianum Sanctum Episcopum Sardensem, cui falso etiam ascribitur liber de transitu B. Virginis palam conuincitur non esse, cum is sub Aureliano secundo sæculo floruerit, noster verò Mellitus vulgata iam hæresi Manichæorum scripsisse liqueat: Laodicena profectò Ecclesia cuius Episcopus enunciatur, non modo in Asia continetur, vbi D. Ioannes Euangelij semina intulit, sed vnam ex septem Ecclesijs, quas ipse fundauit, docti in Apocalypsim interpretes passim docent, vt dubitandum non sit, quin Ioannis Acta, & sinceriores de eius vita traditiones inde habere potuerit, dummodo verum præferat titulum Laodiceni Episcopi. An etiam latinus hic scriptor sit, vel è Græco translatus, dum interpretis nomen refert, dicere non auderem. Grauis vtique Auctor est, & falsi redargui posse non video. Quod enim obicijt eidem Ioannes Nessels ex Tertulliano de tempore exilij in Pathmo insula, facile ex infra dicendis diluitur. Quæcunque autem Acta hæc doctioribus reputari possint, edere non piguit, cum & Prochori de Ioanne historia, meminerit reclamante, mendacijs aspersa, & Apocripha pluries iam edita sit, & de ea non desint graues scriptores, qui fabulis imputatis ad aliorum veritatem confirmandam testimonia non vereantur adducere.

VI. Kal. Ianuarij.

Passio Sancti Ioannis Euangelistæ.

MELLITVS Seruus Christi Episcopus Laodiciæ, vniuersis Episcopis, & Ecclesijs Catholicorum in Domino æternam salutem. Vtile & licitum esse fraternitatem vestram de Leucio quodam, qui scripsit Apostolorum Acta Ioannis Euangelistæ, & Sancti Andreæ, vel Thomæ Apostoli: Quædam de virtutibus quidem quæ per eos Dominus fecit, vera dixit; de doctrina verò multa mentitus est. Dixit enim docuisse eos duo principia, quod execratur Ecclesia Christi; Cum ipse S. Ioannes Apostolus in capite Euangelij sui vnum testetur principium, in quo semper fuerit verbum, à quo vniuersa creata sunt visibilia, & inuisibilia. Leuius autem dicit eos docuisse duo principia bona, & mali, & bona à bono, mala verò à malo principe substitisse, cum constet malum nihil esse substantiale, & penitus nullam Creaturam, neque visibilem, neque inuisibilem, quæ possit mala intelligi per naturam; Siue Angelus malus, siue homo malus à Domino bonus factus est, & ideo malus, quia contra creatoris sui voluntatem præsumpsit; Nam, & Angeli, & homines qui

mali

mali esse nescuntur à iusto Deo damnantur. Iustus autem iniustitiam ponit, quam non oriendo Angeli, vel homines, sed iniustè agendo incurrisse noscuntur; Prohibita enim à Domino seruus si perpetrauerit, & iussa non fecerit, iustè puniendum se esse cognoscit, quodque cum se ipsum pro sua præsumptione humiliauerit, & ex toto corde dixerit, peccaui tibi Domine miserere mei, subueniet ei pietas Domini, & qui per iustitiam iusti iudicis puniendus extiterat, per misericordiam ad indulgentiam reuocatur; Ergo vt verè te peccatorem ostendas Deum creatorem honora; honoras autem Creatorem, si te solum culpaueris, cum delinquis, & non adscripseris Creatori cum peccas; Vt ex omni parte tua præsumptionem arguas, non tui quæraris opera conditoris. Si enim verè te negligentem accusaueris delinquentem, ad veram poteris indulgentiam peruenire. Hac Lucij causà memorauerim, qui mendacio plenus Apostolos Domini asseruit docuisse, duo principia hominis extitisse, vt animam à bono Deo editam, carnem à malo, & necessitate carnis animam inuolui peccatis; Quod si ita esset, qui non peccat omnino non viueret; Sic qui non manducat, aut non bibit, aut non digerit, aut non dormit, sinè dubio viuere non potest. Ità & qui non fornicatur, aut qui non videt, aut qui non furatur, aut qui non aliquid crimen admittit, non posse viuere monstraretur. At verò cum doceatur homo sine fornicatione viuere, qui sine victu, & vestitu viuere non potest. Constat eum ita conditum à bono Creatore, vt sine criminibus viueret, cum absque alimonijs non possit omnino constare. Denique clausum carcere, tentum in vinculis, deportatum exilio, absque criminibus viuere posse cognoscimus, cum absque cibo, & potu, & digestione, & somno non posse viuere comprobetur. His agnitis ad B. Ioannis Euangelistæ actus flectamus articulum, & ad Dominum de hac luce qualiter migrauit explicemus.

*Secundam post Neronem persecutionem Christianorum Domitianus exercuit, vnde factum est vt Sãctus Ioannes Apostolus tolleretur de Epheso, & in Pathmos Insulam in exilium mitteretur, in qua Insula Apocalipsim, quam ei Dominus reuelauit manu sua conscripsit. Domitianus autem eodem anno quo iussit Sanctum Ioannem exuliari à Senatu Romano interfectus est, & quoniam Deo cura fuit de Apostolo suo, ex totius Senatus consulto hoc definitum est, vt quicquid Domitianus fieri voluit cassaretur; Hinc factum est, vt Sanctus Ioannes, qui voluntate Domitiani exilio cum iniuria fuerat deportatus, cum honore ad Ephesum remearet. Occurrit autem illi omnis populus virorum, ac mulierum, omnes exultantes, & dicentes, Benedictus qui venit in nomine Domini. Cùm autẽ ingrederetur Ciuitatẽ, Drusiana, quæ semper sequuta eum fuerat, & aduentus eius desiderio fuerat fatigata, efferebatur, Tunc Sanctus Ioannes videns flentes pauperes, & parentes, ac viduas simul cum orphanis clamantes, & dicentes. Sancte Ioannes Apostole ecce Drusianam efferimus, quæ sanctis monitis tuis obtemperans nos omnes alebat seruiens Domino in casti state, & humilitate, & quotidie desiderabat reditum tuum dicens, Ecce videam Apostolum Domini oculis meis antequam moriar. Ecce tu venisti, & te videre non potuit * Dominus Iesus Christus excitate. Drusiana, Surge, & pedibus tuis reuertere ad domum tuam, & præpara mihi refectionem. Ad hanc vocem surrexit, & capit ire sollicita de iussione Apostoli, ita vt videretur ipsi Drusiana quia non de morte, sed de somno excitasset eam. Factus est autem clamor populi per tres horas dicentes. Vnus est Deus, quem prædicat Ioannes, vnus est Dominus Iesus Christus. Altera autem die Craton Philosophus in foro proposuerat de contemptu mundi spectaculum, vt duo iuuenes fratres ditissimi, quos fecerat distracto patrimonio suo gemmas emere singulas, quas in conspectu omnis frangerent populi. Quod cum facerent pueri, contigit transitum habere Apostolum, & conuocans ad se Cratonẽ Philosophum ait. Stultus est iste mundi contemptus, qui hominum ore laudatur, sed condemnatur diuino iudicio. Sicut vana me-*

dicina est, ex qua non abscinditur morbus, ita vana doctrina est, ex qua non vitia curantur animorum, & morum; Magister itaque mens iuuenem cupientem ad vitam aeternam attingere his verbis instruxit, quibus diceret, vt si vellet perfectus esse, venderet omnia sua, & daret pauperibus; quo facto thesaurum in Cælo acquireret, & vitam aeternam, quæ finem non habet, inueniret. Craton dixit. Humanæ cupiditatis fluctus in media positus est, sed fiverè Deus magister tuus, & vult hoc fieri, vt pauperibus erogetur census pretij harum duarum gemmarum, fac eas redintegrari, vt quod ego feci ad famam hominum; tu facias ad gloriam eius fieri, quem tuum magistrum esse commemoras. Tunc B. Ioannes colligens fragmenta gemmarum ponens in manu sua eleuauit oculos suos ad Cælum, & ait. Domine Iesu Christe, cui nihil impossibile est, qui fractum mundum per lignum Crucis tuæ in tuis fidelibus restauraſti, qui nato cæco oculos, quod natura negauerat, reddidisti, qui mortuum Lazarum, & sepultum post quartum diem ad superos reuocasti, & omnes morbos, omnemque aegritudinem virtutis tuæ verbo curasti; Adesto nunc super istos lapides pretiosos, quos ignorantes fractum elemosinæ ad plausum hominum confregerunt, tu Domine per manus Angelorum tuorum modo recupera, vt precio eorum misericordiæ vsus expletus, facias tibi credentes peruenire ad tuum imperium, qui cum Patre vinis, & cum Spiritu Sancto, & regnas in sæcula sæculorum; Cumque respondissent fideles, qui cum Apostolo erant, & dixissent, Amen, ita sunt solidata fragmenta gemmarum, vt nec signum aliquod de eo, quod fractum fuerat remaneret. Tunc Philosophus Craton, simul cum his iuuenibus, & cum vniuersis discipulis suis pedibus eius deuolutus credidit, & baptizatus est cum omnibus, & cæpit fidem Domini Iesu Christi publicè prædicare. Tunc duo illi fratres venundantes omnia, quæ habere poterant, & dantes vniuersa egentibus sequebantur Apostolum per Ciuitates verbum Domini prædicantem. Contigit autem vt intrantes vrbem Pergamum, viderent seruos suos sericis indutos vestibus procedentes, & gloria sæculari fulgentes; & hinc factum est, vt sagitta Diaboli perculsi tristes efficerentur, quod se in vno pallio viderent egentes, seruos verò suos potentissimos, atque fulgentes. Sed hos dolos Diaboli intelligens Apostolus ait. Video vos, & animos vestros mutasse, & vultus propter hoc quod doctrinam Domini Iesu Christi sequuti omnia quæ habere potuistis pauperibus contuliſtis. Vnde si vultis recuperare quæ in auro, & argento, & lapidibus pretiosis habuistis; Deferte mihi lapides minutos à littore maris. Quod cum fecissent inuocata trinitate Domini conuersa sunt in gemmas. Deferte mihi virgas rectas in singulis fascibus; quod cum fecissent, inuocata Trinitate Domini conuersa sunt in aurum. Item dixit eis. Tunc dicit eis Sanctus Apostolus. Per septem dies ite per aurifices, & gemmarios, & dum probaueritis verum aurum, & veras gemmas, nuntiate mihi. Euntes autem ambo post septem dies reuersi sunt ad Apostolum dicentes. Domine omnes officinas circumiuimus, & omnes dixerunt; Tunc dicit eis S. Ioannes. Ite & redimite vobis terras quas vendidistis, emite vobis sericas vestes, vt pro tempore fulgeatis vt rosa, sic dum flos eius, & odorem parit, & ruborem ostendit, repente marcescit; Suspiraſtis enim in vestrorum seruorum aspectu, & vos effectos pauperes gemuistis. Estote diuites temporaliter, vt in perpetuum mendicetis. Nunquid non valet manus Domini, vt faciat seruos suos diuitys affluentes incomparabiliter, & splendentes, sed certamen statuit animarum, vt credant se æternas habituros diuitias, qui pro eius nomine temporales opes habere noluerunt. Denique narrauit nobis magister noster de quodam diuite, qui epulabatur quotidie, & fulgebat in auro, & purpura, ad cuius fores iacebat mendicus Lazarus, qui cupiebat, vel micas, quæ de mensa cadebant accipere, & nemo illi dabat, contigit autem vt vno die ambo deficerent, & ille mendicus duceretur in requiem, quæ est in sinu Abrahæ, ille autem diues mitteretur in flamma incendy, vnde eleuans oculos vi-

dit

dit Lazarum, & ait: Obsecro te Pater Abraham, vt dimittas Lazarum, & intinctum digitum extremum in os meum mittat, quòd crucior in hac flamma, cui respondit Abraham dicens, memento fili quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc iste consolatur, tu verò torqueris. Et in his omnibus chaos magnum inter nos, & vos firmatum est, vt neque inde huc, neque hinc illuc transire possit. Ad hæc ille respondit. Sunt mihi quinque fratres obsecro te, vt pergat aliquis qui moneat eos, ne huc veniant ad hanc flammam; cui Abraham ait: Habent Moyses, & Prophetas, audiant eos. Ad hæc ille respondit. Non Domine, nisi resurrexeris aliquis non crederent. Et ait Abraham: si Moyses, & Prophetas non audient, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Hos autem sermones suos Dominus, & Magister virtutum firmabat exemplis; nam cum dicerent si quis inde huc verteret credamus ei? Dixit ei, Afferte huc mortuos, quos habetis. Cumque adportassent coram illo tria corpora mortuorum velut dormientia excitata sunt ab eo, qui dabant fidem cunctis sermonibus eius. Sed vt quid ego de Domino meo referam? cum in præsenti sint, quos in eius nomine suscitauit vobis præsentibus. In cuius nomine paraliticos curatos vidistis, & leprosos mundatos, & cæcos inluminatos, & homines à Dæmonijs liberatos. Sed has virtutum opes habere non possunt, qui voluerint diuitias habere terrenas. Denique vos ipsi quando ad infirmos intrastis inuocato nomine Iesu Christi saluati sunt. Fugastis Dæmonia, etiam lumina reddidistis. Hæc gratia ablata est à vobis, & facti estis miseri, qui eratis fortes, & magni. Sed cum tantus timor vester esset in Dæmonijs, vt iussu vestro homines derelinquerent, modo vos timetis Dæmonia; amator enim pecuniæ seruus est Mammonæ, Mammona autem Dæmonis nomen est, qui lucris carnalibus præest, & dominatur his, qui diligunt mundum. Ipsi autem amatores mundi non possident diuitias, sed ipsi à diuitijs possidentur. Nam cum sit vnus venter, & sint reposita tanta, quæ mille ventribus satis sunt, & cum sit vnum Corpus, & sint tanta vestes, quæ mille hominum corporibus præbere valeant indumenta, vtique quod vti non potest custoditur, & cui custodiatur omnino nescitur. Dicente Sancto Spiritu per Prophetam. Vanè conturbatur omais homo, quia thesaurizat, & ignorat cui congregat ea. Nudos fuderunt in lucem partus inulierum egentes cibo, & potu, & amictu, nudos recipit terra quos edidit. In commune possidemus Cæli diuitias, splendor solis qui diuitis, & pauperis æqualis est, & pluuiarum gutta, & Ecclesiarum iauua, & fontis sanctificatio, & remissio peccatorum, & participatio altaris, & esca corporis, & potus sanguinis Sancti, & Chrismatis vnctio, & gratia largitoris, & visitatio Domini, & indulgentia peccati. Hæc omnia absque personarum acceptione æqualis est dispensatio conditoris. Neque enim aliter diues, aliter pauperibus vtitur donis, sed miser, & infelix homo, qui vult plus aliquid habere, quam sufficit. Nascũtur enim ei dolores febrium, rigores frigorum, dolores varij in cunctis corporis membris, & neque esca cibari potest, nec poculo satiari. Vt cognoscat auditas non sibi pecunias profuturas, quæ reposita custodibus suis solicitudinem diurnam, & nocturnam incutiunt, & nec vnius horæ spatio quietos eos, aut securos esse patiuntur; Nam custodiuntur à furibus domus, dum possessio colitur, dum aratris intendunt, dum soluunt fiscalia, dum lucris student potentiorum se impetus mitigare nituntur; dum minus potentes se nudare contendunt; dum iras suas, quibus possunt, inferunt, & inlata in se vix tolerare possunt; dum in blandimento carnis adsentiunt; dum ludere tabulis, & spectaculis non perhorrescunt; dum polluere, & pollui non metuunt, subito exeunt de isto sæculo nudi, sola secum peccata portantes, pro quibus sunt pœnas passuri perpetuas. Hæc dicente Apostolo, ecce afferebatur à matre vidua iuuenis, qui triginta dies habebat, quod vxorem acceperat. Venientes autem turbæ, quæ exequias faciebant, simul cum Matre eius vidua iactauerunt se ad pedes eius, omnes pariter mugitus, & fletus, & gemitus emittentes rogabant, vt in nomine Dei sui sicut Drusianam, sic & hunc

hunc iuuenem mortuum ſuſcitaret. Tantus autem omnium extitit fletus, vt etiam ipſe S. Apoſtolus vix a fletu, & lacrymis temperaret. Tunc proſternens ſe in oratione diutiſſimè flenit, & exurgens ab oratione expandit manus ſuas ad Cælum, tacita prece diutiſſimè orauit; Hoc cum feciſſet tertio iuſſit ſolui inuolutum corpus & ait. O iuuenis ſtulte a qui amore carnis tuæ ductus, cito animam amiſiſti: O iuuenis qui neſciſti Creatorem tuum, neſciſti ſaluatorem hominum, neſciſti amicum verum, & ideo hoſtem peſſimum incurriſti. Pro ignorantia tua lacrimas Domino ſimul, & preces effudi, vt exurgas mortis vinculo reſolutus, & iſtis duobus Attico, & Eugenio annunties, quantam gloriam amiſerint, & quantam incurrerint panam. Tunc exurgens ſtulteus adorauit Apoſtolum, & capit increpare diſcipulos eius dicens. Audi Angelos veſtros, & ſatana Angelos in veſtra dilectione gaudentes, iam paratum vobis ex corruſcantibus gemmis hietas inſtructas plenas gaudijs, plenas epulis, plenas delicijs, plenas vita perpetuæ, plenas luminis eterni, plenas delectationibus, quas amiſiſtis incauti, & acquiſiſtis vobis loca tenebrarum, plena draconibus, plena ſtridentibus flamis, plena cruciatibus, & incomparabilibus panis, plena pudoribus, plena doloribus, plena anguſtijs, plena timore, & tremore; Amiſiſtis loca, plena ſteribus immarciſcibilibus, plena mulcentia vocibus organorum, & acquiſiſtis loca in quibus, die, noctuque non ceſſat mugitus, vlulatus, & luctus. Iam nihil aliud vobis ſupereſt, niſi vt rogetis Apoſtolum Domini, vt ſicut me reſuſcitauit, & ab interitu ad ſalutem perduxit, ita & animas veſtras, quæ etiam de libro vitæ deleta ſunt, reſuſcitet. Tunc iſte ipſe, qui ſuſcitatus fuerat proſtrauit ſe cum omni populo, & cum Attico, & Eugenio omnes pariter exorabant Apoſtolum, vt intercederet pro his apud Dominum. Quibus Sanctus Apoſtolus hoc dedit in reſponſis, vt per triginta dies Domino panitentiam offerrent; In quo ſpatio hoc maximè precarentur, vt virgæ aureæ in ſuam naturam rediirent; ſimiliter, & Lapides ad vilitatem in qua nati fuerant remearent. Factum eſt autem, vt triginta dierum ſpatio tranſacto, cum neque virgæ mutarentur in lignum, neque gemmæ mutarentur in lapides venientes Atticus, & Eugenius dixerunt Apoſtolo. Semper miſericordiam docuiſti, ſemper indulgentiam prædicaſti, & præcepiſti, vt homo parceret homini, etſi hominem homini indulgere voluit Deus, quanto magis ipſe cum ſit Deus homini, & indulget, & parcit? In peccato noſtro confuſi ſumus, & quod oculis concupiſcentibus mundum delinquimus, oculis flentibus panitemus. Oramus te Domine, oramus Apoſtole, vt indulgentiam Dei, quam ſemper prædicas verbis factis oſtendas. Tunc B. Ioannes fleuit, & panitentibus vniuerſis etiam pro his interim venientibus dixit. Dominus noſter Ieſus Chriſtus his ſermonibus vſus eſt, vt diceret, Nolo mortem peccatoris, ſed volo vt conuertatur, & viuat. Nam & cum nos doceret de penitentibus, Dominus noſter Ieſus ait, Amen dico vobis, quia magnum gaudium eſt in Cœlo Angelis ſuper vnum panitentem, & conuertentem ſe à peccatis ſuis, & amplior lætitia illis eſt, quã ſuper nonaginta nouem qui non peccauerunt. Vnde volo vos ſcire quia Dominus accepit panitentiam eorum. Tunc conuerſus ad Atticum, & Eugenium dixit. Ite, & reportate virgas ad ſylnam, vnde eas aſſumpſiſtis, quoniam ad ſuam ſunt naturam conuerſæ, & lapides, quoniam petræ effectæ ſunt, vt fuerant; quod cum fuiſſet impletum receperunt gratiam, quam amiſerant; ita vt etiam fugarent dæmonia, & ſicut prius infirmos curarent, & virtutes multas per eos Dominus faceret. Cum autem omnis Ciuitas Epheſiorum, immo omnis pronincia Aſiæ Ioannem excolerent, & prædicarent, accidit, vt cultores idolorum excitarent ſeditionem. Vnde factum eſt, vt Ioannem traherent ad templum Dianæ, & vrgerent eum, vt ei fæditatem Sacrificiorum offerret. Tunc B. Ioannes ait. Ducam vos omnes in Eccleſia Domini mei Ieſu Chriſti, & inuocantes nomen Dianæ veſtræ facite cadere eccleſiam eius, & conſentiam vobis.

bis. Si autem hoc facere non poteſtis, ego inuoco nomen Domini mei Ieſu Chriſti, & faciam cadere templum hoc, & cõminui Idolũ veſtrum. Quod cum fuerit inſtum, vobis videri debet, vt relicta ſuperſtitione eius rei quæ à Deo meo victa eſt, & confracta ad ipſum conuertamini. Ad hanc vocem conticuit omnis populus, & licet eſſent pauci, qui contradicerent huic definitioni, pars tamen maxima conſenſum adtribuit. Tunc B. Ioannes blandis alloquijs exorabat populum, vt à templo ſe longè facerent. Cumque vniuerſi ex interiori parte foras exiſſent, voce clara, coram omnibus dixit. Vt ſciat omnis hæc turba, quia Idolum hoc Diana Dæmonium eſt, & non Deus, corruat cum omnibus manufactis Idolis, quæ coluntur in eo, ita vt nullã in hominibus læſionem faciat. Continuò autem ad hanc vocem Apoſtoli, omnia ſimul cum templi ſui Idolo ita corruerunt, vt fierent ſicut puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Conuerſi ſunt autem eo die duodecim millia gentilium, exceptis parulis, & mulieribus, & baptizati ſunt conſecrati virtute. Tunc Ariſtodemus, qui erat Pontifex Idolorum repletus ſpiritu nequiſſimo excitauit ſeditionem in populo, ita vt populus contra populum pararetur in bellum. Sed B. Ioannes ait. Dic mihi Ariſtodeme quid faciam, vt tollam indignationem de animo tuo? Cui Ariſtodemus dixit; Si vis vt credam Deo tuo, debo tibi venenum bibere, quod cum biberis, ſi non fueris mortuus apparet verum eſſe Deum tuum. Cui Apoſtolus ait. Venenum ſi dederis mihi bibere in nomine Domini mei non poterit nocere mihi. Cui Ariſtodemus ait; Prius eſt, vt videas bibentes, & ſtatim morientes, vt vel ſic poſſit cor tuum ab hoc periculo formidare; cui B. Ioannes reſpondit. Iam dixi tibi, tu paratus eſto credere in Dominum meum Ieſum Chriſtum, dum me videris poſt veneni poculum ſanum. Rexit itaque Ariſtodemus ad Proconſulem, & petiuit ab eo duos viros, qui pro ſuis erant ſceleribus decollandi, & ſtatuens eos in medio fori coram populo fecit eos bibere venenum, qui mox biberunt, ſpiritum exhalarunt. Tunc dixit Ariſtodemus. Audi Ioannes; Aut recede ab iſta doctrina, qua à Deorum cultura reuocaſti populum, aut accipe, & bibe, vt oſtendas omnipotentem eſſe Deum tuum, ſi poſt eſquam biberis poteris incolumis permanere. Tunc B. Ioannes iacentibus mortuis his qui venenum biberant, intrepidus & conſtans accepit calicem, & ſignaculum Crucis faciens in eo dixit. Deus meus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, cui omnia ſubiecta ſunt, cui omnis Creatura deſeruit, & omnis poteſtas ſubiecta eſt, & metuit, & expaueſcit, cum nos te ad auxilium inuocamus, cuius audito nomine Serpens conquieſcit, Draco fugit, ſilet vipera, & rubeta illa, quæ dicitur Rana, quieta ſorpeſcit, & Scorpius extingnitur, Regulus vincitur, & Spalangius nihil noxium operatur, & omnia venena, & adhuc ferociora repentia, & animalia noxia tenebrantur, & omnes aduerſa ſalutis humanæ radices areſcunt. Tu extingue hoc venenum, virus, extingue operationes mortiferas, & vires, quas in ſe habet, euacua in conſpectu omnibus his, quos tu creaſti, oculos vt videant, & cor vt magnitudinem tuam intelligant, & cum dixiſſet, totum ſemetipſum ornauit ſigno Crucis, & bibit omne quod erat in calice, & poſtea quam bibit, dixit. Peto vt propter quos bibi conuertantur ad te Domine, & ſalutem quæ apud te eſt, te illuminante mereãtur. Attendentes autem populi Ioannem per tres horas vultum habere hilarem, & nulla penitus ſigna palloris, aut trepidationem habentem, clamare cœperunt. Vnus eſt Deus verus, quem colit Ioannes. Ariſtodemus autem nec ſic credebat, ſed populus obiurgabat eum. Ille autem conuerſus ad Ioannem dixit. Ineſt mihi adhuc dubitatio; Sed ſi iſtos qui per hoc venenum mortui ſunt, in nomine Dei tui excitaueris, emũdabitur ab omni incredulitate mens mea. Populi autem inſurgebant in Ariſtodemum dicentes. Incendimus te, & domum tuam, ſi auſus fueris vltra Apoſtolum Dei in tuo ſermone facere laborare. Videns autem Ioannes accerrimè ſeditionem fieri omnibus audientibus ait, Prima eſt de virtutibus Diuinis, quam videmur imitari patientiam,

per

per quam ferre possimus incredulorum insipientiam. Vnde si adhuc Aristodemus ab infidelitate tenetur, soluamus nodos infidelitatis eius, & licet tarde, faciamus tamen eum cognoscere creatorem suum. Non enim cessabo hoc opere, quomodo eius possit vulneribus prouenire. Vt siens mediri habentes inter manus aegrum varia medela indigentem, ita etiam nos si adhuc curans non est, ideoque quod factum non est aliud faciamus. Et conuocans ad se Aristodemum dedit ei tunicam suam, & ipse pallio amictus capit stare. Cui Aristodemus ait. Vt quid mihi dedisti tunicam tuam? Dixit ei Ioannes. Vt vel sic confusus à tua infidelitate discedas. Cui Aristodemus ait. Et quomodo me tunica tua facit ab infidelitate mea recedere. Cui respõdit Apostolus. Vade, & mitte eam super corpora defunctorum, & dices ita. Apostolus Domini nostri Iesu Christi misit, me vt in nomine Dei eius surgatis, & cognoscãt homines, quia vita, & mors famulantur Domino meo Iesu Christo. Quod cum fecisset Aristodemus, & vidisset eos surgere adorans Ioannem festinus perrexit ad Proconsulem, & cepit clamare dicens. Audi me Proconsul. Memorem te puto quod contra Ioannem frequentem iram tuam excitaui, & multa mala contra eum egi, vnde vereor ne iram eius experiar, est enim Deus sub specie hominis latens. Nam venenum bibens non solum ipse incolumis perseuerat, verùm etiam qui veneno mortui fuerant per manus meas tunicae eius tactu suscitati viuunt, nulla secum signa mortis habentes. Dicit Proconsul. Et quid vis vt faciam? Respondit Aristodemus. Vt venium postulemus, & quicquid nobis iusserit faciamus. Tunc venientes simul prostauerunt se, Apostolo indulgentiam flagitantes; Quos ille suspiciens oratione cum gratiarum actione obtulit Domino, praecipitque eis vnius hebdomadae ieiunium agere. Quo expleto baptizauit eos. Qui cum baptizati fuissent cum vniuersa parentela, & affinitate sua, & familijs suis fregerunt omnia simulacra, & fabricauerunt basilicam in nomine Sancti Ioannis, in qua ipse Sanctus Ioannes assumptus est hoc ordine. Cum esset annorum nonaginta septem apparuit ei Dominus Iesus Christus cum Discipulis suis, & dixit ei. Veni ad me quia tempus est, vt epuleris in conuiuio meo cum fratribus tuis. Surgens autem Ioannes cepit ire, sed Dominus dixit ei. Dominica resurrectionis meae die, qui post quinque dies futurus est, sic venies ad me; Et cum hoc dixisset Cãlo receptus est. Veniente itaque die Dominica conuenit vniuersa multitudo in Ecclesia, quae in eius nomine fuerat fabricata, & à primo pullorum cantu agens misteria Dei, omnem populum vsque in horam tertiam allocutus est, dicens.

Fratres, & Conserui mei, & coheredes, & participes regni Dei cognoscite Dominum Iesum Christum, quantas virtutes, quanta prodigia, signa quoque, & charismata similiter doctrinam per me vobis praestiterit. Perseuerate in eius mandatis, me enim Dominus iam de hoc mundo vocare dignatur. Post haec iuxta altare iussit foueam fieri quadratam; terram eius foras Ecclesiam proijci. Et descendens in eam expandens manus suas ad Dominum dixit. Inuitatus ad Conuiuium tuum venio gratiàs agens, quia me dignatus es Domine Iesu Christe ad tuas epulas inuitare, sciens quod ex toto corde meo desiderabam te. Vidi faciem tuam, & quasi de sepultura suscitatus sum. Odor tuus concupiscentias in me excitauit aeternas. Vox tua plena suauitate mellistua, & allocutio tua incomparabilis eloquijs angelorum. Quoties te rogaui, vt ad te venirem & dixisti expecta, vt populum liberes creditum mihi, & custodisti corpus meum ab omni pollutione, & animam meam semper illuminasti, & non deseliquisti me cum irem in exilium, & redirem, & posuisti ori meo verbum veritatis tua commemorans me testimonia tuarum virtutum, & scripsi ea opera, quae audiui ex ore tuo auribus meis, & vidi oculis meis. Et nunc Domine commendo filios tuos, quos tibi Ecclesia tua virgo vera mater per aquam, & Spiritum Sanctum generauit. Suscipe me cum fratribus meis simul, cum quibus veniens inuitasti me. Aperi mihi pulsanti ianuam vitae, prin-

cipes

cipes tenebrarum non occurrant mihi, & pes superbiæ, & manus extranea ad te non tangat me. Sed suscipe me secundum verbum tuum, & perduc me ad conuiuium epularum tuarum, vbi epulantur tecum omnes amici tui. Tu es enim Christus filius Dei, cum Patre tuo, & cum Spiritu Sancto viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Cumq; omnis populus respondisset Amen. Lux tanta apparuit super Apostolum per vnam ferè horam, vt nullus eam sufferret aspectus. Postea verò inuenta est fouea illa plena, nihil aliud in se habens nisi manna; quam vsque hodie gignit locus ipse, & fiunt virtutes orationum eius meritis, cum omnibus infirmitatibus, & periculis liberantur omnes, & precum suarum consequuntur effectum. Amen.

In Melliti Episcopi Laodicensis de Ioanne Historiam Notæ.

PASSIO *S. Ioannis Euangelistæ.* Passionē hic titulum fecit, vel Mellitus, vel, vt magis credo, quisquis antiquū Hagiologium ad vsum Ecclesię concinnauit, non quòd re vera Ioannes Martyrio consummato occubuerit, sed quòd aliqua pro Christo passus, apud antiquos Patres inter Martyres numeretur. Calicem quidem Domini bibit, iuxta eiusdem seruatoris vaticinium, & Romæ in ardentis olei dolium potius pro Christo vitam effudisset, nisi eūdem Dominus ad vltiorem ætatem peruenire speciali gratia voluisset. De Romano hoc Ioannis agone meminit Tertullianus de præscript. Eusebius de præparat. Euang. lib. 3. c. 7. & D. Hieronymus ad Iouinianum. Expressè autem Martyrem Ioannem vocauit Polycrates supra adductus apud Eusebium lib. 3. c. 25. & de eo ita scripsit, *Qui denique Martyr, & doctor fuit.*

Mellitus seruus Christi Episcopus Laodiciæ &c. Laodicæa Cælæsiriæ Vrbs Ptolemeō apud Antoninum in Itinerario Laodiciæ nuncupatur, vti etiam apud D. Hieronymum in Chronico Eusebij ad annum 66.

De Leutio quondam &c. Leucius, Seleucius etiam alijs dictus, de grege Manichæorum fuit, quem Acta quędam Apostolorum corrupisse auctor est D. Augustinus de fide contra Manichæos cap. 38. Hos præcipuè Apocriphos hæreticos vocat Philastrius, quia Apocriphis vterentur. Præcipuè verò Acta Andreæ, & Ioannis Euangelistæ mendacijs respersa habuisse testatur de hær. cap. 40. Seleucium quoque Manichęi discipulum edidisse, magno Ecclesiæ damno, falsumquoddam Hebræorum Euangelium, asseritur in Epistola inter Hieronymi spuria ad Heliodorum, & Cromatium. Verùm Leucium non omnia Acta Apostolorum deturpasse habet Mellitus noster, sed Ioannis Euangelistæ, Andreæ, & Thomæ Apostolorum, & fortasse id significare voluit Eusebius lib. 3. c. 19. dum ab hæreticis circumferri refert suo tempore, quando iam Manichæi emersérant, Acta quædam *Andreæ, Ioannis, & aliorum nomine veteratoriè scripta.* Historiam Thomæ, cui magnum Manichæi pondus tribuebant, refellit D. Augustinus lib. 1. de serm. Dom. c. 38. & lib. contra Adamantium circa medium, & aduersum Faustum Manichæum lib. 22. c. 79. Leucium vocat discipulum Diaboli Gelasius in Decreto de libris Apocriphis, & scripta eius omnia proscribit. Ideo enim Apostolorum Acta fædasse existimandum est, vt male sanam suæ hæresis doctrinam insereret, quod Mellitus noster addidit.

Dixit enim docuisse eos duo principia &c. Hæresis Manichæorum de duobus principijs

boni, & mali habetur etiã apud Augustinum de hæres. 46. & alios Patres, qui de hæresibus scripserunt. Plura autem his consonantia habent inter Græcos recentiores, Leontius de sectis Act. 2. & Constantinus Harmenipolus pariter de sectis cap. 11.

Secundam post Neronem persecutionem &c. An Epheso ita relegatus fuerit Ioannes in Insulam Pathmos, vt priùs Romam, inde in exilium amandaretur, Mellitus nec negat, nec asserit. Quòd verò ante exilium Ioannes Ephesum incoluerit, consentit Eusebius in Chronico, qui in tandem Vrbem soluto exilio rediisse narrat, *vbi hospitiolum, & amicos amantissimos sui habebat*, veteris inquam incolatus apertissimos testes. Apocalipsim postremis Domitiani temporibus exulem in Insula Pathmos scripsisse, pluribus ex Irenæo, Tertulliano, & Eusebio ostendit Baronius, quamquam ex Hippolyto Martyre aduersus eandem Baronium docear Combefis, ibidem quoque Euangelium exarasse, quod tacet Mellitus. Huius historiam in hoc putat corrigendam Ioannes Hessels, quod non in secunda Domitiani persecutione, sed in prima Neronis Ioannes Apostolus fuerit relegatus, quia ita Tertullianus, & ex eo Hieronymus docuerint. Addit Hentenius, qui Arethæ Cappadociæ Episcopi commentaria in Apocalypsim vulgauit, eiusdem quoque sententiæ fuisse Eusebium, qui libro de demonstratione Euangelica scripserit non à Domitiano, sed à Nerone eodẽ tẽpore in Insulã pulsũ fuisse Ioannem, quo beatos Christi Apostolos Petrum, & Paulũ Romæ interemit, & quamquam in Chronico aliter idem Eusebius scripserit, eiusdem tamen historicis libris non tantam tribui authoritatem, quantam ijs, qui de Euangelica demonstratione inscribuntur, vt pote posteriùs, & emendatiùs elaboratis. Verùm etsi in vulgatis Tertulliani Codicibus, siue in libro de præscriptionibus, siue alibi nequaquam scriptum sit, vigente Neronis persecutione Ioannem in olei ardentem lebetem immissum, sed tantùm Romæ in oleum igneum demersum nihil passum esse, & in Insula relegatum, aliqua tamen Tertulliani volumina Neronis meminisse suspicari potest, cum non modo id Hesselius, & Hentenius constanter asserant, sed quod magis est, D. etiam Hieronymus contra Iouinianum id aliquando apud Tertullianum legisse profiteatur. Aretham hìc excipio, quem ex præfatione in Apocalypsim pro eadem sententia de Neroniano Ioannis exilio adducit oculatissimus alioquin Baronius; Nam præfatio illa interpretis est, non Arethæ, & tantùm abest, quòd Arethas sub Nerone id accidisse existimet, quin potius ad caput secundum, sub Domitiano exulem factum Ioannem Eusebij Pamphili authoritate confirmet. Verùm quæ ex Tertulliano de præscriptionibus, & Eusebio de Euangelica demonstratione deducunt, ideo Ioannem sub Nerone in Insulam exulasse, quia vterque post necem Petri, ac Pauli statim eius exilij, siue passionis meminerint, quasi sub Nerone non modò ille exulauerit, sed Romæ eodem tempore, quo Apostolorum principes passi sunt, in ignitum oleum demersus fuerit, & post eorum triũphum in Insulam deportatus, difficillimè à Tertulliano, & Eusebio extorquentur. Et quidem Tertullianus de præscr. c. 36. in eo positus, vt aduersus hæreticorum præscriptiones Apostolorum traditiones firmaret, Prouincias, & vrbes enumerans, vbi Apostolicæ cathedræ præfuissent, post Ephesum Romam profert, in quam tota Apostolorum doctrina eorum sanguine profusa fuerit, & eandem ita laudat. *Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes postea quam in oleum ignitum demersus nihil passus est in Insulam relegatur.* Nil hìc Tertullianus de Nerone, nil de tempore, sed passionem Ioannis ordine tantùm postremam enumerans, & post Petri, & Pauli agonem

iam

iàm quodammodo ad alia tempora,puta Domitiani,videtur deducere. Paria habet Euſebius,qui Apoſtolorum conſtantiam in promulgatione nouæ legis adducens,poſt enumeratam Stephani, Iacobi Zebedæi, & Iacobi fratris Domini necẽ addit 3.de demonſtr.Euang. c.7. *Petrus autem Romæ capite in terrã verſo cruci affigitur, Paulo verò caput abſcinditur, & Ioannes in Inſulam relegatur. Hique, cum talia paſſi eſſent,nullus reliquorum ab incepto deſtitit.* Error autem eorum, qui Ioannem ſub Nerone paſſum eſſe vſtionem, & exilium putauerunt ex corrupto prorſus D. Hieronymi codice emanauit aduerſus Iouin. lib.1.c.14. Nã re vera in aliquibus codicibus ſcriptum eſt. *Refert autẽ Tertullianus quod à Nerone miſſus in feruentis olei dolium purior, & vegetior exierit, quam intrauerit*, & ita habet editio Parmenſis anni 1480. At cum hæc pugnet cũ his,quæ paulo ante Sanctus Doctor ſcripſerat, Ioãnem Apocalypſim vidiſſe *in Pathmos inſula,in qua fuerat à Domitiano Principe ob Domini martyrium relegatus*, iure merito emendanda eſſe ad aliorum veterum codicum fidem monuit Victorinus, & loco verborum, *à Nerone miſſus in feruentis olei dolium*, reſtituenda hæc eſſe, *Romæ miſſus in feruentis olei dolium*, quæ optimè cum Tertulliano conſonant, & cum Mellito noſtro conueniunt.

Ecce tu veniſti, & te videre non potuit &c. Deficiunt hìc aliqua ex alio vetuſto Codice, & Orderico Vitali ita ſupplenda. *Tunc iuſſit feretrum deponi, & corpus eius reſolui iuſſit, dicens, Dominus Ieſus Chriſtus excitet te Druſiana.* Prodigium hoc excitatę Druſianæ (Druſinam legit Ordericus) etiam habetur apud Abdiam, ſed ibi impuri admiſcentur amores, & dum vxor leges matrimonij detrectans inducitur,Manichęorum dogma refricatur, vt hiſtoriam illam eſſe Leucij Manichęi, neque adhuc integrè à fæcibus purgatam ſuſpicari liceat. Ioannem Apoſtolum Epheſi hominem mortuum ſuſcitaſſe habet Euſebius ex Apollonio Eccleſiaſtico ſcriptore lib. 5. c. 17. quod repetit Sozomenus lib.7. c. 26.

Alia autem die Craton Phyloſophus &c. Hæc de lapidibus pretioſis confractis, ac reſtitutis, deque conuerſione Cratonis Phyloſophi, ac diſcipulorum hiſtoria eſt etiam apud Abdiam totidem ferè verbis, & hinc fortaſſe Apocripham eſſe putauit Baronius, & exploſit ad annum Chriſti 98. n. 19. tanquam ex Prochoro, vel alijs dubiæ fidei accepta. Innuitur tamen à S. Iſidoro, ſiue is Hiſpalenſis ſit, ſine iunior in lib. de vita, & morte Sanctorum noui Teſtamenti, & eiuſdem meminit Freculphus Lexouienſis T. 2. lib.2. cap. 9.

Mammona autem Dæmonis nomen eſt &c. Dæmonem hìc vocat Plutonem diuitiarum Idolum,in quo Dæmones habitare conſueuerunt; alioquin Mammona gentili Syrorum lingua diuitias, ſeu pecuniam ſignificat, vt explicat D.Hieronymus ep.22. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis c.14.

Cumque portaſſent coram illo tria corpora mortuorum &c. Quòd Chriſtus Dominus tres mortuos ſuſcitauerit, hoc eſt Archiſinagogi filiam, Viduæ filium, & Lazarum quatriduanum,notat præcipuè Ireneus lib.5.cap.13.ſed quod ad adſtruẽdam fidem parabolæ de diuite, & Lazaro ſtatim tria corpora mortuorum ad vitam reuocauerit, ex aliquo Euangelio Apocripho, aut apud antiquum aliquem ſcriptorem, qui non extet,legiſſe Mellitum exiſtimarem. Non tamen falſa proferre dicerem; non enim omnia Chriſti miracula in Euangelio contineri ſcimus, cum multa alia ſigna fecerit Ieſus (inquit S. Ioannes cap. 20.) in conſpectu diſcipulorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, & licet Pſeudo Abdias, qui eadem ferè habet,vnicum tantùm adoleſcentem ſuſcitatum narret à Chriſto Domino, non eſſet tamen in Mellito plurium etiam numerus exploendus, quando D.Auguſtinus ſerm. 44. de Verbis Domini, deſertis hiſce verbis affirmet, plures quam tres

mortuos in Euangelio memoratos, ad vitã Dominum reuocasse. *Tres autem mortuos inuenimus à Domino suscitatos visibiliter, milia inuisibiliter. Quot autem mortuos visibiles suscitauerit, quis nouit? Non enim omnia quæ fecit scripta sunt: Ioannes hoc dicet. Multa alia fecit Iesus, quæ si scripta essent, arbitror tamen totũ mundum non posse libros capere. Multi ergo sunt alibi sine dubio suscitati, sed non tres frustra commemorati.*

Cum autem omnis Ciuitas Ephesiorum &c. Apostolus Ioannes non modo Ecclesiam post Paulum gubernauit, *sed totas Asiæ fundauit, rexitque Ecclesias*, vt D. Hieronymus testis est cap. 20. de script. Ecclesiast. & iure merito Mellitus addit eundem omnes Asiæ prouincias excoluisse.

Omnia simul cum templo suo Idola corruerunt &c. Præcipuum Ephesini templi Idolum fuisse Dianam multimammiam, cui fanum, teste Hieronymo, dicatum erat, dubitari nequit. At plures alia Idola Dianæ ibi recondita fuisse testis est, Cæsar de bello Ciuili lib. 3. qui Scipionem narrat pecunias in templo antiquitus depositas, *cæteraque eiusdem Deæ statuas* inde tolli iussisse. Quòd vero simul cum Idolis fanum illud ad iussa Ioannis Apostoli corruerit, refert etiam Nicephorus lib. 2. cap. 42. Quod videtur pugnare cum eo, quod Trebellius Pollio sub duobus Gallienis refert, memorabile nempe templum illud à Seythis, seu Gothis eo tempore deuastatum, & incensum, argumento, quod adhuc integrum staret, sicuti sub Vespesiano, quo viuente Plinius scripsit. At Ioannem ex Mellito Ephesum redijsse post Domitianum, & deinceps hoc edidisse prodigium palam est, sicuti Plinij tempore iam septies dirutum, & restitutum fuerat, vt ipse testatur lib. 16. c. 40. ita in centum quinquaginta, & amplius annorum spatio, iterum redintegrari potuerat, vt sub Gallienis adhuc persisteret, & incendi, iterumque vastari posset.

Dabo tibi venenum bibere &c. Quòd D. Ioannes venenum innoxiè biberit, antiquam fuisse Ecclesiæ traditionem ex eo videtur conuinci, quod mos antiquissimus fuerit eundem pingere cum calice, & serpente. Isidorus equidem de Patribus noui Testamenti, non modo narrat, quòd Sanctus Ioannes lethiferum haustum bibens periculum euaserit, sed quòd per eiusdem venenati poculi vim prostratos ad vitam etiam reuocauerit, quod addit Mellitus, ad cuius historiam, vel hausti impunè veneni prodigium, absque dubio D. Augustinus collimauit in soliloquijs his verbis. *Pro tua dulcedine gustanda veneni poculum Ioannes potauit.* Accedat quod in antiquo rituali libro benedictio vini prostat in festo D. Ioannis ad venenum præcauendum; quæ non aliud significare videtur, quam Ioannem aliquando venenum innocuè hausisse, cuius meritis idem fideles consequi posse confidant. Mortiferum bibere, & non nocere inter signa credentium apud Marcum cap. vltimo recensetur, & ex Papia refert Eusebius, Barsabam cognomento Iustum impunè pariter bibisse venenum, Romæ in Ecclesia S. Ioannis ante Portam Latinam adhuc Calicem seruari, in quo Ephesi venenum Apostolo propinatum fuit, testis est Seueranus in monumentis septem Ecclesiarum Romanæ Vrbis p. 465.

Et fabricauerunt Basilicam &c. Quod hic Ioanni adhuc viuenti ex abundantia deuotionis Aristodemus, ac Proconsul Ecclesiam dicauerint, Petro etiam adhuc in carne commoranti eiusdem discipuli dicasse, alibi diximus ad vitam D. Paulini primi Lucensis Episcopi. Sacram hanc Ioannis ædem, quamuis Mellitus non distinguat, extra Ephesinam Vrbem fuisse ex D. Hieronymo patet, qui in lib. de Script. Eccles. sepultum refert Apostolum non in Epheso, sed propè. Cum verò in prologo ad ipsius Euangelium eum viuum descendisse dicatur in defossum sibi sepulcrum; iam illud sibi ante paratum supponitur, neque improbabiliter in Ecclesia illa, quam ab indigenis olim Ioanni Apostolo, & Theologo erectam ante

Ephe-

Epheſum in loco duro, & aſpero narrat Procopius lib. 5. de ædificijs Iuſtiniani circa initium, templum inquam exile planè, & anguſtum, quod diuturnitate temporum collapſum ſolo æquauit Iuſtinianus, vt ampliſſimum, & elegantiſſimum conſtrueret. Illud tamen quamquam breue, & exile in ſumma veneratione apud Epheſios fuiſſe, idem Procopius alibi in hiſtoria arcana teſtatum reliquit.

In qua ipſe S. Ioannes Aſſumptus eſt &c. Quod hic ſub Aſſumptionis nomine, & prorſus eadem voce, qua vtitur Martyrologium noſtrum, apertè dicit Mellitus de rediuiuo Ioanne, obſcuriùs in fine narrat. Poſtquam enim lucem Apoſtolo in ſepulcro iam poſito circumfulſiſſe ad horæ ſpatium refert, quid de Ioannis corpore euenerit neſcius addit. *Poſtea verò inuenta eſt fouea illa plena nihil aliud in ſe habens niſi Manna.* Antea verò Ioannem ipſum orantem induxerat Aſſumptionem ſuam ita præſagientem. *Vidi faciem tuam, & quaſi de ſepultura ſuſcitatus ſũ.*

Cum eſſet annorum nonaginta ſeptem &c. Cedrenus in Nerua ex Hippolyto refert Ioannem vita mortali exceſſiſſe annos natum centum, & ſex, ſed in eo, quod extat Hippolyti opuſculo à Combefis edito, nihil de ætate ſignatum inuenitur. Beda de ſex ætat. obijſſe diem ait, annum agentem nonageſimum octauum, & Vſuardus ad diem 27. Decembris nonageſimum nonum, ſicuti & Ordericus Vitalis, ex hac eadem Melliti hiſtoria. Sed ex antiquis Epiphanius nonaginta annos tranſcendiſſe tantùm habet, dum Euangelium annunciaſſe refert poſt reuerſionem à Pathmo *in ſenecta ipſius poſt nonaginta annos vitæ eius*. D. verò Hieronymus non annos vniuerſæ vitæ eius adnotauit, ſed tantùm poſt paſſionem Domini aduixiſſe ſexaginta ſeptem, vel ſexaginta octo annos refert, quod cum Mellito noſtro non pugnat, poterat enim ferè tricenarius in paſſione Domini ad Traianum vſque ætatem producere, neque annos nonaginta ſeptem, aut nouem excedere.

Dominica reſurrectionis mea die venies ad me &c. Hęc non ita intelligenda eſſe exiſtimarem, vt ipſa Paſchalis reſurrectionis Domini dies indicaretur. Nulla enim in noſtro, vel antiquo alio martyrologio ſignatur D. Ioannis memoria, quę Paſchali tempori aptari poſſit, ſed prorſus Dominica aliqua oſtenditur dies, in qua ex antiquo Eccleſiæ more, Sanctæ reſurrectionis celebraretur recordatio. Ita ex Ireneo in libro de Paſchate probat Iuſtinus martyr, ſeu potius vetuſtus aliquis ſcriptor Iuſtino recentior in reſponſione quæſtionis 115. ad Orthodoxos, cum ob Dominicæ Reſurrectionis memoriam, ieiunium, & genuum flexionem qualibet die Dominica vetari orthodoxis docet, quemadmodum etiam apud Tertullianum legitur de Cor. milit. cap. 4. Mellitum verò ita intelligi debere, quæ ſequuntur probant, cum ſine vlla Dominicæ reſurrectionis nota Ioannis Aſſumptionem his verbis narrare pergit. *Veniente itaque die Dominica conuenit vniuerſa multitudo &c.*

A primo pullorum cantu agens myſteria &c. Primis Eccleſiæ tęporibus Chriſtianorum myſteria noctu celebrari conſueuiſſe, idem Tertullianus eodem loco teſtis eſt, qui eadem myſteria vocat, *Euchariſtiæ Sacramentum antelucanis cœtibus*, & rurſus de nocturnis fidelium vigilijs ex Plinio meminit in Apologetico. Quod enim hora tertia Miſſam celebrari inſtitutum ſit à S. Theleſphoro Papa, vt aliqui exiſtimant, vix cum antiquis conſonat, & recentiorem inſtitutionem ſapere docti animaduertunt.

Fratres, & conſerui mei &c. Quantum diſtet, quæ ſequitur ad Deum oratio, ab illa, quam inducit Abdias vnuſquiſque Iudex eſſe poteſt, quod ea Leucium Manichęum omnino ſapiat, hæc catholicis auribus ſuauiſſimè inſonare poſſit. Quinimmo ex his, quæ apud Petrum Damiani Cardinalem ſerm. 2. de S. Ioan. Apoſtol. fragmentis Hiſtoriæ Ioannis leguntur, facile quiſque ſibi ſuadebit ex Mellito deſumpta

ptã esse, & verbis nonnihil in elegantiora mutatis à S. Doctore probatam. Subdere hìc autem pro Coronide libet S. Cardinalis argumentum, quo supra vsi sumus, scriptores nempe omnes, qui non inuentas Ioannis reliquias mirantur, pro eiusdem Assumptione interpretari debere, *Si enim* (inquit) *Beatissimi Virgines isti videlicet Ioannes, & Maria nullatenus surrexissent, cur in eorum tumulo sepultæ cadauera non iacerent, cum scilicet Beatorum Petri, & Pauli, cæterorumque Apostolorum, & Martyrum suis quique noscantur mausoleis tumulata.*

Si quis verò putauerit historiam hanc Apocripham esse, quia D. Augustinus tract. 124. in Ioannis cap. 21. defossionem sepulcri, viuente, ac præsente Ioanne, peractam in Apocriphis scripturis inueniri scripserit, animaduertat primùm, quod ex alijs causis Apocripha historia illa esse poterat, quam viderat D. Augustinus, nec ideo quicquid in ea contineretur Apocriphum statim esse, nam & in Prochoro, & in Abdia, qui à doctis reijciuntur, aliqua veritati consona etiam continere ijdem eruditi scriptores fatentur, deinde recogitet, quòd D. Hieronymus viuum Ioannem in Sepulcro descendisse, tamquam veritati accomodatum susceperit, ita vt ex hoc capite Melliti historia inter Apocripha reponi non debeat. Vtriusque autem Sancti Doctoris verba referre libet, nequis statim reijciendum Mellitum esse consentiat. Sanctus ergo Augustinus eorum refellens opinionem, qui pulueris ebullitionem è Ioannis sepulcro in argumentum, quod ipse sub terra cubaret, adducebant, hæc subdit. *Quem* (puta Ioannem) *tradunt etiam quod in quibusdam scripturis, quamuis Apocriphis reperitur, quando sibi fieri iussit sepulcrum incolumen fuisse præsentem, eoque effosso, ac diligentissimè præparato, ibi se tanquam in lectulo collocasse, statimque eum esse defunctum.* Non enim Sanctus Augustinus scripturam illam, quantumuis Apocripham existimaret, deridet, sed illos, qui putabant ex flatu non defuncti, sed dormientis puluerem impelli. Sanctus verò Hieronymus ex nostra, aut consimili historia, quam non Apocripham, sed sinceriorem putauit in suam præfationẽ ad Euangelium Ioannis, modum obdormitionis eiusdem transferens, his verbis non sibi displicuisse testatur. *Et hic est Ioannes, qui sciens superuenisse diem recessus sui conuocatis discipulis suis in Epheso per multa signorum experimenta promens Christum descẽdens in defossum sepulturæ suæ locum, facta oratione positus est ad Patres suos, tam extraneus à dolore mortis, quam à corruptione carnis inuenitur alienus*; Quod etiam repetit præfatione in Apocalipsim, quæ ambo cum D. Hieronymo passim in vulgatis Bibliorum editionibus ascribantur, & tam Euangelio, quam Apocalypsi præfixæ glosis etiam à non vulgaris notæ scriptoribus illustrentur, non est cur reijci facile debeant, siue Hieronymi re vera sint, siue alterius grauis, & magni ponderis in Ecclesia scriptoris.

Ignoscat autem mihi præcipua veneratione dilectum Domini discipulum recolenti humanissimus lector, si tam assertæ eiusdem Assumptioni, quam Melliti idem docentis historiæ, aliam hìc coronidem ex grauissimo scriptore attexere non erubescam, omnia enim, quæ tanti Apostoli decus augere quoquo modo possent, silere piaculum ducerem. Grauissimus profectò auctor est S. Ephræm Syrus non vtique Diaconus ille Edessanus vetustior, sed qui Theopolitanus Patriarca pro Chalcedonensi Concilio supra quartum sæculum pugnauit, ac plura apud Photium in compendium redacta scripsit, & præcipuè librum de Sacris Antiochiæ legibus reliquit. In hoc opere oratione secunda explicans verba illa ad Corinthios. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem*, non modo Ioannis immortalitatem, seu potius Assumptionem profitetur, sed argumenta eorum neruosè diluit, qui vel ex Euangelio ipsius Ioannis, vel Eusebio, alijsque mortuum, vt cæteros homines esse scripserunt, & insuper cum Mellito in sepulturæ modo, ac prodigijs

digijs maximopere consentit. Verba quamquam longiora ex Andreæ Schoti interpretatione adducere libet, vt apud Photium prostant in Bibliotheca n. 229. *Testatur id Enoch, Elias, & Ioannes tonitrui filius, adhuc in corpore agentes. Hos enim vt initia totius conditionis nostræ conditor arripiens omnibus ostendit, vt nisi Adam peccauisset adhuc viueret, nisi quod longam vitam agentes gustant aliquando mortem etiam si in momento oculi. Vide eorum fidem vt è tribus generationibus adducantur, ante legem latam fuit Enoch, post legem Elias, tempore verò Dei discipulorum. Quare si Adam non peccasset, cum his incorruptibilis vixisset, virginem autem Ioannem sic superesse, vt postulasti, vt Enoch, & Eliam traditione habemus, & quod in Euangelio habetur in hunc sensum trahitur. Dixit Christus qua morte esset moriturus Petrus, & interrogans his auditis de Ioanne Euangelista: Patet itaque hunc nihil aliud, quam de morte illius quæsisse. Hic autem quid? Nihil aliud de ipso ex Saluatore audiuit, alio responsionem detorsit, tanquam despiciens, & nihili eum faciens doctoris de ipso prophetiam, & Petri interrogatione de morte interrogantis, an Ioannes esset moriturus, & respondente Domino, si eum volo manere donec veniam quid ad te? Quomodo non illum mansurum in hunc vsque diem veritas prædicit. Quamobrem B. Cyrillus illud sequere me, de morte Petri dixisse Christum accipit: Illud autem exiuit sermo inter fratres, quia discipulus ipse non moritur, & quæ sequuntur, non modò nihil pugnat, sed & consonat: non enim quis immortalem dixerit, sed manere eum Enoch, & Elia, vsque ad secundum Domini aduentum, quod & Discipulus iste confirmat. Et non dixit ei Iesus non moritur, sed si eum volo manere donec veniam quid ad te? Et apparet quod immortalem esse negauit, manere verò donec veniat confirmauit. Si verò Eusebius Ecclesiasticæ scriptor historiæ, & tempora, quibus vixit, numerauit, ad vsque Traiani tempora peruenit, nihil prohibet etiam si dicat. Hæc vnusquisque mente percipiat, tanquam tempora Enoch ostendat, & quot annos vixerit sacra literæ clarè ostendunt. Sed non propterea quis iustus translationem cum corpore inficiabitur. Huic sententiæ consentiunt actiones dilecti Ioannis, & vita, quas pauci narrant. Cùm in aliquo loco, vt aiunt, illius monitu positus esset, quæsitus mox inuentus non est, sed diffundens sanctimoniam è loco, quo breui tempore continebatur, à quo tanquam sanctitatis fonte Sacrum vnguentum hausimus.*

Ex his omnibus patere arbitror Ioannis Apostoli Assumptionem in nostro Martyrologio signatam, inter noua, vel Apocripha reijciendam non esse, & ex tam multis doctis, vetustisque scriptoribus, pijssimæ assertioni non leue pondus inesse, & cui inter Sanctos viros recentiores assensum præbeant, D. Thomas in 4. dist. 43. art. 3. q. 1. in 2. art. & in opusc. de Symbolo Apostolorum art. 3. & lect. 5. in cap. 21. Ioann. S. Vincentius Ferrerius in serm. de S. Ioanne. S. Thomas Villanouanus in concione de S. Ioanne. Albertus Magnus in festo S. Ioannis q. 2. cum alijs pluribus.

Eadem

Eadem die VI. Kal. Ianuarij

Ordinatio Sancti Iacobi Apostoli.

EADEM hìc esse puto ordinationem, ac Cathedrę festum alibì nuncupatum, vel natalem Episcopi, vt vocat Sanctus Ambrosius, & passim in Martyrologijs legitur. Celebris adeò fuit apud antiquos Iacobi cognomento Iusti, siuè fratris Domini in Episcopum Hierosolymitanum ab Apostolis ordinatio, vt præcipuè Festiuitatis nota signaretur, etiam in Occidentali Ecclesia. Ad Orientalem celebritatem videtur D. Ioannes Chrysostomus respicere, dum hom. de duodecim Apostolis inquit. *Iacobi Cathedram Iudea honorat.* Ab hac eadem die non longè, Dominica scilicet ante, vel post Christi natalem Græci memoriam Iacobi venerabantur vna cum Dauide Rege, ac Iosephi Domini nutricio. Ex veteri pariter instituto hanc eandem Iacobi ordinationem ab Ecclesia Mediolanensi celebrari notat Galesinus ex antiquissimis illius Ecclesiæ Breuiarijs, non quidem 6. sed 4. kal. Ianuarij ob aliorum scilicet Sanctorum festiua solemnia, quæ Ambrosiano ritu in eadem die coincidebant; 6. tamen Kal. Ianuarij in Carthusiano Colonienſi codice signatam vidit ad Adonem Mosander his verbis. *Item ipsa die ordinatio Sancti Iacobi fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Iudæis Hierosolymis est ordinatus Episcopus, & in medio Paschæ martyrio coronatus.* Indiculus verò Bollandi ad hanc diem non ordinationem, sed natalem Sancti Iacobi fratris Domini signat æque, ac Ioannis Euangelistæ, facile quia natalem vsurpauit pro festo die ingressus ad Episcopalem Cathedram, vt Ecclesiastici aliqui scriptores vocare consueuerũt, & hãc ipsam diem Ioanni Apostolo dicatam Ephesini Episcopatus ordinationem existimarunt, eo magis, quòd statim addidere, 8. Kal. Iulij Natalis dormitionis Sancti Ioannis Euangelistæ in Epheso. Vtcumque sit, non alij, quam Iacobo Domini fratri ascribendam putaui, cum eundem ordinatum præcipuum Episcopum ex Hegesippo, & Clemẽte Alexandrino apud Eusebium, & D. Hieronymum manifestè appareat, qui tanti viri laudes, ac Martyrium prosequuntur. Euodius antiquissimus apud Nicephorum, in Epistola lumen vocata, scriptum reliquit, quòd in domo Ioannis Euangelistæ *Iacobum Iustum primum Hierosolymorum Episcopum Apostoli suffragys suis designarunt.* Clemens verò Alexandrinus, Petrum, Iacobum, & Ioannem, post seruatoris ad Cœlos ascensum, cum essent à Domino summum dignitatis gradum adepti non de gloria, & honore contendisse, sed vno consensu Iacobum Iustum Hierosolymorum Episcopum designasse, quod D. Hieronymus confirmat in Catalogo. *Statim post passionem Domini Hierosolymorum Episcopus ab Apostolis ordinatus.* Chrysostomus Petrum habet Apostolorum Ducem sedem Hierosolymis Iacobo tribuisse his verbis. *Quod si quis percontaret quomodo igitur Iacobus sedem Hierosolymis acceperit, responderem hunc Petrum totius Orbis Magistrum præposuisse*; sunt tamen, qui à Domino immediatè Episcopale munus suscepisse velint. Ita Clemens Romanus quisquis ille fuerit lib. 8. Constit. Apostolicarum inquit. *Ab ipso Domino, & ab Apostolis creatus*, ita & Gregorius Turonensis ab ipso Domino nostro Iesu Christo Episcopum ordinatum fuisse testatur, sed præcipuè vetustior, & maioris ponderis in historia Eusebius lib. 7. cap. 14. Iacobum dicit *à Seruatore, & cæteris eius Apostolis* in Episcopum

copum delectum in ea fortasse Domini apparitione, quam describit ex Euangelio Hæbreorum Sanctus Hieronymus, vel in ea, cuius seiunctim D.Paulus meminit, vt supra in Iacobo diximus, & adnotamus vj. Cal. Ianuarij. Quamquam verò extra numerum duodenarium Apostolorum Iacobus Episcopus esset, non tamen inter Apostolos minoris famę numerabatur. Nam Hegesippus memoriæ prodidit, Ecclesię administrationem vnam cum Apostolis suscepisse. Clemens verò Alexandrinus apud Eusebium auctor est lib. 7. Hypotyposeon, *quod Iacobo Iusto, Ioanni, & Petro Dominus post Ascensionem suam singularem quandam impertijt cognitionem, quam illi reliquis Apostolis tradiderunt, reliqui autem Apostoli septuaginta Discipulis*, sed quod maius est, D.Paulus eundem Ecclesiæ columnam appellare non dubitauit. Ab eius laudibus tanquam apud Eusebiũ, ac Hieronymum decantatis supersedimus, hoc tantùm adnotasse contenti, quod non modo ab Ecclesia ipsius in Episcopum ordinatio, siue spiritualis ipsius cathedra, sed etiam materialis, magna veneratione prosequebatur, quod ita pariter testatum reliquit Eusebius Hist. lib. 7. c. 14. *Iacobi Apostoli cathedram, qui primus erat ad Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum à Seruatore, & cæteris eius Apostolis delectus, quemque fratrem Christi nuncupatum Diuina perhibent eloquia, ad istud tempus seruatam, Episcopi, qui illic ordine successerunt, pro magno æstimãt.* Ita de Marci Euangelistæ cathedra Alexandriæ obseruatum adducimus ad diem 23. Septembris, sed de omnium ferè Apostolorum sedilibus idem etiam testatur Tertullianus de Præscript. cap. 36. & contra Rigaltium rectè animaduertit eruditissimus Valesius ad Eusebium p. 318. Adolescentem in Dominicæ Passionis tempore fuisse Iacobum, sunt qui putent apud Eliam Cretensem in orat. xj. Nanzianzeni aduersus Arianos, quòd illum eundem existiment, qui relicta Sindone nudus à militibus aufugit. At cum Ioannem eundem potius putent plures, ac grauiores scriptores, & Iacobus ab Apostolis, vel à Christo Domino Episcopus Hierosolymitanus statim post Passionem fuerit ordinatus, tantisque virtutibus præditus, quantis illi tribuit Hegesippus, prouectæ potius ętatis virum à scriptoribus, quàm adolescentem pingi existimarem. Huic sententiæ consonat Ioannes Archiepiscopus Nicenus de Festo die Natali, dum Iacobum Domini fratrem natu maiorem designat, vt pote, *qui venerat Bethleem cum in ea Dominus natus est*.

XII. * . . . Ianuarij

* Kalend.

Natalis Sancti Thomæ Apostoli.

SVPPLENDVM esse incuriosi librarij vitium, appositis Kalendarum nota, ita apertum est, vt rationem reddere non expediat. Translationis tamen festum hunc diem fuisse, quæ diffusius infra in Martyrologio signantur, planè ita demonstrant. XII. Kal. Ianuarij. *In Mesopotamia Ciuitate Edessa translatio corporis Sancti Thomæ Apostoli, qui translatus est ex India.* Noticia verò apud Bollandum eadem die passum in India esse ita Thomam docet. *XII. Kal. Ianuarij Sancti Thomæ Apostoli in India*, & seiunctim V. kal. Iulij celebrandam esse translationem, *& translatio corporis eius in Edessa V. Kal. Iulij*, qua etiam die ita translatum repetit Martyrologium nostrum, *In edessa Mesopotamia*

translatio corporis Sancti Thomæ Apostoli, qui passus est in India, & iterum V. kal. Ianuarij, *& in Edessa translatio Sancti Corporis Thomæ Apostoli*. Cum Noticia Bollandi conuenit Romanum Martyrologium, quod Passionem recolit die 21. Decembris, translationem verò die 3. Iulij. Cum eodem consentiunt Beda, Vsuardus, Ado, & antiquum Fronti kalendarium; Nostrum verò Hagiologium, seu Passionale præter antedictas translationes Natalem Sancti Thomæ Apostoli signat 3. Nonas Iunij, & depositionem V. Idus Februarij, in quarum dierum alterutra, si ea vera essent, Passio eius foret celebranda. Quinto mense festum peragi in India testatur Gregorius Turonensis, vbi ad sepulcrum Thomæ prodigia quædam prosequitur. Verùm ex Eusebio supra monuimus apostolorum quorumcunque acta incerta esse, & ex ipsis antiquioribus sæculis ab Hæreticis deprauata. Thomas Discipulus Manichæi præter Leucium, siuè Lucium, de quo supra egimus, non dum silentibus Ecclesiæ persecutionibus acta Sancti Thomæ deturpauit, & vt magis confunderet, ille fuit, qui à Manete Pseudo-Apostolus ad Indiam peruersis dogmatibus inficiendam missus est. Nil tamen certius apud Sanctos Patres inuenio, quam D. Thomam Indis Euangelium vulgasse. Thomæ Indiam in sortem prædicationis ascribit Nanzianzenus oratione xi. aduersus Arianos. *Thomæ India patuit*, inquit Ambrosius in ps. 45. *Cum Thoma in India* Christus Dominus erat Hieronymo epist. 148. & apud Indos consummasse Martyrium habet S. Gaudentius Brixiensis in serm. de dedicatione Ecclesiæ, si tamen eiusdem genuinus est. Ita, & Menologium Basilij Imperatoris ad pridie Non. Octobris Sancti Thomę agonem interprete Petro Archudio recenset. *Post Domini Iesu Christi Assumptionem cum Apostolorum singuli in eam, quæ sorte venerat, regionem profecti docerent, obtigit & Thomæ Indorum regio, vbi Christum prædicans cum ad fidem Regis vxorem, & filium conuertisset, defertur ad regem, qui Thomam in carcerem cum alijs vinctis iussit detrudi, corruptis autem pecunia militibus Regis filius cum Matre, atque alijs non paucis, carcerem ingressi baptizati sunt. Cum autem idoneum tempus visum est, lecti fuere ex his Presbyteri, & Diaconi, quos vbi resciuit Rex in Christi nomine docere, iratus eductum de carcere Apostolum, & militibus traditum iussit occidi, quem abductum in montem lancea transuerberarunt.* Pressius tamen in Vrbe Calamina Indiæ triumphasse, ita habet Hippolytus. *Abietina lancea quatuor sui corporis partibus confossus est Calaminæ, quæ Vrbs est Indiæ, ibique sepelitur.* Anonymus item apud Oecumenium. *Thomas Apostolus veluti maiorum traditio complectitur, Parthis, ac Medis, Persis, & Germanis, Hircanis, & Bactris Christi prædicauit Euangelium. Obdormiuit autem Ciuitate Calamina Indiæ.* Ridiculum est, quod aliqui Calaminam inde dictam asserunt, quòd calamo D. Thomas confossus si, ex Apocripho Dorotheo fortasse extorquentes, dum ait, *Obdormiuit autem Calaminæ Ciuitate Indiæ, calamo, quam lanceam vocant occisus, vbi & honorificè sepultus.* Hagiologium penes me vetustius, non lanceis transfossum, sed ab Idolorum Pontifice in Solis delubro gladio transfossum habet XII. kal. Ianuarias. At quia in pluribus cum fabuloso Abdia consentit, & ab Ecclesia dissentit, quæ Calaminæ telis confossum, ac martyrio coronatum legit, illud hìc exhibere tanquã Apocriphum præter missi. Quòd autem cum Hippolyto, & Anonymo etiam Ecclesia doceat D. Thomam post acceptum spiritum Sanctum in multas Prouincias profectum, Parthis, Medis, Persis, Hircanis, & Bactris Christianæ Fidei, & vitæ præcepta tradidisse, & cum adductis Patribus Indiam non recenseat pugnare non existimo; Nam antiqui Patres sub Indiæ nomine, non Regionem, quæ propriè India diceretur, sed quoscumque longinquos

populos

populos præcipuè Æthiopes, Parthoſque conterminos, Indos vocare conſueuerunt, vt ad Epiphanium adnotauit etiam Petauius; vndè ad Parthos præcipuè miſſum D. Thomam habet Origines lib. 3. in Gen. apud Euſebium lib. 3. cap. 1., ſicuti, & Rufinus, & Theodoretus plures gentes enumerant, quibus Euangelij lumen attulerit. Chryſoſtomus Æthiopes habet, & homil. in Sanctos duodecim Apoſtolos inquit. *Thomas baptiſmate Æthiopes dealbat*; Perſidem Chriſto à Thoma ſubiectam canit Fortunatus carm. 1. lib. 5.

Bellica Perſidis Thoma ſubiecta vigori,
Fortior efficitur victa Tiara Deo.

Sophronius, aut quiſquis è Græcis Elogia quædam ad Hieronymum addidit, præter gentes, quas Anonymus apud Oecumenium habet, Parthos, Medos, Perſas, Germanos, Hircanos, & Bactros, Magis etiã prædicaſſe habet, putatq; Baronius doctiſſimus ad ann. 49. num. 33. Sophronium in eundem errorem, ſeu fabulam lapſum eſſe, cum Auctore operis imperfecti ſub Chryſoſtomi nomine hom. 2. in Matth., vt S. Thomas tres illos Magos, qui Chriſtum in Præſepe venerati ſunt, Baptiſmo initiatos ſecum duxerit in Euangelicam meſſem. At Magi, ſeu, vt Anonymus habet Margi, Populi ſunt Mediæ apud Stephanum de Vrbibus, & Herodotum in Clio, & manifeſtè ibi Sophronius, non de tribus Magis, ſed de Populo aliquo loquitur. Ab his, qui præter Indos alias gentes numerant ſub generali nomine multarum Prouinciarum non abhorret Eccleſia, & ſub vniuerſali Barbarorum nomine collegit etiam Chryſoſtomus, dum inquit, *Barbari Thomam honore afficiunt*, Menologium verò Græcorum Sirleti ad diem 6. Octobris hęc habet *Natalis Sancti glorioſi Apoſtoli Thomæ. Hic cum Medis, Parthis, Perſis, & Indis Dei Verbum prædicaſſet in cuſtodiam injicitur à Rege Smidæ, propterea quòd eius opera crediderant, & baptizati fuerant Vazanes filius, & vxor nomine Tertia, & Migdonia, & Narie. Quapropter quinque militibus traditur, qui ad montem quendam ductum vulneranerunt.* Obſcurum autem eſt, quomodo ad Vrbem Syriæ, ſiue Meſopotamiæ Edeſſam ex India corpus tranſlatum ſit. Raptum à quibuſdam de fratribus, vel eodem Martyrij tempore, vel paulo poſt habet Abdias, veriſimilia tamen magis M. S. noſtrum Hagiologium, nempè Edeſſanos ab Imperatore Alexandro conciuis ſui Thomę ſacrum pignus ab Indorum Regulis obtinuiſſe, ex quo, vel conſimili fonte exiſtimarem hauſiſſe Galeſinum ad V. kal. Februarij, dum Thomam in Vrbe Edeſſa natum affirmat, equidem Edeſſæ antiquitùs D. Thomę ſepulcrum, tanta veneratione proſequebantur, quanta Romæ Petri, & Pauli recolebantur trophęa. Loci Sanctitatem celebrarunt Chryſoſtomus, Ruffinus, Sozomenus, & Socrates. Hinc fortaſſe, vt plures teſti dies in peregrinorum commodum iterarentur, præter verum Paſſionis diem plura etiam tranſlationis ſolemnia addi potuerunt, vt puta quando Calamina Edeſſam Sacrum Corpus tranſpoſitum eſt, & quando à minori Templo in ornatiſſimum, totoque Orbe celeberrimum repoſitum fuit. De tranſlatione illa hìc agi, quando vaſtata Edeſſa Chium, & indè Ortonam ſacra Lypſana delata fuerunt, nequaquam exiſtimarem, quamquam eius meminerit Romanum Martyrologium; ſunt enim recentiora hęc, quàm in vetuſtiori Sanctorum Nomenclatore adnotari potuerint. Equidem ſi qua fides Hagiologij mei, iam dictę m. ſ. narrationi præſtanda eſſet, inter D. Thomę natales adnotari potius potuiſſet Epiſcopalis per eundem Apoſtolum ſedis erectio in Ciuitate Mandropoli, quæ Geographis Phrygię eſt, & in qua, dum præter nauigaret ad Indos, plures per Baptiſmum filios genuiſſe narratur. Integram hìc exhibere hiſtoriam non libuit, quòd in pluribus cum Abdia coincidat, & nonnulla in coniugij deteſtationem contineat,

neat, quæ Manichęi errores adhuc redolent. Quia tamen posſunt inter Apocripha etiam ſinceriora latere, quęcumque ad Mandrinopolis Sedem, & translationem ex India Edeſsam ſpectare vidi, & alibi obſeruare non licuit, ad calcem notationis apponere placuit, dum interim animaduertere neceſse eſt, quocumque modo Edeſsam ex Indis S. Thomę corpus tranſlatum fuerit, ipſius tantùm portionem fuiſſe, cum Maffeus lib.8. & alij in hiſtorijs Indicis teſtes ſint, in diruta Vrbe Calamina, ſeu incolarum lingua Meliapor in Coramandelio regno ſub Ioanne Tertio Rege Luſitanię, Sancti Thomę corpus inuentum cum lanceę cuſpide, Viatoris baculi portione, & Vaſe fictili, idemq; biennio poſt Goam in D. Tomę Templum fuiſse tranſlatum. Si quis autem, quę ibi de Actis Sancti Thomæ ex Indorum traditione narrantur, ſcire cupiat, adeat Maffei librum ſecundum, & duodecimum, vbi miraculo confirmatum inueniet diem Thomę Sacrum, quem Occidentalis Eccleſia in eiuſdem memoriam conſecrauit, nempè XII. kal. Ianuarij. In Ciuitate Malipurem paſsum eſse D. Thomam habet Oſorius lib. 3. Hiſt. vbi de prodigioſo Crucis ſigno, dum haſta transfigebatur, eius cruore formato meminit, verbiſq; antiquioribus in eo impreſſis refert per compendia D. Thomæ vitã eiuſque ſub Segamo Rege Paſſionẽ contineri. In Inſula Paliacatte, quæ in magno Regno Coromandel computatur, Vrbem vetuſtam eſſe, ſed dirutam, vbi Corpus D. Thomæ à Chriſtianis Iacobitis ſub cuſtodia conſeruetur, narrat Theuetus Coſm. lib. xj. & ex vetuſto lapide apud Sinenſes, atque Breuiario codice Chaldaico, quæcumque D. Thomas apud Indos, Ethiopes, & Perſas pro fide egerit contineri teſtantur Semedus, & Trigaultius nuperi rerum Sinenſium ſcriptores, & Martinus Martinius adhuc viuens, ac iterum ex Europa in Regnũ Sinarum redux meminit in Atlante Sinenſi apud Blauium T. 6.

Igitur quæ in antiquo noſtro Codice de Mandrinopolitanę Catedræ per D. Thomam erectione proſtãt hæc ſunt. Andrinopolim legit Ordericus Vitalis lib. 2. Hiſt. Eccl. *Poſt ſeptimum diem quo Cæſarea Paleſtina ſoluit, cum præpoſito familiæ Regis Indorum nomine Abbanes tenuerunt ambo Ciuitatem Mandropolim, vbi Rex Ciuitatis nuptias filiæ celebraret, in quarum conuiuio in Cælum fixis oculis orans à Pincerna increpatus, & alapa percuſſus Apoſtolus miraculo allatæ per eandem percuſſoris manus agnitus, ab Hebræa puella coactus eſt benedicere filiæ Regis, eiuſque ſponſo, qui ambo per benedictionem fidei Chriſtianæ etiã agnitionem acquirentes ſacro Baptiſmate meruerunt ab Apoſtolo perfundi, qui inde ſoluit in Indiam.* His ita diffuſiùs narratis, & interpoſitis prodigijs de Mandropolis Epiſcopali ſede ſequentia ſubdit.

Poſt non multum verò temporis miſit (Thomas ſcilicet) *vnum ex diſcipulis ſuis, quem Presbiterum ordinans, ita conſtituit, vt in eadem Ciuitate conſiſtens ordinaret Eccleſiam. In qua multus eſt Deo populus acquiſitus, & eſt ibi ſedes S. Thomæ Apoſtoli vſque in hodiernum diem. Ipſe autem Dionyſius nomine Epiſcopus factus eſt, ſponſamque ſuam Pelagiam nomine conſecrauit, quæ poſt obitum eius duplex martyrium tenuit, vnum quia habere contempſit, alterum quia ſacrificare Idolis noluit, atque his duabus ex cauſis ſententiam decollationis accepit, & ſuper eius tumulum Græcis ſermonibus, & literis ita ſcriptum eſt. In hoc tumulo requieſcit ſponſa Dionyſij Epiſcopi filia S. Thomæ Apoſtoli.*

De martyrio verò eiuſdem Apoſtoli narrat, eum Indiam ſuperiorem ſupergreſſum prodigiorum frequentia, ac prædicationis efficacia plures Domino acquiſiuiſſe, inter quos Treptiam vxorem Regis Aſmedei ad fidem conuertit, vnde iram Regis incurrit. Coniectus proinde in vincula, ac ſuper ignitas lances progredi coactus, tandem ad templum Solis, vt adoraret, iuſſu Regis perducitur, ſed ad nu-

tum

tum Apoſtoli, colliquato per Dæmonem ſimulacro, Pontificum iras, & Apoſtoli palmam non minus, ac Edeſſanam tranſlationem, his verbis ab Abdia diuerſus depingit.

Dicit ei Rex, modo te faciam interficere ſi non adoraueris, & ſacrificaueris Deo Soli. Dixit ei Apoſtolus. Ecce adoro, ſed non Idolum, & adoro, ſed non ſimulacrum. Adoro autem Dominum meum Ieſum Chriſtum in cuius nomine impero tibi Dæmon, qui in iſto ſimulacro lates, vt nullum hominum ladas, metallum ſimulacri comminuas. Statim autem quaſi cera iuxta ignem poſita liquefactum Idolum reſolutum eſt. Tunc omnes Sacerdotes mugitum leuauerunt. Pontifex autem templi eleuans gladium tranſuerberabit Apoſtolum dicens, ego autem vindico iniurias Domini mei. Rex autem cum Caritio ..... facta eſt autem diſſenſio, maior enim pars populi pro Apoſtolo clamabat, ita vt ipſum Pontificem, qui eum percuſſerat quæreret, vt viuus incenderetur. Corpus autem Apoſtoli cum honore Apoſtolico, cum laudibus, & hymnis tranſtulerunt de Eccleſia condientes aromatibus pretioſis, & fiebant ſigna magna, & prodigia in loco vbi poſitus erat. Nam & Dæmonioſi liberantur, & omnes ægritudines curabantur. Denique ſupplicantes Syri Alexandro Imperatori Romano venienti victori de Perſidis prælio à Xerſe Rege denicto impetrarunt hoc, vt mitteret ad Regulos Indorum vt redderent defunctum Ciuibus. Sicque factum eſt, vt tranſlatum eſſet de India corpus Apoſtoli, & poſitum in Ciuitate Edeſſa in loculo argenteo, quod pendet ex catenis argenteis, in qua Ciuitate nullus hæreticus poteſt viuere, nullus Iudæus, nullus Idolorum cultor. Sed nec Barbari aliquando eam inuadere potuerunt orationibus Sancti Thomæ Apoſtoli, ſiue Didimi, qui latus Domini palpans dixit. Tu es Deus meus, & Dominus meus cui &c. Martyrizatus eſt autem B. Thomas Apoſtolus in India prouincia xij. Kal. Ianuarias, Regnante vero Domino noſtro, &c.

Hæc ad annum Chriſti 236. n. v. ſe vidiſſe fatetur Baronius, ſed quòd abſque antiquorum teſtimonio tradita putauerit, non magni fecit. Noſtrum equidem Hagiologium ante quingentos annos ſcriptum eſſe characteris inſpectione tantùm affirmare cuique licebit. Alexander profectò in Chriſtianos iniquo animo non fuit, vt ex Lampridio colligitur, & in pluribus etiam fauit. Oſrhoenos verò, ſiue Edeſſenos illi ingentem ſagittariorum vim contra Germanos dediſſe tradit Herodianus lib. 6. p. 584. vt de illis facile benemereri poſſet, cum præſertim de Artaxerſe Perſarum Rege victor, & triumphans Romam rediret, vt auctor eſt Lampridius, quamquam Herodianus Alexandrum de Perſarum Bello, non niſi ignominiosè reducem narret. Quæ tamen in fragmento hiſtoriæ relato narrãtur de Artaxerſe, & Perſarum Victore Alexandro, cum Lampridio alijſque hiſtoricis non pugnãt, vt hinc falſi redargui facile non poſſint. Thomam Apoſtolum dictum fuiſſe Dydimum, Lebæum, ſiue Corculum apertè conſtat ex Euangelica hiſtoria. An verò Iudas dictus fuerit, vt ex Edeſſeno fragmento habet Euſebius lib. 1. Hiſt. c. 13. ea videnda ſunt, quæ infra in exercitatione de Iuda Zelo te Apoſtolo adducimus.

Kal.

Kal. Madij

Natalis Philippi, & Iacobi Apostoli.

NDICVLVS, seu Noticia Apostolorum apud Bollandum cum Iacobi fileat memoriam, de Philippo agit. *Kal. Maij Natalis S. Philippi Apostoli, in Ciuitate Hierapoli Prouinciæ Asiæ.* Librarij vitium, qui nostrum Martyrologium descripsit, hìc fateri expedit, quòd contra omnium fidem non in Asia, sed in Africa, & Hierapoli, quæ Ciuitas Asiæ est, passum esse Philippum bis repetat, & in Elécho *Kal. Maij. In Africa Ierapoli, natalis S. Philippi Apostoli, & in laterculo Kal. Maij In Africa Ierapoli Sanctorum Philippi, & Iacobi.* At excusari facilè posset à lapsu, breuiori enim charactere, dum scriptum inuenit in A'S quod in Asia significat, legit in AF, quod in Africa vertit. Maioris ponderis vtique est, quod antiquissimi Scriptores Philippum ex duodecim Apostolis cum eo, qui vnus ex Septem Diaconis fuit, manifestè confundant, quod non video animaduertisse Baronium oculatissimum, qui mirè de filiabus Philippi inter incerta fluctuat ad annum 58. vbi variam inter Polycratem, & Hieronymum discrepantiam notat, deceptus versione Christophorsoni, qui Ruffinum sequutus est. At si Polycrati sua restituantur, omnia in ordinem redigentur, Polycrates equidem antiquissimus in allato iam Epistolæ fragmento apud Eusebium in versione Christoforsoni, ita habet, tum lib. 3. cap. 25. tùm lib. 5. cap. 23. *Philippum dico vnum ex septem Diaconis, qui Hieropoli extremum vitæ diem obijt, & duas illius filias, quæ Virgines in extrema senectute occubuerunt, quarum altera vitam Spiritus Sancti afflatu piè, sanctèque institutam degens Ephesi mortem obijt.* Hìc nimia licentia Christophorsonus in Græco contextu Polycratis sensum immutauit, non enim ex septem Diaconis, sed vtrobiq; *tòn dodeca Apostolòn*, hoc est ex duodecim Apostolis legit, vt Suffredus Petrus etiam in adnotationibus fatetur, & nuper etiam animaduertit Valesius in adnotat: ad librum 3. cap. 31. quinimò, & retinet constantissimè Nicephorus lib. 4. cap. 37. siue eius interpres his verbis: *Philippus videlicet ex duodecim Apostolis vnus, qui Hierapoli obdormiuit; duæque filiæ eius ad decrepitam vsque ætatem Virgines, & alia præterea filia eius in Spiritu Sancto, cursu vitæ absoluto Ephesi quieuit.* Idem confirmat D. Hieronymus in Polycrate, dum eiusdem epistolæ fragmentum ita latinum trãstulit: *Philippum loquor de duodecim Apostolis, qui dormiuit Hierapolis, & duas filias eius, quæ Virgines senuerunt, & alii eius filiam quæ Spiritu Sancto plena in Epheso occubuit.* Et quamquam contra Iouinianum non videatur concedere præter Petrum, alium fuisse vxoratum Apostolum, eo quod, *cum de vno scriptum sit, ac de cæteris tacitum intelligere debemus, sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale scriptum significet.* Non tamen id absolutè negauit vxorem aliquos ante Apostolatum duxisse, qui postea in Apostolicum officium segregati coniugale munus reliquerint. De pluribus equidem Apostolis coniugatis meminisse videtur S. Ignatius Martyr in Epistola ad Philadelphienses, *qui Petrum, & Paulum, alios que Apostolos nuptijs operam dedisse docuit*, sicuti expresè de Philippo meminit Polycrates, cuius Epistolæ fragmentum pluries apud Nicephorum repetitum semper Philippum *ex duodecim vnum* constantissimè legit. Ita & Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, & apud Eusebiũ lib. 3. cap. 24. dum in eos inuehitur, qui nuptias abrogare instituerant, Philippum

inter

inter Apoſtolos coniugatos numerat, & filias etiam ſuas viris in matrimonium locauiſſe addit, his per interpretem verbis. *Num ſunt Apoſtolos improbaturi? Petrus enim, & Philippus liberos procreauerunt, Philippus filias viris collocauit in matrimonium.* Ne quis autem putet, vt deceptus Chriſtophorſonus exiſtimauit, tàm Polycratem, quàm & alios antiquos ſcriptores de Philippo Diacono, nõ de Apoſtolo ex duodecim eſſe loquutos, ac proinde Græcum Euſebij codicem eſſe corrigendum, præter ea, quæ dicta ſunt, audiat quid Papias Ioannis Apoſtoli diſcipulus, & ipſius Eccleſiæ Hierapolis Epiſcopus apud Nicephorum ſcriptum reliquerit lib. 3. cap. 20. *Quandoquidem autem idem Papias, alia quoque admiranda quadã in libris ſuis refert à præceſſoribus ſuis per manus ſibi tradita, agedum de eis quoque pauca dicamus; ſtatim enim Philippum eum, qui Hierapoli fuit, & filias prophetiſſas, vt antea dictum eſt, habuit vnum ex duodecim Apoſtolis, non ex ſeptem illis Diaconis, quos in Actis recenſet Lucas fuiſſe memorat, & ſe cum filiabus eius collocutum eſſe ait, vnde intellexerit, ætate ea mortuum quendam reſurrexiſſe.* Ita ex Papia Nicephorus refert, & conſimilia ex eodem Papia habet etiam Euſebius lib. 3. cap. 33. quamquam eodem lib. 3. cap. 25. ex Proclo, ſeu potius Gaij antiqui ſcriptoris diſputatione, non duas, ſed quatuor filias Prophetiſſas Philippo ita aſſignare videatur. *Poſt Hierapoli in Aſia quatuor filiæ Philippi prophetiſſæ fuerunt, ibique tùm illarum, tùm Patris ſepulcrum locatum eſt.* Sed hic vereor ne tàm Gaius, quàm Euſebius Philippum Diaconum cum Apoſtolo ex duodecim confundant, & quatuor in Actis Apoſtolicis Philippi Diaconi filias Cæſaream incolentes, cum duabus Apoſtoli filijs Hierapoli commorantes immiſceant, & præcipuè Euſebius, qui Cæſareę, Iudea relicta, Hierapolim incoluiſſe putat filias quatuor Philippi ex ſeptem Diaconis, cuius Lucas in Apoſtolicis Actis meminerit: cum tamen ex antiquibus, & oculatis teſtibus Polycrate, & Papia diuerſiſſimæ hæ filiæ ſint è diuerſiſſimis Patribus. Hanc profectò vtriuſque Philippi confuſionem, dum vidit in tam grauibus ſcriptoribus Chriſtophorſonus, textum correxit contra Hieronymi fidem, vt ſcilicet Eccleſiaſticæ Apoſtolorum hiſtoriæ conſonum redderet. At nihil eſſe inconueniens exiſtimo, vt Philippus Apoſtolus ex duodecim filias habuerit, & pariter Philippus Diaconus, ſiue Euangeliſta, & tamen vterque diuerſus ſit, quemadmodum filiæ inter ſe diſtant. Cæſareæ non Hierapoli Philippi ex ſeptem Diaconis filias domum habuiſſe, & quatuor fuiſſe Virgines, quæ prophetarent, Apoſtolorum Acta docent, non duo, & Hierapolim incolentes, vt Papias oculatus, & auritus teſtis depoſuit, cui conſonat D. Hieronymus, qui ad Euſtochium ep. 27. teſtis eſt, adhuc viuente Paula, extare *Philippi ædiculas, & cubicula quatuor Virginum Prophetarum*, non Hierapoli, ſed Cæſareæ in Iudæa. Nec tamen Gaio vetuſto pariter ſcriptori negarem, quatuor etiam filias habuiſſe Philippum Apoſtolũ ex duodecim, quin etiam cum Græcorum Menologio, ſeptem fuiſſe adderem; At omnes fuiſſe Virgines ſicuti Gaius non aſſerit, ita & negare videtur Polycrates, dum binas tantùm Virgines ad ſenium permanſiſſe numerat, & alias filias illum in matrimonium dediſſe, teſtis ſit Clemens Alexandrinus. Quòd autem quatuor omnes Prophetiſſæ eſſent, vt Gaius habet, Polycrates non docuit, qui vnam tantùm Spiritu Sancto plenam Epheſi occubuiſſe teſtatur. Hanc verò filiam fuiſſe Philippi Diaconi, vt ex recentioribus eruditiſſimi aliqui opinantur, Polycrati manifeſtè repugnat, & antiquis omnibus. Quin etiam Græcorum Eccleſiæ in Menologio Baſilij Imperatoris, Pridie nonas Septembris, in quo ita legitur interprete Arcudio. *Hermionis Martyr filia Philippi Apoſtoli floruit Traiano Imperatore. Perrexit aliquando vnà cum ſorore ſua Eutiche Epheſum, vt Ioannem Theologum adorarent, nec inuenerunt, tranſlatus enim*

iam

iam erat. Vt hinc, nō modò binas filias Philippi Apoſtoli, nō Diaconi fuiſſe pateat, ſed eorum nomina innoteſcāt, quarum Hermiones *prophetico afflatæ ſpiritu*, martyrium ſub Traiano cæptum Epheſi ſub Adriano ſucceſſore capite cæſo conſummauerit, vt ibi narrare pergitur. At nihil cum his pugnaret Philippum Apoſtolum plures filias habuiſſe, quarum aliquæ ad nuptias tranſierint, aliæ virgines permāſerint, & Prophetiſſæ fuerint, vt & filiæ Philippi Diaconi. In prima equidem Eccleſia prophetandi gratia pluribus communis fuit, vt de Eccleſia Antiochena Acta Apoſtolorum teſtantur, prophetare enim non futura prædicere, ſed de diuinis myſterijs loqui in audientium lingua, doctiores ex D. Paulo interpretantur, vel reuelatam doctrinam docere, vt ſentire videtur Oecumenius. Virgines etiam Apoſtolicorum virorum filias ad vltimam ſenectutem perdurare in prima Eccleſia non inſolens fuit, & præter has vtriuſque Philippi filias, idem Clemens apud Euſebium lib. 3. c. 23. Nicolai ex primis Diaconibus, qui ex Nicolaitarum hæreſi apud poſteros malè, vel potius inconſideratè audiuit, *filias quidem docet ad extremam ſenectutem Virgines permanſiſſe, filium autem vitam puram, & nulla labis contagione aſperſam traduxiſſe*. De duobus Philippi nomine Apoſtolis, quorum alter ex duodenario numero, alter Diaconus, & latiori Apoſtolorum ſignificatione, Apoſtolus etiam vocatur, differentia Nicephorum non latuit, qui poſtquā eadem fragmenta Polycratis, Papiæ, & Clementis attulit, diſcrimen addit lib. 2. cap. 44. & filias, quas D. Lucas in Actis Apoſtolicis Philippo aſcribit, *alterius Philippi*, non Apoſtoli fuiſſe docet, vt reuera manifeſtum eſt. De Philippo Apoſtolo ex duodecim ita Græcorum Menologium ad diem 18. Kal. Decembris, *Philippus ex duodecim Apoſtolis vnus Bethſaidæ natus poſt Ieſu Chriſti Aſcenſionem miraculorum frequentia inſignis, Traiano Imperatore, profectus eſt Hierapolim, cum ſeptem filiabus, & Marianne ſorore ſua, & Bartholomeo Apoſtolo*, vbi pedibus ex muro pendens conſumptus eſt, vt idem Menologium pluribus narrare proſequitur, & repetit 3. Kal. Martij.

Qui igitur Hierapoli in Aſia Philippum oſtendunt, vt Martyrologium noſtrum, vetuſtioribus quidem innituntur, nec cum Philippo Diacono confundunt, quem paſſum eſſe Cæſareæ Martyrologium Romanum habet 8. Idus Iunij, qua tamen die noſtrum Martyrologium Philippum quendam exhibet non Diaconum ex antiquis, ſed Martyrem in Africa. At Menologium Græcorum, tàm Baſilij, quā Sirleti ad vndecimam Octobris diem, Philippum Diaconum exhibent, eumque Trallianum, in qua Vrbe addunt in pace quieuiſſe. Paſſus igitur eſt Philippus Apoſtolus in Aſia Hierapoli, de quo ita Hippolytus in opuſculo de duodecim Apoſtolis. *Philippus prædicans in Prygia Hierapoli crucifixus eſt, capite deorſum verſo ſub Domitiano Principe, eodemque loco ſepelitur*, quod ex Græco Codice Cardinalis Sirleti confirmat Baronius ad diem Kal. Maij. Nicephorus tamen hìc ab Hippolyto diſſentit, in id quod *Philippum* quidem tanquam victimam quandam in columnam capite ſuſpenſum, Bartholomeum verò directum in lignum ſub Crucis formam, Hierapoli infideles egiſſe referat, & Bartholomeum prodigijs conuerſo populo ſolutum, Philippum interim martyrio functum. Euſebius addit in Chronico præter Crucis patibulum, lapidibus etiam obrutum fuiſſe, nō quidem ſub Domitiano, ſed ſub Claudio ad annum Chriſti 54. *Philippus Apoſtolus Chriſti apud Hierapolim Aſiæ Ciuitatem, dum Euangelium populo nuntiaret, Cruci affixus lapidibus oppetitur*. Hippolyto conſentit Paſſionale noſtrum m. ſ. in quo cum initio eadem ferè habeat, quę apud Pſeudo Abdiam proſtant, ſed minus forte Apocripha prætermittere placuit, & ea tantum prodere, quę, poſtquam in Aſiam rediit, veritati conſona viſa ſunt. Ita igitur poſt narratam Scythiæ per

pro-

prodigiũ conuerſionem poſtrema Philippi Acta proſequitur. *Ordinatis autem Clericis, Epiſcopis, & Presbyteris, vel Diaconibus, atque Eccleſijs multis inſtructis, ipſe per reuelationem ad Aſiam reuerſus, in Ciuitate Hierapoli commoratus, Hareſim malignam Hebionitarum extinxit, qui docebant non verum natum ex Virgine Dei filium aſſumpſiſſe. Erant autem duæ filiæ eius Sacratiſsimæ Virgines, per quas Deus multitudinem Virginum lucratus eſt. Ipſe Philippus ſeptimo die migrationis ſuæ vocauit ad ſe omnes Præsbyteros, & Diaconos, ſed & vicinarum Vrbium Epiſcopos, & dixit eis, Hos ſeptem dies mihi Dominus in iſta vita conceſsit. Memores eſtote Domini noſtri Ieſu Chriſti, Dominus autem complet promiſſum ſuum, & corroborat Eccleſiam ſuam. Hæc, & his ſimilia prædicante Apoſtolo Domini anno octogeſimo ſeptimo, tentus ab indefidelibus, crucifixus, lapidatuſq; perrexit ad Dominum, & in ea Ciuitate poſitum eſt Sanctum Corpus eius. Et poſt aliquantos annos duæ Sacratæ Virgines filiæ eius dextra, lænaque ſepultæ, vbi præſtantur beneficia Dei, orãte Apoſtolo Philippo, &c.*

Fragmentum hoc ſicuti ab Abdia diſſonat in Paſſione Philippi, ita etiam ab Orderico Vitali, qui ex eadem Pſeudo Abdiæ hiſtoria videtur excerpſiſſe; cum illa tamen in hoc conſentit, quòd Apoſtolus ætatis ſuæ annorum octuaginta, & ſeptem, kal. Maij, nulla inducta Martyrij notitia, perrexerit ad Dominum. Conſonat pariter cum Euſebio in Chronico, & Hippolyto martyre ſupra adductis. De Ebione, eiuſque falſo dogmate in primis Eccleſiæ crepundijs præter antiquos alios meminit S. Ignatius ep. 9. ad Philadelphienſes.

Eadem die

Sancti Iacobi Apoſtoli.

SVPEREST, vt reliqua ſub hac die kal. Maijs in Indiculo de Iacobo Apoſtolo proſequamur. Satis ſuperque iam oſtendiſſe credimus, Iacobum fratrem Domini à Iacobo Zebedei, & Iacobo Alphæi fuiſſe diuerſum, & quamquam extra numerum duodecim Apoſtolorum, inter Apoſtolos tamen fuiſſe recenſitum, ſicuti propter inſignem virtutem, ac doctrinam Eccleſiæ columnam fuiſſe nuncupatum. Hic cognomento *Oblias, quod ſignificat murum*, vt tradit S. Epiphanius, vel Iuſtum, vt Metaphraſtes, Sacerdotio apud Hebræos iuxta vetus Sacerdotium functus erat, & illi Dominus primũ ex Hebræis concredidit thronum, & quamquam non verè frater Domini eſſet, ſed conſobrinus, frater tamen Domini dicebatur, *propter conuictum, propter educationem*, & propter quod fratris loco ipſum Dominus habebat, vt latè differit idem Epiphanius Hær. 29. & 78. cui tamen in hoc non adhæſimus, quòd Iacobus frater Domini diceretur, quaſi ex primis D. Ioſephi nuptijs ortus eſſet, quamquam id Euſebius, alijque ex antiquis dixerint; Magis enim veruſtiori teſtimonio Hegeſippi ſtandum eſt, qui Cleophæ, non Ioſephi filium fuiſſe docuit. Huius merita, & memoriam Eccleſia recolit ſub hac die, vt ex Romano Martyrologio, & Breuiario conſtat. Veruntamen propriam Natalis, ſeu paſſionis hanc non eſſe feſtiuitatem Hegeſippus idem ab Eccleſia ſuſceptus indicat, dum in Paſchali ſolemnitate martyrium conſummaſſe apertè oſtendit, ſicuti alibi ex Petro Damiani tranſlatum in hanc diem propter Paſchale feſtum animaduertiſſe meminimus. Micrologus verò non mo-

do Kal. Maij Iacobum, & Philippum venerari ex antiquioribus monumentis asse-rit, sed omnium Apostolorum memoriam recoli, quod omnibus Paschalis lætitia debeat esse communis. *Ideo*, enim inquit, *inuenitur in Martyrologijs, sine in Sacramentarijs festiuitas Sanctorum Iacobi, & Philippi, & omnium Apostolorum.* Et quāquam apud Græcos, vt ex eorum Menologijs, ac Calendarijs apparet, omnium Apostolorum festiuitatem sub vna die, puta pridie Kal. Iulij celebraram, antiquissimum tamen fuisse morem illum, & in Ecclesijs Occidentis communiter seruatum anceps sum, & ex Sacramentario Gregorij non elicio, in quo de hāc Apostolorum omnium solemnitate ne verbum quidem, sicuti neque apud Bedam, Vsuardum, vel Adonem. Et fortasse Romæ tantum in vsu fuit, quòd Ecclesia Sanctorum Apostolorum non modo Philippo, & Iacobo dicata esset, sed omnibus Apostolis, vt in diplomate Io: Tertij se vidisse affirmat Galesinus in adnot. ad hanc diē. In nostro verò Martyrologio, non quidem omnium Apostolorum indicatur solemnitas, sed præter Philippum, & Iacobum, Matthæus tantummodo additur. Hic autem animaduertere libet pro Iacobi martyrio, quod ab Ecclesia sub hac die recolitur, varios inter se esse ex vna Hegesippum, & cum Clemēte Alexandrino Eusebium, ex altera verò Iosephum lib. 20. Antiquit. c. 76. Hic enim narrat, quòd *Ananus Pontifex credens se inuenisse tempus opportunum festo mortuo, & Albino in itinere constituto, concilium fecit Iudicum, & quosdam deducens ad semetipsum, inter quos & fratrem Iesu, qui dicitur Christus, nomine Iacobum, quasi contra leges agentes accusans tradidit lapidandos.* Videtur enim indicare super Iacobi necem iudicium intercurrisse, quamquam subdolè, & Iacobum cum alijs, quos Christianos pariter, & Domini discipulos facile est credere, per aliquam Iudicij formam damnatos fuisse, puta Pontificali Iure in Religionis causa. Hegesippus è contra, & Clemens Alexandrinus narrat à Scribis, & Pharisæis è pinna templi tumultuariè deiectum, quòd ingenuè Christum Dominum prædicaret, & inde lapidibus petitum Fullonis tandem veste fuisse peremptum. Hanc fortasse historiæ diuersitatem animaduertit Hieronymus, ac ita composuisse videtur, vt Ananus concilium indixerit, ac publicè Iacobum compulerit ad Christum Dei filium denegandum, & contradicentem lapidari iussisse, qui præcipitatus de pinna templi confractis cruribus, & pro persecutoribus orans, Fullonis tandem fuste percussus interierit, quasi Iudicij forma apud Iosephum tantùm fuerit conuocatio concilij, quæ Anano propter Præfecti absentiam nequaquam concessa erat, propter quod insimulatus à Iudæis sub Agrippa Pontificatum deinceps amiserit. Omnes tamen in hoc consentiunt, quòd Iacobus more Iudaico, tanquam impius lapidatus martyrium compleuerit, sed quòd socios insuper in passione habuerit, hoc tantùm docuisse Iosephum, ex quo elici posse videtur Iacobum passum sub Nerone esse, iam vigente persecutione, quod palam docet Nicephorus Constantinopolitanus in chronologiæ cap. 2.

IV. Kal.

VI. Kal. Iunij.

Natalis Sancti Iacobi Apoſtoli.

QVIA in noſtro Martyrologio ſub hac die VI.Kal.Iunij nil de Iacobo legitur anceps fui, an hìc Indiculi noſtri librarius fucum fecerit, & pro X. Kal. Iulij, VI. Kal. Iunij repoſuerit, ad hanc enim diem 22. Iunij ita tertium Iacobum Alphæi diſtinctiſſimè Martyrologium Vetuſtius noſtrum recolit. *In Perſidâ natalis S. Iacobi Alphæi Apoſtoli*. Qui Bollandi antiquo martyrologio alius præfigitur Indiculus, ſed noticia in hoc prorſus filet, & Beda tantum in antecedenti VII.Kal.Iunij Iacobi Apoſtoli fratris Ioānis Euangeliſtę tranſlationem ſignat, cum ſcilicet ab Hiſpanis in vltimis eorum finibus contra Mare Brittannicum ſacra eius oſſa condita ſunt. Sed Ado, qui ipſiſſima verba Bedę in libello de feſtiuitatibus Apoſtolorum tranſtulit ad diem 8.Kal. Auguſti ſuſpicionem ingerit, ne recentius addita verba illa ſint ad Bedę Martyrologium, quod purum putum eſſe vti editum eſt, Doctiores non concedunt. Igitur cum Iacobum Alphæi manifeſtè Martyrologium noſtrum à duobus alijs Iacobis, qui ambo in Iudæa paſſi ſunt, & non in Perſide diſtinguat, & tertium Iacobum Indiculus præſens ſeiunctim venerari antiquitùs doceat, Iacobum Alphæi, ſeu minorem hìc deſignari prorſus exiſtimo. Qua in re mirari ſubijt Baronium eruditiſſimum ad annum 44. 1.35. ſcripſiſſe, Iacobum Alphæi in externas prouincias profectum eſſe non legi, vt vnum, & eundem cum Iacobo Iuſto conflaret, cum tamen, & in Menologijs Græcorum, & apud Nicephorum prædicationis eius Acta, & Martyrium inter exteras nationes expreſsè recenſeri pateat. Iam diximus eiuſdem negotiationis cum Matthæo participem, & fratrem apud Ioannem Chryſoſtomum Iacobum copulari, quia in Euangelio Matthæus filius Alphæi dicatur, ſicuti & Iacobus, neque enim Iacobus Zebedei frater Ioannis eſſe poteſt, neque Iuſtus frater Simonis Iudæ, & Ioſetis, qui & frater Domini; quia ex Hegeſippo filius fuit Cleophæ non Alphæi, cuius filij fuerunt Iacobus, & Matthæus *Alphæi duo*, inquam, *publicani Matthæus, & Iacobus*, vt inquit Chryſoſtomus hom. 33. in Matthæum. Expreſſe id quoque à Græcis dicitur, dum etiam Iacobum hunc per crucem martyrium conſummaſſe canunt nona die Octobris.

Quà tulit Iacobus alacris, Crucem
Conſtantia, Saluator ipſe prodidit
Vt dignus ipſe te ſiet: paſſus Crucem
Iacobus occidit Nona die.

Fuit is Matthæi publicani, & Euangeliſtæ frater diuinus hic Apoſtolus ad prædicationis munus exiens diuino ſuccenſus zelo, omnia Idolorum delubra euertit, fugans morbos, ac malignos ſpiritus. Ita ex Græco tranſtulit Combefis, quod in Menologio Baſilij ad 7. Idus Octobris his ſe interpretem verbis reperitur. *Iacobus Chriſti Apoſtolus filius Alphæi, Matthæi publicani, & Euangeliſtæ frater Chriſti, Vrbem, & ea quæ ad æternum illius regnum, ſpectant, omnibus promiſcuè Iudæis, & Græcis palam prædicabat, magnamque hominum turbam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizabat, quod Iudæi indignè ferentes eius interficiendi conſilium ceperc. Quare in vnum locum coacti comprehenſum, & vario crudeliter indigniſſimè affectū cruciatu, demum ſcipionibus cæſum interemere, cum interim Sanctus ad extremum,*

& laudes Domino nostro Iesu Christo tribueret, & gratias Sancto eius nomini ageret, quòd illius ope exceptum fortiter Diabolum, voluntatisque eius ministros vicisset, & reddita inter hæc verba illi anima sepultus est. Basilij Menologio præter Menæa consonat etiam Græcorum Calendarium apud Genebrardum, in quo eadem die signatur *Iacobus Alphæi Apostolus*, vt mirari subeat cur apud Henricum Canisium Tomo 5. antiq; lectionum Cardinalis Sirleti Menologium de Iacobo Alphæi prorsus sileat. Eiusdem tamen Apostoli prædicationem in Palestina, & Ægypto, ac martyrij modum longius prosequitur Nicephorus lib.2.c.40. *Porro Iacobus etiã Alphæi filius, & ipse ex duodecim illius vnus, iuxta eius, qui eum regebat, Spiritus Sancti voluntatem, & ductum ab Apostolorum corpore seiunctus, Gazæ primum, deinde Eleutheropoli, & in vicinis ibi eorundem populorum Ciuitatibus versans, maxima quaque miracula edit.* Et infra. *Posthæc ad Ægyptios, extremamque eorum Regionem perueniens, & Christum seruatorem, & Deum esse annuncians, ad Vrbem tandem, cui Ostracinæ nomen est, adijt, Atque ibi cum satis longo tempore vixisset, periculisque, & certaminibus plurimis conflictatus esset, tandem ad confirmandam eorum, quos docuerat, salutem Cruci ipse quoque à quibusdam, qui verba Dei aduersabantur, affigitur.*

Cum verò constanter Nicephorus habeat Iacobum Alphæi passum Ostracinæ extrema Ægypti Vrbe, cuius meminit Ptolemeus, seu potius Palestinæ Ægypto conterminæ, non difficile est post longiora certamina credere Cruci à Iudæis, qui Palestinam incolebant suffixum fuisse, & vel de more antequam crucifigeretur sclopionibus, seu fustibus cæsum, vel patibulo suffixum, fustibus, seu crurifragio interemptum fuisse. Non est autem hìc audiendus Ortelius, qui ex Freculpho memoria lapsus Iacobum Apostolum in Glossario Geographico sepultum habet Neriti Arminiæ Vrbe, pro Iuda enim Iacobi, Iacobum malè in sua transtulit. Quid vero de Martyrologio nostro dicendum est, dum in Persida Iacobi Alphæi memoriam recolit? Vtique nõ ibi passũ perhibet, sed solemnia, siue Natale in Persida celebratum illa die recolit, nisi incurioſi Librarij vitium pro Persa oppido Syriæ Samariæ apud Stephanum, vel pro Persei specu in Ægypto Persidem reposuerit. Præter hæc mihi omnia obscura sunt, nisi dicere velimus, Iacobi Alphæi festum indicari Kal. Maij, dum ibidem cum fratre Matthæo nudo tantùm nomine recensetur.

VIII. Kalendas Septembris.

Natalis Sancti Bartholomæi.



ATE' Baronius probat diem hanc celebritati Bartholomæi dicatã, translationis esse, non mortis, & Romanum Breuiarium ad aliarum Ecclesiarum consuetudines indicandas, non abolendas notauit sub hac die Romæ festiuitatem agi, fortasse quia in Tiberis insula, tempore Ottonis secundi, translatæ sacræ reliquiæ fuerint, vt Otho Frisingensis habet lib. 6.c.25.vel Basilica consecrata. Cum hac eadem die consonat Bollandi Indiculus antiquo suo martyrologio prefixus, ita enim habet 8. Kal. Septembris. *Natale S. Bartholomei Apostoli, qui decollatus est in India iussu Astiagis Regis.* At vetera martyrologia, & Gregorij sacramentarium pridie huius dici, non 8. Kal. memoriam agunt, & præter Bedam, Adonem,

Vsuar-

Vſuardum, Vvardelbertum, ita quoque noſtrum Martyrologium 9. Kal. Septembris. *In India S. Bartholomæi Apoſtoli*, & rurſus ſub die *Idus Iunij. in Perſida natalis S. Bartholomæi*. In antiquiſſimo etiam Hagiologio Cathedralis Lucenſis 9. Kal. Septembris feſtum S. Bartholomæi adnotatur, & ſub eadem die adeſt hiſtoria tranſlationis Beneuentũ, quemadmodũ ad diem 11. Iunij exhibent memoriam S. Bartholomæi Menologium Sirleti, & Calendarium Græcorum apud Genebrardum. At quemadmodum palam eſt, antiquos ſcriptores Eccleſiaſticos pro Æthiopia Indiam, & vice verſa, vt notauit etiam Ortelius, vſurpare, ita Indiam etiam quamcunque remotiorem Regionem vocare, vt alibi monuimus, non negarem, ſicuti ſub vocabulo Regionis Perſiæ maximam orbis oriẽtalis partem fortaſſe intelligere voluiſſe. De Indica Bartholomæi prædicatione antiqui ferè omneſ inter ſe conueniunt, & id expreſsè docet D. Hieronymus in Pantæno ex Euſebio lib. 5. cap. 10. Indiam Æthiopiæ finitimam in ſortem prædicationis accepiſſe, refert Socrates lib. 1. c. 15. & citeriorem, non interiorem Indiam perluſtraſſe addit ex Ruffino lib. 1. c. 9. Dum verò tam Euſebius, quam Hieronymus narrãt, ibi relictum ab eo Euangelium hebraicis literis conſcriptum præcipuum Indiæ Apoſtolum videntur conſtituere. Anonymus apud Oecumenium præterquam quod Bartholomæum Indis, qui fælices appellantur, Euangelium promulgaſſe confirmat, addit etiam in Ciuitate Albano Indicæ Magnæ Armeniæ quieuiſſe. Hippolytus verò preſſiùs de eius martyrio hoc pacto agit, *Bartholomæus cum Indis prædicaſſet, eiſque conſcriptum Euangelium expoſuiſſet, crucifixus eſt & ipſe capite deorſum verſo Albani Magnæ Armeniæ Vrbe*. Magnam Armeniam iam citatum Anonymũ Indicam vocaſſe videmus, vt hæc confundi magis pateat, quam inter ſe pugnare. Non ita de Nicephoro lib. 2. c. 40. profari licet, qui bis paſſum Bartholomæum retulit locis maximè diſiunctis. Hierapoli cum Philippo rectum in Cruciforme lignum adactum ſcribit, & miraculo dehiſcentis terræ ſolutum, aliquanto poſt tempore Vrbanopoli prouinciæ Ciliciæ in Crucem rurſus actum ad vnicè deſideratum Chriſtum migraſſe refert, ſed alicuius librarij vitio pro Albanopoli Vrbanopolis legitur, ſicuti malè interpres vertit *catà cephali*, rectum in Cruce, quod capite deorſum verſo ſignificat. Sophronius quidem, aut quiſquis Græcè addidit ad Hieronymum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ait, *Albanopoli oppido Maioris Armeniæ Bartholomæus obdormiuit*, capite deorſum verſo crucifixus, vt ex Hippolyto vidimus. De prima Bartholomæi paſſione, à qua euaſit, extat hiſtoria in Menologio Baſilij ad 18. Kal. Decembris, quam ſupra in Philippo retigimus, & cum Nicephoro ſentit Gregorius Turonenſis, qui lib. 1. de gl. Martyrum cap. 34. in Aſia paſſum eſſe ex ipſius hiſtoria narrat, & tranſlationem prodigioſam ad Inſulam Liparim refert. De modo quoque Martyrij video à ſe inuicem ſcriptores diſſidere. Sub Aſtiage Rege Indiæ capite minutum refert Apocriphus Abdias, cui non minus m.ſ. Paſſionale noſtrum conſentit, quam hiſtoria in compendium redacta apud Ordericum Vitalem lib. 2. hiſt. Eccleſ. Viuum primùm fuiſſe excoriatum, mox abſciſſo capite ad Cælum migraſſe refert, Romanum Martyrologium, cũi conſonant ex additione Molani, Vſuardus, Maurolycius, & Galeſinus. At qui in Crucem actum narrant, vt Græci, fortaſſe primam in Aſia paſſionem reſpiciunt, & in Aſia quidem Bartholomæum euangelizaſſe ita habet S. Ioannes Chryſoſtomus de duodecim Apoſtolis, *Lycaonam ad temperantiam inſtituit*. Hinc Freculphus fortaſſe hauſit, dum ſcribit Bartholomæum Lycaoniam accepiſſe in prædicationis ſortem, ſed cum Indos Euangelium docuiſſet, viuentem adhuc in Albano maioris Vrbe Armeniæ à Barbaris decoriatum terræ fuiſſe conditum addit, cui congruit Chriſtianus Druthmarus in Matthæum cap.

26. At in tanta ſcriptorum diſſonantia noſtrum Martyrologium cum pluribus, & vetuſtioribus Bartholomæum Indiæ Apoſtolum agnoſcit, & dum in Perſide natalem eius celebrem fuiſſe notat, vera pariter indicaſſe conſtat. Sub Anaſtaſio Imperatore Perſæ, pace violata, ipſum coegerunt, vt locum quendam Daras nomine ditionis Perſicæ terminum muniret, tunc illum cæleſti viſione monitum repertas Sancti Bartholomæi Apoſtoli reliquias ibi repoſuiſſe Nicephorus ex Euſtathio Syro, alioue coæuo Hiſtorico refert lib. hiſt. 16. cap. 37. At Theodorus Lector, ſeu potius, qui ex ipſius hiſtorijs collectanea excerpſit lib. 2., auctor eſt ab Anaſtaſio Daræ munitiones reſtauratas concidiſſe, quia illò miſſas D. Bartholomæi reliquias reprobaſſet, in ſomnis ita monente Apoſtolo. *Anaſtaſius Imperator condidit Daras, & cum condidiſſet, vidit in ſomnis Bartholomæum Apoſtolum dicentem ſubuertiſſe ipſum Ciuitatis cuſtodiam, quòd reliquias ſuas illò miſſas reprobaſſet.* De Eccleſia in Vrbe Daras D. Bartholomæo conſecrata, & noua eidem ab Imperatore Iuſtiniano extructa meminit Procopius de ædificijs Iuſtiniani lib. 10. Hanc eſſe in confinio Perſicorum montium, & olim pagum fuiſſe ignobilē ab Anaſtaſio diligenter muro cinctum, facilè diſruptum, confirmare videtur Procopius, qui addit à Iuſtiniano propugnaculis non facile euertendis fuiſſe communitum. Hæc autem adducere libuit, vt in Perſide, vel confinijs eius ex magnifico extructo templo, & collatis quomodolibet reliquijs D. Bartholomæi natale, ſeu feſtum diem celebrari potuiſſe nemo inficietur.

XI. Kal. Octobris.

Natalis Sancti Matthæi Apoſtoli.

NEC minoribus ambagibus inuoluuntur Acta Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtę, cum & in loco martirij eius plurimùm inter ſe ſcriptores diſſentiant. Hos in quatuor claſſes diſtinguo. Sunt enim qui in Æthiopia, ſunt qui in Parthia, alij Mirmene Antropophagorū, alij Hierapoli Syriæ, alij in Perſide, vel martyrium conſummaſſe, vel in pace quieuiſſe velint. In Æthiopia poſtquam multos Euāgelio lucratus eſſet, gladio in templo perfoſſum habet in Naddauer Vrbe Apocriphus Abdias, vel Nadaler, vt Ordericus Vitalis legit, quibus minùs fabuloſa continens aſſentitur m.ſ. Hagiologium noſtrum. His occinere videtur non Prudentius, vt habet Combefis, ſed Venantius Fortunatus apud Baronium ad hanc diem, & Socrates Eccl. hiſt. lib. 1. cap. 15. qui Æthiopiā in prędicationis ſortē Matthæo obueniſſe ſcribit, ſicuti multo vetuſtior Origenes lib. 3. in Geneſim, ſi apud Euſebium lib. 3. c. 1. locum a Baronio adductum inuenire licuiſſet. Hebræis quidem fidem primùm prædicaſſe, inde ad alias gentes profectum patrio ſermone Euangelium conſcripſiſſe, refert Euſebius lib. 3. cap. 24. In Æthiopia paſſum habet Martyrologium, & Breuiarium Romanum cuius compendioſa Acta cum diffuſioribus noſtri Hagiologij conueniunt. Quemadmodum Vſuardus, & Ado in libello de feſtiuit. Apoſt. Communior autem videtur ſententia Matthæum prædicaſſe in citeriori Æthiopia, quæ vicinior eſt Ægypto, & quæ Sonnar hodie dicitur, ac mortuum in Ciuitate Euch, vbi etiamnum templa in honorem Sancti Matthæi extare habet ex traditionibus Æthiopum Corn. à lap. cap. 3. proœmij in Matth. Et tamen Anonymus apud Oecumenium ita de eodem ſcribit. *Matthæus*

Euan-

Euangeliſta Euangelium hebraica lingua conſcriptum tradidit. Obdormiuit autem Hierę Ciuitate Parthię, & ibi ſepelitur. Neque diſſimilia ita habet Hippolytus. *Matthæus cum Euangelium Hebraicè ſcripſiſſet Ieroſolymis edidit. Obdormiuitque Hierea Parthorum Ciuitate.* In quo licet animaduertere editum Hippolyti libellum à Græco, quem vidit Baronius, in hoc diſſentire, quòd ſileat *Matthæum factum victimam Virginitatis*, quæ verba Baronius exiſtimet ad Iphigeniam Virginem reſpicere, quæ non Hieræ Parthorum, ſed Naddauer Æthiopum ex Abdia, & alijs à nuptijs Regis abſtracta ad aram concidit. Freculphus Matthæi ſepulcrum ita etiam ſignat apud Parthos T.2. l.2.c.46. *Primum in Iudæa Euangelizauit, poſtmodum in Macedonia prædicauit, requieſcit in montibus Parthorum*, Hieropoli nempe Parthię, ſi qua fides Dorotheo in Sinops. Tertio loco enumerandi ſunt, qui Myrmene Antropophagorum Vrbe obdormiſſe narrant, vt Nicephorus qui Matthæum fruſtra clauis, igneque examinatum, in pace ſpiritum emiſiſſe ſcribit lib. 2. cap. 41. His conſimilia extant apud Abdiam Apocriphum non in hiſtoria Matthæi, ſed Andreæ, qui tamen Matthæum nequaquam occubuiſſe Myrmidone (ita enim non Myrmene legit) ſed inde receſſiſſe, & in Æthiopia poſtea martyrium conſummaſſe. Græcorum Menologium Baſilio aſcriptum de nece Matthæi prorſus ſilet, & Hierapoli Syrię diem ſuum obijſſe narrat ad 16. Kal. Decębris, dũ eiuſdem Acta ita per compendia repetit *Matthæus, & ipſe ex duodecim Apoſtolorum numero, publicanus etiam Iacobi Alphæi frater, quem Dominus ad Teloniũ ſedentẽ conſpicatus iuſſit, vt ſequeretur, ac ſtatim ſequentem in ſuorũ diſcipulorum numero aſcripſit. Octauo poſt Chriſti Aſſumptionem anno, Sanctum Euangelium Hebraicè diuino inſtinctu afflatus Hieroſolymitana Eccleſia conſcripſit. Deinde cum multis diuerſarum gentium terris peragratis ad Antropophagos vſque penetraſſet, nuſquam non Chriſti fidem diſſeminans, multaque interim tormenta pertranſiſſet, tandem creato illic Platone Epiſcopo Hierapolim Syriæ conceſſit, vbi plurimis Chriſtiana religione imbutis mortuus eſt.* Quæ ideo adducere placuit, quia ad eandem diem Menologium Sirleti nil aliud exhibeat preterquam *Commemoratio Sancti Apoſtoli, & Euangeliſtæ Matthæi.* Sunt quarto loco qui in Perſide animam Deo reddidiſſe exiſtimarunt, & preſſius in Vrbe Tarſeum. Ita conſtantiſſimè Martyrologium noſtrum 2. *Nonas May. In Perſida Natalis Sancti Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ*, & rurſus eadem die, qua hic Indiculus exhibet 11. *Kal. Octobris In Perſida Ciuitate Tarſeum Natalis Sancti Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ.* Conſonant alter Indiculus apud Bollandum 11. *Kal. Octobris Natalis Sancti Matthęi Apoſtoli, qui paſſus eſt in Perſida.* Conſentit Chriſtianus Druthmarus cap. 26. in Matthæum ſcribens. *In Macedonia prædicauit in Perſida interfectus ibi requieſcit.* Sed quod maius, & vetuſtius eſt, D. Ambroſius ita in pſ. 45. non modo prædicationem Perſicam, ſed non nil de tempore ſubindicans, *Patuit inter Barbaricos motus Matthęo Perſia*, quaſi in Perſiam tunc Matthæus penetrauerit, cum Barbari tumultuarent, quod facile accidit Neronis anno octauo, quando Bellum Armeniæ factum eſt, Legiones Romanæ ſub iugum Parthicum miſſæ, & agrè Syria retenta fuit, vt Suet. in Nerone c. 39. & Tacitus lib. 15. teſtes ſunt. Tarſeum Ciuitas Geographis in Perſide ignota, fortaſſe fuit in Carmaniæ, ſeu Perſiæ promontorio, cuius meminit Arrianus in Indicis, & fortaſſe, qui in montibus Parthorum Matthæum quieuiſſe narrant, ab ijs, qui in Perſide reponunt, non diſſident; nam pluribus Perſę etiam ſub Parthorum nomine, quòd eis tum dominarent Parthi, includi poſſent, ſiquidem ita Plinius in vſu fuiſſe fatetur *Perſis in Parthorum iam pridem tranſlata nomen* lib. 6. c. 25. Quin etiam qui Hierapoli, ſiue Hieræ Parthorum obdormiuiſſe docent, vt Hippolytus, Perſidem alio nomine dicere potuiſſent.

V. Kal.

V. Kal. Nouembris.

Natalis Apoſtolorum Simonis, & Iudæ.

QVIS quis præter Apoſtolorum Acta à Sancto Luca in Sacris literis conſignata, reliqua incerta, & confuſa omnia ſuſpicatur, ſi quæ de Sanctis Simone, & Iuda Apoſtolis traduntur diligenter inſpexerit, ab eadem ſententia non diſcedet. De eorundem loco, ac genere Martyrij adhuc diſceptatur, & an vnus vario nomine, vel plures ſub ijſdem nominibus Apoſtoli ſint, vel aliqui ex ſeptuaginta diſcipulis in ſimul copulentur, ſcriptores eruditi inter ſe diſſentiunt. Nos, ſicut Eccleſia ſentire videtur, duos Apoſtolos eſſe profitemur, ex eo etiam quòd vetuſtius Martyrologium noſtrum id pluribus conſtantiſſimè doceat. Primum ſub hac eadem in Indiculo prænotata die v. Kal. Nouembris quando eorundem natalem, ſiue ſolemnem diem ita recenſet. *Natalis Sanctorum Apoſtolorum Simonis Cananei, & Iudæ Zelotis.* Deinde 3. Kal. Iulij, cum locus etiam natalis exprimitur. *In Perſida natalis Apoſtolorum Simonis, & Iudæ.* Et expreſſius cum in eadem Orbis parte paſſos eſſe docet ipſis Kal. Iulij *In Perſide Paſſio Sanctorum Apoſtolorum Simonis Cananei, & Iudæ Zelotis*, deprauatam hìc eſſe apud Bollandum vetuſtiſſimam Apoſtolorum noticiam librarij vitio non dubitarem, & repetitam loco Iudæ Simonis memoriam, ex Calendis Iulij eiuſdem iam penes me vetuſtiſſimi Martyrologij, omnino eſſe emendandam exiſtimarem, & in Indiculo, ſeu noticia legendum eſſe. *V. Kal. Nouembris Natalis Apoſtolorum Simonis, Cananei, & Iudæ Zelotis, qui à templorum Pontificibus occiſi ſunt in Suanis Ciuitate Perſarũ, quia in* Martyrologio Kal. Iulij ita proſtet. *In Perſida Sanctorum Apoſtolorum Simonis Cananei, & Iudæ fratris Iacobi.* Niſi quis Simonem retinere noluerit, quòd Iudam appellatum etiam fuiſſe Simonem contendat, ſicuti Baronius obſeruat ad diem v. Cal. Nouembris. Quia vero in quæſtione difficillima, & quam aliqui ſolui non poſſe abſque veritatis periculo, & veterum Patrum præiudicio arbitrantur, vt ſingula ad veritatis libellam expendamus, diffuſiores nos aliquantulum eſſe equus lector patiatur. Et cum non niſi de vno Simone, vel Simeone, eoque Cananeo Martyrologium noſtrum meminerit, & Iudam, non Simonem cognomento Zelotem contra recentiorum vſum indigitet, de vtroque ſeiunctim agere libet. Primumque in Simone, quòd pluribus difficultatibus inuoluatur, diutiùs exerceri oportebit.

Simo-

Simonem Cananæum, pariter cum Iuda, cognomento Zelotem, vnum ex Domini fratribus, & eundem cum Simeone Episcopo Hierosolymorum fuisse, ac in Persidè Crucis Martyrio Coronatum.

EXERCITATIO IV.

EX multiplici nominum, aut agnominum vsu, inter Apostolos maxima orta est posterioribus sæculis dissonantia, vt ex vno in alterum facilis fuerit transitus, & id quidem non modo apud recentiores, sed apud vetustos, & eruditos acciderit. Exemplo sit Apostolorum Princeps Petrus, qui plurinomius fuit, Simon nempe, Simon Bariona, Cephas, & Petrus, quorum nominum, vel agnominum aliud ex origine, aliud ex superinducto munere ortum duxit. Inde Clemens Alexandrinus eruditissimus scriptor in agnomine Cephæ allucinatus, ex septuaginta discipulis hunc fuisse putauit, non Petrum Apostolorum Coripheum. Mirandum quapropter non est in alijs Apostolis, alios etiam eruditos scriptores labi potuisse. Ita putat Baronius, supra omnes in historia Ecclesiastica versatus, ad annum 68. n. 6. D. Hieronymo accidisse, qui Simonem Zelotem, cum Iuda confuderit propter agnomen Zelotis. At ni, & ipse fallor, neque D. Hieronymus deceptus est, neque ea, quæ eodem loco affert doctissimus Baronius ad errores, vt ipse ait, qui irrepserunt de Iudæ, & Simonis nomine confutandos, tanti ponderis esse credidi, vt quæ explodenda assumit, re vera errores fuisse pateat, immo potius contrarium veritati magis consonare ex adducendis rationibus videatur. Duo igitur Eminentissimus ille Cardinalis explodere conatur. Primum Zelotis cognomen Simoni tantùm tribui debere. Secundo Simonem à Iuda disiunctum, & ex duodecim Apostolum, omnino fuisse diuersum ab eo, qui apud Hegesippum Simeon Cleophæ dicitur, & in Episcopatu Hierosolymitano Iacobo successit. Primùm contra D. Hieronymum probare nititur, Iudam dici non potuisse Zelotem, vt Sancto illi Doctori placuit, quia D. Lucas in Euangelio Simonem tantùm dixerit Zelotem, non Iudam. At diligentius mihi D. Lucæ Euangelium rimanti nusquam comparuit aduerbium illud *tantum*, sed in Euangelio Lucæ scriptum quidē esse Simonē Zelotē, Iudā verò non Zelotē, sed Iacobi fuisse appellatum. Pugnare autē cū Euangelio nō videtur, quòd & Iudas dictus quoque fuerit Zelotes, etiam si D. Lucas, vt magis vnum ab altero distingueret, Iudam Iacobi appellauerit, quia Simon frequentius Zelotes diceretur. Simon quidem Cananæus dici poterat, non modo vt à Simone Petro discriminaretur, sed à Simone leproso, siuè alius à Pharisæo fuerit, siue non, & à Simone Nigro, vel Cyreneo, quorum vel Euangelium, vel Apostolorum Acta meminerint, & ad distinctionem non modo Iudæ, qui Barsabas dicebatur, & vir erat primarius inter fratres, sed etiam Iudæ Simonis Ischariotes, qui Dominū tradidit; Iudas autē Apostolus, tā Iudas Iacobi, quā Zelotes nuncuparetur. Et sicuti non pugnat apud ipsum etiam Baronium, quòd ab vno Euangelista Iudas Iacobi dicatur, qui nuncupatur ab alio Thaddæus, ita neque pugnare potest, quòd aliquibus Simon Cananæus, siue Zelotes dicatur,

alijs Simon Cleophę, alijs Simon Iudę; è contra verò Iudas aliquibus dicatur Iudas Zelotes, siue Cananæus, alijs Thaddæus, alijs Lebbeus, quia pluribus ita nominibus, vel agnominibus signaretur. At neque pugnat duos fratres, vt infra ostendendum mihi est, Simonem, & Iudam Zelotes dictos esse, siue à patria, siue ex virtutis Zelo. Nonne in ipso Euangelio ambo fratres Ioannes, & Iacobus filij Zebedæi vocati sunt Boanerges, hoc est filij Tonitrui? Argumentum equidem ex alicuius scriptoris reticentia ex se nullam vim legentibus infert. Quod enim ille non dixit, ergo non est, argumentum ex puris negatiuis conflatũ videtur, ex quo nihil prorsus sequitur. At quia Martyrologium nostrum sub Hieronymi titulo mirè cum Hieronymo in hoc consentit, nec tantùm Simonem Cananæum, quod idem est ac Zelotem, indigitet, sed Iudam expressè Zelotem, audiendus est D. ipse Hieronymus ad cap. decimum Matthæi. *Primus scribitur Simon cognomento Petrus ad distinctionem alterius Simonis, qui appellatur Cananæus de vico Cana Galilea, vbi aquam Dominus vertit in vinum.* Et paulo post. *Ipse est, qui in alio Euangelista scribitur Zelotes, Cana quippe zelus interpretatur.* D. igitur Hieronymus Simonem videtur sentire præcipuè Zelotem esse nuncupatum à patria, quia Cananæus esset, non tamen negauit, ita etiam à virtutis Zelo appellari potuisse. Iudam verò Zelotem præcipuè dictum esse à virtutis amore, quamquam non negauit Cananæum. Igitur contra Heluidium inquit, *Iudas Zelotes in alio Euangelio Thaddeus dicitur.* In Commentario vero Epistolæ ad Galatas cap. 4. rationem non obscure reddit, quod ita nuncuparetur. Boni enim Zeli exempla adducens, ita Iudæ Iacobi explicat ardorem, *Apostoli Iudæ, sed non proditoris, qui ob insignem Zeli in se virtutem etiam Zelotes nomen accepit.* Vbi notari debet vis particulę coniunctiuæ *Etiam*, quę significare potest, Simonem Cananæum, qui Zelotes diceretur à patria, sic etiam appellari potuisse à zelo virtutis: Nam ipse Sanctus Doctor in epistola 53. ad Riparium, ita eidem zelum virtutis ascribit, vt eiusdem zelum Simonis aduersus Vigilantium in se cuperet inueniri. Non igitur D. Hieronymus videtur nomina confudisse, neque cum Simone Iudam. Iudam enim, quem fratrem Iacobi in libro de scriptoribus Ecclesiasticis dixit, vel vt alij Codices habent fratrem Domini, etiam pro Thaddæo agnouit, ad eundem cap. 10. Matthæi, & Lebbeum, siue corculum appellatum esse consentit, omnino à Simone diuersum. Quamuis ergo Simonem, & Iudam siue ex Patria, siue ex bonitatis ardore Zelotes dictos fuisse consentiat, non tamen in vnum confudit, etiam si concederetur, Simonem præter Zelotis agnomen Iudam etiam fuisse appellatum. Equidem non modo Sophronius, aut quisquis Greca ad Hieronymi librum de Ecclesiæ scriptoribus quędam addidit, Simonem Cananęum Iudam fuisse nuncupatum his verbis, quibus Dorothæus concinit, testatur. *Simon Cananæus cognomento Iudas frater Iacobi Episcopi, qui & successit illi in Episcopatu*: sed Hippolytus vetustior, ex quo illi facile acceperunt, id etiam clarissimè, interprete Combefis, asseruit. *Simon Cananæus filius Cleopha, qui & Iudas, post Iacobum Iustum creatus Hierosolymorum Episcopus.* Quod miror tacuisse Baronium, qui libellum Hippolyti apud Sirletum non semel se vidisse fatetur. Si cui verò non arrideret, quòd Simon Zelotes Iudas diceretur, quia Iudas Zelotes alius esset à Simone, vt re vera fuit, coniecturam meam exhibeo, Simonem nempe non Iudam fuisse dictum sed Iudæ, eodem prorsus modo, quo Iudas dictus fuit Iacobi, non tanquam ex Patre, sed tanquam ex Fratre maioris nominis, propter ætatem, officium, vel virtutes. Palam est, & hic in re notissima à pluribus supersedeo, Iudam, qui Canonicam scripsit Epistolã, Iacobi à Iacobo fratre Episcopo Hierosolymitano fuisse dictum, cum alioquin filius esset Cleophę ex Maria, & probabile admodum sit,

Iaco-

Iacobum cæteris fratribus, & Patre ipso Cleopha celebriorem fuisse, tam ex vitæ honestate, propter quam Iustus à Iudæis vniuersis dicebatur, tum ratione Sacerdotij, quod illi tribuisse S. Epiphanium alibi diximus, ac ex hac nominis celebritate, non modo Matrem, quæ Maria Cleophæ dicebatur, dictam quoque esse ab Euangelistis Mariam Iacobi, sed fratrem ipsius Iudam Iacobi pariter cognomento fuisse vocatum. At Iudas qui Lebbæus, siue Corculus, & Zelotes dicebatur, sicuti virtutis insignem ardorem in Zelotis agnomine præferebat, ex quo inter Apostolos celebri sanctitate esse poterat, ita ex alio cognomine Corculus appellatus, omnibus apprimè fuisse notum, & earum non obscure significatur, ita vt Simon post mortem Iudæ, qui, vt infra videbimus, præmortuus fuit, Simon Iudæ non Iudas facile diceretur. Hinc coniectare licet in Hippolyti libello mendum aliquod leue irrepsisse, puta vnius literulæ; vbi enim legitur *ὁ του κλοπὰ ὁ εἰὰ Ιουδας* legendum forte esse *ὁ εἰὰ Ιουδα* hoc est Simon Cananeus *qui Cleopha, qui & Iudæ*, nisi quis potius mallet pro *ὁ εἰὰ Ιουδα*, legere *ὁς εἰὰ Ιουδας*, hoc est sicuti Iudas, qui pariter filius fuit Cleophæ, quemadmodũ legisse videtur Anonymus apud Oecumeniũ ex Latino interprete, *filius Cleophæ sicut & Iudas*. At parũ interest, quod Simon Cananæus cognomẽto, nõ nomine Iudas diceretur, siue ex illustri aliqua confessione Domini, Iudas enim confessio Hebræis significat, siue alia causa, quãdo Iudas, qui & Thaddæus, & Iacobi cognomẽto dicebatur, Iudas proprio nomine vocaretur; nec tanti hæc sunt, vt lõgius in his immorari expediat. Restat igitur vt eundẽ Simonẽ hũc esse ostẽdamus, qui Iacobo Iusto succesſit in Episcopatu, vt Hippolytus auctor est, & ex eo Sophronius, quod nõ est leuiter trãsigẽdũ, cũ errorẽ id existimauerit grauissimus cẽsor Baronius, his præcipuè ductus argumẽtis. Primò, quòd iã probatũ sit, diuersũ fuisse Simone à Iuda, & Iudã à Simeone successore Iacobi, & cõsequẽter pateat, Simonẽ Cananæũ distinctũ fuisse à Simeone Cleophæ, passo sub Traiano. Deinde quòd ita tã Græci, quã Latini profiteãtur, illi in Menologio, isti in Martyrologio diuersis diebus, diuersisq; notis memoriã eorũ celebrantes. Tertiò quòd Beda, qui in eundẽ errorẽ lapsus fuerat, vt hos duos vnũ Simonẽ putaret sẽtentiã retractauerit. Ad primũ ergo dicimus, quòd etiãsi verissimũ existimauerim; cũ eodẽ Baronio, quãquã diuersis rationũ momẽtis, diuersũ esse Simonẽ à Iuda, nõ tamen inde elicere omni conatu potui, vt euidenter pateret Simonem etiam Cananæum, qui Iudas, vel Iudæ cognomento dicebatur, distinctum esse à Simeone Episcopo Iacobi successore. Non me latet Eusebium fortasse in eandem sententiam descendisse, quia cũ alijs antiquis Patribus existimauerit lib. 3. cap. 10. fratres Domini fuisse nũcupatos, quia essent ex primis nuptijs filij Ioseph Deiparæ Spõsi, Simeon vero filius Cleophæ, & Domini consobrinus non frater. Quod si ita reuera fuisset, nõ vtique dubitari posset, quin Simon Iosephi filius à Simeone Cleophæ omnino distaret. At cum in hoc Eusebius, tam ab Hegesippo, quam ab Euãgelistis minus consultè discesserit, reijciendus omnino est, quamuis tanto Chronologo innixi eandem de fratribus Domini sententiam perfunctoriè secuti sint ferè omnes Græci Patres, & aliqui ex latinis. Ab Euangelistis equidem discessit Eusebius, quòd hi Mariam Iacobi, & aliorum, qui dicebantur fratres Domini Matrem, alio nomine Mariam Cleophæ à viro Cleopha dixerunt; sed euidenter dissentit ab Hegesippi verbis à semet ipso relatis, in quibus Iacobi fratris Domini patrem non Iosephum, sed Cleophan fuisse disertissimè exprimitur. Vnde verò Eusebius hanc excerpserit opinionem, Origenes, aut si quis alius auctor est Commentarij in Matthæum cap. 13. non obscurè indicauit, puta ex Apocriphis fontibus; Ita enim refert. *Fratres autem Iesu putabant nonnulli esse ex traditione Hebræorum, sumpta occasione ex Euangelio, quòd titulum habet inscriptum Petrum, aut*

ex libro Iacobi, filios Ioseph ex priori uxore, quæ conuixerat ipsi, antequam duceret Mariam. Quia verò æstimare quis posset, ideo Baronium, tanquam notissimum reliquisse, Simonem Cananæum diuersum esse à Simeone Episcopo, quia ille Simon, hic Simeon diceretur, audiat Oecumenium docentem ex antiquis Patribus, nullam inter hæc nomina veram intercedere differentiam; ita enim scribit ad D. Petri Epistolam cap. 1. *Simon scribitur, & Simeon. Nam à Simeon diminutio est Simon, quemadmodum à Metrodoro Metras, à Menodoro Menas, & à Theodosio Theudas.* Sed ante Oecumenium id expressè docuerat Origenes idem tract. 5 in Matth. 26. dum Simeonem Liæ filium Patriarcham, cum Petro idem habuisse nomen testatur, quòd *conueniat ei, qui ita vocatur vt & Simon dicatur, & Simeon, quoniam ijsdem literis scribunt Hebræi, & Simeonis nomen, & Simonis.* Quod siue Eusebius, siue D. Hieronymus in chronico confirmat ad annum 63. dum Iacobi Iusti martyrium recenset. *Iacobus frater Domini, quem omnes Iustum appellabant à Iudæis lapidibus opprimitur, in cuius thronum Simeon, qui & Simon secundus substituitur.* Simeonem, & Simonem idem nomen esse, habent etiam & Gregorius Syncellus, & auctor chronici Alexandrini. Nec pariter existimarem inter ea, quæ, tanquam notiora essent, Baronius siluit, reputari debere, quòd Simon Cananæus, ideo non esset Simeon, vel frater, vel consanguineus Domini, quia non liqueat ex vrbe Cana, neque Iosephum, neque Cleopham eius fratrem prodijsse. Quidquid enim sit de Iosepho Mariæ Virginis Sponso, qui in Euangelio dicitur à Nazareth Galilææ, valdè probabile est Saluatorem nostrum in Cana Galileæ proxima Vrbe, vel Vico cognatos habuisse: quippe qui cum Matre vocatus ibi fuerit ad nuptias, & inde descendens Capharnaum Matrem, fratresque secum duxerit. Equidem antequam Saluator cum discipulis ad nuptias vocaretur *erat mater* eius *ibi*, vel quia prius inuitata ad cognatos diuerterat, vel quia moram ibi tradere consueuerat; à vículo enim Nazareth Viculus Cana Galileę, non nisi triũ horarũ itinere distabat, vt plures docent. Si ergo aliquis ex discipulis, vel fratribus Domini Spõsus erat, vt cõmuniter sacri expositores existimãt, & si alij Ioannẽ, alij Simonẽ esse velint, quis facilius esse potuit, quã Iudas, quẽ ex fratribus, & cognatis Domini filios, & nepotes habuisse Hegesippus testatur? Parum autem refert, vt Simon Cananæus à Simeone Domini vel fratre, vel consobrino distinguatur, quòd ille ex Cana Galileæ esset, cum Apostoli omnes, inter quos saltem ex ipsius Domini fratribus Iudas fuit, Galilæi dicerentur, & in ipsius Doctissimi Baronij sententia, cum Iacobus Iustus, non minus inter Apostolos; quam inter frates Domini numeratus, idem omnino sit cum Iacobo Alphæi, Galileum cum alijs Apostolis fuisse, dubitari nequit. At aliam rationem addere libet, quam in re minus dubia, fortasse Baronius eruditissimus præterierit, puta Simonem fratrem Domini vnum, & eundem esse non posse cum Simeone Episcopo, quòd ille non modo fuerit extra numerum duodecim Apostolorum apud Origenem cap. 13. Matthæi, sed cum Iosepho fratre pariter Domini, eiusque germano, illi penitus incompertum; enumeratis quippe fratribus Saluatoris, & eorum muneribus, subdit. *Porro de Ioseph, ac Simone nos nihil comperimus.* Addo amplius, in sacris literis Domini fratres ab Apostolis nomine videri disiunctos, idque in Ecclesiastica quoque historia obseruare licere. Sanè in Apostolicis Actis cap. 1. vndecim Apostolis enumeratis additur, perseuerantes fuisse omnes in oratione, cum *Maria Matre Iesu, & fratribus eius*, quasi qui dicebãtur fratres Domini ab Apostolis hoc titulo discernerentur. Ita pariter Eusebius ex antiquorum traditione obseruauit, dum ad Simeonis Episcopi electionem conuentum Apostolorum recensuit. *Fama est*, inquit, *Apostolos, & discipulos Domini, qui adhuc ista à Iudæis vsura fruebantur, vna cum*

his

his, quibus cum Domino secundum carnem intercedebat cognatio (plerisque enim istorum ad illud vsque tempus vita suppetebat) ex omnibus locis in vnum conuenisse &c. Veruntamen ad hoc obiectum eluendum, præterquamquod Eusebius non de fratribus, sed quomodocumque de consanguineis Domini loquitur, certum est aliquos ex Domini fratribus inter duodecim Apostolos non fuisse numeratos, vt Ioseph, & Iacobus cognomento Iustus, vel vt placuisse videtur Origeni, neque Simon; aliquos verò recensitos fuisse, vt extra controuersiam Iudas Iacobi, vel Zelotes. Sicuti ergo nullum aliud sequeretur inconueniens, si in eodem Apostolorum censu, Simon Domini frater numeraretur, nisi in Origenis sententia, ita vt veritas magis eluceſcat hæc diligentius perpendenda est. Sanè Origenes, tam præfatione in Ioannem, quam lib. 2. aduersus Celsum ex Euangelio secundum Lucam affirmat, Socium Cleophæ in Emmaus tendentis fuisse Simonem, hoc autem minus consonat, nisi diuersus auctor sit Commentarij in Matthæum cum his, quę ibi scripsit, hoc est de Simone, ex fratribus Domini nihil compertum se habere, cum tamen illum inter discipulos Domini cum Cleopha enumerauerit. Differt etiam ab alijs Sanctis Patribus, qui Socium Cleophæ non Simonem, sed alium fuisse discipulum docent; Nam Ambrosio lib. 7. in Lucam de vigilantia, & negligentia seruorum, & lib. 10. cap. vltimo Amaon discipulus ille dicitur; Sancto Epiphanio Hær. 23. Nathanael, & pluribus alijs ipse Lucas Euangelista, qui proprium nomen tacuerit. Sed esto *Cleopha, & Simone colloquentibus inter se de his quæ acciderant*, Iesum repente interuenisse, vt loquitur Origenes aduersus Celsum, non inde tamen sequitur Simonem hunc fuisse Simeonem ipsius, vel alterius Cleophæ filium, Episcopum deinceps Hierosolymitanum. Simon vtique, Origeni memoratus ex duodenario Apostolorum numero non erat; Eadem enim hora, qua duo illi Discipuli Dominum agnouerunt, *regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim*. Sed quid vetat alium fuisse Domini Discipulum, extra duodenarium numerum, qui Simon vocaretur? Simon quidem Pharisæus apud Matthæum, & Simon leprosus apud Lucam, familiaris vterque, & hospes Domini, non vnus, & idem sunt D. Augustino lib. 2. de consensu Euang. cap. 69. Hunc verò, qui dicebatur leprosus, palam Christi discipulum fuisse ex eo argui posse videtur, quod furentibus iam in Dominum Iudæis propalam, & in Bethania prope Hierusalem conuiuio ipsum exceperit. Posset etiam inter Simones Saluatoris asseclas, Simon Cyrenæus adcenseri, qui cum pater dicatur Alexandri, & Rufi, nimirum Pater duorum discipulorum, potuit tanquam ex numero credentium ad Redemptoris etiam iniuriam angariari. Christi fidem saltem post delatam Crucē Simonem Cyreneum amplexatum esse, facile ex Origene deducitur, & aliorum est opinio. At quisquis fuerit Simon, cum Cleopa apud eundem Origenem descriptus, Simon equidem vel Simeon, qui sub Traiano Crucifixus fuit, non obscurè ab Hegesippo inter Apostolos numeratur. Enarrato enim eius certamine, postremum inter Apostolos vita functum, ideo his verbis designat, & latentes ad illud vsque tunc narrat prorupisse hæreses, *quia sacer Apostolorum chorus varium vitæ exitum, & diuersa mortis genera pertulerat*. Rè autem vera Apostolorum postremus, Simon, vel Simeon diem suum clausit, anno nempe decimo Traiani, vt Eusebius in chronico auctor est, quando Ioannis, qui Traiani tempora attigerat, assumptus iam erat. Sed hæc forsasse diffusius, quam par sit explicauimus, non tamen extra rem à nobis prolata credimus, quia interim impedimenta ad vnius Simonis veritatem astruendam è via nobis remouisse speramus. Præstat nunc igitur in ordinem redire, & reliqua obiecta diluere, illud præcipue, quod Baronio eidem vim magnam intulit, ex Græcorum, & Latinorum Hagiologijs petitum.

tirum. Hoc est Simonem Cananæum, ideo disiunctum esse à Simeone Episcopo, quia apud illos diuersis diebus, diuersisq; notis distinguãtur. In Menologio Græcorum, quod a Cardinale Sirleto latinitate donatum, iam publici iuris est, innititur ferè semper Baronius. Ex illo, alijsque fortasse Græcorum Calendarijs argumentum vir eruditissimus elicuit, Simonem Cananæum à Simeone Episcopo differre, quòd de vnoquoque seiunctim apud Græcos celebretur memoria, & quòd idem etiam obseruetur in latinorum Martyrologijs. Sed minoris ponderis fortasse argumentum est, quam mutare sententiam cogat. Exemplum in Menologio Sirleti sit, ne longius euagemus in Simone Cananæo; cuius memoria primum agitur die 22. Aprilis his verbis. *Eodem die Sancti Apostoli Nathanaelis, qui fuit Simon Zelotes. Hic fuit ex Cana Galilææ, vbi Christus Dominus inuitatus ad nuptias aquam in vinum conuertit.* Et rursus die decima Maij diuersis omnino diebus his pariter verbis. *Sancti Apostoli Simonis Zelotæ. Hic Simon est Nathanael appellatus, qui Euangelij prædicationem in omnem Mauritaniam, & Aphrorum regionem sparsit. Postremò Britanniam profectus, cum multos Euangelij verbo illustrasset, ab infidelibus Crucifixus illic sepultus est, qui mores habuit Zelo, quem nomine præferebat.* Ab alijs exemplis, tam in Græcorum Calendarijs, quam in Latinorum Martyrologijs, quia frequentissima sunt, supersedeo; Cum enim obitus diuersa die à translatione, nulla distinctiua addita nota, in illis recoleretur, factum est, vt facilè apud posteros repetita etiam inueniretur commemoratio, ex qua si quis vellet asserere non eosdem esse Sanctos viros, quia sub diuersos dies eorum ageretur memoriã, in maxima absurda prolabi necesse esset. Quemadmodum ergò fateor Simeonem Episcopum Hierosolymitanum, separatim a Simone Cananæo in Menologio recoli die 27. Aprilis, & in Romano Martyrologio die 18. Februarij, ita cum in nostro Martyrologio de Simeone, seorsum non agatur, etiam profiteor, ex hac tantum diuersitate, passim in ijsdem numero Sanctis occurrente, nihil certi educi posse, nisi aliæ notæ concurrant, sicuti in alijs Sanctis video voluisse Baronium. Igitur animaduertendæ sunt, quæ intercedunt differentiæ. Prima est nominis, quia Simon Cananæus, non Simeon Episcopus in Menologio Nathanael nuncupatur. Secunda est loci, nam Simeonem Episcopum Hierosolymis passum referunt, tam Martyrologium, quam Menologium, Simonem verò Cananæum Menologium habet in Brittannia, Martyrologium in Perside. Tertia differentiã est de Euangelicæ prædicationis Regione, nam Simonem refert Menologium fidem docuisse in Africa, Martyrologium in Ægypto. Quarta est Simeonem propinquum Saluatoris fuisse, quod vtrumq; consentit, at de Simone vtrumque silet. Quinta quod Menologium, tam Simonem Cananæum, quam Simeonem Episcopum per Crucem palmam meruisse doceat, Martyrologium de secundo confirmat, de primo Martyrij modum non exibeat. In has differentias breuissimè animaduertere expedit. De Nathanaele plurimi sunt, qui Simonem fuisse negent, & ex antiquis alij vnum ex Apostolis, alij alterum esse velint, quinimo sint, qui omnino ex duodenario numero abstrahant, quia iuris peritus esset. Plurimi tamen in Bartholomæum concordant, quæ cum videri facile possint apud Euangelistarũ interpretes non moror. Ad secundam differentiæ notam, quòd Natale Simeonis Episcopi Hierosolymis celebre esset, quia illius Ecclesiæ Episcopus fuit, non dubito, sed ibi Crucifixum non fuisse, ex Hegesippo inferius palam demonstrabitur, quòd palmam in Perside promeruerit, vbi etiam Simon Cananæus ex Romano, nostroque Martyrologio martyriũ per Crucẽ consummauit. De loco Passionis in Britãnia auctores tãtum sunt, Nicephorus, & Dorotheus, apud quos legenda fortasse est, pro Britannia Bactriana Persidis Regio. Ad tertiam responderi potest,

quòd

quòd inde nihil deducitur, cum Simonis prædicatio obscuriſſima antiquis ſit, nihilque de ea narrent, qui aliorum peregrinationes innuunt, Origenes, Nazianzenus, Theodoretus, & Socrates, vt etiam eruditiſſimus fatetur Baronius. Ad quartam, quæ negat ex ſcriptorum ſilentio Simoni Cananæo Saluatoris propinquitatem, opponimus Hippolytum Martyrem, & alios infra adducendos, qui eãdem affirmant, præſertim quòd vel nullum, vel imbecille ex ſcriptorum taciturnitate deducatur argumentum. Ita & ad quintum reſponderi poteſt; dum enim Romanum Martyrologium ſilet Simonem per Crucem obijſſe, in Græcorum Menologio, tam Simonem, quam Simeonem Crucis tormentum ſubijſſe narratur. Sed iam poſtremum ex Bedæ auctoritate deſumptum obiectum remouere expedit, quòd Venerabilis ille ſcriptor, & in hiſtorijs Eccleſiaſticis non parum verſatus antea exiſtimauerit Simonem Cananæum eundem eſſe cum Simeone Epiſcopo, & contrarium deinde manifeſta retractatione docuerit: ſed audire ipſum expedit. *Porrò Iſidorus arbitratur hunc Simonem eſſe, qui poſt Iacobum fratrem Domini Hieroſolymorum rexit Eccleſiam, quem & nos olim in primo Actorum libro ſecuti ſumus, non ea, qua ſcriptis ſcrupuloſius diſcutientes rati, quod hæc ipſe ex certis veterum hiſtorijs didicerat, quod nec adhuc quidem negare audemus.* Ita ergo retractat Beda, vt quamquam in Apoſtolorum hiſtorijs Apocriphis contrarium inuenerit, attamen priorem ſententiam refellere non poſſe fateatur, & non habens quomodo explodat, dum negare eiuſdem veritatem non audet, ſaltem in ambiguo relinquit. Liceat hìc igitur pro viribus ambiguitatem tollere, & ex grauioribus, & minùs dubiæ fidei ſcriptoribus oſtendere, Simonem Cananæum cum Simeone Epiſcopo eundem fuiſſe. Iam ſupra indicauimus Simonem Cananæum apud Hippolytũ Martyrem Hieroſolymorum Epiſcopum eſtitiſſe, ſed iterum expedit eundem audire. *Simon Cananæus filius Cleophæ, qui & Iudas poſt Iacobum Iuſtum creatus Hieroſolymorum Epiſcopus obijt, ſepelituſque eodem loco cum annos centum viginti vixiſſet.* Simeonem autem Epiſcopum, ſub Traiano Crucifixum, ſenem centum viginti annorum fuiſſe, ſi quis anceps ſit, ex Hegeſippo omnem ſuſpicionem deinceps amandabit. Anonymum interim audiat apud Oecumenium Hippolyto totidem ferè verbis concinentem. *Simon Cananæus Cleophæ filius, ſicut & Iudas, poſt Iacobum Iuſtum factus eſt Hieroſolymorum Epiſcopus, cumque annos centum viginti vixiſſet, Cruci affixus ſub Traiano Imperatore Martyrium ſubſtinuit.* Huius pariter ſententiæ, præter Iſidorum à Beda adductum, Sophronius fuit, aut quiſquis Græca addidit ad Hieronymum de Eccleſiaſticis ſcriptoribus. *Simon Cananæus cognomento Iudas frater Iacobi Epiſcopi, qui & ſucceſſit illi in Epiſcopatum poſt obitum Iacobi cognomento Iuſti: vixit annos viginti ſupra centum; crucifixus autem ſub Traiano Præfecto mota perſecutione graui dormiuit.* Hi omnes Simonem, ſiue Simeonem Cananæum filium Cleophæ fuiſſe, vel expreſsè docent, vel dum fratrem Iacobi Iuſti, filij pariter Cleophæ eſſe perhibent, ac vno ore in Eccleſia Hieroſolymitana ſucceſſorem, & ſub Traiano Martyrem idem non obſcurè confitmant. Et quamquam Sophronius tantùm doceat Simonem Cananæum fratrem fuiſſe Iacobi Iuſti, dum tamen reliqui filium fuiſſe Cleophæ teſtantur, iam & fratrem Iacobi ex Hegeſippo confitentur. Is autem veteſtiſſimus ſcriptor bis apud Euſebium lib. 3. cap. 26. Simeonem, qui crucifixus eſt ſub Traiano, ex ſtirpe Dauid prognatum, & ex diuina Domini progenie ſeruatoris, & Domini noſtri ſatum; Cleophæ filium apertiſſimè dixit, & præcipue in longiori fragmento, quod Euſebius adducit in recẽtiſſima Valeſij interpretatione lib. 4. cap. 22. cuius verba hæc ſunt. *Poſtquam Iacobus cognomento Iuſtus Martyrium perinde, ac dominus pertulit, ob eiuſdem doctrinæ prædicationem rurſus frater patruelis Domini Si-*

meon

meon Cleophæ filius Episcopus constituitur. Vbi Valesius notat male cum Rufino Musculum, & Christoporsonium vertisse *Consobrini Domini*, cum fratrem patruelem vertere debuissent, & quamuis in adductis fragmentis Hegesippus, expresse non docuerit Simeonem eundem fuisse cum Simone Cananæo Apostolo, cũ tamen in eo viuam Apostolorum vocem desijsse affirmet, postremum ex Apostoli decessisse satis apertè consentit; idque non Apostoli nomen latius accipiens, sed vt supra adnotauimus, ab alijs distinguens, qui non Apostoli, sed auditores, & Discipuli Domini vtcumque fuissent. At quomodo Kalendis Iulij Martyrologium nostrum, & V. Kal. Nouembris Romanum referunt Simonem Cananæum in Perside coronam accepisse, si Hierosolymis sepultus sit, vt apertissimè iam adductus Hippolytus Martyr referre videtur? Nodum hunc soluere fortasse difficile non erit, dum ostenderimus Simonem, quamquam Episcopus Hierosolymitanus esset per Crucem Martyrium compleuisse in Perside, quod miror oculatissimum Baronium, aliosque latuisse, quantumuis Simonem Episcopum ab Apostolo Cananæo dirimerint. Meminisse igitur oportet Eusebium anno Traiani decimo, siue communis æræ 110. ita in editione Basilienſi Simonis Cleophæ martyrium scripsisse. *Traiano aduersus Christianos persecutionem mouente, Simon filius Cleophæ qui Hierosolymis Episcopatum tenebat crucifigitur*. Quamquam enim in Annalibus vetustis legi Cuspinianus narret *anno Domini 105. Simon Cleopha, filius, Hierosolymis Episcopus crucifigitur*, video tamen Baronio, Scaligero, & alijs eã placuisse lectionẽ, quæ Simeonis martyriũ in anno decimo Traiani reposuit, Christi nempe 109. vel 110. At quisquis annus signetur, certum est non nisi mota Traiani persecutione Simonem in crucem actum, quin imò post Traiani rescriptum ad Plinium. Primo statim anno Traiani excitatam persecutionem existimauit Doctissimus Baronius in hoc ab Eusebij chronico discedens, qui non nisi anno Traiani decimo in Christianos sæuitum refert. At idem Eusebius non negat ante hoc tempus Christianos aliquos neci à Gentilibus datos, non tamen ex nouo Traiani, sed postremo Domitiani edicto, & fortasse lege de sodalitijs, siue hæterijs christianorum, ab alijs Imperatoribus vetitis. Eusebius quidem de Traiani persecutione agens lib. 3. Hist. cap. 26. coactum potius populorum seditionibus Traianum, quam sponte in Christianos animaduertisse refert. *Post Neronem, & Domitianum sigillatim in vnaquaque Ciuitate, sub Traiano Imperio, cuius iam tempora perquirimus, ex seditione populi excitata, grauem contra nos Christianos persecutionis tempestatem commotam fama, & sermone percrebescit*; qui enim primis eiusdem annis Martyres facti sunt, vnde persecutionem colligit Baronius, non Traiani, sed Domitiani edicto id accidisse notat diligentissimus temporum supputator Petauius cap. 9. lib. 5. par. 1. Rationarij temporis ad annum circiter decimum Traiani. Tunc enim inualuisse persecutionem illam suscipit, quam nonnihil Plinius secundus Bithyniæ Prætor retundere laborauit; habita siquidem quæstione, cum Christianos falsis crlminibus accusari comperisset, datis ad Traianum litteris rescriptum obtinuit, vt oblati tantum, obstinatique punirentur. Et re vera rescissis à Senatu Domitiani legibus persecutio in Christianos non nisi ex populorum seditione conflari primùm potuerat, quemadmodum notat Eusebius sicuti falsi criminis insimulatos Plinius pariter per populorum calumnias fatetur. Simeonem Cleophæ post hunc rescriptum martyrium compleuisse ex Hegesippo animaduerto; Delationis siquidem expresse meminit. *Ab eodem scilicet sectarum numero quidem Simeonem Cleophæ filium, non modo vt ex Dauidis stirpe editum, verum etiam vt Christianum in Iudicium adduxerunt*, quem nimirum sub Attico consulari, non modo Cruci affixum narrare pergit, quia delatus, sed quia *fidem Christi constanter professus est*. Dela-

tionis

tionis igitur palam erant Hæretici illi auctores, & omnia concurrebant ad Simonis Iudicium, quæ in rescripto pro Christianis obseruari Traianus præceperat his verbis, *conquirendi non sunt, si deferantur, & arguantur puniendi. qui negauerit se Christianum, certe ventum ex pœnitentia impetret, quod sine auctore propositi libelli locum habere non deberet.* Quod iterum, & infra confirmat Hegesippus de Traiani temporibus agens *ad quæ quidem, Simeon Cleophæ, quem supra monstrauimus vitam producens à sectis Iudæorum, quod ex diuina Domini progenie genus ducebat, per calumniam similiter vocatur in Iudicium, & eius nomen ea de re ita ad Atticum virum consularem defertur, qui cum multis diebus acerbas plagas pateretur, testimonium fidei Christi fortiter perhibuit, adeo vt, cùm omnes, tùm ipse Consularis supra modum miraretur, quo pacto, cum esset centum, & viginti annos natus, talem, & tam acerbum plagarum cruciatum sustinuerit. Quibus rebus confectis ad extremum mandatum erat, vt in Crucem ageretur.* Mandato nempe Cæsaris, qui non longe aberat, & quod Simeon certo auctore delatus constans in confessione Domini fuisset. At circa hæc tempora Traianus, nec Hierosolymis, nec Romæ agebat, sed Barbarorum bellis implicatus in Persida, lociſque finitimis morabatur, quod vt notissimum hic ex scriptoribus adducere non laboro. Simeon verò non tantùm coram Attico Consulari, qui Traiani Imperatoris mandata exequebatur, sed coram Traiano ipso delatus, forte quia regia stirpe oriundus, & Christianorum antesignanus, coram Cæsare expediebat causam dicere, id aperte referêt Hegesippo post suprascripta verba, interprete Christoforsono. *Atque ita cum annos centum, & viginti complenisset coram Traiano Cæsare* (quo nihil apertius dici potest) *& Attico viro Consulari fidē Christi constanter professus est.* Non me latet nuper eruditissimum Valesium hunc Hegesippi locum aliter vertisse, hoc pacto. *Atque ita Simeon cum annoscentum, ac viginti natus esset martyrium subijt principatu Traiani Augusti Attico Consulari legato Syriæ.* Verum prêter quam quòd Acticus Consularis interpretando dicitur legatus Syriæ, non quod Græcè ita scriptum sit, ratio non apparet, cur infra *epì atticoù* vertêdum sit coram Attico, & *epì Traianoù*, interpretari debeat principatu Traiani, & non potius, vt Græca verba prostant, *Coram Traiano Cæsare, & Consulari Attico.* Equidem vbi Martyrium perfeciſse Simonem Martyrologium nostrum, & Romanum notant in Persida, Traianum tribunal erexisse animaduerto, & in tanta scriptorum penuria, qui eius gesta recensеant, addere opere prætium est Zosimi, & Ammiani Marcellini testimonium. Hic lib. 24. in Iuliano refert, oppidum Ozogardam in Persida, se præsente occupatum à militibus, *in quo Principis Traiani tribunal ostentabatur*; Ille lib. 3. in eodem oppido Persiæ, quod non Ozogardam dixit, sed Zaragardiam, fuisse testatur *sublime tribunal ex lapide factum, quod incolæ Traiani vocare consueuerunt*, & tanquam singulare quoddam notat Xephilinus in Dyonis Epitome, ex tribunali Traianū ius dicere consueuisse; Si verò coram Traiano Simon causam dixit, & ibidem eius mandato in Crucem actus est, quomodo Hierosolymis sepultum fuisse, Hippolytus Martyr narrat? Eo quidem modo, quo eodem tempore, & sub eadem Traiani persecutione Sanctus Ignatius sepultus est Antiochiæ, & Onesimus pariter Apostolorum discipulus Ephesi, cum tamen ambo passi sint Romæ. Ab eorum enim discipulis, qui sequuti eos fuerant Romam, in propriā sedem, sacris statim aspectatis reliquijs, restituti fuerunt. De primo luculentes testes sint D. Ioannes Chrysostomus Tom. 5. serm. de S. Ignatio, & in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis D. Hieronymus, qui Romæ Ignatium agonem decertasse narrant, reliquias verò esse Antiochiæ. De Onesimo Romanum, & alia martyrologia testimonium perhibent ad diem 16. Februarij. Iuxta morem igitur fidelium suos Episcopos comitan-

tantium, facilè etiam accidit, vt crucifixi Simeonis Episcopi corpus ab eius assecłis Hierosolymas relatum, ibi etiam sepulturæ traditum fuerit. Vnde recte Hierosolymis Natalis eiusdem signetur, & pro celebritate Simonis Cananæi diuersa dies, tam in Romano, quam in alijs Latinorum Martyrologijs, siue passionis, siue translationis reponatur. Nec Nicephorus, qui Simonem Cananæum passum videtur asserere in Britannia, ibi obijsse clarè docet, sed tantùm fidē Christi intulisse; quibus verbis ex vetustiori scriptore mutuatis, cum statim subnectat *post varias arumnas mortem per Crucem subijsse*, Simonem in Britānia obdormiuisse, non nihil durius extorquetur, nec reliqua de alijs Simonis Cananæi peregrinationibus quæcunque attulit, nempe in Ægyptum, Cyrenem, Aphricam, Mauritaniam, & Lybiam omnem, occidentalem Oceanum, Insulasque Britannicas, cum his, quæ passus, esset in Persida, pugnare videtur; Quāuis enim Episcopus Hierosolymitanus fuerit, cum tamen Iacobo Iusto nō successerit, nisi paulo ante Vespesiani in Iudæam aduentum; & postremis Neronis temporibus, spacium illi temporis non defuit, quin ante Episcopatum in longinquas etiam Regiones Apostolicam doctrinam inferre potuerit. Barbaras vtique nationes Simonem docuisse habet Chrysostomus de duodecim Apostolis, siue Barbarorum nomine dissitas ab orbe Romano nationes vniuersim comprehenderit, siue Persis conterminos, & in Persarum Regno recensitos, quos Herodianus lib. 6. Barbaros precipuè vocat, & in libertatem asseruisse Artaxersem narrat, dum Persis Regnum restitueret. Hic autem subnectere non displicuit Theodoreti antiqui, & apprimè eruditi scriptoris testimonium, qui plures Apostolos in Persida occubuisse, Persasque Apostolorum monumenta potiora, quam Romanorum leges duxisse, ita per interpretem refert. lib. 9. de curat. Græcarum affectionum. *Has itaque nouas leges acceperunt à promulgatoribus Galilæis, quique non timuerunt Romanorum potentiam, sese vitæ Crucifixi hominis imperio subdiderunt. Atque vt ij Romanis legibus viuerent, neque Augustus ipse impetrauit, neque Traianus, qui Persarum Regna subuertit, & tamen Apostolorum monumenta Persæ homines, tāquam cælitus allata fuerint, venerantur.* Quæ ideo afferre libuit, quia Iudæ fratri, tam Saluatoris, quam Simonis, alijsque in Persida passis Apostolis, nostroque Martyrologio signatis mirificè congruunt.

De Iuda Simonis Fratre cognomento Zelotes.

EXERCITATIO V.

QVOD in Indiculo nostro Iudas cognomento Zelotes dicatur, præter ea, quæ supra in Simone ex D. Hieronymo attulimus, ad ipsius Indiculi vetustatem confirmandam addere hic expedit, apud Gelasium Primum in Concilio Romano anni 494. Ordinem scripturarum noui Testamenti, his verbis claudi, *Iudæ Zelotis Apostoli epistola vna*. Sicuti igitur ex his, quæ hactenus dicta sunt, Iudam etiam Zelotem vocatum esse constat; ita planum esse arbitror germanum Simonis fratrem fuisse ex Cleopha Patre, & Maria Cleophæ, seu Iacobi Minoris Matre, & vocatum pariter vt D. Augustinus testis est, sacrarum historiarum lingua Domini fratrem, seu fratrem consobrinum; Quòd verò Iudas simul, & semel cum Simone in Persida passus sit, non facilè consentio. Sicuti neque

vnum

vnum,& eundem fuisse cum Thaddeo fratre Apostoli Thomæ,cuius Eusebius meminit, quamuis, & Thaddæum, & Lebæum vocatum fuisse non ignorem. Exordienda igitur à nomine discretio est, vt & locum, tempusque Martirij facilius deinde liceat coniectari. Eusebius, & Annalium Syrorum auctor apud eundem lib. 1. hist. c. 13. Iudæ nomen Thomæ Apostolo ita tribuunt, ex Christophorsoni versione. *Nam vbi Seruator, excitatus à mortuis in Cælum ascenderat, Thomas vnus ex duodecim Apostolis, diuino quodam impulsu, Thaddæum fratrem* (forte hìc fratris nomen pro condiscipulo deberet intelligi, nisi ab interprete, non ab Eusebio frater diceretur, *qui erat in numerum septuaginta discipulorum Christi ascriptus, prædicatorem, & Euangelistam doctrinæ Christi ad Edessam vsque misit*. In Annalibus verò Syriaca lingua conscriptis, in Tabulario Edessæ Ciuitatis ita legendum proponit. *Postquam Iesus assumptus fuit, Iudas, qui & Thomas dicebatur, Thaddæũ Apostolum, vnum ex septuaginta ad Abagarum misit*. Duo hìc animaduersione digna proponuntur. Primùm, quòd Thomas Iudas quoque vocaretur, deinde quòd Thaddæus ex septuaginta discipulis esset, non ex duodenario Apostolorum choro: quæ duo valde distant ab his, quæ ab eadem historia D. Hieronymus trãstulit cap. 10. Matth:, Thaddæum scilicet inter duodecim Apostolos recensitum, eundem cum Iuda esse, & Thaddæum non ex septuaginta, sed ex duodecim Apostolum dici debere; ita enim de Simone Chananæo, & Iuda narrationem instituit. *Simon Chananæus ipse est, qui in alio Euangelista scribitur Zelotes, Chana quippe Zelus interpretatur. Thaddæum Apostolum, Ecclesiastica tradit historia, missum Edessam ad Abagarum Regẽ Chosidenæ* (Chosdroenę potius) *qui ab Euangelista Luca Iudas Iacobi dicitur, & alibi appellatur Lebbæus, quod interpretatur Corculum, credendumque est eum fuisse trinomium, sicut Simon Petrus, & filij Zebedei Boanergès ex firmitate, & magnitudine fidei nominati sunt*. Trinomium ergo Iudam apud D. Hieronymum, hoc est Thaddæum, & Lebæum ex duodecim, non ex septuaginta Apostolis fuisse palam est, in Matthæi, & Lucæ Euangelio. Insuper eundem fuisse, qui ad Abgarum, seu Abagarum Edessæ Toparcham missus fuit. Fatetur equidem idẽ D. Hieronymus, id ex Ecclesiastica historia Eusebij, vt palam est, desumpsisse. Duo tamen vel in suo codice non inuenit, aut deprauata inuenit, & reliquit. Primò Iudam appellatum fuisse Thomam, vel è contra: deinde Thaddæum Apostolum fuisse ex duodecim, non ex septuaginta. In hac Codicis probabili deprauatione Hieronymo adhærere malim, quam Eusebij vulgatæ lectioni consentire, præsertim cum D. Hieronymo Hippolytus breuissimè consonet, & clariùs etiàm Anonymus Oecumenio præfixus. Horum alter & si Iudam Thaddæum dictum fuisse reticeat, Edessanis tamen Euangelium intulisse, ita testatur, *Iudas, qui & Lebbæus vbi populo Edessæ, ac toti Mesopotamiæ prædicasset, obijt Berythi, ac ibi sepelitur*. Alter Thaddæum addit, & tempus prædicationis sub Augaro, siue Abgaro Rege, his verbis signat, *Thaddæus qui, & Lebbæus, & Iudas Iacobi Edessanis, & vniuersæ Mesopotamiæ Euangelium prædicauit, sub Augaro Edessenorum Præside obijt Bereti, & ibidem sepelitur*. Nicæphorus alios Iudæ superaddit labores, lib 2. cap. 40. Quòd nempe Thaddæus, & Lebbæus nuncupatus *Iudæam primum, & Galilæam Samariam, & Idumæam, deinde Arabiæ Ciuitates, nec non Syriæ, & Mesopotamiæ regiones sagena Euangelij cepit, postremo Edessam peruenit Augari Ciuitatem, vbi antea alter Thaddæus, ex septuaginta illis vnus, Christum docuerat. Atque cum ibi, si quid adhuc ex alterius illius ministerio deesset, pulcherrimè expleuisset, Christumque simul & diuinis concionibus, & operibus admirandis glorificasset, mente pacifica, & quieto ad illum commigrauit*. Quòd verò alias quoque regiones Euangelico lumine Iudas perfuderit, alij docent, & conterminam Mesopotamiæ Armeniam maiorem

testis est Ioannes Nicenus, qui de Natiuitate Domini ad Zachariam Catholicum Maioris Armeniæ scribens, eundem *magni Apostoli Thaddæi successorem* appellat, quasi in ea Regione Iudas Episcopalem sibi sedem constituerit. Quòd verò Nicephorus, facile vt Eusebij confusa distingueret, Thaddæum Apostolum diuersum constituat ab eo, qui Thaddæus pariter nuncupatus, & discipulus inter septuaginta, Abgaro ante Thaddæum, Apostolum ex duodecim, Dominum annunciauerit, ex Græcorum Menologio forte desumpsit, in quo duo Thaddæi sub diuersis diebus numerantur, Primus nempe Apostolus ad diem 19. Iunij his verbis. *Sancti Apostoli Iudæ. Hic in Euangelio Lucæ, & in Actibus Apostolorum Iudas nominatur, apud Matthæum verò, & Marcum Thaddæus, & Lebæus appellatur, frater secundum carnem Domini nostri Iesu Christi, & germanus Iacobi fratris Dei. Hic Epistolam scripsit Spiritu Sancto plenam, qui & prædicatione infideles homines conuertit, & apud Mesopotamiam Euangelium gentibus disseminans verbo Christi pietatem Regionibus illis prædicauit, & Edessenorũ Ciuitatem peragrans ad Abagarum profectus, illum à morbo curauit. Demum in Artipoli ab infidelibus suspensus, & sagittis vulneratus spiritum Deo ipsi commendauit.* Deinde alterum Thaddæum, non Galilæum, sed Edessanum ad diem 21. Augusti recolit, qui Abagarum pariter à morbo, siue lepra liberauerit. *Natalis B. Apostoli Thaddæi, qui Lebbæus dictus est. Et post Martyris Bassæ Edessanæ memoriam S. Apostolus Thaddæus ex Vrbe Edessa Hebræus genere, diuinis litteris eruditus, ascendit Hierosolymam in diebus Ioannis Baptistæ, cuius prædicationem audiens, & eius Angelicam vitam admiratus ab eo baptizatus est. Postea Christum videns, & eius ipsius infinita miracula, cœlestemque doctrinam audiens secutus est eum, post cuius in Cœlum ascensionem reuersus in patriam Abagarum Regem baptizauit, eiusque lepræ quod reliquum fuerat, curauit, cum multos alios docuisset, & fide illustrasset, Ecclesijs ædificatis, pertransit Vrbes Lyciæ, cumque Berytum Ciuitatem Phœniciæ veniisset, & illic multos ad Christi fidem conuersos baptizasset, requieuit in Domino.* Hæc assentiri videntur sententiæ aliquorum, qui Thomam Apostolum Edessæ natum perhibent, quòd eius frater ab Eusebio dictus Thaddæus Vrbem Edessam patriam agnosceret, & Iudas, qui Eusebio, & Syrorum Chronographo dicitur Thomas, pro Thoma, non pro Iuda debet intelligi, quasi Thomas nomen, Iudas verò agnomen esset; ita enim interpretatur iterum Eusebius lib. 2. cap. 1. vbi narrat, quòd Thomas diuino impulsu incitatus, Thaddæum doctrinæ Christi Prædicatorem, & Euangelistam Edessam misserit ad Abgarũ Osroenorũ Regem. Cum verò Apostolus hic Thaddæus dicatur, & non ex duodecim exprimatur, lato Apostoli apud Græcos vocabulo pro vno ex septuaginta Discipulis videtur accipiendus. Sin verò alius hic est Thaddæus a Iuda Domini fratre, & Apostolo ex duodecim, pugnaret, quòd Lebbæus diceretur. Nam hoc agnomen eruidẽ Thaddæi, & Iudæ fuit, vt ex Euangelio constat, & difficile admodum est, alterum Thaddæum trinomium quoque fuisse, & cognomento pariter Lebæum, siue Corculum. Minùs etiam verisimile est Thomam ciuem fuisse Edessanum, quòd Apostoli omnes apertissimè ex Euangelistis, & Patribus Galilæi essent, vt alibi dictum est, si quis verò alium Thaddæum addere velit; ne D. Hieronymum, Hippolytum, & Anonymum Oecumenij hallucinatos esse de Edessana tempore Abagari prædicatione consentire videatur, interpretari apud Eusebium debet fratrem pro condiscipulo, & cum Nicephoro addere post Thaddæum Domini discipulum, Iudam quoque Apostolum Edessæ Vrbi, & Toparchæ fidem confirmasse, eo prorsus modo, quo Paulus Apostolus Ephesijs relicto etiam ibi Episcopo discipulo Timotheo fidem Christi annunciauerit, quam fouit deinde, & ampliauit Ioannes Euangelista pariter Apostolus. Et insuper

affir-

affirmare oporteret, Abgarum à morbo; vel non perfectè ſanatum à Thaddæo Domini diſcipulo, qui poſtea à Iuda, vel Thaddæo Apoſtolo integerrimam valetudinem obtinuerit, idque facilius, ſi amplius conſentiat Abgarum, ſiue Abagarum Meſopotamiæ, vel Oſroenorum, vel Choſidenæ Regem, qui poſt Thaddæũ diſcipulum à Thaddæo, vel Iuda Apoſtolo fidem accepit, & ſanatus eſt, alium fuiſſe ab Abgaro pio Rege, qui ſaluatori Domino ſcripſiſſe traditur, & ab eo litteras, & ſpem ſanationis accepiſſe. Profectò alium Abgarum Traiani tempore fuiſſe legitur, apud Dionem ex compendio Theodoſij, *qui Augarus Oſróenus dicitur*, & Edeſſa Traiano obuiam exiens, ſe de tentata rebellione purgauit. At prꝛterquam quod Iudas, vt deinceps monſtrabimus, ad Traiani tempora non peruenit, difficillimum eſt credere, duos pariter Chriſti diſcipulos Thaddꝛi nomine ad duos pariter Abgaros, ambo inſanabili morbo implicatos, peruenisſe, & ſatis eſt ad hiſtoriæ perturbationem tollendam Nicephoro tantùm conſentire, inter Chriſti diſcipulos duos fuiſſe Thaddæos, alterũ ex duodecim, qui & Iudas, & Lebæus, alterum ex ſeptuaginta, qui leproſum Regulum primò ſanauerit, quod Beda etiam in retract. ad Acta Ap. cap. 1. probauit. Iudas igitur, ſiue Thaddæus frater Domini, & Apoſtolus non ille nobis ſit, qui Abgaro per baptiſmi lauacrum corporis, & animæ ſalutem intulit, ſed qui deinde, vt Hippolytus Martyr, & Anonymus Oecumenij teſtantur, vniuerſæ Meſopothamiæ, ne dum Edeſſenis Euangelium explicauit. An verò idem Abgarus fuerit, ſub quo Iudas Apoſtolus poſtremò prædicauit, parũ nobis ſcire refert. Facile eſt Edeſſanos Toparchas vti aliquando in Ægypto Ptolemꝛos, dictos fuiſſe Abgaros, & fortaſſe Rufinus ex alio Syro ſcriptore, vt Abgarum à lepra per Thaddæum diſcipulum mundatum ab alijs diſtingueret, addidit, illum fuiſſe *Vchamæ filium*; dubitare autem licet in Edeſſano apud Euſebium fragmento mendum librarij irrepſiſſe, & pro Dydimo Iudam ſuppoſitum eſſe, vel potius Iudam inconſultò fuiſſe additum in ipſo codice Euſebij, cum inſcius quidam nomen illud Thaddæo adiũgere voluiſſet. Ratio dubitandi eſt, quod pluries Euſebius hanc eandem hiſtoriam repetit, nunquam tamen Iudã dixit Thomam fuiſſe vocatum, præcipuè verò cum viam ad Edeſſanum fragmentum ſternens, ita lib. 1. cap. 13. proloquitur. *Thomas vnus ex duodecim Apoſtolis, diuino quodam impulſu commotus, Thaddæum, qui erat in numero ſeptuaginta diſcipulorum Chriſti aſcriptus, Prædicatorem, & Euangeliſtam doctrinæ Chriſti ad Edeſſam vſque miſit.* Et rurſus lib. 2. cap. 1. *Thomas diuino impulſu incitatus Thaddæum doctrinæ Chriſti Prædicatorem, & Euangeliſtam Edeſſam vſque miſit.* Ipſe verò Nicephorus ſuſpicionem auget, *dum ex Tabularijs Ciuitatis Edeſſæ, & libris de Angari rebus conſcriptis* ſe eandem hiſtoriam habuiſſe narrat lib. 2. cap. 7. & tamen plura, quam Euſebius, ex illis adducens, Thomam non Iudam dictum fuiſſe ſcribit, ſed tantum inquit, *Thomas ex duodecim vnus*. Ita & D. Hieronymus, ſiue ex Eccleſiaſtica Hiſtoria, ſiue ijſdem Syriacis Annalibus hauſerit Thomam quidẽ ex duodecim Apoſtolis Thaddæum miſiſſe refert, non verò Thomam dictum quoque Iudam fuiſſe addit. Libuit autem Nicephoro potius adhꝛrere de vtriuſque Edeſſena prꝛdicatione, quòd Euſebius, ſiue Abgari chronologus Thaddꝛum ex ſeptuaginta vnum, non vniuerſam regionem, non omnem Meſopothamiam, ſed vrbem tantum Edeſſam Chriſto ſubdidiſſe narrant: Thaddæum verò ex duodecim Apoſtolum, tam Hippolytus, quam Anonymus Oecumenij, vniuerſꝛ Meſopothamiæ Euangelium intuliſſe docent; cum verò incertum ſit quo tempore Thaddꝛus Apoſtolus in regione illa Dei verbum prædicauerit, indubium autem ſit, Apoſtolos ex duodenario numero non ſtatim poſt Domini Aſcenſionem in prouincias gentiũ profectos eſſe, confirmatur non vnum, eundemque Thaddæum diſcipulum fuiſſe,

cum

cũ ille ex septuagenario numero statim post Ascensionẽ Domini ad Abgarum cynastam missus à Thoma Apostolo fuerit, tum quia ita in Epistola sub seruatoris nostri nomine scripta reperiatur, *cum primum ad eum me recepero ex discipulis meis aliquem ad te mittam*, tum quia, vt nuper restituit ex pluribus codicibus eruditissimus Valesius, annus quo Edessena Thaddæi discipuli prædicatio apud Eusebium signatur, cum eo prorsus coincidit, quo Domini Passio, & in Cælos Ascensus consignatur; Apostolus verò ex duodecim longius a Hierosolymis non decessisse iuxta Domini præceptum, nisi post duodecim annos, testis est Apollonius vetustissimus scriptor apud Eusebium lib. 5. cap. 18. His ita constitutis obitus Iudæ tempus coniectandum est, cum non leuioribus ambagibus implicetur. Viris vtique doctis compertum est, Catholicam Iudæ Epistolam fidelibus ad semina hæresum auellenda datam esse, postquam Petrus, & Paulus suas scripserint, ita inter alios Oecumænius ad verba illa Epistolæ eiusdem, *Meminisse verborum, quæ prædicta fuerunt ab Apostolis*, addit, *nempe à Petro in secunda Epistola, & a Paulo in singulis fermè epistolis, ex hoc autem manifestum est, quòd extremo tempore hæc scripserit, quum iam cursum suum perfecissent Apostoli*. Post Apostolos ergo Petrum, & Paulum, sed non longè ab ipsis, diẽ suum Iudam obijsse fateri oportet. Domitiani enim tempore duos ex illius nepotibus superstites adhuc fuisse, notat Hegesippus, quasi non modo iam tunc mortuus esset Iudas, sed aliquo etiam temporis interuallo; & facile quidem esset Iudam, vel filium, ex quo nepotes sub Domitiano superstites erant, Vespesiano imperante occubuisse, & Iudam fortasse in sibi commissa Orbis parte Euangelicam tubam personantem, filium verò Hierosolymis. Eusebius quippe non obscurè indicauit lib. 3. cap. 11. *Vespesianum post vastationem Hierosolymorum mandasse, vt omnes ex Dauidis genere prognati diligenter conquirerentur, quò nemo apud Iudæos ex illa regia stirpe in posterum superesset, Indeque in Iudæos maximam denuo cladem, & persecutionem fuisse concitatam*. In hac perquisitione iussu Vespesiani peracta, Iudam, & filium mortem obijsse, ideo asserere potissimum Hegesippus videtur, quia peculiariter notat nepotes Iudæ sub Domitiano adhuc fuisse superstites, per ætatem enim, & filius Iudæ poterat, neque valde senex, aduiuere. Ita igitur Hegesippus, *Alij ex genere Domini seruatoris nepotes Iudæ, qui frater illius secundum carnem dicebatur, adhuc erant superstites, quorum nomina maleuoli detulerunt tanquam ex stirpe Dauidica genus ducentium. Istos verò quidam nomine lacatus ad Cæsarem Domitianum deduxit: hic enim de aduentu Christi, vt Herodes iam olim metu erat non exiguo perculsus. Qui cum ab illis rogasset, vtrum essent ex genere Dauidis procreati; ita rem se habere plane confessi sunt*. Inter hos, qui duo tantum potant laboribus agri addicti, & expresè Iudæ nepotes, Simon Apostolus, & Episcopus iam muneri suo, & prædicationi incumbens non aderat, fortasse quia mota Domitiani in Christianos, Dauidisque consanguineos persecutione, absens a Iudæa erat, & gentibus iam supra relatis Christi fidem vulgabat, vnde ad Traiani tempora simul cum nepotibus Iudæ peruenit; illi enim tunc mortem non subierunt, ita Hegesippo narrante, *Domitianum nihil mali contra eos decreuisse, sed tanquam abiectos, & simplices asseruasse liberos illos quidem dimisisse, atque adeo destitisse a persecutione, quam ex decreto contra Ecclesiam instituerat, istos ita periculo, & crimine solutos deinceps quòd testes Domini erant, tum quod eius stirpe generati putabantur, Ecclesiæ præfuisse, & pace iam in Ecclesia constituta ad Traiani vsque tempora vitam propagasse*. Iudam igitur sub Vespesiano occubuisse admodum probabile est; an vero martyrij triũpho auerit, quaue regione, vel vrbe, deinceps inquirendum est. Iam aliquos eiusmodi vidimus, qui in pace quicuisse propalam asserant, vt Nicephorus, alios, vt Hippo-

lytus

lytus, & Oecumenij Anonymus obijſſe tantùm referunt, ſed hos, qui mortis genus ſilent, fortaſſe Nicephorus ex poſuit, quòd pacifico fine obdormierint. At cum Hippolytus in Simone Epiſcopo, qui crucifixus ex Hegeſippo certò certius fuit, eodem loquendi modo vtatur, ſicuti Anonymus in Philippo, & Bartholomæo, extra controuerſiam martyribus, ex his nihil certi educi poſſe exiſtimarem. Cum verò qui de genere mortis loquuntur, Simonem, ac Iudam martyrio affectos prorſus referant, Martyrem Iudam Apoſtolum fuiſſe non dubitarem. Ita expreſsè Martyrologium noſtrum affirmat, & cũ Simone paſſum, vt ſupra indicauimus, ſignat Kalendis Iulij: ita & Indiculus, ſeu noticia Apoſtolorum apud Bollandum, quamquam vitiosè pro Iuda, alterum Simonem referat, ſed expreſſius in Martyrologio ad diem eundem Calendarum Iulij, vt iam diximus. Quia verò teſtes ex antiquis Patribus deficiunt, ex recentioribus, & ſi in in aliquibus Apocriphis elicere libuit. Dorotheus occiſum tantummodo habet, ſicuti, & Chriſtianus Grammaticus in Matthæum cap. 26. Quod enim ex Hippolyto addit Baronius Beryti conſummaſſe Agonem, in edito Hippolyti libello quoad agonem non inuenio. Abdias Apocriphus, cuius hiſtoria Simonis, & Iudæ vt verbis Rodulphi Tungrẽſis vtar, *hinc inde ſub quadam deuotione indiſcreta collecta periculosè in Eccleſijs legitur*, & Ioannes Heſſels eiuſdem farinæ putat cum hiſtoria Sancti Matthæi, multa intligna habet, quæ ſuſcipiãtur, falſoq; Abdiæ narratio illa adſcribitur; At quiſquis ſit, dum vera falſis admiſcet, quid probari debeat incertum relinquit. Verè vt nobis, videtur, ſcripſit, quòd Simon, & Iudas fratres pariter Domini dicerentur, ac inter ſe germani fratres eſſent: falſa verò, quòd eodem tempore obierint à Sacerdotibus Perſarum occiſi. Simonem enim apud Hegeſippum ſub Traiano obijſſe, Iudam verò ſub Domitiano iam mortuum, ita ſupra probatum exiſtimo, vt ſimul, & ſemel in Perſide martyrio coronari nequierint; & quamquam Ado, & Vſuardus, aliaque Martyrologia ſimul martyrium conſummauiſſe ſcribant, ſimul, hoc eſt in eadem Regione, ſed diuerſo tempore, intelligendum eſſe putarem De genere mortis, Iudam ab infidelibus ſuſpenſum, & ſagittis vulneratum narrat Menologium, reliqui, quos viderim, ſilent. Diuerſa verò quæ de loco Martyrij ſcribuntur, quam longe omnia à veritate; quæ vna eſt, diſcedant, varietas ipſa argumento eſſe poteſt. Beryti occubuiſſe habent Hippolytus, & Dorotheus. Bereti Anonymus Oecumenij. Beryto, vel Antipoli Menologium. Suanis Ciuitate Perſarum Indiculus Bollandi cum Pſeudo Abdia, Niretæ Chriſtianus Grammaticus, Neriti Armeniæ Vrbe Freculphus Lexouienſis. Martyrologium Romanum æque, ac Breuiarium in Perſide glorioſo Martyrio cum Simone coronatum ſuſcipiunt, quod cum Martyrologio noſtro conuenit, & cũm Fortunato Pictauienſi lib. 8. Carm. 4. ita canenti.

Hinc Simonem, ac Iudam lumen Perſide gemellum
Læta relaxato mittet ad aſtra ſinu.

Vvandelbertus in Martyrologio Metrico ijſdem concinit. Nec fortaſſe ab his diſſident, qui in Armenia ſepultum exiſtimarunt, quòd Armenia maior in Perſide numerata Perſarmeniam dictam eſſe feribat Euagrius lib. 5. cap. 7. Et ſi coniecturæ locus eſſe poteſt fortaſſe apud Hippolytum, & alios pro Beryto Phæniciæ Vrbe legendum eſſe Birthæ, quæ Geographis Vrbs eſt Meſopotamiæ apud Euphratem ſub Archiepiſcopatu Edeſſano, ſiue eiuſdem nominis Ciuitas in Babilonia ad Tigrim; ſi quæ enim fides fabuloſo in plurimis Pſeudo Abdiæ, tam Iudæ, quam Simonis corpora, poſtquam Suanir paſſi ſunt, ab Artaſerſe Perſarum Rege in Babiloniam fuere tranſlata. Suanir verò Perſiæ Vrbs Geographis ignota præterquam Ortelio ex eodem Abdia. Quomodo verò Iudæ corpus Hieroſolymam tranſlatum fuerit, vnde reliquias D. Bernardus acceperit, in-

com-

compertum mihi est, sicuti quomodo tam Simonis, quam Iudæ corpora Romam fortasse Hierosolymis delata in Basilica Sancti Petri venerentur, adhuc non mihi liquet. Ex antiqua traditione ibi quiescentes anno 1605. viridibus folijs substratas sacras exuuias inuêtas esse,& noua Ara superimposita ibidê addita Epigraphe repositas, refert Arenghius in Roma subterranea præsertim lib. 2.cap. 7.

XII. Kal. Iunij, vel VI. Kal: Martij.

Matthias de LXX. Discipulis.

QVI hunc concinnauit Indiculum, forte quòd 6. Kal. Martij nullam de Matthia inuenerit mentionem, diem festum, seu Natalem non apposuit; at in Martyrologio ad diem 12. Kal. Iunij ita signatur. *Et alibi Natalis Sancti Matthiæ Apostoli*. Locum autem martyrij fortasse etiam non expressit,quòd incertum scriptoribus esset. Bollan. di Indiculus nihil vndecim Apostolis addens de Matthia prorsus silet. In Iudæa passum videtur Romanum Martyrologium sentire quòd Natale ibi recolat; Sed cum pro natali, festus quisque dies possit intelligi, fortasse qui in Æthiopia palmam Martyrij eidem ascribunt pugnantia non docent. Ado prædicationem, non martyrium in Iudæa memorat, sicut & Vsuardus. At Hierosolymis sepultum essè, apertè refert Hippolytus, quamquam de passione nihil omninò scripserit; *Matthias,cum esset vnus de Septuaginta,accensetur duodecim Apostolis, cumque prædicasset, Hierosolymis obijt, ac illic sepultus est*. Anonymus apud Oecumenium, qui raro ab Hippolyto discrepat, non in Iudæa, sed in Æthiopia exteriori ad Cælum migrasse refert, incertum relinquens, an vel gladio, vel somno Sanctorum. *Moritur in Æthiopia exteriori in loco vbi Absari intersectio est,postquam ibidem prædicasset Euangelium*. Consimilia refert Sophronius, aut quisquis hæc addidit ad D. Hieronymi librum de Scriptoribus Ecclesiasticis. *In altera Æthiopia,vbi est irruptio Apsari, & Hissi portus prædicauit Euangelium, cum essent homines agrestes, & illic dormiuit, & illic sepultus est vsque in hodiernum diem*. Alter hic videtur locus ab eo,in quo Andream Euangelium vulgasse idem narrauit, in *Augusta* nempe *Ciuitate,qua cognominabatur Magna,vbi est irruptio Apsari, & Phasis fluuij, illic incolunt Æthiopes interiores*, quasi Sophronio exterior Æthiopia sit in irruptione Assaris in Hissum, interior vbi Apsaris in Phasim irrumpit. Meum autem non est hìc agere Geographum fabulosæ fortasse, vel ignotæ Æthiopiæ, vt veretur Ortelius, præsertim cum Dorotheus Hyssum portum dicat in Æthiopia interiori, vbi & Phasis fluuius, cum Hyssus portus circa Trapezuntem sit Ptolomæo, & Arriani Periplo. Sunt aliqui Dorothei codices, qui Nyssum pro Hysso legunt, vt in magna Patrum Bibliotheca. *Hic in interiore Æthiopia, vbi Nyssus Maris portus & Phasis fluuius est, hominibus Barbaris & carnivoris prædicauit Euangelium. Mortuus est autê Sebastapoli, ibiq; propè têplum Solis sepultus*. Si enim Matthias Sebastapoli Vrbe Colchidis obierit Nyssum legendum videretur, cum & Phasis fluuius Colchidis sit Straboni, & Ptolemæo. Non longe ab his abijt Nicephorus lib. 2. cap.40. dum Matthiam primum Æthiopiam peragrasse narrat,& ab efferatis gentibus multa perpessum, multosque Christo lucratum, fortissimo animo martyrij coronã suscepisse. At quoad locum obitus cum Hippolyto consentit Leuita ille Treuerensis, qui ex Hebraico damnationum libro gesta S. Matthiæ collegisse præfert in titulo, & cum Pseudo Abdia non

diffi-

dissimilis farinæ ad eiusdem historias subnectitur. Hic non Æthiopiæ, aut Sebastapoli, sed Hierosolymis, & anno post passionem Christi plus minus 33. eodem tempore, quo Iacobus frater Domini, sub Albino Præside, & Anano iuniori Pontifice lapidatum, & securi percussum fuisse singulariter narrat. Græci constanter in Æthiopia passum referunt, vt in Menologio Sirleti ad 8. diem Augusti. *Eodem die certamen Sancti Apostoli Matthiæ, qui vnus ex Septuaginta connumeratus est duodecim Apostolis pro Iuda Iscariota; prædicauit autem Euangelium in Æthiopia, vbi multis pro Christi fide superatis tormentis spiritum Deo tradidit.* At in tanta minùs grauium scriptorum de Matthiæ Actis dissonantia, ita Freculphus cum Indiculo nostro consentit, vt alter ab altero exscribens, ne syllabam quidem mutauerit lib. 2. tom. 2. c. 4. Parum etiam distat Isidorus iunior Hispalensis, qui sæculo septimo floruit, de vita, & morte Sanctorum noui Testamenti, & Beda in excuso Martyrologio, locum tamen martyrij, seu natalis in Palestina confirmant Rabanus, & Notkerus, & in Iudæa m.s. Treuirense apud Bollandum.

Hæc ad Dei, & Apostolorum gloriam Indiculo potiùs addere libuit, quam Martyrologium longioribus passim adnotationibus in farcire.

VETVSTIVS OCCIDENTALIS ECCLESIÆ MARTYROLOGIVM.

Quod ex antiquis codicibus fideliter redditum, Ita à Domini Natiuitate exorditur.

VIII. Kalendas Ianuarij.

IN Bethleem Natiuitas Saluatoris Domini Nostri Iesu Christi secundum carnem. Romæ Iouini. Pastoris. Basilei. Victorianæ. Acelli. Euticeti. Simphronianæ. Saturnini. Timedi. Ignati. Cyriaci. Gagi. Ianuariæ. Datilij. Et in Cimiterio Aproniani Viâ Latina Romæ passio S. Eugeniæ Virginis. Syrmæ, & Anastasiæ. Mediolano Felicitatis. & in Pergamo Saturnini, Constantinopoli S. Anastasij.

DECEMBRIS 25.

DE verò Natalis Domini anno, plurimum inter se Chronologi dissentiunt; & de Christianæ Epochæ limitibus, quos annos Christi vocant, eiusque numerandi capite, ita incerta penes scriptores sunt omnia, vt non facilè affirmare liceat, quid vetustis temporibus Ecclesia seruare consueuerit. Siuè enim ad Tyrannorum, qui primum regnandi diem mensuram temporum cõstituerunt, detestandam seuitiem, siuè ad fidelium pietatem nouis rationibus excitandam, tàm in sacris monumentis, quàm ritibus anni Christiani initium, vel immutauit, vel diuersis sæculis, & regionibus diuersimodè cõputauit. Sunt equidem plura apud antiquos scriptores, quę vetustiorem, & vsitatiorem Ecclesię Epocham, à Domini Natiuitate deductam suadeant, vti pariter Martyrologium nostrum confirmat. Sunt recentiores doctissimi, Scaligerus præsertim, Cuiacius, & Petauius, qui potiùs à Paschate, vel Domini Passione, variabili cardine, Sacrum annũ deductum velint. Ecclesiastica alia extant monumenta, quę stabili limite a 25. Martij, seu Dominicæ Incarnationis die, annum sacrum enumerent; alia, quæ Romanõ more, & anni Iuliani lege, ab ipsis Ianuarij Calendis inchoatum ostendant. Nonnulla, sed rariora à Christi Domini prædicatione, aut ab ipsa fundata Ecclesia, aliqua à prima Romani Pontificis in cathedra Petri sedentis die, additis Inditionibus, alia a Septẽbri mense annũ indicent inchoatum. Plu-

rima denique sunt, & frequentiora, quæ per Consulum fastos, & Imperatorũ adepti regni initia, vetustiores Ecclesiæ tabulas signari consueuisse demonstrent. At sicuti negari nequit, in tanta Christianæ Æræ dissonantia, ambages plurimas orisi potuisse, ita, cum huiusque rem ex integro discuti non viderim, subijt animum præ viribus varias Ecclesiæ Epochas discernere, & in ipso Martyrologij limite quidquid inuenerim exhibere. Quia verò sacri, vel Ecclesiastici anni initiũ in hoc vetusto codice à Domini Natiuitate præfigitur, nonnulla verò vetusta pariter Martyrologia, alijque sacrorum rituum codices, non ab ipso natalitio die, sed ab eiusdem professo, vel pervigilio annum auspicentur, de hac etiam discrepantia exerceri non nihil libuit; quòd lectorem Chronologum laborem hunc meum æqui, bonique consulturum non diffidam.

De Vetustiori, ac multiplici Ecclesiarum Epocha, deque anni Christiani, ac sacri numerandi ratione.

EXERCITATIO I.

QVAM varia de Characteribus anni apud exteras gentes tradiderunt antiqui? Quàm multiplex in eorum numerandi ratione vetustas fuit? Adeat, qui curiosius hæc rimari velit, Diodorum lib. 1. Bibl., Plinium lib. 7, cap. 48., Gellium lib. 1. Noct. Attic. c. 48. Censorinum de die Nat. cap. 15., Clementem Stromateum, Ammianum Marcellinum initio lib. 26., ac præterea D. Augustinum lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 10. & lib. 5. cap. 14., quos multa enarrantes inueniet. Vagam hanc, & incertam computandi rationem Iulius Cæsar sub certa lege coercuit, & qui vniuerso ferè Orbi iura dabat, repetito à Numa Rege Ianuarij principio, à media nocte eiusdem mensis Calendarum vsque ad mediam postremi Decembris noctem annum composuit. Non ita tamen id præstitit, vt nedum in remotioribus regionibus, sed nec ipsa seruaretur Italia; quando vt successori Augusto adularentur, testis est Suetonius lib. 2. cap. 59., quasdam Italiæ Ciuitates, diem, quo primum ad se veniisset, initium anni constituisse. At lucescente postmodũ Christiana fide, ab Ethnicorum moribus deflectẽs Ecclesia, inter varia pietatis argumenta, insinuata fidelibus, Christianã etiam Epocham varijs religionis nostræ characteribus initiauit, ac in sacris præcipuè ritibus, ab infideliũ numerandi ratione discessit. Hinc Æræ Christianæ caput, modò Dominicę Passionis, vel Paschę nota signauit: modo Diuinę Incarnationis, vel Annunciatę Virginis mysterio exornauit: modo Domini Natiuitatem initium anni constituit. Quia verò aliter, in his præcipuè, quæ sacras historiarum narrationes, vel publica acta designarent, Ecclesiastici scriptores annum frequentiùs inchoauerunt, & inde variæ supra indicatæ temporum rationes emersérunt, per easdem excurrere conabimur, non ita tamen ad amussim propositum in enumerata dissonantia ordinem seruare pollicemur, quin à vetustiori, & communiori, tàm Occidentalis, quàm Orientalis Ecclesiæ more exordientes, reliqua, prout loquendi opportunitas feret, quantum breuissimo stylo licuerit, prosequamur.

Equidem, præter visitatiorem Dominici Natalis in anno cardinem, quia parum

Ianuarij

Ianuarij Calendæ ab ipso deflecterent, eundem anni initium cum vulgari, Romana pariter, & Occidentalis Ecclesia retinuit; & ne confusio in actis publicis oriretur, tam Occidentalis, quam Orientalis, in ijs, quæ pluribus gentibus communia esse deberent, vel regnantium Imperatorum annis, vel Consulibus, vel vtrisque, ita eadem acta consignauit, vt vel vagum limitem, iuxta adhuc imperantis Regnum, vel ab aliquo, qui ita lege sanxerit, vsuque receptum fuerit, Regis anno certum terminum retineret. Sicuti enim Catholica Ecclesia à Spiritu Sancto edocta pro Regnantibus Principibus, quantumuis sceleſtis, ad Deum præces fundere non detractauit, ita eorundem regnorum annis sacras tabulas firmare non destitit, exemplo à sacra Scriptura desumpto, in qua post captiuitatem reductam, numerari tempora videntur per annos externorum Principum, quémadmodum ad Nicephori Constantinopolitani Chronologiam cap. 7. adnotauit Contius. Nullasanè vetustior in Ecclesia Epocha est, quam quæ in Euangelio Lucæ c. 3. Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris signatur; & consimilis ratio temporis mensurandi in Actis etiam Apostolorum extat, in quibus licet currentiũ annorum ad amussim tempus non apponatur, dum tamen cap. XI. famem ab Agabo prædictam indicari contingit, sub Claudio, Imperantis nempe principis temporaria nota, incidisse monstratur. Hinc sacri Scriptores, in his, quæ ad Ecclesiasticam Historiam maximè pertinere videbantur, eadem computandi ratione vsi sunt; quod (vt à multis supersedeam) clarè in re magna patet, hoc est in Petri Apostoli Romam aduentu, qui ita ab Eusebio indicatur in Chronico: *Anno secundo Claudij Petrus Apostolus, cum primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur*. Ex quo fortasse D. Hieronymus eandem ita Epocham firmauit. *Petrus post Episcopatum Antiochensis Ecclesia, & Prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderunt, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bythinia, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annũ Neronis*. Qui pariter reliquam Apostolorum Historiam regnantium Imperatorum annis distinguit, vt de Iacobo fratre Domini, Hierosolymis Ecclesiam gubernante, refert, *vsque ad septimum Neronis annum*, & Paulum Apostolum Romam in vinculis transpositum fuisse ostendit, *post passionem Domini vigesimo quinto anno, ideſt secundo Neronis*. Eodem quoque charactere vsus est idem Sanctus Doctor, dum non modo quæcunque de Apostolis, alijsque vetustis Ecclesiæ scriptoribus memoriæ consignauit, Imperatorũ tunc regnantium annis distinxit, sed etiam Apostolica Acta à Luca conscripta, in hanc Epocham ita accomodauit, *cuius* (nempe Sancti Lucæ) *historia vsque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, ideſt vsque ad quartum Neronis annum*. Consimili quoque temporum nota Ecclesia vniuersa in Concilijs vetustioribus, decretalibusque Epistolis, modo ijsdem Imperantis Principis annis, modo Consulibus, quod notius omnibus esset, publica illa monumenta firmauit. Quod ita frequens, & vulgatum fuisse existimauit D. Ambrosius ad cap. 2. Lucæ, vt in descriptione sub Præside Quirino, non dubitauerit affirmare Natiuitatem Domini Consulibus fuisse signatam. *Nam si Consules ascribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium?* Ita Anaristi decretales epistolæ, circa annum Domini 112., & deinceps Alexandri, Sisti, Aniceti, & reliquorum succedentium Pontificum Consulibus notantur, quamquam Binius ad primam Alexandri Pontificis, & Martyris decretalem Epistolam existimauerit, nullos Consules in epistolis hisce à Pontificibus, vel eorum amanuensibus appositos vnquam fuisse, sed aliunde subrepsisse, fortasse quòd mendis frequentioribus scatere obseruauerit. Sed in tam crebra Apostoli-

De anno à Consulibus, vel Principibus regnantibus.

carum

carum litterarum per Consules signatura, incredibile est, perpetuam fraudem ineſſe. Certè Epistolæ plurimæ, quæ sine vlla hæsitatione genuinę putantur, consulares notas retinent in Roma nis codicibus, vnde primum vulgatæ fuerunt, & gesta Martyrum, quæ exhibet D. Augustinus appositam per Consules notam habent *Diocletiano nouies, & Maximiano octies*, sicuti conciliabulum Cirthense, ipsis persecutionis sæuissimæ temporibus, lib. 3. contra Cresconium cap. 27. consulares fastos exhibet *Diocletiano octies, & Maximiano septies*, quæ vsitata signandi ratio in alio Cirthensi, paulum recentiori iudicio cap. 29. pariter legitur. *Constantio Maximo Augusto, & Constantino Iuniore, nobilissimo Cæsare Consulibus Idus Decembris, ex tota Mosiacensi inducto, & applicito &c.* eandem per Consules Epocham exhiber, sub Marcellino Pontifice, Concilium Sinuessanum, quamquam eius acta non me lateat plurimos esse, qui doceant spuria esse. At Concilium Arelatense sub Siluestro Papa, biennio ante Nicenum, post capitulorum syllogen, tempus partim à Domini Natiuitate, partim ab Imperatoribus, & Cōsulibus, in editis Conciliorum voluminibus, ita subsignat. *Celebratum est autem idem Concilium tempore Beati Siluestri Papæ primi, & Constantini Imperatoris circa annum Domini 326. Volusiano, & Anniano Viris clarissimis Consulibus*: quæ verba superaddita recentiori calamo suspicari licet, quòd in m.s. Fabri, id Frontone Ducæo in notis attestante, eorumdem loco sequentia magis ad sæculum illud accomodata, legerentur. *Synodus Episcoporum habita in Ciuitate Arelatensi apud Marinum Episcopum Ecclesia Catholica, temporibus Constantini A. Volusiano, & Abiano VV.CCl. Coss.* Ita Concilium Romanum, quamquam pluribus in locis deprauatum, sub Siluestro Papa, consulari nota canones claudit circa annum Domini 324; qua temporum annotandorum ratione, cum deinceps ferè omnia Concilia, decretalesquæ Epistolæ, tribus saltem sequentibus sæculis, constantissimè fulciantur, plurima hic congerere supersedeo. Quòd vero deinceps in Concilio Mileuitano sub Innocentio primo, circa annum Domini 416., non modo acta consulibus signentur, sed Can. 57., relato in Concilio Africano, sub Cælestino, & Bonifacio sancitum fuerit, vt qui ordinantur per prouincias Africanas, *literas accipiant ab ordinatoribus suis, manu eorum conscriptas, continentes Consulem, & diē, vt nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur*; sed aliquando etiam, præter annuos Consules, addi consueuisse aliam magis fixam, ac certam annos computandi rationem, ex celeberrimo Niceno Concilio apparet, in quo præter Consularem notam ab Alexandri Imperio, tanquam certo limite, ita annus celebrati Concilij cosignatur. *Canones trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum qui Nicæa conuenerunt, Consulatu Paulini, & Iuliani, Virorum Clarissimorum, anno ab Alexandro* DCXXXVI. XIII. Calendas Iulij, *qui est* apud Græcos *dies mensis* Desis, *ideſt* vt Interpres vertit, *Iunij*, sed vt in Græco est, *Iulio*. Annos sic ab Alexandro numeratos, ideo addi putat Contius ad Nicephori cap. vndecimum, quòd ex more tunc vniuersæ Græciæ, & Ægypti in vsu esset; sed an ita comuniter Græcia, & Ægyptus tempora computarent, non mihi hactenus liquere fateor. Scio equidem, Socratem lib. pr. cap. 9. Ecclesiasticæ historiæ, Concilij Niceni annum, non modo per Consules adnotare, sed ab Alexandri Magni regno, tanquàm à certo, & terminato limite tempus ita decernere, Christophorsono Interprete. *Quod autem ad tempus Concily attinet, coactum quidem fuit, sicut ex Annalium Commentarys constat, Paulino, & Iuliano Coss., vndecimo Calendas Iunij, anno sexcentesimo trigesimo sexto post Regnum Alexandri Regis Macedonum.* Hanc ex Alexandro Magno petitam Æram Græcorum communem fuisse, Seleucidarum dicam, cæptamque ab anno ante Christianam salutem 312. Petauius

etiam

etiam docet Rationarij temporum lib. 3. parte 2. cap. 13. At vniuersæ Græciæ eandem tempora signandi rationem tantummodo in vsu fuisse, non consentio. Præterquam quod enim, vt ad Ausonium Scaliger, & ad Suetonium notat Casaubonus, multæ Ciuitates sub Imperio Romano proprios annorum characteres habuerunt, nec Consules Romanos cuiuscumque anni iudices scripserunt; nec anni Iuliani modulum sequi sunt; Constat Nicopolitanos, & Alexandrinos annum ab Augustali suo numerauisse. Huius rei Cuiacium ex non editis Alexandrinæ Vrbis Chronicis testem adducit Casaubonus, qui libro 2. c. 59. Animaduers. ad Suetonium penes se habuisse profitetur, in antiquissimis membranis, canonem Paschalem Græcè scriptum, vbi anni caput est, non Ianuarius, sed September; quod in Alexandrina Ecclesia, & alibi obtinuisse existimat.

Cum verò Casaubonus id, non alijs scriptorum monumentis, explicet, coniecturam nostram addere libet, hanc nimirum facile Æram Diocletiani fuisse, quæ Autumni tempore cæpta in Ægypto, & Græcia ad Iustinianum vsque in vsum, præsertim Ecclesiasticum Paschalis Cicli, perdurauit. Non enim annorum tantum à Diocletiano computandi ratio ciuilis fuit, sed sacra; & Paschalis, & quæ insuper aliquibus, in odium sæuissimi, & Christiano nomini infensissimi hostis, Æra Martyrum diceretur. Non me fugit Baronium doctissimum existimasse ad annum 284. cum Scaligero, & Panuino, Diocletianum XI. Kal. Maij ipsis Parilibus, seu potiùs Palilibus Imperium accepisse, & inde annos Diocletiani scriptoribus esse numeratos; sed simul cum Baronio alios scriptores, ex malo intellecto Mamertini loco, fuisse deceptos asserit Petauius parte 2. Rationarij temporum lib. 4. cap. 9. & lib. de doct. temporum cap. 30. Quia re vera Diocletianus Carino II. & Numeriano Coss. hoc est anno Christi 282. ante diem 15. Cal. Octobris, Chalcedone renunciatus fuerit Imperator, & 3. Cal. Octobris, cum purpura Nicomediam ingressus sit, ac demum Calendis Ianuarijs sequentibus Consul processerit cum Aristobolo Collega. Hoc enim non modo egregio loco Chronici Alexandrini firmatur apud eundem Petauium, sed & ex ijs etiam, quæ de Pascha ad Emiliæ Episcopos scripsit S. Ambrosius, nosque infra adducimus, non obscurè confirmatur. Addit vero Petauius initium annorum Diocletiani ab Augusti 29. die, Alexandrinorum instituto, numerari consueuisse, & ex primo anni cyclo S. Cyrilli non incongruè deducit; quod spacium cum non valdè ab Alexandrino Chronico distet, nec malè in Canone Paschali apud Casaubonum circa Autumnum, ac Septembrem Epochę Diocletiani initium coniectauimus. Hanc computandi rationem, non modo collimat locus D. Ambrosij indicatus lib. X. Epist. 83., sed ex eo quòd ipse nominibus mensium Ægyptiorum vtatur, Alexandrinum computum secutum esse dubitari nequit, cum notissimum sit, in Nicena Synodo Alexandrinæ Ecclesiæ honorem Paschalis computi ita tributum fuisse, vt non modo ad Ecclesias Orientis, sed & Occidentis celebrandæ Paschæ computum inde transmitteretur, quod ex Theophili, & Hieronymi Epistolis apertè conuincitur. Hic verò audire Ambrosium pro re nostra expedit. *Octogesimo autem anno, & nonagesimo tertio, ex die Imperij Diocletiani cum quartadecima Luna esset nono Kal. Aprilis, Alexandrini quoque, & Ægyptij, vt ipsi scripserunt cum incidisset quartadecima luna, & 20. & 8. die Pharmuthi mensis celebrauerunt Pascha quinta die Pharmuthi mensis, quæ est pridie Kal. Aprilis, vt sic conuenerit nobiscum. Rursus nonagesimo, & tertio anno à die Imperij Diocletiani, cum incidisset quartadecima luna in quartum decem diem Pharmuthi mensis, qua est quinto Idus Aprilis, quæ erat Dominica die celebratum est Pascha &c.* Quòd verò in Italia annus Paschalis ritu Ægyptiorum computaretur, ex his, quæ addit D. Ambrosius confirma-

Æra Diocletiani sine Martyrum.

cũ ille ex septuagenario numero statim post Ascensionẽ Domini ad Abgarum dynastam missus à Thoma Apostolo fuerit, tum quia ita in Epistola sub seruatoris nostri nomine scripta reperiatur, *cum primum ad eum me recepero ex discipulis meis aliquem ad te mittam*, tum quia, vt nuper restituit ex pluribus codicibus eruditissimus Valesius, annus quo Edessena Thaddæi discipuli prædicatio apud Eusebium signatur, cum eo prorsus coincidit, quo Domini Passio, & in Cælos Ascensus consignatur: Apostolus verò ex duodecim longius a Hierosolymis non decessisse iuxta Domini præceptum, nisi post duodecim annos, testis est Apollonius vetustissimus scriptor apud Eusebium lib. 5. cap. 18. His ita constitutis obitus Iudæ tempus coniectandum est, cum non leuioribus ambagibus implicetur. Viris vtique doctis compertum est, Catholicam Iudæ Epistolam fidelibus ad lemina hæresum auellenda datam esse, postquam Petrus, & Paulus suas scripserint, ita inter alios Oecumænius ad verba illa Epistolæ eiusdem, *Memineritis verborum, quæ prædicta fuerunt ab Apostolis*, addit, *nempe à Petro in secunda Epistola, & a Paulo in singulis fermè epistolis, ex hoc autem manifestum est, quòd extremo tempore hæc scripserit, quum iam cursum suum perfecissent Apostoli*. Post Apostolos ergo Petrum, & Paulum, sed non longè ab ipsis, diẽ suum Iudam obijsse fateri oportet. Domitiani enim tempore duos ex illius nepotibus superstites adhuc fuisse, notat Hægesippus, quasi non modo iam tunc mortuus esset Iudas, sed aliquo etiam temporis interuallo: & facile quidem esset Iudam, vel filium, ex quo nepotes sub Domitiano superstites erant, Vespesiano imperante occubuisse, & Iudam fortasse insibi commissa Orbis parte Euangelicam tubam personantem, filium verò Hierosolymis. Eusebius quippe non obscurè indicauit lib. 3. cap. 11. *Vespesianum post vastationem Hierosolymorum mandasse, vt omnes ex Dauidis genere prognati diligẽter conquirerentur, quò nemo apud Iudæos ex illa regia stirpe in posterum supereesset, Indeque in Iudæos maximam denuo cladem, & persecutionem fuisse concitatam*. In hac perquisitione iussu Vespesiani peracta, Iudam, & filium mortem obijsse, ideo asserere potissimum Hegesippus videtur, quia peculiariter notat nepotes Iudæ sub Domitiano adhuc fuisse superstites; per ætatem enim, & filius Iudæ poterat, neque valde senex, aduiuere. Ita igitur Hegesippus, *Ali ex genere Domini seruatoris erant nepotes Iudæ, qui frater illius secundum carnem dicebatur, adhuc erant superstites, quorum nomina malevoli detulerunt tanquam ex stirpe Dauidica genus suum deriuantium. Istos verò quidam nomine lacessitos ad Cæsarem Domitianum deduxit, hic enim de aduentu Christi, vt Herodes iam olim metuebat non exiguo perculsus. Qui cum ab illis rogasset, vtrum essent ex genere Dauidis procreati; ita rem se habere plane confessi sunt*. Inter hos, qui duo tantum erant laboribus agri addicti, & expressè Iudæ nepotes, Simon Apostolus, & Episcopus iam muneri suo, & prædicationi incumbens non aderat, fortasse quia mora Domitiani in Christianos, Dauidisque consanguineos persecutione, absens à Iudæa erat, & gentibus iam supra relatis Christi fidem vulgabat, vnde ad Traiani tempora simul cum nepotibus Iudæ peruenit; illi enim tunc mortem non subierunt, ita Hegesippo narrante, *Domitianum nihil mali contra eos decreuisse, sed tanquam abiectos, & simplices sperna se liberos illos quidem dimisisse, atque adeo desitisse a persecutione, quam ex decreto contra Ecclesiam instituerat, istos ita periculo, & crimine solutos deinceps stitum quòd testes Domini erant, tum quod eius stirpe genitati putabantur. Ecclesiæ profuisse, & pace tum in Ecclesia constituta ad Traiani vsque tempora veram propagasse*. Iudam igitur sub Vespesiano occubuisse admodum probabile est; an verò mortuus sit triumphauerit, quaque regione, vel vrbe, deinceps inquirendum est. Iam aliquos esse vidimus, qui in pace quieuisse propalam asserant, vt Nicephorus, alios, vt Hippo-

lytus

lytus, & Oecumenij Anonymus obijſſe tantùm referunt, ſed hos, qui mortis genus ſilent, fortaſſe Nicephorus ex poſuit, quòd pacifico fine obdormierint. At cum Hippolytus in Simone Epiſcopo, qui crucifixus ex Hegeſippo certò certius fuit, eodem loquendi modo vtatur, ſicuti Anonymus in Philippo, & Bartholomæo, extra controuerſiam martyribus, ex his nihil certi educi poſſe exiſtimarem. Cum verò qui de genere mortis loquuntur, Simonem, ac Iudam martyrio affectos prorſus referant, Martyrem Iudam Apoſtolum fuiſſe non dubitarem. Ita expreſsè Martyrologium noſtrum affirmat, & cũ Simone paſſum, vt ſupra indicauimus, ſignat Kalendis Iulij: ita & Indiculus, ſeu noticia Apoſtolorum apud Bollandum, quamquam vitiosè pro Iuda, alterum Simonem referat, ſed expreſſius in Martyrologio ad diem eundem Calendarum Iulij, vt iam diximus. Quia verò teſtes ex antiquis Patribus deficiunt, ex recentioribus, & ſi in in aliquibus Apocriphis elicere libuit. Dorotheus occiſum tantummodo habet, ſicuti, & Chriſtianus Grammaticus in Matthæum cap. 26. Quod enim ex Hippolyto addit Baronius Beryti conſummaſſe Agonem, in edito Hippolyti libello quoad agonem non inuenio. Abdias Apocriphus, cuius hiſtoria Simonis, & Iudæ vt verbis Rodulphi Tungrẽſis vtar, *hinc inde ſub quadam deuotione indiſcreta collecta periculosè in Eccleſijs legitur*, & Ioannes Heſſels eiuſdem farinæ putat cum hiſtoria Sancti Matthæi, multa intligna habet, quæ ſuſcipiãtur, falſoq; Abdiæ narratio illa adſcribitur; At quiſquis ſit, dum vera falſis admiſcet, quid probari debeat incertum relinquit. Verè vt nobis, videtur, ſcripſit, quòd Simon, & Iudas fratres pariter Domini dicerentur, ac inter ſe germani fratres eſſent: falſa verò, quòd eodem tempore obierint à Sacerdotibus Perſarum occiſi. Simonem enim apud Hegeſippum ſub Traiano obijſſe, Iudam verò ſub Domitiano iam mortuum, ita ſupra probatum exiſtimo, vt ſimul, & ſemel in Perſide martyrio coronari nequierint; & quamquam Ado, & Vſuardus, aliaque Martyrologia ſimul martyrium conſummauiſſe ſcribant, ſimul, hoc eſt in eadem Regione, ſed diuerſo tempore, intelligendum eſſe putarem De genere mortis, Iudam ab infidelibus ſuſpenſum, & ſagittis vulneratum narrat Menologium, reliqui, quos viderim, ſilent. Diuerſa verò quæ de loco Martyrij ſcribuntur, quam longe omnia à veritate; quæ vna eſt, diſcedant, varietas ipſa argumento eſſe poteſt. Beryti occubuiſſe habent Hippolytus, & Dorotheus. Bereti Anonymus Oecumenij. Beryto, vel Antipoli Menologium. Suanis Ciuitate Perſarum Indiculus Bollandi cum Pſeudo Abdia, Niretæ Chriſtianus Grammaticus, Neriti Armeniæ Vrbe Freculphus Lexouienſis. Martyrologium Romanum æque, ac Breuiarium in Perſide glorioſo Martyrio cum Simone coronatum ſuſcipiunt, quod cum Martyrologio noſtro conuenit, & cũm Fortunato Pictauienſi lib. 8. Carm. 4. ita canenti.

Hinc Simonem, ac Iudam lumen Perſide gemellum
Læta relaxato mittet ad aſtra ſinu.

Vvandelbertus in Martyrologio Metrico ijſdem concinit. Nec fortaſſe ab his diſſident, qui in Armenia ſepultum exiſtimarunt, quòd Armenia maior in Perſide numerata Perſarmeniam dictam eſſe ſcribat Euagrius lib. 5. cap. 7. Et ſi coniecturæ locus eſſe poteſt fortaſſe apud Hippolytum, & alios pro Beryto Phœniciæ Vrbe legendum eſſe Birthæ, quæ Geographis Vrbs eſt Meſopotamiæ apud Euphratem ſub Archiepiſcopatu Edeſſano, ſiue eiuſdem nominis Ciuitas in Babilonia ad Tigrim; ſi quæ enim fides fabuloſo in plurimis Pſeudo Abdiæ, tam Iudæ, quam Simonis corpora, poſtquam Suanir paſſi ſunt, ab Artaſerſe Perſarum Rege in Babiloniam fuere tranſlata. Suanir verò Perſiæ Vrbs Geographis ignota præterquam Ortelio ex eodem Abdia. Quomodo verò Iudæ corpus Hieroſolymam tranſlatum fuerit, vnde reliquias D. Bernardus acceperit, in-

com-

compertum mihi est, sicuti quomodo tam Simonis, quam Iudæ corpora Romam fortasse Hierosolymis delata in Basilica Sancti Petri venerentur, adhuc non mihi liquet. Ex antiqua traditione ibi quiescentes anno 1605. viridibus folijs substratas sacras exuuias inuētas esse,& noua Ara superimposita ibidē addita Epigraphe repositas, refert Arenghius in Roma subterranea præsertim lib. 2.cap. 7.

XII. Kal. Iunij, vel VI. Kal: Martij.

Matthias de LXX. Discipulis.

QVI hunc concinnauit Indiculum, forte quòd 6. Kal. Martij nullam de Matthia inuenerit mentionem, diem festum, seu Natalem non apposuit; at in Martyrologio ad diem 12. Kal. Iunij ita signatur. *Et alibi Natalis Sancti Matthiæ Apostoli*. Locum autem martyrij fortasse etiam non expressit, quòd incertum scriptoribus esset. Bollan. di Indiculus nihil vndecim Apostolis addens de Matthia prorsus silet. In Iudæa passum videtur Romanum Martyrologium sentire quòd Natale ibi recolat; Sed cum pro natali, festus quisque dies possit intelligi, fortasse qui in Æthiopia palmam Martyrij eidem ascribunt pugnantia non docent. Ado prædicationem, non martyrium in Iudæa memorat, sicut & Vsuardus. At Hierosolymis sepultum essè, apertè refert Hippolytus, quamquam de passione nihil omninò scripserit; *Matthias, cum esset vnus de Septuaginta, accensetur duodecim Apostolis, cumque prædicasset, Hierosolymis obijt, ac illic sepultus est*. Anonymus apud Oecumenium, qui raro ab Hippolyto discrepat, non in Iudæa, sed in Æthiopia exteriori ad Cælum migrasse refert, incertum relinquens, an vel gladio, vel somno Sanctorum. *Moritur in Æthiopia exteriori in loco vbi Absari intersectio est, postquam ibidem prædicasset Euangelium*. Consimilia refert Sophronius, aut quisquis hæc addidit ad D. Hieronymi librum de Scriptoribus Ecclesiasticis. *In altera Æthiopia, vbi est irruptio Apsari, & Hissi portus prædicauit Euangelium, cum essent homines agrestes, & illic dormiuit, & illic sepultus est vsque in hodiernum diem*. Alter hic videtur locus ab eo, in quo Andream Euangelium vulgasse idem narrauit, in *Augusta* nempe *Ciuitate, quæ cognominabatur Magna, vbi est irruptio Apsari, & Phasis fluuij, illic incolunt Æthiopes interiores*, quasi Sophronio exterior Æthiopia sit in irruptione Assaris in Hissum, interior vbi Apsaris in Phasim irrumpit. Meum autem non est hic agere Geographum fabulosæ fortasse, vel ignotæ Æthiopiæ, vt veretur Ortelius, præsertim cum Dorotheus Hyssum portum dicat in Æthiopia interiori, vbi & Phasis fluuius, cum Hyssus portus circa Trapezuntem sit Ptolomæo, & Arriani Periplo. Sunt aliqui Dorothei codices, qui Nyssum pro Hysso legunt, vt in magna Patrum Bibliotheca. *Hic in interiore Æthiopia, vbi Nyssus Maris portus & Phasis fluuius est, hominibus Barbaris & carnivoris prædicauit Euangelium. Mortuus est autē Sebastapoli, ibiq; propè tēplum Solis sepultus*. Si enim Matthias Sebastapoli Vrbe Colchidis obierit Nyssum legendum videretur, cum & Phasis fluuius Colchidis sit Straboni, & Ptolemæo. Non longe ab his abijt Nicephorus lib. 2. cap. 40. dum Matthiam primum Æthiopiam peragrasse narrat,& ab efferatis gentibus multa perpessum, multosque Christo lucratum, fortissimo animo martyrij coronā suscepisse. At quoad locum obitus cum Hippolyto consentit Leuita ille Treuerensis, qui ex Hebraico damnationum libro gesta S. Matthiæ collegisse præfert in titulo, & cum Pseudo Abdia non

dissimilis farinæ ad eiusdem historias subnectitur. Hic non Æthiopiæ, aut Sebastapoli, sed Hierosolymis, & anno post passionem Christi plus minus 33. eodem tempore, quo Iacobus frater Domini, sub Albino Præside, & Anano iuniori Pontifice lapidatum, & securi percussum fuisse singulariter narrat. Græci constanter in Æthiopia passum referunt, vt in Menologio Sirleti ad 8. diem Augusti. *Eodem die certamen Sancti Apostoli Matthiæ, qui vnus ex Septuaginta connumeratus est duodecim Apostolis pro Iuda Iscariota; prædicauit autem Euangelium in Æthiopia, vbi multis pro Christi fide superatis tormentis spiritum Deo tradidit.* At in tanta minùs grauium scriptorum de Matthiæ Actis dissonantia, ita Freculphus cum Indiculo nostro consentit, vt alter ab altero exscribens, ne syllabam quidem mutauerit lib. 2. tom. 2. c. 4. Parum etiam distat Isidorus iunior Hispalensis, qui sæculo septimo floruit, de vita, & morte Sanctorum noui Testamenti, & Beda in excuso Martyrologio, locum tamen martyrij, seu natalis in Palestina confirmant Rabanus, & Notkerus, & in Iudæa m.s. Treuerense apud Bollandum.

Hæc ad Dei, & Apostolorum gloriam Indiculo potiùs addere libuit, quam Martyrologium longioribus passim adnotationibus in farcire.



VETVSTIVS OCCIDENTALIS ECCLESIÆ MARTYROLOGIVM:

Quod ex antiquis codicibus fideliter redditum, Ita à Domini Natiuitate exorditur.

VIII. Kalendas Ianuarij.

IN Bethleem Natiuitas Saluatoris Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſecundum carnem. Romæ Iouini. Paſtoris. Baſilei. Victorianæ. Acelli. Euticeti. Simphronianæ. Saturnini. Timedi. Ignati. Cyriaci. Gagi. Ianuariæ. Datilij. Et in Cimiterio Aproniani Viâ Latina Romæ paſſio S. Eugeniæ Virginis. Syrmæ, & Anaſtaſiæ. Mediolano Felicitatis. & in Pergamo Saturnini, Conſtantinopoli S. Anaſtaſij.

DECEMBRIS 25.

DE verò Natalis Domini anno, plurimum inter ſe Chronologi diſſentiunt; & de Chriſtianæ Epochæ limitibus, quos annos Chriſti vocant, eiuſque numerandi capite, ita incerta penes ſcriptores ſunt omnia, vt non facilè affirmare liceat, quid vetuſtis temporibus Eccleſia ſeruare conſueuerit. Siuè enim ad Tyrannorum, qui primum regnandi diem menſuram temporum cõſtituerunt, deteſtandam ſeuitiem, ſiuè ad fidelium pietatem nouis rationibus excitandam, tàm in ſacris monumentis, quàm ritibus anni Chriſtiani initium, vel immutauit, vel diuerſis ſæculis, & regionibus diuerſimodè cõputauit. Sunt equidem plura apud antiquos ſcriptores, quę vetuſtiorem, & vſitatiorem Eccleſię Epocham, à Domini Natiuitate deductam ſuadeant, vti pariter Martyrologium noſtrum confirmat. Sunt recentiores doctiſſimi, Scaligerus præſertim, Cuiacius, & Petauius, qui potiùs à Paſchate, vel Domini Paſſione, variabili cardine, Sacrum annũ deductum velint. Eccleſiaſtica alia extant monumenta, quę ſtabili limite a 25. Martij, ſeu Dominicæ Incarnationis die, annum ſacrum enumerent; alia, quæ Romanõ more, & anni Iuliani lege, ab ipſis Ianuarij Calendis inchoatum oſtendant. Nonnulla, ſed rariora à Chriſti Domini prædicatione, aut ab ipſa fundata Eccleſia, aliqua à prima Romani Pontificis in cathedra Petri ſedentis die, additis Inditionibus, alia a Septẽbri menſe annũ indicent inchoatum. Plu-

rima denique sunt, & frequentiora, quæ per Consulum fastos,& Imperatorũ adepti regni initia, vetustiores Ecclesiæ tabulæ signari consueisse demonstrent. At sicuti negari nequit, in tanta Christianæ Æræ dissonantia, ambages plurimas oriri potuisse; ita, cum hucusque rem ex integro discuti non viderim, subijt animum præ viribus varias Ecclesiæ Epochas discernere, & in ipso Martyrologij limite quidquid inuenerim exhibere. Quia verò sacri, vel Ecclesiastici anni initiũ in hoc vetusto codice à Domini Natiuitate præfigitur, nonnulla verò vetusta pariter Martyrologia, alijque sacrorum rituum codices, non ab ipso natalitio die, sed ab eiusdem professo, vel pervigilio annum auspicentur, de hac etiam discrepantia exerceri non nihil libuit; quòd lectorem Chronologum laborem hunc meum æqui, bonique consulturum non diffidam.

De Vetustiori, ac multiplici Ecclesiarum Epocha, deque anni Christiani, ac sacri numerandi ratione.

EXERCITATIO I.

QVAM varia de Characteribus anni apud exteras gentes tradiderunt antiqui? Quàm multiplex in eorum numerandi ratione vetustas fuit? Adeat, qui curiosius hæc rimari velit, Diodorum lib. 1. Bibl., Plinium lib. 7. cap. 48., Gellium lib. 1. Noct. Attic. c. 48. Censorinum de die Nat. cap. 15., Clementem Stromateum, Ammianum Marcellinum initio lib. 26., ac præterea D. Augustinum lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 10. & lib. 5. cap. 14., quos multa enarrantes inueniet. Vagam hanc,& incertam computandi rationem Iulius Cæsar sub certa lege coercuit, & qui vniuerso ferè Orbi iura dabat, repetito à Numa Rege Ianuarij principio, à media nocte eiusdem mensis Calendarum vsque ad mediam postremi Decembris noctem annum composuit. Non ita tamen id præstitit, vt nedum in remotioribus regionibus, sed nec ipsa seruaretur Italia; quando vt successori Augusto adularentur, testis est Suetonius lib. 2. cap. 59., quasdam Italiæ Ciuitates, diem, quo primum ad se veniisset, initium anni constituisse. At lucescente postmodũ Christiana fide,ab Ethnicorum moribus deflectẽs Ecclesia, inter varia pietatis argumenta, insinuata fidelibus, Christianã etiam Epocham varijs religionis nostræ characteribus initiauit,ac in sacris præcipuè ritibus, ab infideliũ numerandi ratione discessit. Hinc Æræ Christianæ caput, modò Dominicę Passionis, vel Paschę nota signauit: modo Diuinę Incarnationis, vel Annunciatę Virginis mysterio exornauit: modo Domini Natiuitatem initium anni constituit. Quia verò aliter, in his præcipuè, quæ sacras historiarum narrationes, vel publica acta designarent, Ecclesiastici scriptores annum frequentiùs inchoauerunt, & inde variæ supra indicatæ temporum rationes emerserunt, per easdem excurrere conabimur, non ita tamen ad amussim propositum in enumerata dissonantia ordinem seruare pollicemur, quin à vetustiori, & communiori, tàm Occidentalis, quàm Orientalis Ecclesiæ more exordientes, reliqua, prout loquendi opportunitas feret, quantum breuissimo stylo licuerit, prosequamur.

Equidem, præter visitatiorem Dominici Natalis in anno cardinem, quia parum-

Ianuarij

Ianuarij Calendæ ab ipso deflecterent, eundem anni initium cum vulgari, Romana pariter, & Occidentalis Ecclesia retinuit; & ne confusio in actis publicis oriretur, tam Occidentalis, quam Orientalis, in ijs, quæ pluribus gentibus communia esse deberent, vel regnantium Imperatorum annis, vel Consulibus, vel vtrisque, ita eadem acta consignauit, vt vel vagum limitem, iuxta adhuc imperantis Regnum, vel ab aliquo, qui ita lege sanxerit, vsuque receptum fuerit, Regis anno certum terminum retineret. Sicuti enim Catholica Ecclesia à Spiritu Sancto edocta pro Regnantibus Principibus, quantumuis scelestis, ad Deum præces fundere non detractauit, ita eorundem regnorum annis sacras tabulas firmare non destitit, exemplo à sacra Scriptura desumpto, in qua post captiuitatem reductam, numerari tempora videntur per annos externorum Principum, quemadmodum ad Nicephori Constantinopolitani Chronologiam cap. 7. adnotauit Contius. Nullasanè vetustior in Ecclesia Epocha est, quam quæ in Euangelio Lucæ c. 3. Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris signatur; & consimilis ratio temporis mensurandi in Actis etiam Apostolorum extat, in quibus licet currentiũ annorum ad amussim tempus non apponatur, dum tamen cap. XI. famem ab Agabo prædictam indicari contingit, sub Claudio, Imperantis nempe principis temporaria nota, incidisse monstratur. Hinc sacri Scriptores, in his, quæ ad Ecclesiasticam Historiam maximè pertinere videbantur, eadem computandi ratione vsi sunt; quod (vt à multis supersedeam) clarè in re magna patet, hoc est in Petri Apostoli Romam aduentu, qui ita ab Eusebio indicatur in Chronico: *Anno secundo Claudij Petrus Apostolus, cum primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur*. Ex quo fortasse D. Hieronymus eandem ita Epocham firmauit. *Petrus post Episcopatum Antiochensis Ecclesia, & Prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderunt, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bythinia, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annũ Neronis*. Qui pariter reliquam Apostolorum Historiam regnantium Imperatorum annis distinguit, vt de Iacobo fratre Domini, Hierosolymis Ecclesiam gubernante, refert, *vsque ad septimum Neronis annum*, & Paulum Apostolum Romam in vinculis transpositum fuisse ostendit, *post passionem Domini vigesimo quinto anno, idest secundo Neronis*. Eodem quoque charactere vsus est idem Sanctus Doctor, dum non modo quæcunque de Apostolis, alijsque vetustis Ecclesiæ scriptoribus memoriæ consignauit, Imperatorũ tunc regnantium annis distinxit, sed etiam Apostolica Acta à Luca conscripta, in hanc Epocham ita accomodauit, *cuius* (nempe Sancti Lucæ) *historia vsque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, ideſt vsque ad quartum Neronis annum*. Consimili quoque temporum nota Ecclesia vniuersa in Concilijs vetustioribus, decretalibusque Epistolis, modo ijsdem Imperantis Principis annis, modo Consulibus, quod notius omnibus esset, publica illa monumenta firmauit. Quod ita frequens, & vulgatum fuisse existimauit D. Ambrosius ad cap. 2. Lucæ, vt in descriptione sub Præside Quirino, non dubitauerit affirmare Natiuitatem Domini Consulibus fuisse signatam. *Nam si Consules aſcribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium?* Ita Euaristi decretales epistolæ, circa annum Domini 112., & deinceps Alexandri, Sisti, Aniceti, & reliquorum succedentium Pontificum Consulibus notantur, quamquam Binius ad primam Alexandri Pontificis, & Martyris decretalem Epistolam existimauerit, nullos Consules in epistolis hisce à Pontificibus, vel eorum amanuensibus appositos vnquam fuisse, sed aliunde subrepsisse, fortasse quòd mendis frequentioribus scatere obseruauerit. Sed in tam crebra Apostolicarum

De anno à Cõsulibus, vel Principibus regnantibus.

carum litterarum per Consules signatura, incredibile est, perpetuam fraudem inesse. Certè Epistolæ plurimæ, quæ sine vlla hæsitatione genuinę putantur, consulares notas retinent in Romanis codicibus, vnde primum vulgatæ fuerunt, & gesta Martyrum, quæ exhibet D. Augustinus appositam per Consules notam habent *Diocletiano nonies, & Maximiano octies*, sicuti conciliabulum Cirthense, ipsis persecutionis sæuissimæ temporibus, lib. 3. contra Cresconium cap. 27. consulares fastos exhibet *Diocletiano octies, & Maximiano septies*, quæ vsitata signandi ratio in alio Cirthensi, paulum recentiori iudicio cap. 29. pariter legitur. *Constantio Maximo Augusto, & Constantino Iuniore, nobilissimo Cæsare Consulibus Idus Decembris, ex tota Mosiacensi inducto, & applicito &c.* eandem per Consules Epocham exhibet, sub Marcellino Pontifice, Concilium Sinuessanum, quamquam eius acta non me lateat plurimos esse, qui doceant spuria esse. At Concilium Arelatense sub Siluestro Papa, biennio ante Nicenum, post capitulorum syllogen, tempus partim à Domini Natiuitate, partim ab Imperatoribus, & Cōsulibus, in editis Conciliorum voluminibus, ita subsignat. *Celebratum est autem idem Concilium tempore Beati Siluestri Papæ primi, & Constantini Imperatoris circa annum Domini 326. Volusiano, & Anniano Viris clarissimis Consulibus*: quæ verba superaddita recentiori calamo suspicari licet, quòd in m.s. Fabri, id Frontone Ducæo in notis attestante, eorumdem loco sequentia magis ad sæculum illud accomodata, legerentur. *Synodus Episcoporum habita in Ciuitate Arelatensi apud Marinum Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, temporibus Constantini A. Volusiano, & Abiano VV.CCL. Coss.* Ita Concilium Romanum, quamquam pluribus in locis deprauatum, sub Siluestro Papa, consulari nota canones claudit circa annum Domini 324; qua temporum annotandorum ratione, cum deinceps ferè omnia Concilia, decretalesquæ Epistolæ, tribus saltem sequentibus sæculis, constantissimè fulciantur, plurima hic congerere supersedeo. Quòd vero deinceps in Concilio Mileuitano sub Innocentio primo, circa annum Domini 416., non modo acta consulibus signentur, sed Can. 57., relato in Concilio Africano, sub Cælestino, & Bonifacio sancitum fuerit, vt qui ordinantur per prouincias Africanas, *literas accipiant ab ordinatoribus suis, manu eorum conscriptas, continentes Consulem, & diē, vt nulla altercatio de posteriori bus, vel anterioribus oriatur*; sed aliquando etiam, præter annuos Consules, addi consueuisse aliam magis fixam, ac certam annos computandi rationem, ex celeberrimo Niceno Concilio apparet, in quo præter Consularem notam ab Alexandri Imperio, tanquam certo limite, ita annus celebrati Concilij cosignatur. *Canones trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum qui Niceæ conuenerunt, Consulatu Paulini, & Iuliani, Virorum Clarissimorum, anno ab Alexandro* DCXXXVI. XIII. Calendas Iulij, *qui est* apud Græcos *dies mensis* Desis, *ideſt* vt Interpres vertit, *Iunij*, sed vt in Græco est, *Iulio*. Annos sic ab Alexandro numeratos, ideo addi putat Contius ad Nicephori cap. vndecimum, quòd ex more tunc vniuersæ Græciæ, & Ægypti in vsu esset; sed an ita comuniter Græcia, & Ægyptus tempora computarent, non mihi hactenus liquere fateor. Scio equidem, Socratem lib. pr. cap. 9. Ecclesiasticæ historiæ, Concilij Niceni annum, non modo per Consules adnotare, sed ab Alexandri Magni regno, tanquàm à certo, & terminato limite tempus ita decernere, Christophorsono Interprete. *Quod autem ad tempus Concily attinet, coactum quidem fuit, sicut ex Annalium Commentarijs constat, Paulino, & Iuliano Coss., vndecimo Calendas Iunij, anno sexcentesimo trigesimo sexto post Regnum Alexandri Regis Macedonum.* Hanc ex Alexandro Magno petitam Æram Græcorum communem fuisse, Seleucidarum dictam, cæptamque ab anno ante Christianam salutem 312. Petauius

etiam

etiam docet Rationarij temporum lib. 3. parte 2. cap. 13. At vniuersæ Græciæ eandem tempora signandi rationem tantummodo in vsu fuisse, non consentio. Præterquam quod enim, vt ad Ausonium Scaliger, & ad Suetonium notat Casaubonus, multæ Ciuitates sub Imperio Romano proprios annorum characteres habuerunt, nec Consules Romanos cuiuscumque anni iudices scripserunt; nec anni Iuliani modulum sequi sunt; Constat Nicopolitanos, & Alexandrinos annum ab Augustali suo numerauisse. Huius rei Cuiacium ex non editis Alexandrinæ Vrbis Chronicis testem adducit Casaubonus, qui libro 2. c. 59. Animaduersi ad Suetonium penes se habuisse profitetur, in antiquissimis membranis, canonem Paschalem Græcè scriptum, vbi anni caput est, non Ianuarius, sed September; quod in Alexandrina Ecclesia, & alibi obtinuisse existimat.

Æra Diocletiani, siue Martyrum.

Cum verò Casaubonus id, non alijs scriptorum monumentis, explicet, coniecturam nostram addere libet, hanc nimirum facile Æram Diocletiani fuisse, quæ Autumni tempore cæpta in Ægypto, & Græcia ad Iustinianum vsque in vsum, præsertim Ecclesiasticum Paschalis Cicli, perdurauit. Non enim annorum tantum à Diocletiano computandi ratio ciuilis fuit, sed sacra, & Paschalis, & quæ insuper aliquibus, in odium sæuissimi, & Christiano nomini infensissimi hostis, Æra Martyrum diceretur. Non me fugit Baronium doctissimum existimasse ad annum 284., cum Scaligero, & Panuino, Diocletianum XI. Kal. Maij ipsis Parilibus, seu potiùs Palilibus Imperium accepisse, & inde annos Diocletiani scriptoribus esse numeratos; sed simul cum Baronio alios scriptores, ex malo intellecto Mamertini loco, fuisse deceptos asserit Petauius parte 2. Rationarij temporum lib. 4. cap. 9., & lib. de doct. temporum cap. 30. Quia re verâ Diocletianus Carinó 11. & Numeriano Coss., hoc est anno Christi 282., ante diem 15. Cal. Octobris, Chalcedone renunciatus fuerit Imperator, & 3. Cal. Octobris, cum purpura Nicomediam ingressus sit, ac demum Calendis Ianuarijs sequentibus Consul processerit cum Aristobolo Collega. Hoc enim non modo egregio loco Chronici Alexandrini firmatur apud eundem Petauium, sed & ex ijs etiam, quæ de Pascha ad Emiliæ Episcopos scripsit S. Ambrosius, nosque infra adducimus, non obscurè confirmatur. Addit vero Petauius initium annorum Diocletiani ab Augusti 29. die, Alexandrinorum instituto, numerari consueuisse, & ex primo anni cyclo S. Cyrilli non incongruè deducit; quod spacium cum non valdè ab Alexandrino Chronico distet, non malè in Canone Paschali apud Casaubonum circa Autumnum, ac Septembrem Epochę Diocletiani initium coniectauimus. Hanc computandi rationem, non modo collimat locus D. Ambrosij indicatus lib. X. Epist. 83., sed ex eo quòd ipse nominibus mensium Ægyptiorum vtatur, Alexandrinum computum secutum esse dubitari nequit, cum notissimum sit, in Nicena Synodo Alexandrinæ Ecclesiæ honorem Paschalis computi ita tributum fuisse, vt non modo ad Ecclesias Orientis, sed & Occidentis celebrandæ Paschæ computum inde transmitteretur, quod ex Theophili, & Hieronymi Epistolis apertè conuincitur. Hic vero audire Ambrosium pro re nostra expedit. *Octogesimo autem anno, & nonagesimo tertio, ex die Imperij Diocletiani cum quartadecima Luna esset nono Kal. Aprilis, Alexandrini quoque, & Ægyptij, vt ipsi scripserunt cum incidisset quartadecima luna, & 20. & 8. die Pharmuthj mensis celebrauerunt Pascha quinta die Pharmuthj mensis, quæ est pridie Kal. Aprilis, vt sic conuenere nobiscum. Rursus nonagesimo, & tertio anno à die Imperij Diocletiani, cum incidisset quartadecima luna in quartum decem diem Pharmuthj mensis, quæ est quinto Idus Aprilis, quæ erat Dominica die celebratum est Pascha &c.* Quòd verò in Italia annus Paschalis ritu Ægyptiorum computaretur, ex his, quæ addit D. Ambrosius confir-

ma-

matur. *Nec absurdum arbitror, vt inde obseruandi mensis trahamus exemplum, vbi primum Pascha celebratum esset.* Hæc ex Concilio Niceno fluxisse sequentia ostendum: *Vnde & maiores nostri in tractatu Concilij Niceni cum diem endecateride, si quis diligenter intendat, statuendum putarunt, & ipsum mensem nouorum rectè custodierunt, quia in Ægypto hoc primo mense noua seruantur frumenta. Hic autem mensis, & primus est secundum Ægyptiorum prouentus, & primus secundum legem, & octauus est secundum consuetudinem nostram.* Dignum autem animaduersione videtur, quòd ex Italica consuetudine octauum vocet Aprilis mensem, inde enim datur intelligi, Sacrum, vel Ciuilem annum D. Ambrosij tempore à Septembri mense auspicari consueuisse.

De Indictionibus. Quamquam verò, qui de temporum doctrina scripserunt, Pontificiam Indictionem ab ipsis Calendis Ianuarij initium sortiri, Græcam verò à Calendis Septembris, Cæsaream ab 8. Cal. Octobris docent, ex ijs tamen, quæ D. Ambrosius subdit, non conuincitur, quo die Septembris numerari inciperet, quia tantùm inquit, *Indictio enim Septembri mense incipit, octauo igitur mense Kalendæ Aprilis sunt.* Indictionem plerique Constantini ætate prodijsse putant, sed Cedrenus sub Theodosio inuentam testatur, hoc est eiusdem Ambrosij sæculo. Anni caput antiquissimum in Autumno apud Moysem fuit, quod illorum sententiæ fauet, qui Mundum in Autumno creatum opinantur; Romam etiam, vnde anni Romani antiquitus deducebantur, conditam tradunt Plutarchus, & Manilius lib. 4. Libram Sole excurrente. Romanis equidem solemne fuit, Septembri mense, ad annos numerandos, clauum figere, vt Sextus Pompeius apertissimè ostendit lib. 3., & Idibus Septembris Polemeus Syluius in laterculo prorsus signat, quando inquit. *Romæ in ade Mineruali per magistratum, annis singulis, ex are clypei* (ita non clauos legit) *figebantur.* Sed de clauo figendo à Consulibus, & Dictatoribus meliora videnda sunt, apud Liuium lib. 7. Verùm scire amplius oportet, pro Paschali computo D. Ambrosio fixos menses non fuisse, quòd octauum mensem, non communi vsu computaret, sed ab Æquinoctio. *Incipit autem mensis, non secundum vulgarem vsum, sed secundum consuetudinem peritorum, ab Æquinoctio, qui dies est 12. kal. Aprilis, & finitur XI. kal. Maij.* Vt cunque sit, Indictio à Septembri numerata, cum Æra Diocletiani congruebat, quæ adhuc in Italia tempore D. Ambrosij in vsu erat, sicuti in Græcia, & Ægypto, seu Alexandria. Ita Menologia Græcorum comprobant, quæ à mense Septembri, anniuersarium Sanctorum circulum auspicantur, vt apud Genebrardum, & expressè Menologium Basilij constat, in cuius prima die, non modo indictionis festum agitur ipsis Kal. Septembris; sed origo vetustissima interprete Arcudio ita describitur. *Indictionis diem festum celebrat Ecclesia Dei, à maioribus accepta, quòd hunc diem existimarent esse anni principium, cum Indictionem Romani dicant principium, & finem. Est igitur dies primus Septembris anni totius principium, & finis &c.* Nec incongruum putaui etiam hìc adducere Græcos, existimantes sacrum fuisse annum àKalendis Septembris, quòd acceptabilem Christus Dominus eundem declarauerit, & accepto in Synagoga Isaiæ Prophetæ libro proprio ore consecrauerit. Subditur enim in eodem Menologij laterculo. *Sed postquam Christus Deus noster, cum vellet benedicere, ac celebre reddere principium anni, vel potius illud tempus totum, quod ante sæcula creauit, ingressus est Synagogam, traditusque est ei liber Isaiæ Prophetæ, & aperto eo inuenit locum, vbi scriptum erat. Spiritus Domini super me euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, cæcis visum, & vocauit annum Domini acceptabilem; & reddito libro ministro sedit; ex eo tempore, illius dono, atque munere commendatus est nobis sacratus hic dies, quem grata nos memoria prosequentes*

lati

læti, atque alacres agemus. Hęc de sacro Gręcorum incipientis anni die festo in Menologio Canisij non extant, & suspicionem ingerunt, hoc idem Menologium ab interprete, ad vsum Ecclesiæ latinæ recentiori stylo fuisse accomodatum. Græcorum equidem Epochæ mensis Septembris consonat D. Epiphanius, qui in Egypto adolescens vixit, & iam Episcopus Constantiæ Cypri, Græca lingua Ancoratum, seu de fide librum ad Ecclesiam Suedræ in Pamphilia scripsit, & morem supputandi annos, seu annorum sui temporis characterem, ita interprete Cornario adnotauit. *Hic annus est nonagesimus Diocletiani, Valentiniani, & Valentis decimus, Gratiani sextus, Consulatus Gratiani Augusti tertium, & Escythij illustrissimi. Indictio secunda &c.* Quod rursus, dum alias quasdam sui temporis hæreses, circa finem Ancorati recenset, ita confirmat. *Quandoquidem verò nostro sæculo prorumpunt aliæ quædam hæreses, alia super aliam, hoc est à tempore Valentiniani, & Valentis Regis, circa decimum regni ipsorum annum, & rursus circa sextum annum Gratiani, hoc nonagesimo anno Diocletiani Tyranni &c.* Eandem Paschalis computi rationem, seu Paschalis anni formam in Romana etiam Ecclesia perdurasse puto ad sexti sæculi initium, quando Dionysius Exiguus, Cassiodori sodalis, modum computandi mutauit, & Dionysianam AEram Romana Ecclesia probauit. Ita enim Dionysius Epistola prima, postquam ostenderat, Cyrillum inchoasse Cyclum suum ab anno 153. Diocletiani, & in postremum annum 247. desijsse. *Nos à 248. anno eiusdem Tyranni potiùs, quam Principis inchoantes, noluimus circulis nostris memoriam impij, & persecutoris innectere,* Diocletiani scilicet æram, propter eius in Ecclesiam sæuitiam abominatus. Retinuit hoc idem Alexandrina Ecclesia, quæ ad nostra vsque tempora non à Diocletiano, sed à martyribus Epocham seruat, vt in Actis legationis Alexandrinæ ad Apostolicam Sedem, sub Clemente Octauo, animaduertere licet in Corollario 6. Tomi Annal. Baronij n.xii. Perdurauit hæc numerandi ratio vsque ad Iustiniani Imperium, quando lege cautum fuit, Nouella 47. anno eiusdem vndecimo, Christi n. 537. vt vetusto Romano repetito more, non modo Constantinopoli, sed in quibusque prouincijs Romano Imperio subiectis, siuè in iudicijs, siuè vbicunque conficerentur Acta, ante illius anni Consulem, & Indictionem, Imperantis Augusti annus præfigeretur, vt in exemplo *Iustiniani Augusti Imperatoris anno XI. post Consulatum Flauij Belisarij Clarissimi Viri anno secundo die &c.* Quod ortum duxisse existimarem, ex anni Paschalis Romana castigatione.

Paucis sanè ante datam legem annis, hoc est 531. non 527. vt Baronius exhibet, Dionysius Monachus, siue Abbas Romanus apud Bedam, vel natione Scytha, moribus Romanus, vt Cassiodorus eius contubernalis testatur, de Diuinis lect. c. 23. Paschalem Cyclum reformauerat, cuius fragmentum Marianus Scotus exhibet in Chronico; Is abominatus Græcos calculatores, quia à Diocletiani Principis Regno temporum ordinem prætexebant, *Paschales scribens circulos, noluit eis,* sicut ipse testatur, & Beda refert de Temporum ratione cap. 54. *memoriam impij persecutoris innectere, sed magis elegit, ab Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi tempora prænotare, quatenus exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, ideſt Passio Redemptoris nostri euidentius eluceret.* Ex hoc tempore plures existimant, in Romana, & Occidentali Ecclesia morem inoleuisse, vt anni ab Incarnatione numerarentur, qui prius à Domini Passione exordiri consueuerint. Viri enim in temporum doctrina maximè versati Scaliger, & Petauius passim docent, sacrum Christianorum annum à Paschate antiquitus initium desumpsisse. At quamquam idem anni cardo videatur Passionis, & Paschatis, nec multum ab eodem limite distet recurrens Incarnationis memoria die 25.

Annus Paschalis, siue Æra Dionysiana.

Martij, aliquando etiam coincidat, multum tamen inter se distant annorum currentium interuallo.

Annus Passionis, & Incarnationis.

Beda quidem ipso libro, & capite adducto, suo tempore testatum reliquit, Ecclesiã anni sacri cardinem, quæ in cereis signare consueuerat, non ab Incarnatione numerare, sed a Passione triginta semper, & trium annorum differentia, quam Dionysiana Incarnationis æra præferebat: & in re parum animaduersa Bedę ipsius verba subnectere libet. Postquam enim ostendit Dionysium annos ab Incarnatione numerare addit. *Sancta siquidem Romana, & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quę suis cereis annuatim scribere solet, vbi tempus Dominicæ Passionis in memoriam populis reuocans, numerum annorum triginta semper, & tribus annis minorem, quam ab eius Incarnatione Dionysius ponat, adnotat.* Sacrum hunc ritum in Cereis anni numerum apponendi, videretur idem esse cum eo, cuius meminit Rupertus Abbas lib. 6. de Diuinis officij cap. 29. de Cerei significatione; At cum in hoc humanitatis Christi similitudine *annus ab Incarnatione eiusdem Domini Christi consequenter* inscribitur, vt repetit Honorius Aug. in Gemma animæ lib. 3. c. 102. de Annis Incarnationis Domini, qui scribuntur in Cereo, diuersos inter se ritus esse constat. Hoc latiùs explicatur in vetusto Cathedralis Lucensis codice Rituali m. s. in quo de Sabatho Sancto, & officio eius noctis, ita inter alia sacra huiusmodi ceremonia docetur. *Archidiaconus, seu Diaconus solus Dalmatica indutus in cereo, qui benedicendus est, signum facit Sanctæ Crucis, & in ipso signo quinque grana incensi ponit in modum Crucis, & scribit cum Grafio circa ipsum signum Alpha, & Omega, & ipsum annum Dominicæ Incarnationis circa ipsum cereum, accenditque eum ex igne nouo.* Nequit verò Beda ad hunc sanctioris hebdomadis morem respicere, cum disertis verbis ritum in cereis anni signandi in die Natali referat, non in Dominico Paschate; supra positis enim verbis sequentia statim subnectit. *Denique anno ab eius Incarnatione septingentesimo primo, Indictione decima quarta, fratres nostri, qui tunc fuerunt Romæ, hoc modo & in Natali Domini, in Cereis Sanctæ Mariæ scriptum vidisse, & inde descripsisse referebant; A Passione Domini Nostri Iesu Christi anni sunt DCLXVIII.* Vel enim nequaquam absonum putauit Ecclesia, quæ sacrorum potius officiorum annum à Natali Domini inchoare consueuerat, & nos infra ostendemus, memoriam etiã passionis inter Natalitia gaudia miscere, vt Sancti Patres aliqui, in ijsdem de Natali Domini homelijs, non detrectant: Vel Cerei ijdem erant, qui in præcedenti Paschate consuetis cæremonijs sacrati, iterum in Domini Natale exponebantur, duplicem in Ecclesia anni sacri rationem præferentes, nempe anni Paschalis, & cæremonialis: quorum alter ab æquinoctio Verno, alter à Solestitio hyemali auspicaretur. Equidem propter Paschalem computum annos Ecclesiam a Domini Passione numerasse vix dubitarem, & sacri huius anni cardinem, circa Vernum Æquinoctium versari, ea, quæ ex D. Ambrosio adduximus, apertè conuincunt. Et si enim detrectauit Ecclesia Romana Pascha nostrum, quo Christus Dominus immolatus est, eadem die cum Iudæis ab antiquissimo tempore celebrare, & Canone 8. Apostolorum decretum sit, post AEquinoctium Vernum celebrari debere, primum tamen mensem eadem fere regula mobilem constituit, & annum nouum quibusdam conditionibus, non modo ab AEquinoctio Verno, ex Domini præcepto Iudæis dato, inchoauit, sed propria lege apud eundem Ambrosium sanciuit; ibi enim habetur, *lex autem diem passionis exigit, intra primum nouorum debere celebrari*, quæ ijsdem consonare videntur decretis Nicenæ magnæ Synodi apud Isidorum Mercatorem in sua ad collectos canones præfatione. Hinc alibi D. Ambrosius de Mysterio Paschæ cap. 2. inquit, *est enim Pascha verè anni principium*

pium, primi mensis exordium, & vt primo capite dixerat, *recidiuatum fidei annua felicitatis gaudium*, & rursus cap. 5. *Optabilis anni festinitas, & exordia gignentium rerum*. Eandem verò Epocham à passione scriptoribus esse Paschalem, siue à Passione Domini, me docet Gregorius Turonensis, qui ad calcem lib. primi, & lib. 4. historiarum bis annos colligit à Passione Domini ad transitum S. Martini, in fine verò libri X. à Maris transitu, vsque ad Resurrectionem Domini, & à Resurrectione Dominica ad transitum S. Martini annorum anacephalæosim iterum exhibet. Ita Ennodius, forte ad ritum in cereis inscribendi anni respiciens, in Benedictione Cerei 2., quæ extat Tomo quinto Magnæ Patrum Bibliothecæ, Resurrectionis diem anni principium statuere videtur. *Tu resurrectionis tuæ tempore, quo anni vernat reuiuiscentis infantia, sumptā ex hoc cōtra procellā, vel omnes incursus fac dimicare particulam*. Annum nimirum à resurrectione inchoari designans, quem D. Hieronymus à Passione numerat in libris de scriptoribus Ecclesiasticis, tam in D. Pauli, quam in D. Ioannis historia. Ita præter æram Martyrum, siue à Diocletiani regno, Alexandrinam Ecclesiam Paschalem annum numerare consueuisse, indicare videntur Canones Petri Alexandrini Episcopi, qui cathedram illam ascendit, circa annum Domini tercentesimum; à persecutione enim quartum Pascha numerat T. 1. Conciliorum; Eandem à Paschate numerandi rationem retinere videtur Concilium Ancyranum Canone 6. in quo magnum diem pro Pascha intelligi non dubitarem: Constantinopolitanam verò Ecclesiam, non modo à Passione, vel Paschatē anni computandi rationem confudisse, & retinuisse, sed & à Domini Natiuitate annum quoque numerauisse, ex Nicephori Constantinopolitani Chronologia deducitur. *Sunt enim*, inquit cap. X. *ab Adam vsque ad salutarem Passionem, & resurrectionem Domini, & Dei Saluatoris nostri Iesu Christi anni quinquemille quingenti triginta tres*, & rursus cap. XI. de Constantini Magni ætate differens, *Anno Imperij eius vigesimo coacta fuit synodus Sancta prima 318. patrum Niceæ in Bythinia, anno post Christum in carne natum 318., post Venerabilem autem passionem, & gloriosam resurrectionem* (codicis mendo in nota numerali) 385. At sicuti breuissimum inter passionem, & resurrectionem interuallum, vnam ab altera æram non distinguit, ita non longè ab Incarnationis fixo, certoque limite, in Dionysiano periodo, abijt Romana Ecclesia, & computum ab Incarnatione retinuit. Quamquam verò anni computandi characterem à Paschate, vel Domini passione, vetustiorem in Ecclesia fuisse non dubitem, quam qui ab Incarnatione dicitur, & plurima iam sæcula excurrerint, quibus Romani Pontificis diplomata ad nostra vsque tempora annis ab Incarnatione signentur: Vetustissimū tamen non esse, neque ab ineunte Ecclesia vix dubitarem. Nec enim vetustius monumentum huius periodi me vidisse memini, quam apud Dionysium eundem Cycli restauratorem, vel apud Cassiodorum eiusdem Dionysij sodalem, qui pluries in computo Paschali de annis à Christi Domini Incarnatione meminerunt, vel deinceps in pluribus Occidentis Eccclesijs, præcipuè in Galliæ Concilijs.

De Annis à Natiuitate Domini.

Vetustiorem vtique in Ecclesia Epocham existimarem, quæ à Domini Natiuitate deducta, tam in Orientali, quam Occidentali Ecclesia, tam in temporibus ad posterorum memoriam signandis, quam in sacris cæremonijs longo vsu confirmata fuerit, quidquid de prima à Paschate, vel Domini Passione apud eos vetustiori Epocha Viri Doctissimi statuerint. Præter illā enim, quæ apud D. Lucam annis Tyberij signatur, Ecclesiastica, & antiqua monumenta, quæ primi Christi sæculo, & deinceps proximè exarata à temporum morsu, vel Tyrannorum clade supersunt, & præcipuè apud Eusebium fragmenta, nulla exhibetur vetustior, quam quæ idem Eusebius affert ex Edessanæ Ecclesiæ tabulario in fragmento

illo rerum, à Thaddeo apud eandem Edessæ Vrbem, gestarum, quod è Syriaca lingua translatum in calce libri primi Historiarum hac temporis nota signatum reposuit. *Ista Quadragesimo tertio anno post Christum natum gesta sunt.* Quæ verba cum Edessani monumenti sint, non Eusebij, & initium Christiani primi sæculi attingant, cum vel non adhuc Romana, & Occidentalis Ecclesia fundata esset, vel eodem ferè tempore in aduentu Petri ad Vrbem emergeret, qualis vtique in Syriaca, Hierosolymitanæ proxima Ecclesia, annorum numerandi ratio in vsu esset manifestè couincerent, nisi de Christoforsoni versione dubitare liceret. Neque verò negari potest doctum Virum, & de Ecclesiastica historia optimè meritum puri interpretis leges non præterijsse, & præsertim in ijsdem Edessani fragmenti verbis; supra fidem enim Græci codicis addidit, *post Christum natum*, quæ verba reuera apud Rufinum in vulgatis codicibus non extant, sed sequentia tantum, *Gesta sunt autem ista quadragesimo, & tertio anno*. Et quamquam certum sit, non nisi de annis a natiuitate, non autem à passione Christi intelligenda esse, superaddita tamen ad Græcum codicem, quo vsus est Rufinus, omnino videntur. Minus etiam antiquam Christianam Epocham, idem Edessanum fragmentum conuinceret, si in communi Græco codice vitium irrepsisset, vt recentior Eusebij Interpres Valesius in adnotationibus ad postremum caput libri primi animaduertit, tum ex Regio, Fukeriano, Vaticano, ac vetustissimo Mazarinio codicibus, tùm ex Rufini fidelissimo apud Claudium Solium volumine. In his enim omnibus, tam græcè, quam latinè legi testatur, *anno quadragesimo, ac trecentesimo, non Quadragesimo tertio.* Sincerioribus his, quas putat vir Doctus, lectionibus vrgentissimas addit coniecturas, nempe Edessanos ab anno primo Olimpiadis 117., cum Seleucius regnare orsus est in Asia, annos numerare consueuisse, & eorundem annum trecentesimum quadragesimum incidere in annum primũ Olimpiadis 202., decimum quintum nempe Tiberij Cæsaris, quando plerique veterum tradiderunt, passum esse Christum, quo anno, ea contigisse putat, quæ Edessanum fragmentum exhibet. At præterquam quod vulgata lectio in pluribus etiam Græcis codicibus retinetur, vt Mediceo, & Regio, quem secutus est Robertus Stephanus, & in Basilienſi Henrici Petri, erudita Valesij emendatio suas etiam patitur difficultates, tum quòd cum Euangelij vulgati lectione pugnet, in quo disertè scribitur anno 15. Tiberij Christum Baptizatum ad binas saltem Paschæ celebrationes aduixisse, cum Eusebio pariter ipso pugnaret, si ea vera essent, quibus plaudit idem vir doctus ad caput primum lib. 2. nempe ex Euodio, Hippolyto Thebano, & auctore Chronici Alexandrini cædem prothomartyris Stephani in annum primum Claudij incidisse, D. verò Paulum paucis diebus post Stephani Martyrium ad Christi fidem conuersum; quoniam anno suæ conuersionis tertio Hierosolymam aduenisse ipsius Pauli testimonio illi didicerant, *& anno Claudij tertio paulo ante obitum Herodis Agrippæ ex Luca historia optimè concludebant*; ijsdem verò temporibus, quibus Paulus Hierosolymis alium ex Apostolis neminem viderat præter Iacobum fratrem Domini fatetur Eusebius eodem lib. 2. cap. 1. *quæcunque seruator noster Osdroenorum Regi promiserat ad effectum perducta esse*; quibus positis, non modo quod in fragmento Syrio continetur, suo Tyberio non contigit, neque statim à Dominica passione, vel Ascensione, sed anno potius Claudij secundo, vel tertio, cum quibus vulgaris Eusebij lectio optimè conuenit. Non est igitur mirandum si Eusebius ipse, quo nullus vetustior Ecclesiasticus Chronologus ad nos integer peruenit, hanc eandem numerandi rationem in Chronico retinuerit; Postquam enim ad Christum Dominũ per Olimpiades, annosque mundi varium Regnorum Breuiarium contexuit, anno Augusti 42. Christianæ Æræ initium, à quo

dein-

deinceps posteriora tempora deducat, ita à Natiuitate Domini constituit. *Iesus Christus filius Dei in Bethlehm Iudeæ nascitur, quo anno cæpit Christianorum salus, qui & primus annus Christianæ salutis numeratur.* Christianam igitur Epocham, siue annorum Domini originem, in Christi Domini Natale Eusebius constituit; & quamuis in Ecclesiastica historia vsitatiorem temporum characterem per Imperatorum Romanorum, Consulumque annos plerumque exhibeat, eandem tamen semper Christianam æram à nato Domino, non ab eius passione, aut Incarnatione retinuit. Quinimo ad calcem libri septimi historiarum omnia quæcumque ad Ecclesiam pertinentia narrauerat, ita per Anacephaleosin complectitur. *Quoniam quidem seriem, & rationem successionis Apostolorum, & Episcoporum, ab ortu Seruatoris nostri vsque ad euersionem, & vastitatem Ecclesiarum deductam, eamque iam ad trecentos, & quinque annos continuatam, hactenus explanauimus, sequitur vt deinceps &c.* non modo ita ab ortu Domini historiam deduxisse significans, sed ad annum 19. Diocletiani, quo lib. sequenti 8. cap. 3. dirutas Ecclesias fuisse docet, sacrosque codices igni traditos, eandē prosequtum fuisse, quòd annū a Natiuitate Domini 305. decimonono Diocletiani existimaret congruere. Neque enim poterat aliud à Paschate, vel Passione Domini magis certum anni caput, vel initium firmare, quoniam suo tempore de Paschate celebrando ante Concilium Nicenum omnia incerta, confusaque apud Christianos essent; & quod *prolixo iam temporis spatio populus vbique maximè dissensisset, diuinaque leges, & instituta confusione quadam essent permista; ita vt temporis, in vno, eodemque festo obseruando, varietas, & discrepantia maximam discordiam Paschatis solemnitatem celebrantibus excitaret.* Quæ verba Eusebij eiusdem sunt lib. 2. de vita Constantini cap. 5. Hoc eodem pariter Natiuitatis Domini charactere, tanquam Ecclesiastica tessera, aliqua Martyrum gesta signantur, & præter ea, quæ apud Metaphrastem, & ex eo Surium cuicunque obuia sunt, ita retinent apud Photium codice 256. Acta Sanctorum Martyrum Theophanis, & Alexandri, quæ Politia inscribuntur, & hoc annorum indice consignantur. *Decimo nono anno Imperij Diocletiani anno Christi 305. rursus in Christianos grauis sanxit persecutio.* Quæ mirè congruunt his, quæ supra ex Eusebio adducta sunt; neque enim dubitare hìc licet annum Domini ab eiusdem natiuitate computari. Consimilem Christianam Epocham à Natiuitate inchoatam, & annis Imperatorum firmatam sequitur Clemens Alexandrinus eruditissimus, & vetustus scriptor lib. 1. stromatum, Gentiano Heruetо interprete, dum ad sua tempora Danielis Hebdomades aptat, pluraſque Chronologias antiquas adducit, & in Domini Natiuitate, tanquam in certo limite figit: *fiunt autem*, inquit, *ex quo natus est Dominus, vsque ad mortem Comodi anni omnes CLXXXIIII., mensis vnus.* Eandem ad Natiuitatem Christi computandi rationem exhibet Tertullianus aduersus Iudæos, enumerans prò hebdomadarum Danielis explicatione à primo anno Darij, vsque ad Aduentum Christi Chronologicam annorum seriem, hoc pacto cap. 8. *Et erunt reliqua tempora annorum in diem Natiuitatis Christi, & in Annum Augusti 41., post mortem Cleopatræ anni 437., menses sex. Vnde adimplentur 62. hebdomadæ, & dimidia, quæ efficiunt annos 437., menses vi. in Natiuitatem Christi.* Nec dissonat Orosius Ecclesiasticus Historicus, qui D. Augustino conuixit, & annorum ab Vrbe condita periodo vti videtur, annos tamen ab Adamo per Ninum, & Abrahamum, non in Domini Passionem, sed in Natiuitatem sistit lib. 1. cap. 1. Eadem quoque numerandi ratione vsus est D. Cyprianus ad Fortunatum de duplici Martyrio, dum commilitones ad pugnam instruens in stricto temporum interuallo ita Christianæ fidei prouentum ostendit. *Ecce fratres dilectissimi à Domini Redemptoris temporibus an-*

ni

ui fluxerint plus minus ducenti quadraginta, iamque huius vitis palmites, penè latius se sparserunt, quam Romanum Imperium. Et quamuis qui Cypriani libro indicem concinnauit; putet hos annos à Passione Domini numerari, manifestè deceptum tamen esse agnoscet, qui D. Cyprianum passum esse non ignorauerit in Valeriani, & Gallieni persecutione, Pomponio Basso, & Aurelio Fusco Consulibus, hoc est anno à Natiuitate 261., si enim annus Redemptoris 240. a Passione numeraretur additis triginta, & tribus annis 273. conflarentur, duodecim nempe post D. Cypriani Martyrium, quo tempore sicuti hæc, vel alia scripsisse est impossibile, ita admodum probabile reor, postremo Maximini in Christianos sæuientis anno libellum illum exarauisse. Recentius annorum computandi rationem à natiuitate expressam habet, qui scripsit Martyrium Pauli Apostoli ad Oecumenij scholia; non modo enim annum numerat à natiuitate, sed illum, quo vixit ita demonstrat. *Consummatus est D. Apostolus suo martyrio sexagesimo nono anno ab aduentu Saluatoris Nostri Iesu Christi. Est ergo omne tempus a quo Martyrium sustinuit trecentorum triginta annorum vsque ad presentem nunc Consulatum, qui quartus quidem est Arcady, tertius vero Honorij, duorum fratrum Imperatorum Augustorum, Indictione 9. periodi anni quintidecimi, mensis Iunij 29.* Non me tamen latet Ecclesiam vniuersam diem Natiuitatis in annorum computo, non ita ad amussim perpetuòque retinuisse, quin paruo à Calendis Ianuarij interuallo, aliquando iuxta anni Iuliani normam, & communi Romanorum more annum inchoauerit; sed in sacris ritibus recentiora hæc magis tempora sapere existimarem, quam vetusta. Iam diximus annorũ characteres à Consulibus in Ecclesiasticis monumentis, quæ multis communia esse deberent, Ecclesiam præcipue Occidentalẽ retinuisse, atq; hac temporum nota vetustiores Pontificum epistolas, Concilia, actaque Martyrum, plurima Consulum nominibus præsignari ostendimus, ea fortasse ratione, quod initium anni ex imperiali computo, hoc est Imperatorum regnantium minutioribus annis, minus certum esset, & dies regni inchoati, vndè numerabantur, facile à multis ignorari posset.

Annus Romanus vetustior.

Certum vtique florente Romana Republica anni caput erat consulatus, qui licet antiquissimis temporibus, vt ex Liuio lib. 31. educitur, iniretur Idibus Martij, vel ipsius Martij Calendis, vt Tibullo placuit; Kalendis tamen Ianuarij deinde solemne fuit, tum magistratibus ineundis, vt eodem loco docet Liuius, tum anno auspicando, vt Lucanus cecinit.

Inst abuique dies, qui dat nona nomina fastis,
Quemque colit primus ducentem tempora Ianus.

A Numa initium anni Ianuario Mense statutum plures scriptores docent, Plutarchus præcipuè in probl. Huius mensis Calendis designati Consules Consulatum inibant, & frequenti pompa in Capitolium ascendẽtes solemnibus sacrificijs Anni fores, vt Sidonius loquitur lib. 18. ep. 6., aperiebant, siue vt Claudianus de Stilicone Anni claustra pandebãt. Hinc de Ianuario Ausonius cecinit Edyllio 20.

Hic Iani mensis sacer est, en aspice, vt aris
Thura micent, fumant vt pia thura lares,
Annorum fecitque caput, natalis honorum,
Purpureos fastis qui numerat proceres.

Hinc de Anno à Consulibus inchoato Cassiodorus lib. 2. ep. 1. inquit, *felix a Consule sumat annus auspicium.* Verùm qui, Republica Romana vigente, Consules annum non solum inchoabant, sed perficiebant, sub Imperatoribus facilè, altero alteri ad breue tempus suffecto, confundere fastos potuerunt, & in ipsis consularibus notis ambages in annorum computis inducere, etiam si ordinarij Consules

illi

illi vocarentur, qui initio anni Consulatum inirent, & annorum supputationi normam prefigerent. Dum ergo Ecclesiam per Consulum series, currentes annos more communi signabat, iam à Kalendis Ianuarij, non à Domini Natalitio die annorum exordium videbatur accipere. Nisi dicere magis expediat, quòd interposito tantùm breuissimo septem dierum interuallo, annum potius à Natali die auspicatum cum anno Iuliano, & communi Consulibus signato, in publicis monumentis misceret; quod in æra communi à Domini Natiuitate Chronologi etiam recentiores antiquos imitati, præstitisse apparet, & de se ipso in Annalibus fatetur Baronius. Accidere quapropter potuit, antiquos scriptores, dum varia apud varias gentes annorum initia fuisse animaduerterent, tanquam certum assumere, Romanos in hyemali solestitio anni cardinem constituisse. Ita Simplicius quinto de Phisico Auditu, vbi Philosophus docet, quæ inter se consequentia dicantur, interprete Sepulueda scriptum reliquit. *Non natura, sed passione principia sunt, quæ non facimus anni principia: à solstitio æstiuo, vt Athenienses, vel ab Æquinoctio autumnali, vt qui nunc vocatam Asiam tenent, vel ab hiberno solstitio quemadmodum Romani, vel ab Æquinoctio Verno, vt Arabes, & Damasceni.*

Subijt proinde aliquando suspicari, ne primus anni dies in Brumam, vel propè hyemale solstitium forte incidens, Sol nouus ideo vocaretur, quia non modo dies tunc crescere inciperent, sed quod Annus à Numa, vel Tarquinio instítutus, quamquam à Kalendis Ianuarij exordium sumeret, tercentis tamen, & quinquaginta quinque diebus tantùm constans, circa Brumam, & breuiorem diem, vnde bruma dicebatur, cardinem haberet. Solstitium enim Brumale *nono Cal. Ianuarij*, vt Columella, vel *fere* 8. *Cal.*, vt Plinius, & alij exhibent, primam anni partem constituebat. Idcirco *alijs*, inquit Censorinus de die Natali cap. 8. *à nono Sole, ideſt à Brumali, ab æstiuo solstitio, plerisque ab æquinoctio Verno, partim ab Autumnali, quibusdam ab ortu Virgiliarum, nonnullis ab earum occasu, multis à Canis exortu incipere annus naturalis videtur.* Quasi Numa, qui naturali sapientiæ studio multa peragebat, naturale initium anni constituerit. Et quia Annus Christianus à Domini Natiuitate pluribus computabatur, facile fuit, non modo diem Natalis Domini Solem nouum appellari, quia in solstitium Brumale incideret, sed aliquibus fortasse superstitionibus maculari, quarum obscurè D. Augustinus, & Leo Magnus meminerunt. Hæc cum a nemine viderim animaduersa paululum libuit immorari, & coniecturæ momenta apponere. Plutarchus rationes enumerans, cur ab Ianuario mense annum Romani incæperint, tertiam affert, quòd Numa, ad Naturæ potius ordinem respiciens cum post Brumam sol progrediendi fine facto conuertatur, & ad nos cursum reflectat, ac quasi de nouo cursum suum incipiat, optimum iudicauerit, idem anni, quod Solis esse principium. Solem autem à solstitio ad nos conuerti, & quasi nouum emergere, parum etiam in Astrologia versatis constare arbitror. Nouum Solem, initium anni, statim à Bruma, ita certum videtur Ouidio, vt ex communi loquendi modo, Brumã noui, & veteris Solis limitem apertè vocauerit.

Nouus Sol, sine brumale solstitium anni exordium.

Bruma noui prima est, vetcrisque nouissima Solis.
Principium capiunt Phabus, & annus idem.

Quæ vero hìc de nouo Sole, & anni cardine afferuntur, lucem, & accipiunt, & reddunt ijs, quæ D. Ambrosius serm. 16. de Natali Domini in hunc modum protulit. *Bene quodammodo sanctam hanc diem Natalis Domini Solem nouum vulgus appellat, & tanta sui auctoritate id confirmat, vt Iudæi etiam, atque Gentiles in hac voce consentiant*, & rursus infra. *Solem igitur nouum hanc diem vulgus appellat, & cum dicit nouum, vtique & veterem esse demonstrat.* Hisque similia habet etiam

D.

D. Augustinus, qui cum pluribus locis natum esse Christum Dominũ, ex Ecclesiæ traditione, ostendat die 25. Decembris, sermone præsertim 40. de Natiuitate Ioannis Baptistæ, & 61. de Natali Domini, ex additis à Doctoribus Louanien-sibus, ita explicat, vt quæ dicta sunt, videantur collimare. *Natus est Ioannes hodie, ab hodierno minuuntur dies. Natus est Christus 8. Kal. Ianuarias ab illo die crescunt dies.* Verùm de Sole nouo, eiusque apud Ethnicos solemni die, ita serm. X. de Natiuitate Domini, qui 61. est. *Solemnis erat dies vigesimus quintus Decembris Ethnicis propter Solem, forte quia tunc crescere incipiebat dies. Et quoniam ipsa infidelitas, qua totum mundum vice noctis obtexerat, minuenda fuerat fide crescente, ideo die Natalis Domini Nostri Iesu Christi, & nox incipit perpeti detrimenta, & dies sumere agumenta. Habeamus ergo fratres solemnem diem istum, non sicut infideles propter hunc solem, sed propter eum, qui fecit hunc solem.* Dum autem Ethnicis solemnem hunc diem fuisse D. Augustinus agnoscit, iam aliquo profano cultu obseruatum intelligimus. Et sicuti AEgyptij vetustiores Caniculam orientem adorabant, quòd in eius ortu annum inchoarent, teste Horo Apolline, ita & gentiles, solem veluti ex Bruma redeuntem, nouumque exorientem, ipsa die solistitij, quo annum auspicabantur, certis quibusdam ritibus veneratos esse existimarem. Pergit quippe Augustinus id quodammodo subobscurè indicare eodem serm. 61. *Quodenim Verbum erat Caro factum est, vt propter nos posset esse sub Sole, Carne quippe sub Sole, maiestate autem super vniuersum mundum, in quo condidit Solem, quem pro Deo colunt, qui mente caci verum iustitia non vident solem.* Huius adorandi solem superstitiosi moris vestigium adhuc suo tempore inter fideles Romanos perstitisse dolet S. Leo Magnus serm. 2. de Natiuitate Domini cap. 5., quos vehementer hortatur, ne Dæmonis fallacijs se corrumpi permittant. *De quorundã persuasione pestifera, quibus hac dies solemnitatis nostræ, non tam de Natiuitate Christi, quam de noui, vt dicunt, solis ortu honorabilis videatur. Quorum corda vastis tenebris obnoluta, & ab omni incremento veræ lucis aliena sunt: trahuntur enim adhuc stultissimis gentilitatis erroribus.* Et forte inclinatio illa erat ad nascentem solem, cuius idem D. Leo meminit, dum scilicet non nulli Christiani ad B. Petri Basilicam ascendentes superatis gradibus, *partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, conuerso corpore, ad nascentem solem se reflectebant, & curuatis ceruicibus in honorem se splendidi orbis inclinabant.* In quem morem S. Pontifex inuehitur de eadem Natalis Domini solemnitate serm. 7. cap. 4. Ex quibus omnibus elici posse videtur, Deum, qui in Sole posuit tabernaculum suum, noui Solis diem, suo natali ideo venerabilem consecrauisse, vt fugatis gentilitatis erroribus, hanc noui solis apud infideles celebritatem Ecclesia in veræ pietatis incitamenta conuerteret, & quod anni vetustissimi apud Romanos initium fuerat, sacri etiam anni cardinem in Ecclesia tenerent; *Ipse enim Dominus*, inquit D. Augustinus serm. 60. de Natali Domini, *ipse de Matre in hac die cursibus se ingessit annorum.* Et quamquam Ecclesia eadem Romana adhuc ex Paschali Ciclo, in Pontificijs diplomatibus annos ab Incarnatione retineat, in alijs tamen Epocham à Natiuitate frequentat. Iisdem enim ipsis diplomatibus, vt vulgentur, dum Hierarchici Ministri, vel Tabelliones subscribunt, annos à Natiuitate, non ab Incarnatione reponunt. Ita præter plurima, quæ in Codice diplomatum, vulgo Bullarium nuncupatum, prostant, id experiri licet in literis Clementis Septimi de Anno Iubilæo, in quibus aliæ aliorum Pontificum Epistolæ ab anno millesimo trecentesimo inseruntur, quæ cum anno diuinæ conceptionis, seu Incarnationis insigniantur, annum tamen ipsum, non modo sacrum, sed acceptabilem à Natiuitate Domini inchoandum præscribunt: Et sicuti pariter Gregorij Decimi tertij diploma-

pro

pro anni correctione firmatur, anno Dominicæ Incarnationis MDLXXXI. ita in publicum emissum, ipsa ministrorum subscriptione, anno à Domini Natiuitate roboratur. Et quamquam plura Romæ celebrata Concilia, ab anno octingentesimo ad decimum quartum sæculum, annis Incarnationis obsignentur: Concilium tamen Pisanum ipsa die Incarnationis Dominicæ inchoatum, prima statim actione, & vt ibidem legitur *More Romano*, annum millesimum quadringentesimum nonum à Domini Natiuitate præponit. Quem pariter annum à Natiuitate millesimum quadringentesimum decimum septimum, & decimum octauum exhibet Concilium Constantiense: & à Natiuitate pariter annos numerat Concilium Lateranense, & postremo Tridentinum; & si diplomata, quibus Concilia illa indicuntur annis ab Incarnatione muniantur. Nec ideò, quòd à sexto sæculo, Dyonisiana ratio computandi tempora pro Paschali ciclo, in Ecclesia Romana introierit, euanuit in Italia antiquissima, & communis Epocha à Natiuitate; nam aliquę Ecclesiæ Natalis Domini annum in his, quæ supersunt temporum analectis, adhuc vestigia ostendunt. Ita in Rauennate Metropolitana, non multò post restitutum a Dyonisio ciclum, in Ecclesia Sancti Seueri Inscriptio apposita olim legebatur, quæ annum quinquentesimum septuagesimum quintum à Domini Natiuitate, numerabat.

Hæc est prisca domus Sancto renouata Seuero,
Cuius honore Deo psalluntur cantica vero,
Quingentis Domini, sed denis septies annis,
Amplius his quinque, bone lector in ordine iunge,
Imperium retinente secundo Iustiniano,
Annis undenis regnando vivus in Orbe,
Virginis à partu, quæ peperit absque reatu.

Integram si quis inscriptionem cupit, adeat Eruditissimum, & Amicissimum Virum Ferdinandum Vghellium Tomo 2. Italiæ Sacræ, apud quem etiam Tom. 4. in Episcopis Eporediensibus, sub anno millesimo tertio, aliam inscriptionem inueniet, quæ sacratam fuisse Ecclesiam Sancti Benigni Fructuariensis, ita anno millesimo tertio à Natiuitate præmonstrat.

Millesimus sublimis erat tunc tertius annus
Partus Virginei Principis Etherei.

Et quamquam omnia ferè Ecclesiastica monumenta noni, vel decimi sæculi annum ab Incarnatione retineant, aliqua tamen semper ex vetustissimo more annos à Natiuitate firmare obseruaui, quòd mihi præsertim in Episcopali Lucensis Ecclesiæ refertissimo tabulario experiri contigit, consueto tamen, præterquam Pisanis, errore, vt annus ab Incarnatione inchoatus, non per nouem menses, vti congruum esset, annum à Natiuitate præcedat, sed serius potius tertio ferè mense, subsequatur. Quod mihi aliquando ansam præbuit dubitandi, an anni, qui in Ecclesia ab Incarnatione vocantur, ijdem sint cum annis à Natiuitate, vel cum ijsdem confundantur; quia Natiuitas ipsa Domini pluries à latinis Patribus Incarnatio dicatur, vt manifestissimè apud D. Augustinum serm. 22. de tempore in Natali Domini, quem ita exorditur. *Anniuersaria Domini Incarnatio, & vestra fraternitatis tam frequens congregatio exigit à nobis debitum sermonis officium &c.* Nec ex sequentibus verbis dubitari potest de Natiuitate loquutum, cum subdat. *Hodie namque nasci dignatus est, per quem facta sunt omnia.*

Quia vero, vt in sequenti exercitatione ostenditur, Natalis Domini dies quibusdam Ecclesijs, non vigesimus quintus Decembris, sed quintus, aut sextus Ianuarij, solemnis erat, & latinis etiam secunda Natiuitas in Epiphaniæ die maiori celebri- *Anni exordia ab Epiphania, à predicatione Domini, & à*

fundata Romana Ecclesia minus frequens.

tate recolebatur; accidit, vt aliquibus anni Christiani, seu Ecclesiastici, ab eadē die Dominicæ manifestationis, seu Epiphaniæ termino, deducerētur, fortasse etiā, quòd dies ille triplici triumpho Augusti celebris, vt Orosius lib. 6. c. 20. animaduertit, & Augusti nomine donatus, aliquibus anni etiam ciuilis initium esse potuerit, in ipsius Augusti gratiam, vt ex Suetonio non dissimilem anni auspicandi rationem in huius exercitationis limine indicauimus, vnde facilius in sacri anni caput transire potuerit. Et quia pluribus Ecclesijs eadem pariter Epiphaniarū die Baptismi Dominici memoria, à quo Redemptor noster innotescere cæpit, & prædicationis labores non multo post tempore suscepti venerabantur, alia quamquā rarissimè vsurpata Epocha emersit, & annorū aliquibus ratio à Dominica prædicatione signatur. Ita apud Eusebium in chronico licuit animaduertere, cum anno Natiuitatis 73. Hierosolymitanam cladem consignans, *à 15. Tiberij Cæsaris anno, & ab exordio prædicationis* 43. tempus enumerat. Quod post annorum summariā repetitionem, tanquam nouæ æræ capite, anno Christi trigesimo primo iam prænotauerat. Aliam pariter, ab hac diuersam, sed infrequentem in Ecclesia Epocham exhibent Vaticana monumenta Agapiti Pontificis, quæ Baronius refert ad annum 536. hoc est *anno ædificationis Romanæ Ecclesiæ Quadringentesimo nonagesimo*. Sed hæc temporum signandorum mensura, quæ non vt prisci Romani ab Vrbe condita, sed à fundata per Apostolum Petrum Romana Ecclesia deducitur, sicuti optimè cum eadem Baronij chronologia cohæret, ita minus omnibus vsitatam, alibi me legisse non memini. An verò Ecclesiastici aliqui scriptores in Chronotaxi gestorum Christi, Christianam etiam Epocham ad Hebræorum ciuiles annos, eorumque initium accomodauerint, & inde mensem, quo Dominus baptizatus est, deduxerint, suspicari licet ex verbis D. Hieronymi ad cap. 1. Ezechielis, quæ ita prostant, *Illud quoque intelligendum, quod trigesimo ætatis suæ anno Dominus ad Baptisma venerit in quarto mense, qui apud nos vocatur Ianuarius, & est anni primus exordio, præter Nisan mensem nouorum, in quo Pascha celebratur. Apud Orientales enim populos post collectionem frugum, & torcularia, quando decima deferebantur in templum, October erat primus mensis, & Ianuarius quartus. Quintum verò diem mensis adiungit, vt significet baptisma, in quo aperti sunt Christo Cæli, & Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est, non vt quidam putant Natalis in carne*. Ex eo enim quòd Christi baptismum in quarto mense, nemo ex Euangelistis reposuit, videtur dicendum, D. Hieronymum id apud aliquem ex vetustis Chronologis legisse, qui anni Christiani periodum ad Hæbreorum mensuram accomodaret. Enumeratis igitur hucusque varijs in Ecclesia computandorum temporum rationibus, dum ex dictis pro Paschali ciclo, alijsque Dominicis festis nuncupatis mobilibus, vetustam a Domini Passione, seu Pascha te Epocham suscipio, ita vetustiorem, & in publicis Ecclesiæ actis magis visitatam agnosco, quæ à Domini Natiuitate deducitur. Hanc sacrorum rituum pariter, & officiorum caput fuisse ex sequenti exercitatione elici posse confido.

De

De Natalis Dominici celebritate, eiusque origine, ac Peruigilio.

EXERCITATIO II.

EANDEM à Domini Natiuitate Christianam æram, quandoque ab ipsis Kalendis Ianuarij, quæ parum distarent, & propter Consulares fastos, Ecclesiam deduxisse iam vidimus; Anniuersariam verò Martyrum memoriam, & Calendarum seriem certis diebus, tam in Dei Saluatoris, quam eius gloriosissimæ Matris honorem, attributas celebritates, ordinem frequẽtius suscepisse à die Natalis Domini existimarem, rarò, vel posterioribus tantùm sæculis à Ianuarij Kalendis. Antequam enim, indicto ieiunio, ac publicis supplicationibus, Ianuarij Kalendæ a profanis ritibus expiatæ, in Domini Circumcisionem transierint, quantùm à Sanctis Patribus abominarentur, facilè is intelliget, qui Asterij, Ambrosij, Augustini, Maximi, Petri Chrysologi, & aliorum in die Kalendarum Ianuarij declamationes legerit. Hinc fortasse accidit, vt vel in earum odium, vel quòd in die luminum ab ipsis ita vocato, Domini Natiuitatem saltem Orientales recolerent, accidit, vt aliquæ Ecclesiæ sacrum annum inchoarent, non ab ipsis Ianuarij Kalendis, aut à die 25. Decembris, sed ab octauo, vel ante octauum Idus Ianuarij, quòd ea die natum esse Dominum putarent, vt præcipuè existimauit S. Epiphanius lib. 2. hær. 51. Sacri anni limitem diem hunc aliquando fuisse diximus, & ex eo confirmatur, quòd Alexandrina Ecclesia anniuersarium tempus Quadragesimæ, & festum Paschæ populis in ipsa Epiphaniorum die quotannis prænunciaret, vt Cassianus testis est collatione decima, & Isidorus lib. 1. de Eccles. offic. cap. 26. idque ex Niceni Concilij instituto, tã Orientis, quã Occidentis Ecclesijs cõmuni. Patet hoc ex Theophili Patriarchæ Alexandrini epistolis ad D. Hieronymum, & D. Hieronymi ad Theophilum; quas enim de Paschali celebritate encyclicas in Occidentem Theophilus transmiserat epistolas, eas in latinum sermonem S. Doctor conuerterat, vt eæ, Romano Pontifice probante, omnibus Occidentis Ecclesijs communes essent, quemadmodum communis nunc iuris sunt in magna Patrum Bibliotheca. Neque improbabile putarem, Occidentales aliquas Ecclesias, antequam in eis dies 25. Decembris, pro celebriori Natalis Domini solemnitate reciperetur, non à Kalendis Ianuarij, sed ab ipsa Epiphaniorum celebritate, triplici mysterio decorata, initium sacri anni deduxisse. Concilium equidem Aurelianense quartum in Gallijs circa annum Domini 545. constituit cap. 1. vt Pascha annis singulis in Epiphania populis indiceretur, quem morem adhuc Occidentales Italiæ Ecclesiæ retinent. Quia vero in Concilio Hispanico Bracarensi secundo circa annum 572. sancitur, vt Pascha fidelibus in Natali Domini annunciaretur, subijt dubitare, de secundo, ac solemniori Natali dic id esse intelligendum, quia in Romana aliisq; Occidentis Ecclesijs ex veteri instituto ipsa Epiphaniorum dies secunda, sed solemnior Natiuitas nuncuparetur. Sicuti ergo non negamus Ecclesias aliquas Romano ciuili more dies festos Martyrum, aliosque in Kalendarijs adnotatos, à Kalendis Ianuarij inchoauisse, ita hæc potius recentiora, quã vetustiora sæcula sapere dubitamus. Inter ea verò, quæ annum à Kalendis Ianuarij aliquando in Ecclesia auspicatum docere possent, Polemæi Syluij latercululum esset

apud Bollandum. Is sub Theodosio, & Valentiniano floruit circa annum 448. & tam ex Ethnicis, quam Christianis fastis, aliqua memoria digna in suas Ephemerides breuissimè transtulit. Aliqua in laterculi initio de annis, ac mensibus præmittit, & à Ianuario ideo exordium profitetur, quòd à Natali Domini eiusdem mensis Kalendæ parum distarent. *Calendarum rationem secuti à Ianuario, cuius ante dies octo, & Sol ad celsiorem tramitem surgens recurrit; & quod est amplius Dominus, & Deus noster Dei filius Iesus Christus corporaliter natus est, ordiemur.* Vetustiorem vtique anniuersarij circuli, siue sacrorum festorum codicem, qui à Kalendis Ianuarij ordinem incipiat videre non contigit, præter Martyrologium S. Hieronymo adscriptum, vel Epternacense, ac S. Villibrordi, siue Vetus Romanum à Bollando nuncupatum, & infra sæpius à nobis adductum. Hinc, & aliud multò recentius à Rosuueydo sub programmate Veteris Romani Martyrologij vulgatum sacros fastos à mense Ianuario exordiuntur. Vsuardus pariter editus, & eidem vel coæuus, vel parum iunior Vvandelbertus, qui in epistola ad Orricum Martyrologio præfixa fatetur, post Bedam se laboribus Flori Lugdunensis adiutum, & subdit: *Ab hoc ego, sumptis veteribus, emendatisque codicibus, Martyrologium librum a Kalendis Ianuarij vsque ad finem anni, per dierum singulorum ordines festiuitates, mire edidi.* An verò Ado, siue Viennensis, siue Treuerensis à Kalendis Ianuarij Hagiologium suum inchoauerit, vel à recentioribus in vsum recentiorem, ita fuerit accomodatum dubitare licet. Adonis Martyrologium, quod edidit Mosander ad Surium, nostrumque hædinum ante sexcentos annos manu exaratum à Ianuario Mense, Sanctorum seriem auspicantur. At Rosuueydus, qui Adonem ex tribus veteribus manuscriptis codicibus recensuit, & puriorem vulgauit, restatur in illis Epocham esse Domini Natiuitatem, vel à Vesperis ipsius Natalis annum inchoare, quinimmo eodicem S. Pantaleonis ex quo Mosander Adonem suum transtulit, non in Kalendis Ianuarij, sed in Natiuitate Domini initium anni sacri præfigere certissimè, & constantissimè asserit. Veteres huiusmodi Adonis codices, Occidentalium saltem aliquarum Ecclesiarum vsum ostendunt ritualem annum à Natiuitate Domini inchoandi. Quod pariter confirmant plura vetusta Martyrologia apud Bollandū in Præf. Gen. ad Acta SS. §. 56. præsertim vero Bedæ manuscriptū, Centulense S. Richarij, aliudq; Letiense, & Tornacense, quod Flori esse suspicatur, hos omnes codices *à die Natiuitatis* initium ducere refert, *& plures alios*, quibus binos nostros succenturiatos esse voluimus, & Corbeiense à nobis frequenter adductum. His addimus duo pariter Martyrologia D. Hieronymi nomine donata, quæ olim in manuscriptis Patauinis Bibliothecis vidit Tomasinius, quorum alter Cathedralis Ecclesiæ à me frustra quæsitus facilè deliteſcit, alterum vero, cuius parum specimen exhibet in Bibliothecis Patauinis, à Vigilia Natiuitatis exordium accepisse patet. Sin verò fragmentum antiquissimi Romani Martyrologi, quod primum sub Tiberio in lucem prodisse creditur, & nuper ab Ægidio Bucherio in opere de doctrina temporum editum fuit, tale re vera esset, magnum vtique accederet nostræ sententiæ fulcimentum. Postquam enim ibidem Romanorum Pontificum, à Lucio ad Iulium, depositionum memorabiles dies enumerantur, anniuersaria Martyrum memoria ita à Natali Dominico inchoatur. *8 Calend. Ianuarias natus Christus in Bethlem Iudæ.* Vetustiorem hunc Ecclesiæ Romanæ antiphonalis, seu cæremonialis inchoandi vsum à Natalis celebritate, lutulenter adhuc testantur Sacramentarium Sancti Gregorij, & Lectionarium D. Hieronymo adscriptum, tam quod est inter Liturgica Pamelij edita, quam quod in antiquissimo codice Bibliothecæ Lucensis Sancti Martini seruatur. In hoc Prologus extat sub D. Hieronymi nomine

mine ad Constantinum, hæc verba circa medium proferens. *Incipientes itaque à Natiuitate Christi*, quæ est 8. *Cal. Ianuarij in Vigilijs, ad nonam* per ordinem, quem *assiduum in Ecclesia* didiceram, lectiones vtriusque testamenti *simplicibus ministrauit*. Idem ritualis anni initium, in Romana Ecclesia ostendit antiquus ordo Romanus, Tomo 10. Bibliothecæ Patrum editus, de anni totius officijs, ac ministerijs; & ex hoc, vel consimili codice S. Isidorus de Ecclesiasticis officijs cap. 29. annuas celebritates à Dominico Natali incipit explanare, sicuti & Albinus Flaccus in ipso limine libri de diuinis officijs; quibus & alij sacrorum rituum scriptores succenturiantur. At quia alia ex enumeratis voluminibus à Peruigilio, seu vigilia Natalis Domini, alia, vt nostrum, & quædam à Bollando indicata, ab ipsomet Natalis Dominici die sacrum, & ritualem annum deducunt, existimaui maiorem antiquitatem ea redolere, quæ in ipsis ferijs natalitijs caput anni præfigerent, quam quæ à Vigilia, ad Nonam præsertim nuncupata, annum exordirentur. Cum enim hi, alijque consimiles codices Peruigilium, seu sacram pernoctationem, antiquis fidelibus non raro vsurpatam, cum antecedenti die confundant, seu potius in præcedentis diei ferias omnino transferant, iam in recentiorem vsum, quando pernoctationes populorum defierant, accomodati esse videntur.

Vigiliarum, seu Pernoctationum in sacris vsũ vetustissimum esse non inficior; siue diuinas, siue prophanas literas consulamus; præter multa enim veteris, & noui testamenti testimonia, quę Baronius, & Durantius de ritibus Ecclesiæ cumulant, apertissimũ est Iudith. 6. *dũ conuocatus est populus per totam noctem in Ecclesiam.* In prophanis verò celebritatibus, affectante Dæmone Diuinitatis cultum, Peruigilio Romanos vsos esse palam est, tum ex Cic. 3. de legibus dum in nouis Deis colendis nocturnas peruigilationes adducit, tum apud Suetonium, qui in Galba, de cultu fortunæ, *anniuersario peruigilio*, expressè meminit. Nihil autem magis decantatum nouissimis sacrorum rituum scriptoribus video, quam priscorum fidelium apud Iuniorem Plinium stationes ante lucem, & antelucanos cœtus apud Tertullianum. Sed has pernoctationes cum Ecclesiasticis nuncupatis vigilijs, quę nunc dies solemniores antecedunt, vnum, idemque fuisse, nisi generali nomine, vix crederem. Furentibus quidem persecutionum procellis fideles clanculum in cryptis, semotisque domibus, noctù sacras synaxes peregisse non dubito, & morem hunc pium, diuinisque oraculis consonum in Ecclesia seruare studuisse Sanctos Patres frequentibus ad populũ suasorijs & hortationibus, ex eorum scriptis apertissimum est; quin etiam vniuersali Ecclesiæ vsu receptum, ex D. Basilij Epistola 63. ad Clericos Neocæsariẽses, ità clarũ est, vt dubitari ex his interpretis verbis nequeat; *Hoc habeo quod dicam, videlicet, qui iam obtinuerũt, ritus omnibus Ecclesijs Dei concordes sunt, & consoni. De nocte siquidem populus consurgens, antelucano tempore domum præcationis petit.* Subsequuta verò post Constantinum Ecclesiæ tranquillitate, Vigilias in more remansisse ex DD. Ambrosio, Hieronymo, & Augustino facilè comprobari posset. At hæ quotidianæ Vigiliæ erant, & antelucani frequentes cœtus, non solemne Peruigilium, quod diem celebritatis antecederet; sacræ inquam pernoctationes illæ erant, nostro adhuc tempore apud strictioris ordinis cœnobitas vsitatæ, cum singulis per annum noctibus ad Psalmodias, Laudesque Dei nocturnas peragendas exurgunt: & communibus his vigilijs fideles olim intererant, donec refrigescente fidei ardore, pullulantibusque pernoctit opportunitatem vitijs, in populo sensim esse desierint, solemnioribus tantùm relictis pernoctationibus, quæ in nostras Vigilias deinde transierũt. Sensim dixi, nam aliquo tempore ante Dominicum diem, & nocte ipsa Dominica, adhuc permansisse ex Epist. 36. inter D. Hieronymi spurias, siue Paulini, siue alterius Patri-

Sacrarum Vigiliarum origo

bus

bus vetuſtis ſit, ità patet. *Nec ſanè onerosum, vel difficile videri debet, etiam delicatis temporibus, in ſeptimana duarum noctium, ideſt Sabbathi, atque Dominica portionem aliquam Dei miniſterio deputare*, Quod ex Caſſiani Inſtitutionum cap. 8. & nono, ex Apoſtolica conſtitutione confirmatur. At in ſolemnioribus ferijs, alias ſolemniores antiquitus fuiſſe vigilias, quæ frequentiori populi cœtu, ac maiori celebritate peragerentur, & vſitatis nunc vigilijs reſpondeant, ex Tertulliano ipſo, qui alias de antelucanis cœtibus vniuerſim meminit, elici poſſe videtur, ita vxorem dehortante, ne homini Gentili nuberet. *Quis nocturnis conuocationibus, ſi ita oportuerit, à latere ſuo eximi libenter ferret? Quis denique ſolemnibus Paſcha abnoctantem ſecurus ſubſtinebit*. Ex quibus coniectari poſſe videtur, nocturnos, ſeu antelucanos cœtus, quacunque cauſa indictos breuiores eſſe, ſolemniores, vt in Paſchate, ad totam noctem extendi. A communibus vigilijs ſolemnes pernoctationes diſtinguit etiam D. Hieronymus epiſtola ſeptima ad Lętam his verbis. *Vigiliarum dies, & ſolemnes pernoctationes, ſic Virgunculam noſtram celebret, vt nec tranſuerſum quidem vnguem à Matre diſcedat*. Solemniorem Paſchæ pernoctationem in plures vigilias partitam eſſe antiquitus ex Euſebio lib. 6. Hiſt. cap. 27. educi poſſe videtur, dum Philippum Imperatorem Gordiani ſucceſſorem, quia Chriſtianus erat, *cum precationum, in die poſtremæ Vigiliæ Paſchatis, vna cum multitudine, particeps fieri vellet*, inter pœnitentes reiectum. Quanta verò ſolemnitate Conſtantinus Imperator Paſchalem noctem proſequi conſueuerit; idem Euſebius teſtis eſt lib. 4. de vita Conſt. cap. 22. & 57. Et Paſchale Peruigilium, cuius etiam meminit lib. 7. c. 19. Lactantius, ita Venerabile erat, vt Vigilantius, alioquin vigiliarum ſomniculoſus hoſtis, apud eundem D. Hieronymum cap. 4. reliquas omnes abrogare, præter hanc conatus fuerit, eas nempe exiſtimans reſpuendas, *ne ſæpè videamur Paſcha celebrare*. Ieiunium ſolemnioribus hiſce pernoctationibus ſociatum fuiſſe non dubitarem, & in Veſperis, ſiue prima noctis vigilia ſolui conſueuiſſe credere. Noctem in quatuor vigilias partitam more militari militans Eccleſia diuiſit, quarum prima à Veſpere incipiebat, vt docet Arnobius in Pſal. 129. Hanc D. Ambroſius lib. 7. in Lucam cap. 12. primam vigiliam, & veſpertinam dixit de aduentu Domini. *Venit enim, & Veſpertina, & ſecunda, & tertia vigilia, & pulſare conſuenit*. Ieiunium verò tunc ſolui morem in Eccleſia fuiſſe præter multa Paulinum audire libet, ita in Natali ſeptimo D. Felicis canentem.

Noſtis eum morem, vt ieiunare ſolemus
Ante diem, & ſero libatis veſpere ſacris,
Quiſque ſuas remeare domos: tunc ergò ſolutis
Cœtibus à templo Domini, poſtquam data feſſis
Corporibus requies, ſumpta dape, capimus hymnis
Exultare Deo, & Pſalmis producere noctem.

Quæ ideo adduxi vt ritum vigiliarum, in honorem Martyris, ſolemniorem, eius calamo appingerem.

De origine feſti Natiuitatis Domini.

Verum ſicuti in feſtiuis Martyrum anniuerſarijs, ac in Baſilicarum dedicationibus, ſolemnes vigilias agi conſueuiſſe certum eſt, & ſi non tam celebres fuiſſe exiſtimarem, quam Paſchalis celebritatis Peruigilium; ita anceps ſum, an inter ſolemniores ab antiquiſſimo tempore vigilia, ſiue pernoctatio eſſet, quæ Natalem Domini diem 25. Decembris præcederet. Dubitandi anſam præbent: primò quod Tertullianus, non niſi Paſchalis vigiliæ meminerit, quam poſtea vti ſolemniorem abrogare non eſt auſus Vigilantius, cui neque D. Hieronymus peruigilium Natalitium tanquam celebre oppoſuit. Deinde quòd Domini Natiuitas, tam in Ægy-

pto,

pto, quam apud Græcos plurimos, non 25. Decembris, sed 6. Ianuarij die cum Theophania, seu Epiphania, ipsis etiam Chrysostomi temporibus, celebraretur. Amplius quòd D. Augustinus in epistola 118. ad Ianuarium, non modo Natale Domini inter festa ab vniuersa Ecclesia, ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs commendata non numeret, sed in alia ad eundem epistola 119. minus fuisse celebrem, non obscurè consentiat. Ita enim in prima. *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri, sicuti quòd Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cælum, & aduentus de cælo Spiritus Sancti anniuersaria solemnitate celebrantur.* In secunda verò ita Domini Natalem distinguit. *Hic primum oportet vt noueris, diem Natalis Domini non in sacramento celebrari, sed tantum in memoriam reuocari, quod natus sit, ac per hoc nihil opus erit, nisi reuolutum anni diem, quo ipsa res acta est, festa deuotione significari.* Et si verò in Occidentali Ecclesia bis Natale Domini celebraretur, vt ex Cassiani collatione decima elicitur, minus quidē solemniter ad 25. Decembris, solemniùs autē 6. Ianuarij, vt infra ex ordine Romano patebit recolebatur. De primo loqui D. Augustinū putarē, quòd pluribus locis natum esse Dominum die 25. Decēbris Ecclesiæ traditionē esse affirmet. Et proinde nec difficile crederē, iam D. Augustini ætate diem festum Natalis Domini in Ecclesia Occidentali celebrem fuisse, quod postremo Constantini Magni anno solemnis haberi cæperit, anno nimirum 336. Ita sanè Ioannes Nicenus testatur in Epistola de die Natali, quam Combefisius ex Græco transtulit, & doctis annotationibus illustrauit. Is vnde, & à quibus vetustioribus scriptoribus habuerit, narrat Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum ad Iulium Pontificem literas dedisse, quibus moneret impossibile esse, vt in Epiphaniæ solemnitate triplicis celebritatis memoria in sacris, ac inter se distantibus locis perageretur, inter quas celebritates, cum Natalis Domini esset, ex Iacobi fratris Domini, siue traditione, siue permissione, accidit, vt Romæ optimè re discussa, & diligenti, quam exhibet, supputatione adhibita, Natalis Domini verum diem in 25. Decembris incidere constaret: *Inque hunc modum*, Inquit, *Iulius Romanus Patriarcha menses Hebreorum, atque Romanorum composuit: à quo tempore cæpit Romana Ecclesia lætis gaudijs celebrare Natalem Saluatoris diem 25. Decembris, tradiditque celebrandum vniuersis Ecclesijs*: Hinc addit D. Basilium non modo in suis Moralibus signasse Saluatoris Natalem diem 25. Decembris, sed Gregorio Nazianzeno in mandatis dedisse, *in Synodo Constantinopolitana promulgari, ac celebrari 25. Decembris*, quamuis quidam non assenserint; tandem sub Arcadio, & Honorio, dum hic Byzantiū aliquando accederet, cooperante S. Ioanne Chrysostomo Patriarcha, & ex Cypro accersito S. Epiphanio, definitum quoque in Oriente esse, vt eadem die 25. Decembris Natalis Domini celebraretur; quibus assensum, & reliqui deinceps Patriarchæ dederint. Sub Honorio autem festum Natalitium iam Romæ solemni ritu celebratum, ita narrat. *Romani sua die Natale Domini celebrarunt, cum lectionibus perfectis, multisque troparijs, atque modulis* Quanquam verò Ioannes ille Archiepiscopus Nicenus existimari possit iunior Arcadio, Chrysostomo, & Augustino, valdè tamen consonat cum his, quæ habet idem Chrysostomus in Oratione de noua festi Natalis Domini institutione. Hanc homeliam, & si Gretserus ad cap. 8. Codini neget esse Chrysostomi, eidem tamen validissimis argumentis adstruunt, tam Casaubonus exercitatione 2. in Baronium, quam Combefisius in Auctario Bibliothecæ Patrum. Quibus, de inducto recentius Natalitio festo in catholica Ecclesia, adderem Gregorij Nisseni assertionem, qui orat. de die

Natali

Natali Domini, tanquam de noua integrèque ſuſcepta celebritate, ita non obſcurè lętatur, Sifanio interprete. *Nunc per totum Orbem habitatum, diem feſtum celebrantium, concors ſonus auditur.* Quaſi antea, in diem feſtum Natalis Domini, omnes Eccleſiæ non conuenirent. Ex his tollitur Baronij doctiſſimi hæſitatio, qui in titulum Homeliæ Pauli Emeſeni, ex Actis Concilij Epheſini cap. 13. fluctuat, an dicta illa re vera fuerit 25. Decembris ipſa die Natalis Domini, vt ipſius Homelię verba ſignificare videntur. Aut enim concludit ad annum 432. n. 74. mendum eſſe in titulo diei, aut Ægyptios, qui Natalem Domini celebrare conſueuerant die 6. Ianuarij, vſum priſtinum reliquiſſe. Ità ſanè: reliquerant enim veterem conſuetudinem Eccleſiæ omnes, & in diem 25. Decembris conuenerant. Hæc omnia quidem clariùs in dicta Chryſoſtomi Homelia Pantino Interprete continentur, quæ quia plura non vulgaria ad hanc celebritatem ſpectantia, & Ioannis Niceni narrationi apprimè conſona exhibet, omnino videnda eſt. Erat tunc S. Ioannes Chryſoſtomus, non dum Epiſcopus, ſed Presbyter tantùm, & ſiue orationem dixerit Antiochiæ, ſiue Conſtantinopoli vix decennium præterijſſe docet, ex quo dies Natalis Domini verus cognoſceretur. *Et quidem*, inquit, *non dum decimus annus eſt, ex quo hic ipſe dies manifeſtè nobis innotuit.* Pergit deinde narrare ex Eccleſia Occidentis, in qua Natalitij diei antiqua traditio erat, in Orientalem, ita eiuſdam celebritatem redijſſe, vt non omnibus ſtatim arrideret, Dominum menſe Decembri natum eſſe. *Hic dies cum ab exordio ijs, qui in Occidente habitant cognitus fuerit, nunc ad nos demum, non ante multos annos, tranſmiſſus.* Diſſenſus huius rei inter doctos erat, alij enim tanquam rem nouam reijciebant, alij verò tanquam antiquitati etiam Orientalium conſonam, ſed iam diù antiquatam ſuſcipiendam, & reſtituendam contendebant. *Multus vbique de hoc die ſermo, partim incuſantium, quaſi nouus ſit, nuncque recens inuectus: partim eidem propugnantibus, tanquam antiquo admodum, & vetuſto.* Idque non tantùm Occidentalibus quod iam dixerat, *ſed iam inde à primordio ab ipſa Thracia Gades vſq; incolentibus manifeſtus, & celebris fuerit.* Quæ verba hæc prorſus ſignificatione prolata luſoriũ Gretſeri argumentũ, Conſtantinopolim eſſe in Thracia, non admictunt. Quod verò ex antiqua Romanę Vrbis traditione, eaq; veteribus hiſtorijs, ac faſtis auguſtalibus conſona in Orientem celebritas natalitia 25. diei Decẽbris tranſierit, ita idẽ Chryſoſtomus confirmat. *Ex his liquet prima deſcriptionis tempore natũ eſſe, & cui veteres hiſtoriarum codices, qui Romæ publicè aſſeruantur, lectitare libeat, per facile etiam tempus huius deſcriptionis accuratè diſcere potuerit. Caterum quid hoc ad nos, dicat aliquis, qui illic neque ſumus, neq; fuimus vnquã? Auſculta neq; diffidas; ſi ab illis, qui huiuſce rei exactam cognitionem habent, quique illam Vrbem inhabitant, hũc diem accepimus; nam illi ipſi, qui illic commorantur, multo antè, & ex antiqua traditione ipſum celebrantes, ad nos vſque illius notitiam tranſmiſerunt.* His conſentientia ſunt, quæ idem S. Doctor Homel. 2. in Lucam attulit, non adhuc ſcilicet omnes Orientales conueniſſe in celebrando Dominico Natali die 25. Decembris; ſed rationum momenta pro Occidentalibus magis, quam Orientalibus traditionibus eſſe; hæc verò nimiam prolixitatem cauentes ſubticemus.

Conſonant ergo cum Chryſoſtomo non modo, quę ex Ioanne Niceno de feſto Natalis Domini ſub Iulio ſolemniter inſtituto, & Orientalibus communicato, attulimus; Sed fidem quodammodo augent Clementis non omnibus probatis conſtitutionibus lib. 5. cap. 13., in quibus dies Dominici Natalis, ita ſtatuitur 25. Decembris, vt tamen ſolemniùs celebrandum eſſe decernatur ſexta Ianuarij. Nec ab ijſdem diſſident, quæ in antiquo ordine Romano continentur. Quippe quòd non tantùm ibi Epiphania ſecunda Natiuitas dicatur, ſed etiam maiori ſolemnita-

te

te peragendam ita esse doceatur. *Nec hoc prætereundum est, quòd secunda Natiuitas Christi, tot illustrata mysterijs, honoratior sit quam prima*, sicuti ad verbum etiam repetit Albinus Flaccus de diuinis officijs capite de Baptismo Domini. Ex his igitur non malè coniectari existimabam antiquissimis temporibus, & ante Iulium Papam, quantumuis traditio in Occidente vigeret, Christum Dominum natum die 25. Decembris, non dum statutum fuisse, vt festus Natalis dies inter solemniores recoleretur, & vigiliam, seu solemnem pernoctationem haberet; Sed sensim aucta, & vbique peruulgata diei celebritate, deinceps festo ritu in Ecclesia Romana peragi cepisse, & celebrem exinde additam fuisse pernoctationem. Hinc conijciebam, multitudinem illam ætatis omnis, quę in ipso festo Natalis Dominici die ad Ecclesiam, in initio persecutionis Diocletiani, & Maximiani conuenerat, succenso igne concrematam, non quidem 25. Decembris, sed sexta die Ianuarij, viginti millium Martyrum numerum expleuisse. Quamquam enim Nicephorus id accidisse narret lib. 7. cap. 6. *cum Natalis Christi festus adesset dies*, vel vt Metaphrastes apud Surium ad diem 26. Decembris, quando Christiani *festorum maximum* celebrabant, *& celeberrimo totius populi concursu ad festum* conueniebant, esse tamen probabilissimum celebritatem illam diem Epiphaniarum fuisse, non modo in Oriente, sed in Occidente solemnem. Suadet hoc quòd Iulianus Apostata eam tanti fecerit, vt veritus, ne initio Imperij Apostasiæ suspectus redderetur, nisi huius diei solemnitatem debitè coluisset, notam suspectæ fidei ita declinauerit, vt Ammianus Marcellinus his verbis refert, non longè ab initio libri 22. *Vt quæ omnes nullo impediente ad sui fauorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat, à quo iam pridem occultè defecerat, arcanorum participibus paucis, aruspicina, auguriisque intentus, & cæteris quæ Deorum semper fecere cultores: Et vt hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Ianuario Christiani, Epiphania dicitant, progressus in eorum Ecclesiam solemniter numine orato discessit.* Erat tunc Iulianus in Gallijs, & fortasse *apud Parisios*, eodem sæculo, quo Nicomediæ multitudo illa Martyrum claruit. Et quanquam ante triginta circiter annos sub Iulio Pontifice, iam in diem 25. Decembris festum primæ Natiuitatis Ecclesia Romana restituerit; certum tamen est, non ita festum illud vsu receptum fuisse, vt Epiphaniæ solemnia minori celebritate profiterentur. Vigebat enim sub Siricio, qui triginta circiter annos post Iulianum regebat Ecclesiam, adhuc solemnitas Epiphaniarum pro Domini Natalitijs, & in tantum vigebat, vt quemadmodum in Paschate, & Pentecoste, Baptismus etiam in Epiphania fidelibus impertiretur; quod dum cauit Siricius in epist. ad Himerium Tarraconensem cap. 1. n. 2. videtur Nataliciorum festum eundem cum Epiphania reputauisse, quòd solemnius perageretur, *Sola, inquit, temeritate præsumitur, vt passim, ac libere Natalitij Christi seu apparitionibus*, puta Epiphania, *innumeræ plebes Baptismi Mysterijs consequantur*. Quem pariter vsum, tempore Vandalicæ persecutionis in Africa adhuc viguisse testis est loco supra adducto Victor Vticensis, quemadmodum etiã deinceps S. Leo, dum ad Episcopos Siciliæ scribens, in die Epiphaniæ, sicuti adhuc mos erat, baptismum celebrari vetauit. De festo equidem Natalis Domini die ab Epiphaniæ celebritate distincto incertum est, an lex Romæ circa annum Domini 389. emanata loquatur, Cod. lib. 3. tit. 12. de ferijs, Valente, Theodosio, & Arcadio Aug. cum in ea præcipitur feriatos in posterum dies etiam, Natalis, *& Epiphaniarum Christi* esse debere, vti Pascha. Sanè hos dies ab inuicem seiunctos, festiuis gaudijs veneratos constat tempore D. Ambrosij, & Augustini ex pluribus eorundem sermonibus, siue Homelijs, sicuti pariter ex his, quæ supra adduximus D. Hieronymi verbis in cap. Ezechielis, ex quibus apparet ad-

adhuc eius ætate esse, qui putarent, diem Epiphaniæ venerabilem esse ex Natale Domini in carne. Verùm si ea, quæ in vita S. Thelesphori Pontificis retulerunt Damasus, aut quisquis sit historiæ Pontificalis auctor, Luitprandus, & Abbo Floriacensis, quinimo si & vera essent, quæ eiusdem exhibet decretalis epistola tomo primo Conciliorum, certum etiam esset ab anno saltem Domini 141. quo Thelesphorus sedit, non modo Natalis Domini diem in Occidentali Ecclesia celebrem fuisse, sed nocturna vigilia solemnem. Ita enim ab eodem Pontifice statutum in decretali epistola legitur. *Nocte verò sanctæ Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent, & Hymnum Angelorum in eis solemniter decantent.* At obijci duo possunt, primùm incertum esse, an Thelesphorus de prima, an de secunda Domini Natiuitate intelligi præceptum illud voluerit, quòd secunda in Romana Ecclesia celebrior, vt vidimus, esset, deinde quòd nullibi apud vetustiores Patres, nedum Tertullianum, Irenæum, Eusebium, sed neque Ambrosium, aut Augustinum, qui plures in die Natalis Dominici ab Epiphania seiuncto sermones habuerunt, aliquid de vigilia, aut nocturno cætu fidelium in hac solemnitate appareat; quin potius omnes interdiu dicti videatur, & apertè ex August. serm. 63. matutino tempore; cum alioquin de Paschali pernoctatione, ac Paschę vigilia apud eosdem plures, & apertissima homeliæ prostent, septem præsertim apud D. Augustinum. E contra verò pro secundi, & celebrioris Natalis pernoctatione, ac vigilia, tam in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia plura monumenta supersint, & vt reliqua sileam, luculentissimum apud Victorem Vticensem de persecutione Vandalica lib. 2. testimonium sit. Refert hic, Eusebium Carthaginensem Episcopum felicis cæco, in eadem Vrbe notissimo, prodigiosè oculos aperuisse in Epiphaniarum pernoctatione, quando iam *ob celebritatem festiuitatis hymni nocturni per totam Ecclesiam canente populo concrepabant.* De Peruigilio festi Sancti Christi Baptismatis, quod eadem diem cum Epiphania celebratum esse constat, meminit Clemens Alexandrinus vetustissimus Scriptor lib. 1. Strom. quãuis Basilicis sectatoribus, non vniuersæ Ecclesiæ morem ita tribuat. *Basilidis autem sectatores eius quoque* (nempe Christi) *Baptismi diem celebrant totam præcedentem noctem in lectionibus transigentes.* Quæ enim, pro Natalis primi vigilia antiquitus statuenda, ex D. Augustini epistola ad Xantippum Baronius adducit, non tanti ponderis esse veremur, vt vigiliam, seu sacram illam pernoctationem in vsu communi Ecclesiæ susceptam esse conuincant. In prima quidem vigilia Noctis, seu Vespertina ieiunium solui à fidelibus consueuisse, quando solemnes pernoctationes peragebant, libenter admittimus; sed cum D. Augustinus expressis verbis de vigilia, aut sacra pernoctatione non meminerit, sed tantum pœna dignum Presbyterum Geppitanũ existimauerit, quòd in die Ieiunij Natalis Domini apud famosam fœminam prandierit, cænauerit, atque in vna domo dormierit, sacram vigiliam, seu pernoctationem ex his elici posse dubitarem. Primum quia plures essent ieiunij dies, qui Natalis Domini dicerentur, & apud Græcos ieiunium Natalis Domini septem diebus erat, vt Balsamon respondet ad 53. quæst. Marci Patriarchæ Alexandrini, & in Gallijs, ex instituto S. Perpetui, eodem D. Augustini sæculo, terna in septimana ieiunia numerabantur à depositione S. Martini vsq; ad Natalem Domini, vt testatur Greg. Turon. lib. 18. Hist. Franc. cap. 31. præter illa, quæ in regula Sancti Benedicti annotantur. Deinde quia idem D. Augustinus videtur non de vniuersali Ecclesię ieiunio loqui, sed de ieiunio in Geppitana Ecclesia seruato, quod alijs suæ dioecesis commune esset, non omnibus prouincijs. Dum enim Xantippo Primati Numidiæ iudicij in presbyterum peracti rationem reddit, ad quid repetendum esset huiusmodi ieiunium ab Ecclesia Geppi-

tana

tana ſeruatum, ſi commune omnibus Eccleſijs fuiſſet, & cur de Geppitana inobſeruantia damnauit *Presbyterum*, qui die ieiunij, quo eiuſdem *loci etiam Eccleſia ieiunabat, abſtinentiam non ſeruauerit?* Sicuti ergo accipienda alia ſuperiora verba videntur, conuictum presbyterum eſſe, inter alia *crimina, quòd die ieiunij Natalis Domini, quo etiam Geppitana Eccleſia, ſicut cæteræ ieiunabāt*, nō ieiunaſſet, quòd id non commune eſſet Eccleſijs omnibus per vniuerſum Orbem Chriſtianum, ſed cæteris ijs, quæ iuris erant primatis Xantippi; Ita neque negandum, vigiliam Natalis Domini in Gallia paulo poſt celebrari cæptam ex inſtituto Sancti Perpetui anno circiter 482., quemadmodum Gregorius Turonenſis apertiſſimus teſtis eſt lib. 10. Hiſt. *Hic inſtituit ieiunia, vigiliaſque, qualiter per circulum anni obſeruarentur, quod hodieque apud nos tenetur ſcriptum*, numerans deinde ieiunia ea adfert, quæ ſupra indicauimus, nempe, *à depoſitione Domni Martini vſque Natale Domini terna in ſeptimana ieiunia, & mox de vigilijs Natalis Domini in Eccleſia; Epiphania in Eccleſia &c.* Quam profectò vigiliam, ſacramque pernoctationem Natalitiam, ab Epiphania ſeiunctā, non modo ſuo tempore idem Gregorius agnouit, ſed prodigijs fuiſſe plurimū illuſtratam poſt integrum ferè ſæculum retulit de Gloria Martyrum cap. 86. Minus igitur certum eſt, vetuſtiori tempore, & ante quintum ſæculum vigiliam Natalis Domini ab Epiphanijs fuiſſe diſtinctam, tam de more Eccleſiæ Orientalis, quam Occidentalis. Hinc augetur dubitatio an Epiſtola Sancti Teleſphori Papæ genuina ſit. Iam docti Viri non deſunt, qui adductam decretalem Epiſtolam illius Sancti Pontificis germanam eſſe, non facile conſentiant, ſed recentioris potius alterius Pontificis; ex eo præſertim, quòd in eadem præcipiatur, Miſſarum ſolemnia non niſi hora tertia celebrari debere; quamuis enim idē repetant Damaſus, Luitprandus, & Abbo: incongruum tamen eo ſæculo omninò videtur, furentibus in Chriſtianos Imperatorum gladijs, de ſtato ſacrificij tempore decerni, cum Tertulliani teſtimonio, qui poſt Theleſphorum ſub Seuero floruit, Euchareſtiæ ſacrum non niſi clam, & antelucanis cætibus à fidelibus celebraretur, nec Miſſa aliter peragi poſſet, quam noctu, vt non tam ſibi, quam paganorum furori, ac ſacrificij dignitati fideles conſulerent. At ſiue antiquiſſimū fuerit, ſiue non, ante diem primi Natalis Domini vigeſimum quintum Decembris peruigilium, profectò in antecedentem diem tranſpoſitum, antiquitus eo modo celebrari conſueuiſſe, quo deinde, & poſterioribus ſæculis in vſu fuit, antiquorum teſtimonijs fulcitum non apparet, & vix D. Ambroſij, & Auguſtini temporibus, vſu receptū fuiſſe licet ſuſpicari. Aduentus verò tempus, ſeu longior in Natalem, ſiue primum, ſiue ſecundum præparatio ex eorundem, vel Sancti Maximi Taurinenſis coæui homelijs facilius videtur educi. Verùm vt tandem finem longiori exercitationi imponamus, ſicuti maiorem vetuſtatem ſapere ex dictis arbitramur, vt à Natiuitate Domini auſpicato anno, ab eadem potius die anniuerſarius Sanctorum Martyrum circulus incipiat, quam à vigilia antecedentis diei, vigilia ad Nonam nuncupata; ita dubitari poſſet, an ex antiquo Eccleſiæ more, poſt ſecundam noctis vigiliam, hoc eſt media nocte, dies Natalis Domini inciperet, vel à prima, ſeu veſpertina. Annum quidem poſt Iulianam correctionem à media nocte ante diem Kalendarum Ianuarij initium Romanis duxiſſe, lata etiam lege, Plutarchus teſtatur Probl. Romano 82., cuius pariter moris cauſam inquirit; Confirmatur id apertiſſimè lib. 2. digeſt. tit. 13. de ferijs, ex Pauli ad Sabinum lib. 13., vbi dicitur, *quòd more Romano dies à media nocte incipit, & ſequentis noctis media parte finitur.* Neque id tantùm in Ciuilibus Actis, ſed etiam in re ſacra, Aul. Gellio auctore lib. 3. noct. Attic. *Romani enim ſacra nocturna, ſi ante mediā noctē facta fuiſſent, diei præcedenti tribuebant, ſi poſt in diem ſequentem computabant, quod idem,*

& in auſpicijs ſeruabant. At in veræ pietatis ritibus, quid quid de ieiunio ſancitum aliter, & præcipuè fuerit, certum videtur, quòd à Veſpera in Veſperam dies ſacrus extenderetur: atque eodem modo primum anni diem Natali Dominico dicatum à prima noctis vigilia, ſiue à veſperis fuiſſe inchoatum. In veteri enim lege Leuit. 23. Iſraelitico populo lege cautum fuit, vt de Veſpere in Veſperem ſabbata cuſtodirent, & quamquam recentius, ex veteri tamen vigiliarum more deductum, ita ab Eccleſia Catholica ſancitum eſſe apparet decreto de Conſ. diſt. 3. c. 1. *quo pronuntiandum mandatur laicis, vt ſciant tempora feriandi per annum, id eſt omnem dominicam à veſpera vſque ad veſperam &c.* quo loco dum feriandi per annum dies ſtatuuntur, primus in anni ordine *Natalis Domini* numeratur. Quæ igitur Martyrologia à diurna, ſeu ad nonam vigilia ſacrum Martyrum annum auſpicantur, iam recentiori vſui, quando in diem nocturnæ vigiliæ tranſlatę ſunt, aprata eſſe videntur; non enim Sanctorum natales, qui ea die memorantur cum die Natalis Domini conueniunt, ſed ad præcedentem diem pertinent, in quo nequaquam Eccleſia annum ſacrum inchoabat. In cuius aſſertionis robur duo hìc pro coronide libet attexere. Primùm omnia adhuc edita Martyrologia, quamquam communi more anniuerſariam Sanctorum memoriam à Kalendis Ianuarij exordiantur, vt Vſuardus, Ado, & Romanum, non tamen in Dominicę Natiuitatis vigilia, ſed in ipſo die Natalitio, ſacrorum annorum ex Eccleſiaſtica hiſtoria ſupputationem ita proferũt, vt cardinem ſacrorum annorum in hac prorſus celebritate ſitum fuiſſe cognoſcatur, ſecundum quòd ita Romanus Pontifex de anno Iubilęo conſultus reſponderit ex vetuſta Eccleſiæ conſuetudine. Requiſitus enim Bonifacius Octauus, qui ſæcularem Iubilęi annum reſtituit, vel promouit, an ceptum, vt in Bulla, ſeu diplomate *feſtæ Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti*, annum extenderetur ad Incarnationis limitem, ipſa Natiuitatis die reſpondit, *quia annus iſte Iubilei finitur hodie*, & infra addit. *Declarat inſuper Dominus noſter sũmus Pontifex, quod annus iſte Iubilæus trecenteſimus hodie ſit finitus, nec extendatur ad annum Incarnationis, ſecundum quoſdam, ſed ad annum Domini ſecundum ritum Romanæ Eccleſiæ*. Ita ad annum 1300. Tomo 4. Annal. exhibet Odoricus Raynaldus ex Iacobo Cardinali S. Georgij, in cuius m. ſ. opere eadem Bonifacij Octaui ſeruantur diplomata. Quibus nihil clarius pro re noſtra hic addi poſſe exiſtimauimus.

8. *Cal. Ianuarij, &c.* Præter ea, quæ in ſuperiori exercitatione de ſacri anni Epocha diximus, addere licet, quòd & ſi S. Epiphanius à communi calculo de die Natiuitatis Chriſti diſcedat, Occidentales tamen Patres ex Eccleſiæ traditione in hanc ipſam 25. Decembris conſentiunt. Extat grauiſſimum Euodij Apoſtolorum diſcipuli teſtimonium apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. in Epiſtola vocata lumen, vbi de Beata Virgine. *Peperit autem Mundi ipſius lucem annum agens quindecimum 25. die menſis Decembris*; & Clementis Alexandrini aſſertio, qui primo Stromatum natum eſſe Dominum ſcripſit 25. die menſis Pachon, quem Decembrem interpretatur Pamelius ad Tertull. aduerſus Iudæos. Hanc traditionem Eccleſiæ eſſe habet D. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 5, & in Pſalmum 132. quo loco ipſo die Solſtitij hiemalis 8. Cal. Ianuarij natum videtur innuere, ſicuti apertiſſimè ſerm. 40. Louanienſium in Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ. *Natus eſt Chriſtus 8. Cal. Ianuarias, ab illo die exſecuntur dies*. Ita & Pruden-

dentius in ipso solstitio natum indicat, non modo quòd præferat in titulo 8. Cal. Ianuarij, sed quòd in eius diei Hymno cecinerit.

Quod est, quod arctum circulum
Sol iam recurrens deseris?
Christus in terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem.

Consimilia habet D. Ambrosius serm. 12., qui totus in eo est, quòd in Natiuitate Domini dies crescit, & in Ioannis natiuitate decrescit. Sicuti enim Æquinoctium Vernum in Concilio Palestino sub Victore, circa annum Domini 198., pro certo supponitur esse 8. Calendarum Aprilium: ita de solestitio Hyemali dicendum 8. Cal. Ianuarias, quod præter ea quæ passim extant de Domini Natiuit. apud D. Augustinum tàm in additis à Louanien sibus, quàm à Carthusianis, & à Sirmundo, clarissimè ità dicitur in serm. 18. de tempore. *Conceptus est enim in Æquinoctio Verno, & natus est solstitio hyberno.* Præter nostrum tamen Martyrologium, hac eadem die exhibet Domini Natalem fragmentum antiquissimũ Romanum sub Tiberio, vt creditur, concinnatum apud Bucherium, *8. Cal. Ianuarias Natus Christus in Bethlehem Iudæ.* Cui Polemæus Siluius, Sulpicius Seuerus, & Orosius consentiunt; At cæteris apertius D. Ioannes Chrysostomus in Homel. de Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ, quæ incipit. *De Solstitys, & Æquinoctys Conceptionis, & Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, & Ioannis Baptistæ &c.* Qui in ipso solstitio natum Dominum, & tam in Orientali Ecclesia traditionem esse vulgatam affirmare non dubitauit. Non me tamen latet apud Photium Biblioth. n. 232. Stephanum Tritheitam quæstionem de die Natalis Domini proferre, & opinionem eorum adferre, qui natum Dominum velint quinto Ianuarij, & eorum pariter, qui natum referant 8. Cal. Ianuarij. Ita omnia turbata, ac incerta reddere vetustas valuit.

In Bethlehem Natiuitas &c. Et si docti aliqui Viri putent, verum esse dicere in Bethlehem natum esse Dominum, licet parum longè ab ipso oppido eundem Virgo Mater peperisset; fatendum tamen est, magis ad literam verba tam Euangelij, & Prophetarum explicari, quam Martyrologij, si in oppido strictissimè natum ostendatur. Ita plures existimarunt ducti auctoritate sacrarum literarum. Alij tamen extra Bethlehem natum affirmant in suburbijs, quorum Baronius summus Antesignanus chorum ducit. Nullum tamen ex vetustis scriptoribus Doctissimus ille profert, qui extra Oppidum natum Christum Dominum expressè doceat, præter Eusebium Pamphili, qui in Agro Virginem enixam Infantem docet. Sed vti absonum, indecensque, scilicet in Agro, & propalam Virginem castissimã partum edere, in reliquis ferè Baronio calumniosus reijcit Casaubonus; Is Eusebij corruptum codicem clamat, & loco vocis *agrum* reponendum *antrum* non male existimat, quòd traditio hęc Ecclesiæ sit, antiquorum scriptorum testimonio roborata. Et quamquam Petrus Lanselius pro Iustino Martyre, & Baronio aduersus Casaubonũ disserens, censuram Eusebiani codicis non probet, Bulingerus tamen pro Baronio catholicus antagonista non respuit, sed amplectitur. Antiqui sanè omnes Patres, non in Agro, sed in Antro, aut spelunca natum Dominum profitentur. Ita Origenes contra Celsum, S. Gregorius Nyssenus, S. Hieronymus, S. Epiphanius, quinimo Iustinus Martyr, qui in Vico Bethlehem proximo Virginem enixam videtur sentire, non tantum in specu euenisse partum narrat, sed inde in Mythræ antro Persarum profanitates hoc exemplo redarguit. Nec verò Sanctus Martyr ita apertè docet extra Bethleemiticum oppidum natum Dominum, quin explicari pro sententia nostra non possit. Ita enim per latinum Interpretem loquitur. *Nato autem tum Puero in Bethlehem, quia Ioseph in vico eo non habuit, quo diuerteret; in specum quendam vico proximum concessit, atque ibi cum essent, enixa est Maria Christum,*

ſtum, & in Præſepe poſuit. Vbi in Græco codice nomen *comi* quo pro Interpretis Vico vtitur S.Martyr, vt ex Suida paſſim Gloſſographi docent, non tantùm ſignificat Vicum, ſeu Oppidum, ſed etiam ipſius Oppidi, vel Vrbis Vicum, hoc eſt Viciniam. Quod cum ita interpretari poſſit ſenſus Sancti Martyris erit, Mariam, & Ioſeph locum non inueniſſe in ea Vicinia, in qua publicum erat diuerſorium, ac proinde in ſpecum quendam viciniæ illi proximum ſeceſſiſſe, vbi Chriſtus natus ſit; ſanè hoc pacto videtur D. Hieronymus interpretari Iuſtinum, dum ep. 29. narrat, Paulum diuerſorum peregrinorum condidiſſe in Bethlehem manſiones *iuxta viam in qua Maria, & Ioſeph hoſpitium* non inuenerant: Viam nimirum appellans, quam *Comin* dixerat Sanctus Martyr, & nos viciniam interpretamur. Nec Brocardus quem adducit Baronius extra Bethlehem Ciuitatem ſacrum ſpecum fuiſſe docet, ſed potius intra Vrbem iuxta mœnia. Verbam adducere libet parte prima c. 7. §. 56. *In fine Orientali eiuſdem Vrbis, ſub rupe quadam exiſtente tunc temporis iuxta parietem Vrbis, & videtur ſecundum illarum regionum morem fuiſſe locus pro ſtabulo, habens præſepe exciſum in rupe, vt moris eſt illic diſponere præſepia, ortus eſt huic Mundo de Virgine Sol Iuſticiæ.* Subijt autem in his verbis animaduertere, an Ciuitas Iudæ Bethlehem ante Romanum bellum amplior eſſet, muriſque cincta intra ſe, mœniaque ſua ſpecum, ſeu ſacram ſpelũcam continuiſſet, quæ deinde euerſa Vrbe dici etiam extra Ciuitatem potuerit, & à ſacris ſcriptoribus modo intra, modo extra depingi, prout vel ad tempus nati Redẽptoris reſpexerint, vel ad ætatem illam, in qua ſcriberent. Parietum quidem, ſiue murorum Vrbis, ſuo tempore adhuc inter rudera exiſtentium, videtur Brocardus meminiſſe; ſed qualis noſtro tempore Bethlehem ſit, ex Belloni Topographia audire non pigebit lib. 2. obſeru. cap. 87. *Exiguum pagum, & caſulis malè inſtructum, nihilque elegans continentem, præter magnum, & ſuperbum Franciſcanorum Monaſterium, quod Helena fabricari iuſſit.* In hoc templo adhuc incluſa ſpelunca, intra pagum cogit eam numerare, non extra; Nec deſunt, qui modicę antiquitus Vrbis ſuburbia rideãt, vt inter deſertores Caſaubonus, inter Catholicos Petauius Ration. temp. Parte 2. lib. 4. quamuis aliqui Dominum ibi naſci potuiſſe ſcripſerint. Beda intra Oppidum ſpeluncam collocat, & D. Hieronymus, quo nemo exactius ſcire ſacræ rupis ſitum potuit, intra ipſum Oppidulum conſtituit, quicquid contrariæ ſententiæ aſſertores ex eo educere duriſſimè conentur. Paulam inducit D. Hieronymus ep. 27. pergentem Bethlehem, & quod erat extra Vrbem Sepulchrũ Rachel in dextra itineris parte diſtinguens ita addit. *Atque inde Bethlehem ingreſſa, & in ſpecum Saluatoris introiens,* vt dubitari non poſſit intra Bethlehem Dominicum ſpecum à D. Hieronymo computari. Viculum alibi Bethlehem appellat epiſt. nempe 62., ne ſuburbia illi ineſſe credamus, & extra mœnia poſitum Saluatoris ſpecum queramus. Minima erat Vrbs etiam ante vaſtatã Hieroſolymã ex Michea, quamquam ex naſcituro Meſſia minima non eſſet dicenda. Ciuitatem tamen Dauid adhuc appellat Euſebius, ſiue Hieronymus de locis Hebraicis, *in qua Dominus noſter, atque Saluator natus eſt; in ſexto milliario à Hieruſalem contra meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Chebron.* Sicuti & Ciuitatem, & pagum in varijs Euangeliorum codicibus, ſua ætate vocatam teſtatur D. Epiphanius Hær. 51. interprete Corſario. *Quare in quodam exemplari Euangeliſtarum Bethleem appellatur Ciuitas Dauid, in alio vero pagum ipſam vocant, eo quod ad modicam terram deuenerit.*

Romæ Iouini, Paſtoris &c. Iouinum, & Baſileum habet Romæ paſſos via Latina Martyr. Romanum die 2. Martij, & cum eo Vſuardus, Ado, Beda, & alij. Cum hìc autem addantur vndecim alij Martyres, anceps fui, an duo illi ab alijs Marty-

ro-

rologijs memorati ex horum contubernio fuerint, præsertim cum infra ad diem secundam Martij nequaquam Iouinus, & Basileus recensentur. In eadem equidem classe cum Martyrologio nostro Vetustissimum Bollandi eosdem Sanctos cõmilitones enumerat, vt infra patebit, nonnihil nominibus immutatis. An verò qui hìc memoratur Ignatius ille sit Episcopus Antiochenus fama celebris S. Ioannis Theologi discipulus, qui sub Traiano dentibus Bestiarum molitus, panis mundus Deo paratus Romę consumauit agonem, affirmare non auderem. Suspicionem inducit, quod alibi in nostro non memoretur. Romanum Martyrologium eius memoriam celebrat, Febr. Calendis vbi plura Baronius. Hac eadem die Ignatiũ recolunt Ado in libello de festis Apostolorum, & Vsuardus in Martyrologio. Sed Græci, tam in Menologio Sirleti, quã Basilij eiusdem martyrium mẽse Decembris die 20. recensent, & eadem die profesto Natiuitatis ĩ Calẽdario Genebrardi, repetitur hoc est quinque dies ante nostrum Martyrologium. Non me latet Latinos translationem Sancti Ignatij agere die 17. Decembris, quam primam ibi esse putat Baronius doctissimus, sed illam D. Ioannes Chrysostomus notat peragi consueuisse die sequenti ad D. Pelagiæ Martyris Antiochenæ festum, quarum altera in mænologijs Græcorum prima die Iunij, alia 8. die Octobris memoratur, vt potius secundam translationem Ignatij recoli dicendum sit mense Decẽbris, siue die 17. cum Latinis, vel 20. cum Græcis. Quod hic vero Ignatius non dicatur Episcopus, si reliqua consentirent non magni facerem, quòd alibì in hac breuissima nomẽclatura obseruari possit, siue Auctoris, siue Librarij omissione. Martyrem enim aliquem appellare plus feciſſe antiquos, quã Episcopũ affirmare videtur de S. Ignatio Chrysostomus in eiusdem oratione Tomo 5. *emisistis enim Episcopum, & Martyrem recepistis.*

Sanctæ Eugeniæ Virginis. Concordat hic cum omnibus Martyrologijs, & præter notiora eius acta habentur alia contracta in Menologio Basilij.

Syrmæ, & Anastasiæ &c. Ita legit Martyrologium S. Hieronymi Corbeiense, nempe *Sirmiæ, & Anastasiæ*. Duas sub Anastasiæ nomine Martyres, alteram seniorem sub Valeriano, alteram iuniorẽ sub Diocletiano, Baronius ad hanc diem adnotauit ex Nicephoro lib. 7. cap. 14. At tertiam addere necesse est, cum illæ ambę Romę passę sint. Tertiam vero Syrmiensem, & incantatricem esse cuius idẽ Nicephorus meminit lib. 14. cap. 10. & corpus sub Pulcheria Augusta Constantino polim translatum ita refert. *Eiusdem* (hoc est Pulcherię) *Imperij tempore Gennadio Ecclesiam Constantinopolitanam regente, reliquiæ etiam Sanctæ Anastasiæ incantatricis ex Sirmio allatæ in Martyrio eius sunt repositæ, quod proximè ad porticum, quæ Domini dicitur, situm est.* Quod Nicephori interpres *incantatricis* vertit Græcum retinet *pharmacolytrias* hoc est, vel *Venefica*, vel *vnguentaria*, seu vt Genebrardus vertit in Calendario Græco ad diem 22. Decembris, venenorum depultricis. Huius Sanctæ Anastasiæ reliquias anno primo Leonis, Christi 457. Constantinopolim esse allatas, ita refert Cedrenus: *Illo anno allatæ sunt Sirmio reliquiæ Sanctæ Martyris Anastasiæ, inq; eius templo depositæ, quod est apud Rostra Dominica.* De eadem translatione Sirmiensi agit Theodorus lector in fine lib. 2. Collectionum. *Patriarcha Gennadio allatæ sunt à Sirmio reliquiæ Sanctæ Anastasiæ, & in Martyrio ipsius depositæ, quod in Embolis Dominy situm est.* Ex his corrigendum putarem librarij errorem tam in nostro Martyrologio, quam in Corbeiensi, & pro *Sirmiæ, & Anastasiæ* legendum existimarem. *Et Sirmy Anastasiæ.* Vt vetustissimum Bollandi Martyrologium habet. Hanc diuersam esse ab ea, quę sub Diocletiano gladio perempta in omnibus ferè Martyrologijs hac eadem die recolitur palam est, cuius tamen memoriam Græci tam in Basilij, quam Sirleti Menologio ante triduũ agunt, hoc est 11.

Cal.

Cal. Ianuarij. Sirmienſem Martyriũ Decembri menſe conſummaſſe habent Acta Sancti Marciani Presbyteri cap. 3. apud Metaphraſtem, quę Bollandus etiam edidit T. 1. ad diem 10. Ian. ex cuius, & Henſchenij humanitate, quia vetuſtiſſimi Martyrologij S. Vvillibrordi apographũ habere licuit, hic integrum huius diei laterculum apponere non piguit. 8. *Kal. Ianuarij Natiuitas Domini, & Romæ Ieuini, Paſtoris, Baſilei, Victorinæ, Accilæ, Eutici, Simphoriani, Saturni, Temodi, Ignati, Cyriaci, Zagij, Ianuariæ, Datiui, Romæ S. Eugeniæ Virginis, & Sirmi Anaſtaſiæ. Mediolano Felicitatis, & in Pergamo Saturnini, Conſtantinopoli Sancti Anaſtasij.*

Mediolani Felicitatis &c. Huius Sanctæ Martyris, quæ Mediolani, & aliorũ duorum, qui Pergami, & Conſtantinopoli paſſi ſint nullibi memoriam agi inuenio, prętęrquam in adductis vetuſtiſſimo Antuerpienſi, & Corbeienſi Martyrologijs. Quorum poſtremum, quia Typis Pariſinis, dum hæc cuduntur in lucẽ exijt Tomo 4. ſpicilegij Lucæ Dacherij, deinceps cum noſtro, cui maximè conſonat, conferre non pigebit. Vtinam vir doctus, & de ſacra antiquitate optimè meritus purumputum edidiſſet, non verò, vt in præfatione fatetur, à mendis expurgaſſet, ex Antuerpienſi, ſeu Vetuſtiſſimo Bollandi, & ex eodem lacunas, quibus Codex m.ſ. Corbeienſis ſcatet, non ſuppleuiſſet, vel ſaltem diuerſo caractere indicaſſet. Tutius enim qualis lectio illius Martyroiogij eſſet, & in quibus à noſtro differret, adnotare potuiſſem. Plura tamen ſignare me poſſe non diffiteor, quòd opera piæ memoriæ Raffaelis Dufreſnij, quam plurimæ variæ eiuſdem m.ſ. Codicis lectiones penes me ſint. In enumerandis huius diei Sanctorum nominibus variat tantùm ille à codicibus noſtris, vt pro Acello Achilleum, pro Sinfroniana Sinfronianum, & pro Datilio Datiuũ exhibeat, in reliquis verò conſentiat. Paruum Martyrologium Lucenſe hæc tamũ habet. *Natiuitas Domini, & Paſſio Anaſtaſiæ Virginis.*

VII. Kal. Ianuarias.

IN Oppido Ieroſolymitano Villa Caphargamala Paſſio S. Stephani primi Martyris Diaconi, & Apoſtoli, qui lapidatus eſt à Iudæis. Romæ depoſitio S. Dionyſij. Helye. Doroſtoli. Antiochia Iuliani. Martiani. Neandri.

DECEMBRIS die 26.

IN Oppido Ieroſolymitano Villa Caphargamala &c. Vtrumq; locum rectè hìc explicat Martyrologium noſtrum. Nam extra Vrbẽ Hieroſolymam lapidatum fuiſſe Stephanum docet Eccleſia, quam Eudocia Imperatrix teſte Nicephoro ædificauit *ſtadio vno ab Hieroſolymis, quo loco à percuſſoribus Domini ſaxis ille obrutus immarceſcibilẽ coronam repertaſſe dicitur.* Oppidum verò Caphargamala, ſeu Caphargamola, vt legit idem Nicephorus, viginti ſtadijs ab Hieroſolyma diſtabat, quo loco à Gamaliele Pauli Apoſtoli præceptore Prothomartyris corpus vehiculo aſportatũ, & ſepultum fuit. Apoſtolos tantùm funus Stephani duxiſſe habet D. Hieronymus ad Riparium ep. 57. vbi aduerſus Vigilantiũ differens ait. *Et quid paſſi ſunt Apoſtoli, vt immundũ Stephani corpus tanta funeris ambitione precederent, vt facerent ei planctum magnum* Eodem anno

quo

quo passus est Christi lapidarum aliqui Stephanum volunt 7. Cal. Ianuarias, quod disertè scribitur in excerptis Chronologicis, quæ cum Eusebij Chronico edidit Scaliger pag. 68. Duplicis translationis idem meminit Nicephorus, sed in hanc diem incidit, quæ Hierosolymis post reuelationem Luciani facta fuit sub Teodosio circa annum 415. Huius hic agi memoriam existimarem, quamquam Græcorum Menologia in sequentem diem sexto Cal. Ianuarij reponat, sicuti in Calendario Coptico, siue Syriaco Romæ in Collegio Maronitarum asseruato, primo mensis Tybi, qui 27. Decembris diei respondet, *manifestatio corporis Sancti Stephani recolitur*.

Diaconi, & Apostoli: Late patet Apostoli nomen, vt ad Indiculum Apostolorum diximus, & inter duodecim palam est Stephanum non fuisse recensitum, quem Diaconum Iacobi Episcopi Hierosolymitani, ita refert S. Ignatius in epistola ad Trallianos. *Quid verò Diaconi, quam imitatores Angelicarum virtutum, quæ purum, & inculpatum ministerium illi (videlicet Episcopo) exhibent, vt S. Stephanus S. Iacobo?* In libro sacramentorum D. Gregorij in oratione super Dyptica, non modo inter Apostolos, & Martyres D. Stephanus numeratur, sed Matthiæ, & Barnabæ præponitur. Quod ideo factum putat Menardus in adnotationibus, quia ante Matthiam passus sit, & par Apostolis reputetur.

Romæ depositio Sancti Dionisij &c. Nil de Episcopatu, aut Pontificali dignitate hìc additur, quamquam omnia Martyrologia in S. Dionysio Pontifice Romano conueniant, & liber de Romanis Pontificibus hac eadem die obijsse confirmet sepultum 6. Cal. Ianuarij, vel septimo, vt alij codices habent. Ita & fragmentum antiquissimum Romani Martyrologij, seu potius Opusculum parui instar Martyrologij apud Bucherium in Indiculo depositionum Episcoporum Romanorum 6. *Cal. Ian. Dionysij in Callisti*, nempe Cœmeterio memoria agitur, sicut apud eundem in Opusculo quarto legitur, S. Dionysium cathedrâ tenuisse *vsque in diem* septimum Kal. Ianuarij. Martyrologium Vetustissimum Bollandi, seu Antuerpiense, præter D. Stephani memoriam Dionysium Episcopali titulo decorat, sed locus depositionis silet, in reliquis hoc pacto parum à nostris differens. 8. *Kal. Ianuarij. Hierosolymis S. Stephani Diaconi primi Martyris, & depositio Dionysij Episcopi. Et alibi Heliæ, Doroteli. Antiochia Iuliani. Martini. Menandri.*

Doroteli. Hic pro Martyris nomine, non Vrbis Mysiæ inferioris accipio. Nisi fortè librarij vitio legendum esset *Dorotheori*, vt Dorotheorus Martyr Romæ memoratur infra die 25. Maij. Sed quia Dorotheolus etiam habetur die 8. & 17. Iunij nihil temerè immutandum censeo, quia præcipuè Dorotheolum constanter legunt m.ss. Antuerpiense, & Corbeiense, quorum postremum, quia tribus Antiochenis martyribus Iuliano, Martiano, & Neandro Ianuariam addit, integro laterculo meruit apponi. 8. *Kal. Ianuarij. In Vrbe Hierosolymitana, Villa Kafargamala, Passio S. Stephani Diaconi, Martyris, & Apostoli, qui lapidatus est à Iudæis. Romæ depositio S. Dionysij, Heliæ, Doroteli: In Antiochia Iuliani, Martiani, Neandri, Ianuaria.* De Tribus qui in Martyrologio nostro sequuntur Antiochenis Martyribus silere cogor.

VI. Kal. Ianuarias.

ASsumptio S. Ioannis Euangelistæ apud Ephesum, & ordinatio S. Iacobi Apostoli fratris Domini, qui ab Apostolis pri-

mus ex Iudæis Ierosolymis est Episcopus ordinatus. Et medio Pascha martyrio coronatus.

DECEMBRIS 27.

LAtè de S. Ioannis Assumptione, ac Iacobi ordinatione ad Indiculum Apostolorũ differuimus. Græci non longè ab hac die Iacobi memoriam agebant, hoc est Dominica post Christi diem Natalem. Sed ex peruetusto instituto Galesinius testatur, in Ecclesia Mediolanensi ordinationem Sãcti Iacobi Apostoli venerari consueuisse, non vi, sed iv. Cal. Ianuarij: quamquam Hierosolymitanam ordinationem fateatur ascriptam esse 6. Calendas, vt Beda pariter habet; sed ob alias Sanctorum celebritates ritu Ambrosiano translatam. Celebris hęc ordinatio fuit, quia ex veteri traditione Iacobus Apostolus à Christo Domino Episcopus Hierosolymorum esset ordinatus, vt habent Eusebius lib. 7. hist. 19. Chrisost. Homel. 38. in ep. Pauli ad Corinth. Epiphanius in Hæresi Antidot. n. 8. Auctor Menæi ad diem 23. Octobris. Nicephorus Callistus lib. 2. c. 38. Ioannis Euangelistæ memoriam. Kalendarium Copticum exhibet quarta die Tybi, siue Trigesimo Ianuarij, & Menologia in hoc mense, tam de Ioanne, quam de Iacobo silent; huius autem ad Episcopatum assumpti memoriam ex Martyrologio Corbeiensi, quod B. Hieronymi nomine inscriptum esse testatur Henricus Valesius in adnot. ad cap. 19. Hist. Eusebij, 6. Kal. Ianuar. eadem penè verba cum nostro exhibet. *Ordinatio Episcopatus S. Iacobi Apostoli fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Iudæis Hierosolymis est Episcopus ordinatus.* Additur apud Dacherium, *& tempore Paschalis martyrio coronatus.* Præcedit tamen ita S. Ioannis memoria. *6. Kal. Ian. Assumptio S. Ioannis Euangelistæ apud Ephesum.* Consonat Vetustissimum Antuerpiense, quod insuper diem Passionis notat 8. Kal. Aprilis, quemadmodum, & in nostro ibi indicatur. Ita autem illud habet. *7. Kal. Ian. Adsumptio Sancti Ioannis Euangelistæ apud Ephesum, & ordinatio Episcopatus S. Iacobi fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Iudæis Hierosolymis est Episcopus ordinatus, & in medio Paschæ martyrio coronatus Hierosolymis, cuius passio 8. Kal. Aprilis.*

V. Cal. Ianuarij.

BEthleem Natale Sanctorum Infantium, & Lactantium, qui sub Herode pro Christo passi sunt. Ancira Galis, Eutici Presbyteri. Domitiani. & in Africa Castoris. Octaui. Victoris. Gatticæ. Rogati. Eusebij. Probati. Ianuarij. Catonis Saturi. Restitutæ. Saturninæ. Et in Edisse translatio S. Corporis Thomæ Apostoli.

DE-

DECEMBRIS 28.

Bethleem &c. Quod Ecclesia in Romano Martyrologio, sicut in hoc vetustiori, Sanctorum Innocentium festum recolat ante Magorum aduentum, siue Epiphaniam, videtur illorum Patrum sententiam confirmare, qui à Natiuitate Domini in eorum aduentum Hierosolymam longum aliquod spacium fluxisse opinantur, & saltem annum intercurrisse hic fatendum videtur, quod etiã verbis Euãgelistæ optimè respõdeat *à bimatu, & infra*. Videãtur quæ à nobis afferuntur in exercitatione de Epiphania.

Infantium, & Lactantium. Infantium Martyrum memoria antiquitus in Ecclesia venerari consueuisse ex Origene, ac D. Augustino patet, docuit Baronius, & nos infra in Exerc. de Epiphania comprobamus. An vero de Lactantibus, siue eorundem Matribus aliquid Ecclesia recoluerit nihil decerno. Constantissime Lactantium bini nostri codices legunt. Extat quidem Homelia, sub Seueriani Gabalanorum Episcopi nomine, in festo Innocentium, intes eas, quas Albinus Flauus tempore Caroli Magni collegit, in qua disertis verbis Innocentium Matres inter Martyres computantur. Eadem Homelia legitur quoque inter sermones Sancti Petri Chrysologi n. 152. & in vtraque hæc verba circa finem leguntur, quæ pro re tanta libuit integra apponere. *Beati Ventres, qui portauerunt tales: beata vbera, quæ se talibus infuderunt. Beata lachryma, quæ pro talibus fusa, flentibus gratiam baptismatis contulerunt. Nam diuerso modo, dono vno in lachrymis suis Matres, & sui filij suo sanguine baptizantur; In Martyrio filiorum passæ sunt matres. Nam gladius filiorum pertransiens membra ad Matrum corda peruenit, & ideo necesse est, vt sint præmij consortes, quæ fuerunt socia passionis. Arridebat parvulus occisori gladio adiocabatur Infantulus, Nutricis loco attendebat lactens percussoris horrorem, nescia lucis ætas moritura gaudebat, infans filius omnem hominem non hostem respicit, sed parentem. Matres Martyres tulerunt quicquid & angoris extitit, & doloris, & ideò non carebunt Martyrum gaudio, Martyrij lachrymas quæ fuderunt. Hoc loco attendat, auditor attẽdat, vt intelligat, Martyriũ non constare per meritum, sed venire per gratiam.*

Ancira Galis. Legendum esse Ancyrà Galatiæ non dubito, sed nihil immutaui. *Euticium* pariter legit in Vsuardo Molanus, non *Eutichium*, vt in Romano Martyrologio, sicut & reliqua vetustiora, quæ *Rogatum* non Rogatianum cum nostro exhibent. Vetustissimo Antuerpiensi debemus, sicuti & Corbeiensi Domitianum fuisse Diaconum, quod nostrum silet, quemadmodum edita Martyrologia Africanos, & Thraces martyres qui in nostris memorantur nõ habẽt.

Edesse Translatio Sancti Corporis Thomæ Apostoli &c. Præter ea quæ de D. Thoma, eiusque translationibus ad Indiculum Apostolorũ diximus, addimus Ruffini tempore, qui fuit D. Hieronymo coęuus, non modo templum D. Thomæ dicatum Edessæ Mosopotamiæ sub Impe. rio Valentis fuisse, sed eius etiam reliquijs Vrbem illam fuisse decoratam, vt ex lib. 2. cap. 5. Socrates, & Sozomenus in sua transtulerunt. Dum autem Ruffinus Edessam dicit *Thomæ Apostoli reliquijs decoratam* non pugnat, quòd pars corporis esse potuerit, quando adhuc Indi se illum possidere profiteantur. Hãc eandem translationem exhibet vtrumq; S. Hieronymi Martyrologium Antuerpiense, & Corbeiense, quæ ita sub hac die integra producimus. Antuerpiense *5. Kal. Ian. Bethlem Iudæ Natalis Infantum. Ancira Galatiæ, Eutici presbyteri, Domitiani Diaconi, & in Africa Castori,*

Octani, Victoris, Zattæ; Rogatæ, Eusebi, Propati, Ianuari, Saturi, Catonis, Restituti, Saturninæ, & in Tracia Domitiæ, & in Edissa Translatio Thomæ Apostoli. Parum distat Corbeiense. 5. *Kal. Ian. Bethlehem, Natalis Sanctorum Infantium, & Lactentium, qui sub Herode pro Christo passi sunt. Ancyræ Galatiæ, Eutici Presbyteri, Domitiani Diaconi, & in Africa Castori, Octani, Victoris, Gatæ, Domitiæ, & in Edessa Translatio corporis S. Thomæ Apostoli.*

IIII. Kal. Ianuarij.

IN Africa Domici. Victuri. Crisceni. Primiani. Liboſi Episcopi. Secundi. Saturnini. Honorati. Victoriæ. Saturi. Felicis. & Romæ Felicis. & Bonifatij Episcopi, de ordinatione.

DECEMBRIS 29.

IN Africa Domici &c. Quam ferax fuerit Africa Martyrum ex antiquis Patribus congerit eruditè Galesinius ad tertium Idus Ianuarij, quæ hic non recoquo. Pro Domicio, Victurio, & Liboso Episcopo Martyrologium Romanum exhibet Domini. cum, Victorem, & Lybosum sine Episcopali dignitate, quam Crescentio aliqui tribuunt, vt Galesinus, & cum Crescente Episcopo Viennensi vnum facit. Sed Martyr hic est Africanus non Episcopus Viennensis. Liberatum Episcopum, & Martyrem ex m.s. libro exhibet idem Galesinius die sequenti 3. Cal. Ianuarij, quem confirmat ex Equilino, & in nostro Martyrologio desideratur; vnde suspicari licet pro Liboso, Liberatũ additum fuisse, & librarij frequentissimo errore in sequentem diem repositum. Cum Martyrologio nostro Corbeiense planè consonat, vt trasponere huc non sit opus. Vetustissimum Bollandi, seu Antuerpiense nonnihil in ordine differt, & alterum Felicẽ clarius Romæ tribuit. 4. *Kal. Ianuarij. In Africa Natalis, Victoris, Domitij, Crescentis, & Primiani, Liboſi Episcopi, Secundi, Saturnini, Honorati, Victorinæ, Saturi, Felicis. Romæ item Felicis, & Bonifacij Episcopi.* Qui Domitius vocatur, & Domicus in nostro, Martyrologium paruum S. Hieronymi Dominicum ita vocat 4. *Kal. Felicis, Dominici.*

Et Romæ Felicis &c. Felicem, ac Bonifacium Romanum Martyrologium exhibet Romæ passos cum Calisto, idque ex Beda, qui Bonifacium Episcopum in Cæmeterio Calisti cum alijs sepultum narrat. Maurolycius tamen *Sanctorum Bonifacij Episcopi, & Confessoris* memoriam recolit, quæ proprius Martyrologium nostrum attingunt; In quo cum tam Felix, quam Bonifacius Episcopus sociari videantur, si quis dixerit Sancti Felicis primi Romani Pontificis, ac Martyris depositionem hic adnotari, non pugnarem. Quamquam enim in Pontificali historia Dionysius, cui S. Felix successit, sepultus dicatur 6. Cal. Ianuarij, & Ecclesiam ad quinque dies vacasse, frequens tamen in ea numeralis notæ mendum à Viris doctis obseruatur, & Opusculum depositionis Episcoporum Romanorum apud Bucherium, de Doctrina temporum cap. 15. Comm. in Victorij Canonem non quarto, sed ita exhibet 3. *Cal. Ian. Felicis in Callisti*, hoc est in Cœmeterio Callisti depositionẽ. Vt vt sit de Bonifacio clarius constat esse primum

mum huius nominis Pontificem Romanum, qui in Schismate Eulalij electus, & ordinatus fuit hac ipsa die, vt euidentissimè constat ex epistola Symmachi Præfecti Vrbis ad Honorium Augustum data eadem die 4. Cal. Ianuarij, quam ex Vaticano codice exhibuit Baronius ad annum 418. n. 73. Hunc inter Sanctos palam est etiam 8. Cal. Nouembris in Martyrologio Romano numerari.

III. Calendas Ianuarij.

IN Alexandria Mansueti. Seueri. Donatæ. Honori. Polocliti. Appiani. *Et Oia Insula S. Florenti.* Sereni. Pauli. Stephani. Papiani. Cleti. Turonis Perpetui Episcopi, & Confessoris.

DECEMBRIS. 30.

VEL librarij, vel eius qui additamenta huic Martyrologio aptauit, oscitantiam hìc fateri necesse est, vt alibi etiam animaduertimus. Facilè enim quæ ad margines codicis pridem addiderat antiquarius, in latercul̃ incuriosus librarius intrusit, hoc est inter Alexandrinos Martyres his verbis Florentium computauit, *Et Oia Insula Sancti Florenti.* Ita suadet Martyrologium Romanum, & Vsuardi, quorum primum Alexandriæ Mansuetũ, Seuerum, Appianum, Donatum, Honorium, & Socios Martyres refert. Secundum Alexandrię Mansuetum Martyrem exhibet *cum alijs decem*, quorum enumeratio ibi neglecta in nostro Martyrologio ad amussim reponitur, cum supra Mãsuetum decem deinde socij Martyres numerentur, inter quos quatuor sunt, qui in Romanis tabulis adduntur. Suspicionem certam reddidit Martyrologium Hieronymi apud Bollandum, cuius dum vnum, aut alterum diem exhibet, vt ostendat quantis martyribus supra Romanum redũdet pro exemplo ita diem 30. Decembris adducit. *In Alexandria Natalis Mansueti, Seueri, & Appiani, Donati, Honorij, Polycleti, Sereni, Pauli, Papioni, Clisi.* Deficit tamen in codice Bollandi Stephanus, quem inter decem socios Codices nostri numerant, quorum alterum non Donati, sed Donatæ nomine exhibet fortasse scriptoris vitio. Mirum tamen est inter spuria, quæ ex Adone reiecit Rosuueydus eadem verba esse apposita, quasi additio illa Benedictini Monaci ad Adonem, quã primus Mosander diuerso charactere in antiquo codice signatam inuenit, & reiecit, ex nostro codice irrepserit, ita enim. *In Insula Oya Sanctorum Florentij, Sereni, Pauli, Stephani, Papiani, & Cleti.* Quia tamen & Stephanum exhibet quãquam per errorem inter socios S. Florẽtij numeratum, cum socius sit Mansueti, confirmat, hunc in Bollandi codice deficere. Ita etiam certiores nos reddit Codex Corbeiensis, ex quo nõ modo librarij nostri iã dictus error apparet, sed supra Stephanum Martyrem, Clemens etiã hoc pacto superadditur cũ aliquali aliorũ nominũ differẽtia. *3. Kal. Ianuar. In Alexandria Mansueti, Securi, Donati, Honorati, Policliti, Appiandi, Sereni, Pauli, Stephani, Papiani, Cleti, Clementis, Turonis Cinitate Perpetui Episcopi, & Confessoris. Oia Insula S. Florenti.* Parum Martyrologium nostrum S. Hieronymi duos tantum Martyres exhibet 3. Kal. *Florentis, Mansueti.*

Et Oia Insula Sancti Florentij &c. Saussayus in Gallicano Martyrologio 5. Cal Iulij, ita de Sancto Florentio. *In Ho-*

Hoyensi cœnobio translatio Sancti Florentij Abbatis, & Confessoris, cuius colitur depositio die 22. *Septembris*. Sed ad diem 22. Septembris Florentium Presbyterũ Lugdunensem refert, & Florentium Abbatem apud Lerinum Monasteriũ. Geographi Hoy Insulam, Latinis Dumnam vocatam, adiacere scribunt Insulæ Scotiæ contra Orcada promontorium, Norvegiam versus, vt ignorare me fatear, quomodo hæc Saussayus confuderit. S. Florentium Confessorem habet hac die Molanus ad Vsuardum.

Turonis Perpetui &c. & hunc cum superiori ex additis ad Martyrologium putarem. De Perpetuo meminit Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. 2. cap. 11. & lib. 10. cap. 31. Maurolycius, & Molanus ad Vsuardum hac eadem die, sicuti Saussayus; quamquam is obijsse Perpetuum doceat 8. die Aprilis, qua die eius meminit Romanum Martyrologium. Floruit circa annum Domini 470.

II. Cal. Ianuarias.

CArtagine Donati. Calestini. Saturnini. Bononia Gagi. & Romæ Donati. Pauli. Rogati. Dominandæ. Hylarinæ. & depositio S. Silvestri Episcopi. Ratiaria. Ermetis Exorcistæ. In Provincia Sicilia Civitas Catanensis S. Stephani. Pomiani. Attali. Fabiani. Corneli. Xisti Florili. Quottæ. Quintiani. Meneruini. Simphoriani. Ammoni. Fortunati. Secundi. Sequentis. Apionis. Calendionis. Euelpisti. Exuperanti. Saturnini. Agnetis. Paulinæ. Nominandæ. Domatæ. Rogatæ. Sennionis. Passio Sanctæ Columbæ Virginis.

DECEMBRIS 31.

DE primis tribus Cartaginensibus Athletis altũ inuenio apud edita omnia martyrologia silentium, neque in laterculi capite in Vetustissimo Bollandi recensentur.

Bononia Gagi. Neque huius Sancti Martyris memoriam apud alios licuit inuenire præter martyrologium Corbeiense, quod Gaio Serenum socium, vt infra videbimus, addit. At cui ex Vrbibus apud Geographos memoratis sub Bononiæ nomine ascribendus sit Gagius, vel Gaius cum Sereno, ignorare me fateor, nisi ex sequenti mense pridie Non. Ianuarij Orientali. Bononiæ tribuantur.

Romæ Donati &c. Non modo Romæ sed Via Salaria in Cæmeterio Priscillæ Sãctas Martyres cum socijs exhibet Romanum Martyrologium, hoc est *Donatæ, Paulinæ, Rusticæ, Nominandæ, Serotinæ, Hilariæ, & sociarum*. Baronius in adnotationibus addit Adonem de ijsdem agere. At non Ado, sed eius spuria additio asteriscо à Mosandro notata exhibet aliquas ex his Martyribus, non omnes, partim etiam Viros Martyres ostendit, non mulieres hoc pacto *Romæ Donati, Pauli, Rogatæ, Dominandæ, & Hilarinæ*, vt parum hæc Adonis additio à nostro Martyrologio dissentiat. Verũ cum sub Sanctorum Martyrum nomine de ijsdem cum alijs Virginibus Saturnina, Hilaria, Dominanda, Rogatiana, Serotina, Paulina,

lina, Donata meminerit Vvillelmus Malmesburiensis, corrigendum hic esse videtur Martyrologiũ nostrum, vel potius supplenda lacuna Antuerpiensi, & Corbeiensi communis, ex Vaticano peruetusto, quod non modo septem Virgines, cuius Bibliothecarius meminit in Hadriano accenseat, sed alias binas consocias addat, nimirum *Romæ Via Salaria in Cæmeterio Iordanorum Natale Sanctorum Donatæ, Paulinæ, Rusticianæ, Nominandæ, Serotinæ, Hilariæ, Rogatæ, Dominandæ, Hilarinæ.* Putat hinc Aringhius Romæ subterr. lib. 4. cap. 29. n. 5. mendũ in numerali nota irrepsisse apud Bibliothecarium, qui septem pro nouem scripserit, ac insuper animaduertit Iordanorum Cæmeteriũ idem esse ac Sanctæ Felicitatis, partem nimirum maioris Cæmeterij Priscillæ à Romano Martyrologio vocati.

Depositio Sancti Syluestri Episcopi. Quod hìc nihil de Baptismo Constantini afferatur nil mirum quod etiam Ado, & Vsuardus sileant. Meminit tamen inter antiquiores Martyrologij scriptores Vvandelbertus hac eadem die, & Vsuardus consentire videtur, dum Acta Syluestri clarè habere refert, ea nempè quæ Gelasius probauit. An hæc sint, quæ in Antiquo nostro Hagiologio, vbi latiùs Constantini Baptismus, & mundatio lepra describitur affirmare non auderem. Non equidem Eusebio Cæsariensi tribuuntur, vt illa, quæ refellit Baronius, quamquam & aliqua ex his contineant, quę minus ipse probauit. S. Siluestri Acta vetusta nuper edidit ex Græco antiquo codice Mazarinio, & Medicæo Combefisius, & notationibus vindicauit, in quibus vexatam nimium controuersiam de Constantini Baptismo, lepra, & Arianismo ex Actis illis, ac Theophane ad fauorem Romanæ traditionis dirimit. Cæterum Sancti Syluestri memoriam agunt Græci in Menologio die secunda Ianuarij, tam in eo quod Sirleti, quam in Basilij sanctuario, & Constantini Baptismum confirmant. Apud Latinos legitur Homelia 9. Greg. Magni habita Romæ in Basilica Sãcti Syluestri pro die Natali eiusdem, vt fatemur ab illo tempore memoriam eius celebrari pateat; Sed Basilicam Sanctorum Syluestri, & Martini ædificauit Symmachus iuxta thermas Domitianas ante D. Gregorium anno quingentesimo, vt habetur in historia Pontificali. Indiculus antiquissimus apud Bucherum ita de S. Syluestro. *Pridie Cal. Ianuarij Syluestri in Priscillæ Cæmeterio.*

Ritiariæ Ermetis Exercistæ &c. alter ex codicibus nostris legit *Ratiara*, Rhetiariæ tamen habet Romanum Martyrologium, & Retiariæ Maurolycius, Molanus, & Galesinus. Sed Rætiariam Misiæ superioris opidum Ratiariã, & Retiariam vocatum esse iam adnotauit Ortelius. *Recia* corruptè legit Martyrologiũ Corbeiense in reliquis à nostro, ita parũ differens. *3. Kal. Ian. Carthagine, Donati, Cælestini, Saturnini. Bononiæ Gai, Sereni, Romæ Donati, Pauli, Rogata, Dominanda, Hilarinæ, & Depositio S. Syluestri Episcopi; & Confessoris. Reciæ Hermetis Exercistæ. In Prouincia Sicilia, Ciuitate Catanea Stephani, Potiani, Attali, Fabiani, Cornely, Septi, Floridi, Cottæ, Quintiani, Menernini, Symphoriani, Ammoni, Fortunati, Sancti Sequentis, Ammoni, Calendionis, Euelpisti, Exuperantis, Saturnini, Agnetis, Paulinæ, Donatæ, Nominandæ, Rogati. Senonas Ciuitate Passio S. Columbæ Virginis.*

In Prouincia Sicilia &c. Nempe Ciuitate Catanensi. Martyrologium Romanum pro Pómiano habet Pontianum, pro Xisto Sextum, pro Florilo Florum, & pro Simphoriano Simplicianum, & decem tantum Martyres numerat, quos addit Baronius celebres in eius Ecclesiæ tabulis esse. Simplicianum Martyrem pro Symphoriano legit etiam Bollandus in prętermissis ad diẽ 24. Ianuarij, & eius reliquias aliquas Cremonæ venerari, ex Peregrino Merula in Sãctuario Cremonensi educit, quem Episcopum fuisse habent

habere acta eius translationis, & cum S. Babyla donatum corpus S. Simpliciani à Comitissa Matilde exhiberi idem Bollandus ad Sancti Babilæ vitam. Ferrarius verò de Sanctis Italiæ negat aduersus Baronium horum Martyrum memoriam Cataniæ celebrem haberi, neque festum eorum solemne agi, aut acta extare; Meminisse tamen eorum Bedam, quamquam incertum sit, sub quo Tyranno passi sint. Reuera autem Ioannes Baptista Grossius, qui nuper Catanensis Ecclesiæ notitias congessit, addit tantùm hos Sanctos Siculos athletas palmâ adeptos esse anno Domini 304. cætera excripsisse fatetur, ex Romano Martyrologio, Philippo Ferrario, Camillo Borello, & Octauio Gaetano. Catanensis igitur Ecclesia Vetustiori Martyrologio nostro hanc gratiam habeat, quod præter decem Christi Athletas in Romano Martyrologio, & apud Bedam numeratos quindecim alios Cæli magis quam suos purpuratos Ciues agnoscat, quorũ tamen aliquos fuisse. Vetustissimum Antuerpiense à nostro ordine, & Sanctorum numero diuersum hoc pacto. *Pridie Kal. Ianuarij Romæ, Donatæ, Paulinæ, Rusticianæ, Nominandæ, Serotinæ, Saturninæ, Hilariæ, & in Cimiterio Priscillæ depositio S. Syluestri Episcopi. Cartagine Donati, Cælestini, Saturnini. Romæ Regatæ, Domitandæ, Hilarinæ, Retiariæ, Hermetis. Siciliæ in Ciuitate Ateinentium Stephani, Pontiani, Attali, Fabiani, Corneli, Sexti, Floridi, Cottæ, Quintiani, Mineruiani, Simphoriani, Ammonii, Fortunati, Sanctis, Sequentis, Apionis, Kalendini, Enelpisti, Exuperati, Saturnini, Agrestis. Senonas Passio Sanctæ Columbæ Virginis.* An Paulina, Donata, Nominanda, quæ inter Carthaginenses Martyres, tam in nostris, quam Corbeiensi codicibus numerantur, ipsæ eædem sint, quæ inter Romanas recensentur, & librarij vitio repetantur? Nihil immutaui.

Senonis Passio Sanctæ Columbæ. Quàuis ex additis Galliæ Sanctis posset hæc Sancta Martyr connumerari, quòd palmam tamen sub Aureliano ac quisquerit, rectò potuit in Vetustiori Martyrologio recèseri, quemadmodum præter nostros codices Antuerpiensis, & Corbeiensis, adducti confirmant. Ferrarius, qui Sanctæ Columbæ vitam, ex Surio, & Mombritio contraxit, eius corpus addit Ariminum exportatũ, & in Ædem maiori honorificentissimè coli; è contra in Gallicano Martyrologio Saussayus Columbi adhuc Galliæ Celticæ incolam esse contendit, sacraque eius pignora, extructa ad eius tumulum Cœnobitica Ecclesia, miraculis coruscare. Cordubensem aliã Martirem non esse manifestè patet.

IANVARIVS

Litanias Indicendas Mense Ianuario. Habet dies XXXI.

Kal. Ianuarias.

CIrcumcisio Domini Nostri IESV Christi secundum carnem. In Oriente Sancti Stephani. In Nicomedia S. Eufrosini Episcopi. Primiani, & aliorum VIIII. In Ritia Euanti. Ermetis. In Bononia Gaggi. Acti. Eracli. In Africa Victoris. Felicis. Narcisci. Argiri. & aliorum quatuor. Papatis. Primiani. Saturnini.

S. Se-

Item Saturnini. Victoris. Honorati. Leuthi. Ermetis. Romæ Via Appia Coronæ, & Milites XXX. In Rauenna depositio S. Seueri Episcopi. *Augustuduno depositio Beati Agrippini Episcopi.*

IANVARII 1.

DE Litanijs, in capite cuscunque mensis indici consuetis, egimus diffusius in Monitis ad Martyrologium Admonitione octaua. De ijs verò, quæ ad Calendas Ianuarij pressius spectant, audienda infra sunt, quæ ex Cõcilio Turonensi asserimus.

Circunciſio Domini Noſtri &c. Vetustioribus infrequens est Circuncisionis Domini festum, cum Calendarum Ianuarij dies potius octauæ Domini nuncuparentur. In Concilio tamen Turonensi secundo Can. 18, quod celebratum fuit anno Christi 570., de Circumcisionis festo die ita Patres statuerunt. *Ad calcandam gentilium consuetudinem Patres nostri statuerũt, prinatas in kalendis Ianuarij fieri Litanias, vt in Ecclesijs psallatur, & hora octaua in ipsis Kalendis, Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur.* Hinc patet ante plures annos, ex antiquis nempe Patribus, Missam Circumcisionis peragi consueuisse. Et quamuis in D. Gregorij sacramentario dies Calendarum Ianuarij *in octauis Domini nuncupetur*, in præfatione tamen dicitur. *Hodie Circumcisionis diem, & Natiuitatis octauum celebrantes*, & rursus in Benedictione. *Dei Vnigenitus hodierna die, ne legẽ soluere, quam adimplere venerat, corporalem suscepit Circuncisionem.* Igitur à Diui saltem Gregorij tempore festum Circumcisionis in Ecclesia celebre erat. Ex Euangelijs Grecorum Casaubonus, & in eum Bulengerus Diatriba tertia ad caput nonum Exercitationis secũdę, hęc pro festo Circumcisionis vertunt. *In primam Ianuary diem confertur Circumcisio Christi in Matutino, & liturgia*, vt etiam in Euchologio Græcorum interprete P. Iacobo Goar p. 911. *Primo die Circumcisio secundum carnem Domini nostri Iesu Christi.* Circumcisionis commemorationem hac die pariter exhibent Menologia Græcorum, & quod Basilio Imperatori adscribitur, narrat, quod Dominus, *vt omnem cauillandi occasionem Iudeis adimeret, si paululum ab eorum institutis, ac legibus deflexisset, voluit octauo ab ortu die ab immaculata Matre, simul & Virgine in templum deferri, & circumcidi.* Sed qui venit legem adimplere, non soluere, cum dies purgationis secundum legem Moysis non dum præterijssent, Virginem, quamquam immaculatam, voluisse templum ingredi, non fuisset Iudęis adimere cauillandi occasionem, sed dare, vt credendum potius sit domi in Bethleem circumcisionem peractam, vel à Matre diuinissima, vel à ministris sacerdotum. Nam & in propria domo Ioannem Baptistam præcursorem circumcisum fuisse, nõ obscurè ab Euangelio Lucæ deducitur, cum mater, quæ ex lege exire domo non poterat Ioannis circumcisioni præsens fuerit.

In Oriente Stephani &c. Hinc videtur cõstare ad Occidentalis Ecclesiæ vsum Martyrologium Vetustius fuisse, quòd tanquam quid diuersum adnotetur D. Stephani festũ apud Orientales. Stephanum hunc putat Bollandus eundem facile esse, qui die sequenti Hierosolymis cum Vitale recolitur; totidemque verbis ex m.s. Hieronymi Martyrologio refert, quod cum nostro, ita ex impressis laminis consonat, præterquam in narratione Coronæ, vt puto antiquitus superaddita. *Kal. Ian. Circumcisio Domini Nvt. Corona, qui iubente Aſclepio Vrbis præfecto, cum diceret hodie octaua Dei Cæli sunt, cessate a superstitionibus idolorum*

& sacrificys pollutis, à gladiatoribus hac de causa occisus est. In Oriente Stephani, Nicomedia Eufrosini Episcopi, Priani, & aliorum viij. In Retia Euanti, Hermetis. In Bononia Gai, Iacti, Heracli. In Africa Victoris, Felicis, Narcissi, Argiri, & aliorũ iiij. Papa, Primiani, Saturnini, Item Saturnini, Victoris, Honorati, Leuti, Hermetis, ... & Milites 30. Rauennæ depositio S. Seueri, cum fratribus suis. Augustodano depositio Agrippini Episcopi.

In Nicomedia S. Euphrosini Episcopi. Neque hunc, neque Primianum, aut nouem eius socios alibi memorari vidimus. Bollandus Priamianum, vel Prianum, legit tum ex Martyrologio Sãcti Hieronymi, tum ex codice Monasterij Rhinouienſi.

In Retia. In Retia legit nuper adductum Antuerpiense totidem verbis. In Retia Corbeiense Dacherij vt infra.

In Bononia Gaggi &c. Pro Gaggi, & Acti nominibus Martyrologium Vetustissimum legit Cai, & Tacti, vtrum melius diuinare est; nam Corbeiense, neq; Actum, neque Tactum exhibet. An idem Gaggius sit de quo sine socijs Martyrologiũ nostrũ egit die præcedenti, suadet eadem Bononiæ Vrbs, & proximitas. Potuit enim Gaggius, siue Gaius antecedenti die triumphare: socij verò sequenti certamen potuerunt consummare, cum quibus Gaggi repetatur memoria.

In Africa. Eosdem refert Christi Athletas Bollandi adductum martyrologium, quod in sequentibus mutilum est, ita enim Papa, Primiano cũ alijs sex Martyribus nulla discrepantia signatis exhibet, in quibus vir doctus Papiæ nomen coniectatur, sed pro Papa Codices nostri, ita nomen Papatis manifestum exhibent, vt hi Martyres cum superioribus Afris iurè connecti possint; quod Corbeiense martyrologium ita confirmat. *Kal. Ian. Circũcisio Domini Nostri Iesu Christi secundum carnem. In Oriente Stephani. Nicomedia Eufrosini Episcopi, Priniani, & aliorum nouem. In Retia Euenty. Hermetis. Bononia Gai, Heracly. In Africa Victoris, Felicis, Narcissi, Argiri, & aliorum quatuor, Papatis, Primiani, Saturnini, Item Saturnini, Victoris, Honorati, Leuti, Hermetis. Romæ Via Appia Corona militum triginta. Rauennæ depositio Sancti Seueri Confessoris. Augustoduno depositio B. Agrippini Episcopi. In Ciuitate Ruspensi depositio Beati Fulgentij Episcopi, & Confessoris.*

Romæ Via Appia &c. Romanum Martyrologium Coronam Militum triginta refert sub Diocletiano, quemadmodum Beda, Vsuardus, Ado, Maurolycus, & addit Baronius vetera manuscripta, ex quibus ita Coronam interpretatur, vt nomen proprium non sit, sed passionem significet per quam Martyres triginta coronati sint in Cælis. Martyrologiũ Germanicũ addere notat Bollãdus primum in vincula coniectos, deinde capite cæsos, quod etiam Galesinus confirmat, & auctorem profert in notationibus Anastasium. At nostrum martyrologium, sicuti in binis codicibus constanter exhibet triginta Martyrũ numerum, ita Coronam seiunctum Martyrem exhibet veluti aliorum ducem, & Primipilum. Martyrologium Hieronymi apud Bollandũ Coronam seiunctam memorat; vt vidimus, quamquam mutilum sit in nominibus ante milites triginta. Sed quæ de Corona subdit Asclepio passim tributa, vereor ne per errorem antiquarij tribuãtur Coronæ, cuius nomen deficit ante milites triginta, tam in laminis, quam in eiusdem Bollandi specimine. Vnde ad nostri candorem propè magis accedit Corbeiense martyrologium Eusebio, vel Hieronymo tributum, quod ita scriptum retinere nos monuit piæ memoriæ Dufresnius. *Romæ, & Viæ Appiæ Coronæ, & Militum triginta*, quamquam in edito Dacherij deficiat vtrobique particula, *et* fortasse, quòd vir ille doctus ita emendauerit ad mentem Romani martyrologij. Nostris codicibus suffragatur Notkerus his verbis: *Item Romæ Via Appia Coronæ, & Militum triginta, qui sub Diocletiano Augusto per confessionem Christia-*

ne

ne fidei martyrio coronari meruerunt: Nihil tamen decerno, quòd infra Idibus Ianuarij viderim repertum *Romæ Via latina Coronæ Militum quadraginta.*

In Rauenna depositio Sancti Seueri Episcopi. Ex additis hunc esse dubitari potest, quòd Martyr non sit, attamen cũ Seuerus subscripserit Concilio Sardicẽsi, & ex lanificio ad Infulas mirabiliter deductus sit, alijsq; prodigijs insignis fuerit, facile etate D. Hieronymi, quem præcessit, in Ecclesiasticis tabulis recenseri pro Sancto potuit. At mirum quòd Ecclesia Rauennas, non primam Ianuarij, sed Februarij diem depositionis eius in officio, & historijs reposuerit, quemadmodum Martyrologium Romanum; Baronius tamen in notis aliqua emendanda animaduertit in Chronologia Historiæ Rauennatis: Martyrologium Vetustissimum iam adductum exhibet depositionem *S. Seueri cum fratribus suis*, nulla Episcopalis dignitatis memoria, & additis fratribus, de quibus nihil apud scriptores inuenire me potuisse fateor, nisi intelligamus depositum fuisse S. Seuerum cum fratribus suis præcessoribus Episcopis in eadem Ecclesia. Bollandus, qui diligentissimè omnia prosequitur ad diem primum Februarij cum Martyrologio Romano de fratribus tacuit, sed in præuio Commentario, tam manuscriptos, quam editos auctores profert, qui Calendis Ianuarij depositum S. Seuerum fuisse dicant.

Augustodano depositio B. Agrippini Episcopi &c. Ex additis ad suum etiam Hieronymi Martyrologium S. Agrippinum esse fatetur Bollandus, & mutato charactere in suo Corbeiensi pariter Dacherius, in quo S. Fulgentij memoria additur. Cum verò Agrippinus interfuerit Cõcilio Aurelianẽsi secũdo, anno Domi 533, & tertio 538. ex additis ante D. Gregorium, vel eius tempore affirmare non est incongruum.

IIII. Nonas Ianuarias.

IN Antiochia Syridoni Episcopi eiusdem loci. Stracini. Machari Abbatis. Saturi. Possessoris. Firmi. Maximiani. Actionis. Timothei. Herissi. Astaxi. Vitalis. Acutæ. Tobiæ. Eugendæ. Et in Æthiopia Rutulæ. Claudiæ. Aurigæ. Vitalis. In Ierosolymis S. Stephani.

IANVARII 2.

IN Antiochia Syridoni Episcopi &c. Isidorũ hic exhibet Episcopũ Martyrologium Romanum ex Beda, Vsuardo, & Veteribus manuscriptis. Negat tamen Baronius in annotationibus fuisse Episcopum Antiochenum, quòd neque apud Eusebium, neque apud Nicephorum Constantinopolitanum in serie Antiochenssium Antistitum inueniatur. At cum hic clarissime *Episcopus* eiusdem loci dicatur, non verò Isidorus, sed Syridonus nuncupetur, in censurâ doctissimi Baronij non moror. Siridonum cum nostro ita habet Martyrologiũ Corbeiense 4. *Non. Ian. Antiochiæ Siridoni Episcopi eiusdem loci. Stratonici, Macarij Abbatis, Saturi, Firmi, Maximiani, Acutionis, Timothei, Heresij, Arthaxæ, Vitalis, Acutę, Tobię. Et in Æthiopia Rutulę, Claudię, Aurigę, Vitalis. Hierosolymę Stephani.* Varia hic profert Bollandus, & ex suo Hie-

ronymi martyrologio, præsertim hæc verba adducit *Isiridoni Episcopi Antiochiæ*. Inde Rosuveydi coniecturam addit, quòd nomen Episcopi Donus sit, Isiri verò nomen loci, vel ergastuli. Addit deinde suspicionem suam Siridonum, & Isidorum eundem esse, qui fortè, & Isiridonus sit appellatus. At seiunctim de Siridone Episcopo agit Romanum Martyrologium, etiamsi pariter Baronius ignorare fateatur illius sedem Episcopalem. Quapropter veritus ipse aliquando eram, nè in Martyrologio nostro pro Syridono Episcopo legendum potius esset, *Serapionis Episcopi*, qui nonus à S. Petro, viginti quinque annis Antiochenam cathedram rexit, & aliqua scripsit, catholico prorsus spiritu plena, cuius memoria in sacris Romanis diptychis habetur 30. Octobris, ex eo præsertim, quòd sub hac die in nostro Martyrologio nequaquam Serapion memoretur. At Vir Sapientissimus, & Clarissimus Lucas Holstenius monuit, probatæ fidei manuscriptos codices, Syridoni Episcopi Antiocheni sub hac die meminisse, & ex leui prisci archetypi lapsu magnos errores profluxisse; putauit enim legendum *Antiochia Syriæ Domni Episcopi eiusdem loci*, qui Domnus Nicephoro Cõstantinopolitano decimus septimus est inter Antiochenos Episcopos; quãquã Eusebius in Chronico decimum sextũ tantũ enumeret. Facilè verò ad Antiochiæ nomen additum fuit Syriæ, vt ab Vrbe Pisidiæ, alijsque eiusdem nominis, discriminaretur. Fuit Domnus substitutus Paulo Samosetano propter hæresim damnato, & in Epistola quintæ Synodi ab Episcopis, qui Domnum in Ecclesia Antiochena constituerunt, maximoperè laudatum legitur, *quinimmo omni genere virtutũ, quæ Episcopũ decẽt exornatum fuisse* Eusebius docet lib. 7. cap. 24. ex Epist. Synodali. Vixit sub Aureliano, & iam persecutionem mouente Diocletiano obierat, vt Eusebius idem addit lib. 7. c. 26. quamquam in Chronico sub Galieno factum Episcopum doceat, & sub Aureliano vita functum. Idem pie memoriæ Holstenius præter epistolam ad me datã, cuius exẽplum ad calcem Admonitionis primę exhibuimus, in Adnotatis marginalibus ad Martyrologium Romanũ Baronij quarto Nonas Ianuarij, hæc de Isidoro Episcopo animaduertit. *In veteri Martyrologio S. Hieronymi sic legitur*. Nostrum est, cuius specimen eidem communicaueram: *Antiochię Siridoni Episcopi eiusdem loci. Cum olim legeretur Antiochię Syriæ S. Domni Episcopi eiusdem loci, atque ita perspicuè scriptum in m. s. Martyrologio Serenissimæ Reginæ*, puta Suecię; Minus ergo corruptum, & facilis emendationis nostrum est, magisque deprauatum hic Antuerpiense, in quo librarij vitio plura immutata hoc pacto apparẽt. *4. Non Ian. Siridoni Episcopi Antiochię, & in alio loco Stratonico, Maccari, Abbani, Saturi, Possessoris, Firmi, Maximiani, Acutionis, Thimothei, Herissi, Artaxi in . . . . Acuti, Tobię, Eugendę, & in Æthiopia Rutilę, Claudię, Aurigę, Vitalis. De Hierosol. Stephani.*

Stracini Dissentit hìc Martyrologium Hieronymi modo adductum à nostro, quod incertum locum sequentibus Martyribus accomodet. *Et in alio loco*, & pro Stracinio *Stratonicũ*, pro Abbate seiunctim Martyrẽ *Abbanũ exhibeat*. At corruptum nomen suspicari licet, & pro Macano Abbano restituẽdum esse Macarium Abbatem. Etenim præter binos codices nostros, & Corbeiensem, qui ita constanter legunt, plurima ferè Martyrologia, tam edita, quam manuscripta astipulantur, quæ de Macario Abbate sub hac die meminerunt. Duo Insignes Macarij, Ægyptij ambo, & ferè coæui scriptoribus notissimi sunt: alter Alexandrinus dicebatur, quia Alexandriæ Presbyter fuerat: alter Ægyptius. De secundo hic agit Romanum Martyrologium, & de primo v. Ianuarij. Sed & tertius Ægyptius omnibus vetustior, qui ab incolatu Pispiritanus dicitur, addendus est, de quo accuratè plura habet Bollandus ad diem 15. Ianuarij. Quis ex tribus hic me-

memoretur non decerno. Coniectaui aliquando nomen *Stracini* Vrbis potius esse posse, quam Martyris, & ex leui librarij omissione, *Ostracini* legendum esse, Ægypti nempe Vrbe Ptolomeo, in qua vel natus fuerit, vel translatus Macarius Ægyptius in nostro Martyrologio Abbas vocatus; sed cum plures ibi Martyres numerentur, qui expresse in Antuerpiensi codice incerto loco, & consueto etiam codicibus nostris loquendi modo, *& alibi*, assignentur, veritus sum, nè re vera legendum potiùs sit Abbani quam Abbatis, & pro Stracinio Stratonici.

In Æthiopia Rutuli &c. In eodem Martyrologio Hieronymi apud Bollandum Vitalis, qui in nostro postremus est ex Martyribus Æthiopiæ, cum Stephano sociatur, quòd is non in Æthiopia, sed Hierosolymis veneratur in plurimis Martyrologijs dicatur. Sed contra sunt codices nostri, & Corbeiensis, qui Vitalem cum reliquis Æthiopiæ numerant, & fortasse Stephanus, qui hodie Hierosolymis recolitur, Protomartyr est, cuius octaui diei ageretur memoria. De octaua S. Stephani, præter martyrologia aliqua, meminerunt D. Augustinus in Epistola ad Cassulanum, & Amalarius lib. 4. cap. 38. Vitalem cum alijs Æthiopiæ Martyribus numerandum videtur confirmare Martyrologium ms. Reginæ Sueciæ, in quo legitur. *In Æthiopia Rutuli cum alijs tribus.*

III. Nonas Ianuarij.

IN Helespontо Ciuitate Paretia Cirici. Primi. Eugeni. Rodi. & Et trium Fratrum. Argei. Narcisci. & Marcellini pueri Christiani. Fili Episcopi qui sub Licinio, & Digo. Iuni, Eugenti. Rodonis. Primæ. In Africa Lucidei. Martialis. Statuliani. Constanti. Possessori. Hylarini. Pennicæ. Firmi. Candidi. Rogati. Eugeniæ. Acutæ. *Parisius depositio Sanctæ Genofeuæ Virginis; In Vienna depositio Beati Florenti Episcopi.*

IANVARII 3.

IN Helleſponto Ciuitate Paretia &c. Pariũ Vrbem Helleſpõti hic dici Ciuitatem Paretiam non difficile exiſtimo, quod apud Bollandum cum Hieronymi Martyrologio conſentit, quamquam in nominibus Martyrum, eorumque ordine à noſtro diſſentiat. In aliquibus enim ſupra noſtrum abundat, in alijs deficit. Abundat in Theogene, quem cum Cirico, & Primo tribuit Helleſponto, addita deinde Tomis Ciuitate cum Claudione eidem Vrbi Martyres aſſignat Eugenium, Rodum, & tres fratres Argeum, Narciſſum, & Marcellinũ puerum Chriſtianum. Deficit verò in eo Filius Epiſcopus, qui ſub Licinio paſſus eſt. In reliquis qui ſequuntur Martyribus ante Afros prorſus conſentit; in Africanis verò parumper variat in ordine. Primus enim Martyr in noſtro eſt Lucideus, quem decimo loco numerat, & Lucidam facit, & pro Pennica Pẽnicam, & pro Rogato parua differentia Rogatianum exhibet. Inſuper Claudionem addit, quẽ Tomis tribuit, quamuis Vſuardi auctius martyrologium inter Africa-

nos

nos tantùm Martyres numeret, cum Cizico, qui Hellesponti est. Beda, vel sub Bedæ nomine Martyrologium Leodiense, in Hellesponto tantùm recenset Ciricum, Primum, & Diogenem. Quia verò tam Antuerpienses, quam Corbeienses codices, nostrique depravati videntur, integros laterculos illorum libet apponere, vt cordatus lector inter se illos cõferat. Antuerpiense in lamnis fide adductum Bollandi martyrologium ita se habet. 3. *Non. Ian. In Hellesponto Ciuitate Paretha Cirici, Primi, Theogenis, & in Ciuitate Tomis, Claudonis, Eugenię, Rodi Triũ fratrum Argei, Narcissi, & Marcellini pueri Christiani, & Diogeni, Eugeny, Rodonis, Primę, & in Affrica Martialis, Statuliani, Cõstãti, Possessoris Hilarini, Firmi, Cãdidi, Rogationi, Eugenię, Lucidę, Acutę, Paemenę, Pariſi Genefeuę Virginis, Vienę depositio Florenti.* Corbeiense Martyrologiũ Dacherij ita diem præsentem refert. 4. *Non. Ian. In Hellesponto Ciuitate Paretha Cyrici, Primi, Theogenis. Et Ciuitate Tomis Claudionis, Eugeny, Rhodi, & trium Fratrum Argei, Narciſſi, & Marcellini pueri, Christiani filii Episcopi, Eugenti, Rodonis. In Africa Lucidi, Martialis, Statuliani, Constantis, Possessoris, Hilarini, Pennisę, Firmi, Candidi, Rogatiani, Eugenię, Acutę, Item Candidi, Pariſius Sanctę Genouefę Virginis. Viennę B. Florenty Episcopi, & Confessoris*, ex his patet vitio librariorum lacunam esse in Martyribus Tomitanis.

Trium Fratrum &c. hos nõ modo Tomis in Põto passos habet cum codicibus Antuerpiense, & Corbeiense Bedæ adscriptum Leodiense Martyrologium, sed in diem præcedẽtem quarto Nonas reijcit; & de Marcellino puero addit miraculum, ita in Bollandi specimine expressum. *In Ciuitate Tomis trium fratrum Argei, Nareiſſi, & Marcellini pueri, qui post multa tormenta in mare mersus Martyrium consummauit, cuius corpus ad litus delatum magnis coruscat miraculis.* Eadem ferè habet Vsuardus non hac, sed superiori die, qui Marcellinus sub Licinio deprehẽsus inter Tyrones, cum tolleret militare, exilio ad mortem, & diu carceribus maceratus, in mare mersus martyrium consummauerit. At maximẽ cõfusa hæc sunt, sicuti omnia quę Bollandus exhibet in Sanctis Martyribus Theogene, Primo, & Cirino. Nisi quis diceret Theogenem vnum; & idem esse cum Marcellino duplici nomine, namquæ vni pœnæ tribuuntur, alteri acta adscribuntur.

Filij Episcopi. Sunt qui putent Phileam Episcopum hic memorari, & si ita esset, Fileus Episcopus legendum esset, & diuersum hunc statuere oporteret à Philæa Episcopo Thmuis in Ægypto, de quo plura ad diem 4. Februarij, & qui non sub Licinio, sed sub Maximiano, & Diocletiano passus sit. Martyrologium Bedæ ita habet. *In Tomis Ciuitate Natale Filij Episcopi, qui post alia tormenta in mare est mersus.* Titum hic Episcopũ legit Rabanus, sed quod inter Tyrones inuentus noluerit militare cum reliquis, quæ idẽ Rabanus addit, confundere ea cũ actis Marcellini, vel Theogenis palam videtur.

Digo Iuni. In nostro corruptum nomen vtrumque Digo, Iuni vix dubitarẽ, & legerem Theogeni, vel Diogeni, qui Martyr, si paululũ in hoc laterculo trasferretur reliqua cum alijs conuenirent; post verba enim, *Marcellini pueri Christiani* si adderetur, *& Theogeni*, seu *Diogeni filij Episcopi, qui sub Licinio*, optimè omnia conuenirent cum Actis Theogenis, qui fuit Filius Episcopi, & passus est sub Licinio, & in pluribus martyrologijs etiam Diogenes dicitur. Suum equidem Martyrologium Hieronymi Bollandus nequaquam à mendis curare hic potuit sine transpositione; Paruo igitur negotio nostrum ita restitui posset. *In Hellesponto Ciuitate Paretia Cirici, Primi, Eugeni, Rodi. Et Tomis trium Fratrũ Argei, Narciſci, & Marcellini pueri Christiani (hoc est ex Christianis nati) & Theogeni, vel Diogeni filij Episcopi, qui sub Licinio, Eugenis, Rhodonis &c.* Si quis ve-

ro

rò Claudionem ex alijs martyrologijs ante Eugentem, vel Eugenium vellet addere, non moror.

In Africa &c. In his Martyribus Africanis nulla est disceptantia, cum martyrologio Bollandi, seu Antuerpiense, parua cum Corbeiensi, quod alium Saturninum addit. Vsuardus auctiùs editus Coloniæ Ciricum, & Claudionem inter Africæ Martyres reposuit, sed vt arbitror corruptè.

Parisius Depositio S. Genouefę &c. pro Parisijs Parisius scribi mendum est frequēs in antiquis martyrologijs antiquariorum vitio. S. Genouefæ memoriam ex additis esse non dubito. Quamquam de Florentio Viennensi Episcopo suspicari idem posset; Quòd ex Mattheo Vvest monestariensi floruerit anno gratiæ 241., & exul martyrium compleuerit. Plura Bollandus exhibet tum de eo, tum de S. Genouefa, quam in Domino quieuisse habet Galesinus anno circiter 515. vel 512. vt Aimonius lib. 1. cap. 24. Tu vide apud eundem Bollandum discrepātiam cum Baronio in chronologia.

II. Nonas Ianuarij.

IN Africa Aquilini. Gemini. Eugenti. Martiani. Quinti. Teudoti. Trifonis. In Oriente Bononia Ciuitate Ermetis. Aggei, & Gagi.

IANVARII 4.

QVia hìc omnia consonant cum Martyrologio Romano à notationibus abstineo, tantùm addo Bononiam hìc in Oriente, non Italicam dici, vt præter nostrum Martyrologium in pluribus veteribus m. s. legit Bollandus. Quamquam sub Maximiano passos Bononiæ in Italia addat Baronius in Bononiensis Ecclesiæ Tabulis doceri. Sigonius certè de Episcopis Bononiensibus, non modo inter Sanctos Italos numerat, sed inter Iudęorum corpora aliquando proiecta, eorum loca adhuc lapideis crucibus ad memoriam insignita Bononiæ monstrari. Binas insuper adfert inscriptiones eorum reliquijs appositas Gherardaccius in ædę Sāctæ Crucis, sed quarum antiquior annum 1303., recentior 1580. præseferant. Quia verò Martyrologium Antuerpiense addit Æduum Episcopum, & Corbeiense alios Martyres libuit integrum vtriusque laterculum apponere. Antuerpiense. *Pridie Non. in Africa Aquilini, Gemini, Eugenti, Marciani, Quinti, Theodori, Trifonis; In Oriente Ciuitate Bononia Hermetis, Aggei, Gai, Ædui Episcopi.* Ignorare hìc se fatetur Bollandus quis fuerit Æduus Episcopus, cū in nullo alio martyrologio compareat. Cum verò alijs Africanis Martyribus copuletur facile est Africanum aliquem Sanctum Episcopum æquè Martyrē fuisse. Pro Aggeo Martyrologium S. Hieronymi parum m. s. tantum exhibet *Agetum*. Corbeiense Dacherij confusum est, & inter Bononienses Oriētis Martyres quinque addit, qui neque in nostro, neque Antuerpiensi comparent, & sequenti die inter Africanos athletas numerantur; vnde iure dubitari potest librarij vitio in hunc diem fuisse transpositos. 2. *Non. Ianuar. In Africa Aquilini, Gemini, Eugenti, Martiani, Quinti, Theodoti, Triphonis. In Oriente Bononia Ciuitate Hermetis, Agei, Gai, Petri, Marci, Sereni, Senni, Anastasię.* Pro Orientis Bononia martyrologium m. s. Vsuardi Leidense legit *Ciuitate Balona in Thracia* apud Bollandum.

No-

Nonas Ianuarij.

IN Africa Felicis. Secundi. Honori. Luciani. Candedi. Ianuarij. Cæliſphori. Iocundi. Acuti. Petri. Marci. Sermi. Senni. Anaſtaſiæ. In Ieroſolyma Simeonis Prophetæ, cum obtulit ei Dominum IESVM Chriſtum MARIA, & Ioſeph, & depoſitio ipſius Prophetæ; *Et in Antiochia depoſitio S. Simeonis Confeſſoris, qui in columna ſtetit.*

IANVARII 5.

PAuciora hìc habet Hieronymi Martyrologiũ apud Bollandum quam noſtrum. Nil enim de Simeone exhibet, ſed tãtùm Africanos Martyres tredecim; Fermum enim vel Sennum non profert, pro alterutro enim ex his Seuerum ita habet. *Nonis. In Africa Felicis, Secundi, Honori, Luciani, Candidi, Ianuarij, Cæliſforiæ, Iocũdi, Acuti, Petri, Marci, Seueri, Anaſtaſi. In Antiochia Simeonis Monachi.* Præter Felicem tredecim etiã Martyres Africanos, ita exhibet martyrologium Corbeienſe. *Nonis Ianuarii. In Africa Felicis, Secundi, Honori, Luciani, Candidi, Ianuarit, Cœlesfori, Iocundi, Acuti, Petri, Marci, Sereni, Senni, Anaſtaſiæ. Hieroſolyma Simeonis Prophetæ, cum obtulit ei Dominum Ieſum Chriſtum Maria, & Ioſeph, & depoſitio ipſius Prophetæ. Antiochia depoſitio S. Simeonis Monachi, & Confeſſoris, qui in columna ſtetit.* Vnde in m.ſ. martyrologio Reginæ Sueciæ corrigenda eſt nota numeralis, & vbi legitur. *In Africa Felicis cum alijs XII.* reſtituendum eſt XIII.

Caliſphori. Suſpicatur hìc Bollandus, qui Cæliſforiæ in ſuo Martyrologio legerat ex duobus nominibus conflatum eſſe, & fortè legendum Cæli, & Floriæ, ſed vnũ nomen eſt in duobus noſtris codicibus, & Corbeienſi manifeſtiſſimum, & ita legit Notkerus quamquam Teleſphorum nõ Celeſphorum exhibeat probabili lapſu librariorum.

Anaſtaſiæ. Anaſtaſii legit Bollandus, ſed Anaſtaſiæ Notkerus pariter cum noſtro, & Corbeienſi.

In Ieroſolyma Simeonis Prophetæ &c. Ita etiam vt vidimus habet martyrologium Corbeiẽſe, in quo feſtum occurſus S. Simeonis, cum accepit puerum Dominũ in vlnis ſuis, manifeſtè diſtinguitur ab eius depoſitione, quæ tamẽ ex noſtro hac eadem die recolitur. Quanquam vero occurſus Domini, ſiue Hypapante, non niſi poſt quadraginta dies à Natali eſſe potuerit, quia tunc Sanctiſſima Virgo Mater legali immunditiæ non ſubiecta, ſed legem ſeruare volens, templum adire tantùm poterat, vt Filium de more offerret, & redimeret, ſub illo tamen die quadrageſimo, ſiue ſecundo Februarij antiquitus huius myſterij memoriam recoli conſueuiſſe non inuenio, quin potius in Occidentali Eccleſia, ſerius fuiſſe in illud tempus accomodatum. Quapropter de tempore huius inſtitutæ celebritatis libuit hìc aliqua pro re noſtra congerere.

De

De Festo die occursus Domini, eiusque institutionis tempore.

EXERCITATIO III.

NON ante Gelasium, proscriptis lupercalibus, & Iustiniani Imperatoris ætate, qui plura arbitratu suo ad Ecclesiasticas disciplinas spectantia constituerat, festum Hypapantes cæptum esse Constantinopoli testatur Nicephorus hist. 17. cap. 28. & Paulus Diaconus anno 15. Iustiniani, licet Cedrenus non Iustiniano, sed Iustino, & anno Imperij 9. tribuat, quemadmodum confirmat etiam Sigisbertus in Chronico. At apertissimè Theophanes lib. 16. Historiæ ad annum 15. Imperij Iustiniani celebritatis huius institutionem ita refert.. *Anno 15. Imperij Iustiniani, mense Octobri, facta est mortalitas Bisantij; & eodem anno Hypapante Domini suscepit initium, vt celebraretur apud Bysantium secunda die Februarij mensis.* Extat quidem Gregorij Nysseni sermo de occursu Domini, in quo iam festum occursus peragi in Ecclesia consueuisse apparet; at non tamen secunda Februarij die celebratum probatur, neque ante Iustinianum, de hac eadem die aliquid apud antiquos Patres extare, Baronius etiam testatur. Et si enim Combefisius nimis præcipitis iudicij Baronium ipsum insimulet, quòd in Methodij Patarensis Episcopi, & Martyris Homelia de Simeone, & Anna, iam à primis Ecclesiæ temporibus festum occursus videatur institutum, sicuti ex alia Cyrilli Hierosolymitani Episcopi de occursu Domini oratione pariter cõfirmatum afferat, non tamen inde constat in prisca Ecclesia huiusmodi festum die 2. Februarij celebrari consueuisse, quin potius in Occidentali hac quinta die Ianuarij recoli potuit, quòd in ea Orientalium non minima pars Theophaniam, & Natalem Domini celebraret. Nicephorus equidem, non tantùm Bysantij, sed in toto Orbe terrarum, testis est, Iustiniani tantum tempore indictum fuisse Hypapantes festum, & Anastasius Bibliothecarius ex Theophane addidit die 2. Februarij. Ex Græcia autem in Occidentem defluxisse, diei secundæ Februarij celebritatem, rectè coniectatur Vir doctissimus Godefridus Henschenius quòd omnia ferè Martyrologia vetustiora nomen ipsum Græcum retineant Hypapantis: eoque libentius in principio Februarij receptam solemnitatem esse à Romana Ecclesia arbitrarer, quòd Euangelicæ historiæ, & purissimæ Virginis legali quadraginta dierum Purificationi respondeat, & quod luminibus lustrare Vrbem tunc gentilitas consueuerit in honorem Februi, vel Plutonis: mutato nempè in veræ pietatis ritum falsæ religionis abusu, vt S. Idelphõsus, & S. Eligius, sexti seculi scriptores, in eorũ homelijs apertissimè docent, & confirmãt tum Beda Tom. 2. de ratione tempor cap. 10., tùm reliqui, qui de Ecclesiasticis officijs scripserunt. Verùm cum antiquissimis temporibus, in Ecclesia etiam Orientali, prælatis luminibus festum huiusmodi peragi geretur, vt luculenter probat oratio S. Cyrilli Hierosolymitani à Combefis edita T. 2. Auctarij illis verbis, *Populi Gentium vna cum Sion manibus præferentes faces obuiam procedamus*, & infra. *Sic modo lato, festinoque habitu lampades ornemus.* Cumque septimi sæculi scriptor Sophronius id apertissimè pariter doceat in oratione de Hypapante, quæ primum prodijt ex codice Regis Galliæ opera Bollandi, siue Hetchenij ad diem secundam Februarij, in eam deueni sententiam, vt vel in ipsa Theophania, vel paulo ante ipsam antiquitus omnes Christi manifesta-

tiones recoleretur, Natiuitas inquam, Magorum aduentus, Simeonis occursus, & Domini Baptismũ. Certè Gregorius Nazianzenus, qui in die luminum de Baptismo Christi habuit orationem, vel id penitus mihi docere videtur, vel saltem Simeonis occursum in Ecclesia Orientali ante diem Dominici Baptismi, hoc est Epiphaniam celebrari consueuisse. *Rursus Iesus meus, & rursus Mysterium*, exordium orationis Nazianzeni est, qui cum paulo ante de Iesu loquutus esset, idest, vt Nicetas interpretatur, de Domini Natiuitate, pro re nostra subdit. *Quamquam enim Sanctus luminum dies, ad quem peruenimus, quemque hodie diuino beneficio celebrauimus, Christi mei, hoc est vera lucis, omnem hominem in mundum venientem illuminantis, Baptismum prò principio habeat: tamen hanc quoque vim habeat, vt me lustret, atque expiet.* Ita purificationis, seu lustrationis diem innuens, quasi vel Natalem paruo interuallo subsequeretur, vel eadem Baptismi nocte, vel antecedenti die recoleretur. Sicuti autem certum est, ipsa Epiphaniarum die Orientalem Ecclesiam, antiquissimis temporibus Domini Natiuitatem recoluisse, vt ad 25. Decembris diximus, ita sequentibus sæculis seiunctim à Baptismi festiuitate peragi consueuisse ex Occidentalis Ecclesiæ instituto, fortasse iam in aliquas Orientis Ecclesias illabente, videtur ex eiusdem Nazianzenis verbis elici posse, ex quibus etiam occursum Domini ante Baptismi festum fuisse celebratum conuincitur. *At Christi quidem Natiuitatem congruenti solemnitate prosequi sumus; tum egessi dux, atque auspex, tum vos: atque adeo cœtus omnis, tam terrenus, quam Cœlestis. Cum stella cucurrimus, cum Magis adoraumus, cum Pastoribus diuinitus collustrati sumus, cum Angelis laude, & gloria celebrauimus, cum Simeone vlnis complexi, cum Anna confessi sumus. Atque ei, qui alieno more in propria venit, gratia habeatur, quòd exterum hominem, & peregrinum gloria affecit. Nunc verò facimus, & Mysterium aliud sequitur.* Quod explicare pergit de Christi Baptismo dum post pauca verba subdit, *Christus illuminatur, simul illustremur. Christus baptizatur, simul descendamus &c.* & infra *quoniam autem baptismi hoc festum est &c.* vt iam occursum Simeonis, & Annæ celebratum præterijsse appareat, vel eadem, vel præcedentibus diebus ante Baptismi mysterium. Quod apertiùs Nazianzenus idem confirmare videtur in oratione quadragesima in sacrum baptismum. *Heri splendidum luminum diem celebrauimus, salutem enim nostram prosequi conueniebat;* & post aliqua de diebus solemnibus amicorum carnis subdit, *hodie de baptismo, & beneficio hinc accepto ad nos manante differemus:* quasi dies luminum, seu occursus diem celebrationis baptismi immediatè præcederet, quod nostro Martyrologio optimè conueniret, dum in eo Simeonis Domino occurrentis memoria agitur quinta die Ianuarij: sexta verò Epiphaniæ, quæ Dominici Baptismi mysterio, non minus quam Magorum aduentui dicata fuerat, vt aliàs vberiùs explicamus.

Simeonis Prophetæ. Domini Hypapante, siue occursus aliquibus etiam dici festum S. Simeonis non negamus, & ex codice Remensi adnotauit Menardus ad Sacram. Gregorij, sed festũ S. Simeonis propriũ hic recolitur. Propheta Simeon dicitur Dilo: Chrysostomo in Homelia de Occursu: *Simeon ergo cũ esset Propheta dicit: Gloriã populi tui Israel:* Prophetam pariter vocant Cyrillus Hierosolymitanus in Homel. de Propheta Simeone ex Bibl. PP. T. 13. & Epiphanius de vita, & interitu Prophetarũ; qui nõ modo eidem tanquã Prophetę caput 24. assignauit, sed & Sacerdotẽ fuisse docuit, dũ ait, *Simeonis Sacerdos ex tribu Aaron emicuit:* sed instigante diabolo in odium Pueri Iesu addit. *Nec à Sacerdotibus postremũ consequũ ho-*

no-

norem humatus est.

Cum obtulit ei &c. Sacerdotem quoque Simeonem hìc videtur à Martyrologio nostro designari, cũ ei dicatur oblatum puerum tanquam Dei Vicegerenti, & præter Epiphanium, alij sunt, qui velint, sacerdotem fuisse, & præcipuè Cyrillus Hierosolymitanus in Homelia de Occursu Domini, siue de Propheta Simeone, dum inquit, *Tuus Sacerdos Simeon in vlnis portans*. Sanctus item Methodius Episcopus, & Martyr in Homel. de festo Purificationis, & Prophetam, & Sacerdotem ita S. Simeonem depingit, *Virum S. Spiritu incitatum, Virum legis Doctorem, Sacerdotio honoratum, prophetia refulgentem &c.*

Et Depositio ipsius Prophetæ &c. Romanum Martyrologium cum Beda, Vsuardo, Adone, & cæteris Latinis Simeonẽ recolunt 8. Idus Octobris. Sed eum Hierosolymis exhibet ad 2. Febr. S. Hieronymi martyrologium Antuerpiense, in hoc, vt puto, recentiori vsui accomodatũ, in nostro, & Corbeiensi prorsus prætermissum. Ita ad v. Februarij Simeonem Prophetam, qui Christum in vlnis portauit, repetunt Beda, Rabanus, Notkerus, & varia mss. Martyrologia, quæ ibidem cumulat Bollandus in prætermissis. Græci verò in Menologio Sirleti ad ipsam diem Hypapantis, quæ eisdem prima est mẽsis Februarij, festum Simeonis proferũt, cuius depositionem Menologiũ Basilij, cum Occidentali Ecclesia, commemorat quarto Nonas Februarij. Quod autem sequenti die, tam Simeonis, quam Annæ prophetissæ obitum signent, hinc non diu Simeonem vixisse ab accepto in vlnis Domino, Græcos existimasse apparet; sed qui, eadẽ die Dominici occursus, depositus apertè à D. Athanasio indicatur, apertissime à Nicephoro docetur. S. ille Doctor in oratione de occursu Domini, quam genuinam eidem Sãcto Doctori asserit Combefisius, tum ex Epigraphe antiquorum codicum, tum ex Athanasij characteribus, ita Simeonem in ipsis decantatis Domini benedictionibus dimissum esse non obscurè profitetur. *Sic sanè verè hic diuinus Vir, Christique aduentus vocalissimus præco, gratias agens. Hoc enim vox illa significat benedictus Deum, in precibus dimissus est. Puto namque inuisibili Saluatorem instinctu affecisse, ac efflasse animam, eiusque per omnia orationem exaudisse, atque vt seruum proprium, ac cultorem assumpsisse legis, ac vmbræ diuturno obsequio pridem fessum.* Nicephorus verò lib. 1. ita de statim subsequta Simeonis morte caput duodecimum claudit. *Cum Christum Dominũ oculis suis conspexisset, eundemque in vlnis gestasset, carnis mole protinus solutus, & liberatus est.* Hac eadem die Nonis Ianuarij Vetus Martyrologium m.s. Reginæ Sueciæ, ità obitum S. Simeonis signat. *Hierosolymæ depositio B. Simeonis Prophetæ.*

In Antiochia depositio Sancti Simeonis &c. Omnes ferè Latini hac die agunt de Simeone, seu Simone stylite, cuius corpus depositum fuit Antiochiæ. Vide Bollandum, quæ aduersus Baronium adducat, & quæ de eius vita rariora congessit: Is à Sisan erat, & primus, qui studium columnarum excogitauit, vt habet Theodorus Lector l. 1. Collect. Commentarium de illo scripsum adducẽs, cuius lib. 2. pariter meminit: Obijt ex Antonij eius discipuli Historia feria sexta, anno quarto Leonis, hoc est 461. Sed nec quinta dies Ianuarij anno quarto Leonis incidit in feriam sextam, sed tertiam, neque pariter in sextam eandem feriam cadebat primus Septembris, quo cum Græci colunt. Ex his tamen suspicari licet, hanc potius diem esse translationis, seu nouæ depositionis, quam Natalem. Confessoris etiam hic titulus vetustiori significatione non accipitur, & quamquam Simeonem seniorem vixisse sæculo quinto constet, ex Sanctis tamen in Martyrologio nostrò additis putare non est incongruum, vt pariter Dacherius in Corbeiense existimauit.

VIII. Idus Ianuarias.

EPiphania. in Africa Fori. Iocundi. Petri. Marci. Acuti. Ianuariæ. Iuli. Honori. Antonini. apud Syrmiam Anastasi. In Antiochia passio S. Iuliani, & Basilisse. In India Celsi. Iuliani. *In Ciuitate Redonis Natiuitas, & ordinatio Episcopatus, & Transitus S. Miliani Episcopi ibidem celebratur.*

IANVARII 6.

EPiphania, quæ Græcis apparitionẽ significat, solemnis in eorum Ecclesia erat pro Dominici Baptismi mysterio. Antequã enim in Iordane Christus Dominus baptizaretur, vt S. Ioannes Chrysostomus ex Euangelio educit, ignotus omnibus erat, ipsi etiam Ioanni Baptistæ Præcursori, qui eum nesciebat. Latinis verò Epiphania præcipuè celebris erat, quòd gentibus in Magorum aduentu se manifestare Iesus incæperit: quamquam in Ambrosiana Ecclesia Baptismi potius, & miraculi nuptiarum recoleretur memoria, quam Magorum aduentus, vt in sermõnibus quinque D. Ambrosij ad populum manifestè apparet; in quibus per Baptismũ semper, & conuersionem aquæ in vinum manifestatio Domini celebratur. Antiquissimi styli festũ Epiphaniæ in Ecclesia fuisse ex Ammiano Marcellino discimus lib. 21. & mense Ianuario celebratum. Apud Latinos equidem plurimum manifestatio Domini per Magos in Epiphania recolebatur. Quod patet ex Homelijs Sanctorum Patrum Augustini, Leonis, Maximi, & aliorum. Verba Augustini adferre præcipuè libet ex serm. de tempore 32. quia amplius observatione dignum habeant, Donatistas olim in Africa Epiphaniæ festum non celebrasse: *Merito istum diem nunquam nobiscum hæretici Donatistæ celebrare voluerunt, quia nec vnitatem amant, nec Orientali Ecclesiæ vbi apparuit illa stella communicant. Nos autem manifestationem Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, quia primitias gentium delibauit, in vnitate gentium celebramus.* Occidentalis ergo Ecclesia quamquam nec Baptismi, nec prodigij nuptiarum memoriam neglexerit, præcipuè tamen aductum Magorum, & in ipsis ad gentes apparitionem Domini celebrabat in Epiphania. Quod ex Sacramentario D. Gregorij, & antiquis Romanæ Ecclesiæ ritualibus libris deinde cõprobatur. Martyrologium in laminis Antuerpiense cũ nostro conuenit, quod ita pro opportunitate integre adductum Epiphaniæ festum nudè indicet. *VIII. Idus Epiphania Domini. In Affrica Taleſphori, Flori, Iocundi, Petri, Marci, Acuti, Ianuariæ, & alibi Honori, Iuli, Antonini, apud Firmiani, Anastasi. In Antiochia passio Sanctorum Iuliani, & Basilissæ. In India Celsi, Iuliani. In Ciuitate Redonis Natalis Sancti Melani Episcopi.* Corbeiense non dissimilia profert. *VIII. Idus Ian. Epiphania Domini nostri Iesu Christi. In Africa, Fori, Iocundi, Petri, Marci, Acuti, Ianuariæ, Iuli, Honori, Antonini; Item Fori. Apud Sirmium Anastasiæ. Antiochia passio Sanctorum Iuliani, & Basilissæ. In India Celsi pueri Iuliani, Antonini. Et passio S. Faustæ. In Ciuitate Redonas, natiuitas, & ordinatio Episcopatus, & transitus S. Melani Episcopi, & Confessoris, qui ibidem celebratur* M.S. Martyrologium Reginę Sueciç.

Epi-

Epiphania Domini nostri Iesu Christi. In Africa Fori cum alijs quinque. In India Celsi, Iuliani. Cum vero non modo in Orientali Ecclesia, sed Occidentali nostra Epiphaniæ festum celeberrimum fuerit, quòd secunda Natiuitas vocaretur, & in Romano Vetusto Ordine, vt alibi diximus celebrior, quam prima Natiuitas asseratur, nimirum ex Domini, & Saluatoris apparitione ad gentes pius Lector ignoscat, si latius ad tantæ Apparitionis gratias agendas, & vbi pressiùs Martyrologium nostrũ loquitur, expatiari contingat, & ad sacræ historiæ prouentum in Magorum Sanctorum itinere, & historia nonnihil diffusius nos viderit exerceri.

DE MAGORVM AD CHRISTVM VENIENTIVM, Historia, itinerisque tempore.

EXERCITATIO III.

EX Oriente ad Puerum Dominum adorandum profectos Hierosolymam, & Bethleem, qui in Euangelio Magi dicuntur, probatione apud fideles non eget. Quæ nam vero Orbis pars Oriens ibidem dicatur, quoue tempore Magi iter peregerint parum liquet. Notkerus, vt ab his, qui in Martyrologio Historiam Magorum retulerint, exordiamur, his non consentit, qui Caldeos, Indos, aut Persas natos esse existimauerint, nec altero, vel tertio anno à Domini Natiuitate in Palestinam venisse, sed Morabitas, vel Ammonitas, siue Madianitas S. Hieronymo adstipulante, & tertio decimo natalis die, eundem in Bethleem adorare promeruisse putat, Orientem regionem eam, vt par est credere, cum alijs interpretatus, quæ ad Orientalem plagam Hierosolymis esset. Alij verò quascunque etiam longinquas Regiones, dummodo Orientales sacræ Vrbi fuerint, accipere non reculant. Osorius lib. 1. de gestis Emanuelis, ex Indorũ traditione, Regẽ Crãganoris duobus Magis à Perside, & Carmania socium se addidisse ad Christi venerationem scribit. Ex annalibus verò vetustissimis Calecutij, huius Regni Regem antesignanum, seu primarium Magorum socium fuisse refert. Semedus, nuperus scriptor Sinensis chorographiæ, narrat, in antiquo lapide illius Regni scriptum esse, Sydus Natale Domini nunciasse his, qui incolebant regnum Pozù, quod in Sinensibus Mappis ad Orientem Iudeæ iacet Part. 1. cap. 31. Relationis Monarchię Chinensis. Reges Tharsis, & Insulæ, qui Psalmo 71. memorentur, Tertulliano, Cypriano, Chrysostomo, Hylario, Basilio, Hieronymo, pluribusque veteribus Magi sunt, qui Dominum adorauerunt. Non verò omnes ex eadem regione profectos consentiunt. Ex Damasci vrbe Arabiæ Tertullianus aduenisse scripsit: *Nam, & Magos Reges ferè habuit Oriens, & Damascus Arabiæ retro deputabatur antequam transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum*, inquit aduersus Iudæos cap. 9. Magos hic pro Astrologis suscipit, vt etiam in lib. de Idolatria. *Magi, & Astrologi ab*

Oriente

Oriente venerunt. Primi nempe stellarum interpretes natum Christum annunciauerunt, primi munerauerunt. Sub Magia ex Plinio Medicina, & Mathematices includebantur, vt ibidem notat Pamelius; Verùm ex D.Hieronymo de sapientum genere erant Magi, quos cap.2. Danielis in quatuor genera dirimit, Ariolos, Magos, Maleficos, & Chaldæos. Ariolos, siue Incantatores interpretatur, qui verbis rem peragunt; Magos qui de signis philosophantur; Maleficos qui sanguine vtuntur, & victimis, ac sæpe contingunt corpora mortuorum; Chaldæos, quos Vulgus Mathematicos vocat. Et quamquam Magos pro Maleficis vulgò accipi fateatur, Chaldæorum tamen sapientes fuisse, seu philosophos affirmat, qui Dominum adorare venerunt. Non tamen defuerunt antiqui Patres, vt Origenes aduersus Celsum, qui malis artibus infectos, sed resipiscentes Magos Christi adoratores existimet. Ab Arabiæ etiam finibus incolas Sabba, & Syderum inspectores fuisse, existimarunt; Cyprianus de stella, & Magis, quos eadem oratione vocat alienigenas *à fluminibus Æthiopiæ*, & ante ipsum S. Iustinus Martyr in dialogo cum Triphone, vt negari nequeat plures ex Patribus vetustioribus, Euangelicos Magos ex Arabia deduxisse, quibus Baronius ad annum Christi 1.a. 25. omninò concinit. Sunt tamen qui Magos non ita Chaldæis admisceant, quasi congeneris artis professoribus, sed ex Babilone, & verè Chaldæorum regione profectos esse perhibeant. Ita sentire videtur Origenes Homel.13. in num. & expresè sentit Chalcidius Platonicus in Timeum. Alij ex Mesopotamia in Bethleem aduenisse existimant, quod inde Balaam oriundus esset, qui Stellam nati Pueri prænunciam apparituram esse prædixerat, vt S. Maximus Taurinensis Homel.5. & 6. de Epiph. S. Petrus Chrysol. serm. 106. At quia prophetauit in Arabia, Arabes potius inde Reges, vel Regulos coniectatur Baronius. E contra communis ferè sententia aliorum antiquorum est, ex Perside Magos venisse. Ita inter vetustiores sentit Eruditissimus Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, S.Basilius Hom. 25. Iuuencus Presbyter, Prudentius, Chrysostomus Homelia 7. Auctor operis imperfecti Homel. 2. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Isaiam, D.Augustinus, & alij passim. Sed quam latè patuit Persarum Imperium, & quam latè adhuc patet? Mediam, Assiriam, Susianam, Mesopotamiam, Persidem propriè dictam, Parthiam, Hircaniam, Margianam, Bactrianam, Paropamisum, Ariam, Drangianam, Cedrosiam, & Carmaniam adhuc illi Geographi tribuunt. Nulli Regnorum Magis Orientis nomen, à scriptura vsitatum conuenit, quam Persarum, cuius Vrbem Persepolim Curtius totius Orientis Regiam vocauit. Insuper Reges cum muneribus adorandi, ita proprium Persarum, & Parthorum fuit, vt in re clarissima non sit immorandum, immò facilè concedendum, Magos nouum Iudæorum Regem cum muneribus de more gentis adorare venisse. Aurum ex opulentissimo Regno, quis mirabitur, illius vel Reges, vel Regulos attulisse? In Susiana Vrbe Arx, seu munitissimus locus fuit, vt est apud Cassiodorum, quem *Memnon arte prodiga illigatis Auro lapidibus fabricauit*; hinc qualis ibi esset Auri copia, seu vilitas satis indicatur. Aromatum mercimonia adhuc in Perside frequentissima, & vberrima sunt, & inde Myrrham, Thusque facilè adferre Magi potuerunt, siue ex Arabia, siue aliundè habuerint; neque necesse est ex Aromatum munere Arabes affirmare. Apud Indos vltra Gangem, seu Orientales nullum ferè aromatum genus deficit, & ex his conterminis gentibus non minus, quam ex Arabibus deferri in Persidem aromata poterant. Nil autem vetat, cum plures ex Euangelica historia Magi fuerint, qui natum Dominum adorauerunt, & ex fidelium traditione, & S.Leonis PP. auctoritate, saltem tres, qui ex diuersis regionibus obseruato sydere, & diuinitatis instinctu, in vnum deinde coeuntes, iter arripuc-

puerint, nihil vetat ex varia gente, diffitisque locis adueniſſe, quinimmo id Dauidicum oraculum videtur innuere Pſal. 71. in verbis illis, *Reges Tharſis, & Inſulæ*, ſiue vt Pagninius noſter legit, *Reges Maris, & Inſularum*. Sanè ex regibus, vel regulis Orientalis Indiæ aliquem ſignificari non eſt abſurdum, quòd Tharſis in Oceano Indico fuerit, ad quam cõtendebant naues profectæ ex Eſiongaber, Ophiræ, vel Taprobanæ proxima Fortæ, vt nouiſſimè placuit Samueli Bocharto Geographiæ ſacræ par. 1. lib. 3. cap. 7. Indos extra Gangem, ſeu Orientales Magyr ab incolis adhuc appellari, autor eſt Niger apud Ortelium, vt hinc etiam Magorum nomen gentes illæ retinere videantur. Reliquos duos Reges ex Arabia, & Æthiopia emigraſſe alia Dauidici vaticinij verba ſignare videntur. *Reges Arabum, & Saba dona adducent*, quæ Pagninius interpretatur, *Reges Seba Arabiæ, & Seba Æthiopiæ munera offerent*. In Hebraico fonte notat Genebrardus, Sabæos Æthiopes Arabicis præponi, quòd prius nomen Chriſto dederint. At Sabæ ſunt etiam Perſici populi Dionyſio Alexandrino, & Saba Æthiopiæ, portus ad ſinum Arabicum, ſeu Mare Rubrum, Straboni. Sabæos habet pariter Ptolemeus in Perſia, vt hinc veriſimile ſit, hos Reges ex Mare, quod Tharſis Hæbreis dicitur, fuiſſe profectos, ex varijs nempe eiuſdem ſinibus, Indico, ſeu Orientali Oceano communibus, cuius littora populi Sabæ incolebant. At quia non per naues, ſed terreſtri, ſeu pedeſtri itinere, vt notat Proclus, in Paleſtinã Magi penetrarunt, facile etiã eſſe potuit, vt tandem in vnum locum inciderint, vnde ſimul Ieroſolymam ingredi contingeret. Hinc etiam antiqui Patres, qui hos modò Arabes, modò Perſas dicunt, conciliari facilè poſſent, quia alter ex his Regibus ex Arabia, alter ex Perſide, ſiue ex maris Rubri Inſulis profectus eſſet: & quia mare illud Arabibus nõ minus, quã Perſis vlterioribus cõmune fuit. Mare, ſeu Hebreorũ Tharſis, vt omnes fatentur, tam Perſicum, quam Arabicum, & Indicũ Orientale ita dictum præcipuè fuiſſe nemo ignorat, & ex his regionibus Reges Hieruſalem profectos, ex Oriente veniſſe inficiari nemo nequit, ſiue quòd communi ſcriptorum calculo omnes regiones illæ Orientales dicerentur, ſiue quòd etiam Iudeæ Orientales eſſent.

Magorum Regio, vt communis in Perſia.

Si quis verò ex Magorum nomine preſſiùs accepto vellet potius, hos reges ex Perſide profectos, non Magodiam inter Arabes cum D. Epiphanio requirat, ſed præcipuam regionem inter Perſas, & Medos agnoſcat, vnde Magi illi reguli, non ab officio, ſed à regione vocati, proficiſci potuerint. Locum in Perſide, quem Magi vocati populi incolebant, latè deſcribit Ammianus libro 23. primùm in confinibus Medorum, deinde poſt mutila quædam, in terra Syromedorum. Initio quidem agros fertiles poſſediſſe narrat, propriamque ſectam habuiſſe, quam Plato Machagiſtram dixerit verbo myſtico, quaſi diuinorum incorruptiſſimũ cultum ſeruarent: His ex Chaldeorum arcanis Bactrianum Zoroaſtrum multa addidiſſe narrat, ſicuti & Hyſtaſpem Regem potentiſſimum, qui ex Indis Brachmanis *rationes mundani motus, & ſyderum, puroſque ſacrorum ritus* exceperat. Hæc Magos illos, iam in multitudinem excreſcentes, *cum diſciplinis præſentiendi futura*, per ſuam quiſque progeniem poſteris ætatibus tradidiſſe addit. Pauci illi erant initio, & apud Perſas in ſacris magnæ exiſtimationis; *Verum aucti paulatim in amplitudinem gentis ſolidè conceſſerunt, & nomen: villaſque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas, & legibus ſuis vti permiſſi, religionis reſpectu ſunt honorati*. Numerat deinde per illa loca diſperſas ciuitates, vt dubitari nequeat regionem amplam fuiſſe.

Quomodo per Stellam Magi vocati fuerint.

Ex hac gente moribus non improba, & cui ſyderum motus patebant, & naturæ lumine diuinorum incorruptiſſimus cultus inerat, primitias gentium accepiſſe Dominum, non eſt incongruum: & quia ſyderum motibus, non iudicijs obſeruandis

in-

incumbebat, ad se per nouum, mirabileque sydus vocauit, per Angelum nempe in Stellæ formam, qui Magos duceret, vt explicant patres Concilij Ephesini, seu potiùs Theodotus Ancyranus in orat. de Natiuitate Domini Parte 3. Concilij Ephesini. His consentiunt, quæ prostant *in historia inscripta nomine Seth* apud Auctorem operis imperfecti Homel. 2. in Mattheum, quam licet ex D. Epiphanio Baronius, nòn modo inter Apocriphas, sed inter Sethianorum hæreticorum commenta reijciat, quasi id S. Epiphanius docuerit hær. 26. & 39. cum tum nihil apud Sanctum scriptorem inuenire licuerit, nisi Sethianos hæreticos ipsi Seth libros aliquos tribuisse, nihilq; ea à veritate Euangelica absonũ continere videatur, lubuit adscribere, eo magis quòd auctor ille grauis sit, licet in aliquibus ab hæreticis cõspurcatus appareat. De scriptura, vnde hausit quæ narrat, ita iudicandum præmittit. *Scriptura, & si non certa, tamen non destruente fidem, sed potius delectante.* Magorum gentem, ibi dicitur, fuisse *in ipso principio Orientis* iuxta Oceanum, apud quos Vaticinium Balaam de apparituro sydere, ita fidem habuisse, vt ad posteros demandata traditione *duodecim quidã ex ipsis, studiosiores, & amatores mysteriorum eligerentur* ad expectationem Stellæ, qui quotannis post mensem in montẽ quendam Victorialem lingua eorum dictum, ascenderent, vbi lauantes se *orabant, & laudabant in silentio Deum tribus diebus.* Hi Magi dicebantur *quia in silentio, & voce tacita* Deum glorificabant. Supplebatur eorum numerus ex mortuorum filijs per generationes, donec apparuit eis in monte Victoriali Stella Beatitudinis, *habens in se formam quasi pueri parmuli, & super se similitudinem Crucis, & locuta est eis, & docuit eos, & præcepit eis, vt proficiscerentur in Iudæam.* Pergit deinde narrare quod per Biennium præcedebat eos, & quod in itinere, *neque esca, neque potus defecit in peris eorum*; subdit deindè. *Cætera autem, quæ gesta referuntur ab eis, in Euangelio compendiosè posita sunt.* Quæ cum in reliquis ab Euangelistis narratis, non discrepent, absurda ea continere non video, quæ in Sethianorum libris agnoscit D. Epiphanius. Nec ab his, quæ ex Ammiano Marcellino adduximus discrepare videntur. Is enim in Magorum regione *Coronis montis altissimi* meminit, qui Victorialis eodem Coronæ nomine dici videtur. De Magis Mediæ populis meminerunt, ab Ammiano nõ dissidẽtes, Stephanus de Vrbibus, & Herodotus in Clio: Non vnum tamen montẽ, sed tres in Regione Magorũ admirandos reposuit Clemens Alexandrinus 6. Strom. in quibus voces, & strepitus exaudiri consueuerint; eorum tamen postremum, quia audiebantur voces *canentes Paean, perinde ac qui vicissent*, facilè Victorialem indè dici potuisse, vel Coronam non absurdũ est coniectari. Quòd verò Stella in similitudinem pueri locuta Magis illis fuerit, non videtur ab opinione Patrum Ephesinorum valdè distare, qui Angelum fuisse putauerint. Non me latet, sacros interpretes varios modos afferre, quo Magi ex nouo Sydere, natum fuisse Regem Iudeorum intelligere potuerint, quos hic recoquere non est ocium. Verùm si lectori meo non arrideret, Magos ex voce Angeli in sydere apparentis, eosque docentis, natum regem didicisse, sed Stellæ tantùm visione, quemadmodum verba illa significare videntur. *Vidimus Stellam eius in Oriente, & venimus adorare*, coniecturam nostram præcipuè ex D. Chrysostomo elicitam accipiat: nempe eodem, vel consimili modo Reges Sanctos natum in Iudæa Dominum percepisse, quo Constantinus per Crucem, Victoriam habiturum de Maxentio agnouit. Rem ita Photius narrat ex Philostorgij Historia, interprete Gothefredo. *Signum nempe Crucis in Oriente visum, longius distenctum, splendore præfulgido, figuram eius exprimente, Stellisque eam circumcursantibus Iridis instar, & compositis ad literarum characterem, quibus lingua Romana hæc exprimebantur. In hoc Vinces.* Nil enim vetaret huius Stellæ, quæ Stellas reli-

reliquas, vt S. Ignatius Epist. 15. ad Ephesios testatur, claritate exuperabat, omnes ita radios in modum literarum efformatos retulisse, vt vel Chaldaica, vel Magorum lingua characteres præseferret, quibus breuiter natum Iudæorum adorandum Regem exprimeretur; *& hæc quidem Stella ab omnibus videbatur, sed non ab omnibus intelligebatur*. Quia non omnibus characteres patebant, inquit S. Ioannes Chrysostomus Hom. 1. ex varijs in Matthæum; prius enim de syderis figura Homel. 6. in Matthæum dixerat, quòd *nec Stella omninò, sed quædam inuisibilis virtus in specie syderis figurata esset*. Equidem Idem Ignatius, non modo Solem, Lunam, ac reliquas Stellas illi syderi chorum duxisse affirmat, sed aliquod aliud singulare retinuisse, *Vnde prodiret hæc, qua apparebat nouitas*. Nullo autem modo facilius sydus illud habuisset singulare aliquid, quod Iudeorum natum Regem prænotaret, quam fulgidos caracteres, qui Iudæ Regem natum ostenderent. Quomodo enim Regẽ Iudę, tantũ ex fulgore, percipere potuissent prospicientes Magi, nisi peculiari signo Stellã ipsius Regis esse didicissent, cum maximè dixerint Herodi *Vidimus Stellam eius*. Eusebius Emisenus, seu quisquis sub eius nomine lateat, quid simile existimauisse videtur, dum inquit Homel. de Epiphania, *sic illa Stella loquebatur Magis, sicut istæ literæ loquuntur nobis, significando igitur sequebatur*, idq; non tam noctu, quam meridiano tempore; eodem enim modo, quo de signo Constantini ostento refert Nicephorus, S. Idem Ignatius Solem nouo syderi chorum duxisse narrat, & ex antiqua traditione confirmat D. Ioannes Chrysostomus Homel. 6. in Matthæum, cum ita de Magorum Stella loquitur. *Neque enim in nocte cernitur, sed lucente prorsus die, ac sole fulgente*.

De tempore orti syderis pariter inter se interpretes, sacrique Chronologi digladiantur, & varij in varia distrahuntur. Nonnulli biennio ante Domini ortum apparuisse volunt, alij eodem, quo Saluator natus est tempore, primum Magis visum, alij vel biennio post. Nos qui Commentaria non elaboramus, non statim, ac natus est Dominus, Reges Orientales Ierosolymam profectos arbitramur, sed saltem labente anno, facilèque eorum sententiã admittimus, qui non nisi post natum Dominum sydus eiusdem Natiuitatis prænuncium refulxisse opinantur, quòd hæc interpretatio magis consona videatur Euangelicæ literę, & reliquis prodigijs, quæ natum Dominum ostenderunt. Est verò expressa D. Augustini sententia Sermone 4. de Epiphania, vbi eodem die Natalis ortum sydus fuisse docet; & ante ipsum D. Cypriani opinio fuit. Is enim, siue quis quis sit grauis aũctor homelię de Stella, & Magis, Stellam Arabibus comparuisse affirmat, non multo post, ac in Iudæa Pastoribus gaudium fuerat annunciatum. *In Iudæa à Pastoribus, & Angelis primò sunt hæc gaudia celebrata, nec multo post Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Sabbæ præclari Stellæ lumine cæleste numen nouis splendoribus indicauit*. Non enim antequam in lucem editus esset diuinus puer, Angelus loquutus est ad Pastores, quos Dei claritas circumfulsit, neque ante facta est cum Angelo multitudo cælestis militiæ, vt futuram Natiuitatem prænunciaret: Sed nato iam Domino hæc omnia de Cælo prodigia loquebantur. Insuper neque Magi de nascituro Domino inquirebant, sed vbi iam natus esset, quia viderant Stellam eius, iam nati Regis Iudæorum prænunciam. Ratio verò, qua ante natũ Puerum ortum sydus in Oriente fuisse, sibi aliqui ex veteribus Patribus suadebant, & D. præsertim Chrysostomus, erat, quòd longitudo itineris alioquin puerum in præsepe inuenire vetaret. *Si enim*, inquit, *quando Puer natus est in Palestina, tunc illis Stella apparuisset in Persida: plurimum in itinere tempus terentes, nequaquam illum adhuc in pannis inuenire potuissent*. Nulla autem necessitas videtur nos cogere, Magos, sicuti Pastores, in Præsepe puerum adorauisse pannis inuolutum,

lutum, quinimo potius ex Euangelio constare videtur, Magos Dominum inuenisse, non in præsepe, *sed intrantes Domum*, in qua non pannis inuolutum veluti pastoribus Angelus indicauit, *infantem positum in præsepio*, sed *puerum* cum Matre eius, eumque non Brephon, hoc est fœtum recèns editum, vt habet Græcus Lucę codex de Pastoribus, sed Pędion hoc est puerulũ, vt habet Mattheus de puero à Magis adorato. Ex longitudine verò itineris, quam ex Persíde, & extremo oriente, docet ibidem D. Ioannes Chrysostomus adueníse sapientes Reges, arguitur potius, non statim, ac natus esset Iesus in Bethlehem venire potuisse, & multo magis, vt ipse addit, *si tam vasto à se terrarum spatio* separatum quidem Regẽ adoraturi Magi veníssent, vt ipse ait Homel. 6. in Mattheum *totum prorsus circumeuntes orbem*; & insuper aliud miraculum addere necesse foret, puta non tantum syderis in Oriente prægressã visionem, qua admonerentur nasciturum Dominum *Vidimus Stellam eius in Oriente &c.* Sed alium in itinere nuncium, qui iam natum esse reuelaret, vt de nato, non nascituro Rege Magi possent inquirere.

Aptior igitur, & ad Euangelicæ Historiæ veritatẽ propinquior, eorum Patrum videtur sententia, qui insequentem, vel sequentes annos Magorum adorationẽ reijciũt, vt Ammonius Alexandrinus profitetur in Armonia, quæ sub Tatiani nomine prostat, dum aduentum Magorum post tempus illud reponit, quo iam in templo præsentato puero, parentes eius, perficiẽtes omnia secundũ Legem Moysis, reuersi fuerunt in Galilæam quẽ vetustũ scriptorem eodem ordine sequitur; Iuuencus antiquus Presbyter. Pro hac etiam sententia Eusebius producitur, cum Origene in Catena Græca, Sed manifestissimè id scripsit Eusebius in Chronico, vbi tempora exactè rimatur, & diligentius rem perquisiuisse existimandum est. Ibi enim D. Hieronymo interprete anno secundo Christi seu 44. Augusti narrat, quòd *Herodes cum Christi natiuitatem Magorum indicio cognouisset, vniuersos in Bethleem parvulos iussit occidi*. Negat Salianus numero 13. in Græco codice, quem edidit Scaliger, hæc apud Eusebium haberi, & potius ea esse Hieronymi interpretis, Sed neque hoc minoris ponderis esset, tum ex D. Hieronymi ipsius auctoritate, tum quòd ex antiquis ille aliqua addere profitetur. Hanc eamdem sententiam aliquando sequutus est D. Augustinus Homel. 7. in Epiph. quãuis alibi nõ longè à Domini Natiuitate, in ipso præsepe Diuinum Infantem adorauisse Magos Orientales scripserit. Expressè verò Sanctus Epiphanius, non modo obiter ita existimauit hær. 20. contra Herodianos, & hæresi 30. sub finem, sed data opera Hæresi 51. dum chronologiam annorum Herodis retexuit; ex illis enim educit Mariam, & Ioseph cum Puero memoria gratia eorum, quæ in Bethlehem facta fuerant, primo anno perfecto, & secundo impleto veníse à Nazareth. *Non enim*, inquit de Magis, *inuenerunt Mariam in spelunca vbi peperit, sed velut Euangelium habet, in domo*, & infra *Trigesimo tertio enim anno Herodis nascitur Christus Dominus, Trigesimo quinto venerunt Magi*. Quæ vel ex Eusebij chronico hausit, vel cum eodem concordare apparent. De annis vtique Herodis hic disputare non est animus, quòd intricatissima res sit, & inter recentiores agitata, nec longiorem hanc controuersiam locus, vel instituti patiatur. Sufficit mihi pro re nostra ostendere probabissimum esse, non ante annum, siue primus is fuerit, siue secundus, aut tertius, Orientales Magos in Iudæam aduenisse, quòd Martyrologium nostrum Innocentium puerorum cædem, post Magorum discessum subsequtam, tertio die à Domini Natiuitate recensear, decimotertio verò Magorum aduentum, quæ eodem prorsus anno, si talis ordo seruetur euenire nequaquam potuerunt. Monuimus equidem nos alibi Lectores nostros, dies Ecclesiæ alicui solemnitati dicatos, non ita certum argumentum esse, quòd in illam ipsissimam diem mysterium illud inciderit,

ciderit: at nisi de eiusdem diei translatione, aliquibus coniecturis aliundè, constet, neque temerè contrarium esse asserendum existimamus. Salianus ex Maldonato, & Suares ad Annũ Mundi 4053.n.25. Ecclesiæ Romanæ iudicium esse statuit, eodẽ anno Magos in Palestinam profectos, quo natus est Dominus, quia tredecim tantum dies inter natiuitatem, & Epiphaniam intercessisse consentiat. At, ni fallor, Ecclesia in opinionem, quòd annus saltem interceserit, propendere potius videtur, quam secus. Conuenire enim simul nequit, vt præcedat Innocentium festum ad aduentum Magorum, & Magi ante eædem Innocentium aduenerint, nisi saltem annus interfluxerit; & tamen Innocentium festum ante Epiphaniam recolit Ecclesia. Probãdũ igitur primũ erat, Epiphanię festum in sextum Ianuarij diẽ nõ esse translatũ, vel de trãslatione suspicari nõ posse. Græci equidẽ, tã in Menologio Sirleti, quam Basilij quarto Cal. Ianuarij Innocentiũ memoriam agunt, postquam Magorum adorationem 8. Cal. Ianuarij seiunctim, sed eadem die cum Domini Natale recoluerint: Romanum verò Martyrologium cum Beda, Vsuardo, Adone, ac reliquis Latinis, præpostero à Græcis ordine, prius Innocentium eædem, quam Magorum aduentum veneratur, quamquam Græci in Menologio Basilij eadẽ 25. Decembris in Communione Angelicæ monitionis de fuga in Ægyptum clarè doceant, ideò Herodem delusum à Magis imperasse, vt Bethlehemitici pueri, à biennio nati iugularentur, quia *tantum temporis à Christi Natiuitate intercesserat*. Salianus vbi supra, aliique nonnulli sacri interpretes idcirco statuunt, eodem anno, ac post natum Dominum breuissimo interuallo, Magos Reges Hierosolymam adueniisse, quia vox illa ab Euangelista apposita *Ecce* significet, statim nato Christo veniisse, & quasi superueniisse natiuitati. At rè vera illud *Ecce*, non tantùm de statim successiuo tempore interpretari potest, quàm de repentino Magorum aduentu. Mirandum enim aliquid enarrans Euangelista, & inopinato eueniens, rectè voce illa *Ecce* vti debuerat. Nil enim magis insperatò Herodi accidere poterat, quam Magorum aduentus, siue Græcam, siue Latinam interpretationem sequi maluerimus; Syriaca siquidem Historia *Ecce* illud non exhibet. Sanè aduerbium *Ecce* Grammaticis inopinatum quid sonat; Vnde Donatus ad Terentij Phormionem inquit: *Ecce autem vox est apta his, quæ noua, & improuisa animo accidunt*. Quid autem magis inopinatum non Herodi tantùm, sed Iudæis omnibus, quãm Magos, vel Reges Barbaros, ex postremis Orientis regionibus ad Herodem, & Ierosolymam, eiusdem regiam sedem, proficisci, postulantes de nouo Rege? Ad Herodem autem illud *Ecce* referri ostendunt ipsius Euangelistæ verba illa, *Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis, Ecce &c.* Videtur enim Matthæus non in id intendisse, vt Domini natiuitatem per minutas narrationes describeret, sed tantùm eamdem accidisse in diebus Herodis regis, vt ad reliqua ab eo perpetrata, Christique in Ægyptum fugam viam sterneret. Rem igitur pluribus rationibus mirandam, quæ pueris Innocentibus trophæum, Christo verò Domino exilium parare debuerat, ob oculos propositurus, rectè à demonstratiua particula exorditur, quæ auditoris, aut lectoris attentionem excitaret. Nec desunt etiam plura coniecturarum momenta, quæ suadeant, aduentum Magorum in Iudæam tardiùs euenisse, quam pueri Iesus in templum præsentatio. Si enim Magi perquirentes natum Regem, paucis ante Simeonis occursum diebus, Hierosolymam accessissent, & inde orta Vrbis tumultuatione, vt Herodi regnanti nonnulli adularentur; attentiùs de puero in Bethleẽ ex eorũdẽ vaticinijs naturo inquisiuisset, quemadmodũ probabile est, quã to magis ex occulto Magorũ discessu turbatos ciues, & Herodem ipsum versipellẽ, & regnandi iuris superomnem malitiam consultissimum, opinandum est, sedulò in

puerum agnoscendum incubuisse? Non enim vel Magi, qui sapientes putabantur poterant existimare facilè decipi, neque vti rem leuioris momenti, quod illi percunctabantur, negligere debuerant, præsertim quia ex eorum aduentu, & instantijs, Herodes non minus turbatus fuerat, quam omnis Ierosolyma cum illo? Quid autem facilius commotis ciuibus erat, quam rumores de nato puero Bethlehemitico, prodigia prope Hierusalem pastoribus ad inuicem narrantibus, assequi. Equidem, vt D. Iustinus antiquitùs testatur ad Triphonem, & recentius Brochardus, Bethleem non amplius, quam triginta quinque stadijs, aut duobus leucis à Hierusalem distabat, quod spatium parum quatuor milliaria nostra excedit. & Pastores à se visa nequaquam conticuerant, *sed omnes, qui audierant, mirati sunt de his, quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos.* Concedamus verò hæc à Pastoribus vulgata, tam Herodē, quam Hierosolymitas reliquos neglexisse, vt pote à plebeis, ignarisque hominibus initio dicta, dum non adhuc Magi, siue Reguli, siue Reges fuerint, in suspicionem eosdem de nato puero inquirentes adduxissent: Sed postquam turbata est ciuitas eorundem aduentu, quid facilius aures iam suspicioſi Herodis, curioſi vulgi, aut malignantium Scribarum poterat attingere, quam Annam, propalam in templo confitentem Dominum, prophetasse, & palam loquutam fuisse de puero *omnibus, qui expectabant redemptionem Israel*, omnibus inquam Iudæis, quia omnes Christum venturum expectabant? Quid Herodi regnanti adulantibus promptius occurrere poterat, quo sibi eundem deuincerent, quā ea nunciare, quę de oblato Bethlehemitico puero enunciauerunt Simeon Sacerdos, & Anna Prophetissa, quæ non discedebat de templo? Quid verò facilius, quam Puerum comprehendere, ad Herodem adducere, vel occidere? Minus verò probabile videtur Magorum discessum protrahere in tempus illud, quo Iesus sisteretur in templo: post secreta nimirum Herodis colloquia, post Concilium Sacerdotum, & Scribarum. Sanè non ità rationabile videtur, post noui Regis metum, tot dies ab Herode transigi potuisse, in tanta Bethlehē vicinitate, quin de puero scisciteretur, & quid Magi meditarentur ignorare prorsus velle, simul cum reliquis Iudeorum primatibus, quos hæc rimari expediebat: maximè vulgata ex sapientū Concilio, & refricata memoria, Christū in Bethlehem Iudæ naturum esse? Sin verò Magi ante oblatum in templo Puerum, inscio, & deluso Herode discessissent, quantò longior esset tēporis contiuentia, & quantò minus eiusdem callidæ iracundiæ congrueret? Cupidus erat regnandi Herodes, & vt Iosephus lib. 17. cap. 10. adnotauit, *crudelis quidem in omnes æqualiter; ira subditus, & insitia verò efferatus.* Infantis regnaturi, siue cum ipso ignoto, aliorū innocentiū cædē, inusitatū facinus, non ita erat, vt in re simili Romanus Senatus non præluxisset. Ante annos enim circiter sexaginta Cicerone, & Antonio Coniss. rumor increbuerat *Regem populo Romano naturam parturire*, & Senatusconsulto cautum fuerat, *vt nemo qui eo anno natus esset educaretur*, vt ex Iulio Maratho narrat Suetonius in Augusto cap. 94. Timere hinc non debuerat Herodes infanticidium, quod Romanis legibus non reputabatur iniquum, & in ipsorum exemplo de noui regis rumore inquirere, & infantem etiam cum alijs tollere, sine rubore potuerat; ita vt quod deinde executus est in Bethlehemiticos infantes à bimatu, iecundum tēpus, quod exoriretur a Magis, sub Romani Principis cēsura, ex maiorum instituto non oderet. Omnem verò ab Herode negligentiam in regnandi metu tollere videtur diligentia, quam signanter Euangelista notauit, *diligenter ab eis didicit tempus stellæ*, & quod Magos Bethlehem non tantum ire permiserit, sed veluti coegerit, *& mittens illos in Bethlehem*. Hæc quidem ex parte Herodis minus congruum reddunt, ante oblationem pueri in templum, aduentum Magorum, & eorū discessum inci-

incidisse. Sunt aliqua ex parte, tum nati pueri, tum parentum, quæ idem prohibere videntur. Etenim si iam Maria, & Ioseph munera accepissent à Regibus, vix excusari potuissent à lege purificationis, quæ Leuitici 12. iubebat, offerri Agnũ, & pullum Columbæ, siue Turturem, nisi offerens ita pauper esset, vt Agnum emere non valeret, & illius loco teneretur largiri duos Turtures, vel duos pullos Columbarum, quemadmodum cap. 2. Lucæ parentes Iesus, *hostiam par turturum, aut duos pullos Columbarum*, argumento paupertatis, obtulerunt. Poterat ne Aurum oblatum à Magis ex thesauris suis, ita tenue esse, vt ad victum plurium dierum non sufficeret, & ad emendum agnum pro purificatione Matris non valeret? Quomodo occisis iam in Bethlehem infantibus cum delusum se vidisset Herodes, à discessu Magorum, tam liberè ex ipso oppido Bethlehem potuissent filium parentes eius in templum offerre? Aut igitur fatendum est non statim, ac se delusum sensit Herodes, infanticidiũ Bethlehemiticum mandasse, quod in Rege iracundissimo, & iuris regnandi zelotypo vix credibile est, aut omnino aduentum Magorũ post oblationem, & purificationem incidisse statuendum est, & anno sequenti, si die sexta Ianuarij Christum Dominum adorauerunt. Equidem eodem anno, sicut omnibus sequentibus, Lucæ cap. 2., Hierusalem, & proximam Bethleem reuerti potuerant Maria, & Ioseph; *Ibant enim parentes eius per omnes annos in Ierusalẽ*. Quid facilius, tùm ad mysterij magnitudinem recolendam, tùm ad natale vtriusq; solum reuisendum, in tanta Hierusalem proximitate, quàm Bethlehem diuertere? Neque enim, legum obseruantissimi Maria, & Ioseph, semel tantùm in anno puerum deferebant Hierusalem sub Paschali tempore, vt in mysterio disputationis cum doctoribus innuit Euãgelista, sed tripliciter in anno iuxta legem cap. 16. Deuteronomij. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui &c.* nempè, vt ibi, exprimitur in solemnitate Azimorum, Hebdomadarum, & Tabernaculorum. Quid ni etiam ex deuotione in Encenijs, quòd festus dies absolutè dicitur in Euangelio, quando hyems erat? Potuit ergo Maria cum filio esse primo, vel secundo anno Bethlehem, vt anniuersarium Dominicæ Natiuitatis celebraret, & eadem die, qua natus est, ibidem à Magis monstrante Stella venerari, & post tres dies, deluso Herode, clam discedentibus Magis, Infanticidium perpetrari, primo, vel secundo anno recurrente.

Ecclesia certè Græcorum, tam in Menologio Sirleti, quam Basilij, vt diximus, aduentum Magorum die 25. Decembris post Natalem Domini, sed eadem die celebrant, & Infantium cædem die 29; latina verò Ecclesia, & si in secundam natiuitatem transtulit Epiphaniæ, seu Magorum solemnitatem, adhuc tamen in tertia diei Natalis Missa Euangelium aduentus Magorum ita legit, vt quodammodo innuat eadem die mysterium accidere potuisse. Nec improbabile est Romanam Ecclesiam, diem octauo Idus Ianuarij, Baptismo, Nuptiarum prodigio, & Magorum adorationi, hoc est triplici Christi triumpho aptasse, vt Romanos à solemnitate profana auerteret. Celebris enim dies erat, vt Orosius adnotauit lib. 6., ob triplicem Augusti triumphum, vt celebris quoque exindè apud Christianos fieret ob triplicem Domini gloriam, nempè Barbarorum Regum, & gentium adorationem, Diuinę in Baptismo filiationis testimonium, ac ex mutatæ aquę prodigio glorię suę Manifestationem. Probabile tamen est, Occidentis Ecclesiam à prima Domini Natiuitate in secundam transtulisse, quòd anniuersaria celebratione seiunctim venerandum esse decreuerit. Et si enim D. Augustini tempore in Ecclesia Africana, & in Romana S. Leonis ætate, die à Natiuitate diuerso, Magorum aduentum fuisse celebratum appareat; non ita tamen certum erat, Magorum aduentum, seu Infantis adorationem in eam diem sextam Ianuarij incidisse, quinimo

locus

locus dubitationi relinqueretur. Ita D. Maximus Taurinensis, Sanctis Ioanni Chrysostomo, & Augustino ferè coæuus Homel. 7. de Epiphania videtur his verbis innuere, quæ parum distant, ab his quæ habet D. idem Augustinus serm. 29. de Temp. *& quamquam nonnulli hodie Dominum Nostrum Iesum Christum, Stella duce, venientibus ab Oriente Magis æstiment adoratum, alij autem asserant eum aquas in vinum mutasse, quidam verò Baptizatum illum ab Ioanne confirment, in omnibus Dei filius creditur, in omnibus est nostra festivitas.* Facilè autem accidere potuit, sextam Ianuarij diem, in qua ante Iulium Pontificem (vt exercitatione de die Natali Domini ostendimus) plures Dominicam Natiuitatem recolebant, Magorum adorationi præcipuè dicari cæpisse, quamquam id non in omnibus statim Ecclesijs fuerit pro eadem solemnitate receptum. Ita suadere potest D. Augustinus serm. 4. de Epiph. in cuius initio nouam hanc vocat per vniuersum Orbem solemnitatem. *Hodierni diei per vniuersum mundum nova solemnitas, quid nobis afferat festivitatis, quidue anniversaria repetitione commemoret, anniversario quoq: sermone tempus admonet, vt loquamur.* Id verò ex eo confirmari videtur, quòd paulum superiori D. Ambrosij ætate non adhuc videretur in Ecclesia Mediolanensi susceptum, cum in omnibus Homelijs, quæ de Epiph. prostant, D. Ambrosius de Baptismo quidem Christi, ac nuptiarum primo prodigio luculenter loquatur: de Magorum verò adoratione nequaquam sub illa die meminisse videatur. Vetustatem tamen huius celebritatis, idem S. Maximus Homel. 6. videtur attestari, & eodem die, quo Baptisma Dominicum, ac mutatę aquæ in vinum Miraculum ab Ecclesia Latina recoleretur, Magorum etiam aduentum festa solemnitate repeteret. *Nam sicut posteritati suæ fidelis mandauit antiquitas, hodie Saluator humani generis, cælestibus ostensus indicijs, à Chaldæis est adoratus &c.* Ex trina enim eiusdem diei celebritate dubitari nequit, iuxta morem Occidentalis Ecclesiæ, de secunda natiuitate, seu Epiphaniorum die omnino sermonem haberi. De hac etiã secundæ natiuitatis solemnitate loquutum esse putarem D. Augustinum serm. 14. de tempore, dum natum, & adoratum à Magis Dominum eadem die, ita videtur affere, *& generans virginitas Mariæ ab Angelis est hodie collaudata, & lactans Virginitas Mariæ per Stellam de cælo est indicata, & Magorum muneribus est honorata.* Non tamen prorsus constat sexta semper Ianuarij die, tam in Græca, quam Latina Ecclesia eiusdem Sacramenti memoriam renouari consueuisse, quòd D. Hieronymi ætate dies potius quinta, quam sexta eidem muneri deputaretur. Ita apertissimè videtur docere cap. 1. Commentariorum in Exechielem ad verba illa. *In quinta mensis &c. Quintam autem diem mensis adiungit, vt significet Baptisma, in quo aperti sunt Christo Cæli, & Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est, non vt quidam putant natalis in carne &c.* Ex quibus elici potest, à quinto die Ianuarij in sextum ab Ecclesia, post D. Hieronymi ætatem, Epiphaniorum diem fuisse translatum. Dubitari tamen potest, an eodem sæculo in Romana Ecclesia festum Epiphaniæ immediatè Natalę Domini celebritatem subsequeretur; ità vt quinta die Ianuarij secunda Natiuitas recoleretur, & Epiphania deinde in sexta. Ansam dubitandi præbet S. Leo, qui sermonem primum de Epiphania his verbis exordiatur. *Celebrato proximo die, quo intemerata virginitas humani generis edidit Saluatorem, Epiphaniæ nobis dilectissimi veneranda festivitas dat per seuerantiam gaudorum.* Quasi festum vnum ad alterum proximè consequeretur. Nec magis liquet, an pariter Innocentium puerorum memoria, post primam Dominici Natalis celebritatem, ab Ecclesia iugiter ageretur. Coniecturæ, quod affirmari possit, locum dedit Origenes Homel. 3. in diuers. initio nempe sacri anni, post Domini Natiuitatem, primitias Martyrum venerari consuetisse secundum ordinem San-

do-

ctorum, ita enim habet Origenes. *Quique parvuli, & ad memoriam aeternæ laudis à beato Euangelista in Sancto Euangelio conscribuntur, horum & memoria semper, vt dignum est, in Ecclesia celebratur, secundum integrum ordinem Sanctorum*, hoc est, vt interpretandum videtur, secundum integrum, qui sequebatur, Sanctorum ordinem. Et quamquam ignotum sit, an immanis carnificina puerorum vnica die in Bethleem, & eius finibus compleretur; Herodis tamen furori, ac suspicioni consonum magis videtur, vnica die, à multis militibus hùc, illùc directis, absolutam fuisse. Si quis verò in diem illum ipsum incidisse, quo & nunc Ecclesia recolit, omninò velit, non pugno. At meminisse oportet, eodem anno hæc nequaquam accidere potuisse, assignato puerorum Innocentium festo in die 28. Decembris, & Magorum adoratione in sexto Ianuarij, cum Magorum aduentus omninò puerorum cædem præcesserit.

Non statim à discessu Magorum Innocentium cædes.

Hæc fortasse vidit Eusebius, & cum eo D. Hieronymus in chronico, & vbi supra S. Epiphanius, siue id ab Egesippo, siue ab Africano, siue ab alijs, iniuria temporum deperditis sacris, ac vetustioribus Chronologis, acceperint. Hi enim non modo Magorum aduentum in vnum, aut alterum annum post Domini Natalem transtulerunt, sed Innocentium cædem, non statim perpetratam fuisse à discessu Magorum, sed postquam omnino cognouit Herodes, se ab ijsdem illusum. Putant aliqui non statim, ac cognouit callidus Rex occultum Magorum discessum, se delusum credidisse, & infantes interfici præcipisse; sed post aliquod temporis spacium videlicet, vsquæad Purificationis festum, cum rumor Pueri Bethlehemitici, ex verbis Simeonis, & Annæ increbresceret: quæ sententia Baronio doctissimo, & Saliano in Annalibus placuit. At sicuti tempus aliquod interfluxisse concedimus, ita post Simeonis occursum, non modo Innocentium cædem, sed & Magorum aduentum accidisse profitemur, nescientes interim quomodo oculatissimus Baronius, qui festum Innocentium antiquissimum in Ecclesia probat, in hoc, tam à Romano Martyrologio, quam à cæteris latinis dissentiat, quòd cædes Innocentium non 28. die Decembris mensis, sed post purificationis celebritatem accidisse doceat ad annum 1. num. 41. hoc est omnino post quadragesimum diem à Dominica Natiuitate, & Februario, vel Martio, nisi tacitè consentiat inter Magorum adorationem 6. Ianuarij, & puerorum cladem 28. Decembris annum ferè integrum interfluxisse. Nititur quidem Baronius eidem probabili coniecturæ, quã ex Abulensi etiam Salianus suscepit, ideo non statim, ac sensit Herodes Magos illo insalutato discessisse, in iram conuersum, quia eos putauerit conspectum, & Vrbem Regiam declinasse pudore suffusos, tanquam natum Regem non inuenerint, & dilapidatis sumptibus, ac irrito labore se populorum irrisioni obijcere noluisse. His adderem, magis probabile esse, ideò adulatores Herodi suadere potuisse deceptos Magos, quia tardiùs natum Regem requisijssent, Herodem nempè ipsum, quem aliqui pro Rege, & Messia promisso prædicabant, ac inde ortã narrat D. Epiphanius Herodianorum hęresim. At longior hæc foret conniuentia, quam supra adnotatam ab Euangelio diligentiam, callido, & crudeli Regi conueniat. Non enim minus probabile est, versipellem, solicitumque Tyrannum inquirere non voluisse, quid Magi illi, aut Barbari Reges, ita insalutato discedentes de nato puero in suas regiones retulerint; cumque inuenisset per nuncios natum Iudæorum Regem vbique ab ijsdem prædicari, tum delusum in iram exarsisse, & in Infantium cædem à bimatu, & infra iuxta tempus, quod exquisierat à Magis, raptum zelo regni fuisse. Neque enim desunt Patres, & Auctores, præcipuè Chrysostomus, qui à Bethlehemitica domo Magos exijsse magistros, & prædicatores doceant, quamquam ex Herodis regno clanculum discessisse concedat

dat Homel. 6. & 7. in Matthæum. Vel primo igitur anno, vel secundo incipiente, vt probabilius existimarem, verisimile est Magos aduenisse, & quinta vel sexta die Ianuarij Dominum in Bethlehem adorasse. Ad finem verò eiusdem anni Herodem paruulos iussisse interfici, quod inter Patres Eusebio, & Prospero Aquitano in integro Chronico, quod nuper edidit Labbæus, placuisse video; qui cum ex instituto in temporibus, rebusque per annos digerendis, sicuti maius studium impenderunt, ita maiorem fidem mereri videntur. Eusebius quidem siue S. Hieronymus, qui Eusebij Chronicon, quà interpretatus est, quà ex antiquis scriptoribus auxit, anno 44. Augusti, tam Magorum aduentum, quam infantium cædem retulit, non ita tamen, vt eodem secundo anno, Magos Hierosolymam peruenisse, & statim paruulos necatos esse velit, sed infanticidium sine temporis restrictione recensuit anno illo, *cum iam Herodes Christi Natiuitatem Magorum iudicio cognouisset*, hoc est eodem anno, cuius postremis diebus feritatem suam in Innocentes euomuit. In hanc sententiam Eusebius alter cõcessit, siue sit Emisenus, siue Eucherius, qui inter Homelias Albini Flacci iussu Caroli Magni collectas ita inquit. *Sed quare à bimatu, & infra? Quia secundum Magorum responsionem huius ætatis esse sciebat. Præoccupatus enim alijs negotijs, cum iam bene duo anni transijssent, & Magi ad eum non reuerterentur, se illusum esse intelligens, his pueros occidere iussit.* Addit his Prosper Aquitanus, expresse id in Eusebij chronico deficiente, quòd Herodes *biennio post morbo interutis aqua, & scatentibus toto corpore vermibus miserè, sed dignè moritur.* Sunt qui existiment, ideo Herodem necem Infantium in secundum annum distulisse, quia Romæ tunc absens fuerit, quod fortasse Emisenus voluit. Sed negat Baronius doctissimus anno 1. n. 48, neque primum, neque secundum iter Herodis Romam, in hoc tempus incidere potuisse. At in tanta de annis Herodis discrepantia, quanta penes recentiores est, sicuti tutum affirmare non existimo, Herodem primo Christi Domini anno Romam ad Cæsarem diuertisse, ita neque negare necessarium. Petauius equidem diligentissimus temporum censor Rationarij parte 1. lib. 4. cap. 22. paucis ante obitum annis filios Alexandrum, & Aristobolum, falsis ab Antipatro fratre criminibus circumuentos, Herodem occidisse ex Iosepho educit, quibus iam ad mortem damnatis, non tamen irrogata adhuc nece, Romam ad Cæsarem concessisse idem Iosephus lib. 16. cap. vltimo auctor est. Si enim probari posset, eodẽ quo Christus natus est anno, Romam Herodem perrexisse, palam etiam esset aduentum Magorum, & Infantium Bethlehemitarum cladem cum Eusebio in sequẽtes annos fore referendam, quod his relinquimus disceptandũ, quibus in re difficillima otium non minus, quã optimorum codicum copia sufficiat. Id profectò si conuinceretur plana omnia essent, quæ de Magorum ad Christum venientium tempore, ac Innocentium puerorum carnificina coniectantes adduximus, quæ si à sacris literis, aut Ecclesiæ sententia vllo pacto dissentire contingerit, indicta omninò esse volumus.

In Africa Fori, Iocundi &c. Plures sub Seuero anonymos Martyres habet Romanum Martyrologium in Africa, quos ex Pamelij obseruationibus Baronius putat esse eos, quos Sarmenticios, & Semaxios vocauit Tertullianus, hoc enim tormento perijsse addit idem Martyrologium, quamquam, nec Vsuardus, nec Ado, nec Galesinus, aut Maurolycus meminerint, Hieronymi Martyrologiũ Antuerpiẽse supra adductũ addit Telesphorum, & pro Foro Florum legit, sed Forum habent codices nostri, & itẽ Forũ repetit Corbeiense, ac m.s. Reginæ Sue-

cix,

ciæ, vt Fori omninò legendum sit. Iuliũ verò, Honorium, Antoninum non in Africa, sed alibi palmam consequtos esse, distinguit cum Martyrologio Antuerpiense Notkerus, qui cum Corbeiensi, & nostro consentit in Africanis Martyribus, nec Thelesphorum exhibet.

Apud Syrmiam Anastasij. Cum Syrmij Anastasiam nostrum Martyrologium die 25. Decẽbris indicauerit, anceps fui, an hic illius repeteretur memorie, & Anastasiæ legendũ esse. Sed quia Anastasij etiam constanter legit idem Hieronymi martyrologium apud Bollandum, nil muto. In Syria, & Anastasiæ meminit hac die Notkerus. Antuerpiense deprauatum est, & pro Syrmia legit *apud Firmianũ*. Corbeiense cũ nostro consentit.

In Antiochia Passio S. Iuliani, & Basilissæ. Plura de duobus his Sanctis Virginibus coniugibus, ac eorum socijs cõgerit Bollandus ad diem nonam Ianuarij. Dum interim in martyrologio Hieronymi Antuerpiense non Antiochiæ, sed in Antio passio eorũdẽ corruptè exhibetur; idẽ tamen in India Celsi, & Iuliani memoriã cum nostro recolit, Corbeiense addit Antoninum, nisi errore librarij repetatur Antoninus ex socijs Honorij. MS. etiam Reginæ Sueciæ cum nostrò tantum habet. *In India Iuliani.*

In Ciuitate Rhedonis &c. S. Melanij Episcopi natalis, seu mors ex eius vitæ scriptoribus hac die celebratur, qua obijsse fertur ab anno 530. ad annũ 549. Ex superadditis Martyrologio nostro esse nõ dubito, & de eo videndi Saussayus, & Bollandus.

VII. Idus Ianuarias.

IN Nicomedia Luciani Presbyteri, qui quatuor partibus factus est. In Militana Ciuitate Natalis Polioeti. In Eraclea Felicis, & Ianuari. In Græcia Polecosten. Palladi. Candidæ. Alio loco Poliasti. Faloronis. Candediani. Euoti.

IANVARII 7.

IN Nicomedia Luciani, &c. Nil hìc aliud addere expedit, quam ex elogio S. Martyris apud D. Hieronymum cap. 77. de scriptoribus Ecclesiasticis, passionem huiusmodi confirmare. *Passus est*, inquit, *Nicomediæ ob confessionem Christi, sub persecutione Maximini, sepultusque Helenopoli Bithyniæ.* Modum passionis, & miranda sepulturæ reliquiarum, ita addit Notkerus. *In quatuor partes dissectus est, quibus in singulis lapidibus ligatis, & in mare demersis, alia die Helenopoli Bithyniæ integrum corpus, cum ipsis lapidibus inuentum honorificè sepultum est.* His consentiunt plura m.s. martyrologia apud Bollandum. Inter Martyres Antiochenos Lucianum refert Eusebius lib. 8. cap. 25. & lib. 9. cap. 5. qui ex Antiochia in Ciuitatem Nicomediensium S. Martyrem translatũ, in qua tùm Imperator commorabatur, ibìque in carcere coniectum, & trucidatum habet. Cum verò non exprimat modum, quo trucidatus sit, non pugnat cũ Martyrologio nostro, à quo in quatuor partes dissectum traditur; varijs tamen tormentis in carcere, non dissectum in quatuor partes, sed fame ferè necatum obijsse, post diem Theophanorum, habẽt eius Acta apud Simonem Metaphrastem; quæ tamen in mare deiectum consentiũt, & auulsã à corpore dexterã manũ compagi corporis redditam, non negant. D. quoque Chrysostomus post diẽ solem-

nem Baptismi Domini, siue Epiphaniam, agi S. Luciani Martyris festum apertè docet: ab Actis apud Metaphrastem dissidens, quod fame necatus in carcere, nequaquam in ea verba animam effuderit, *Christianus sum*; Sed ea verba in pluribus tormentis edixisse. Postquam enim fame penè mortuum, Idolothytis S. Athletam deijcere impij tentarunt, iterum ad tribunal deduxisse narrat, & noua adhibuisse tormenta, in quibus, ijsdem verbis diaboli caput cõterens, animam Deo dignam efflauerit. Vnde, quamquam D. Ioannes Chrysostomus non doceat, in quo præcipuè tormento certamen cõsummauerit, cum tamen Antiochenus Episcopus de Antiocheno Martyre, non admodum à suis temporibus dissito, diuersa ab Actis Simonis Metaphrastis doceat, quam fidem illa contra Martyrologium nostrum mereantur, ostendit. De Delfino tamen ad fauces sinus Nicomediæ corpus Martyris deferente meminit Philostorgius lib. 2. cap. 13., qui eodem loco Helenã Constantini matrem Ecclesiã ædificasse narrat, nec elegisse *locum illud haud aliam ob causam, quam quòd Lucianus Martyr, ibi post mortem martyrio obitam, à Delphino depositus fuisset.* S. Athanasius ferè coæuus, de S. Luciani certamine, & martyrio sub Diocletiano, & Maximiano meminit in Synopsi Sacræ scripturæ, vbi cum S. Hieronymo catholicum virum existimat, quamquam S. Epiphanius *Hæresi quadragesimatertia*, dum eum purgare intendit ab imposita hæresi Pauli Samosetani, contra Lucianistas in suspicionem Arianæ hæresis traducit. Etenim non modo hũc S. Lucianum, quem Iuniorem vocat, *Arianos dixit inter testes* citare, sed hæc addit. *Erat enim etiam hic Lucianus, recens inquam Arianorum hæresi addictus, de quo postea in ipsius subuersione dicemus.* Sed quia forte ipse Arianorum res pertractans non inuenerit deinde Lucianum re vera Ario adhæsisse, seu potius opinioni ex Origene defluxæ, & ab Ario vulgatæ, nil de eo addit Epiphanius cõtra Ariomanitas hær. 69. præterquamquòd Eusebius Nicomediensis, deinceps Arianorum antesignanus, cum Luciano in Nicomedia conuixerat. Cum verò S. Epiphanius perfunctoriè de Luciano cõtra Lucianistas agens, nullam rationem de Luciani hæresi Ariana adducat, nisi quod discipuli eius, Eusebius Nicomediensis, & alij deinceps cum Ario in hæresim lapsi, se vocarent Collucianistas, & in Synodo Antiochena Ariani formulam fidei ediderint sub Luciani nomine, non hinc aliud infertur, nisi Arianos laborasse ad propriam sententiam fulciendam, vt S. Martyrem auctorem falsi dogmatis efficerent, quod Nicephorus adnotauit lib. 9. c. 5. vt scilicet *amplitudine Martyris suo scripto celebritatem vindicaret.* m. s. Reginæ Sueciæ ad nomen Luciani hęc addit *Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri, & Martyris, qui quatuor in partibus diuisus est, & in Mari præcipitatus.* Antuerpiense nihil habet de martyrio Luciani, sed dũ addit Lucerium Diaconũ Antiochenum, *silet* Enotum hoc pacto. *VII. Idus. In Nicomedia Luciani Presbyteri, & in Antiochia Lucerij Diaconi. In Melita Ciuitate Poliuecti. In Eraclea Felicis, & Ianuarij, & in Grecia Spolicosti, Pallada, Candida. Alio loco Polianti, Filonis, Candida.* Parum, & in aliquibus tantum nominibus, differt a nostro Corbeiense Martyrologium hoc pacto. *VII. Idus Ianuarij. In Nicomedia Luciani Presbyteri, qui in quatuor partes demersus est. In Melitana Ciuitate, Natalis S. Polioctti, Candida. In Heraclea Ciuitate Felicis, & Ianuaria. In Gracia, Ciuitate Policostini, Palladij, Candida. Alio loco Polianti, Filoronis, Candidiani, Enthici.*

In Militana Ciuitate &c. In Militana Ciuitate habet apud Bollandum martyrologium Hieronymi, quod ante Polioctum recenset, Antiochiæ Lucerium Diaconum, quem repetitum fatetur etiã ijsdem verbis xv. Ianuarij, vbi & nostrũ propalam exhibet. In Martyrologio quidem Romano Clerus Diaconus Antio-

tiochiæ recenſetur, cũ quo Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, alijq; recentiores conſentiunt, quamquam alia manuſcripta martyrologia à Bollando allata, alia Bilicerium, alia Licerium, vel Lucerium dicant. Sed qui ſequitur in Militana Ciuitate, ſeu potius Militena Armenię minoris Vrbe, quamquam in eodem martyrologij Hieronymiani ſpecimine ſub Polieĉti, non Poliaĉti nomine in Præfatione generali indicatum viderim, non tamen explicatum inueni ad ſeptimam diem Ianuarij.

In Heraclea Felicis, & Ianuarij. Horum omnia ferè martyrologia meminerunt, & Romanum præcipuè. Benè hìc & alibì Bollando ſit, qui Biuarij, & conſimilium fabulas non audit.

In Gracia Polecoſten Palladij, Candida. ex his m. ſ. Reginæ Sueciæ exhibet tantum. *In Gracia Palladium.* Martyrologiũ paruum m. ſ. S. Hieronymi Lucenſis binos martyres exhibet, alijs non memoratos, neque indicato loco. *VII. Idus Iuliani, Venantij.* Corbeienſe nomen *Polecoſten, vel Policoſtini* pro Græciæ Ciuitate habet, ſed mihi prorſus ignota. *Spolicoſti* legit Antuerpienſe nulla Ciuitatis mentione addita.

Alio loco Poliaſti &c. Hos tres facile eſſe exiſtimarem, quos Bollandus ad xi. diẽ Ianuarij exhibet ſub nomine Polyeĉti, Candediani, & Philoroni, qui ex martyrologio Tornacenſi igni traditi ſunt, et quorum Acta idem ex Bibliotheca Velſeri exhibet, præſertim quòd in Actis illis, ſeu potius Homelia nullus dies paſſionis ſignetur, quòd ab hac die in vndecimam trahat. Videnda ſunt quę dicimus ad diem 14. Februarij.

VI. Idus Ianuarias.

IN Græcia Ruſtici. Phiſti. Timothei. Iocundi. Raditis. Lucі. Petri. Flori. Tili. Fori. Anaſtaſiæ, & alio loco Satthei. *Auguſtoduno depoſitio Beati Egemoni Epiſcopi.*

IANVARII 8.

VArium, & ſupra noſtrum abundans Martyrologium Antuerpienſe hic fatendum eſt. Ita enim diem hunc ſignat. *IV. Idus in Gracia Euĉti, Ruſtici, Piſſai, Timothei, Secundi, Lucij, Felicis, Ianuarij, & in Brundiſio Leuci, & in Sirmis Anaſtaſi, Iocundi, Ratitis, Petri, Flori, Tilis, Floriani, Tacia, & alio loco Rathei. Auguſtoduno, depoſitio Egemoni Epiſcopi.* ſuſpicatur hìc iurè mendum Bollandus, & ſatis rationabiliter librarij, vel incuriam, vel inſcitiam, qui ex ſuperiori die, In Græcia Pelecoſten, vel vt Notkerus habet Spolicoſtum, hìc in Euctum commutauerit, & ſocium dederit ex eodem ſuperiori die Palladium, quem ibi Palladam dixit. Notkerus cum Timotheo, & Ruſtico, Iocundum Græciæ tribuit non Syrmij, vt facile omnes Martyres, qui in noſtro ſimul numerantur, Græciæ tribui debeant: cum in nullo alio Martyrologio Syrmij aſſignari videã, & Corbeienſe ita ferè cum noſtro conſonet. *VI. Id. Ian. In Gracia Ruſtici, Phiſei, Timothei, Iocundi, Ratitis, Lucij, Petri, Flori, Anaſtaſij, & alio loco Sathei, Marci. In Gallia Ciuitate Bellouacus, paſſio Sanctorum Luciani, Mariani, & Iuliani Martyrum. Auguſtoduno depoſitio B. Ægemonij Epiſcopi.* Exhibentur hìc ſupra noſtrum Marcus Sathei ſocius, & Martyres tres Bellouacenſes. Calendarium, ſeu paruum martyrologium S. Hieronymi exhibet tantùm

VI. Idus in Gratia Timothei, & aliud Calendarium m.ſ. vetuſtum Canonicorũ Lucenſiũ *VI. Idus S. Seuerini Presbyteri.*

Et alio loco Satthei. Ratheum legit martyrologium Antuerpienſe, vel Patheum, vt habet Bollandus, quod, & Brunduſij Leucium exhibet, quem tamen ad diem XI. Ianuarij idem Bollandus remiſit, tanquam hic minùs opportunè repoſitum.

Auguſtoduno Depoſitio B. Egemoni. De hoc Ferrarius in Catalogo Sanctorũ, & Sauſſayus in martyrologio Gallicano. Meminit S. Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſorum, qui Epiſcopatum tenuiſſe docet poſt tres Sanctos Viros Ritieium, & Caſſianum, & ante Beatum Simplicium. Septimum inter Auguſtodunẽſes Epiſcopos ſtatuit Damochares, & ex eo Claudius Robertus, ſicut ietiam Galeſinus ex martyrologio manuſcripto in ſuum repoſuiſſe fatetur; meminitque eiuſdem Maurolycius, Rabanus, & alia m.ſ. martyrologia, quæ Bollandus profert. Hunc quamquam ad calcem huius laterculi poſitum ſuſpicari liceat ex additis eſſe, cum tamen S. Caſſiano, qui fuit Germano Epiſcopo Antiſiodorenſi, vel coeuus, vel ſenior ſucceſſerit in Epiſcopatu, iam ſub Valentiniano, vel antea floruiſſe dicendum eſt. Eugemonium Epiſcopum vocat m. ſ. Reginæ Sueciæ.

V. Idus Ianuarias.

IN Affrica Epictati. Iocundi. Quinti. Secundi. Saturnini. Vitalis. Item Quinti. Felicis. Artaxis. Fortunati. Ruſtici. Selli. Quieti, & aliorum VII. Martialis. Saturi. in Smirna Reuocati. Firmini. Poſſeſſoris. Saturnini.

IANVARII 9.

TOT Sanctorum in Affrica Martyrum, nõ modo integra acta perierunt, ſed rudium librariorum culpa, & nomina in varijs codicibus fuerunt immutata. Differt martyrologium Antuerpienſe S. Hieronymi in aliquibus hoc pacto à noſtro *V. Idus in Affrica Epicteti, Quinti, Secundi, Iocundi, Saturnini, Vitalis, Quinti, Vincenti, & Felicitatis. Item Quinti, Felicis, Artaxis, Furtunati, Rufaci, Silli, Quieti, & aliorum ſex, Marcialis. In Smirna Reuocati, Firmi, Poſſeſſoris, Ianuarij, Saturnini*. Corbeienſe martyrologium parum à noſtro variat, & tantummodo ita in Smyrnenſibus Martyribus. *In Smyrna, Renocati, Firmi, Stilli, Poſſeſſoris, Ianuarij, Saturnini, Saturi*, dum in reliquis omnino conuenit. Martyrologium m.ſ. Reginę Sueciæ legit in Affrica *Epicteti, Iocundi, Quinti, cum alijs decem*, quos noſtrum nominatim recenſet, additis cum Corbeienſe, & Romano Anonymis ſeptem, non ſex, vt exhibet martyrologiũ Antuerpienſe. Neque Bollando hìc eruditiſſimo facilè aſſentior, qui vnum ex ſocijs illis ſex, vel ſeptem anonymis Pictum putat, cum Saturnino in Affrica exhibitum à Kalendario m.ſ. S. Maximini Treuerenſis; ex ſocio enim Saturnino apparet Epictatum eſſe, vel Epictetum in Pictum, vel decurtatum, vel deformatum. Ad Epiſcopales infulas illum Pamelius, & ex eo Baronius coniectura ſublimant, hoc eſt Epiſcopum Aſſuritanum putant, paſſum ſub Decio, ſed nulla alia coniectura, qui quòd fratrem vocauit Cyprianus Epiſt. 64. Hanc non probauit Holſtenius, & vt falſam reiecit in notis poſthumis ad mar-

ty-

tyrologium Romanum ex Actis Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis. His autem Martyribus ea aptanda putat omni iure, quæ adducit Baronius ad diem sextum Ianuarij de Christianis viuicomburio in persecutione Seueri consummatis, ex indubitata eorum actorum fide. Et iam Vir Doctissimus in Epistola, quam ad me dederat monuerat, ex Actis ijsdem vetustissimis, Iocundum, Saturninum, Artaxium viuicomburio arsisse, Quintum in carcere Martyrem exijsse mẽse Ianuario: alia que ex Tertulliano, & D. Augustino addit, quę videnda omnino sunt ad calcem nostræ primæ Admonitionis, & in Actis Sanctorum Perpetuę, & Felicitatis inter opuscula ipsius Holstenij posthuma.

Martialis, Saturi. Enumeratis Affricanis Martyribus iam dictis, septemque anonymis in fastis nostris, hi duo adduntur. Horum primus est Martialis, quem tamen Bollandus reiecit in prętermissos, & addit quòd aliquibus Kalendarijs S. Martialis Virgo dicta sit, & fortè eadem, quæ S. Marciana; Saturus verò nullibi apud eum extat. An hi verò, qui Smyrnę passos addit martyrologium nostrum, ac Corbeiense, & in nominibus aliquibus cum socijs Perpetuæ, & Felicitatis, ideſt Reuocato, Saturnino, Secundolo, & Saturo Nonis Martij, ex ijsdem vetustissimis Actis Sanctorũ Perpetuæ, & Felicitatis, recoluntur, dubitari potest, nè qui ex ijsdem in martyrologiũ transtulit, aliquantulum confuderit, etsi locus, & nomina varia varios Martyres esse suadeant

In Smyrna Reuocati &c. An confusa hæc sint, quamquam copiosiora nomina Smyrnensium Martyrum Bollandus exhibeat, ex pluribus, tam editis, quam m.ſs. Martyrologijs dubitari iure potest. Sanè Vitalem, & Fortunatum inter Martyres Affricanos, iam in nostro, & Corbeiensi vidimus numeratos. Galesinus ex m. ſ. pariter martyrologio Vitalem Episcopum, Reuocatum, & Fortunatum, Diaconos Smyrnæ passos refert. Vvandelbertus simul numerat Quintum, Vitalem, Fortunatum, & Reuocatum, nec vbi passi sint explicat. Martyrologium paruũ nostrum S. Hieronymi ex his binos tantum Martyres exhibet, loco indistinctos, & D. Basilium addit, qui ex alio codice per antiquo S. Basilius Confessor est. *V. Idus Sanctorum Fortunati, Reuocati, S. Basilij.* A nostris ergo codicibus, & Corbeiensi non discedimus.

IV. Idus Ianuarias.

IN Affrica Reuocati. Firmi. Iusti. Possessoris. & aliorum duo. Romæ in Cimiterio Via Appia Calesti. Et depositio Miliadis Episcopi. In Affrica Saturi. Vitaliani. Felicitatis qui quorum gesta habent Astatis.

Ia-

ITerum hìc aliquam iam dictorũ in Affrica Martyrum nomina repetuntur, & iterum de corruptis fastis conqueri possumus. Nam martyrologium Hieronymianum Bollandi in laminis editum ita legit, *In Affrica Reuocati, Firmi, In Icta Possessoris, & aliorum duorum. Roma in Cameterio Calliſti Via Appia depositio Miltiadis Episcopi. In Affrica Saturi, Vitaliani, Felicitatis .... Quinti, Artatus.* Sed nomen Iusti, quẽ nostrũ martyrologiũ exhibet ĩ Affrica nõ indicata Vrbe, in Antuerpiensi deprauatũ esse videtur, & pro Iusto ĩ Irta repositũ, nisi vt Bollãdus coniectatur, potius legendũ esset in Cirta, seu Cirtæ Vrbe Numidiæ.

Roma in Cameterio &c. Legendum omnino est in Cæmeterio Calliſti Via Appia librarij errore, qui particulam et abundanter intrusit. Rectius, vt vidimus Bollandi martyrologiũ, & ablato hoc minimo errore prorsus cum nostro consonans, sicuti & Corbeiense, præter quam quòd pro Iusto, Nirthum habet. *IV. Idus Ian. In Affrica Reuocati, Firmi, Nirthi, Possessoris, & aliorum duorum. Roma in Cameterio Calliſti Via Appia depositio Melciadis Episcopi. In Affrica Saturi, Vitaliani, Felicitatis, Quinti, quorum gesta habet Artasius.* Non me latet de die obitus Miltiadis Pontificis aliter sentire Baronium, nimirum quòd ea die obierit, quo in Romano martyrologio signatur, die nimirũ x. Decẽbris; sed ita facilè apud antiquos Scriptores in numerorum notis errores irrepierunt, vt non ita facile reda rgui nostrum Martyrologium possit. Sub hac die x. Ianuarij Notkerus, Vvandelbertus, & complura m.ſs. martyrologia apud Bollandum confirmant. M.S. S. Cyriaci apud Holstenium in notis Margin. ita hac die habet. *Eodem die Roma Natalis Melziadis Episcopi, & Cõfessoris, & aliorum duodecim*, consonant m.ſs. Reginę Sueciæ quæ habent *IV. Idus Ian. Roma depositio Melciadis Papæ.* His addimus Abbonem Floriacensem, qui vitas Pontificum nono sæculo concinauit, & qui ita de Melchiade scripsit. *Sepultus est in Cameterio Calliſti via Appia IV. Idus Ianuarij*, dies ergo decima Decembris in Romano martyrologio notata potuit esse translatio, quæ in nostro non Melchiadi, sed Damaso dicatur. Consonat pariter cũ Vetustiori nostro quartum Bucherij opusculum antiquum, seu Index Pontificum Romanorum ad Canonem Paschalem Victorij p. 272. Vbi habetur Miltiadem sedisse, *ex die 6. Nonas Iulias à Consulatu Maximiano VIII. solo. quod fuit mense Septembr. Volusiano, & Rufino vsque in III. Idus Ianuarij, Volusiano, & Anniano Consulibus*, & insuper antiquissimum Romani martyrologij fragmentum penes eundem Bucherium *Quarto Idus Ianuarij Meltiadis in Calliſti*. Subintellige Cæmeterio, & vide diem 6. Nonas Iulij, quo die in nostro eius memoria repetitur.

In Affrica Saturi, Vitaliani &c. Bollandus nomen Saturi pro Vrbe in Affrica non Martyre legit ad hanc diem, eiusque vt vidimus martyrologium, seu Antuerpiense post Felicitatem addit, Quintum, & Arctatem. Nostrum tribus numeratis Martyribus, siue omnium, siue Felicitatis tantũ gesta haberi notet, addit Astatium, qui an vel Notarius Actorum fuerit, vel alius scriptor ignorare me hucusque fateor. Corbeiensis vetustus Codex, qui Eusebij, vel Hieronymi martyrologium continet, Actorum, vel notarium, vel compilatorem Artacium addit, vt edidit Dacherius. Ita ex varijs lectionibus illius Codicis cum nostro à me interpellatus transmisit ex Galliapiæ memoriæ vir Doctissimus Raffael Dvfresnius. Acta hæc facilè ea esse possunt, quæ Vir clarissimus Lucas Holstenius ex Affricanis vetustissimis membranis elicuisse aliquando ad me scripsit, & post mortem amicissimi Viri Romæ edita sunt,

III. Idus Ianuarias.

IN Alexandria Petri. Seueri. S. Leuci Confessoris. & Absolami quorum gesta habentur. In Affrica Pirolomi. Donati. Augustini Saluij. Felicis. Donati Presbyteri. Ingenui. Quinti. Ianuari. Saturnini. In Spanijs Vincenti. Tegenti. Donati Presbyteri. Flori. Zemini. Pausalmi. Eugeni. Victoris. Stephani. & aliorum XII. Et depositio Hortensi Episcopi.

IANVARII 11.

ET in hoc laterculo meliorem codicem nostrũ existimarẽ, quã Antuerpiensem, cum quo notabilis intercedit differẽtia. Seuerum enim post Petrum illud nõ exhibet, & pro Absolamo Alolamum profert, & gesta eorum haberi silet. In Affrica pro Pirolamo Philosomum indicat, pro Ingenuo Eugenium, & relictis Donato, Augustino, Saluio, Felice, & Donato Presbytero, numerat tantum in Affrica, cum duobus primis, Quintum, Ianuarium, Saturninũ, ac Vincentiũ, qui inter Hispanos nouem in nostro numeratur, dum illud Donatum, Augustinum, Saluium, Felicem, Donatum Presbyterum ab Affricanis Martyribus segregatos Hispanis accenset, & Victorem non exhibet. In reliquis cùm nostro, mutato nonnihil ordine, consentit. Ita verò, tam in specimine à Bollando in generali præfatione adducto, quam in Laminis Antuerpiensibus expresso, continetur. *In Alexandria Petri Lencii .... Confes: & Alolami. In Affrica Filoromi, Eugeni, Quinti, Ianuary, Saturnini, Vincenti. In Spanis Agenti, Donati, Augustini, Salui, Felicis, Donati Presbyteri, Flori, Zemini, Pa, ti, Pausalmi, Eugeni, Stefani, & aliorũ XII. & depositio Hortensi Episcopi.* Propriùs ad nostrum Martyrologium, ita accedit Corbeiense. *III. Idus Ianuary In Alexandria, Petri, Seueri. S. Leuci Confessoris, & Assolami, Quinti. In Affrica Philoromi, Ingenui, Quinti, Ianuarij, Saturnini, Vincenty. In Hispanijs Augenti, Donati, Augustini, Saluy, Felicis. Item Felicis, Donati Presbyteri, Flori, Zemini, Pausalmi, Eugenti, Victoris, Stephani, & aliorum duodecim, & depositio Hortensis Episcopi.* Additur hìc supra nostrum Quintus inter Martyres Africanos, dubium an librarij redundantia, & Vincentium Africæ, non Hispaniæ tribuit, sicuti alios ex Africanis: inter quos tantum m.s. Reginę Suecię cum nostro numerat Saluium.

Petri Seueri &c. Martyrologium per breue Richenouiense antiquissimũ, cuius fragmẽtum pariter in Præfatione producit Bollandus, legit *in Alexandria Petri Absalmi*. Hinc memor quod Eusebius Cæsariensis lib. 8 cap. 20. hoc die *vndecimo nempe Andonai. 1. ad tertium Idus Ianuary*, Petrum, qui Absolamus dicebatur, Religiosum, vel Monachum per ignem fidem excelso animo probasse refert, suspicabar hìc pro Alexandria legendum esse Eleutheropoli, vnde originem ducebat, vel Cesareæ Palestinæ, vbì passus erat; sed nuda nominis coniectura, in tanta Martyrum segete, nihil innouandum putaui. Quamquam enim & nostrum, & alia martyrologia Absolamum cum Petro associent, non vtique vti agnomen, sed vt Martyrem distin-

distinctum ponunt; dum in nostro mediat Seuerus,& Leucus Confessor,in alijs saltem Leucus. De Petro Seuero, & Leucio,quorum gesta habeantur, agunt hac eadem die Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, Maurolycus, Galesinius, quos omnes, sub vno Confessorum titulo agnoscunt; sed cum nostrum Leucio tantũ Cõfessoris nomen tribuat,alios fuisse M.S.Martyres cum Baronij martyrologio suscipimus. M. s. Reginę Succiæ omittit inter Alexãdrinos Petrũ,& Seuerum, tantum S. Leucium Confessorem enumerans.Omnia ferè edita martyrologia eorum gesta inueniri asserunt,sed nemo etiam ex recentioribus producit.

S.Leucii Confessoris. Quamquam hìc Alexandriæ Confessorem fuisse dicatur, attamen ad Leucium Brundisinum trahitur. Bollandus Doctissimus ex Antuerpiensi, vt vidimus,martyrologio ad 8.diẽ Ianuarij, legit, *& in Brundisio Leucii*, quod in nostris codicibus, & Corbeiense deficit. Alexandrinæ Ecclesiæ primò Archipresbyterum fuisse deinde Episcopum, habent Acta S. Leuci Brundisini diffusiora apud eundem Bollandum, quę in pluribus emendatione indigent. Persecutionem passum esse in Ægypto narrant, deinde profectum in Italiam, Brundisij Episcopum, in pace quieuisse. An idem Brundisinus cum nostro sit,non decerno, tùm quòd ille in Antuerpiensi martyrologio diuerso die recolatur,tùm quòd hìc Alexandriæ,non Brundisij Cõfessor asseratur, tam in codicibus nostris, quam in Corbeiense. Et quamquam in Actis illis dicatur, S. Leucij solemnitatẽ celebrari 3. Idus Ianuarij, & q illa dies dormitionis fuerit affirmetur in Vita ex Breuiario Capuano;attamenquia in pluribus tam m. s.quã editis Martyrologijs Alexandriæ cum socijs, Petro, & Seuero tribuatur, eundẽ esse Brundisinum,& hìc indicatum Alexandrinum, vix crederẽ. Confessorem in martyrologio nostro dici, quòd proter fidem passus aliqua sit, non tamen in tormentis obierit, facile concederem, qui & Martyr etiam dici posset. S.Gregorius lib. 9. Ep. 73. Leucium Martyrem vocat, Ecclesiam quinto ab Vrbe lapide habuisse innuit; ex reliquijs tamen Brũdisio ad eãdẽ Ecclesiam translatis, Brundisinum Leucium aliqui Martyrem illum fuisse conuincunt. Sed ille in recentiori operũ D. Gregorij editione non Leucius, sed Leontius dicitur, quemadmodum,plura martyrologia, & antiqua aliqua m. s. Leontium hac die memorare, notat Bollandus. Nonnulla edita martyrologia verba illa, quæ post Absolamum addit martyrologium nostrum, ad Leucium subnectunt. *Quorum gesta habentur*, nihilque de Absolamo proferunt.

Absolami. Alolami habet m.s.Hieronymi apud Bollandum, qui eundem putat, cum Petro Balsamo, siuè Absolamo, cuius gesta profert ad diem tertium Ianuarij, & ex martyrologio Rhinouuiensi legit hac die idem XI.Ianuarij *Petrus Absalmus*. At si idem sit Petrus Balsamo, siue Anselamus, vel Abselamus corrigenda essent alia martyrologia, quæ idẽ adducit ad diem tertiam Ianuarij ex Eusebio, qui non tertio Ianuarij, sed tertio Idus refert. Potuit autem in nostro librarij iniuria facilè vox aliqua omitti, vt vel Eleutheropoli, vel Cesareæ, vel cum Eusebius dicat, quòd Petrus alio nomine Absalamus diceretur, Petrus potuit cum Leucio, & Seuero agonem consumauisse Alexãdriæ Absolamus verò,qui & Petrus hìc tantũ adnotari potuit seiunctus à Petro, & legendũ tũc esset. *Et Absolami*, quasi dictum esset, & alibi Absolami. At cum Petrus hic constanter passus sit Alexandriæ, ille verò Cesareæ, diuersos potius esse existimarem, & ne confusionem cum Petro Alexandrino ingereret,qui martyrologiũ cõcinnauit, secũdũ tantùm nomen retinuisse putarẽ, & pro Petro Absolamum reposuisse; locus verò Martyrij, potuit non explicari, vt in multis contigisse patet.

Saluj. Nullibì magis patet sinceriores, minusque deprauatos esse codices nostros ad vetustissimum Antuerpiẽsem con-

comparatos, quam in hoc laterculo, in quo iam diximus Martyres aliquos Africæ ablatos fuisse, & Hispaniæ assignatos. Hoc manifestè in Saluio appareret, quem perperam aliqui in Syluium mutant, vel in Syluanum, vt paruum nostrum martyrologium S. Hieronymi. *III. Idus. In Cartagine S. Syluani.* Saluium enim insignem Africæ, & Cartaginensem Martyrem, ex omnibus ferè martyrologijs, & ms. etiam Reginæ Sueciæ hac die fuisse constat, in cuius natali, sermonem habuisse Augustinum, notat Possidius in Indiculo, & ex eo Vsuardus, & Ado, Vvãdelbertus quoq; ità cecinit.

Saluius hinc trinas Kartagine consecrat Idus.

Depositio Hortensij Episcopi. Nil de hoc Sãcto Episcopo, præterquam in Hieronymi, & Hibernico martyrologio, inuenisse fatetur Bollandus; Corbeiense addere possumus, iam supra indicatum. An fortasse Orientius Episcopus, quem Vsuardus recolit 5. Maij, & Ferrarius 15. Martij? vel an cum reliquis Africanis athletis recensendus? Martyrologium Rhinouiense pro Hortensio habet Gregorium Episcopum.

II. Idus Ianuarias.

IN Achaia. Cyriaci. Morcẽti. Saturi. Ciuitas Arabiæ, quod trãsiens ante templum cuiusdam Idoli, insufflans cum signasset fronte, corruit, tenentes eum ibidem obseruantes duxerunt ad Ducem, & indicantes factum decollatus est. In Affrica Zotici. Castuli. Quinti. Rogati. Modesti. Ebiciani. Caretici. Castolini. In Ægipto Fironio. Zotici. Castuli. Petri. Auentini.

IANVARII 12.

DEficiunt in martyrologio Hieronymiano Antuerpiense, quæ hìc de Saturo adduntur, tantum hæc habet. *Pridie Idus. In Achaia. Cyriaci, Muscenti, Saturi. In Affrica Zotici, Castolini. In Ægypto Philoroni, Zotici, Castoli, Petri, Auentinæ.* Dubitare hìc iurè liceret ea, quæ de Saturo adduntur, in nostro ex alijs recentioribus martyrologijs translata, & addita vetustioti fuisse, cum alioquin stylum potius nomenclaturæ retineat, & nunquam ferè de Actis Martyrũ aliquid addere soleat. At in vetusto codice Corbeiense, de quo supra, eadem adamussim verba continentur, & legit martyrologium illud cum nostro *Saturi Ciuitas Arati, quod transiens ante templum &c.* quæ verba cũ sequentibus Dacherius, tanquam superaddita, ex edito ab eodem codice remouit; prostare tamen scio, & aliquibus annis ante Dacherij editionẽ, penes me ex illo codice, scripta manu Rafaellis Drufresnij, inter plures varias lectiones retineo. Vt obiter doleam, Virum doctum in editione martyrologij Hieronymiani Corbeiensis curare maluisse, vt emendatũ ex Antuerpiensi prodiret, quã neuis antiquæ scriptionis maculatum emicteret, vt fortasse mecũ plurimi optauissent. Sanè nisi Vsuardus, aliaque martyrologia prodigium insufflati Idoli, Satyro, vel Saturo tribuerent, vt etiam ms. Corbeiense suspicionẽ suprascripta verba induxissẽt, ne Morcentio, siue Moscẽtio adscribendũ potius foret, ac ita legendum. *In Achaia Cyriaci, Morcenti Satula Ciuitate Arabiæ, qui transiens ante templum &c.* Sa-

tulam esse Ptolæmeo Ciuitatem Arabiæ felicis notissimum est. Sed cum Beda excusus, & plurima sub Vsuardi nomine mss. martyrologia, ac præcipuè Ado legant *apud Asphaiam Natale S. Satyri Martyris, Ciuis Arabia*, sicuti etiã retinet m.s. S. Martini Tornacensis apud Bollandum, emendandum potius nostrum ex Adone existimaui, quia Ado suum ex hoc vetustiori lucupletauerit, vt in Præfatione fatetur, & in nostris codicibus Adoni m.s. Hieronymianum hoc succenturietur. Ex illo igitur ita emendari posse credidi, nisi quis cũ Dacherio narrationem prodigij superadditam ratus, remouendam omnino potiùs putaret. *In Achaia Cyriaci, Morcenti, Satyri Ciuis Arabia. Qui transiens ante templum cuiusdam Idoli insufflans illum, cum signasset sibi fronte corruit. Tenentes eum &c.* Quia verò negari nequit, improprie satis aliquem dici Ciuem alicuius Prouinciæ, vel Regionis, vt Arabiæ, quòd ab Vrbe, vel Ciuitate ciuis appellandus sit, alij Satyrũ ab Achaia remouerunt, & tribuerunt Arabiæ. Ita vetera quædam m. ss. apud eũdem Bollandum solum Cyriacum in Achaia referunt, sicuti & Vvandelbertus, abeodem Bollando correptus. restituens pro *Izachia, & Achea*.

Plebs & Achaa suũ pridie recolit Cyriacũ. Notkerus pariter loco disiungit Cyriacũ à Satyro hoc pacto. *In Achaia Cyriaci. In Ægypto Philoromi. In Arabia Saturi, qui transiens &c.* quod repetit Rabanus. Paruum nostrum S. Hieronymi tantùm habet. *In Achaia Cyriaci* II. Idus; sicuti ms. Regine Sueciæ. Romanum. S. Cyriaci m. L. *In Achaia Cyriaci, Mosanti, Saturi.*

In Affrica Zotici &c. In his omnibus Africanis martyribus conueniunt nostri Codices cum Corbeiensi Dacherij, quinta parum mutatis nominibus habet. *Pridie Idus Ian. In Achaia Cyriaci, Moscenti, Saturi. In Africa Zotici, Castuli, Quinti, Rogati, Modesti, Ebiciani, Caretici, Castolini. In Ægypto Philoromi, Zotici, Castuli, Petri, Auentini.* Aliqua nominum differentia intercedit etiam cũ codice Treuirensi apud Bollandum, qui pro Ebiciano habet Biuianum, pro Caretica, Carotinum. In m.s. Dungallense legitur Ebicianus, vt in nostro. Non omnes hos Martyres numerat Romanũ martyrologium, quamuis se Baronius restituisse hæc nomina ex veteri m. s. profiteatur: Vereri tamen quis potest, ne Corona quadraginta militum, ex die sequẽti hic minùs congruè addatur.

In Ægypto Phirony &c. Philoromum legit Bollandi Hieronymianum martyrologium ex duobus Codicibus, & pro Auentino Auentinam; sed Auentinum cum nostro habet Corbeiense, & Philoromum legendum esse consentio.

Idus Ianuarias.

IN Affrica Ingenui. Vincenti. Satij. Felicitatis. in Campania, Neapoli Cyriaci. Cimini. Zotici. Erisi Clasceri. Felicis. Zarij. Romæ Secundi. Via Latina Corone Militum XL. & alibi Quoscomo. Eononis. Pictauis depositio S. Hilarij Episcopi, & Confessoris.

IANVARII 13.

NOVEM damus ex martyrologio noſtro laterculum in minimis tantùm à Hieronymiano Antuerpiénſi differt; ſiue in poſtremo ſpeciminis fragmento, ſiue apud me in laminis. Nulla autem exiſtit differẽtia, niſi quòd pro Claſcero Glicerio legit, & pro Zario Ianuariũ hoc pacto. *Idus in Africa Ingenui, Vincenti, Satti, Felicitatis. In Campania Neapolim, Zotici, Heriſi, Gliceri, Felicis, Ianuarij. Romæ Secundi. Via Lauicana Corona Militum XII., & alibi Quoſquomo, Enonis. Pictauis depoſitio S. Hilarij Epiſcopi.*

In Africa Ingenui &c. Horum Martyrum ſine loco Paſſionis meminit m. ſ. Hybernicum. Alij ex mendoſis codicibus horum aliquos cum ſequentibus Neapolitanis martyribus confundunt. Rectiùs Corbeienſe martyrologium in quo ad Africanos Martyres Modeſtus additur, ad Romanos Rogatum, malè verò in edito Dacherij, Quoſquomus in eos & Quomum ita diuiditur. *Idus Ian. In Africa Ingenui, Vincentij, Satty, Felicitatis, Modeſti. In Campania Neapoli Cyriaci, Cimini, Zotici, Eriſi, Clereri, Felicis, Ianuarij. Romæ Secundæ, Rogati. Via Lauicana Coronæ, Militum quadraginta: & alibi eos, Quomo, Eononis. Pictauis depoſitio S. Hilarij Epiſcopi, & Confeſſoris.* Supra noſtrum additur in Corbeienſi *Ambianis. Innentio Sancti Firmini Epiſcopi, & Confeſſoris*, quę recentius appoſitum non dubito. An Dacherius pro Zario ex Antuerpienſi reſtituerit Zarium ignoro. Ianuarium re vera habet etiam m. ſ. Hibernicum apud Bollandum.

In Campania Neapoli Cyriaci &c. Neque hos Martyres Neapolitani faſti recenſent, quòd adhuc ſcire potuerim; nec diligentia Antonij Caraccioli in Sacris Neapolitanis monumẽtis eos nobis ſuppeditat; Narrant ſanè S. Sebaſtiani Martyris Acta multa Chriſtianorum millia B. Caij Papæ monitu, duce Chromatio, ad Campaniæ littora ſeceſſiſſe. Bis mille quingentos nonaginta ſeptem necatos per diuerſa loca Campaniæ ex m. ſ. codice Fundanæ Eccleſiæ elicit, qui ſupra Caracciolus. Sed hos Neapoli præcisè Martyres fuiſſe non conſtat, quamquam ciuitas illa inter litorales Campaniæ Vrbes numeretur. Triginta & ſex Sanctorum Martyrum ſinè nomine corpora in Monaſterio S. Gaudioſi Neapoli requieſcunt; In S. Paoli maioris ædibus quinquaginta, & duo; In Eccleſia verò Sanctæ Mariæ de Salute extra Vrbem antiquiſſima, & olim S. Gaudioſo dicata, Corpus adhuc S. Cyriaci Martyris colitur, vt in Neapoli ſacra Cæſaris Eugenij Caraccioli video obſeruatum; ſed hunc Roma allatum, habet inſcriptio anni 1656. relata à Carolo de Lellis parte 2. Sacræ Neapolis.

Romæ Secundi. Nonnulli Secundinum vocant, Secundinam appellat Bedę m. ſ. Bauaricum, & cum eo Notkerus, qui ſimul cum quadraginta Anonimis Secundinam, & Coronam iungit, hoc pacto. *Romæ Via Lauicana, Secundinæ, Coronæ, & militum Quadraginta ſub Galieno Imperatore.* m. ſ. Florarium apud Bollandum cum noſtro martyrologio concordat, & cum pluribus Coronam appellatiuè ſumit. Galeſinius addit, Coronam martyrij genus eſſe, hoc eſt ſecuri percuſſos milites illos obijſſe, ſicuti, & Petrus de Natalibus. Quia verò omnes Via Lauicana palmã adeptos habent, in noſtro Lauicanam in Latinã, librarij vitio, mutatam eſſe fateri oportet.

Et alibi Quoſcomi. Quirionem legit Bollandus cum m. ſ. Florario. Corbeienſe in duos martyres corruptè vocem diuidit. Quoſquomum habet eiuſdem Antuerpienſe adductũ Hieronymianum martyrologium, parua cum noſtro differen-

rentia, quemadmodum in Enone, quem Eononem vocat.

Pictauis depositio S. Hilarij &c. Hunc sui temporis Confessorem appellat D. Hieronymus lib. 17. Comment. in cap. 61. Isaiæ: & in Psal: 58 Beatum Antistitem, & inter procellas mundi magnum sustentatorem Ecclesiæ. Confessorem proprio dicto vocabulo appellat eum Cassianus lib. 7. de Incarn: c. 24. & inter procellas persecutionum ita immobilem perstitisse, vt per inuictæ fidei fortitudinem etiam Confessoris ceperit dignitatẽ. Idibus Ianuarij migrauit in Cœlum, vt plurima habent martyrologia, & eius Acta; quamquam varijs causis eiusdem celebritas, vel in sequentes, vel alios dies reiecta sit. Mortuus est Pictauiæ, Valentiniano, & Valente regnantibus, vt lib: de script: Eccl. testatur D. Hieronymus.

XIX. Kal: Februarij.

IN Antiochia Cleti Diac. de antiquis, multis tormentis passi, & in Mare mersi. In Africa Pauli. Successi, Victorini, Saturi, Missoris, Geronti, Lucriti, Ianuari, Floridi, Teucosiæ. Nola Campaniæ passio S. Felicis, & Alibi Depositio Beati Eufrasi Episcopi.

IANVARII 14.

IN Antiochia Cleti &c. Lucerium non Cletum appellat martyrologiũ Antuerpiense in laminis ita expressum. XVIIII. Kal. Febr. *In Antiochia Lucerij Diaconi, & in Africa Paoli, Successi, Victorini, Saturi, Misonis, Zeronti, Luctiri, Januarij, Florida, & Theucosia. Nola Ciuitate Campaniæ Sanctorum Felicis, & depositio Euphrasi Episcopi.* Cletum tamen nostrum legit, Clersi verò Corbeiẽse, quòd ita se habet, *XIX. Kal. Febr. In Antiochia Cleri Diaconi de antiquis multis tormentis passi, & in Mare mersi. In Africa Paoli, Successi Victorini, Saturi, Messoris, Gerontis, Lucriti, Ianuarij, Florida. Teucosia: Nola Campaniæ S. Felicis, & alibi depositio Euphrasi Episcopi.* Notkerus non Cletum, Clerum, aut Lucerium, sed Glicerium appellat cum alijs infra adductis mss. Quòd verò Diaconum de Antiquis dicant, intelligi potest, siue ex antiquis Diaconibus à temporibus Apostolorum, siue ex antiquis martyribus. Ex primis septem Diaconibus, equidẽ Cletus non fuit, quòd ijsdẽ in Actis Apostolicis numeratis nõ accensetur. Et quamquam Stephanus, tamquã Diaconus Iacobo Episcopo Hierosolymitano ministrauerit, notat tamen Oecumenius illos septem non fuisse electos Diaconos iuxta gradum, qui nunc est in Ecclesia, sed Diaconos fuisse nuncupatos, hoc est ministros, vt omni cum diligentia distribuerent Viduis, & Orphanis ex cõmuni poenu eleæmosinas; quãquam Baronius pluribus argumentis doceat, hoc eorum prçcipuum munus non fuisse, sed sacræ potius mensæ ministrare. Potuit tamen electus non ex primis septem Diaconibus esse, sed vel ex his, qui vel primis successerunt, vel primi in Ecclesia Antiochena fuerunt. Potuit ex antiquis martyribus esse, iuxta modum loquendi Eusebij Cæsarienſis, qui sus de martyribus opera, partim de antiquis, par-

partim de recentioribus inſcripſit ; Et antiquos illos videtur Martyres intelligere, qui ante perſecutionem Diocletiani fuerunt, vt aliàs animaduertimus. Clerum non Cletum legit Bollandus etiam cum martyrologio Romano 7. die Ianuarij. Antuerpienſe verò non modo Lucerium Diaconum ijſdem penè verbis repetitum VII. Idus Ianuarij, iterum hac ipſa die recenſet, ſed & tertiò inculcat ſequenti XVIII. Kal. Febr. vt par eſt credere Antiquarij vitio, qui hac die 14. Ian. pro Cleto, ſeu Clero Luceriũ repoſuerit. Cũ Euphraſio Epiſcopo, qui poſtremus in noſtro laterculo numeratur Clerum Diaconum aſſociat, hac eadem die Petrus de Natalibus lib. 11. c. vltimo, ſicuti plura m ſ. martyrologia ſub Vſuardi nomine, quæ Clerum tantùm Martyrem dicunt, non Diaconũ, aut vnum de antiquis, qui poſt multa tormenta in mare præcipitatus martyriũ conſũmauit. Vnde ſiue Clerus, ſiue Cletus diuerſus omnino apparet ab eo, qui ĩ martyrologio Romano die 7. Ian. ex Beda, Vſuardo, Adone, & alijs m. ſs. à Baronio adductis, ſepties tortus, diù maceratus in carcere tãdẽ decollatus martyrium conſummauit. Cletum non Clerum appellant, cum noſtro martyrologiũ Eccleſiæ Bruſſellẽſis apud Bollandum, & Licerium Diaconum a Cleto diſtinctum Vetuſtius noſtrum die ſequenti exhibet.

In Africa Pauli &c. Ferax Martyrum Africa hos exhibet, tam in noſtro, quam in toties memorato Antuerpienſi, quod decem, vt noſtrum exhibet, nulla alia, niſi hac ferè deſpicabili differentia, vt pro Lucrito Luctirium, pro Florido Floridam, pro Toucoſia Theocoſiam referat. Aliquid variat amplius apud eumdem Bollandum Vetus martyrologium Hibernicum, quòd poſt Ianuarium, Agapitum, Cruceſſium, & Eufram addat ante Floridam cum alijs octo anonymis.

Nola Campania Paſſio S. Felicis. Differt mſs. Hieronymianum Bollandi, ſeu in laminis Antuerpienſe, à noſtro, quòd illud Paſſionẽ nõ addat, ſed tantùm Nola Cãpaniæ S. Felicis vt & Corbeiẽſe Dacherij ; noſtrũ vero paſſionẽ ita ſignet, vt à Confeſſoribus videatur ſeiungere. At confuſa omnia de pluribus ſub vna die Felicibus ſuſpicari licet; quaſi ex eo martyres pariter, & Confeſſores vocentur, quòd pluribus pro Chriſto tormentis ſuperatis in pace quieuerint. Confeſſorem, & Presbyterum Felicem recolit hac die, præter ea, quæ adducit Bollandus, Sacramentarium Gregorij, in cuius præfatione cum de Hæreticorum prauitatibus ſuperatis agatur, eadem apparet cõfuſio, quam apud Adonem, Acta duorum Felicium Confeſſorum cum Actis Felicis V. Papæ confundentem, adeſſe opinatur Bollandus ; In eodem enim Sacramentario legitur ; *& Confeſſionem S. Felicis memorabilem non tacere, qui nec hæreticis prauissimis, nec ſæculi blandimentis à ſui ſtatus rectitudine potuit immutari.* Addit ad hæc Menardus, in omnibus antiquis codicibus Confeſſorem Felicem hac die recoli, & ex martyrologio m ſ. Bibliothecæ Corbeienſis hæc verba adducit *XIX. Cal. Februarii apud Nolam Campaniæ S. Felicis Presbyteri, & Confeſſoris*, vbi Dacherius tantùm vt vidimus adducit, *Nolæ Campaniæ Sancti Felicis.* Confeſſorem etiam ita vocat S. Auguſtinus de cura pro mortuis gerenda cap: primo. *Vt ſcilicet in Beatiſſimi Felicis Confeſſoris Baſilica poneretur.* Extant in Hagiologio noſtro perantiquo Acta Felicis Presbyteri, eadẽ prorſus, quæ ex veteribus mſs. adfert Bollãdus ſub titulo *S. Felicis Confeſſoris Presbyteri Romani*, ſed quæ in noſtro Codice hac epigraphe Signentur .... *Kal. Febr. Paſſio S. Felicis*; etſi Paſſionis hic nomine abuti codicem illum palam ſit; cum poſt fuſtuarium, exilium, & lapidicidæ labores S. Felicem Nolanos conuertiſſe ad fidem, & poſt annos duodecim in pace quieuiſſe, eadẽ acta contineant. Sed præter duos hos Felices Presbyteros, & Confeſſores, quorum alterum S. Paulinus Nolanus miris laudibus extulit, & ex quo Beda Hiſto-

ria

riam concinnauit, alterum Acta iam memorata designent; tertium addere ex eadem Ecclesia Nolana necesse est, illum nempe, cuius memoriam ingerunt S. Felicis secundi Acta, tamquam frater is fuerit alterius senioris Felicis. *Factum est post completionem Beatissimi Felicis Presbyteri, alius Felix germanus eius iunior nomine, & actione, & ipse Presbyter &c.* Felicem hunc seniorem putat illum esse Bollandus, qui cum Adaucto die 30. Augusti recolitur; sed cum via Hostiensi Romæ, non Nolæ S. Felicis memoria renouetur quarto Cal: Septembris in nostro martyrologio, & 3. Cal. eiusdem Felix, & Adauctus seiunctim recolantur, dissentire in hoc à Viro doctissimo cogor, & seniorem illum Felicem Martyrem, & Nolanum, vel Nolæ passum confiteri cũ Breuiario Nolano. In hoc tres, non duo hac eadẽ die 14. Ian. celebrãtur Felices, quorum primus Martyr fuerit. Traditur sanè apud Caracciolum de Sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap. v. sect. v. ex Breuiario illo, Felicẽ Presbyterum Præside Drauo, ob Christi Confessionẽ capite plexum, corpusque eius inhumatum coruis, & canibus fuisse derelictum: fratrem verò illi cognominem, post Christi editam Confessionem, ad Circium deportatum, ibique post duodecim exilij annos, die Dominico, data Populo pace, peractisque misterijs expirasse. Tertium autem Felicem, Patre Hermia, in Oriẽte natũ, Nolam profectum eiusdẽ Vrbis creatum fuisse Episcopum. Horum postremum esse, quem ita colebat Paulinus, vt suum Domenedium diceret, palam est, qui & ipse tantum Presbyter ex eodem S. Paulino fuerit, forte ab alijs Episcopus dictus sit, quòd omnium consensu, post mortem Maximi, electus Nolanus Episcopus, infulas, enixe post lando, in Quintum compresbyterum suum transtulerit, qui, vt ait Beda, plebem officio, Felix doctrina regeret. Ex tribus ergo vel Nolæ ciuibus, vel Nolæ incolis Presbyteris, qui omnes aliqua pro Christo passi sint, mirandum non est, dum eadem die omnes Nolæ recolebantur, acta confundi contigisse, & modo de Martyre, modo de Confessore Ecclesiam ipsam meminisse videri. Certè tam in Kalendarijs, quam in Missalibus Romanis hac die Felicis Presbyteri, & Martyris cõlitur memoria; in Breuiario tamen sub titulo Felicis Martyris, de Confessore, qui Nolæ in Pincis sepultus obdormierit sine passione, historia narratur. Calendarium Romanum antiquũ Frontinõ habet Nolæ, sed Romæ ita, *die 14. Ianuarij natale S. Felicis in Pincis*, vbi idẽ Frõto aliqua ad ostẽdẽdũ affert, locũ in Pincis nõ esse Nolæ, sed Romæ. Mirum quod martyrologiũ paruũ nostrũ S. Hieronymi Felicem hìc memoret in Græcia. *XVIIII. Kal. Febr. In Græcia S. Felicis.*

Et alibi depositio B. Euphratis Episcopi. &c. Pauca addere habemus ad ea, quæ hìc Bollandus congerit, & quis in tanta nominum varietate, tacito Ecclesiæ, cui præfuerit nomine diuinabit? In Affrica Episcopum fuisse habet Romanum martyrologiũ. Baronius suspicatur, Euchratium esse, qui Concilio Carthaginẽsi interfuerit, & ad quem extat Epistola eiusdem 61. Galesinius non modo Affricanum Episcopum, sed in Vandalica persecutione Martyrem existimat, & in Notis pro Euphrasio Euthratiũ legendũ monet; Sufetanum in Bizacena Prouincia Episcopum, qui 28. Nouembris memoratur. Cũ plura tamen martyrologia cum Clero, vel Cleto Diacono, qui Antiochiæ recolitur, in sacris fastis cõfingẽt, suspicionem induxit, an fuerit Euphratis Episcopus Antiochenus, qui in Nicephori Chronologia XXXXXIIII. numeratur sub Iustiniano Imperatore. Etquàquam Enagrius, qui Euphratis illius Episcopi mortem inter Antiochiæ ruinas refert lib. 4. cap. 5. videatur optimum Episcopum designare, quòd eius mors aliam nouã calamitatẽ attulerit Ciuitati, atque cũ obitũ eius mense Maio accidisse perhibeat, huius Epĩscopi Euphratis depositionem sub hac die videtur excludere, vt in ijsdem ambagibus remanere opus sit.

XVIII.

XVIII. Kal. Februarij.

IN Ægypto Crisconi. Tyrsi. Leuci. Gainiti. Genomi. Menelampi; Et in Oriente Cornili. Calesti, & Ceterorum. In Antiochia Liceri Diaconi. & alibi depositio Abbacuc Prophetæ. *Remus, Depositio S. Rimedij Episcopi, & Confessoris. Pictauis dedicatio S. Amanti.*

IANVARII 15.

Risconi &c. In Ægypto pariter sex Martyres cõmemorat martyrologium Bollãdi toties repetitum, & apud nos in laminis expressum, his integri latercu-li verbis. *XVIII. Kal. In Ægypto Crisconi, Tyrsi, Lauci, Gainito, Zenonis, Menelai; Et in Oriente Cornelii, Calesti, & caterorum. Antiochia Luceris Diaconi. Depositio Ambasij. Prope Remus. depositio Remedi Episcopi.* Sed Ciscóni loco Crisconi legit, & pro Leucio Laucium, pro Genonio Zenonem, pro Minelampo Menelaũ exhibet, parua nominum inflexione. Corbeiense pariter nonnihil in nominibus ita variat. *XVIII. Kal. Febr. In Ægypto Chrisconi, Tyrsi, Leuci, Gaiani, Genonis, Menelampi, & in Oriente Cornelii, Calesti, & Ceterorum. Antiochia Leceri Diaconi, & alibi depositio Abacuc Prophetæ. Remis depositio S. Remigii Episcopi, & Confessoris. Pictauis dedicatio Basilicæ Sancti Amantii.* M. s. Hibernicum magis variat; præter Ciscónum enim, & Thirsium exhibet Celauũ, Laucum.... nitium. Alia m. s. Cresconium, & Genonem referunt, & in Ægypto omnes concordant agonem consumasse. M. s. martyrologium Reginæ Sueciæ, ita legit. *In Ægypto passio S. Cresconii, Tyrsi, Liuci, cum aliis tribus.*

In Oriente Cornelii &c. Quamquam martyrologij auctor de his Martyribus agat, tanquam notissimis, quod eius sodalibus *Caterorum* nomine cõpellet, ita etiã Bollando ignoti sunt, vt nihil de ijs addere potuerit. Nos paruus differentias nominum adnotabimus. Nostrum eum Corbeiense Cornili, & Calesti: illud S. Hieronymo pariter ascriptũ Antuerpiẽse, Cornelij, & Celesti nomina signat, Rhichenouiense itẽ meminit *in Oriente Corneli, & Calesti*, cæterorũ verò silet.

Et alibi Depositio Abacuc. De hoc Propheta, ac Micheà simul agunt hac die omnia ferè Latinorum Martyrologia, præter Hieronymianum iam adductum Antuerpiense, in quo nihil de alterutro Propheta legitur. De vtroque tamen agit ad diem hanc ita paruum nostrum. *XVIII. Kal. Ababuc, & Micheas*, quos etiã simul recoli ab Ecclesia Hierosolymitana notat Vvandingus tom. 3. Annal. ad annum 1342. Fatetur tamen Bollãdus, vetera quædam m. ss. martyrologia hac die solius Abacuc meminisse. Non eadem die Micheæ, & Abacuc inuenta esse corpora habet Sozomenus lib. 7. cap. 28. Sed prius Abacuc, *& post eum non longo interuallo Micheas.* Nec pariter in eodem loco inuenta eorum corpora narrat; nam Abacuc in Ciuitate Cela vel Cila repertus est; Michæas Barathsaria, loco ab ea Ciuitate decem stadijs circiter distante, vndè mirum non est, si hic simul cũ Micheæ non recolatur. Sub Arcadio Imperatore, in Iudæa prouincia, has inuentas esse reliquias, anno Domini 396. scribit Sigibertus. Anvnus, vel plures Prophetæ Abacuc nomine fue-

fuerint, doctissimè disputat Bollandus, qui plura colligit.

In Antiochia Liceri Diaconi. Ex Hieronymi martyrologio exhibuit Bollādus, Lucerium Diaconum Antiochenū addiē septimum Ianuarij; at melioris notæ, vt mihi videtur, Codices nostri eū Corbeiensi, qui Lecerium legit, non nisi hac die recolunt. Videantur quæ ad Cletū adnotauimus precedenti die.

Remus depositio. Remis legendum omnino est, & pro Remedio Remigium. Menardus ad sacramentarium Gregorij, ex plurimis Codicibus monuit, pro S. Remigio Remegium scribi, & in multis etiam, tam mss. quam excusis libris mutata. g. in d. scribi Remedium, & quidem vsitatius; sicuti animaduertere licet, tam in antiquissimis Francorum gestis Tom. 1. Hist. Franc. p. 702. & 703. quam in Fredegario Scholastico ad annum 16. Chlodouei; Et quamquam in omnibus martyrologijs Sancti Remigij Natale recolatur Kal. Octobris, qua die etiam festum S. Remigij suo tempore peragi consueuisse testatur Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. 8. cap. 21. dies tamen illa translationis est, non obitus, qui ex Frodoardo lib. 1. hist. Ecclesiasticæ Remensis cap. 17. Idibus Ianuarij ad Cœlestia regna migrauit: qua die eum recolit Hagiologium Francogalliæ in Bibliotheca Labbei. Sub hac tamen die 15. Ianuarij eius depositionem agunt. Carthusiani Colonienses in additionibus ad Vsuardum, & vt supra adduximus martyrologium Corbeiense, & Antuerpiēse, quod Remus, & Remedium legit. Sanctum hunc Remedium, vel Remigium ex additis ad vetustius martyrologium credere par est, multo tamen certius apud Pictauienses dedicatio S. Amantij, de qua nihil inueni in Gallicano martyrologio. Corbeiense magis expressè dicit dedicationem Basilicæ S. Amantij Pictauij. Reliquias Sancti Amantij Episcopi, & Confessoris ex Ruthina Ciuitate, vbi fuerat Episcopus, & vbi reliquum corpus quiescit, translatas fuisse ad Fontenellēse Cœnobium habet Chronicon Fontanellense cap. 1. n. 7.

XVII. Kal. Februarij.

ROmæ via Salaria in Cæmeterio Priscillæ Depositio Marcelli Episcopi, & Confessoris, & via Appia in Cæmeterio Calixti passio S. Marthe. Audemi Martyris. Via Cornua in Cimiterio Milites VIIII. & aliorum numero XIII. quorum nomina tenentur in lib. Vitæ scripta. In Affrica Saturnini, Flauiani, & aliorum VI. *Arelato Depositio S. Honorati Episcopi. In Fontenella Depositio Landoni Abbatis.*

IANVARII 16.

Marcelli Episcopi &c. Via Salaria Romæ sepultum S. Marcellum Papam, omnia ferè martyrologia docent. Quod verò S. Hieronymi Epternacense vocat Bollandus, & nos Antuerpiense, Confessorem Marcellum fuisse non addit, quod tamen pervetus Hibernicum, & Corbeiense retinent. Quamquam enim in erumnis positus S. Pontifex mortem ita obierit, vt Martyr etiam dici possit, cum tamen morte vi tormentorum illata id non acciderit, neque perperam vocatur Confessor, ex his quæ alibi diximus.

ximus. Idem m.ſ. Hieronymi Martyrologium Antuerpienſe ad quatuor Nonas Octobris habet. *Romæ Balbinæ, Marcelli Epiſcopi*. Sed in noſtro nihil de Balbina, nihilque de Romana Vrbe, ſed tantùm *alibi Marcelli Epiſcopi*, quem Romanum Pontificem ideo non dicerem. Eſtat fragmentum Martyrologij Bedæ apud Amalarium Fortunatum lib. de ord. Antiphonarij cap. 17. his verbis. *XVII. Kal. Febr. Natale S. Marcelli Papæ, qui iubente Maximo Imperatore primò fuſtibus cæſus, & à facie eius, quem corripiebat, expulſus eſt. Deinde audiens, quòd Domum S. Lucinæ quam ipſa damnauerat proſcriptione, & quòd facultatibus eius Chriſtianos donauerit, Eccleſiam faceret, atque in ea Miſſam celebraret in media Ciuitate, iuſſit in eadē Eccleſia plancas extrui ad animalia catabuli publici, & eundem ſtabulo Epiſcopum ad ſeruitium animalium deputauit cum cuſtodia publica.* Ex quo fragmento, vt obiter animaduertam, colligitur ſub Bedæ nomine vulgatum martyrologium, vel illius auctoris non eſſe, vel ſaltem valde mutilum; deficiunt enim in codicibus editis omnia à verbis illis, *deinde audiēs* vſq; in finem fragmenti. Quæ nam fuerit Priſcelia, ſeu Priſcilla, quæ Cæmeterio viæ Salariæ nomen dederit, parum hìc refert inquirere; vetuſtiorē ipſo Marcello fuiſſe Priſcellam, cum in eius nominis cæmeterio ſepultus Sanctus ille Pontifex fuerit, dubitari nequit. Sanè cum noſtro martyrologio ſentit auctor vitæ Marcelli in lib: de Romanis Pontificibus, tum in die, tum in loco depoſitionis. *Corpus collegit B. Lucina, & ſepeliuit in Cæmeterio Priſcillæ Via Salariæ XVII. Cal. Februarij.* In quo cæmeterio ſepultum quoque fuiſſe Marcellinum antecеſſorem, truncato capite Martyrem, ita ſcribit Albo Floriacenſis. *Marcellus Presbyter collegit nocte, & ſepelinit eum Via Salaria in Cæmeterio Priſcillæ, iuxta Corpus Sancti Creſcentionis 7. Cal. Maij.* Vnde nil mirum, ſi ex nominis, & ſepulcri proximitate, Græci Marcellinum cum Marcello confuderint. Idem porrò Floriacenſis Albo, ſiue Abbo de Marcelli ſepultura ipſiſſima verba habet, quæ liber Pontificalis Damaſo aſcriptus, quē in adducta Marcelli vita, auctorem illius libri non eſſe conuincit ipſius per Sanctum Damaſum Papam ſepulcralis inſcriptio. Hanc ab Andrea Ducheſne mutuatam affert Bollandus, & extat inter Inſcript: Gruteri, vel apud Baroniū in Appendice T. 3. anno 309. Eam hìc afferre non piguit, vt cum de tollerato exilio laudetur, non malè etiam Confeſſorē à noſtro martyrologio appellari innoteſcat, & quam varia à reliquis latinis ſcriptoribus de Marcello contineat.

Veridicus Rector lapſos, quia crimina flere
Prædixit miſeris, fuit omnibus hoſtis amarus.
Hinc furor, hinc odium, ſequitur diſcordia, lites,
Seditio, cædes: ſoluuntur fœdera pacis.
Crimen ob alterius Chriſtum, qui in pace negauit (rāni.
Finibus expulſus patriæ eſt feritate Tyranni.
Hæc breuiter Damaſus voluit comperta referre,
Marcelli vt populus meritum cognoſcere poſſet.

Antiquiſſimum Martyrologij Romani fragmentum apud Bucherium, forte librarij vitio, in diem precedentem ita retulit Marcellum, 18. *Cal. Febr. Marcelli in Priſcillæ*. Calendarium, ſeu Martyrol. paruum S. Hieronymi legit *XVII. Kal. Febr. Romæ Marcelli Papæ*, & aliud Calendarium nomine Bedæ inſignitum in Bibliotheca Canonic. Lucenſium addit Martyrem, *XVII. Kal. S. Marcelli Papæ, & Martyris*; ſepultum autem Marcellum habēt Acta S. Cyriaci, & Siſinnij 17. Cal. Febr. à Ioanne Presbytero, & B. Lucina *in Cæmeterio Priſcillæ, via Salaria veteri, non longe ab Vrbe Roma milliario tertio*. Plura de hoc Cæmeterio habet Aringhius in Romæ Subterrāneæ lib. 4. cap. 28. qui etiam cap. 27. de Via Salaria veteri, pluries in actis Sāctorum Martyrum memorata, eruditè diſſerit. Marcello Eccleſiam, ſiuè titulum fecit Lucina Matro-

na in lib. Pontificali, *& domum suam nomine B. Marcelli titulum dedicauit, vbi die, noctuque hymnis, & orationibus Domino Iesu Christo cõfitebantur, qui non ibi sepultus fuit, sed in Cameterio Priscil. la.* Et ipse S. Pontifex *fecit cæmeterium via Salaria*, illud facile in quo sepultum fuit. Videantur quæ eruditè de S. Marcello profert Bollandus.

Via Appia. Cæmeterium Callisti via Appia, ita notũ est, vt immorari nõ expediat; Nõ ita tamen noti sũt martyres Martha, & Audemus, siue Audenus, quos Ananum, & Marium S. Hieronymi martyrologium Antuerpiense vocat. Ex hoc, quia nõnulla alia à nostro varia exhibẽtur, integrum diem apponimus, *XVII. Kal. Romæ via Salaria in Camet. Priscillæ depositio S. Marcelli Episcopi, & via Appia in Cameterio Calexti passio Sãcti Anani. Mari, Via Cornelia VIIII. miliario in Cameterio aliorum XIII. quorum nomina Deus scit. In Affrica Saturnini, Faustini, Nassanani, & aliorum VII. Arelate depos. S. Honorati Episc.* Ex alijs mſ. martyrologijs nihil lucis his additur, quòd potius fœdis erroribus confundantur.

Via Cornua in Cameterio. Ex mſ. Corbeiensi restituo via Cornelia, ita enim habet. *XVI. Kal. Februarij Romæ via Salaria in Cameteria Priscillæ depositio Sanctæ Marcelli Episcopi, & Confessoris. Via Appia in Cameterio Calesti passio Sanctæ Marthæ, Audemæ Martyrum. Via Cornelia in Cameterio Militum nouem, & aliorum tredecim, quorum nomina in libro vitæ nõtur scripta. In Affrica Saturnini, Faustini, & aliorũ sex. Arelate depositio S. Honorati Episcopi, & Cõfessoris.* Cornelia via Aurelia, & Triũphali connexa, iuxta Portuensem viam gradiebatur, quamquam nonnulli Corneliam Triumphali, atque Aurelia intermediam incessisse putent. Cæmeteriũ Calepodij hic valdè erat celebre, & de hoc intelligi, sine alia additione putarem. Quamquam enim in Via Aurelia prorsus referatur extructum, proximitate tamen viæ, & ipsius amplitudine in Cornelia poterat etiam cõputari: Arenarium inter viam Aureliam, & Triumphalem, vbi Cornelia aliquibus sternebatur, aderat, & ibi sepulta esse Sanctorum Martyrum Eusebij, Vincentij, Peregrini, & Pontiani corpora ex eorundem Actis mſ. habet Arenghius lib. v. cap. 15. Romæ Subterr. De Arenario pariter Via Cornelia 13. milliario ab Vrbe memoria renouatur in mſs. Actis apud eundem, in quibus Sanctorum Marij, & Marthæ agones referuntur; *qui cũ ducti fuissent Via Cornelia, miliario 13. ad Nymphas Catabiſ, ibi in eodem loco decollati sunt sub Arenario Marius, Audifax, & Abacuc, Martha verò in Nympha necata est &c.* In alijs vero, codicibus legitur milliario duodecimo vt apud Baronium. An fortasse legendum esset, Via Cornelia nono milliario in Cæmeterio aliorum tredecim. Ita ferret codex Antuerpiensis, qui vocem Milliarij, vel Militum, ita decurtatam habet, vt vtrumque significare possit. Nostri tamen codices, & Corbeiensis nõ *Mil.* sed *Milites VIIII.* expressè ostẽdunt: ita vt Milites nouem, præter officiũ anonymi, alij verò tredecim, omnino sine nomine in calendarijs remanserint.

In Affrica Saturnini &c. Pro Flauiano martyrologium Hieronymianũ Antuerpiense Nassanianum, & alios septem numerat in Affrica, sed vterque ex nostris codicibus, minùs, quam illud corruptis, Flauiarum, vel Frauianum legunt. MS. Hibernicum Dungalense, non nisi Faustinum, & Saturninum, cum alijs septem exhibet. Fortè igitur corrigendus numerus est, & pro sex; septem reponendi, & retinendum Flauiani nomen, vt vsitatius.

Arelati Depositio S. Honorati Episcopi. Quamquam intrà quintum sæculum Sãctus Honoratus sedem Arelatensem tenuerit, cum exadditis sit non immorabimur, præsertim quòd in omnibus martyrologijs memoretur, & plura de eo habeat Bollandus.

In Fontanella Landoni &c. Honoratum ex additis suo Sancti Hieronymi mar-

martyrologio fatetur etiam Bollandus, sed de Landone, cum neque illud, neque Corbeiēse meminerit, in nostro omnino superadditum reputabo, pręsertim cum in eo aliqua passim de Fōtanellensi cœnobio adnotata videā, quæ suadere possunt, ex illo Martyrologij apographum ad nos fluxisse; nequaquā enim, vt alibi monui, additiones ex Italia, minùsque ex nostra Ecclesia factas esse apparent. Siue autem Landonus, siue Laudus, aut Laudonus legi debeat, video apud Saussayum in additionibus martyrologij Galli. cani numerari pro octauo Fontanellensi Abbate. Fontanella Monasteriū est Rotomagensis Diœceseos, inter Rotomagos, ac Parisios. Saussayus tempus, quo S. Lando, seu Lādonus vixerit, non indicat. Sin vero eidem S. Vvando duodecimus Fōtanellēsis Abbas est, & floruit regnāte Theodoro Cala, Dagiberti secundo filio, Vvandonem, seu Landonē finem septimi sæculi superasse, & ex recentioribus esse Sanctis, qui additi sint, existimandū omnino est.

XVI. Kal. Februarij.

IN Affrica Nicæ. Victoris. Mistriani. Saluij. Miseliani. Victurici. Teussæ. Fortunatæ. Veneniriæ. Santæ. Saturnini. Ortisiani. Leucij. Missuriani. Vincenti. Albæ. Mosei. Ingenulæ. Victuriæ. In Oriente Rubentis, & Masteri. In Ægypto Thebaida, depositio S. Antonij Monachi. Ligonis passio Sanctorum Martyrum. Geminorum. Speusippi. Elasippi. Melasippi. Leunillæ. Iunellæ. Neonis, & depositio Marcelli Episcopi. *In Gallia Ciuitate Beturicas depositio S. Sulpicij Episcopi, & Confessoris.*

IANVARII 17.

ANtuerpiense S. Hieronymi in laminis editum martyrologium, copiosam Martyrum messem ex Affrica cum nostro ita exhibet, & totidem numero. *Decimo sexto Calendas in Affrica Muci, Victoris, Mistriani, Salui, Miseliani, Victorici, Teusse, Fortunatæ Veneriæ, Sartæ, Saturnini, Hortisiani, Leuci, Misuriani, Vincentiæ, Albæ, Timothei, Ingenulæ, Victoriæ. In Oriente Nat. Rubentis, & Martyri. In Ægypto depositio S. Antonij Monaci. Lingonas passio Sanctorum Gemenorum Speusippi, Elasippi, Melasippi, Leonillæ, Iunillæ, Neonis Diaconi. Depositio Marcelli Episcopi.* Variant tamen aliqua inter se nomina. Bini nostri Codices Nicæ meminerunt primo statim limine, pro qua Mucium Bollandus ex suo ms. Hieronymiano reddit, sicut Rhinouiense Hibernicum maximè deprauatum exhibet, vel Municum, vel Muccium. Quia verò omnia potius in Mucium, quam in Nicam concordant, fortasse Mutij, vel Mucij erit restituendum; sed Micam habet Corbeiēse. Pro Tecusa illud Bollādi exhibet Teussam, pro Veneniria Veneriam, pro Sāta Sartam, pro Vincentio Vincentiam, pro Moseo Thimotheum: at quia alia habent Thimoseum, forte hìc pro Moseo esset restituendum Thimoseum. Mosseum habet Corbeiense, sicut Vincentiam pro Vincentio alia m. s. martyrologia video consignare.

In Oriente Rubentis &c. Aliud S. Hieronymi Antuerpiense Martyrium pro

Mastero habet, alia martyrologia corruptiùs Martiõ legunt, sed vberius XVI. socios addunt. At cum inter se concordent, tam nostri codices, quam illud Bollandi martyrologium, & de Martyribus quadraginta quinque prorsus sileant, ex corruptis libris nõ videtur facile admittendi; cum Corbeiense præsertim, ita cum nostro consonet. *XVI. Kal. Februarij. In Africa Mica, Victoris, Mistriani, Saluj, Misiliani, Victurici, Thecusa Fortunata, Veneriæ, Satæ, Saturnini, Hostensiani, Leuti, Missuriani, Vincenij, Albæ, Mossei, Ingenula, Victuriæ. In Oriente Natalis Rubentiæ, & Marteri. In Ægypto Thebaide depositio Antonij Monachi. Lingonis passio Sanctorum Germanorum Martyrum Speusippi, Helasippi, Melasippi, Leonellæ, Meonis, Iunellæ, & depositio S. Marcelli Episcopi. In Gallia Ciuitate Biturices depositio S. Sulpicij Episcopi, & Confessoris.*

In Ægypto Thebaide &c. Sancti Antonij res gestæ ita patent, vt satius sit hic silere, quam quæ eruditissimus Bollandus congessit repetere. Addi tamen possunt quæ Basilij menologiũ habet illi non dum visum, & videnda chronotaxis Antoniana Theophili Raynaudi.

Lingonis passio &c. Planè nostrum cum Antuerpiensi martyrologio concordat, præter quam in Nenone, quem nostrum Neonem dicit, & Corbeiense Meonem. Tergemini passim Sancti Martyres vocantur, & præter multa, quæ apud eruditum Bollandum congeruntur, Menologium Basilij, fortasse ex vi nominis, optimos fuisse equorũ domitores, & agitatores notat. Plurimum de eorum nominibus inter se variant scriptores etiam Græci, magis vero de Patria, & loco passionis ab inuicem discedunt. Cappadoces Menæa Græcorum, & Menologia asserunt. Nomina Græca quidẽ sunt; sed à Benigno Martyre baptizati, si mutata essent nomina in Græcũ morẽ, parum consentaneè ab Equis vocatos esse viderentur. Saussayus plurimum laudauit, & inter antiquissimos reposuit Vvãrharium, qui acta Sanctorum Tergeminorum conflauit; sed anacronismis scatẽt pluribus, & ex antiquioribus Actis ille cõsarcinauit incuriosè, & aliquibus contradictionibus aspersit. De Speusippo, Eleusippo, & Menalippo, cum Leonilla alia agit hac die Hagiologium Franco-Gallix Lebbei.

Depositio Marcelli Episcopi &c. Si inter Lingonienses aliquis S. Marcellus esset Episcopus, cum tergeminis sine loci distinctione subnectatur, eidem Vrbi assignandus esset Marcellus, cuius hic depositionis memoria agitur. At cum alibi etiam Sancti viri in nostro martyrologio recolantur, sine præcipua loci distinctione, neque hic ita religiosè factum existimo, vt Lingonensibus Sãctus Marcellus accensendus sit. Carthusiani Mõlonienses in addit: ad Vsuardum, & m s. Florarium apud Bollandum, Viennæ quiescere tradunt, quamquam alij Diensem Episcopum, vel Astensem, & Martyrem asserant.

Beturicas depositio Sancti Sulpitij &c. Disputat Bollandus tùm ad hanc diem, tùm ad 29. Ianuarij de duobus, vel potius tribus Sulpicijs, duobus nempe Episcopis, & altero Presbytero cognomento Seuero. Qui hic memoratur, recentior est cognomento Pius, circa annum Domini 647. viuens; Saussayus tamen senioris translationem vult esse, quæ die 29. Ianuarij memoratur, cum dies Natalis fuerit huius mensis decimaseptima. At dum hac eadem decimaseptima die de Seuero agit, Pium, non aliũ cognomento Seuerum, & Confessorem refert. Cum verò nostrum martyrologium ad diem 29. nullum exhibeat Sulpitium, hic de seniori agere probabile est, & si ex additis esse non dubitauerim. Hagiologium antiquum Lebbei hæc habet Mensis Ianuarij *XVI. Kal. Febr. Biturices Ciuitate Natalis S. Sulpitij Episcopi, & Confessoris cuius vita, & mors gloriosis miraculis commendatur.*

XV.

XV. Cal. Februarij.

DEpositio Sanctæ, ac Glorioſæ Beatæ MARIÆ Matris Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & dedicatio S. Petri Apoſtoli, qua primò Romæ Petrus Apoſtolus ſedit. Romæ Sanctæ Priſcæ Virginis, & in Ponto Ciuitate Aſtæ Moyſei, Ammonij. Miceæ. Aſteri. Fortunati. Zezonis. Zezimi. Menelampi. Didali. Valentis; & paſſio S. Tyrſi, cum Socijs ſuis Leuci, & Gallinici. In Affrica Sconiſi. Succeſſi. Valentis. Theleriani. Pauliano. Iulij. Lucis. Victorini. Honorati. Saturnini. Floredi. Luciri, & aliorum XIIII.

IANVARII 18.

CVm plures doctos viros de B. Virginis, hac die notata, obdormitione conſulerim, inſolēs viſa omnibus eſt cōmemoratio; cū eiuſdē Aſsūptio ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu die 15. Auguſti, recoli docuerit Baronius doctiſſimus. At argumētis tāti viri pro eiuſdem celebritatis vetuſtate penſatis, in re tanta ad calcem huius laterculi exerceri libuit. Tu candide lector humaniter eādem pro veritate perlege, & in vetuſtiſſimo etiam Antuerpienſi, ita ſignari animaduerte. *XV. Kal. Febr. depoſitio S. Mariæ, & Cathedræ Petri in Roma. In Ponto Ciuitate Aſſiæ, Moſei, Ammoni. In Nicea Aſteri, Fortunati, Zenonis, Zozomi, Menelampi, Didali, Valentis, Succeſſi, Tyrſi, Leuci, Gallinici. In Affrica Sconis, Succeſſi, Valentis, Teleriani, Pauli, Iuli, Luci, Victorini, Honorati, Saturnini, Floridæ, & aliorum XIII. Lurci, & Romæ Via Salaria Priſcellæ.*

Dedicatio Sancti Petri Apoſtoli &c. Ioannes Fronto in antiquo Calēdario nullam fieri mentionem cathedræ Sancti Petri Romæ teſtatur, ſed quod addit, non eſſe inter dies feſtos, qui in Sermonibus B. Auguſtini de Sanctis recenſeātur, fallitur memoria. Non eſſe in Sacramentario Gregoriano Menardi, nec Pameliano, alijſque Calendarijs non pugno: Duo tamen in martyrologio noſtro videntur recoli, dedicatio Templi Sancti Petri Apoſtoli, & memoria eius Cathedræ, qua primum Romæ ſedit; De ſecunda plura hìc colligit Baronius, & ex eo Bollandus, quæ, ne actum agamus, prætermittimus. De prima, hoc eſt dedicatione dubitari poteſt, an ea fuerit, quam S. Silueſter peregit de templo à Conſtantino extructo, cum hæc 14. Cal. Decemb. adhuc in martyrologio Romano recolatur, & de qùa plura ibidem Baronius; at cum de hac noſtrum Martyrologium ad illud tempus ſileat, dubium ingerit, eadem die antiquitus celebrari conſueuiſſe, qua Natalis Cathedræ; niſi potius hæc celebritas illius memoriæ, ſiue ſacelli S. Petri fuerit, quod Anacletus conſtruxit, dum ab eo in Presbyterum conſecratus eſſet, vt refert liber Pontificalis, & Luitprādus pariter, cum Abbone Floriacenſi. Ab antiquiſſimo quidem tempore Eccleſias dedicari conſueuiſſe, teſtis eſt Euſebius lib. 9. cap. 10. & nos alibi à Petro ipſo primam Eccleſiam Romæ dedicatam oſtendimus. Sed hìc videtur ea dedicatio Eccleſiæ recoli, vbi primùm Romæ ſedit Apoſtolorum Princeps, quā in Tranſtiberina Regione, vbi Iudęi habitabant, fuiſſe contendit Conſtantinus Gaietanus in præfatione ad Gelaſium,

hoc,

hoc est circa veterem Sinagogam, & D. Cæciliæ Edes. De natali Cathedræ Sancti Petri, siue Antiochena, siue Romana extant bini S. Augustini sermones, & de Romana luculentum est testimonium Optati Meleuitani ad Parmenianũ lib. 2. Concordant melioris notæ Hieronymiana martyrologia Antuerpiense, & Corbeiense, in quibus cathedræ festum exprimitur, & Corbeiense ita se habet. *XV. Kal. Febr. Dedicatio Cathedræ S. Petri Apostoli, qua primò Romæ sedit. In Ponto Ciuitate Asiæ Moysei, Amonis, Micæ, Asteri, Fortunati, Zenonis, Zosimi, Menelampi, Didali, Valentis, & passio S. Thyrsi cum socijs suis Leuti, & Gallinici. In Africa Seonisi, Successi, Valentis, Feleriani, Pauli, Maiuli, Luci, Victurini, Honorati, Saturnini, Floridæ, Lurici, & aliorum XIIII. & passio S. Priscæ.* Græci, tam in Menologio Sirleti, quam Basilij die superiori 16. recolunt cathenas S. Petri Apostoli, Constantinopoli à Christianis summè veneratas.

Romæ Pristæ Virginis &c. Sunt qui putent, Priscam sub Claudio, inter mulieres primam etiã fuisse ex Romanis Martyribus, sed plura, quominus id credatur, suadent. Acta, quæ edita leguntur, in multis sunt corrigenda. In hoc tamen conueniunt, vt palmam acquisierit 18. die Ian. Via Hostiensi miliario ab Vrbe plus minus decimo. Hac etiã die Priscã recolit Antiq: Calend: Rom: à Frontone editum, & de ea plura habet Arenghius T. 1. Romæ Subterraneæ lib. 3. cap. 8. n. 14. Deest tamen in antiquo martyrologio Antuerpiensi, vt ex laterculo, iam adducto constare potest, & in Corbeiense ad calcem reponitur.

Et in Ponto Ciuitate Astæ &c. Ita alter ex nostris codicibus legit, dum alter Asiã retinet, cum martyrologio Corbeiense, sed vt reor mẽdosè, & Assiam forte magis corruptè Antuerpiense. In Ponto Vrbs Attacis erat, vnde populi Propontidis Astaceni, & sinus Astacenus. Hinc suspicari licet vocem Asta vitio librariorum decurtatam esse, & reponendum Astacis. Sed & fortasse nomen Astæ recte dicitur, cum Astæ Thraciæ populi apud Stephanum memorentur; populi verò frequentius ab aliqua cognomine Vrbe nomen accipiãt. Hinc Astica Regio apud Geographos legitur.

Miseæ Astery &c. Martyres qui sequuntur vsque ad Tyrsum, cum socijs superioribus in nostro Martyrologio connectuntur, absque eo, quod per alium passionis locum apertè seiungãtur, vt Bithiniæ, vel Ponto absignandi videantur. Verùm ms. Bollandi martyrologium, seu Antuerpiense toties adductum, vbi nostrum habet Miceæ, expresè locum aliquem designat; legit enim in Micea, & quid sibi velit ignorare, addit ipse Bollandus, præsertim cũ alia mss. legant Miceræ, & nostrum habeat Miceæ. Sed facilis esse posset antiquarij lapsus, vt pro Nicæa Vrbe Bithiniæ Miceam, vel Miceæ reposuerit, cum & antecedentes, & subsequentes Martyres in Ponto, vel natos, vel palmam assecutos palam sit. Niceæ Syluanum Præsidem conuiuia peregisse sanguine Christianorum, habent S. Thyrsi acta apud Metaphrastem, & in martyrologijs adductis, præsertim Antuerpiensi S. Thyrsus cum socijs ab alijs Ponti, seu Astæ Martyribus non diuiditur.

Et passio S. Thyrsi cum Socijs suis Leuti, & Gallinici. An hi Martyres ijdem sint, qui & Neuiduno deinceps 13. Cal. Februarij recoluntur, vt putat Bollandus, non facilè delibero, præsertim cum in nostro martyrologio, & Corbeiense, non Leucius, vel Lucius, sed Quiriacus ibi cum Gallinico reponatur. Neque eosdem esse assererẽ cum his, qui 2. Kal. Februarij pariter memorantur, quòd Alexandriæ cum Sacerdotibus passi dicantur; hi verò vel Niceæ, vel proxima Cæsareæ Vrbe, quæ Ptolomæo etiam dicitur Smyrlea, passi, vel sepulti sint.

De

De Assumptionis, seu Dormitionis Deiparæ Solemni Die.

EXERCITATIO V.

GLORIOSÆ Virginis Transmigrationē, siue in cælum Assumptionem, antiquo ritu solemnem in Ecclesia fuisse XVIII. Kal. Septembris, plures sunt qui doceant. An verò priscis, & vetustioribus sæculis idem festum, eadem die celebrari contigerit, non ita mihi liquere fateor, quin potius suspicari liceat, in Augusti mense, vel celebrem non fuisse, vel in Occidentali Ecclesia ab eiusdem Dormitione seiunctum. Inter cætera autem, quæ dubitandi ansam præbent, martyrologium à nobis exhibitum est, quod ex bino codice ad diem 15. Kalendas Februarij constanter eiusdem Gloriosę Virginis Dormitionem, vel Depositionem retinet. Profectò in re hucusque parum obseruata, primùm anceps substiti, & veritus sum, ne contractum in vtroque codice nomen, videlicet depositio, legendum esset potius despō, hoc est Desponsatio; facilem enim lapsum librarij in vnius literulæ omissione suspicabar, quòd non multum esset in Ecclesia recens desponsationis festum, ac aliquibus Kalendarijs mense Martio, alijs Nouembri, alijs etiam Ianuario memoratum animaduerterem; è contra verò Ianuario mense Deiparam ad Cælestia regna migrasse, ignotum ante actis sæculis omnino videretur. Dissuadebat in primis à Virginis dormitione Ianuario mense recolenda, Eminentissimi Baronij auctoritas, qui in notis ad Romanum martyrologium pro constanti videbatur assumere, Dei Genitricis Assumptionem, ex veteri instituto, non modo in Ecclesia celebrem fuisse, sed illa prorsus die decima quinta Augusti. At quemadmodum pium est credere, hanc translatæ Virginis celebritatem ab Apostolis fluxisse, quod Græca id præsertim Ecclesia existimauerit, ita fatendum est, obscura apud latinos Patres de re tanta omnia monumenta remansisse, vt vix aliquid ante quintum sæculum de huiusmodi celebritate inueniatur. Hinc facile animo concipiebam, vt sicuti Saluator Deus noua, ac multiplici Genitricis suæ gloria quotidie magis illustrat Ecclesiam, ita celebriorem in dies eiusdem Virginis Assumptionem esse voluerit, vt per notiora magnæ Matris trophea, spes quoque viuidior in filijs adoptionis accresceret. Quamquam non ignorem, neotericos scriptores esse, qui sine delectu aliena excipientes, plures asserant antiquos Patres de Genitricis Sanctissimæ Assumptione scripsisse, cum potius probatos illos esse Patres, & sanctitatis nota celebres, quam antiquos dicere debuissent. Igitur ne actum hoc agamus, & inutili labore Apocriphos à sinceris discernamus, quod Baronius alijque prestiterunt, hanc ex eodem Baronio T. 1. Annal. ad annum 48. catholicam veritatem suscipimus, & deuoto animo veneramur, Deiparā diem aliquando suprèmum obijsse, & ad Cœlum cum glorioso etiam corpore assumptam transmigrasse; verè proinde Ecclesiam, sanctèque eiusdem gloriosæ Assumptionis festum instituisse. Eoque libentius vtramque Catholicam veritatem suscipimus, quòd martyrologium nostrum, non tam XV. Kal. Februarij diem depositæ mortalitatis, sub nomine depositionis commemoret, quām & gloriosam eius in Empireum Assumptionem exhibeat, eadē pariter die 15. Augusti, qua Ecclesia vniuersa in Sanctissimæ Matris triumphum, omnium gentium linguis, & omnium fidelium plausu conspirat. Et si verò Baronius doctissimus

Eccle-

Ecclesiam Catholicam, nullam de obitu Dei Genitricis dubitationem admittere profiteatur, & quam nouit humanæ fuisse naturæ consortem, humanam pariter moriendi necessitatem expertam affirmet, in Vsuardum tamen, & Adonem inuehitur n. XVI. quòd dormitionem, non Assumptionem vbique dixerint; præsertim quia Romana Ecclesia in Romani martyrologij antiquissimi vestigio, in ordine Romano, in D. Gregorij Sacramentario, aliisque Ritualibus antiquis, & Missalibus libris, Assumptionis vocem semper vsu receperit. At memoria excidit magno viro, ex iisdem quoque adductis libris constare, non modo Græcam Ecclesiam, quæ obdormitionis voce frequentissimè vtitur, sed & latinam eandem loquendi formam in vsu habuisse. Græci equidem die 15. Augusti, vt ex Menæis, & Menologijs profert Gretserus ad cap. 15. Codini lib. 3. Comm. cap. 10. hoc festum vocant *Dormitionem Sanctissimæ Dominæ Nostræ Deiparæ*, & hoc titulo extant Patrum Græcorum orationes Io. Damasceni, Andreæ Cretensis, & aliorum. Mænça quidem post titulum de dormitione, eadem statim die addere translationē, quæ latinis idē est ac Assumptio, animaduertit idē Gretserus, qui addit, etiam latinam Ecclesiam Assumptionem à Dormitione distinguere, & Assumptionem solemni ceremonia celebrare, de Dormitione verò, vtrum eodem die, an aliquo precedenti acciderit, nihil tradidisse. Quòd verò acriter in Vsuardum, & Adonem, doctissimus Baronius insurgat, eosque prouocet ad antiquissima Romani Martyrologij vestigia, veniam contra magnum Annalium conditorem Gretserus idem expostulat, quia Romanum martyrologium, omnium aliorum vetustissimum, sępe ab ipso Baronio desideratū, sed nusquam repertū appareat. Profert hinc pro vetustissimo martyrologio Romano publicatum ab Heriberto Rosueydo nuper, & in eo die 15. Augusti hanc inscriptionem esse testatur *S. Mariæ dormitio*. At licet illius martyrologij pondus alibi non magnum esse docuerimus, ex eo tamen confirmari non spernimus, Ecclesiam latinam à voce dormitionis non prorsus abstinuisse, His addimus inter Græcos S. Germanum Patriarcham, ac Leonem Imperatorem cognomento Philosophum, quorum in dormitione, & transitu Gloriosæ Virginis orationes nuper edidit Hippolytus Marraccius noster, optimè de eadem Sanctissima Virgine meritus. Menologium insuper Sirleti apud Canisium adijcimus, quod ad diem 15. Augusti sacram Dormitionem Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ totidem verbis exhibet. Ita festum Assumptionis à Theodoro Balsamone in Canonem tertium Apostolorum Dormitio dicitur, quamquam in Nouella Emanuellis Commeni, sicuti in Euchologio Græcorum Metastasis, seu Migratio, & Assumptio nuncupetur. Inter latinos vsus est Dormitionis voce Sergius Papa apud Anastasium Bibliothecarium, aut quisquis auctor sit vitæ eiusdem Sergij in Pontificali libro, Is enim Litaniarum ordinem constituens mandauit, vt diebus Annunciationis Domini, Natiuitatis, & dormitionis Sāctæ Dei Genitricis cum litanijs exeant à S. Adriano, & ad Sanctam Mariam populus occurreret. Quam Sergij constitutionem repetit ordo Romanus de Purificatione S. Mariæ, Albinus Flaccus de diuinis officijs cap: pariter de Purificatione, & Amalarius Fortunatus lib: 3. cap: 43. Neque Sacramentarium Gregorij à consimili voce Dormitionis, aut Depositionis abhorruit, quando in missa de vigilia in secunda oratione ad complendum hæc verba exhibet, *vt qui Sanctæ Dei Genitricis requiem celebramus*. Cum tamen in tertia Oratione venerandæ Assumptionis meminisse appareat. Consimilibus verbis vtitur etiam in missa diei Assumptionis, cuius & si dies celebrari dicatur, in Prefatione tamen, super oblata de Depositione aut Dormitione his verbis memoriam agere videtur. *Quam & si pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in celesti gloria apud te pro nobis erare sentiamus*; Et fortasse Baronius

nius in Adonem, & Vsuardum excanduit, nõ tantùm pro dormitionis voce, quã quòd cum voce, mortem tantum naturali ordine significante, Vsuardus de ipsa Assumptione dubiam quodãmodo Ecclesiam fuisse demonstret, contra fidem antiquarum ceremoniarum. Nam in Sacramentarijs, alijsque Ritualibus libris, ex quibus acceperunt, qui de Ecclesiasticis officijs scripserunt ante Vsuardum prorsus constare, Assumptionis Festum ab Ecclesia celebratum fuisse, nemo negare potest. Fluxisse huiusmodi festũ ab Apostolis, plura docẽt, quæ passim ex varijs Patribus recẽtiores adducũt, ex quibus negari nequit aliqua ex Apocriphis libris originẽ traxisse. Insigne monumentum est, quòd in Horologio Græcorum apud Gretserum tali titulo insignitur. *De exaltatione Panagiæ, quomodo facta sit, & quare.* Totã verò historiã de Dormitione, & per Panagiã reuelata Assũptione B. Mariæ, quia plurimũ ad rem nostram conducit, nec vulgaris est, hìc maluimus repetere ex ipso Diurnali; extat etiã huiusmodi fragmẽtũ in Notis Goar ad Euchologiũ Grecorũ p. 868. *Post seruatoris nostri tremendam Resurrectionem, & Spiritus Sancti descensum vsque ad diuisionem Apostolorum prædicandi causa, versabantur simul omnes Apostoli concordibus animis: Et cum post Orationem mensa accumberent relicto vacuo loco, in eo puluinar ponebant, & super puluinar partem panis, ex quo comedebant vice, & loco Christi: sumpto autem cibo surgentes, & precantes, & gratias agentes, accipiebant fragmentum panis in partem Domini sepositam: & cum id eleuarent, dicebant: Gloria tibi Deus noster; gloria tibi, gloria Patri, & Filio, & Spiritu Sancto. Et loco eius magnum nomen, dicebant: Christus resurrexit: vsque ad Ascensionem. Ab illo tempore vsurpabant illud, Magnum nomen Sanctæ Trinitatis: Domine Iesu Christe adiuua me. Et hęc quidem isto modo peragebãtur. Faciebat autem hoc quilibet eorũ, vbicumq; tandem degeret, vsq; ad Obdormotionem Deiparæ. At quando ex toto mundo in vnum conuenerunt, ducti per nubes, propter translationem Dei Genitricis, & Dominæ iustis persolutis, post sepulturam illius, videlicet tertia die, se se refocillantes, & post sumptum cibum surgentes, fragmentum panis, quod Christo sepositum, & destinatum erat, more consueto exaltarunt; Cumq. illud Magnum nomen pronunciarent, ò inopinatum miraculum! quæ mortua fuerat, viuentis instar, nubibus, & lucidissimis Angelorum Choris circumdata in sublimi apparet; Auete, inquiens, ego vobiscum sum omnibus diebus; Hoc solatium, & gaudium verbis Filij impertiens. Discipuli autem miraculo obstupefacti, loco eius, Domine Iesu Christe exclamarunt: Panagia Sanctissima Deiparæ adiuua nos. Deinde ad Sepulcrum adeuntes, nec inuento Sanctissimo Corpore, verè sibi persuaserunt; Eam tertio die instar sui Filij corpore rursus indutam ex mortuis resurrexisse, & in Cęlum assumptam esse. vt ibi cum Christo regnet in sæcula sæculorum. Amen.* An hæc reuelatio illa fuerit cuius meminit Eusebius, siuè Hieronymus in Chronico, vtique non affirmarem, quòd ab eodem, cui reuelatum fuerit, scriptum esse doceat, non ab Apostolis traditũ. Ita enim Eusebius, D. Hieronymo interprete, ad annum Christi quadragesimum octauum. *Maria Virgo Iesu Christi Mater ad Filium, & Cęlum assumitur, vt quidam fuisse sibi reuelatum scribunt.* Quasi de Assumptione Deiparæ Eusebij tempore nihil certi in Ecclesia statutum fuerit: quæ dubietas etiam D. Ambrosij ætate perdurabat, dum lib. 2. in Lucam de Simeone, & Anna agens, in morte Genitricis Domini hæret, an gladio à Simeone pręsignato, vel aliter obierit. *Nec litera*, inquit, *nec historia docet, ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse.* Hæsitauit pariter, ne dum de Assumptione, sed de morte Epiphanius, quòd ex Sanctis scripturis nihil certi eliceret Hæresi 78. Pro Assumptione equidem Mulierem Apocalypsis profert, cui alæ tanquam Aquilæ datæ sint; & As-

sumpta fuerit in desertum: sed an absque obitu in incertum reliquit. Thimotheus Presbyter Hierosolymitanus, qui aliquibus vixit seculo quinto, in Oratione de Simeone Propheta Dei susceptore, tomo 13. magnæ Patrum Bibliothecæ ad verba illa, *Et tuam ipsius animam, &c.* non dubitauit asserere, *Matrem Domini gladio interfectam, atque cruenta morte affectam, qualem Martyres vitæ exitum habuissent*; sed hos locutos esse secundum lucem sui sæculi vix dubitari licet, non dum apertè Ecclesia in Assumptionem consensiente, & posterioribus sæculis Festum Assumptionis decernente; Hæc omnia satis probabilem assertionem Nicephori reddunt, Assumptionis nempè Festum, non nisi sub Mauritio Imperatore, lata lege vulgatum, hoc est circa D. Magni Gregorij tempora. Verisimilius tamen est, ante Mauritium sub Martiano institutam huiusmodi celebritatem fuisse, quando Pulcheria Augusta Marciani vxor, & virgo, insigne templum, cui Blachernæ cognomen erat, ædificauit, & B. Dei Genitricis corpus, quod adhuc in terris esse putauerat, ex Palestina in Regiam Vrbem transferri tentauit: emulari fortasse cupiens Helenæ pietatem, quæ viuificum Sepulcrum Dei Genitricis, templo in predio Gethsemani circumdedisse refert Nicephor: lib. 8. cap. 30. At dum Iuuenalem Hierosolymorum Archiepiscopum, & Palestinos Episcopos, qui ad Calcedonense Concilium venerant de hac re consuleret, à Iuuenali, ex quo Nicephorus lib. 2. cap. 22. Historiam Obdormitionis, & Assumptionis Gloriosissimæ Matris excerpisse fatetur, edocta Pulcheria de obitu, ac in Cœlum Assumptione mirifica audiuit, & Sepulcrũ tantum, non Corpus Sanctissimæ Virginis in Regione Gethsemani superesse didicit. Tunc Sacrum tumulum cum vestibus in Blachernarum Templum translatum esse addit idem Nicephor. lib. 14. cap. 2. & lib. 15. cap. 14. & pijs Episcoporum manibus depositum proximè ad Sacram, diuinamq; Mensam, viuente adhuc Martiano, sub cuius Imperij anno quarto, vel sexto Pulcheria diem clausit extremum. Verisimile inquam tunc est, in magno pro Calcedonense Concilio Episcoporum conuentu, in ipsis Blachernarum templi encenijs, Virginalisq. tumuli translatione, ac consecratione, & ad præces pijssimæ Augustæ Pulcheriæ, vulgatam esse à Iuuenale Hierosolymitano de transitu Virginis Historiam, & Festum solemniter tunc celebrari cœptũ esse: quod circa annum Dñi quadringentesimũ quinquagesimum accidisse cõstaret. Coniectura hæc nostra videtur à Nicephoro confirmari lib. 2. cap. 23. postquam enim narrauit Historiam de Assumptione Deiparæ præcipuè à Iuuenali Hierosolymitano, Magno Viro, & Diuino numine afflato, atque ex vetusta traditione accepisse, addit. *Inde fama est, non ita pridem Sanctissimæ Virginis Sacra primum celebrari cœpta esse.* Quæ Iuuenalis per interpretem verba esse facile assentior. Neque re vera, ante hoc tempus, aliquid de Assumptionis Festo in Ecclesia licuit inuenire. Omnibus enim probatæ fidei Homelijs, cum vetustior illa appareat, quæ in collectione Albini Flacci tertia est, & Eucherio potiùs Lugdunensi restituenda, quam Eusebio Emeseno relinquenda, facile coniectari licet, dictam ab Eusebio fuisse post Pulcheriæ obitum, cum iam in Occidente Festũ Assumptionis vulgaretur; vltra annum enim 460. vitam Eucherius produxit. Officium profectò huius Festi a Sanctis Patribus institutum, quod Eucherius innuit, cum his, quæ attulimus non pugnaret, potuerat enim ab Episcopis præcipuè Palestinæ, in ipso Concilij Calcedonensis conuentu institui, & promulgari. *Merito ergo*, inquit, *Sancti Patres constituerunt, vt in hac Solemnitate B. V. Mariæ hoc Euangelium legeretur, quæ specialiter quidem per has duas Mulieres significatur.* Quantum verò, post impij Nestorij in Ephesino, & Calcedonensi Concilio proscriptum dogma, Sãctissimæ Deiparæ laudes, & obsequia apud Ecclesiam excreuerint, palam est; & ex eo tempore

pore facilè Assumptionis Festum potuit per Ecclesias omnes diffundi, iam tum etiam in Græcia prima Dormitionis voce mutata, & Metastasis, seu Transmigrationis inducto nomine. Sanè sub Leone Magno Imperatore Marciani successore, Gloriosæ Virginis veste, ex Palestina in Regiam Vrbẽ translata, qui eiusdẽ depositionis historiam scripsit, non Dormitionis voce transitum Deiparæ signauit, sed Metastasis, & Transmigrationis: Extat narratio hæc ex Metaphraste apud Lippomanum, & eamdem nuper ex Græco Regis Christianissimi codice Combefisius, latinam fecit, siuè opus sit Georgij Metropolitæ Nicomediensis, siuè Theodori Presbyteri. In Encomio pariter depositionis Zonæ apud eumdem Combefisium, cuius auctor est Heraclio Imperatori synchronus, non modo Virginis Assumptio, siuè transmigratio memoratur, sed eodem Interprete inter Deiparę dies celebriores recensetur. *Exultauimus cum Anna, & cum Ioachim propter puellæ Dei inexpectatam Natiuitatem lętati sumus. Cum puellis in Sancta Sanctorum ea præduce adducti sumus, fausti̇q. nuncium cũ Gabriele tulimus; cum multitudine Cęlestis exercitus Dei Verbi ex ea Natiuitatem glorificauimus, ac cum ijsdem eiusdem ad natum sunum Migrationem festis gaudijs celebrauimus.* Quòd verò vetustiorem omnibus, apud Latinos Patres, Homeliam Eusebij, seu Eucherij dixerim, ratio est, quia sermones alij de Assumptione, tam D. Athanasio, quam DD. Hyeronymo, & Augustino, seu Sophronio tributi, à Viris doctis supositicij existimantur, præsertim à Baronio in Annalibus ad annum 48. Et quamquam sermonem de Assumptione ad Paulam, & Eustachium in tomum nonum operum D. Hieronymi, tamquam spurium, Victorius reiecerit; compertissimum tamen esse Siphronij, D. Hieronymo coæui, asserunt alij, quod Baronius negat. Viguit hæc de celebri illo sermone quęstio, etiam nono sæculo tempore Hincmari Remensis Archiepiscopi. Frodoardus enim, qui Historiam Ecclesiæ Remensis scripsit lib. 3. cap. 25. ex eiusdem Hincmari Epistola ad Fulcricum Tricassinum Episcopum pro *Homelia Sancti Hieronymi de Assumptione ipsius Dei Genitricis, quamquidam Monachus Corbiensis Monasterij non esse recipiendam*, contendebat; ita Hincmarum respondisse refert. Homiliam eamdem à S. Hieronymo *catholicè dictatam, sicut, & stylus, & cautela sensus, & intellectus, & alia certa indicia monstrant, & certa persona, per quas de partibus Orientalibus, tempore certo delata ad regiones nostras peruenit, fidem faciunt.* Quæ verba non longè ab ætate sua, ex Oriente asportatam fuisse Homeliam illam conueniunt, cuius stylum D. Hieronymo genuinũ non agnoscit Victorius, sed alicuius Græci esse putat non admodum latinè loquentis: Et sicuti verba illa *Theotocon eam veraciter confitemur, Dei scilicet Genitricem, nec non, Christotocon*, Græcismum omninò sapiunt, ita pariter ostendunt, scriptam esse post damnatum Nestorium, & Ephesinum, ac Calcedonense Concilium, vt proindè, nec Siphronio tribui possit; quæ pariter ratio suadet aliam Homeliam, quæ Athanasio tribuitur, tanti Doctoris esse non posse. Verùm, quòd Assumptionis, seu Transmigrationis Deiparæ Festum recentius institutum sit, Nicephori nequaquam opponi debet assertio, vtpote qui lib. 17. cap. 28. exemplo Iustiniani, & Iustini, qui alios Domini festos dies solemni ritu per vniuersum Orbem celebrari mandauerant, refert, non longo post tempore Mauricium Sacrosanctæ Dei Genitricis Dormitionem quindecimo Augusti mẽsis die celebrari præcepisse; non enim intelligi debet ante Mauricium Assumptionis, seu Dormitionis Deiparæ festum, nõ dum vsu fuisse receptum; sed Mauricij legem non festi institutionem respexisse, sed potiùs accipiendũ esse solemniorem cultum; ita vt Mauricius ad instar Iustiniani, & Iustini, *toto Orbe terrarũ*, Assumptionem, seu Dormitionem celebrari mandauerit, quemadmodum Iustinus Nata-

lem Domini, & Iustinianus Exceptionẽ solemniores effecerũt festos dies licet ante illorũ Imperiũ in Ecclesia celebres iam diu fuissent. Explicationẽ hanc ex ipsius Nicephori verbis colligi videtur, quibus Iustini, & Iustiniani leges innuit. *Idem Imperator*, (nempè Iustinianus) *tum primùm Seruatoris Exceptionem, toto Orbe terrarum Festo die honorare instituit, sicut Iustinus de Sancta Christi Natiuitate fecit. Atque non ita longo post tempore Mauricius Sacrosanctæ Dei Genitricis Dormitionẽ quindecimo Augusti mensis die celebrari præcepit.* Quod enim pro Festo occursus, & Natalis Domini, tam in Iustiniani, quam Iustini sanctionibus Nicephorus nihil de constituto die addiderit; de festo verò Dormitionis in Marciani Constitutione diem quindecimum Augusti præcisè signauerit, non obscurè indicare videtur, festum hoc in illum diem Sextilis translatum potiùs fuisse, quam recenter institutum. Nec doctissimi Baronij interpretatio videtur accipienda, nimirùm quòd Mauricius eam solemnitatem antea ab Ecclesia vniuersali institutam, & receptam, ipse in Oriente tantùm, sanctione edita, promulgauerit; verbis enim illis Nicephori, *toto Orbe terrarum*, durius accomodatur, & ex non nullis, quæ Baronius idem adducit, festum illud in Occidente, vel recentius, vel Mauricio coœuum esse conuincitur. Gregorij profectò Sacramentarium, quam quam purum, & sine additione ad nostra sæcula non peruenerit, Mauricio tamen suppar est, vel posterius; Nec Eminentissimi Bellarminij responsio ad quartam dubitationem de Festis Sanctorum lib. 3. cap. 16. contrarium conuincit, nimirum, quòd tàm Festum Purificationis, quàm Assumptionis ætate Hieronymi, & Crisostomi institutum fuerit; id enim de Purificatione, seu Hypapanthe verissimum fateri oportet: de Assumptione verò, nisi spuria pro Hieronymi legiptimis suscipiamus, nullibi constare video. Nec negari potest Orientis, Imperatores, Iustinianum præcipuè, ac eius successores, non modo plura quàntumuis incongruè, de Ecclesiasticis ritibus statuisse, sed iura Ecclesiæ sibi frequenter vsurpasse, vt ex eorumdem legibus, & his, quæ de Concilijs, alijsque Sacris institutis sibi arrogauerũt, passim apud Græcos historicos licet obseruare; quinimò Constantinum Magnum, piumq; Imperatorem, de diebus Festis decreta, & leges statuisse apud Eusebium legitur lib. 4. de vita Constantini cap. 18. At quòd Mauricius Assumptionis, siuè Dormitionis festum transtulerit in Augusti mensem, non modo à nostro Martyrologio, alijsq; veteribus monumentis non dissonat, sed Mauricij pietati, & vetustiori eiusdem Festi institutioni facilè potest accomodari. De die equidem Dormitionis Deiparæ, ante Mauricij constitutionem fateor me nihil potuisse in Sanctis Patribus inuenire; neque apud Baronium, qui diligentissimè omnia de Deiparæ Assumptione collegit, tam in Annalibus ad annum 48. quam ad Martyrologij diem 15. Augusti, aliquid adnotatum vidi. Etenim quod, ex Nicolai Papæ Primi responsione ad consulta Bulgarorum, vetustatis argumentum elicit, Eminentiss. Baronius, non ita efficax videri potest, vt quæ dicimus destruat. De ieiunijs siquidem in Ecclesia seruari consuetis, dum Nicolaus cum Bulgaris adhuc in Fide nouitijs, agit, ita eorum numerum, & pondus distinguit, *Quadragesimali videlicet tempore, quod est ante Pascha, Ieiunio post Pentecostem, Ieiunio ante Solemnitatem Assumptionis Sanctæ Dei Genitricis, & semper Virginis, & Dominæ Nostræ Mariæ, nec non Ieiunio ante Natalis Domini Nostri Festiuitatem, quæ Ieiunia Sancta Romana Ecclesia suscepit antiquitus, & tenet Ecclesia.* Nihil tanè hìc de antiquitate Festi Assumptionis, in ipso mense Augusti, Pontifex adducit, & ieiunium, ab instituto Assumptionis, seu Dormitionis festo, quinto sęculo cæptum, (si ita re vera fuisset) non nisi antiquum dici poterat, cum Nicolaus anno 856. sedere in Apostolica Cathedra cæperit. Cumque iam ter-

centi

centi ferè anni à Mauritio tunc effluxissent, cum ad Bulgarorum quæsita Pontifex ille respondit, iam antiquũ ieiuniũ dici poterat. Nõ dum inter celebriores dies Assumptionis festum, tempore Caroli Magni numeratũ esse apparet, cũ lib. 1. capitularis .n. 166. enumeratis festis diebus, qui per omnia venerari deberẽt, incerta hæc celebritas relinquitur. *De Assumptione Sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus*, quã tamen vti certæ, & solẽnis deinceps venerationis in Capitularibus Ludouici, & Lotharij recenseri obseruamus. Sed explorandum deinceps est, an aliqua vetustiora Martyrologia, aut aliqua Ecclesiæ monumenta supersint, quæ cum nostro consonent, & Depositionem in Sepulcro, vel Dormitionem Deiparæ, mense Ianuario, aliquando celebrem fuisse confirment. Profero in primis vetustissimũ D. Hieronymi apud Bollandum, quod & Antuerpiense sæpe vocamus, siuè ab alijs S. Vuillibrordi, siuè Epternacense, siuè vetus Romanum nuncupetur. In hoc ad diem 18. Ianuarij tom. 2. de Actis Sanctorum, quam quam Bollandus inter prętermissa reiecerit, & in magno fragmento Antuerpiæ apud Moretum in laminis edito, hæc verba præstant, cũm nostro penitus consonantia *XV. Kal. Feb. Depositio S. Mariæ*. Ita eodem die in vetusto Calendario Epternacensi eidem Martyrologio præfixo legitur. *Et Adsumptio Sanctæ Mariæ*. In alijs verò minus vetustis, quòd insolens antiquario visum esset, hac die Assumptionem, vel Dormitionem, aut Depositionem Mariæ Virginis recoli, ablato titulo repositum tantum fuit ad eundẽ diẽ 18. Ianuarij, *S. Mariæ Matris Domini*, puta Festum, seu commemoratio. In ms. pariter Dungalensi apud eumdem Bollandum, alijsq; minus vetustis Calendarijs legitur. *Electio Beatissimæ Virginis Mariæ*, quæ fortasse ibi recolitur, quia translata Assumptionis solemnitate in Augusti mensem, pia populorum deuotio hunc diem conuerterit in memoriam electionis semper Virginis Mariæ in Dei Matrem. Circa hunc mensem Græcis fuisse memoratum diem Dormitionis, siuè æternæ quietis Deiparæ, non leue seruatur adhuc argumentum in vetusto Calendario, duobus voluminibus de Vitis Sanctorum prefixo in Collegio Romano Marorarum, Ægyptia, vel Siriaca lingua conscripto; ad diem enim 21. Tybi mensis, quæ 16. Ianuarij respondet, hæc verba prostant, interprete Athanasio Kircherio. *Hoc die requiescit Deipara*, & ex modo, & ordine comparandi Solemnitates Virginis, quo vsus est auctor encomij depositionis Zonæ, in verbis supra adductis, suboscure deduci videtur, non longè post Domini Natalem, Virginis migrationem celebrari consueuisse. An verò Romæ, & vbique, quod Mauricius de celebritate Assumptionis sanciuit, statim seruatum fuerit, me fateor ignorare. In historia quidem Pontificali, siuè Anastasij, siuè alterius Bibliothecarij fuerit, cuius supra meminimus, dum Sergium Papam Litaniam à S. Adriano instituisse narratur, ex ipso quo recensetur ordine, colligi posse videtur, Dormitionem S. Dei Genitricis inter Natiuitatem, & Hypapantem Romæ fuisse celebrem, hoc est ipso mense Ianuarij, ita siquidẽ legitur in Anastasij codice, quo vsus est Binius in collectione Conciliorum; *diebus Annunciationis Domini Natiuitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis, ac S. Simeonis, quam Hypapantem Graci appellant*. At quia alij aliter, & mutato ordine legunt, nempè Ordo Romanus, Albinus Flaccus, & Albo Floriacensis, *Nempè diebus Annunciationis Domini, Dormitionis, & Natiuitatis Sanctæ Dei Genitricis Mariæ*; nihil nisi per leuem coniecturam in his immorari licet; Aliam tamen in re antiquissima, & hucusq. scriptoribus ignota, addere libet ex Epistola Euodij lumen appellata, cuius fragmenta exhibet Nicephorus lib. 2. cap. 3. Is, qui Apostolorum successor fuit, seriem annorum aliquorum Sacræ Chronologiæ contexens, ita per interpretem loquitur. *A Stephani deinde Martyrio vsque*

dum

dum Paulum lux circumfudit, vtriusque sex. Inde vsq. ad Sanctæ Dei Genitricis decessum annos tres: Quid quid enim sit de die agonis Diui Stephani, siuè cum die inuentionis eius corporis coincidat, siuè post Natalem Domini, vt eius Festum Ecclesia nunc celebrat, sanè ex Martyrologio Romano die 25. Decembris constat, non longè ab Ascensione Domini à Iudæis fuisse lapidatum, hoc est post Spiritus Sancti aduentum, electionē ipsius in Diaconum, & prodigia, quæ faciebat in Populo, quæ tempus illud non longè ab Ascensione, mense Maio celebrata in Iunium, vel Iulium extendere facilè possunt, à quo sex menses, vel septem, vt legit Baronius numerati, Stefani necem in Ianuarium deducerent. Sin verò Deiparæ Dormitio à S. Pauli Conuersione anno tertio euenisset, & anni non crassiori mensura, & rotundi computentur, vt diuisio ab Euodio facta per menses, & sex mensium ratio importare videtur, non longè à D. Pauli Conuersione etiam Beatæ Virginis Assumptio, siuè Dormitio esset reponenda. At cum dies Conuersionis D. Pauli, quam translationem Martyrologium nostrum appellat, tam in Gregorij Sacramentario, quam in Romano, & Notzeri Martyrologio, & in antiquo Codice Remensi apud Menardum, die 25. Ianuarij recolatur, non malè circa eundem diem, quo tertius annus vertebatur, Dormitio Deiparæ reponeretur, nec longè à Domini Natiuitate Matris Dormitio, siuè Assumptio incideret; cum Euodius idem, *tempus omne à Natiuitate Christi vsque ad Dei Genitricis migrationem, annos fuisse dicit quadraginta quatuor*. Non enim memoria Dormitionis Deiparæ à 25. die Decembris, quo natum Dominum, idem Euodius profitetur, distaret nisi per 24. dies, quos fortasse Euodius, in diuisione sua annorum per menses, non dies, flocci fecit. At cum Euodij, & Hyppoliti Thebani cronologia minùs Baronio arrideat, in D. Stephani Passionis tempore statuendo, & in numerorum notis errores facilè irrepere potuerint, non omninò his fidendum esse consentio. At cum plura vetera diuersarum Ecclesiarum monumenta fidem nostro Martyrologio adaugeant, nobis hęc attuliſſe sufficiant, vt qui plus otij, ac veterum codicum copiam nacti fuerint, meliora, & magis certa ad Deiparæ gloriam aliquando prodant. Neque hìc pro coronide silere libuit, malè inter se cohærere, quæ ex Nicephoro, de translatione Sepulcri Sanctissimæ Matris Constantinopolim attulimus, tempore Pulcheriæ Augustæ, cum his, quæ de eiusdem Sacratissimæ Virginis tumulo recentiores oculati testes narrant, dum Sacra Hierosolymorum loca perlustrarent; nempè adhuc sacrum intemeratæ Matris sepulcrum in Ecclesia illa, quam Helena construxit, persistere. Ita Burchardus part. 1. cap. 7. §. 46. disertè refert sacrum Virginis Sepulcrum à Seracenis etiam osculo, & clamoribus veneratum, à se etiam ex osculatum esse, pluraq. de eo, ciusq; Ecclesia addit, quæ breuius repetit Adrichomius nu. 198. Sed præter alios recentiores, nuperrimus testis est Petrus de Valle in itineribus suis epist. 13. Aleppo scripta de anno 1616. Sepulcrum Deiparæ adhuc recoli in ima Valle Iosaphat, vbi torrentis Cedron alueus excurrit; parumq. à solo Ecclesiam surgere, ex qua per quinquaginta gradus ad Sepulcrum descenditur. Sepulcrum ipsum describit ad modum cellulæ, in qua velut altaris mensa sit, & super quam corpus more Hebræorum fuerit repositum. Cum vero cellulam ex viuo lapide excauatam referat, difficillimè exportari potuisse confirmat, & adhuc ibi remanere vera Sepulcrum, cuius ostium magnus lapis claudebat. Potuit ergo Pulcheria non saxeum tumulum, cellulam, seu mensam Constantinopolim transferre, sed sacrum illud feretrum, ad cuius contactum prodigia illa emanarum, quæ habentur in Historia transitus B. Mariæ, quòd potuit ab Apostolis in ipsa sepulcrali cellula poni, vna cum fascijs ibidem relictis, in Assumptionis argumentum,

&

& à posteris hæc seruata transferri, remanente adhuc Hierosolymis Diuinæ Matris Sepulcrum in Obdormitionis, seu Depositionis in nostro Martyrologio indicatæ monumentum.

XIV. Calendas Februarij.

IN Affrica Pauli. Quinti. Geronti. Genuari. Saturnini. Successi. Germani. Tertuli, & aliorum multorum. Tyberitani. Maioli. Victoriani. Honorati. Fortunati, Iulij. Lucij. Marcusi. Publi. Felicis. Gagi. Vittalis. Cassiani. Victoris. Secundi. Primi. Hispani. Caemari. Item Lucij. Saturnini. Floridi. Callisti. Molendionis. Hierosolymę Marthæ, & Mariæ Sorores Lazari. In Carthagine Picariæ. Piæ, & aliorum XXXVIII. Zosimi. Menelampi. Tyberiani. Fortunati. Romæ passio Sebastiani Martyris. *Lugduno Ordinatio Episcopatus S. Niceti Episcopi.*

IANVARII 19.

HOs primò recensitos in Affrica Martyres, proprijs nominibus indicatos, octo esse in omnibus ferè codicibus inuenio, præter alios Anonymos multos nõ tamen, qui sequuntur his adnectendos esse crederem, & si doctissimus Bollandus id censere videatur; nam phrasis ea post primos in Affrica vniuersim enumeratos, *& aliorum multorum*, videtur demore classem illam claudere; vnde quòd sequitur Tyberitani, Maioli &c. alterius classis esse existimarẽ pariter in Affrica; legendum enim putarem Tibilitani, vel Tiblitani, loco nimirum iuxta Hipponem Regium Antonino, & D. Augustino, quę Tibilis, vel Tibili Vrbs dicebatur, & frequentius Tiblitanę Aquę. Huic Vrbi reliquos Martyres assignandos esse probabile est, quod expressius ita habet martyrologium Cõrbeiense, quam nostrum. *XIV. Kal. Febr. In Affrica Quinti, Pauli, Geronti, Ianuarÿ, Saturnini, Successi, Germana, Tertuli, & aliorum multorum. Tibiritani, Maiuli, Victuriani, Honorati, Fortunati, Iulÿ, Lucy, Marcusy, Publij, Felicis, Gai, Vitalis, Cassiani, Victoris, Secundi, Primi, Hispani, Cacinari; Item Lucÿ, Saturnina, Floridæ, Cœlesticę, Molendonis. Hierosolyma, Martha, & Maria sororum Lazari. Carthagine Pigariæ, Piæ, & aliorum triginta octo, Zosimi, Menelampi, Tyberiani, Fortunati. Lugduni ordinatio Episcopatus S. Nicetÿ.* Parũ in aliquibus nominibus deflectit illud à nostro, & pro S. Martyribus sanctas aliquas profert, vt pro Callisto Cœlesticã. Martyrologium S. Hieronymi Antuerpiense in aliquibus pariter nominibus differt; puta pro Germano Germanam, cum Corbeiensi profert, pro Tertulo Tertulam, pro Gagio Gaiam, pro Cacmaro Cacinanum, pro Florido Floridã, pro Callisto Callistam, vt ex sequenti laterculo patet. *XIV. Cal. Febr. In Affrica Pauli, Quinti, Geronti, Ianuarÿ, Saturnini, Successi, Germana, Tertuli, & aliorũ multorum. Tiberitani, Maioli, Victoriani, Honorati, Fortunati, Iuli Luci, Marcusi, Pupli, Felicis, Gaia, Vitalis, Cassiani, Secundi, Victoris, Primi, Spani, Cacinani. Item Luci, Saturnina, Floridæ, Calista, Melendionis. In Hierosol. Marthæ, & Mariæ Sororum Lazari. Carthagine Priaria.*

aria, Pia, & aliorum XXXVIII. & alibi Zozimi, Menilampi, Tubariani, Fortunati, S. Niceti. Hibernicum martyrologiũ Dungalenſe corrupta videtur plurima habere, & mſs. S. Martini Tornaci, & Letienſe pro verbis illis, *& aliorum multorum*, numerum ſatis amplum ita apponunt, *cum alijs ſexcentis*.

Hieroſolymæ Martæ, & Mariæ Sorores Lazari &c. ita etiam habet martyrologium Sancti Hieronymi antiquiſſimum in laminis, vt iam ex adducto laterculo conſtat, ita Corbeienſe, ita mſs. Reginæ Sueciæ, expreſſis his verbis. XIIII. *Kal. Hieroſolymæ Marthæ, & Mariæ Sororum Lazari.* Ita mſs. varia apud Bollādũ, qui mſ. Hibernico eadẽ omiſiſſe profitetur, q̃ minùs aptè interpoſitę videãtur Diuę hę Heroides. Aliquod mihi in noſtro immutare religio eſſet, ſicuti de pluribus Magdalenis longius differere ſuperuacuum exiſtimarem: cum paſſim ex vetuſtis Patribus apud Sacros expoſitores huiuſmodi diſquiſitiones proſtent. Affirmauit ex eruditioribus Bulingerius Diatribe tertia ad Caſaubonum pro Baronio, quòd tamen Baronius longe diſſerẽs negauit Tomo 1. Annalium. Negat etiam, qui Tertullianũ rediuiuum recenter fecit Georgius Ambranenſis obſeruatione in cap. 11. libri de pudicitia. At Græci antiquitus Patres in duplici Magdalena conſpirant, Victor Antiochenus, Euſebius Ceſarienſis, Ioannes Theſſalonicenſis, & cum Chryſoſtomo, Modeſtus Archiepiſcopus Hieroſolymitanus, ex quo infra aliquid delibamus. Niſi ergo dicamus hic, & in pluribus mſs. memoriam Mariæ, & Marthæ recoli Hieroſolymis, quamquam alibi obierint, quia in ea regione natæ, & in ea Eccleſia celebres eſſent, difficillimum erit ea ſimul componere, quæ de Magdalena apud Maſſilienſes feruntur, & ab Eccleſia ſuſcipi videntur in Romano martyrologio die 22. Iulij. S. Magdalenæ corpus Epheſi quieſcere habet Gregorius Turonenſis Gallus ſcriptor de Gloria Martyrum cap. 30. Sed Conſtantinopolim Curapalates. & Zonaras, ſub Leone Philoſopho tranſlatum cum corpore Lazari fratris, narrant, ex Inſula Cypro, & in nouo extructo templo Conſtantinopoli repoſuiſſe. Cedrenus tamen in compendio Hiſt. in Leone Imperatore, Reliquias Lazari, & Magdalenæ Epheſo, non è Cypro allatas aſſerit, atque Epheſi, nullo tegmine ſuperaddito, ſuo tempore eius corpus quieſcere, traditum eſſe teſtatur etiam Sigibertus annno 745. qui addit quoq; ex Aquenſi Vrbe tranſlatum ad cœnobium Viceliacum: vbi quieſcere conditum, & toto orbe prędicari habet lib. 3. Hiſt. Vezeliacenſis Hugo Pictauinus, qui eas ſcripſit, & abſoluit anno 1167. Extat apud Photium in Bibliotheca num. 275. contractus ſermo Modeſti Archiepiſcopi Hieroſolymitani in Vnguenta ferentes Mulieres, in quo docetur Magdalenam Virginem illam fuiſſe, ex qua ſeptem Dæmonia Dominus eiecit, & quæ martyr obierit. Tenuit Modeſtus Cathedram Hieroſolymiorum circa annum ſexcenteſimum, & in antiquis Hiſtorijs ita accepiſſe docet in verſione Andreæ Schoti. *Hiſtoriæ tradunt, Magdalenã hanc Virginem fuiſſe, & martyrium huius memoratur, vbi dicitur, propter ſummam illius Virginitatem, & puritatem illam, tamquam vitrum purum tortoribus viſam eſſe. Poſt obdormitionẽ Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ profecta eſt Epheſum ad dilectum Diſcipulum, vbi curſum Apoſtolorum per martyrium vnguentifera Mariæ perfecit, nolens ad extremum vſque ſpiritum à B. item Euãgeliſta, & Virgine ſeparari.* Quãquam ergo plurimi ex Græcis vnam Magdalenã Epheſi ſepultam videantur aſſerêre, quia tamen Nobiles hę Hieroſolymitanę Sorores ab omnibus credebãtur, vel ſaltem ex propinquiori Bethania erant Hieroſolymis valde notæ, in eadem Vrbe à pluribus martyrologijs memorari non eſt abſurdum; ſicuti non negarem, noſtri Martyrologij phraſin à martyrio ijſdẽ adiudicãdo, nõ abhorrere. Verũ præter mſs. codices, in martyrologio Rabani ſub

hac

die legitur. *Hierosolyma natale Marthæ, & Mariæ Sororũ Lazari*. Et in Notkero. *Hierosolymis natiuitas Marthæ, & Mariæ Sororum Lazari*. Consonant martyrologijs vetustiora Sacramentaria, præcipuè quæ Menardus habet ex Codice Rodradi, & ex Codice Remensi ad Sacramentarium Gregorij p. 37; vbi etiam adducit ex martyrologio S. Hieronymi Corbeiense, quæ iam notauimus, & in sequentem diem reijcit, quæ ex Romano martyrologio hac eadem die 14.Kal.Februa. rij de Mario, & Martha eius coniuge recensentur; quasi reliqui codices vitiati sint, & pro Maria Marium legi debeat. Neque hic silere duxi, paruum S.Hieronymi ms. Calendarium, cum alio codice Bibliothecæ Canonicorum Lucensium, hac die Marium, & Martham ita adnotare. Alter *XIIII. Kal.Febr. Sanctorum Marij, & Marthæ, Filiorum*. Alter *XIIII. Kal. Sanctorũ Marij, Marthæ, & Audifax*. At cum in pluribus antiquis iam relatis codicibus de Sororibus Lazari manifestè commemoratio, & Hierosolymis explicetur, de antiquis loqui non est dubitandum. Neque etiam dicendum est de duobus Sororibus Virginibus, ac Martyribus hic agi, cuius certamen signat 6. Idus Feb: Basilij Menologium, quia diuersissimæ à Hierosolymitanis sunt.

Carthagine Picariæ &c. Eadẽ Sanctas Martyres exhibet, vt vidimus martyrologiũ S. Hieronymi Corbeiense. Addimus & editũ Notkeri, in quibus omnibus subditur, *cum alijs XXXVIII*. Sed de his, qui sequuntur quatuor Martyribus *Zozimo*, nempè, *Menelãpo, Tybariano, & Fortunato* silet Bollandus, quamquam in Hieronymiano, & Dungalense prostare fateatur; quòd eosdem putet, cuius meminit 18. die Ianuarij. At diuersa in nostro nomina diuersos martyres esse suadent.

Roma Passio S.Sebastiani, &c. Nullibi sub hac die adnotatum certamen S. Sebastiani inuenio. Ex pluribus etenim martyrologijs editis, & mss. testatur Bollandus, & ex Sacramentarijs Menardus, die sequenti cum Fabiano memoriam ipsius peragi consueuisse. At mirandum hic nullã Fabiani mentionẽ induci, cùm tamen nõ 13.Cal.Febr. sed 14. sepultum Via Appia doceant liber Pontificalis, seu Damasi, tam manu notatus in Bibliotheca Canonic. Lucensium, quam editus, & Luitprandus de Vitis Pontificum. Initio fortasse esse potuit, vt S.Sebastiani Passio die 19. recoleretur, quia in ea die passus re vera fuerit. At esi S. Fabianus iam ad Cathacũbas sub Decio palmã assequtus recumberet, & ex Epistolis Cypriani appareat, Romæ memoriam eius apprimè venerabilem fuisse; superueniente deindè D.Sebastiani nõ vulgaris martyris memoria, acciderit vt in eodẽ loco ad Fidelium cõmodum eadem die vtriusque festum recoleretur; quod vnica Missa factum Menardus habet, ex antiquo codice Ratoldi. Nisi quis diceret cum Luitprando S. Fabianum coronatum esse 14. Calendas Februarij & cum Albone Floriacẽsi sepultum esse 13. Calẽdas Februarij, quando D.Sebastianus pariter 14. Cal.coronatus, & sequenti die 13.Cal.Febr. post mediã noctẽ ad catacũbas sepultus fuit per Lucinã Matronã, vt eius acta habẽt, ac ideo ambobus dies Festus sequens deputatus sit, & vterque dies S.Sebastiano signatus, alter nimirum passionis, alter sepulcri.

Lugduno ordinatio Episcopatus Sancti Niceti. Hæc ex additis non dubito ad Hieronymi martyrologium. Quòd verò de Nicetio Martyrol. Romanum meminerit die 2.Aprilis, sciendum depositionem esse, hac verò ordinationem, quam confirmant Martyrologium Corbeinse, Vvandelberti, Galesinij, Canisij, Saussay; Antuerpiense tantum Nicetium recolit, sine episcopali titulo.

XIII. Cal. Februarij.

ROMÆ in Cœmeterio Fabiani Episcopi, & Sebastiani. In Cœmeterio Marij. Marthæ. Audifax. & Abbacuc. Lugduno Galliæ. Clementis Presbyteri. In Nicomedia Leonti. Biti. Ciriaci. Vrsi. Cendei. Leuci. Flori. Felicis. Celedoniæ. Marciæ. Neuiduno Tyrsi. Quiriaci, Gallinici.

IANVARII 20.

ROMÆ in Cœmeterio, &c. Cœmeterium Callisti, vt potè cæterorum celeberrimum antonomasticè cœmeterium dici potuisse, testis ita est D. Cyprianus ep.9.ad Successum. *Sixtum autem in Cœmeterio animaduersũ esse sciatis V.Idus Augusti.* Quem Sanctum Pontificem in Cœmeterio Callisti martyrio coronatum fuisse palam est, & adnotauit Pamelius. Reliqua de Fabiano, & Sebastiano, die præcedenti animaduertimus. Antiquissimum fragmentum Martyrologij Romani apud Bucherium de emẽd. temp. ad vict. canon. cap.15. Fabianũ, & Sebastianũ ita exhibet. *XIII. Cal. Febr. in Callisti, & Sebastiani in Catacumbas.* Cum reliquis verò ita antiquum martyrologium Antuerpiẽse in lamĩnis excusum *XIII. Cal. Romæ passio S.Sebastiani, Fabiani Episcopi. Via Cornelia miliarium ab Vrbe XII. Marij, & Ambacy. Lugduno Clementis Presbyteri. In Nicomedia Leonti, Cyriaci, Bitiendi, Vrsi, Flori, Felicis, Celedoniæ, Marciæ, Neueduno Tarsi, Leuci, Galliniei, Chiriaci, & in Spanis Vincenti.* De Sebastiano addit mſ. martyrologiũ Reginę Sueciæ *XIII. Kal. S.Sebastiani martyris, qui fustibus diù fatigatus occubuit tempore Diocletiani.*

In Cœmeterio Marij, &c. nulla extat huius Cœmeterij mentio, quod sciam, sed facilè est Arenarium illud Via Corneliaad Nymphas Charabasso, in quo Martyres passi sunt, vt eorumdem acta, tum mſs. apud Aringhium Romæ subt. lib.2. cap. 16., tum apud Bollandum, ab ijsdem martyribus nomen deindè accepisse, & vocatum esse Marij, & Marthæ, &c. quorum corporibus Romam deindè translatis, Arenarij, seu Cœmeterij nomen desierit. Eadem acta expressè docẽt, Sanctos hos Persides martyres hac die coronatos esse, non superiori, quo plura martyrologia memoriam eorumdem recolunt; & causam, quòd vno die eorum celebritas præueniatur, putat Molanus fuisse, quia dies passionis eorum martyrio SS. Fabiani, & Sebastiani fuerit deputatus.

Lugduni Galliæ Clementis Presbyteri, &c. S.Irenei discipulum hunc fuisse habetur ex Saussayo. Meminit, vt vidimus S.Hieronymi apud Bollandum Martyrologium; sed ad calcem diei reijcitur in Corbeiensi. De eo agunt Galesinus, Molanus, & Ferrarius. An inter additos, extra numerum antiquorũ reponi debeat, non facilè assererem, cum neque in Antuerpiensi in fine, vt de additis assolet, reponatur.

In Nicomedia Leontij, &c. Nouem tantum Martyres, & aliqua nominũ differentia numerantur in Antuerpiensi iam adducto Martyrologio. Nostrum addit Leucium, quem idem S. Hieronymi mſ. sequentibus Neueduni sociat; vbi enim nostrũ legit Tyrsi. Quiriaci. Gallinici illud refert Tarsum, Leucium, Gallinicum, Chiriacum, sicut in Dungalensi pro Leucio

cio Leontium haberi animaduertit Bollandus; in Corbeiensi quoque ita vocatur. *XIII. Kal. Febr. in Cœmeterio, Fabiani Episcopo, & passio S. Sebastiani Martyris. In Cœmeterio Marij, & Martha vxoris eius, Audifax, & Abacuc. Nicomedia, Leontij, Biti. Ciriaci, Vrsi, Cendei, Felicis, Calidonię, Martiæ, Nicetij. Nineduno Tyrsi, Quiriaci, Gallinici, Lugduno Galliæ Ciuitate Clemētis Presbyteri.* Differt Martyrologium hoc Corbeiense à nostro, quòd Leontium pro Leucio habeat, cum nostrum, & Leontium, & Leucium exhibeat, & Florum, qui in Corbeiensi defecit, & in Antuerpiensi memoratur. In his tribus Niueduni, siuè Nouioduni Thyrsus cum socijs indicatur, sed scriptoribus quos viderim Galliæ ignoratos. De Cyriaco tantum agit incertus, & fluctuans Bollandus ad hanc diem. Thyrsum. Leucium, & Gallinicum eos putat, esse Appollonię Martyres, de quibus in pleriſq. Martyrologijs agitur die 28. Ianuarij.

XII. Cal. Februarij.

ROMÆ Passio Agnetis Virginis. Natalis. Felicis. Fructuosi. Celsionis. Fulogicæ. Cicilianæ. Auguri. Martialis. Item Felicis. Viti. Candidi. Flori. Leonti. Ciriaci. Faustaci. In Nicomedia Eustasi Confessoris. In Affrica Salutaris, & Ermetis. In Hispania Ciuitate Taracona Passio S. Fructuosi Episcopi. Auguri, & Elogi Diac. Trecas Passio S. Patrocli Martyris. Aruernus Depositio B. Auiti Episcopi. Saturnini. Quinti. Marini. Dacij. Satyri. Gaddiani. Celiani. Zabullij. Mammas. Vincenti. Aroganti. Victoris. Repositæ. Primi. Lucij. Maiulini. Honorati. Marcusi. Secundi. Castini. Gagi. Celestini. Ermis Presbyteri, & Publi.

IANVARII 21.

ROMÆ *Passio S. Agnetis*, &c. hunc diem passionis fuisse manifestiùs habet antiquum Calēdarium à Fronto editum, in quo ad hanc diem legitur *Natale S. Agnæ de passione*, sicuti antiquum fragmētum Romani Martyrologij penes Bucherium, loco alias adducto *XII. Chal. Febr. Agnetis in Nomentana*. Agna, & Agne apud alios etiam dicitur, vt Bedā, & Vuandelbertum. Reliqua de celeberrima Martyre videātur apud Bollandum. De Agnete eadem die, qua recolitur S. Fructuosus Episcopus cum socijs, sermonem habet D. Augustinus de diuersis 101. inter additos à Doctoribus Louanienſibus, & elogium luculentissimum, quo eius vita percurritur, exhibet Sanctus Ambrosius serm. 90. Videndaetiam sunt, quæ dicimus ad diem 18. Octobris.

Natalis Felicis, &c. Hæret Bollandus, vbi nam Martyres hi quatuordecim sint collocandi, tredecim tantùm illi sunt, quòd deficiat in ms. S. Hieronymi martyrologio Fulogica, seu Fulogia, quam habet ms. Dungalense. At cum post Agnetē illi Romæ numerētur, & insequentibus aliorum Patria distinguatur, Romæ passos fuisse verisimile est; &

quam quam nõnina aliqua cum Sanctis aliquibus superioris diei conueniant, in tanta Martyrum vbiq. segete, & vsitatis nominibus, nihil immutarem. Correctiora in nostro omnia videntur nomina, quam in codicibus à Bollando allatis, cuius tamen Hieronymianum, siue Antuerpiẽse ita hac die omnia exhibet *XII. Cal. Romæ Sanctæ Agnæ Virginis, Felicis, Fructuosi, Celsiani, Celiani, Augori, Marcialis; Item Felicis, Cendei, Viti, Flori, Leonti, Cyriaci, Fustaci. Nicomediæ Eustasis. In Affrica Solutaris, Hermetis. Spania Ciuitate Racona Sanctorum Fructuosi, Auguri, & Eulogiæ Daci, Trecas S. Patrocli, Aruernius, Depositio Auiti Episcopi. Alibi, Saturnini, Quintini, Marini, Dacij, Saturi, Gaddiani, Celani, Zabuli, Mammaes, Vincentiæ, Rogati, Victoris, Repositæ, Primi, Luci, Maulini, Honorati, Macusi, Secundi, Castini, Cai, Cælestini, Ermis Episcopi, & Pupli; Vincenti. Spoliti Ciuitate Vitalis.* Aliquantulum ita differt Martyrologium Corbeiense Dacherij, in quo hon mihi liquet, cur Patroclus, & Auitus ad calcem in ms. relegentur, cũ in nostris codicibus, & Antuerpiense non videantur ex additis. *XII. Kal. Febr. Romæ passio S. Agnetis Virg. & natalis Felicis, Fructuosi, Celsionis, Felogicæ, Caciliane, Augury, Martialis, Item Felicis, Viti, Candei, Floræ, Leontij, Cyriaci, Faustaci. Nicomediæ Deustasi Confessoris. In Africa Solutoris, & Hermetis. In Hispania Ciuitate Tarracone passio SS. Fructuosi Episcopi, Augori, & Eologi Diaconi, Saturnini, Quinti, Marini, Dacij, Satyri, Gaddiani, Cæleriani, Zabolis, Mammas, Vincentij, Rogati, Victoris, Repositæ, Primi, Lucij, Maiulini, Honorati, Marcusij, Secundi, Castini, Gagi, Caleſtinij, Ermis Episcopi, & Publii. Item Leontii. Trecas, passio S. Patrocli martyris, Aruernis depositio B. Auiti Episcopi.*

In Nicodemia Eustasi, &c. Bollandi hic ms. martyrologia Confessorem non addunt; ita tamen legit, vt vidimus Corbeiense. Confessionis titulum accipio pro constanti tormentorum, & arumnarum tollerantia, in quibus tamen animam S. Eustasius nõ afflauerit, quicumq; ille fuerit etiam Bollando ignotus.

In Affrica Salutaris, & Hermetis, &c. Solutarem dicit ms. Hieronymi apud Bollandum, Salatorem Dungalẽ. A se nostro vbiq. correctiore non discederem.

In Hispania Ciuitate, &c. sub Valeriano, & Gallieno passos hos Sanctos Martyres habent acta apud Bollandum, sed ex hymno Prudentij in Peristephano corruptum esse patet Antuerpiense martyrologium, in quo pro officio Diaconatus Angurij, & Eulogij addi videtur alius Martyr Daci pro Diaconi, pro Teracone Racona, pro Eulogio Eulogius. Bis Fructuosi meminit Prudentius, & in hymno proprio, & inter Martyres Cæsarauguſtanos. Aliqua habet non spernenda Martyrologium Hispanum Salazarij, in pluribus tamen furfuribus refertũ ex D. Augustino sermone supra adducto in *Natali SS. Fructuosi Episcopi, Augurij, & Eulogij Diaconorum.* Martyrologium ms. Reginæ Sueciæ, pro Augurio habet *Augulis.*

Trecas S. Patrocli, &c. passum hac die habent vtraque acta apud Bollandum, vbi de eo plura.

Aruernis Depositio, &c. nutat Bollandus, an de primo Sancto Auito Arduenorum Episcopo, an de secundo hic depositio accipienda sit. At quamquam Auiti Secundi memoriam in Ecclesia Aruernensi ex Sauarone peragi etiam hac die accipiat, nil vetat de Auito primo hic depositionem memorari, quam vis Festum 20. Septembris nunc recolatur. Celeberrimum Auiti Aruensis Episcopi Senioris apud Gregorium Turonensem nomen est, qui floruit circa annum Domini 580. vt ex lib. 5. cap. 11. Historiarum educitur, sæpiusq. de eo agit, tam in libro de Gloria Martyrum, quam Cõfessorum. Ex additis in Gallia Sanctis ad nostrum Martyrologium dubitari licet, & in suo D. Hieronymi, seu Antuerpiense Bollandus non modo additum agno-

ſcit, ſed nullum alium recentiorem Sanctum adeſſe notatum exiſtimat. Inter additos reiecit quoque Dacherius in Corbeienſi.

Saturnini Quinti, &c. Cum hi Sancti Martyres ſtatim poſt depoſitionem Auiti apud Aruernos recenſeantur dubium eſſet, an illis eſſent accenſendi. At cum dubitari poſſit, ex ſuperadditis Sanctum Auitum eſſe, malè etiam ab antiquario inter Martyrum ſegetem eſſet repoſitus. Antuerpienſe Martyrologium ſcrupulum remouet; legit enim poſt Auiti commemorationem Aruernis.

Alibi Saturnini, &c. differunt inter ſe nŕi codices ab illo in aliquibus nominibus. præſertī verò in Hermete Epiſcopo. M. noſtrum legit Ermetem Presbyterum non Epiſcopum, & de Vitali Spoletano prorſus ſilet, ſicut, & Corbeienſe. Varietatem nominum quiſque conferre poteſt, & an vter codex correctior ex alijs indicare.

XI. Cal. Februarij.

IN Hiſpania Ciuitate Valentia paſſio S. Valerij Epiſcopi, & Vincentij Diac. & martyrum XVIII. cum ſocijs ſuis. Quintiliani, Caſſiani. Matutini. Puluij. Vrbani. Martialis. Fauſti. Pauli, Succeſſi. Petri. Felicis. Ianuarij. Primitiui. Eoboti. Optatiui. Ceciliani. Frontonis. Iuli. Ianuarij. Luberci. Apodomi. Orionis. Mennonis. Hemetis. Ianuariæ. & in Affrica Quiri cum ſocijs ſuis. Gemelli. Saturi. Ianuari. Felicis. Fici. Flori. Orionis. Ad Gemellas. Clementis. Saturnini Municipio.

IANVARII 22.

DE Sancto Valerio Epiſcopo, ac Sancto Vincentio eius Diacono, multa proſtant apud oculatiſſimum Bollandū. Nec diſplicet coniectura, ſocios Sancti Vincentij, qui apud Epternacenſe, nunc Antuerpienſe Martyrologium numerantur, decem, & octo illos eſſe, de quibus Hymnum cecinit Prudentius. Ita verò in martyrologio illo recenſentur *XI. Cal. Spania Ciuitate Valentia S. Valerij Epiſcopi, & Vincentij Diaconi, & aliorum XVIII. Quintiliani, Caſſiani, Matutini, Pului, Vrbani, Marcialis, Fauſti, Succeſſi, Felicis, Pauli, Petri, Ianuary, Primitiui, Eboti, Cediani, Optati, Frontony, Iuli, Bellici, Municipa, Techi, Orionis, Memnonis, Ermetis, Ianuaria, Item Ianuary, Muci, Saturi, Bellici, & Roma ad aquas Saluias S. Anaſtaſij Epiſcopi.* Martyrologium mſ. Reginæ Sueciæ apud Lucam Holſtenium in Notis poſthumis Vincentium Epiſcopum non dicit, ſed Protum addens ſocium, ita omnes Diaconos pronunciat. *Spanÿs Ciuitate Valentia paſſio Sanctorum Valeri, Proti, & Vincentÿ Diaconorum cum ſocÿs ſuis.* Aptius, & noſtro magis conſonum ita ſe habet Corbeienſe, vt nihil à noſtro diſſideat, niſi parua vnius, aut alterius nominis inflexione. *XI. Kal. Febr. In Hiſpanÿs Ciuitate Valentia paſſio S. Valerÿ Epiſcopi, Vincentÿ Diaconi, & martyris; Martyresque octodecim cum ſocÿs eorum, Quintiliani, Caſſiani, Matutini, Publii, Vrbani, Martialis, Fauſti, Pauli, Succeſſi, Petri, Felicis, Ianuarii, Primitini, Eboti, Optati, Caciliani, Frontonis, Iulii, Ianuarii, Luperci,*

Apo-

Apodima, Orionis, Memnonis, Hermetis, Ianuaria. Et in Affrica Qziri cum sociis suis, Gemelli, Saturi, Ianuara, Felicis, Ticii, Flori, Orionis. Ad Gemellus Clementis, Saturnini, Municipi. Quamquam potius dicendum videatur decem,& octo illos inter viginti quinque recenseri, qui in nostro martyrologio, S. Vincentij non minùs dicuntur socij, quam & aliorum Martyrum XVIII. Horum nomina, quæ in Antuerpiensi, & Dungalien si Martyrologijs corrupta legũtur,& à Prudentio videntur abhorrere, in nostro non desiderantur,Lubercus,siuè Lupercus, & Apodemius, seu Apodomus; sed ex Prudentio nomina libet eo ordine percurrere, quo ipse recenset. *Optatus, Lupercus, Successus, Martialis, Vrbanus, Iulia, Quintilianus, Publius, Fronto, Felix, Cecilianus, Euentus, Primitiuus, Apodamus, & quatuor Saturnini non Fortunati,* vt corruptè exhibet ms. Dungalense apud Bollandum. Hos, ante Vincentium, Cæsar augustæ coronatos, Prudentius non obscurè innuit, & ni fallor, cum ipsis aliquid passum etiam Sanctum Vincentium, quamquam non ad mortẽ effuso sanguine, significare videtur.

Martyrum credas patriam, coronis
Debitam sacris, chorus inde surgens,
Tendens in Calum niueus togata
Nobilitatis.
Inde Vincenti tua palma nata est.
Clerus hinc tantum peperit triumphũ;
Hinc Sacerdotum domus insulata
Valeriorum.

Ex his educerem plures ex illis Martyribus è Clero fuisse. Vndè & Vincentius Leuita ex Clero pariter palmæ suscipiendæ exemplum habuerit, sicut ex aliquo Valeriæ familiæ, Valerium Episcopum, quia illi ad mortem præcesserit: dumq; interim Vincentius in tormentis socius, parum sanguinis fudisset, ad propinquam mortem reseruatus; subdit enim Prudentius

Non ne Vincenti peregre necandus
Martyr, his terris tenui notasti,
Sanguinis rore, specimen futuri
Morte propinqua?

Ignotũ erat Prudẽtio, qua præsertim Vrbe passus Vincentius fuerit, & Sagunti fortasse coronam meruisse existimauerat; Cæsaraugustæ adhuc puerum didicisse hostem horrendum domare, & ex clericis in tẽplo Cæsaraugustano, per octies, decies que partas palmas, eadem laude stadium cucurrisse, non dubitauerat. Sanè passum aliquod Cæsaraugustæ Vincẽtium cum Valerio Episcopo Acta eius docent; & Dacianum rabiem suam in illa vrbe aduersus Episcopos, Presbyteros, cæteros que sacri ordinis ministros euomuisse tradunt, inter quos Valerius Episcopus, & Vincentius Archidiaconus in confessione veritatis emicuerint, quos catenis onustos Valentiam deinde direxerit, vt per longum iter tormentis vexatos perderet. Valentiæ quapropter, vbi palmam integrè promuerit Vincentius, hac die recoli eius memoriam beatè Martyrologium nostrum indicat, quibus pro communione passionis Valerium Episcopum, socios que præcipuè ex clero, & decem, & octo, qui antea Cæsaraugustæ agonem consummauerunt, addit. Valentiæ illustrem saltem confessionem Sanctum Valerium edidisse coram Datiano, contra quam Acta vulgata apud Methaphrastem exprimant, testatur prosa illa apud Bollandum, ex veteri Breuiario.

Christi miles, ad fidei nõ tardus præmia,
Haud expauet Datiani præsidis suppliciа,
Christũ Deũ in ipsius cõstens præsentia,
Vnde potens, & præclarus in cælesti curia.

Saltem igitur ex illustri confessione Valentiæ ante Dacianum prolata, memoria eius ibi cum Vincentio, & socijs recolebatur, inter quos, præter decem, & octo Cæsaraugustæ martyrio consecratos, reliqui in martyrologio nostro numerati esse potuerunt, vel ex custodibus, quorum prodigiosa Vincentij, per Angelos in carceribus, suppeditata solatia inspicientes, in Christum Dominum crediderunt: vel ex fidelibus illis, qui ex vicinis locis ad athletam venerandum accurrerant, eiusque plagas osculabantur, & sanguinem

nem in linteis excipiebant, in quos facile est Dacianum rabie furentem animaduertisse, quamquam id apertè Acta illa non narrent.

In Africa Quiri &c. Confusum hìc esse Antuerpiense S. Hieronymi Martyrologium ex supradictis patet. Quirum, & socios Martyres in Africa disertè refert Martyrologium nostrum, & Corbeiense. Bellicum neque codices nostri, neque Corbeiensis recensent, & de Minutio pariter, quem in Africa exhibet m s. Rhinouiense apud Bollandum, silent.

Ad Gemellas. Fluctuaui an legendum esset ad Gemellas Municipio. Videbatur enim nomen illud Municipio in binis nostris codicibus expressum proprium magis esse Vrbis, quam Martyris. Et quãquam Dacherius in edito Corbeiensi martyrologio *Municipi* legerit, non Municipio, variæ tamen ex puro illo codice lectiones à Dufresnio ad me transmissæ, ita legere video. *Ad Gemellas Clementis, Saturnini, Municipio*, vt suspicari hinc liceret transpositam esse Municipij vocẽ. At cum nomen Martyris esse inuenerim, tam in Hieronymiano Antuerpiensi, quã in Dungalense apud Bollandum, licet hac die in reliquis valdè deprauata sint, nihil immutaui, & Dacherij emendationem sustinui. Passos hos esse Martyres ad Gemellas, Vrbem Africæ propriè dictæ, non dubito, cum Vrbs illa ita ab Antonino vocetur, & illius meminerint D. Augustinus, & Notitia Imperij.

X. Kal. Februarij.

IN Mauritiana Ciuitate Neocęsarea passio S. Seuerini, & Aquile vxoris ejus, Belli. Mamici. Castoli. Flori. Saturnini. Basillæ. In alio loco Corneli Exorcistæ. In Ancyra Galatia. Donati. Castoli. Popice. Clemente cum suis omnibus, & alio loco passio Sanctorum Eugeni. Macari.

IANVARII 23.

QVamquam Galesinius putet legendum non esse *in Mauritania*, quòd ibi Neocæsarea Geographis non sit; scriptũ id tamen notat Ortelius in martyrologijs. His, tam m ss., quam editis apud Bollandum, martyrologium nostrum, ac Corbeiense addere possumus. Cæsaream in Mauritania vrbem omnes agnoscunt. Quid autem vetat Neocæsaream etiam vocatã fuisse, quasi Nouam Cæsaream, quam Iuliam Cæsaream Iuba Rex vocauit? Seuerinus, horum Martyrum antesignanus, Martyrologio Romano Seuerianus dicitur, sicut Antuerpiensi, & Corbeiensi; Seuerinus tamen Adoni, qui ex Hieronymiano codice excerpsit, omnino est.

Belli, Mamici &c. Martyres, qui ad Seuerinum, & Aquilam vxorem sequũtur, sine alia loci distinctione Mauritaniæ tribuendi viderentur, præcipuè cum inter hos Florus ille sit, qui Galesinio, ex perãtiquo codice, filius Seuerini, & Aquilæ asseritur: at mss. Antuerpiense, tam in laminis editum, quam apud Bollandum, Romæ via Salaria veteri passos esse ita testatur. *X. Kal. Febr. In Mauritania Neocesaria Ciuitate Sancti Seueriani, & Aquile vxoris eius. Rome via Salaria veteri Belli, Flori, Saturnini, Minuci, Castoli, Basila, & alio loco Corneli exorcistæ. Ancira Galatiæ, Donati, Castoli, Papiæ, Climati. & alio loco Sanctorum Eugeni, Neonis, Macharii.* Corbeiense Martyrologium

rologium cum noſtro conuenit, nec Romæ Bellum cum ſocijs tribuit. Supra noſtros verò codices, Antuerpienſe M., ita Anaſtaſium Martyrem illorum choro addit *X. Kal. Febr. In Mauritania Ciuitate Neocæſaria paſſio Sanctæ Seueriani, & Aquilæ Vxoris eius, Felli, Muniei, Caſtuli, Flori, Saturnini, Baſillæ, Anaſtaſij Martyris. & alio loco Cornely exorciſtæ. In Ancyra Galatiæ, Donati, Cuſtoli, Popicæ, Demati cum ſuis omnibus. Et alio loco paſſio Sanctorum Eugenij, Emerentianæ, & Macarii, Pului Martyrum.* De Anaſtaſio cum Corbeienſi conſonat Martyrologium, ſeu Calendarium paruum S. Hieronymi mſ.; non tamen hac die, ſed ſuperiori *XI. Kal. S. Vincentii Martyris, & S. Anaſtaſii.* Cum noſtris etiam codicibus conuenit in Popica martyre, quem Papiam vocat Martyrologium, Antuerpienſe; diſſidet in Clemente, quem non Climatum, ſed Dematum vocat, & exuberat in poſtrema claſſe, dum Sanctis Eugenio, & Macario ſocios addit Emerentianam, & Puluium, quos ex eodem Martyrologio Corbeienſi refert etiam Menardus, in Adnotationibus ad Sacramentarium Gregorij p. 39. Eugenius, & Macarius in pluribus mſs. & editis Martyrologijs recenſentur apud Bollandum, qui tamen in Prętermiſſis ad hãc diem, reijcit cum Romano Martyrologio in XX. Decembris. Macarium eſſe putat idem Menardus, qui à Iuliano Apoſtata in Oaſim Arabiæ Opidum relegatus, ibidem cum Sancto Eugenio ſecum percuſſus eſt, vt ſcribit Metaphraſtes in S. Arthemio. Confeſſionis tantum illuſtri titulo decoratos in pace quieuiſſe Eugenium, & Macarium, in Andedone Mauritaniæ Vrbe à Iuliano relegatos, narrat Menologium Baſilij XIII. Kal. Ianuarij. Mſ. Martyrologium Reginæ Sueciæ tantum cum noſtro legit. *X. Kal. Et alibi paſſio Sanctorum Macarii, & Eugenii.* Emerentianam addit Kalendarium noſtrum S. Hieronymi mſ. *X. Kal. S. Emerentianæ Virginis, & S. Macarii.*

VIII. Kal. Februarij.

IN Antiochia paſſio S. Baſilli Epiſcopi cum tribus Paruulis. & in Ciuitate Neocęſarie Marduni. Maiſuni. Eugeni. Metelli. In Africa Epictiti. Tuppi. Publiani. Cartagine Galei. Romæ Feliciſſimi. Rauenna Saturnini. Marini. Dati. Saturi. Iabelli. Gudodiani. Celeani. Hermetis. Euſtaſi ēp. Mimmæ. Vincentiæ.

IANVARIVS 24.

MIrum, quòd hic Baſillus dicatur Antiochenus Epiſcopus, cum alij omnes Babylam vocent, & vterque ex codicibus noſtris à librarijs corruptus ita ſit. Monet Bollandus, in quibuſdam Martyrologijs, Babillum, & Babellam dici, vndè antiquarij vetuſtioris lapſus excuſabilis apparet. Quæ adduntur de tribus paruulis, ſiuè pueris, cum eodem Epiſcopo martyrio conſummatis Babylam omninò ſignant, & in re nota non moror; tantùm integrum laterculum ex vetuſſimum Antuerpienſi Martyrologio adduco. *VIIII. Kal. Antiochiæ Baſilli Epiſcopi cum III. paruulis, & Ciuitate Neocæſarea Manduni, Muſuni, Eugeni, Metelli. In Affrica Epictiti, Ruppi, Paplicani, Cartagine, Galei. Romæ via Salariæ Emetri, Maximi. & alibi Saturnini, Marini,*

Marini, Dati, Saturi, Sndudiani, Celiani, Iabelli, Eustaci, Conformitis, Memma, Vincentia. Mutilum hic valdè est Martyrologium Corbeiense Dacherij, pluresq. Martyres in nostro numeratos silet, aliquos etiam Antuerpiense non habet; vt ex Neocæsarientibus Metellum, inter Africanos Publicianum, & pro Galeo, vt etiam in nostro exprimitur, malè habet, Geliei. Dissidet etiam ab Antuerpiensi in Romanis Martyribus, quorum, cum nostro, tantùm Felicissimum exhibet, nõ Emetrium, vel Maximum, qui facile socij fuerũt Felicissimi. Nullum etiã ex Rauennatibus athletis, in nostro numeratis, ità recenset. *IX. Kal. Febr. In Antiochia passio S. Babylæ Episcopi cum tribus paruulis, & in Ciuitate Neocæsaria Marduni, Maxuni, Eugenii. In Africa Epicteti, Ruppi. Carthagine Geliei. Romæ Felicissimi cum sociis suis.* Ms. Martyrologiũ Reginæ Sueciæ in fine huius laterculi habet. *Romæ Felicissimi. Rauennæ Saturnini, &c.* Oculatissimus Bollandus hos Martyres hac die prætermittit, quòd eos alibi, nempè 21. Ianuarij, ijsdem ferè nominibus viderit numeratos. At plures in nostris codicibus ea die producuntur, quam hìc recensentur; & nè ab eadem classe disiungantur in passione socij, qui diuersa die martyrium fortasse compleuerunt, facilè est, cum socijs nonnullos reciprocari. At in tanta Martyrum redundantia, plura nomina, idem sonantia, copulari in diuersis locis posse, nequaquã videtur impossibile. Hoc etiam facile nostris temporibus accideret, ex vsitatiorum nominum frequentia: nisi agnominibus distinguerentur. Rauennatem Ecclesiam hos suos Martyres agnouisse, non dum mihi liquet, neq. Rubeus in eius Historia, neque Ferrarius meminit. Duos tantum ex his recenset ms. Reginæ Sueciæ martyrologium, hoc est Eustasium Confessorem, non Episcopum, & Saturninum. IX. Kal. *Rauennæ Natalis Sanctorum Eustasij Confessoris, & Saturnini.* Subdit verò à nostro Martyrem prætermissam, *Eodem die passio S. Sabinæ Virginis.* Eustasium Martyrem non indicato passionis loco, ita exhibet paruum S. Hieronymi ms. martyrologiũ. *VIII. Kal. Eustasij Martyris.*

VIII. Kal. Februarij.

IN Nicomedia Biti. Romæ translatio Pauli Apostoli. In Cartagine Donati. Secundi. Papiæ. Capucastulæ. In Sicilia S. Tyrsi. In Africa Epititi. Publiani. Papiæ. In Egypto Catinæ. Agapæ. Fauiani. Sauiniani. & in Salatheo Sodoni. In Rauenna Potioli. Anthimasius. Sabinus. Leudocius. Theugeni.

IANVARII 25.

VOd Bitus hac die Nicomediæ martyr, idem sit eum alijs, quorum memoria agitur die 20. Ianuarij, suspicatur Bollandus. At sola Vrbis, & nominis coniectura, dum illìc Bitus pluribus aliis associatur, ex dictis die antecedenti minus vrgere videtur. Socios eidem Martyri datos hic non video. Eundem esse cum Vito Colonienſium, & Bitio, vel vitiosè Vitio Dungalensis martyrologij, non dubito. Antuerpiense Vetustissimum martyrologium ita legit. *VIII. Kal: Nicomedia Biti, Romæ translatio Pauli Apostoli, Kartagine Donati, Secundi, Papiæ, Capua Kastulæ, Sicilia Fabiani, Sabiniani.*

in Calathco Sodonis. Raueſt Puteolis, Antimaſius, Sabinus, Leodecius, Teugenis; & in Carthagine Agilei. Corbeienſe Dacherij mutilum eſt, quamuis in reliquis non diſſideat. *VIII. Kal. Febr. Nicomediæ Bith. Romæ tranſlatio S. Pauli Apoſtoli. Carthagine Donati, Secundi, Papiæ. In Africa Epicteti, Publiani, Saturi, & Proiecti Martyris.* Reliquit ſaltem Dacherius, *& in Salathco Sodoni*, quod mihi exhibent illius vetuſti Corbeienſis codicis variæ lectiones, à piæ memoriæ Duſreſnio tranſmiſſæ. An etiam deficiat nomen Capucaſtulæ, quod in altero ex noſtris codicibus, librarij fortaſſe vitio, vnicum eſt, non mihi liquet. Facilè cum Antuerpienſi noſtrum componi poſſet, ſi pro Capucaſtulę reſtitueretur *Capua Caſtula*, ſeu *Caſtula*. Præſertim cum in altero ex codicibus illis, vnius literulæ omiſſione ſcriptum ſit, *Capua Caſtula*. Huius Martyris hac etiam die meminerunt, Coloniēſes in additionibus ad Vſuardum, & martyrologium Dungalenſe apud Bollandum. In Martyribus Chartaginenſibus, tam Antuerpienſe, quam Corbeienſe cum noſtro conſonat, quamuis mſ. Reginæ Sueciæ magis mutilum, quam Corbeienſe, tantùm ſignet. *Carthagine S. Secundi.*

Romæ tranſlatio S. Pauli. Ita legit Vetuſtiſſimum Martyrologium Antuerpiēſe, ſiue S. Villibrordi, ita & Corbeienſe. Alia Martyrologia edita habēt Cōuerſionem, vt Romanū. Vtramque cumulat Notkerus, qui ita adhunc diē, *Romæ tranſlatio S. Pauli Apoſtoli, & cōuerſio eius apud Damaſcū.* Conuerſionis S. Pauli feſtū per antiquum, iā antiquatū, reſtituiſſe Innocentium III. habet Baronius, & Conuerſionem, non Tranſlationem hac die recolunt, mſ. martyrologium Dungalenſe, & bini Lucenſes antiqui mſs. codices infra adducendi. Romæ conuerſionē D. Pauli non accidiſſe, ſed Damaſci certum eſt; recoli in Vrbe non eſt improprium, quoetiā die potuit priſcis temporibus aliqua etiam ſolemnis reliquiarum tranſlatio celebrari, mihi adhuc incomperta.

In Sicilia Tyrſi. Noſtrum martyrologium, minus quam Antuerpienſe, at Corbeienſe, corruptum eſſe, docere poteſt locorum, quibus Martyres paſſi hac die ſunt, aperta diſtinctio. Siciliæ, non Fauianum, ſeu Fabianum, & Sabinianū tribuit, ſed Tyrſum martyrologijs iſdem ignotum: illos verò Martyres, cum alijs ſocijs, Ægypto. In corruptiſſimo Dungalenſe martyrologio apud Bollandum Tirtius quidem numeratur, ſed nulla loci diſtinctione. Ne verò Tyrſum quis vereatur Siciliæ Martyrem fuiſſe, teſtis accedat mſ. Reginæ Sueciæ martyrologium, in quo ſecundus Carthaginenſis Martyr confirmatur, & Tyrſus ita diſertè Siciliæ aſcribitur. *Carthagine S. Secundi, & in Sicilia Sancti Tyrſi Martyris.* Mileti, Thyrſum tribuunt, non Siciliæ, mſs. perantiqua martyrologia, Letienſe, & S. Martini Tornaci apud Bollandum, in huius diei prætermiſſis, vbi putat eſſe Thyrſum Aliæ Martyrem, ad diē 28. Ianuarij pluribus proſequtum. Sed forte alius Martyr eſt, neque Miletum Cariæ hìc intelligitur, ſed Calabriæ, Siciliæ proximæ.

In Africa Epicteti. Ex his Martyribus Africanis in mſ. martyrologio Dungalenſe Ypictitus, & Puplianus pro Epictero, & Publiano minima differentia numerantur; ſed qui omnes in Antuerpienſi vetuſtiſſimo deſiderantur. Corbeienſe in Africanis tribus athletis noſtro conſonat; Verùm pro Papia, & Turpio Saturum, & Proiectum Martyrem reponit, quod præterijt martyrologium noſtrum. De Proiecto dubium eſſe poteſt, an intelligendus S. Proiectus Aruernorū Epiſcopus, & Martyr, qui in martyrologio Romano hac die recolitur. Sanè in mſ. Reginæ Suecię tantùm dicitur. *Natalis Sanctorum Saminiani, & S. Proiecti.* Piectum (an pro Epicteto ſit?) hac die ſignat Kalendarium S. Hieronymi mſ. in Bibliotheca Canonicorum Lucenſium *VIII. Kal. Conuerſio S. Pauli, & S. Pieĉti.* quod repetit aliud mſ. in eadem Bibliotheca ſub Bedæ nomine. *Conuerſio S. Pauli,*

li, & S. Pietti. Præiectus dicitur Aruernorum Episcopus, non Proiectus, in Hagiologio FrancoGalliæ Lebbei. De Thyrso,& Proiecto agit martyrologium Romanum, non hac, sed superiori die,& Baronium esse de Thyrso deceptum,monet Bollandus ad diem 28. Ianuarij, de Sanctis Martyribus Thyrso seniore, & Callinicio §. 1. n. 5.

In Ægypto Catinæ. In nostris codicibus nomen Catinę,interiecto ad Ægyptũ puncto, legitur, vt de more eorundem librariorũ, pro Martyris proprio nomine mihi sit accipiendum; præsertim cũ locũ ita nuncupatum in Ægypto non inuenerim. Nulli Ægyptij Martyres ab Epternacensi,siue Antuerpiensi martyrologio, vel à Corbeiensi producuntur. In nostro, præter Fauianum, & Sauinianum, Catina, & Agape indicantur. Martyrologiũ Romanum Agapem hac die recolit, vt addit Baronius ex veteribus mss. & pro Sauiniano Sabinum habet; sed quia cum Donato recenset,videtur Martyribus Carthaginensibus connumerare. Sufficiat nobis Agapem alijs etiam vetustis mss. memorari, Meminit pariter Galesinius.

Salathea Sodoni. In Antuerpiensi S. Villibrordi martyrologio eruditissimus Bollandus legit pro Salatheo Calatheum, & Siciliæ tribuit, locumque doctè coniectat esse Calactam, vel Galatam in eadem Insula, cui Fabianus, & Sabinianus in illo vetustissimo ms. assignentur. Sadonem vero, vel Sidonem tribuit Rauennæ, hac nimirum interpunctione. *Siciliæ Fabiani, Sabiniani in Calatheo. Sodonis Rauennæ*. At dum insuetum, tam martyrologio illi, quã nostro,& reliquis vetustioribus, morem obseruo, vt nomen Martyris loco passionis præponatur, & illius martyrologij in hoc laterculo confusionem, nihil in nostro immutandum arbitror. Salatheæ nomen non longe abest ab Vrbe interioris Lybiæ Salathus, à qua & cognomine fluuio Salathios populos habet Ptolemæus; & illius Regiònis, vel Vrbis Sodonem, seu Sodonim Martyrem esse potuisse nihil vetat.

In Rauenna Potiolis. Bollandus qui Sodonem Rauennæ tribuit, Puteolis reliquos, qui numerantur Martyres ascribit. At cum bini nostri codices, non Puteolis, sed Potiolis nomen referant, pro Martyre, non pro Vrbe accepisse patet, vnde à sententia doctissimi viri discedens eius,quamquam deprauato,Dũgalensi codici adhæreo, qui Puteolum reliquis Martyribus consociat.De Artema enim puero, cuius Acta vir eruditiss. producit,& quem alijs Puteolanis Martyribus accenset, luculenter agit die sequenti martyrologium nostrum, cum Armara alio Martyre. Id sanè actis illis non repugnat, cum diem passionis non indicent,sed vt videbimus,in loco sepulturæ mirè congruant.

VII. Kal. Februarij.

IN Nicea Smirnæ passio S. Policarpi Episcopi. In Campania Potheolis. Arthematis, & Armatæ. In Laudocia Arthemi. Fabiani. Sabiani. Sidonis. In Rauenna Anthemasius. Sauinus. Leudocius. Theugenis, cum XXXVI. Martir.

IN Nicea Smyrnæ. Ita ieiunè, ac ad calcem laterculi, agit de Polycarpo martyrologium vetustissimum S. Villibrordi, vt difficile sit diuinare, an de Polycarpo viro Apostolico loquatur, an de alio alibi Martyre; ita enim prostat in laminis. *VII. Kal. Februarij. In Affrica Datini, Iuliani, Taelliani, Tellerpæ, Neotri, Vincentiæ, Saturi, Victurinæ, Secundi, Papæ, Canti, Victoris, Emiliani, & aliorum XXXII. Rodonis, Anthematis, Polycarpi.* Cum nostro magis conuenit Corbeiense. *VII. Kal. In Nicea Smyrnæ, Passio S. Polycarpi Episcopi, In Campania Picteolis, Arthematis, & Armatæ, Donatæ. In Laodicea Arthemii, Fabiani, Sabiani, Sidonis, Macarii, Rauennæ Anthemasii, Sanini, Leodocii, Theogenis, & XXXVI. Martyrum. Bethlehem dormitio S. Paulæ.* Nulli hic, sicuti in nostro, Martyres Africani recẽsentur, quòd ferè ijdem omnes infra recolantur V. Kal. Februarij; Niceam verò Smyrnæ cum codicibus nostris etiam Corbeiense martyrologium retinet, vt mendum vix liceat suspicari. At quid sibi velit *In Nicea Smirnæ* fateor me nescire, nisi Nicea locus quidam fuerit, vel in vrbe Smyrnæ, vel propè, vbi Apostolicus Polycarpus agonem consummauerit. Plures Niceæ Vrbes Geographis sunt, quòd à Victoriæ nomine vocarentur. An Smyrnæ huiusmodi locus à Victoria dictus esset Nicea? quemadmodũ ab amica Ephesi Ephesiorum basilicam prope Smyrnam fuisse habent S. Polycarpi acta, vbi sepultus fuit S. Buculus primus Smyrnensium Episcopus? Locum fuisse Ephesi, qui Smyrnã vocarentur auctor est Strabo lib. 14., non longè ab initio. An legendum potius *In Nicea, & Smirna*, vtraque insigni Vrbe, & Regionis capite, memoriam hac die agi de S. Polycarpo, quòd ibi aliqua translatio reliquiarũ acciderit, vel alicuius Basilicæ dedicatio? Equidem dies passionis non est, qui in chronico Alexandrino notatur VII. Kal. Aprilis, & in actis dicitur VII. Kal. Maij. Sicuti ergo in Græcia die prima Febr. S. Polycarpi memoria agebatur, & die 13. Aprilis Pergami Asiæ, si idẽ sit, vt infra in martyrologio nostro indicatur, accidere potuit, vt cum omnibus ferè Asiæ vrbibus S. Polycarpus præfuerit, etiam Niceæ natalis eius dies celebraretur; nam & Niceæ nomine vrbs erat in Macedonia, seu vt alij legunt Nicæ, & Cedreno in Macedoniæ confinibus, Smyrnæ omnino Martyrij triumphum peregisse S. Polycarpum certum est, extatque illius luculentum apud Eusebium Smyrnensis Ecclesiæ monumentum, & integram Smyrnensium epistolã nuper latinitate donauit Henricus Valesius in notis ad Eusebium lib. 4. cap. 15. Plura, & selecta habet ad hanc ipsam diẽ Bollandus, & præter ea, quæ de Passionis die ille erudite coniectatur, videndus etiã est Samuel Petitus variarum lect. lib. 4. cap. 7. & quæ infra adducimus ad diem primum, & 23. Februarij.

In Campania Putheolis. De S. Arthema, seu Arthemate Puteolano Martyre aliqua diximus superiori die, quo Acta eius passionis exhibet Bollandus. In his hęc verba prostãt de fidelibus, eius sepulturam curantibus. *Nocturnis horis sanctum illius corpusculum colligentes in loco illo, qui ab accolis Campania dicitur, religiosè condere studuerunt, qui distat à prædicta vrbe Puteolana quasi stadiis viginti quatuor.* Hinc ergo patet qualis locus hic pro Campania accipi debeat. De Armata tamen Martyre, Arthematis socio, nihil in actis illis legitur. Donatam addit ms. martyrologium Corbeiense, & Bollandus superiori die Antimasium Sabinum, Leodicium, & Theogenem adiecit, quos tam in præsenti laterculo, quam superiori, Rauennæ, non Puteoli tribuit mar-

Martyrologium noſtrum.

In Laodicia Arthemi. In Laodicea legit martyrologium Corbeienſe, vel ita emendauit Dacherius. In eo etiam conſtãter referuntur quatuor Martyres Anthemius, Fabianus, Sabianus, Sidonis, qui die præcedenti, in Antuerpienſe, & alijs mſs. apud Bollandum, cum alijs cõfunduntur; Fabianus, & Sabianus, ſeu Sabinianus Siciliæ aſcribuntur, quemadmodum Anthemius Puteolis ſimul cum Anthimaſio Sabino, Leodocio, & Theogene. Hi tamen in noſtro, non modo illa die, ſed & præſenti Rauennæ tribuuntur, hac etiam addita differentia, vt ad Theogenem triginta ſex anonymi Martyres ſuccenturientur. At facile hìc laptum fuiſſe Antiquariũ, in nomine Laodicij coniectari licet. Cum enim antecedenti die vidiſſet, Rauennæ Anthimaſiũ, & Sabinum, cum Laodicio, & Theogene recoli, eoſdem hìc duplici celebritate repetitos eſſe credidit, & quod authographi fortaſſe vitio ſcriptum erat Laodiciæ, pro Laodicio repoſuit; Plura certè tam edita, quam mſs. martyrologia, Theogenem cum XXXVI. Martyribus Laodiceæ tribuunt. In hanc igitur emẽdationem propendo, vt Theogenes, qui anonymorum Anteſignanus eſt, idem non ſit ac Rauennas, & pro Laodicio hìc reponendum ſit Laodiceæ vrbis nomen, vt Rauennæ tantum Fabianus, & Sabianus relinquantur, ſuperiori etiam die memorati, nè à ſocijs Martyribus ſeiungerentur; in hac verò, quia dies Natalis, & conſummati martyrij fuerit, Fabianus, & Sabianus tantùm exhibeantur. Vſuardus, Ado, Bellinus, Theogenem cum alijs triginta ſex recolunt hac die. In martyrologio Romano Baronij Theogenes Africę tribuitur, & Epiſcopus docetur, qui cum alijs XXXVI. in perſecũtione Valeriani martyrium fecerit. Quia vero in adnotationibus Epiſcopus Hipponenſis aſſeritur, pro hac re videndus erit Bollandus ad hunc Theogenem n. 4. Huius Martyris, ſine additione dignitatis Epiſcopalis, memoria Laodiceæ tribuitur in mſ. Rhinauienſi. Conſonant Galeſinius, & Maurolycus. Petrus vero de Natalibus lib. 3. cap. 25. emendationem noſtram ex Hieronymiano aliquo vetuſto martyrologio ita ratam facit. *Theogenes Martyr, cum alijs triginta ſex Chriſtianis, martyriũ paſſi ſunt in Ciuitate Laodicea, eadem premiſſa perſecutione vrgente, qui contemnentes temporalem mortem, coronam vitæ æternæ adepti ſunt VII. Kal. Februarij, vt dicit Hieronymus.* Sunt qui Anonymorum numerum minuant, & vel triginta tres, vel valdè imminutè ſex tantum fuiſſe doceant. Ita videri poteſt apud Bollandum loco adducto n. 1.

VI. Kal. Februarij,

DOnati. Viti. In Africa Miſuriani. Publi. Victoris. Quintilli. Publiani. Feſti. Felicis. Boſoni. Proceſſi. Veneriæ. Marinæ. Fortunati. Theucuſæ. Egodditis. Secũde. Ipictili. Vincenti. Rogati. Primi. Aureli. Elari. Perpetuæ. Iulianę, & aliorum XLIII. Et dedicatio Baſilicæ S. Victoris. In Nicomedia Leaci. In Abollonia Callenici. Luci. Honorati. Maroſi. Secundi. Caſtigani. Celeſtini. *Sulpicij Epiſcopi, & Confeſſoris.*

IANVARII 27.

ANeuerpiense Vetussimũ S. Villibrodi Martyrologium iteratam S. Agnetis memoriã hìc recolit in laterculi frõte, cui inter Romanos Martyres, ita Donatum, & Vitum subnectit. *VI. Kal. Passio S. Agnitis, Donati, Viti. In Africa Missuriani, Puplię, Victoris, Quintilli, Pupliani, Festi, Felicis, Bonosi, Processi, Veneriæ, Marinæ, Fortunatæ, Tecussæ, Godditis, Secundæ, Epictuli, Vincenti, Rogati, Primi, Aureli, Hilari, Perpetuę, Iulianę, & aliorum XXIIII. Nicomedię Lucey. In Apollonia Calentini, & alibi Luci, Honorati, Matrosi, Dati, Iuliani, Cęliani, Saturi, Vincentię, Victorię, & aliorũ XXXII. Item Secundi, Casti, Gai, Cęlesti.* Corbeiense de Donato, ac Vito non meminit, sed vtrũque, sub Donatiui, & Datiui nomine Africani chori ductorem hoc ordine constituit. *VI. Kal. Febr. In Africa Donatini, Datini, Missuriani, Publi, Victoris, Quintilli, Publiani, Festi, Felicis, Vosoni, Processi, Venerię, Marinę, Fortunati, Theocosę, Egoditis, Secundę, Epictili, Vincentij, Rogati, Primi, Aurelij, Helarij, Perpetua, Iulianę, & aliorum XXXXIIII. Nicomedia Leuci. In Apollonia Gallinici, Lucij, Honorati, Marusi, Secundi, Casti, Gai, Calestini, Sulpicij Episcopi, & Confessoris, & dedicatio Basilica Sancti Victoris.* Quæ omnia, preter primos Martyres, & immutatum in Basilicæ illius dedicatione aliquantulum ordinem, cum nostro martyrologio conueniunt. Cum verò Donatus, & Vitus in vetustissimo Epternacensi, Romæ Agneti succenturientur, hos Romæ passos coniectandum videtur. Idem suadere posset Martyrologium nostrum ad vsum Romanę, & Occidentalis Ecclesiæ, dum extra classem Africanorũm Martyrum pariter reposuit, & nomen Vrbis non indicauit. Vitum in martyrologio Romano in Auitum conuersum, Africæ sub eodem Auiti nomine tribuũt Vsuardus, Vvandelbertus, & alij sine Donato. At mss. Leodiense S. Lamberti, & Dungalense Vitum vocant, & Donato iungunt, non præsignato loco certaminis; & quamuis, hisce vetustis mss. vt vidimus, Antuerpiense, nostrumque in binis codicibus consonent, dubitari tamen potest, an Agnes, hìc à vetustissimo Antuerpiẽse recensita, Romana illa sit, cuius memoria sequenti die iteratò veneratur. Ratio dubitandi est, quòd in Dungalensi codice turmatim, cum alijs Martyribus Africanis connumeretur, nec primo loco, vt apud Bollandum. *VI. Kal. Fortunati, Agnes Virginis, Veneriæ, Marinæ, &c.* & infra etiam Donatum, & Vitum. Nec minus dubitari potest confusam esse ms. martyrologium Reginæ Sueciæ, vt notat Holstenius in marginalibus, dum pro S. Auito in Africa ita legit. *In Africa Datini, Iuliani, Secundi, cum alijs sex,* & die sequenti V. Kal., post Natiuitatem S. Agnetis Virginis addit. *In Africa Missuriani, Publij, Victoris,* sicuti quinto Kalendas, non VI. Nicomediç Leuciũ, & in Apollonia Gallinicium. Ex quibus huius martyrologij Antiquarium vnum cum altero die confudisse apparet, si Datiuus, & Iulianus V. Kal. cum alijs recoli debeat. Sinendum igitur hac die Donatum, & Vitum memorari.

In Africa Misuriani. Consonat numerus Martyrum nomine signatorum, tam in nostris codicibus, quam in Antuerpiensi, & Corbeiensi. Anonymis verò cẽsus est in illo tantum viginti quatuor, in nostro, & Corbeiensi martyrologio ad quadraginta quatuor extenditur; sex tantum sunt in ms. Reginæ Sueciæ; sed quia infra alius numerus Africanorum Martyrum, aliquibus martyrologijs, cum XXII. anonymis additur, nihil in nostro immutamus.

Dedicatio Basilicæ. Dacherius, vt suspicor, ad calcem laterculi huius dedicationis

rionis celebritatẽ reiecit; & diuerso charactere, vt reliqua recentius addita, tanquam quid nouitium notauit. Sed nihil vetat, inter Sanctos Martyres Africanos, in nostro M. adnotatam alicuius Africanæ Basilicæ dedicationem esse. Sanè D. Augustinus in die Natali S. Victoris tractatum habuit, vt scribit Possidius in Indiculo.

In Nicomedia Leoci. Eundem esse Leocium, siue Laecium Nicomediensem Martyrem cum Leucio, qui Cæsareæ Bithiniæ agonem consummauerit, & cuius memoria agitur die sequenti, eruditissimus Bollandus coniectatur; forte quia sub Combritio Nicomediæ præside, ante quã capite Cesareæ plecteretur, aliqua Nicomediæ passus sit. At sicuti nil vetat, & alium Leucium esse, qui in Vrbe illa, vbi maxima fuit Martyrum laniena, martyrium fecerit, ita negari nequit, & sequentis diei Leucium in m. s. Reginæ Sueciæ, ita expressè Nicomediæ tribui. *Nicomediæ Leuci. In Apollonia Calenici*, qui ita feiungitur fortasse, ne suspicemur Leucium esse Callinici socium.

In Abollonia Callenici. Callinicum habent ferè omnia martyrologia præter adductum Reginæ Sueciæ, quod nostro magis accedit. Antuerpiense Calentinum pro Calenicio, vel Callenico habet; omnia tamen cum Actis Sanctorum Thyrsi, Leuci, & Callinici, hunc postremum Martyrem agonem cõpleuisse in Vrbe Apollonia confirmant. Mirandum autem non est, quòd diuersis diebus in martyrologio nostro horum Sanctorum Martyrum, & simul, & seiunctim agatur memoria, nam pluribus in locis certamen inierunt, ac pluribus in locis eorum reliquiæ distractæ venerabantur: quam quam Acta simul eorumdem certamen contineant. Ex pluribus mss. codicibus eadẽ adducit Bollandus ad diẽ 28. Ianuarij sequentem, in quibus apparet Sanctorũ Martyrũ quæstiones, ac iudicia peracta, partim Nicomediæ, partim Apameę, partĩ Mileti, partim Cesareę, partĩ Apolloniæ. Addit menologiũ Sirleti ad diẽ 14. Decembris, & Niceam pariter Bithiniæ Vrbem. An verò qui Callinicio in martyrologio nostro Martyres succenturiantur Lucius, Honoratus, & Socij, ex quindecim Sacerdotibus fuerint à Callinico lucrati, vix crederem, cum expressè de his memoria in nostro recolatur die 31. Ianuarij, & in Antuerpiensi vetustissimo martyrologio non modo Callinico non iungantur, sed diuerso quamuis incerto loco adnotẽtur illis verbis, *& alio loco*. Negare tamen non possumus, martyrologia, quæ hic adducit Bollandus, pro Lucio, Honorato, Matroso, & reliquis, tam nomine expressis, quã Anonymis triginta duobus, manifeste hos Martyres confudere cum alijs, qui sequenti die numerantur, & Africæ tribuuntur. Cum verò codices nostri cum Corbeiensi, non nisi hac die septem Martyres, vel sex enumerent, nominibus, præterquam in vno, conformes, religio mihi fuit, ab his discedere. Corbeiense septem sacros pugiles profert, quòd Castiganium, in nostris codicibus sub vno nomine expressum, in duo diuidat, nempe Castum, & Gaium, qui si diuidi ab inuicem debeant, in nostro martyrologio essent Castus, & Ganius.

Sulpicii Episcopi. Ex additis Sãctũ hũc Episcopum esse vix dubitarem. Huius meminit Bollandus ex Molano, & alijs, quem cum Ferrario Episcopum Baiocensem fuisse consentit. Bituricensem Sulpicium Episcopum, & Confessorem recolit Hagiologium Gallofrancicum Lebbei infra 4 Cal. Febr.

V. Kal.

V. Kalendas Februarij.

ROmæ natiuitas S. Agnetis Virginis. In Africa Datiui. Iuliani. Telliani. Reotri. Teliptæ. Vincentiæ. Victorini. Secundi. Papæ. Canti. Victoris. Emeliani. & aliorum XXXV.

IANVARII 28.

Roma Natiuitas S. Agnetis. Huius Sanctæ Virginis geminata solemnitas, in hoc die etiam Sacramentario Gregorij celebratur, quæ ideo Natiuitas dici videtur, vt à Natali, hoc est festo die separetur. *V. Kal. Februarij* in Sacramentario dicitur *Natale S. Agnes de Natiuitate*, & in Præfatione. *Beata Agnetis Natalitia geminantes. Verè enim huius honorandus est dies, quæ sic terrena generatione processit, vt ad diuinitatis consortium perueniret.* Maximum hinc studium Romanæ Ecclesiæ patet in S. Virginē Agnetem, vt quæ nullius mortalium propriè dictam in carne terrenam natiuitatem recolat, præter Redemptoris Domini, eiusque Sanctissimæ Matris, ac Præcursoris Ioannis Baptistæ, quo maius non surrexit inter natos mulierum; Sanctam quoque Agnetem hoc eodem honore prosequi voluisse, non tantum ex nostro martyrologio, quam alijs vetustis Calendarijs patet. Ita in Romano veteri, à Fronto nuper edito, legitur. *Natale Sanctæ Agnæ de Natiuitate*, & in Gemma Animæ lib. 3. c. 25. hac eadem die hæc verba prostant. *In octaua S. Agnetes scribitur de Natiuitate, quia illa die nata dicitur.* De Natiuitate etiam vocatur in codice Remensi apud Menardum, quamuis in codice Ratoldi, & apud Pamelium *S. Agnetis Secundæ*, tantum nuncupetur huius diei commemoratio, vel *S. Agnetis secundò*, vt in martyrologio Romano. Ibi tamen notat Baronius memoriam esse apparitionis, cùm parentibus ad eius tumulum excubantibus, suam gloriam reuelauit. In Hieronymiano Calendario Canonicorum Lucensium legitur *V. Kalendas Romæ Agnes Secundæ*, non secundò, vt aliquando suspicionem mihi induxerit duas fuisse Agnetes Romanas Virgines, de qua re alibi. Interim animaduerto in vetustissimo Epternacensi, seu Antuerpiensi martyrologio VI. Kal. Febr. vt vidimus, memoriam agi *Sanctæ Agnetis*, hac vero die *V. Kalendas* ita memorari. *Natale Censoriani, Victoris, Festi, Marinæ, & Perpetuæ, & Romæ Agnetis Ingenuinum.* In quibus vt obiter animaduertam, quid sibi velit Ingenuinus me ignorare fateor, sicuti video præterisse Bollandum. Nullus Martyr Ingenuinus, neque nostris, neque Corbeiensi codicibus legitur.

In Africa Datini. Datiuum superiori die inter Africanos Martyres numerauit martyrologium Corbeiense, quem hìc silet. In reliquis ita consentit, vt vnum hic Martyrem constituat Pape cantium, qui in duos ita nostris codicibus diuiditur *Papæ, & Cantij*. In illo autem cum alijs hoc pacto numeratur: *V. Kal. Febr. Romæ S. Agnetis, Iuliani, Telbiani, Reotri, Telipta, Vincentiæ, Victorini, Secundi, Papæcanti, Victoris, Æmiliani, & aliorum XXXV. Martyrum.* Triginta octo exhibet martyrologium ms. Dungalense. Triginta duo cum multis ex his martyribus legit martyrologium Antuerpiense superiori die, & alios hìc enumerat, qui neque in nostro, neque in Corbeiensi recoluntur. Qui verò in nostro recensentur, in illo supra referuntur die 25. Ianuarij.

IIII. Cal. Februarij.

IN Gaualla Ciuitate Sanctæ Paulæ. in Africa Perosiæ. Victoris. Honorati. In Tuscia Constantini. Epoliti Episcopi de Antiquis Treueris depositio Beatissimi Valerij Episcopi.

IANVARII 29.

QVæ nam fuerit Gaualla Ciuitas adhuc ignoro, nisi Gabala legendum sit, vti profert in Corbeiensi codice Dacherius. *IV. Kal. Febr. In Gabala Ciuitate S. Pauli. In Africa Perusiæ, Victoris, Honorati; In Turscia Constanti, Hippolyti Episcopi de antiquis. Treueris depositio B. Valerij Episcopi, & Confessoris.* Obscurioris etiã vrbis nomine vtitur M. vetustissimum S. Villibrordi. 4. *Kal. Febr. In Gadana Ciuitate S. Pauli. In Africa Perusio, Victoris, Honorati. In Tuscia Constantini, & alibi Ippoliti Episcopi. Treueris depositio Valerij Episcopi.* Nec tantum in nostro corrigendum esset nomen Gaullæ Vrbis, & mutandum in Gabalum, sed & Paulæ in Paulum, quòd ita omnia ferè vetera mss. retineant, & paruum S. Hieronymi martyrologium, siue Calendarium ms. Canonicorum Lucensium hoc pacto *IIII. Kal. In Treueris Valerij Episcopi, Pauli, Victoris.* Gabala Vrbs est non longè à Laodicea Syriæ in maris littore Ptolemeo, & Stephano; Gadarã potius suspicatur Bollandus ex ipso S. Villibrordi martyrologio.

In Africa. Adducta martyrologia cum nostro ita conueniunt, vt vix admitti possit ingeniosa Bollandi transpositio. Putat enim vir doctus, Romani martyrologij auctoritate legendum esse. *In Africa Victoris, Honorati. Perusio in Tuscia Constantini*, quòd re vera hac die memoria S. Constantini Episcopi recolatur. Perusium omnibus martyrologijs in Thuscia recensèri palam est, & Constantinum, nõ Constantium scriptum esse in Antuerpiensi. At cum Constantiũ non Constantinum constanter retineant bini codices nostri, & Corbeiensis, in quo malè legitur Tursiæ pro Tuscia idẽ confirmet, non nihil assensum remoratur. Magis vero quòd omnes codices Perusium, seu Perosiam inter Martyres Africe primo loco numerent: Præter adducta enim martyrologia, Colonienses Carthusiani in addictionibus ad Vsuardum, Petrosiam dicunt Martyrem, non Perusiam. *Item SS. Pauli, Victoris Hippolyti, Honorati, Petrosiæ*, & ms. Hibernicum Dungalense apud Bollandum eundem, magis omnia confundit, dum omnes hos Martyres Episcopos fuisse addit, & Perosiam Treueris tribuit. *Pauli Episcopi, Hippolyti Episcopi, & Episcoporum trium, Constantini, Victoris, Honorati, Constantiæ Virginis, Perosiæ Treueris.* Fauet tamen Bollandi coniecturæ, quod Constantinus hic Episcopus dicatur, & quod in ms. Reginæ Sueciæ Africæ tantùm bini Martyres ita assignẽtur. 4. *Kal. in Africa Victoris, Honorati, & alibi Hippolyti Episcopi de antiquis.*

In Tuscia Constantij. Cum non valdè differat nomen Constantij à Constantino, facilis lapsus librarij in Antuerpiensi suspicari posset. Constantius dicitur non Constantinus, in Romano martyrologio, qui fuit Perusinus Episcopus, & ita vocatur in Actis ipsius Constantij Episcopi sub hac die 29. Ianuarij, qui propè Fulgineum iugulatus, sepultus tamen Perusij fuit; propè quam vrbẽ adhuc ipsa die recolitur in propria Ecclesia vocata Areola, vt refert in Perusia Au-

gusta Cæsar Chrispoltus lib. 1. cap. 15.

Epoliti Episcopi. Ippolytum, siue Hippolytum legendum esse docent mss. codices Epternacēsis, & Corbeiensis martyrologij? Hic agit de Hippolyto Portuense Episcopo, cuius festum Bollandus in prætermissis, quamquam cum Romano martyrologio, eius memoriam potius recolendam putauerit die 22. Augusti. Galesinius, & Ferrarius, cum socijs sub Claudio, in mare mersum habent hac ipsa die 29. Ianuarij, quando pariter eiusdem memoriam venerantur mss. Martyrologium Reginæ suecię, & Colonienses ad Vsuardum. Portuensē Episcopum fuisse habet Georgius Syncellus in Chronico, Nicephorus, Zonaras, & Anastasius Bibliothecarius in collectaneis, quamquam D. Hieronymus se nescire fateatur, cuius vrbis cathedram tenuerit. Martyrem sanè vocat in proemio super Mathæum. Inter antiquos Patres, Tertulliano, & Origeni coæuum, omnes fatentur, vt non malè dicatur *Episcopus ex antiquis*; dum verò vrbis nomen etiam in martyrologio nostro reticetur, cum D. Hieronymo videtur consonare. Vixit sub Alexandro Seuero, vt apertè colligitur ex Paschali Canone, quem commentarijs illustrauit Ægidius Bucherius in libro de doctrina temporum, & quem Eusebius lib. 6. cap. 16. constituisse asserit ad primum Imperatoris Alexandri annum. Theodoretus Episcopum, & Martyrem Hippolytum fuisse testatur, sed locum, vbi fuerit Episcopus silet. Gelasius in libro de duabus naturis Martyrem pariter, & Episcopum dicit, & insuper Arabiæ metropolitanū, cui addit Baronius ita fuisse, antequam in Italiam veniret, & à Callisto Pontifice Episcopus Portuensis crearetur tom. 2. Annal. ad annum 229.

Treueris depositio B. Valerij Episcopi. An ex additis S. Valerius Treuerensis sit, licet suspicari. Depositionis nomen, Confessorem fuisse, non Martyrem videtur indicare. Cum tamen fuerit ex Discipulis D. Petri, quinimò apud Galesinium ex septuaginta duobus Domini Discipulis, de antiquis Episcopis fuisse nemo negaret, & tamen eadem, quæ supra de Hippolyto formula non additur *ex antiquis*. Plura de eo Bollandus habet, & Acta ex pluribus mss. profert. Deceptus hic omnino Ferrarius est, dum Valesium Treuirensem cum Lucensi cōfundit. Primùm dum negat, Valerium Lucensem, in illius Ecclesiæ tabulis, Episcopum vocari, cum passim in Calendarijs, alijsque vetustis monumentis Episcopus, & Martyr nuncupetur. Secundò quòd putet Valerium Episcopum, qui Lucæ colitur esse Treuirensem, quòd is sine martyrio quieuerit. Valerium quidem Treuerensem Episcopum hac ipsa die 29. Ianuarij obijsse eius vita habet cap. 5. & Valerium Episcopum Lucensem, & Martyrem Lucensis Ecclesia hac ipsa die veneratur.

III. Kal. Februarij.

IN Antiochia passio S. Epoliti. In Africa Pelliani. Cleri. Felippiani, & aliorum CXXIII.

IANVARII 30.

ITerum hìc Eppolytus pro Ippolyto, siue Hippolyto scribitur. In Antuerpiensi martyrologio aptius dicitur 3. *Kal. Febr. Antiochiæ passio Ippoliti. In Africa Pelliani, Deri, Feliciani, & aliorum CXX.* De Hippolyto Antiocheno Presbytero, hìc agi omnia MM. consonant, Bedæ, Vsuardi, Adonis, Notkeri, Vvandelberti, Maurolyci, Galesinij, & Rom. præcipuè martyrologium

logium. Nouati prius sectatorem fuisse docet Prudētius in Peristef., deinde schismaticum esse execratum, & senem martyrio coronatum. Monet tamen in Annalibus Baronius, Prudentium tres Hyppolytos confudisse, quod & repetit Bollandus.

In Africa Pelliani. Felicianum pro Pelliano exhibet hac die Romanū martyrologium. Pellicanum corruptè legunt Colonienses Carthusiani ad Vsuardum. Sed Pellianum omnino legendum esse suadent vetera martyrologia. Ita Corbeiense *III. Kal. Febr. In Antiochia passio S. Hippolyti Martyris. In Africa Pelliani, Cleri, Felippiani, & aliorum centum viginti quatuor. Cala monasterio depositio Badechildis Reginæ. Corbeia Monasterio, dedicatio Basilicę S. Ioannis Euāgelistæ.* Tertiò etiam Calendas Febr. ms. Reginæ Sueciæ habet, *Sanctorum Martyrum Pelliani, Cleri, Philippiani.* Ita etiam ms. Sancti Martini Tornacensis apud Bollandum, cuius S. Villibrordi, vt vidimus martyrologium pro Clero Derum mendosè habet, & anonymos Martyres non nisi centum viginti enumerat, dum alia omnia centum viginti quatuor habent. Nostrum, binique codices, vnde illud excerpsimus, non nisi centum viginti tres retinet. Sed vetustius Kalendarium S. Hieronymi in Bibliotheca Canonic. Lucensium ms. ita cum alijs conuenit. *III. Kal. In Antiocena Hippolyti cum CXXIIII. Martyribus.*

II. Kal. Februarij.

IN Alexandria Tarsici. Zotici. Ammoni. Commini. Cyriaci. Gerimmi. Gelasi. Eppoliti. Vrsini. Tyrsi. Et passio Sanctorum Callinici, & aliorum XV. Sacerdotum. In Africa Victoris. Publi. Saturnini, & Policarpi.

IANVARIVS 31.

DE numero Martyrum Alexandrinorum inter nostrum, & Hieronymianum Antuerpiense minus conuenit. Hoc enim Alexandriæ alios Martyres, præter tres primos non tribuit. Tarsicium, Zoticum, & Ammoniū, varijs tamen nonnihil hoc pacto nominibus. *II. Kal. Febr. In Alexandria Natale Tarsuci, Zotici, Ammonici, & alibi Commoni, Cyriaci, Gemini, Gelasi, Eppolyti, Vrsini, & passio Sanctorum Tyrsi, Gallinici, & aliorum quindecim Sacerdotum. In Africa, Victoris, Pupli, Saturnini, Policarpi.* Corbeiense, cum nostro, omnes præter Gallinicum, & qui sequntur Sacerdotes, ac Africanos Martyres, Alexandriæ ita tribuit. *Pridie Kal. Febr. In Alexandria Tarsici, Zotici, Ammonij, Commini, Cyriaci, Gemini, Gelasi, Hippolyti, Vrsini, Tyrsi, & passio Sanctorum Martyrum, Gallinici, & aliorum quindecim Sacerdotum. In Africa Victoris, Publy, Saturnini, Polycarpi, Gai.* Martyrologium ms. Reginæ Sueciæ, vt plurimum ex vetustiori codice decurtatum, dum Geminum, & Vrsinum Alexandriæ assignat, reliquos in eadem classe numeratos eidem videtur concedere. *In Alexandria Gemini, Vrsini, & passio Sanctorum Tyrsi, Callinici, & aliorum XV. Sacerdotum.*

Commini. Commonium habet martyrologium Antuerpiense, & doctissimus Bollandus fatetur, quid sibi velit, nescire; dum tamen legit, *& alibi*, non modo sequentes Martyres ab Alexandrinis se-

ungit, quos omnia ferè martyrologia confundunt, sed fortasse locum quo illi martyrium fecerunt, suggerit, nempe Commone quæ Plinio insula est circa Ioniam lib. 5. cap. 31. Commini quoque populi erant in Equicolis eidem Plinio, qui tamen cum suo tempore iam esse desierint, frustra adduci possunt. Commoni sunt etiam Ptolemeo Galliæ Narbonensis populi, & Commani circa Margianã Plinio eidem, siue circa Hyrcaniã, recteque præponeretur, *& alibi*, si Regio tantùm, non Vrbs statim subiungeretur. Parum autem in nostris codicibus differt, scriptum Commini, à Commoni codicis Antuerpiensis; vnde, nihil in hoc immutando, Martyres Ionij essent; Cyriacus, Gerimmus, Gelasius, Ippolytus, Vrsinus, & Tyrsius. Tyrsium enim aliqua martyrologia apud Bollandum à Callinicio seiungunt, & Victori, aliisque martyribus associant. *II. Kal. Gelasii, Thyrsi* habet Kalendarium Hieronymianum mſ. Verùm mſ. Reginæ Sueciæ, vt vidimus, Thyrsũ Callinico iungit, non Gelasio, aut alijs.

Et passio Sanctorum Callinici. Ex Actis Sanctorum Thyrsi, & Sociorum Martyrum de XV. Sacerdotibus plana sunt omnia, præsertim in Actis ex mſ. S. Mariæ de Ripatorio cap. 8. Hi eodem die cum Gallinico pariter Sacerdote Idolorum Martyrium fecerunt. Videnda plurima, quæ habet idem Bollandus die 28. Ianuarij, & aliqua, quæ nos adnotauimus ad diem 27. eiusdem mensis.

In Africa Victoris. Quid quid aliqua mſs. martyrologia de his martyribus cũ Alexandrinis commixtis habeãt, martyrologij nostri retinenda diuisio est, quod ita etiam habeant Antuerpiense, & Corbeiẽse mſs. & inter edita Notkerus. Corbeiensi Gaium insuper debemus, qui in alijs codicibus non indicatur.

FEBRVARIVS.

Mensis Februarij habet dies XXVIII.

Kal. Februarij Litanias indicendas.

IN Græcia Sanctorum Polycarpi Episcopi. Poenis. Dionysi. Item Poenis, & aliorum XV. In Africa Publij. Saturnini. Mauriniani. Liboſi. Vincentiæ, & aliorum XIIII. In Rauenna Seueri Episcopi. Victoris. Luciani. Apollonaris. Hylari. Ammoni. Zotici. Cyriaci. *Item Seueri Confessoris, & depositio Picti Episcopi*, & Passio Sanctorum Vindemialis. Eugeni.

FEBRVARII. 1.

IN *Græcia*. Quamquã Smyrnæ Ionię Ciuitas inter Græcas vrbes recẽseatur, atq; ibi tã Polycarpus, quã Poenius, siue Pionius agonem consummauerint, cum Apostolicus ille vir, non tantùm Smyrnenses, quam vniuersam Græciam prædicatione illustrauerit, ac rexerit, non malè eius Natalis celebritas vniuersæ Græciæ in nostro martyrologio tribuitur. Antuerpiense, siue Sancti Villibrordi, quòd deinceps Bollandus, & Henschenius vocant Roma-

manum vetus, Smyrnæ præcipuè S. Polycarpum, & ſocios ita tribuit. *Kal. Februarij. In Smyrna Ciuitate Natalis Polycarpi Epiſcopi, Poenis, Dionyſi, & aliorum VI. item Poenis, & aliorum V. & in Ponto Focatis. Et in Africa Puplij, Saturnini, Mauriani, Liboſi, Vincentiæ, & aliorum XXIIII. Rauẽna Seueri Epiſcopi, & alibi Victoris, Luciani, Apollinaris, Hilari, Ammonis, Zotici, Cyriaci; Item Seueri Confeſſoris, & depoſitio Picti Epiſcopi, & paſſio Vindemialis, & Eugenij, & in Scotia S. Brigidæ Virginis.* Nec tantùm Smyrnæ, ſed vniuerſæ Græciæ S. Polycarpi Natalem hac die celebratũ quoq. tradit martyrologium Corbeiẽſe. *Kal. Febr. in Græcia Sãctorũ Polycarpi Epiſcopi, Poenis, Dionyſij, itẽ Dionyſij, item Poenis, & aliorum quindecim Martyrum. In Africa Publij, & Saturnini, Mauriniani, Liboſi, Vincentia, & aliorũ XXIIII. In Rauenna Seueri Epiſcopi, Victoris, Luciani, Apollinaris, Helarii, Ammonii, Zotici, Cyriaci Item Seueri Confeſſoris, & depoſitio Pieti Presbyteri, & paſſio Sanctorum Vindemialis, & Eugenii. In Scotia S. Brigidæ Virginis.* De S. Polycarpo nihil hìc addimus ad ea quæ ſupra adnotauimus die 26. Ianuarij, & infra die 13. huius menſis adijciemus. De duobus Poenis adducta iam martyrologia cum noſtro conſentiunt, de duobus Dionyſijs non niſi Corbeienſe loquitur. Nec eſt quod Typographi mendum ſuſpicari poſſit in edito à Dacherio, nam ita etiam proſtat, neq; mutato apice, in varijs mſs. lectionibus, quas ex illo codice antequam ederetur habuimus. Bini ergo Pionij, ſiue Poeni facile confuſionem aliquam excitarunt, vnde tam variè in varijs martyrologijs recolantur, & Græci XI. Martij, latini prima Februarij, Pionium cum ſocijs venerentur: Acta verò eius die XII. Martij lauream martyrij accepiſſe tradant. Pugnant verò etiam inter ſe Græci, & Latini de tempore, dum plures Latinorũ Pionium paſſum habeant ſub Antonino Vero, Menologium verò Græcorum ſub Decio, ſicuti & Menæa. Late de hac varietate Bollandus diſſerit, & ſatis ſuo more eruditè, ex malè interpretato Euſebio, nodum de tempore ſoluit, dum Acta, & reliqua ad Pionium ſpectantia producit. Et quamquam Acta hæc ſummi iudicij viro Baronio viſa ſint incorrupta, & omni ex parte firma, aliqua tamen inter ſe pugnantia videntur continere, quæ etiam idem Bollandus indicauit. In Euſebio animaduertit Valeſius Adnot. in lib. 4. eiuſdem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ certum eſſe, diem Natalis B. Policarpi apud Smirnæos recoli 7. Kal. Martias; principatu enim Decij, paulo ante Pionij martyrium, ideſt octoginta circiter annis à paſſione Polycarpi in illa die natalem eiuſdem celebraſſe affirmant Smyrnæi in epiſtola ad Eccleſias Ponti. Addit vir doctus non eandem eſſe epiſtolam de Policarpi martyrio cum ea, in qua Pionij, & Metrodori martyrium deſcribitur, malèque id ab interpretibus Euſebio tribui, qui alteram ab altera diſtinguit, quãquam vnam poſt aliam in eodem codice inuenerit. Excuſari autem Euſebium nõ poſſe credit, quòd ſub Marco Antonino, ijſdem temporibus, quibus paſſus eſt Polycarpus, martyriũ ſubijiſſe affirmet Pionium; cum ex Actis ipſius Pionij, Carpi, & Papuli conſtet, illos imperante Decio agonem compleuiſſe. Sicuti ergo natalis Polycarpi, qui in noſtro martyrologio indicatur, non eſt dies illa, qua Smirnæi illius memoriam recolebant, neque dies agonis Pionij, qui ex illius actis fuit ante quartum Idus Martij, in hunc Kalendarum Februarij incidere poteſt, ita potius laudanda videtur noſtri martyrologij lectio, quòd non Smyrnæ, ſed in Græcia huius diei natalem celebrẽ fuiſſe notet: ſiue aliquã reliquiarum tranſlatio fuerit, ſiue Baſilicæ alicuius Sanctis hiſce martyribus dedicatio. Si quis verò Euſebium ab errore tueri velit, dum binos ſub Pionij, ſiue Pœni nomine Martyres recipit, quorum alter cum Dionyſio ſex ſocios in agone habuerit, alter quinque, vt S. Villibrordi vetuſtiſſimũ martyrologium habet, vnum poſſet cum D. Hieronymo agnoſcere S. Polycarpi vel ſocium, vel coæuum, alterum poſterioris

rioris sæculi sub Decio. D. Hieronymi inquam; nam in Græco Chronicorum Eusebij codice nihil ad martyrium Polycarpi de Pionio additur, in eo verò, quem latinum D. Hieronymus fecit, ita apertissimè legitur. *Persecutione orta in Asia Polycarpus, & Pionius fecere martyrium.* In numero sociorum Pionij varia sunt inter se vetusta martyrologia. Plurima, Pionio vno tantum numerato, Anonymos XV. adijciunt, vt Vsuardus, Ado, Notkerus, & alia apud Bollandum mss.

In Africa Publij. Sicuti in Pionij Anonymis socijs, martyrologium nostrum cũ Corbeiensi, supra Antuerpiense redundat, ita in Anonymis Africanis deficit. Illud XXIIII. fuisse tradit, nostrum XIIII. tantum adnumerat. Antuerpiensi consonat Corbeiense.

In Rauenna Seueri Episcopi. Ita iã adducta martyrologia Bedæ, Rabani, Notkeri, & alia mss. retinẽt apud Bollandũ, qui diligentissime S. Episcopi ætatem inquirit, & à Seuero Episcopo, & Martyre, qui primo Ianuarij recolitur, diuersum asserit, ac sedisse demõstrat Episcopum ab anno 346., ad annum 390. Ferrarius Seuerum huius diei Episcopũ Martyrem fuisse docet, sicuti & Petrus de Natalibus lib. 9. cap. 66. Quod magis etiam congruit nostri martyrologij stylo; ad diem enim Kal. Ianuarij, vt de Confessoribus assolet, depositionem notat, hìc vero vt de reliquis martyribus memoriam, seu natalem signat. Depositionem etiam illam dicit Antuerpiense vetustissimum martyrologium Kal. Ianuarij, & apertius Corbeiẽse, in quo additur Confessoris titulus; Vtraq; autem Seuerum vti martyrem sine vlla additione commemorant.

Victoris, Luciani. Sancti septem Martyres, qui in nostro, & Corbeiense martyrologio iunguntur Seuero Rauennati Episcopo aptius Martyri, quam Confessori adnecterentur, nisi vetustissimum Antuerpiense in assignandis locis, minus quam alia confusum, horum martyrum classẽ a Rauẽna ita distingueret, *Et alibi Victoris &c.* Quam incerti loci distinctionem confirmat pariter vetus ms. Richenouiense apud Bollandum. Sunt etiam incerto mihi certaminis stadio, si à Seuero Episcopo seiungantur.

Itẽ Seueri &c. An Seuerus Episcopus, Cõfessor fuerit, vel Presbyter, quia silet nostrũ Martyrologiũ, diuinandũ mihi nõ est; Seuerum Sulpitium Præsbyterum, Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 67., inter Sanctos numeratum, hac die recoli affirmat. At dubiæ sanctitatis virum sub dubio relinquimus. Plures equidem eius errores notat Bellarminius de scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 420.

Depositio Picti, sine Picti Episcopi. Pictũ Martyrem Africanum Bollandus retulit ad nonam diem Ianuarij, ex vnico ms. codice S. Maximi Treuerensis. Pictum hac die Episcopum tanto viro, qui tot manu exaratos, editosque codices vidit, prorsus ignotum esse video, & me latere non erubesco. Meminit tamen, incerto cathedræ loco, martyrologium ms. Reginæ Sueciæ kal. Febr. *Et alibi depositio Picti Presbyteri*; & præter Antuerpiense, & Corbeiense, de S. alio Picto meminit kalendarium ms. S. Hieronymi, sed ex Proiecto decurtatum suspicati sumus ad diem 25. Ianuarij.

Et passio Sanctorum Vindemialis &c. Eugenium Martyrem ex ms. martyrologio Richonouiense, inter plures Martyres, sine ordine dispositos, exhibet Bollandus. Expressè habent Antuerpiense, & Corbeiense iam adducta. In paruo Bedæ ascripto martyrologio ms. Lucensi mutilo, ita signantur die superiori II. kal. Febr. *Sanctorum Eugenij, Vindemialis.* Vindemianum Eremitam Bithyniæ habent hac die Græcorum Menæa.

IIII. No-

IIII. Nonas Februarij.

PVrificatio S. MARIÆ Matris Domini Noſtri IESV Chriſti. In Africa Natalis S. Victoris, Maurini. Honorati. Vrbani. Helari. Perpetui. Iulianæ. Briuatulæ, & aliorum LXXIII. Romæ Foroſimproni Via Flamia miliario ab Vrbe CLXXIIII. Laurenti. Eppoliti. & Natalis S. Fortunati. Feliciani. Firmi. Candidi. Caſtulæ. Secundolæ. Cappæ. Rogatiani. Gagi. Gregorij. Felicitatis. Placidi. Item Victoris, Felicis. Martialis. Corniliani. Saluſti. Maticij. Vrbicij. Pupis. Secundiani. Ingenui. Muſtulæ. Victoriæ. Honoſiæ. Foroſi. Proni. Item Victuriæ. Item Victoris. Natalis. Primi. Helari. Rogati. Saturnini. *Aurelianis Ciuitate depoſitio Beati Fluſculi Epiſcopi. & depoſitio Sicariæ Deo Sacratæ Virginis, qui Aurelianus obijt.*

FEBRVARII 2.

ANtiquiſsimum fuiſſe in Eccleſia feſtum Hypapante apud Græcos, & apud Latinos occurſus vocatum, patet ex pluribus Sanctorũ Patrum Homelijs, Methodij, Cyrilli Hieroſolymitani, Chryſoſtomi, Nyſseni, & aliorũ. In eo myſterium Chriſti Domini Infantis, legalem literam quadrageſimæ die adimplẽtis, Eccleſia Catholica veneratur. Purificatio S. Mariæ Virginis cum noſtro Martyrologio appellatur, tàm in Sacramentario Gregorij, quàm in Veteri ordine Romano, & in omnibus ferè, tam editis, quam mſs. Martyrologijs, etiam Ægyptiaco, ſeu Coptico apud Bollandum. Græci in Menologio Caniſij hanc celebritatẽ recolunt ſuperiori die; quod verò nomine Baſilij adornatur, hac ipſe die cum Latinis. Mirum quòd tantam celebritatem prætereat Vetuſtiſſimũ martyrologium S. Villibrordi, ſeu Antuerpienſe, & tantùm memoriam Sancti Simeonis Hieroſolymis ita excitet, niſi forte in ſequenti lacuna nomen *Occurſus* deficiat. *IIII. Nonas in Affrica Victoris, Marini, Perpetuæ, Iuliæ, & aliorum LXXIIII, & Hieroſolymis S. Simeonis . . . In Affrica Honorati, Orbani, Hilari, Prinatulæ, & aliorum XXXIIII. Romæ Foroſimproni Laurenti, Ippolyti: Item Romæ Fortunati, Feliciani, Firmi, Cundidi, Caſtolæ, Secundolæ, Rogatiani, Gai, Gregori, Cappæ, Felicitatis, Placidi. Victoris, Felicis, Marcialis, Corniliani, Saluſti, Mauricii, Vrici, Papirij, Secundiani, Ingenui, Muſtulæ, Victoriæ, Bonoſiæ, Fonoſi, Pruni. Item Victoriæ. Item Hilari, Rogati, Saturnini, Auriliani. Depoſitio Floſculi Epiſcopi, & Depoſitio Siguariæ Virginis.* De origine Feſti Purificationis, & eius cœremonijs latè, & eruditè diſſerit ad hũc diem Godefridus Henſchenius, doctiſſimus Bollandi ſocius. Aliqua habet Menardus ad Gregorij Sacramentarium.

In Africa Natalis, &c. Octo, nominibus expreſſos, Africanos Martyres exhibet Martyrologium noſtrum, & anonymos ſeptuaginta tres; ſeptuaginta quatuor cum plurimis, vt vidimus, Martyrologium S. Villibrordi, in quo Sacri pugiles Africani in duas claſſes diuiduntur.

tur. In prima quatuor primi cũ LXXIIII. anonymis recenſentur: in ſecunda, interpoſito tantum Hieroſolymitano Simeone, reliqui quatuór numerantur, & ſupra noſtrum, & Corbienſe Anonymi alij XXXIIII. adduntur. Cum noſtro tamen ita Corbieńſe illud cõmunat 4. Non. Febr. *Purificatio B. MARIÆ, quando repræſentatus eſt IESVS in Templo. In Africa Natalis Victoris, Marini, Honorati, Vrbani, Hilari, Perpętuæ, Iulianæ, Brinatulæ, & aliorum LXXIIII. Mart. Romæ Foro Simprony Via Flaminia milliario ab Vrbe centum ſeptuagintâ quatuor, Laurentij, Hippolyti. Et Natalis S. Fortunati, Feliciani, Firmi, Candidi, Caſſulæ, Secundulę, Cappæ, Rogatianę, Gai, Gregorij, Felicitatis, Placidi. Item Victoris, Martialis, Cornelliani, Saluſtij, Marici, Vrbici, Pubis, Secundiani, Ingenui, Muſtulę, Victurię, Honoriç, Foroſi, Pruni. Item Victoris, Natalis Primi, Helarij, Rogatę, Saturnini. Aurelianis Depoſitio S. Fuſculi Epiſcopi, & Depoſitio Sicharię Deo Sacratæ, quæ ibidem obijt.* Variant in Africanorũ numero mſs. Martyrologia, & præter Antuerpienſe, quod eos in duas turmas dirimit, vtrique numerum anonymorum aſſignans, Martyrologium Eccleſiæ Vltraiectinæ Victorem tantùm exhibet, & alios LXXX. quod cum noſtro ideo conuenire videtur, quia cum Victore alios ſeptem nominibus exprimat, & dum LXXIII. ſine nomine addit, octuagenarium numerum implet. Eadem habent Carthuſiani Colonienſes ad Vſuardum. Notkerus, qui parua differentia martyres totidem cũ noſtro exhibet, vnum ad Anonymos addit, nempè LXXIIII. fortaſſe numeralis notę vitio. Mſ. Pragenſe tantum XXIII. numerat. Aliud Sanctæ Mariæ ad Gradus XXIIII., quinquagenarij numeri nota ob literata, vt facilis eſt in antiquis codicibus lapſus. Variant quoque non nihil nomina, vt animaduertit Bollandus, & vnuſquiſque in adductis expendere de ſe poteſt.

Romæ Foro Semprony via Flaminia, &c. Oculatiſſimus Bollandus hìc putat, Mendum in Antuerpienſi, ſeu S. Villibrordi Martyrologio ſuo ineſſe, cum ſibi ſuadere nequeat, Romæ hos Martyres tribui poſſe, ſi miliaribus CCXXIIII. ab Vrbe Roma Martyrium ſublerunt; præcipuè verò quod idem martyrologium, non Foro Sempronij, ſed Foreſini legat, & nomen Martyris, non Vrbis videatur. At nihil immutandum cenſeo, & omninò retinendum Foro Sempronij, quod ita etiam præter codices noſtros, & Corbeienſe martyrologium, id retinẽat Rabanus, & Notcherus. Quid enim vetaret, Romanos Martyres Forum Sempronij ad necem fuiſſe perductos, ſiuè quòd ibi militarent, ſiuè alicuius Iudicis ibidem præſentia, & tamen Romanis Tabulis aſcriptos eſſe? frequens eſt modus iſte loquendi Veteribus Martyrologijs, codicibus præſertim noſtris, & Corbeienſi, vt Martyres, qui Via Romana aliqua inſigni, vt hic eſt Flaminia, agonem conſummauerint, Romæ tribuantur, notato miliariorum interuallo. Profectò Forum Sempronij, Vmbriæ Ciuitas ad Metaurum flumen, non modo Via Flaminia poſita dicitur in Itinerario Antonini, ſed ibi ab Vrbe Roma ad Forum illud milliaria centum, & ſeptuaginta octo numerantur, quæ, cum à recentiori more milliaria computandi, non nihil exuberent, nõ tamen prorſus incongruè in martyrologio noſtro ad centum ſeptuaginta quatuor extenduntur; quem numerum retinet etiam mſ. Sancti Maximi martyrologium apud Bollandum. Notkerus non niſi CLXIII. habet, & peritiores Fori Sempronij nunc ab Vrbe non amplius, quã CXXV. milliaria diſtare putant; ſed parum hæc referunt, cum tam facilè in vetuſtis codicibus numerales notæ deprauentur. Laurentium, & Hyppolitum Foro Sempronij tribuunt, præter noſtrum, & Corbienſę, iam dictum S. Maximi martyrologium, & mſ. Aquiſgranenſe. Galeſinius etiam meminit, & Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, qui non niſi nomina

in

in illa Ecclesia retineri docet, & diem hunc Natalis obseruari. An autem in ea Vrbe, vel alibi, & qua nam persecutione passi sint, incertum esse affirmat.

Et Natalis Sancti Fortunati. Fortunatum aliorum, qui sequuntur Martyrum antesignanum, Romæ cum reliquis aliqua martyrologia tribuunt, Romanum in primis, ac Vsuardi; quę tamen non nisi tres socios illi assignant, Felicianum, Firmum, & Candidum. At Vetustissimum Sancti Villibrordi, Martyres, quos deinceps numerat, Romæ expressè ascribit, & non nihil in nominibus varium, Romanos indubios pugiles viginti quinque enumerat, vt nostrum; indubios inquam, quæ enim sequuntur in illo nomina *Fereosi, Proni*, sunt, vt in nostris codicibus legitur, *Foresi, Proni*, & verendum est, ne vnicum nomen sit, vrbis nimirum eiusdem *ForoSimproni*, in duos Martyres, in curia, vel in scutia librarij diuisæ. Sed cum sacri illi Athletæ, qui milliario centesimo septuagesimo quarto ForoSempronij passi sunt, Romæ tamen assignentur, vel quia ciues, vel alia indicata superius causa, & reliqui etiam, (quamquam pro *Foresi, & Proni* legeretur, *ForoSempronij*), inter Martyres Romanos non malè ab aliquibus reponerentur. Qui enim Fortunato triginta socios addunt, vel triginta duo, vt ms. Sanctæ Mariæ Vltraiecti apud Bollandum, Martyres omnes, tam qui Romæ expressè, quã qui ForoSempronij ascribuntur, pro Romanis recensere patet, siuè in tres, siue quatuor choros diuidãtur. Martyrologium Corbeiense in postrema classe Natalem pro nomine Martyris refert. Sed pro initio diuisionis alterius classis probabilius suscipi potest. In Vetustissimo Antuerpiense nomen illud non est, sed post Victoriam statim additur. *Item Hilari, Rogati, Saturnini.* quod idem esset, ac in nostro, & Corbeiensi. *Item Victoris, Natalis, Primi, Hilarii, Rogata, Saturnini.* Martyrologia hæc, in postrema Martyrum turma, supra Antuerpiense addunt alium pugilem, nomine Primum. Galesinius ex vitiato aliquo codice deceptus, Fortunato Romanorum Martyrum antesignano addit anonymos triginta millia; at legere debuerat, vel XXXIII., vel XXX. M., hoc est triginta martyres, vt Bollandus animaduertit.

Aurelianis Ciuitate, &c. Quem nostri codices Flusculum Aurelianensem Episcopum vocant, & Corbeiense martyrologium Fusculum, cum Vsuardo, & Hagiologio Franco Galliæ, alia Flosculum dicunt. Ita Vetustissimum Antuerpiense, Romanum à Baronio emendatum, Notkerus, & auctor Appendicis ad Adonem. Circa annum quingentesimum S. Flosculus Confessor floruit, & ex additis fuisse facilè credi potest. Videnda hic quæ erudite congerit Bollandus.

Et Depositio Sicharia, &c. Sanctam hanc Virginem Sichariam Deo Sacratam fuisse, cum nostro martyrologio asserunt Beda, Vsuardus, Notkerus, & qui Sanctos aliquos ad Adonem addidit. Ex his nõ modo Monialem fuisse, sed sub D. Benedicti Regula vixisse educunt Vuion, & Menardus, in eo minus Bollãdo accepti, quòd in Antuerpiẽsi, seu S. Villibrordi vetustissimo martyrologio memorata, ætatem respiciat, inqua D. Benedicti institutum in Gallia, non dum esset propagatum. Ex additis à Gallico antiquario Sanctam Virginem esse, vix dubitarem.

III. Nonas Februarij.

IN Africa Felicis, Cerelinæ. Felicitatis. *Vampingo Depositio Episcoporum, Terridi, & Remedij. Lugduno Depositio Beati Lupicini Episcopi.*

FEBRVARII 3.

IN *Africa Felicis*. Frequentissimè in Martyribus Africanis Felicis, & Felicitatis nomen occurrit. Mediat nomen Cerelinæ, quam vitio librarij Celerinam dicendam esse non dubito. Corruptum hìc ita est martyrologium Antuerpiense, vt vix suppetias vllas ferat. Admiscet, quos superiori die Laurētium, & Hippolytum Foro Sempronienses Martyres indicauerat, & nomina ferè reliqua confundit *III. Nō. Natale Felicis, In Foro Simproni Laurenti, Hippolyti, Felicis, Celeris, Vappini, Code pās Teridi, Remedij, Lugduno, Depositio B. Lupicini*. Legendum est *Vappinico Depositio*, quòd, præter nostrum, ita etiam retineat Corbeiense. *III. Non. Febr. in Africa Felicis, Celerina, Felicitatis; Vappongo Depositio B. Lupicini Episcopi*. Pro *Epotereidi* legendum sic omninò existimarem ex *Epi Teredi*. Felicem equidem, ac Felicitatem plurima mss. martyrologia, sub hac die apud Bollandum exhibent, & Celerinam auiam Celerini Clerici, siue Lectoris, siue Diaconi, vt pluribus placet; inter Africanas Martyres computatur à D. Cipriano Ep. 37. Hæc S. Martyr Hippone, Basilicam habuit, in qua D. Augustinus sermonem dixit 236. de tempore. Plurima martyrologia edita, cum Celerina hac die, recolunt Celerinum Diaconum, Laurentium, & Ignatium socios. Sed cum de his nihil in nostris codicibus prostet, nihil addendum duximus. Africæ Martyres nostros plura martyrologia apud Bollandum tribuunt. Alios socios addit Felici recentius martyrologium Romanum, quos ex ms. S. Cyriaci, vnde hausit Baronius, non ita feliciter appositos idem existimat Bollandus.

Vapingo Depositio Episcopi Terridi, &c. Terridum Episcopum Vapingensem in Narbonensi Prouincia, sub Aquæ Sextiæ Metropoli, cum Remedio eiusdem Vrbis Episcopo, plures hac die exhibent Galliæ scriptores, sed diuerso nomine; Tigridem enim, & Tigrim, & Teredum vocāt. Vidēdus est Saussaius, & post eum Bollandus, qui plura addit. Tygridem refert Saussaius Kal. Febr. Remedium hac die III. Nonas. Vtriusque meminit Petrus de Natalibus lib. 11. cap. vltimo num. 48. qui Martyres fuisse existimauit, dum passos esse refert 3. Nonas Febr.; cū tamen tam nostri codices, quam supra adducta martyrologia, communi stylo, sub depositionis nomine, Confessores fuisse profiteantur, nihil muto. An ex additis sint dubitare possum, affirmare non possum. Dacherius, qui sub diuerso charactere eosdem cum Lupicino exhibet, ex additis fuisse existimauit.

Lugduno Depositio B. Lupicini, &c. Alia de hoc Sancto Episcopo affert Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium, quem in Chronotaxi floruisse habet circa annum 495. Plura Bollandus, qui reijcit Petrum de Natalibus loco adducto num. 49., quia cum Celerino, & Felice passum Lugduni esse affirmet. Ex additis facilè est suspicari.

II. Nonas Februarij.

Foro Semproni Natalis Gemini. Gelasi. Magni. Donati. Aquilinę. Gemini. Item Donatæ. Themoi Filiæ Episcopi cum Filia sua.

FEBRVARII 4.

Foro Semproni, &c. Vrbi Forosemproniensi adnotati Martyres tribuuntur, quamquam Romę aliqua Martyrologia etiam assignent, vt Vsuardus, Bellinus, Maurolycus, & alia mss. apud Bollandum: ea nimirum significatione, quam nostro Martyrol. vsitatam, secunda Februarij die adnotauimus. Antuerpiense Vetustissimũ Martyrologium. ita ferè cum nostro consentit. *Pridie Non. Febr. In Foro Simphroni Natalis Gemini, Gelasi, Mannæ, Aquilini, & Donatæ. Item Gemini. Item Donati, Thimoi Filiæ Episcopi cum filia sua.* Corbeiense eadem habet, deprauatum in Thimophilo. *Pridie Non. Febr. Foro Simphronij Natale Gemini, Gelari, Magni, Donatæ, Aquilini, Gemini, Item Donatæ, Themophili Episcopi cum Filia sua.* Gelasium, non Gelarium habent codices nostri, & ita legendum suadet repetitio Antuerpiensis, item Gelasij. An vero Magni, vel Mannæ legendum sit non decerno. Manniam habet ms. Martyrologium S. Cyriaci Romæ: ms. Latiense Magnum; Beda Mamnum, vel Mannum cum ms. Aquisgranense, & Diuitis Augiæ. Magnum legunt Vsuardus, Bellinus, Maurolycus, & alij. Vndè nihil muto.

Themoi Filiæ Episcopi, &c. Ægyptiæ Ciuitatis nomen latinis minus cõsonum, Antiquarios fefellisse suspicatur Clarissimus Henschenius, & restituẽdæ Thmui, & Filiam Episcopum in Phileam commutandum existimat. De magni nominis Martyribus Philea, & Philoromo agit pluries Eusebius, & Acta ex Rufino producit idem Henschenius, qui plura ex eodem Eusebio doctè colligit, hic non repetenda. Alia Acta nuper ex Græco Mazarinio codice, edidit Franciscus Combefis, siuè Metaphrastem, siue alium auctorem agnoscant, quæ tamen, Combefis ipse fatetur, ægre cum illis componi posse, nisi quibusdam, quæ ipse notat, animaduersis. Alexandriæ, non Thmui, agonem Phileam cum Philoromo, abscisso capite compleuisse, ex Actis à Rufino recognitis deducit Henschenius, & in suis disertè doceri addit Combefis. Thebaidæ tamen, non Alexandriæ passos esse existimat nuper Valesius ad Eusebij librum 8. cap. 9. quòd Culcianus, sub quo Martyrium fecerũt, præses Thebaidis esset, vt docet Epiphanius. Proinde melius Trithemium de Scriptoribus Ecclesiasticis, ex antiquis mss. Thebaide legisse; non quòd in ea Prouincia Phileas Episcopus fuerit, sed quòd ibi passus sit. Sanè Posseuinus in Apparatu Sacro, ex Martinicnsi codice ms. testatur, adnotatum à Suffrido Petro pro *Thmuis* haberi *Thebais*, quod etiam ita retinet codex Sigiber. ms. At errorem hunc esse putat Henschenius, præter id quod Thebais Regio sit, non Vrbs, ex male intellectis Eusebio, & Nicephoro. Valesius tamen, qui biennio post Henschenium notas suas in Eusebium vulgauit, Trithemium laudat. Hæret Henschenius idem Vir doctissimus in S. Villibrordi vetustissimo Martyrologio, quòd præter Filiam, siue Phileum Episcopum, ita addat, & filiam *cum filia sua*. Id etiam vidit in ms. Richenouiense, his verbis retineri, *Timue Episcopi cum filiâ sua*, præterito

nempè librarij vitio, Episcopi nomine. His codices nostros addimus, qui constanter legunt *Themoi Filiæ Episcopi cum Filia sua*. Et quamquam ex Vrbis, & Episcopi nomine in Corbeiense mendosè confletur nomen *Themophili Episcopi*, additur tamen *cum filia sua*. Profectò nihil de filia Phileæ Episcopi Thmuitensis in Actis indicatis expressè notatur, cum tamen conatus vxoris, ac fratris, vt eum à Christiana fide auerterent, indicentur. Ex Ruffino quidem lib. 8. cap. 9. scimus, *quod innumera Fidelium multitudo, ex eadem Vrbe* (Thmuis) *Pastoris sui vestigia sequens, per secutione Diocletiani Martyrio coronata est*. Et filiam fidelem, si habuisset Phileas, cur non sequuta esset cum Pastore Patrem? Cur suasionibus patris christiana esse non poterat; & cum ipso in fide permanere, quamquam reliqui filij, vel Idolis addicti, vel timore perculsi Idolatræ essent? Manifestè de filijs, & coniunge Acta à Ruffino recognita, testantur, dum Culcianus præses Phileæ exprobrauit, *Quomodo ergo, quã ad Filios tuos, & Coniugem conscientia est, non custodis*? ad quæ respondens Philea filios, & vxorem non negauit, sed dixit, *Quoniam, qua ad Dominum conscientia est, eminentior est*. Ita ipsius frater Aduocatus, vt eum ad Idolatriam flecteret, circumstabat cum propinquis, complectentes genua, & orantes, *vt respectum haberet vxoris, & curam susciperet liberorum*. Cum tamen de Filia cum eò coronata, nihil speciale addant, siue Latina Ruffini Acta, siue Græca Combefis, hærere etiam me fecerunt, ne hìc de Philea, & Philoromo agatur, sed de Filia alio alterius Vrbis Episcopo, & Filia eius agonis socia, quorũ res gestæ perierint. Sanè in Actis antiquis à Combefis editis Phileę, & Philoromi dies Natalis statuitur, non 3. Nonas Februarij, sed vel 24. die Mensis Pachon, iuxta Ægyptios, vel potius Choeac, *iuxta Romanos verò VIII. Kal. Ianuary*. De Vrbe etiam dubitari potest. An pro Themois legendam esset Themisæ, quæ Africę propriæ Opidum est Ptolemeo; vel si legendum esset Thimois, vt habet Martyrologium Antuerpiense, quod magis accuratè locorum nomina exprimit, cogitandum adhuc remaneret, an Timus Vrbs esset Asiæ propria Nicephoro Callisto, quæ Tenis in chronico Eusebij vocatur? fateor me in eam partem propendere, vt Filia Episcopus cum filia sua martyre diuersi sint à Philea, & Philorimo.

Nonas Februarij.

IN Sicilia Cataniæ Passio S. Agathæ Virginis. Reuocati. Gelasi. Saturi. Felicis. Saturnini. In Oriente Patras Ordinatio Episcopatus S. Andreæ Apostoli. *In Vienna Depositio Auiti Episcopi.*

FEBRVARII 5.

DIuæ Agathæ, celeberrimæ Martyris, memoria, ita apud omnes viget, & communi Ecclesiarum consensu hac die recolitur, vt nihil à nobis explicandum exigat, cum nihil de ea singulare Martyrologium nostrum contineat. Ad ea, quæ cumulat Bollandus addi potest, & Lucam Patriam nostram Etruriæ liberam Vrbem, de B. Agathæ integra, & incorrupta mammilla gloriari, quæ thee a argentea inclusa, vetustis insculptis in ea litteris id attestan-

tibus, antiquiſque diplomatibus affirmantibus, ſeruatur in per vetuſto, & nobili Aſceterio Sanctæ Iuſtinæ, vt diximus ad Vitam, & monumenta Sancti Silai Epiſcopi Hibernienſis, & fuſius Deo dante explicabimus in noſtris Lucenſis Eccleſiæ Dypticis.

Reuocati Celaſi. Sanctos Martyres, qui ſequuntur, & Siciliæ Sanctæque Agatæ ſociantur; Siculos eſſe exiſtimare licet. Ita enim, & vetuſtiſsimum Epternacenſe, nunc Antuerpienſe cõfirmat. *Nonas Febr. In Sicilia Ciuitate Catenas Natale Agathæ Virginis, Reuocati, Saturi, Felicis, Saturnini, Gelasij. In Patras Ciuitate ordinatio Epiſcopi Sancti Andreæ Apoſtoli. Vienna Auiti Epiſcopi.* Et quamquam in ſociorum ordine variet Corbeienſe, in reliquis ab illo non diſſentit. *Non. Febr. in Sicilia Catana Ciuitate paſſio Sanctæ Agathæ Virginis, Saturi, Reuocati, Gelasij, Felicis, Saturnini. In Oriente Patras Ciuitate, ordinatio Epiſcopatus Sancti Andreæ Epiſcopi, & Martyris. Viennæ depoſitio Auiti Epiſcopi, & Confeſſoris.* Eodem modo locum paſſionis horum quinque Martyrum ſilẽt plura Martyrologia apud Bollandum, quorum aliqua nonnullos etiam prætermittunt. Ex Richenouiuienſi codice, alioquin plurimum corrupto, idem Bollandus, non Siciliæ, ſed Africæ Sanctos hos pugiles tribuit, neque negari poteſt, nomina illa ex vſitatis in Africa eſſe.

In Oriente Patras. Conſonat cum noſtris codicibus vetuſtiſſimum Martyrologium, ſemper adductum in Ordinatione Epiſcopatus, ſeu natale Cathedræ Sancti Andreæ Apoſtoli apud Patras, & conſentiunt mſ. Treuerenſe, Beda, Rabanus, & Notkerus. Vnde manifeſtè apparet Corbeienſe adductum Martyrologium, dum ad S. Andreæ nomen addit *Epiſcopi*, corruptum eſſe; ex fide enim omniũ antiquorum legẽdum eſt *Apoſtoli*, cuius Epiſcopalem Sedem Patras fuiſſe, pluribus diximus ad Indicium Apoſtolorum.

In Vienna Depoſitio S. Auiti, &c. De Sancto hoc Epiſcopo Viennenſi, qui floruit circa annum 490., plura eruditè ſuo more colligit hac die Bollandus, quæ fruſtra, hìc impingerentur. Videndus Sauſſayus, & alij Galliæ Sacræ ſcriptores. In Hagiologio Lebbei, ita hac die legitur. *Vienna B. Auiti Epiſcopi, & Confeſſoris, cuius fide, & induſtria, atque ammirabili doctrina, ab infeſtatione Arianæ hæreſeos Gallia defenſa ſunt.* A' Gallico tamen Antiquario, in vetuſtiori martyrologio, S. Auitum ſuperadditum eſſe, licet ſuſpicari.

VIII. Idus Februarij.

ROmæ Via Appia in eiuſdem Cimiterio paſſio Sancti Sotheris Virginis. In Achaia Saturnini. Reuocati. In Ceſaræa Cappadociæ paſſio S. Dorotheæ. Ethiopoli. Scolaſtici. *Et Depoſitio S. Vedaſti Epiſcopi*. In Seracuſa paſſio S. Lucianę Virginis. Antoliani. Saturnini.

FEBRVARII 6.

QVia omnia de Cœmeterio Sotheris, seu Sotheridis Via Appia, propè cœmeterium Callisti, deque eius passione, ac sepulcro colligit Bollandus, tam ex editis, quam ex mss. codicibus ad diem decimam Februarij, ab eorundem repetitione abstinemus. Hac tamen die 6. Febr. eãdem recolunt Beda, Rabanus, Notkerus, Maurolycus, & alij, præcipuè verò Martyrologium Vetustissimum Antuerpiense, & Corbeiense, quorum primum ita legit, *VIII. Idus Febr. Romæ Via Appia Natalis Soteretis. In Achia Saturnini, alibi Reuocatæ, Dorotæ, Theophili Scolastici. Siracusæ passio Sanctæ Luciæ Virginis. Alibi Antholiani, Saturnini*, secundum verò ita habet *VIII. Idus Februarij. Romæ Viæ Appiæ in eiusdem cœmeterio passio Soteris Virginis, & Martyris. In Achaia Saturnini, Reuocati, Victuriæ. In Cæsareæ Cappadociæ Passio Sãctorum Dorotheæ, & Theophili, Scolastici. Siracusæ passio Sãctæ Luciæ Virginis, Antoliani, Saturnini. Elnone Monasterio depositio S. Amandi Episcopi, & Confessoris. Atrebatis Depositio S. Vedasti Episcopi, & Confessoris.* Hac eadem die 8. Idus Soteris Virginis memoriam recolit mss. Reginæ Sueciæ. *Romæ Viæ Appiæ, in Cœmeterio iuxta Catacumbas, passio Soteris Virginis.* Ita etiam 8. *Idus* Calendarium Hieronymianum ms. Lucense. *Sotheris Virginis, Dorotheæ.* Fatetur idem Bollandus, vetustiora esse mss., quæ Soteris memoriam signent 8. Februarij, quam quæ decimo; sed se sequi malle Romani Martyrologij ordinem, quod decima die Soteris Natalem recenset. Nostrum quoque, & Corbeiense ad decimam Februarij, vt videbimus, Sothyrim proferunt, socijs etiã additis, & die vndecima Sorothedim. Sed has esse diuersas Martyres credere non est incongruum; ad quarum distinctionem nostri martyrologij auctor huius diei Soterim Virginem vocat, & non modo Romę coronatam, sed Via Appia in cœmeterio sepultam.

In Achaia Saturnini. Achiam pro Achaia antiquis dictam, sicuti retinet martyrologium Antuerpiense, alibi diximus. Ad Saturninum, & Reuocatum Corbeiense addit Victoriam, legitque non Reuocatum, sed Reuocatam. Nonnulla martyrologia apud Bollandum addunt Theophilum, vel Theophilam; sed facilè est Theophilum Scolasticum cum his martyribus confudisse. Martyrologium Antuerpiense, in Martyrum choris distinguendis magis accuratum, in Achaia non nisi Saturninum recenset, & alibi Reuocatam, Dorotam, & Theophilũ Scolasticum; qui martyres si eodem loco passi essent Cesareæ Cappadociæ tribuendi forent ex nostro, & Corbeiensi Martyrologio. *In Achaia Saturninum* tantùm exhibet ms. Reginæ Sueciæ. Reuocatum non Reuocatam, cum codicibus nostris legit Molanus, & alij, sed Victoriam, præter Corbeiẽse, nullum aliud Martyrologium, quod viderim, exhibet. De Dorothea, & Theophilo videantur adnotata ad diem 12. Februarij.

Depositio S. Vedasti. Librarij vitium hìc agnosco laterculum interpolantis. Quod enim in vetustiori codice, vel ad calcem, vel adoram libri adnotatum, & additum erat, in ipsum laterculi intrusit. Floruisse S. hunc Atrebatensem Episcopum ab anno quingentesimo ad quingentesimum quadragesimum, pluribus coniecturis probat Bollandus, qui eiusdem Vitã, aliasque de eo historicas obseruationes profert. In Corbeiensi Dacherij martyrologio ad calcem diei inter addita reponitur. Hac etiam die cum S. Amando Vedastum recolit Hagiologium antiquum Franco Gallicum Lebbei.

In Siracusa passio S. Luciani. Luciam non Lucianam Virginem, habent martyrolo-

tyrologia Antuerpienſe, & Corbeinſe iam adducta. Quare videtur hìc nomen corrigendum. An eadem Sancta Virgo Siracuſana ſit, de qua idem martyrologium noſtrum agit ad diem 13. Decembris, & quem omnes ferè Eccleſiæ illa die venerantur, nihil decerno, cum hìc paſſionis dies eſſe potuerit, ille alicuius ſolemnis translationis. Equidem paſſio non Natalis hìc dicitur, & ſub hac ipſa die S. Luciam Virginem Siracuſanam recolunt, apud Bollandum in prætermiſſis, martyrologium mſ. Leodienſe S. Lamberti, & Aquiſgranenſe S. Maximini. *Antholiani, & Saturnini.* Hi martyres ſuccenturiantur in martyrologio noſtro S. Lucianæ, aut Luciæ Siracuſanæ. Sed in accurato Antuerpienſi ſeiunguntur, addita diſiunctiua nota *Alibi*. De Saturnino agit martyr. mſ. Aquiſgranenſe An Antholianus Martyr ſit, qui Aruernis in Gallia colitur, de quo plura colligit Bollandus, minùs veriſimile videtur, quòd illi Saturninus ſocius addatur in adductis mſs. martyrologijs, diuerſus ab eo, quem in Achaia veneratum hac ipſa die vidimus.

VII. Idus Februarij.

IN Britannis Ciuitate Auguſta. Natalis Auguli Epiſcopi. Anatholi. Andreæ. Ammonis. Statiani. Nepotiani, Saturnini. Luci. Saturnæ.

FEBRVARII 7.

IN *Britannis Ciuitate Auguſta, &c.* Martyrologiũ S. Villobrordi vetuſtiſſimum legit Ciuitate Auguria, hoc pacto. *Et VII. Idus Februar. Britania Ciuitate Auguria Natale Auguli Epiſcopi, & Martyris, & alibi Anatholi, Ammonis, Staciani, Nepotiani, Luci, Saturnini, & Saturni.* Corbeienſe cum noſtro ita ad amuſſim conuenit. *VII. Idus Februarij, In Britannys Ciuitate Auguſta. Natalis Auguli Epiſcopi, Anatoli, Andreæ, Ammonis, Staciani, Nepotiani, Saturnini, Lucij, Saturnæ.* Martyrologium mſ. Reginæ Sueciæ pro Auguſta legit *Ciuitate Agaſta*. Auguſta tamen legit martyrologium Romanum, in quo Augulus Epiſcopus hac eadem die recolitur, quamquam Baronius nihil de Vrbe doceat, & quo tempore floruerit ſe ignorare fateatur. De tempore quo vixerit, aut palmam promeruerit S. Augulus, latè diſſerit ad hãc diem. Godefridus Henſchenius, qui etiam de Auguſta Brittannorum eruditè multa notat. Ex quibus *Auguſta Vrbe* legendum apparet, non *Auguria*, vel *Agaſta*. Londinum, Regiam Angliæ Vrbẽ, dictam eſſe Auguſtam Trinobantum docet Ortelius, & ex Ammiano Marcellino planè conuincitur. Auguſtæ Vrbi Augulum Epiſcopum, & martyrem tribuunt Beda, Vſuardus, Ado, Petrus de Natalibus, & plura mſs. martyrologia ab Henſchenio adducta. Martyrologiũ, ſeu Calendarium Hieronymianum paruum mſs. Lucenſe, Marium ſocium addit, reliquis ignotum, hoc pacto *VII. Idus Aguli, Maryj, Lucij.*

Anatholi, Andreæ, Ammonis. Deficit Andreas in vetuſtiſſimo iam adducto martyrologio Antuerpienſe, & pro Saturna Saturnus dicitur. In Veteri S. Cyriaci Romano mſ. Anatholius tantùm indicatur. In mſ. Reginæ Sueciæ *VI. Idus* legitur. *Et alibi Anatoly, Ammonis, Nepotiani.* De Andrea præter codices noſtros,

& Cor-

& Corbeiensem, meminit etiam ms. Richenouiense apud Bollandum in prætermissis, qui putat eumdem fortasse dicendum, qui die decima infra recolitur Bethlehemi. Sed de loco Martyrij altũ vbiq; silentium. An Londini cũ Augulo certauit? vel potiùs Romæ, quando vetustius Occidentalis Ecclesiæ martyrologiũ, quod & Romanum putamus, nisi alium locum indicet passos esse in Vrbe Roma verisimile reddat? Ita passim Galesinium existimare certum est; qui ignoti loci martyres non semel Romę tribuit. Sin verò Ammonius Martyr Romanus esset, à me hic aliquid peculiaris adnotationis iure merito expostularet.

Quandoquidem sacrum Ammonij Martyris corpus, mihi in Diuum tutelarem à Sanctæ memoriæ Vrbano Octauo Pontifice Maximo, benignissimè elargitum, nunc in Hetruria, ac patria, liberaque Vrbe Luca, anniuersaria celebritate veneretur; non quidem sub hac die, sed sexto Calendas Iulij, quę solemni eiusdem Sacri pignoris translationi respondet.

Extractum fuit S. Ammonij Martyris corpus ex Cęmeterio Callisti Via Appia, ipsius Summi Pontificis iussu, ab Eminentissimo Ioanne Baptista Alterio Cardinali, tunc Vices Pontificias Gerenti, sub anno MDCXLIII.; cum diserte de adepta per Martyrium corona testarentur, impressa cum nomine palma, & sanguinis in eius sepulcro seruata ampulla. Fouit rem omnem, singularis pietas, ac in me humanissimi animi propensio Illustrissimi Ioannis Baptistæ Spadæ, tunc Patriarchæ Constantinopolitani, nunc Eminentissimi Cardinalis: & sacrum pignus à Vicegerenti Alterio traditum fuit Romę in manus, meo nomine suscipientis, Reuerẽdissimi Patris, ac Venerandæ memoriæ affinis mei Dominici Tuccij, Generalis Religionis Matris Dei, sexto nonas Iulij eiusdem anni; quòd in Episcopali Curia Lucæ probatum, coram Generali Vicario Eminentiss. Cardinalis Marci Antonij Franciotti, tunc Lucensis Episcopi, pridie Calendas Nouembris sequenti anni à me donatum fuit Nobili, ac Religiosissimo Viro Ludouico Cittadellio Priori, & reliquo Capitulo Insignis Collegiatæ Ecclesiæ SS. Ioannis, & Reparatæ, vt in eadem vetustissima, ac Baptismali Basilica publicæ veneration exponeretur, sicuti VI. Cal. Iulij anni MDCXLIIII solemni celebritate peractum fuisse patet, etiam quoad reliqua ex publicis monumentis, tum manu Bernardini Pieronij Episcopalis Cancellarij, sub hac die 31. Octobris 1643., tum Paulini de Casolis Tabellionis Lucensis, die 25. Iunij 1664. Extat S. Ammonij Martyris sepulcralis inscriptio penes Aringhium tomo 1. Romæ Subterran. pag. 593. his verbis. *Ex Cęmeterio Callisti cum Vasculo Sanguinis.*

IN PACE AMMONIVS VICTOR
QVI VIXIT ANNIS XVIII.
MENSES V.
DEFVNCTVS EST XIII. KAL.
OCTOBRIS.

Fateor me ignorare, an Ammonius noster Romanus Martyr, qui Victor nuncupatur, siue ex aliquo patrato militari facinore, siuè Tyranno, & tormentis superatis, Tribunus ille fuerit, qui, vt in Actis S. Vrbani Pontificis legitur, cum Fauiano, & Callisto pariter Tribunis, ad pedes S. Vrbani corruens, orauit, vt iam instante persecutionis tempore preces pro eis funderet, ac deinde Sanctum eumdem Pontificem iam Martyrio coronatum sepelliuerit in cœmeterio Prętestati; quod cœmeterij Callisti pars erat. Neque enim apertè alibi me legisse memini, Christianos hos Tribunos palmã promeruisse. In ijsdem profectò S. Vrbani Actis narratur, psallentes cum alijs Christianis per noctem, ac Anolini Commẽtarienses statim Martyrio defuncti, Baptismo interfuisse. Vndè facile ad iudicẽ deferri potuisse elicitur, & munere sepeliẽdi martyres defungẽtes, facilè est credere, Martyrio eisdem à S. Pontifice prænunciato, decoratos fuisse. At nihil temerè pronunciandum mihi est.

Suffi-

Sufficiat probabilia attuliſſe. In fragmento Martyrologij mſ. Bedæ attributi, in Bibliotheca Canonic. Lucenſium, hac die legitur *VI. Idus S. Alexandri, & Ammonij.*

VI. Idus Februarij.

IN Arminia Minore Natalis Dioniſij. Emiliani. Sebaſtiani. Romæ Depoſitio S.Pauli Epiſcopi.

FEBRVARII 8.

IN *Armenia*. Cum Martyrologio noſtro prorſus conſonat vetuſtiſſimum Antuerpiēſe, toties adductum, immutato tamen non nihil ordine, & addito hoc pacto S.Lucio. *VI.Idus Februarij.In Armenia minore Natale Dioniſij,& Sebaſtiani, Emiliani. Romæ Depoſitio S.Pauli Epiſcopi. Alibi Lucii.* Idem repetit martyrologium S. Hieronymi Corbeienſe *VI. Idus Febr. In Armenia minore Natalis Dionyſij, Emiliani, Sebaſtiani. Romæ Depoſitio Sancti Pauli Epiſcopi, & alibi Lucii.* Nonnulla martyrologia apud Bollandum Dionyſium omittunt: alia Sebaſtianum. Sunt tamen, qui exiſtiment Æmilianum hunc, & Dionyſium ex minore Armenia illos eſſe, quorum alter, nēpè Æmilianus Epiſcopus fuerit Trebiates: Dionyſius verò nobilis adoleſcens, eiuſdem Sancti Epiſcopi ſocius. Ita Iacobillus, aliiſq. Vmbriæ ſcriptores aſſerunt. Et quam quam de Emiliano Epiſcopo Bollandus egerit ad diem 28. Ianuarij, & nequaquam conſentiat, eundem eſſe cum Æmiliano Armeno, qui hac die, 6. Idus recolitur; quia tamen ex Iacobillo Emiliani Epiſcopi Acta Italicè ſcripta profert, ne Lucanæ Vrbis Epiſcopum in Trebiatem, nimis appoſitè, conuerti ſinamus, aliqua hic amore veritatis ſubnectere libuit. Vereor enim ne Iacobillus Vir alioquin clarus, & pius, dum vulgari ſermone Vitas Sanctorum Vmbriæ ſcriberet, ad aliquas temporum contradictiones tollendas, aliquid immutauerit, vel vt ipſe exiſtimauit, emendauerit. Quod in Actis S.Emiliani Epiſcopi licet ſuſpicari, & alibi in libro noſtro de Etruſcæ pietatis originibur animaduertimus. Extat quidem penes me, iam à pluribus annis, & antequam Iacobillus Hiſtoriam de Sanctis Vmbriæ ederet, vita, & paſsio S. Emiliani Epiſcopi, quam Conſtantinus Gaietanus Abbas Benedictinus ex duplici per antiquo codice deſcriptum, altero nempè Bibliothecæ Aniciæ Collegij Gregoriani, altero Cathedralis Spoletinæ ad Lucenſem Rempublicàm tranſmiſit, & eidem, tanquam illius Vrbis Emilianus Epiſcopus fuerit inſcripſit. In vtroque codice, vnde mſ. meum apographum deſumptum eſt, nunquam de Trebia, ſuè Treui mentio inducitur, ſed Æmilianus ſemper Lucanæ Vrbis Epiſcopus dicitur, his verbis. *Et cum didiciſſet, quòd in Ciuitate Lucana non eſſet Epiſcopus*, vt infrà. *Venerunt in Ciuitatem ſuam Lucanam*, Fruſtra verò additur ab Vmbriæ nouiſſimis ſcriptoribus, quòd Ciuitas Lucana Trebia Matuſca fuerit appellata, cum neque Trebiæ, ſeu Treuij Vmbriæ Oppidum, vnquam fuerit Trebula Matuſca, iuxta Reatem in Sabinis, vt etiam cenſet, eruditiſsimus Bollandus; neque in Italia ulla Lucana Ciuitas apud veteres ſcriptores inueniatur, præter Lucam noſtram Hetruriæ Vrbem, quæ ab Eccleſiaſticis præſertim ſcriptoribus, & ſtylo Romanæ Eccleſiæ paſſim Ciuitas Lucana dicitur.

Fateor equidem, Acta S. Emiliani Episcopi, ac sociorum penes me mss. corrupta in aliquibus ita esse, vt vix sensus percipiatur, immò, quod oculatissimum Bollandum aufugit, eadem, mirum, duabus taxat nominibus, continere, quæ apud Petrum de Natalibus in Vita S. Pantaleonis Martyris prostant, & quod maius est ijsdem penè verbis, ac illam construi. Nil autem vetat, S. Æmilianum fuisse Lucensem, aut Lucanum Episcopum, & agonem sub Augustali Thusciæ propè Perusiam, ac Spoletum compleuisse; cum nec noxum, nec inolitum fuerit, S. Martyres, Episcopos præcipuè, ad diuturniores, & duriores erumnas lõgius distrahi; & vbi à Iudice tribunal sisteretur, etiam occidi. Sed de his plura in nostris Lucensis Ecclesiæ Dyptichis: *Romæ depositio S. Pauli Episcopi*. Deficit in nostro Lucius, qui tamen in Corbeiensi, & Antuerpiensi vetustissimo non Pauli Episcopi socius asseritur, sed alibi, extra Vrbem, venerari dicitur. De eo silet ms. Reginæ Sueciæ, in quo tantùm legitur: *VI. Idus: Romæ depositio S. Pauli Episcopi*. In Calendario S. Hieronymi ms. Pauli Episcopi memoria agitur, non hac die 6. Idus, in qua tãtùm legitur *S. Sentri*. sed sequenti *V. Idus. Romæ Pauli Episcopi, & Sanctæ Canossinæ*. Martyrologium Romanum cum S. Paulo, quem non Episcopum, sed Martyrem tantùm constituit, non modò Lucium addit, sed Cyriacum, quos tamen Baronius in adnotationibus fatetur restituisse, ex ms. Martyrologio S. Cyriaci; sed in hoc Bollãdus Thomam, non Cyriacum, legi affirmat, & Paulum Episcopum vocatum, tanquam Confessorem sub depositionis titulo venerari testatur; ita enim habet. *Romæ depositio S. Pauli Episcopi, & depositio S. Thomæ*. Beda vulgatus, Rabanus, & Notkerus recolunt depositionem Pauli Episcopi, & Iulij Papæ. Sanè depositionis vox addita Confessorem, non Martyrem Paulum Episcopum indicare videtur; sed omnia mss., in qua Vrbe fuerit Episcopus, omninò silent. Si Paulus Romanus Pontifex foret intelligendus, quod negat Bollandus, ex recentioribus additis esset, & vetustissimum etiã illud Antuerpiense Martyrologium ad octauum sæculum traheret. Sed diuinare nolumus. Thomæ depositionem, & Cyriacum exhibet nostrum Martyrologium sequenti die.

V. Idus Februarij.

S Veno apud Cyprum Natalis Alexandri. *In Alto Monte super Sambre Depositio S. Asberti Episcopi*. Ammonis, Alexandria Pauli. Chunisi. Ad Membras Ammonis. Emiliani. Lasse. Poemi. Didimi. Item Ammonis, & aliorum XXXVIII. Et depositio S. Thomæ Apostoli. In Ægypto Iulili. Plesiei. Tyrsi. Roni. Germani. Orphani. Misi. Guti. Oridion. Agatori. Recumbi. Bastamij. Armatæ. Prothi. Orioni. Coloti. Arati. Teoniæ. Ippij. Lusi. Saturnillæ. Epitimi. Serapion. Liastamoni. Papiæ. Pampiri. Dioscodi. Erudij, Potamon. Petecon. Decommini. Ippiæ. Zotici. Cyriaci.

FEBRVARII 9.

SVenum, siue Sueuum locum fuisse apud Cyprũ, in quo celebres Martyres fuerint Alexander, & Ammonius, nõ modo ex codicibus nostris, & Corbeiensi patet, sed ex alijs mss. à Bollando adductis confirmatur, in quibus *Sueno*, siue *Suenu apud Cyprum* scriptum prostat: sicuti etiam apud Notkerum, Rabanum, Bedam vulgatum, & alios recentiores. Quinam verò locus Suenum, siue Sueuum fuerit, neque Baronio, neque Henschenio constat. Antuerpiense martyrologium vetustissimũ in lamine loco silet, & tãtùm habet. *5. Id. Febr. Apud Cyprũ natale Alexãdri, Ammonii, & aliorũ XX. Alexãdria, Pauli, Dionysij, & ad Mẽbras, Ammonis, Emiliani, Lasse, XXXVIII. & Didimi, Poemenis, item Ammonis, & aliorũ depositio Thomæ. In Ægypto Iuli, Militini, Tirsi, Pleisei, Roni, Orbasi, Orimonis, Agathonis, Recũbi, Bastami, Sermatæ, Prothirionis, Colori, Lasi, Arati, Theonitæ, Ippi, Germani, Saturnillæ, & Pectimi, Serapionis, Liastamonis, Papiæ, Pampiri, Dioscodi, Erodi, Potamonis, Peticonidæ, Cummini, Zotici, Cyriaci, Ippiæ.* Corbeiense cum nostro conuenit. Legit tamen *Sueno*, non *Sueno*, non modo in edito Dacherij, sed in mss. varijs lectionibus Raphaelis Dufresnij in Museo nostro. *V. Idus Febr. Sueno apud Cyprum Natalis Alexandri, Ammonis. Alexandriæ, Pauli, Dionysij, & Membras, Ammonis, Emiliani, Lasse, Poeni, Didymi, item Ammonis, & aliorum XXXIIII. & depositio Thomæ.* Reliqua ita Dacherius exhibet. *In Ægypto Iuliani, Pleisei, Tyrsi, Roni, Germani, Orsasi, Miligni, Oridion, Agathon, Recumbi, Bastami, Armatæ, Prothorion, Coloti, Arati, Theonia, Ypputusi, Saturnillæ, Epitimi, Serapion, Liasimoni, Papiæ, Pampivi, Dioscori, Erudy, Potanion, Petecon, Decomini, Dioscodi, Zotici, Cyriaci, Papiæ. In Patrona Natalis Fursei Confessoris.* De reliquis, aliorum locorum Martyribus, pro opportunitate adductis, infra agendum est; sufficiat hic adnotare, neque in nostris codicibus, neque in Corbeiensi anonymos XX. socios, qui in Antuerpiensi Cypris martyribus adduntur, enumerari, cum tamen eosdem pariter exhibeat apud Henschenium Richenouiense vetus ms. martyrologium.

Alexandriæ Pauli &c. Ita etiam legit ms. Reginæ Sueciæ, sed confusis Anonymis Afris martyribus. *Alexandriæ Pauli, Dionysij, & aliorum viginti octo.* Ita etiam confusum videtur martyrologium Romanum, in quo legitur *V. Idus Febr. Nat. Alexandri, & aliorum XXXVIII.* Baronius, Romæ Alexandrum cum triginta octo socijs tribuit, nullo alio adducto auctore, vt notant Ferrarius in Catalogo, & Henschenius, quam illud S. Cyriaci martyrologium, cui repugnant, non modo iam adducta, sed alia vetera mss. In nostro emendandus error librarij est, qui Chunisium pro Dionysio oscitanter reposuit.

Et ad Membras. Membrusa, siue Membrusa, & Membrum Vrbs Africæ est Geographis inter Carthaginem, & Hypponem. Hoc loco passos esse, qui enumerantur Martyres probabile satis est, minima tantùm nominis varietate, vt existimat etiam Henschenius. Sed minima etiam vocis mutatio esset, si ad Mẽbrim legeretur, Arcem nimirum à Diocletiano, Christianorum infensissimo hoste constructam, & à Iustiniano restauratam, vt habet Procopius de Ædificijs Iustiniani lib. 2. Sed quia in Hieronymiano martyrologio Afri martyres diligenter sæpe adnotantur, & ferè omnes codices ad Mẽbras retinent, locum qui Membrum in Antonini Itinerario dicitur, non difficile suscipio. Variant aliqui codices in Anonymorum Martyrum numero; nam Aquisgranense, & Auctarium Vsuardi habent triginta septem. Corbeien-

se triginta quatuor: nostrum verò, & Antuerpiense triginta octo, quibus magis adhæreo.

Depositio S. Thomæ Apostoli. Confundunt aliqua mss. & edita martyrologia, Thomam Apostolum, cum alio ignoto Martyre, forte quia vetustiora, vt Antuerpiēse, & Corbeiēse nō addunt Apostoli dignitatem. Sed cum nostris codicibus legit ms. Leodiense, quod habet *Depositio S. Thomæ Apostoli*. Quæ de Thoma Apostolo inuenire licuit, ad Iudiculum Apostolorum adduximus.

In Ægypto variis. In Ægyptijs martyribus variant martyrologiū Antuerpiēse, & Corbeiēse à nostris codicibus, tū in ordine, tū in aliquibus nominibus, tū in numero. Consonant in numero triginta duorū Martyrū inter se Antuerpiense, & Corbeiēse; differūt tamen à nostro, in quo triginta quatuor recēsētur. Differētia verò inde oritur quod Corbeiense, ex duobus nominibus vnum conflat, nempe sub Hippolutio coniungit Hippum, & Lusium, in nostris codicibus, & Antuerpiensi disparatos. In nostris pariter codicibus puncto interiecto distinguuntur Milius, & Gutus, qui tamen vnus Milicutus Antuerpiensi, & Miligutus Corbeiensi sunt; quamquam re vera in excusis laminis Antuerpiensis, ita nomen illud scribatur, vt duos Martyres significare possit, hoc pacto *Mili Cuti*. Diuiditur etiā in nostris nomen Prothirionis in duo, nēpe Prothi, & Orionis, quę si componantur par erit in omnibus numerus Martyrum Ægyptiorum. Differentiam aliqualem in nominibus omittimus, quia facile vnusquisq; singula singulis cōferendo eā elicere per se potest. Aliquos ex his adducit Henschenius ex mss. martyrologijs Richenouiense, & S. Maximi Treuirensis, in quo Orion legitur, non modo à Protho distinctus, sed nulla Prothi memoria. Hunc verò ab Orione martyrem fuisse seiunctum, vt codices nostri, interiecto puncto, docent, manifestissimè etiam habet ms. martyrologium Reginæ Sueciæ; in quo licet Ægyptij Martyres non integrè numerentur, sed pauci tantum, inter hos tamen Prothus ab Orione ita distinguitur. *V. Idus Alexandriæ Pauli, Dionysij, & aliorum viginti octo. In Ægypto Plesii, Orsasii, Agathonis, Prothi, Orionis, Cyriaci.*

In Alto monte &c. ad calcem latercul. addidimus eum hoc reiecimus in Notationibus, & si religiosè illud, vt est in codicibus nostris, in latercul. reliquerimus. Antiquarius Fontanellensis S. Ansbertum Episcopum ad oram libri adiecerat, sed librarius inopportunè inter Martyres Cyprios intrusit, facili tamen emendatione. Depositio hęc adnotata S. Ansberti Episcopi Rotomagensis omnino congruit cū vita eiusdē S. Episcopi, à coęuo scripta apud Bollandum, & Henschenium, in qua legitur S. Virum, qui fuit ante Episcopatum Abbas Fontanellensis, exulem obijsse in Monasterio Alti Montis, *quod est situm in Territorio Hanonno*, seu Hānoniæ in Belgio *super Sābre fluuiū*, vt habetur cap. 8. & somno pacis ibi in Domino quieuisse, vt legitur cap. 9. *die 5. Idum Februariarū*. In chronico Fontanellensi Tomo 3. spicilegij Dacherij narratur, Magni Præsulis Ansberti translationem, de Basilica S. Pauli, ad Basilicam S. Petri Fontanellensem, peractā fuisse anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quarto Indit. 2. pridie Kal. Aprilis, & sanctum eiusdem corpus in Basilica S. Pauli quieuisse *annis nouem*; vnde translatio ab Alto Monte, & depositio in Ecclesia S. Pauli Fontanellensis contingere potuit, circa annum Domini sexcentesimum nonagesimum quintum.

IIII. Idus Februarij.

Depositio Austrebtãæ Abbatissæ in Pauliaco. In Alexandria passio Apollonis. Prothei Orionis. Plausi, & Aliorum XX. In Roma Sotyris Zotici. Herenæ. In Campania Natalis Siluani Episcopi, & Confess: In Bethleem Ciuitatem Iudæ sub Herode passio S. Andreæ Apostoli, *& Santonici Ciuitate depositio S. Troianis Episcopi, & Confessoris, & Baldegundæ Abbatissæ.*

FEBRVARII 110.

ANtiquarius Monacus hic iterum sui ordinis Abbatissam aliquando adnotauit ad oram antiqui codicis, sed incõsultus librarius in fronte latereculi transposuit. Sanctã Austrebertam Virginem Pauliacensem, in Normannia Abbatissam, pluribus virtutibus, & miraculis illustrẽ, septimo seculo floruisse ex pluribus deduxit Bollandus. Vitam habet Surius, quam notis illustratam, & auctiorem edidit ad hanc diem, qua obijt, idem Bollandus. In Hagiologio Lebbei Gallofrancico, ita eiusdem depositio adnotatur. *Quarto Idus. In pago Ritomagensi S. Austrebertæ Virginis.* Vnde restituendum Austrebertæ nomen est pro Austrobertana.

In Alexandria passio &c. Mutato ordine, & nonnihil vt puto confuso, eosdem Alexandrinos martyres, ita profert martyrologium vetustissimum Antuerpiense. 4. *Idus Febr. Romæ natalis Soteris, & via Lauicana Zotici, & Amantij. Alexandriæ passio Appollonis, Prothei, Orionis, Plausi, & aliorum XX. Hirenæ. In Terracina Natalis Siluani Episcopi, & Confessoris. In Ciuitate Bethleem Iudæ passio Sanctorum Andreæ.* Pro Plauso martyrologium Corbeiense habet Plauum; à nostro parum in reliquis ita diuersum. 4. *Idus Febr. In Alexandria passio Apollonis, Prothei, Orionis. Plaui, & aliorum XX. Romæ Soteris, Zotici, Iacinthi, Hirenei, Dionysij. In Campania natalis Siluani Episcopi, & Confessoris. Bethleem sub Herode passio Sanctorum Andreæ, Apri. Sanctonas Ciuitate, depositio Vrbani Episcopi, & Confessoris, & Baldegundæ Abbatissæ.* De martyribus hisce Alexandrinis nulla estat memoria in editis, quæ viderim martyrologijs. In mſ. S. Maximini Treuerensis penes Bollandum adnotatur Apollo, siue Apollonius sine socijs, & die superiori Orion, & alij mille sexcenti: sed numerus supra omnia martyrologia excedit, & numeralem notam emendandam existimarem, ex nostris, & alijs adductis codicibus, quibus addimus mſ. Reginæ Sueciæ, in quo ita legitur. 4. *Idus Alexandriæ Apollonij, & aliorũ XX.*

In Roma Sotyris. Apud Gruterum Inscript. pag. 110. Soter viri nomen est, & mulieris pag. 662. De Sotheride, seu Sothiride Virgine Romana egimus ad diem sextam Februarij. An eadem hic repetatur, tanquam insignioris martyris memoria, vt de D. Agnese palam est, non decerno. Quòd sine vlla Virginis additione hic recolatur, ancipitem me reddidit, an viri, vel mulieris martyris nomen esset, presertim quòd in codicibus nostris, & Corbeiensi Zotico, & Herenæ societur. Apud Surium Tomo 3. die 22. Maij in Actis S. Pancratij eidem coæua martyr Soteris statuitur. Deficiunt in nostro Hyacinthus, & Amantius, quorum postremus numeratur in Antuerpiensi; Iacynthus verò in Corbeiensi, cum Dionysio, alijs ignoto martyre. Mancos hic fatemur codices nostros,

cum

cum Hyacinthus, & Amantius in omnibus ferè martyrologijs recolantur, Romano nempe, Rabani, Vsuardi, Adonis, & Notkeri. At sicuti Amantius alterius Zotici, qui Getulius dicebatur, socius fuit, ita facile accidere potuit, vt magis hic corruptum Antuerpiense quo nostrum & Corbeiense martyrologium fuerit, cum non modo Amantius in illo addatur, sed passum cum Zotico via Laurcana asseratur, quod ex Actis, apud Baronium confusis, profluxisse rectè suspicatur Bollandus: cum Zoticus ille vi; Lauream martyrio coronatus cum Amantio, diuersus sit à Zotico, qui presenti die recolitur. Sotheridem Virginem non Romæ, sed in Oriente martyrē asseri Notkerus, qui strictim eiusdem agonem percurrit.

In Campania &c. Siluanum Episcopum Velitrarum in Campania, existimat Baronius fuisse, cuius hac die memoria agitur. Sed expresse martyrologium D. Hieronymi vetustissimum, ac Antuerpiense Episcopum fuisse Terracinæ affirmat non Velitrarum, ideque magis appositè in Campania, cuius prouinciæ Episcopum, tum codices nostri, tum Corbeiense martyrologium tradit, ac insuper Confessorem non Martyrem, vt habet etiam Notkerus. Socium exilij S. Siluerij Papæ fuisse coniectatur Bollandus.

In Bethlehem &c. Quia constanter bini codices nostri passionem sub Herode exhibent S. Andreæ Apostoli, nihil mutamus, nihilque addimus ad ea, quæ diximus in Indiculo Apostolorū, nisi quod ms. Corbeiense, in pluribus cum martyrologio nostro conueniens rè vera legat, *Aperi*, & non Apostoli, sicuti, tacito Herodis Regno, ita etiam confirmat ms. Reginæ Sueciæ. *In Bethlehem Ciuitate Iudæ passio Sanctorum Andreæ, Aperi.* Rabanus legit pro Apostoli *Appiny*, Notkerus cum ms. Tornacense apud Herischerium, passos esse hos Sanctos Martyres *sub Herode Rege* diserè confirmat.

Santonici &c. Troianus Episcopus Santonensis, ac Confessor, quamquam vijs die trigesima Nouembris recolatur, in hanc tamen decimam Februarij referunt Bedá, Rabanus, Notkerus, Galesinius, & Saussayus, quorum postremus testatur Hunc S. Pontificis celebritatem in hanc ipsam diem ex antiquo instituto celebrari, quia tunc fuerit in Episcopum ordinatus, & sub Clodoueo Rege ad cælestia Regna vocatus. Depositionis diem fuisse 4. Idus Febr. ita docet ms. Reginæ Sueciæ. *Santonis Ciuitate depositio Troiani Episcopi.* Corrigendum quapropter in martyrologio Corbeiēsi Dacherij Vrbani nomen, & legendum omnino *Troiani Episcopi, & Confessoris*, quē tamen ex additis ad vetustius martyrologium non dubito, sicuti & Sanctam Baldegundam Abbatissam, de qua nihil se inuenisse etiam fatetur Bollādus, nisi nomen à Rabano, Notkero, Molano, Canisio, Menardo, Dorganio, Ferrario in sacris tabulis fuisse ascriptum, quibus addimus, & Corbeiense supra adductum martyrologium.

III. Idus Februarij.

IN Apimia Poemis. Eofraxi. In Campania Basiliani. Amanti. Eulici. In Africa Victuris. Felicis. Ianuari. Vitalis. Zotici. Cyriaci. Ammonij. Occomini. Pelleonici. Basili. Romæ Sorothedis.

FE-

FEBRVARII 15.

IN *Apamia &c.* Apamia, siue Apamæa quadruplex Geographis Vrbs est; alia Syriæ metropolis: alia Bithyniæ: tertia Pisidiæ: quarta Galliæ in comitatu Fuxensi. Anceps hic est doctissimus Henschenius, cui nam ex his Poenium, & Eufraxium martyres tribuat: candidè tamen fatetur, vetustissimũ S. Hieronymi Antuerpiense martyrologium in eo corruptum esse, quòd pro Apamia, Campaniam ita retineat. 3. *Idus Februarij in Campania Poenis, & Eupraxi, & in Armenia Batili, & in Vulturno Castrensis. In Campania Basiliani, & alibi Amanti, Tulici; In Africa Felicis, Victoris, Ianuari, Vitalis. Et alibi Zotici, Cyriaci, Ammoni, Occomini, Peleonici, Basili. Romæ Soratedis.* Magis cum nostro, & alijs consonat martyrologium Corbeiẽse, quod ita Apamiam non Campaniam retinet 3. *Idus Febr. In Apamia Poenis, Eofraxi, Armata. In Campania Basiliani, Amantij, Tabici; In Africa Victoris, Felicis, Ianuarij, Vitalis, Zotici, Cyriaci, Ammonis, Pelionici, Basilij, Germani. Romæ Sorotedis.* Reginæ Sueciæ ms. martyrologium de Apamea conuenit, sed Eufraxium tantum numerat. 3. *Idus in Apamia Eufraxi.* De Armata, cuius meminit Corbeiense, nihil in alijs martyrologijs inuenio, ms. Richenouiense apud Henschenium non nisi Poenum, & Eufraxium habet; ita & Notkerus. Suspicari quapropter licet, Corbeiensem codicem decurtatum esse, & pro verbis illis Antuerpiensis; *& in Armenia Basili*, librarium reposuisse, *Armatæ*, & Basiliũ, inter Africanos martyres infra numeratũ, tanquam frustra repetitum omisisse; Ita Basilianum, Campaniæ subsequentem martyrem, codices aliqui cum Apamiensibus confundunt. Consentit Antuerpiensi vetustissimo aliud Richenouiense apud Henschenium, in quo habetur. *In Armenia Basilii.* Vnde etiam fateri oportet, codices nostros mancos in hoc Armeniæ martyre Basilio esse.

In Campania. Quamquam vetustissimum, supra adductum martyrologium, librarij vitio, pro Apamia Campaniam præfetulerit, vt plurimum tamen in assignandis locis, magis quam alia distinctũ, comparet. Exhibet inter cætera ante Basilianum Campaniæ martyrem S. Castrẽsem, in Vulturno, opido prope Capuam, Campaniæ item martyrem, quem pluribus, addita vita, exornat Henschenius. Fatetur tamen vir clarissimus pag. 520. ad Antuerpiense suum martyrologium additum fuisse, quòd ex Africanis Episcopis fuerit, in Vvãdalica persecutione, ad Campaniæ lictus appulsis. Quapropter mirandum non est, si in nostris codicibus, Corbeiensi, alijsque deficiat. De S. Castrensi aliqua habet Ferrarius, ad hanc diem. Basilianum in Campania plura ms. martyrologia exhibent apud eundem Henschenium, quibus addimus ms. Reginæ Sueciæ, in quo post Eufraxium Apamiensem legitur. *In Campania Basiliani.* Huic socios addit Corbeiense Martyrologium, cum nostris codicibus, Amantium, & Tabicium, siue vt alia vetusta monumenta legunt, Tubicium, vel vt alter ex nostris libris retinet, Eulicium. Hos tamen martyres vetustissimum Antuerpiense martyrol. Campaniæ nõ assignat, sed ita incerto loco tribuit, *Et alibi Amantij, Tulici.* Cõfunduntur hi etiam in alijs mss. apud Henschenium cum sequentibus martyribus Africanis.

In Africa Victoris. Decem sequentes Christi Athletæ tribuuntur Africæ, tam in nostris, quam Corbeiensi codicibus: seiunguntur in vetustissimo Antuerpiensi, & primi tantùm quatuor in Africa coronati numerantur, reliqui verò *Alibi* incerto loco. Variat Corbeiense in Occonimo, quem filet, & cui vario ordine Germanum substituit; sed rectiùs nostrum

Iulianum addidit à Romano martyrologio S.Cyriaci, non optimæ quidem notæ codice, deceptus, vt notat Bollandus; Iulianus enim plurimis mſs.libris martyr Alexandrinus eſt, & aliorum anteſignanus. In mſ.Reginæ Sueciæ pariter, vt in illo S. Cyriaci decurtato, Carthagini Modeſtus tantùm tribuitur, & Alexandriæ meliori iure Iulianus. *Carthagine Modeſti. Alexandriæ Iuliani.* Antuerpienſe iam adductum martyrologium, in enumerandis Alexandrinis athletis parum à Corbeienſi, noſtriſque codicibus variat, & pro Carporio, Carpophorũ exibet, pro Germo Germinum, pro Pãphilo, Pampilum. Sed mſ. Diuitis Augiæ, pro Germino, vel Germo, Germanum exhibet apud Bollandum. De Euminio, præter martyrologium Antuerpienſe, nullum aliud memininiſſe video. Plures anonymos addunt mſs. S. Mariæ Vltraiecti, & S. Maximi Treuirenſis. Ita enim apud eundem Bollandum legunt. *In Alexandria Iuliani martyris, & aliorum* 18. Mſ.Reginę Sueciæ Iulianum tantummodo refert, vt vidimus.

Dorotheæ Theophili. Alexandrinis martyribus Dorothea, & Theophilus, tãm in noſtris codicibus, quam Corbeienſi ſociantur, immò in Corbeienſi alter Iulianus, alijs ignotus additur. Dorotheæ, & Theophili ſcholaſtici memoriã, Cæſareæ Cappadociæ ex martyrologio noſtro, ac Corbeienſi dedimus die ſecũda Februarij, qua die eruditiſſimus Bollandus acta, & monumenta reliqua protulit; ibi etiam Dorotheæ Alexandrinæ, Deo ſacratæ Virginis, in Maximini Galerij perſecutione, Tyranni libidinem ſtrenuè fugientis, elogia cumulat ex Ruffino, & Euſebio; ſed huic Theophilus ſocius non additur, cum tamen in veruſtiſſimo Antuerpienſi, Corbeienſi, ac noſtris codicibus manifeſtè recenſeatur. An fortaſſe legendum eſſet Theophilæ, non Theophili? Quòd plures Deum amantes nobiles mulieres, & Virgines, eius exemplo, pro fide, & caſtitate decertauerint, inter quas aliqua inſignior fuit, ab amore in Deum, Theophila nuncupata. Sed fortaſſe antiquarius, qui martyrologium noſtrum cõcinnauit, non niſi vnam Dorotheam maioris famæ cognoſcens, quæ Cæſarienſis erat, eandem cum Alexandrina putauit, & Theophilum, ab ea lucratum, addidit ſocium. Antuerpienſis martyrologij recenſio cautior eſt; non enim Dorotheã, & Theophilum Alexandriæ hac die conſignat, ſed tantum incerto loco *alibi*; quaſi Cæſarienſium Cappadocię ſociorũ martyrum memoria etiam alibi, vel ex conſtructa Baſilica, vel reliqniarum tranſlatione, celebris hac die eſſet. Sed quid vetaret, in Alexandrina martyrum laniena, Dorotheam aliquam cum Theophilo, alio martyre fuiſſe celebrem, preſertim ſi ex Corbeienſi martyrologio ſocius Iulianus adderetur, qui Cæſarienſibus Dorotheæ, & Theophilo alioquin ſocius non inuenitur? Ex nudo nomine, in tanta martyrum ſegete, vix ſub diuerſo die, in diuerſa regione, eoſdem martyres fuiſſe licet affirmare.

In Italia Donati. Donatum martyrẽ Italum, anteſignanum ſocios in agone habuiſſe, ita etiam affirmat mſ. Reginæ Sueciæ. *In Italia Donati cum alijs*; hos verò commilitones nominibus ſignat, tam Antuerpienſe, quam Corbeienſe, noſtrumque adductum martyrologium. Quamquam verò plures martyres in Italia, Donati nomine, Ferrarius fuiſſe doceat, & aliquibus etiam ſocij addantur, nullum tamen ſub hac die refert, cuius ſocij talibus nominibus ſignentur. Latent ergo hucuſque Sancti martyres Itali ſeptem numero, iiſdem plane nominibus in ſacris olim faſtis conſignati: præterquam quod Antuerpienſe, minima differentia, Heradium pro Heraclio enumerat. An verò, quæ poſtremo recenſetur, Eulalia Hiſpana martyr Barcinonenſis ſit, ſuſpicari ex eo licet, quòd hac eadem die 12. Februarij aliqua martyrologia eandem recolant, vt Romanum ex Beda, Vſuardo, Adone, quibus præter recentiores addimus Vvandelbertum, &

Notkerum. Diuersam tamen facile credimus, quòd in Italia, & cum Italis alijs, adhuc obscuris martyribus, recolatur die duodecimo Ianuarij. Ferrarius apud Bollandum Vxenti in Salentinis, Eulaliam Virginem, & martyrem coli refert, quam Barcinonensem, translatis in Italiam reliquijs, suspicatur. At Ferrarius in Catalogo Sanctorum Euleliam vocat, tam in laterculo, quam in notationibus; In alio verò Catalogo Sanctorum Italię Eueliam notat Virginem, & Martyrem Vxenti in Salentinis die 12. Ianuarij, idq; in indice tãtùm; ad signatũ enim diem nihil inuenire licuit.

Depositio Simplicij Episcopi. Depositionis nomen, huic martyrologio vsitatum, Simplicium hunc Episcopum Confessorem fuisse, suadere potest, quòd etiã Confessor dicatur Rabano, & Bedæ vulgato. Duo vetusta martyrologia apud Bollandum, Letiense, & Tornacense, ita S. Episcopum Italiæ consignant. *In Italia depositio S. Simplicij Episcopi.* Hæret quapropter vir doctissimus, an Simplicius Veronensis sit, de quo Valerius, & ex eo Ferrarius agit die 20. Nouembris. Ex additis esse vix liceret dubitare, si præsertim post annum Domini quingentesimum floruisset, vt idem notat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. De S. Simplicio Viennensi Episcopo, & Cõfessore meminit Saussayus mense Febr. sed tertia die, non duodecima. MS. Reginę Suecię incerto loco ita huius diei laterculo ascribit. *Et alibi depositio Simplicij Episcopi.*

Depositio Leodegarij Abbatis. Non modo ex additis Sanctum hunc Abbatẽ existimo, sed nullibi in tabulis Ecclesiasticis me inuenisse signatum fateor. De Leodegario Episcopo, quem Romanum martyrologium recolit die 2. Octobris, præter ea, quæ ibi adducit Baronius, videnda essent, quæ habet Andreas Ducheſne tom. 1. Hist. franc. sed hunc non esse Abbatem Leodegarium satis patet.

Idus Februarij.

IN Nicomedia passio S. Ilalianæ. In Alexandria Tulliani. Ammoni. Et Alibi natalis Dicenti. *Lugduno Depositio Beati Stephani Episcopi.*

FEBRVARII 13.

ABundat in huius diei laterculo martyrologiũ vetustissimum Antuerpiense supra nostrum, ac Corbeiense hoc pacto. *Idus Februarij, In Alexandria natalis Tulliani, Anti, Cyriaci, Ammoni. Nicomedia passio Sanctæ Iulianæ Virginis. Et alibi natalis Dicenti. Lugduno depositio Stephani Episcopi, & alibi Polianti, Filoronis, Candidi.* Corbeiense verò differt à nostro quod ita. Decentio addat Simplicium, & pro Iuliana, seu Ilaliana, Iulianum exhibeat. *Idibus Febr. In Nicomedia passio S. Iuliani. In Alexandria Tulliani, Ammonis, & alibi natalis Dicenti, Simplicij. Lugduni depositio B. Stephani Episcopi.*

In Nicomedia &c. facilis librariorum lapsus esset, si Iulianum pro Iuliana reposuissent, vt habet martyrologiũ Corbeiense, & cum eo alia tam mss. quam edita apud Bollandum, sed quia vetustissimum Antuerpiense, non modo Iulianam habet, sed Virginem, facilius cum nostris codicibus componi potest. Accedit & ms. Reginę Suecię, in quo legitur. *Nicomedia passio S. Iuliana.* Sunt qui Iulianum

lianum martyrem Lugdunensem faciant, & ibi cum Stephano passum affirment, sed minoris ponderis sunt. Alij etiam confundunt cum Iuliano Alexandrino, cuius memoriam martyrologium nostrũ recolit pridie huius diei: alij cum Iuliano Basilissæ Virginis sponso, cõmiscẽt vt Vvandelbertus. Iulianã omnino retinerẽ anceps, an in nostris codicibus aliorum vetustiorum fide, Iulianæ nomen reponendum sit, vel Ililianæ finendum. Vide, quæ infra die 16. Febr. adnotamus

In Alexandria Tulliani &c. Ordine non modo hic differt Antuerpiense à nostro martyrologio, sed & martyrum numero: ad Tullianum enim, & Ammonium addit Antium, & Cyriacum, quos non modo Corbeiense cum nostro filet, sed etiam ms. Reginæ suecicæ in quo tantùm recensentur. *Alexandriæ Tulliani, Ammonij.* Tullianus aliquibus perperam in Iulianum mutatur, & ex Antio, & Cyriaco apud Henschenium vnum nomen, corruptè conflatur.

Et alibi natalis Dicensi. Nihil ad Decentium martyrẽ adnotasse Bollandũ, vel Henscheniũ inuenio, sed tantũ in prætermissis indicare martyrologiũ Monasterij S. Cyriaci Romæ eiusdem meminisse. Incerti loci martyrem esse, non modo vetustiori nostro, sed vetustissimo Antuerpiensi video, cui Corbeiense Simpliciũ socium superaddit. Sanctus Decentius Episcopus Pisaurensis, cui Germanus Diaconus apud Ferrarium die 28. Octobris sociatur, videtur diuersus, præsertim ex socij diuersitate.

Lugduni depositio B. Stephani; Confessorem fuisse, ex titulo depositionis in martyrologio nostro, satis liquet. Martyrem sunt qui faciant, vt Petrus de Natalibus, & ex eo fortasse Maurolycus. De eo aliqua habet Theophilus Raynaudus, qui vti Confessorem in Lugdunensi Ecclesia venerari testatur in Indiculo Sanctorũ Lugdunensium; hunc floruisse, consentit sub annum Christi 490. ac recte Molanum in additionibus ad Vsuardum diem obitus eius adnotasse Idus Februarij: malè verò Petrum de Natalibus ad diem pridie Idus Februarij, quod res vera ex pluribus mss. codicibus confirmatur. Distinguẽdus S. Stephanus Lugdunensis Episcopus est à S. Stephano patria Lugdensi, sed Episcopo Diensi, cuius is valdè recentior fuerit, vt ex eodem Indiculo patet. Sanctus Stephanus senior, quamuis in pluribus, tam mss. martyrologijs, quam editis recolatur apud Bollandum, ex additis tamen ab Antiquario Gallico vix dubitarem. Calendarium paruum nostrum S. Hieronymi habet tantùm 1. *Id. Stephani Episcopi.*

XVI. Cal. Martij.

IN Thuscia Spoleti Ciuitate Natalis Sanctorum Vitalis. Cyriani, & Marciani. Valentini. Interamne via Flamminia ab Vrbe Roma miliario LXIII. Natalis S. Vincenti. In Licia natalis Sanctorum Basiani. Tonion. Moyseos. Barsion. Dionysius, & Emonius. Arfasi. Item Dionysius Episcopus. Orus. Paulus. Leucorus. Orphasius. Plebius. Amandus. In Militana Ciuitate natalis Policti. In Eraclea natalis Sanctorum Felicis. Ianuari. In Græcia Palladi. Candediani. Poliasti. Filoronis. Candidiani. Passamonas. Ionas. Ammonius. Topphi. Proudi. Breconi Diaconi.

Moyse Lect. In Ciuitate Spolisio Vitalis, & Milites LXXXIV. In Africa natalis Valentini. In Tera Miliario LIIII. Via Flamminia. Artheni. Marciani. Theoni. Celerini, & Magni. In Sicilia Egias. Iuliani. passio S. Seueri. In Alexandria Saturnini. Aduocati. Preconi. Maximi.

FEBRVARII 14.

NVmerosa Sanctorum martyrum series, in hoc interculo notata, non parũ discrepat ab Antuerpiensis vetustissimi recentione, magisque Corbeiensi consonat. Vtrumque primum afferemus, vt ad inuicem conferri possint. Amuerpiense igitur in laminis ita prostat. *16. Kalendas Martij. Interamne via Flaminia natalis Valentini, & Spoliti Ciuitate natalis Vitaliani, Vitalis, Marciani, Feliculæ, Iuliani. In Cilicia natalis Seguntis & Iuliani. In Alexandria Basiani, Tonnianis, Prothi, Luci. Item Cyrion Presbyter, Mayscor., Bassiani; Item Agathon exercitus. Item Dionysius, Ammonius. Item Anbasi, Arbasi, Dionysi Episcopi, Pauli, Leuirii, Orbasi, Plebi, Dionysi Presbyteri, Amanti, In Militana Ciuitate Sancti Polieti. In Heraclea natalis Felicis, Ianuari. In Grecia Pulladi, Candidiani, & alibi Poliani, Filoronis, Candidi, passio Ammonis, Jonas, Sammoni, Stoppi, Protidi, Praeconidi, Moisei. In Ciuitate Spolitio Vitalis, & Militum XLIIII. In Africa Valentini, & Militum XXIIII. Via Flaminia Anthimi, Marciani, Tioni, Celerini, Magni, Iuliani, Passio Sancti Seueri. In Alexandria Saturnini, Aduoti, Praeuni, Maximi.* In Corbeiensi verò ita legitur. *16. Kalendas Martij. In Thuscia Spoleti Ciuitate Natalis Vitalis, Cyrion, & Martiani, Vitalis, Interamne Via Flaminia ab Vrbe Roma Milliario sexagesimo quarto natalis S. Vincenty, Talici. In Lycia natalis Sanctorum Martyrum Germani, Iuliani. In Alexandria natalis Sanctorum Basiani, Tonioni, Masæus, Basion, Dionysij, & Ermon, Arsasy. Item Dionysij Episcopi, Pauli, Leuirii, Orsasii, Plebis. Item Dionysii Episcopi, Amandei. In Militana Ciuitate natalis S. Policti, In Heraclea natalis Sanctorum Felicis, Ianuarij. In Grecia, Palladij, Candidiani, Pollardi, Filoronis, Passamonas, Ionas, Ammonis, Toppi, Protidi, Praeconi, Moysei, Leoni, Januarij. In Ciuitate Spolitio Vitalis, & Militum nouaginta nouem. In Africa natalis Valentini. Interamne Militum quinquaginta quatuor. Via Flaminia Anthimi, Martiani, Thioni, Celerini, Magni. In Sicilia Egidi, Iuliani, Passio S. Sileni Martyris. In Alexandria Saturnini, Maximi, Praeconi, Maximi.* In tam dissonis, & nominis dissonantia nostros magis codices sequendos esse dixi, præsertim quòd Corbeiensi, aliisque nostris martyrologijs magis consonent.

In Thuscia Spoleti &c. eodem modo Spoletum Vmbriæ vrbem, Thusciæ tribuit hujus martyrologij scriptor, quo alibi Tudertum; minus quidem accurata locorum distinctione. Plerique putant Vitalem hunc esse, qui Romæ passus est cum Feliciula, & Zenone; sed nihil hic de martyribus illis; quãquam in pluribus Kalendarijs hac die coniunctim memorentur, & ms. nostrum S. Hieronymi ita etiam habeat, 16. *Kal. Martij Valentini, Vitalis, Feliculæ, & Zenonis.* Sed Valentinus communiter aliis tribus nõ connectitur, neque de iisdem tribus hic agi putarem, quòd non Thusciæ, vel Spoleti, sed via Ardeatina coronatos fuisse Notkerus doceat, & Romæ tribuat. Feliculam cum Vitale Spoleti habet quidem.

Ve-

Vetuſtiſſimum martyrologium iam adductum, ſed Zenonem ſilet, & Vitalianum, Marcianum, & Iulianum addit. Diuerſos hos Spoletanos, vel Thuſcos martyres eſſe vix dubitarem. MS. Reginæ ſuecię binos ex his martyribus Thuſcię ita tribuit *16. Kal. Martii in Thuſcia Sanctorum Vitalis, & Marciani.* Henſchenius clariſſimus, qui in huius diei latere culo valde fluctuat, ex martyrologio Richenouienſe, Spoleti, Vitalianũ, & Vrſ. Ardeatina Feliculam profert, & corrigendum eſſe putat Antuerpienſe hoc pacto. *Spoleti Ciuitate Vitaliani, Romæ, vel via Ardeatina Vitalis, Feliculæ.* Marcianum verò cum Iuliano, ex eodem ms. Richenouienſe, in Ciuitate Egnatiorum natum fuiſſe coniectatur. De Feliculo ſilet noſtrum, ac Corbeienſe, quamquam Menardus ad Sacramentarium Gregorij, tam in Remenſi codice ha eandem die, quam in ms. martyrologio Corbeienſi, (alio quidem à Corbeienſe Dacherij, noſtriſque varijs eiuſdem codicis lectionibus, frequenter adductis) ita legi affirmet. *Natale Sanctorum Valentini, Vitalis, Feliculæ, & Zenonis*, addens in Corbeienſe malè legi *Fenicule*. Videndum tamen eſt, cum bis Spoletanæ Vrbi in hoc eodẽ laterculo S. Vitalis tribuatur, quinimmo in Corbeienſe Dacherij tres ſub Vitalis nomine martyres in eadem Vrbe recolantur, an ſemel ſaltem legendum eſſet Vitaliani. Ita ſanè exiſtimarem cũ tam vetuſtiſſimum Antuerpienſe, quam Richenouienſe in prima claſſe Spoletanorum Vitalianum proferant, quod à noſtris codicibus non abhorret, in quibus Vitalis nomen, ita breuiatum legitur vt Vitalianus etiam poſſit interpretari.

Cyriani. Cyrion legit ms. Corbeienſe, & pariter inter Athletas Spoletanos reponit: Antuerpienſe verò inter Alexandrinos, & Presbyterum facit. Vitali ſocium Cirionem exhibet, Via Appia in Tuſculano, ms. Aquiſgranenſe apud Henſchenium, qui putat Presbyterum eſſe, igne combuſtum, infra cum alijs ſocijs, in vetuſtiſſimo Antuerpienſe repoſitum. In tanta nominum vbertate, ſine notabili, ac diſiunctiua additione, nihil vetat, & Cirionem paſſum eſſe Spoleti, ſicuti Valentinum inter martyres Spoletanos non eſſe recenſendum facile concederem, ſed Romæ potiùs tribuendum, quòd in codicibus noſtris videatur ab illis ſeiunctum. In Kalendario Antiquo Fronti ita ſignatur. *14. Febr. Natale S. Valentini*, & in alio etiam antiqui Breuiarij noſtri hoc pacto. *16. Kal. Martij Valentini Martyris*. Idem Fronto addit à Theodoro Pontifice Romano dicatam fuiſſe Eccleſiam S. Valentino via Flaminia iuxta Pontem Miluium. Plura de hoc colligit Henſchenius, qui & acta antiqua profert. Sed Valentinus qui ferè cum Spoletinis numeratur facile Epiſcopus Interamnæ in Vmbria eſſe poteſt, qui Martyr hac etiam die recolitur, & cuius monumenta ad hanc ipſam diem colligit Henſchenius: facileque eſſe potuit, vt librarius noſtrorum codicum, Valentinũ Interamnæ oſcitanter proposuerit, qui poſtponendus eſſet poſt Cyrianum, & Marcianum hoc pacto. *Interamnæ Via Flaminia ab Vrbe Roma Miliaria XXIII. Sancti Valentini, & Natalis S. Vincentij*, præcipuè quòd ita referat vetuſtiſſimum Antuerpienſe, nec Interamnæ Vmbriæ ciuitas à Spoleto magis, quam per 22. milliaria diſtet, & plurima, tam mſs., quam edita martyrologia id confirmet. Plures Valentini hac die in Actis SS. Bolland. & Henſchenij veneranur, ſed hunc habet etiam martyrologium Romanum, & acta eſtant apud Surium.

Interamnæ. Mendum hic eſſe ſuſpicari licuit, & quomodo lideretur emaculandum diximus. Interamnæ Ciuitas Vulgo Terni, via Flaminia ſita erat, & circa eandem diſtantiam ab vrbe Roma, vnde præcipuæ viæ initium capiebant. Præter Valentinum, martyrologium noſtrum binis codicibus Vincẽtium exhibet ſicuti Corbeienſe, alia verò ſilent, etiam apud Bollandum, & Henſchenium ex plurimis citis, prolata. An fuerit Vincentius Epiſcopus Mouſtienſis, qui non

longe

longe ab vrbe illa, nunc insigni oppido, dioceſis Spoletanæ in Vmbria, inter vrbem ipſam, & Portalium tumulatus eſt, & cuius natalis dies etiam Interamne celebris eſſet, hæreo adhuc incertus. Equidem in Actis S. Vincentij, quæ Lucæ, vbi corpus eius veneratur, in vetuſtis mſs. ſeruantur, diſertè narratur, poſt multa tormenta Sanctum Confeſſorem, cum pluribus fidelibus, corpus Dominicũ ſuſcipientem 8. die Iunij ſpiritum Deo reddidiſſe, ac Glyceriam nobilem feminam mercato à paganis ſacro corpore, ſepulturæ dediſſe in prædio ſuo, quod vocabatur Campus ſaluris, *Inter Portilione, & Meuania, miliaria ab vrbe Roma plus minus LXXXIIII.* Et quamquam Meuania, vt teſtatur Philander ad 2. Vitruuij librum, oppidum ſit in via Flaminia, attamen cum in S. Vincentij Meuenatis hiſtoria, nil de Interamne dicatur, & maior à Romana vrbe diſtantia in ſepulcro eius notetur, quam in martyrologio noſtro exprimatur, nihil decerno. Locorum in Vmbria propinquitas ſuſpicionem monit. Lucenſis Eccleſia in Hetruria, vbi S. Vincentij Epiſcopi Meuenatis corpus ſeruatur, non hoc die, ſed 6. Iunij natalem eius celebrat. Falicium Vincentio ſocium addit martyrologium Corbeienſe, reliquis omnibus mihi viſis martyrologijs ignotum; ex huius ſocij nomine videtur Vincentium Meuanienſem excludi, cum Benignus Diaconus, non Falicius ſocius in eius actis exprimatur.

In Lycia Natalis &c. An pro Lycia legendum ſit Cilicia hìc dubius hæreo. Lyciam cum noſtro habet martyrologiũ Corbeienſe, & Lyciæ aſcribit Germanum, & Iulianum Martyres. In noſtro verò omiſſis Germano, & Iuliano, Lyciæ ſeries illa martyrum aſcribitur, qui in pluribus martyrologijs Alexandriæ tribuuntur. Vnde noſtrum in hac parte decurtatum fateor. Cum verò infra Iulianus in Cilicia reperatur, aptius hìc videtur pro Cilicia Lyciam retineri, & ſupplendos potius eſſe ex Corbeienſi in codicibus noſtris Germanũ, & Iulianũ, vel Seganum, & Iulianum ex Antuerpienſi. Ne quid verò ſileam, quod veritatem collimare poſſit, cum infra ab Alexandrinis martyribus, primo loco numeratis, in pluribus martyrologijs, alia Alexandrinorum martyrum claſſis adiungatur, ſubijt dubitari, an diuerſæ vrbes, Alexandriæ nomine donatæ, eſſe potuerint, in quibus Chriſtiani athletæ palmã meruerint. Geographi, & inter hos Ortelius 26. vrbes, Alexandriæ titulo nuncupatas, apud idoneos ſcriptores reperiri animaduertit. Lycia non modo Regio eſt Aſiæ, inter Cariam, & Pamphiliam, quæ maior Lycia dicitur, ſed alia minor Regio Troadis iuxta Idã M. cuius Homerus, & Strabo meminerunt, & in qua natum Apollinem fabulantur. Troadem ſuo tempore Alexandriam vocatam fuiſſe habet Plinius, & Vrbem in ea Regione numerat Ptolemeus Alexandriam nomine, cuius etiam Liuius, videtur meminiſſe. An numerati Martyres, Alexandriæ tributi in alijs martyrologijs, in noſtro verò Lyciæ, illius Alexandriæ fuerũt, quæ in Lycia minore conſtituitur? Fortaſſe incongruum ita ſentire non videretur, niſi maiori diſtinctione codex Corbeienſis ſuos Lyciæ martyres, ſuoſq; Alexandriæ tribueret.

Baſiani. Lacunam in martyrologio noſtro iam diximus ſuſpicari, ex Corbeienſi reſtituendam, in quo Baſſianus cum alijs tredecim Martyribus Alexandriæ aſcribitur. Totidem, & in noſtro martyres cum Baſiano ſunt. Plures tamen in Antuerpienſi numerantur, in plures claſſes diuiſi. Horum aliqui, ſed non omnes Romano, Bedæ, Vſuardi, aliiſq; tam mſs., quã editis martyrologijs, apud Henſchenium in ſylloge Hiſtorica non ſunt. Pluribus Baſſus anteſignanus eſt. Vetuſtioribus codicibus, Corbeienſi, & noſtris Baſſianus eſt Choriphæus. Dionyſius Epiſcopus ſemel in noſtro recenſetur: bis in Corbeienſi: Pro Tonione plures codices Antonium habent; Sed Tonnionem retinet etiam Antuerpienſe, quod vnum tantùm Dionyſium Epi-

ſcopum

ſcopum exhibet, & alium in noſtro numeratum Dionyſium, Præsbyterum fuiſſe notat. Quem Ermonionem dicit Corbeienſe, noſtri codices habent Emoniũ. In ſecunda claſſe, quam ducit Dionyſius Epiſcopus, ante Paulum, in noſtro Orus numeratur, qui deficit in Corbeienſi. Parum verò refert, an Leuiorius cum Corbeiẽſi legamus, vel Leuiorus cum noſtris codicibus. Magis autem refert, quòd in Antuerpienſi Protus, & Lucius in prima claſſe reponantur, & in noſtro, & Corbeienſi deſiderentur: ſiue vnicum ſit nomen Protolycus, vt in mſ. Coloniẽſi vidit Hẽſchenius, & in Notkero; ſiue ex martyrologio S. Hieronymi habet Petrus de Natalibus lib. 3. c. 114.: vel duo Martyres ſint, vt expreſsè retinet Antuerpienſe in laminis impreſsũ. In hoc pariter numeratur Cyrion Presbyter, noſtro inter Spoletinos recẽſitus, & Agathon, qui exercitus ibi malè pro exorciſta ſcribitur; Agathon enim exorciſta in aliquibus editis martyrologijs nũcupatur, & Baſſianus lector. In eodẽ etiã additur Ammonius, & Arbata, ſiue Armata, in noſtris, & Corbeiẽſi codicibus prẽteriti. Ex his martyribus aliquos in mare merſos, alios igne combuſtos habent cum Martyr. Romano Notkerus, & Vſuardus: alios capite cæſos, ſicuti Petrus de Natalibus, & Galeſinius confirmant ex martyrologio S. Hieronymi, quod cũ noſtro non prorſus conuenire ex hac etiã aſſertione cõuincitur. Ex his quoq; nonnullos 5. Idus Febr. iã fuiſſe recenſitos nõ difficilè concederẽ.

In Militana Ciuitate &c. Melitenę, ſiue Melitine legendum eſſe videretur, pro Vrbe, & Regione Cappadociæ Ptolemeo, & Stephano; nam in *Militana Ciuitate* legit tam Antuerpienſe, quam Corbeienſe martyrologium; niſi omnino Militenæ Armeniæ vrbe legendum ſuaderent Acta S. Polyecti ab Henſchenio ſuperiori die adducta, & plura tam mſs., quam edita martyrologia confirmarent, quæ Sanctum Martyrem Idibus Februarij venerantur. Cum noſtro tamen ad hanc diem XVI. Kal. Martij S. Polyectum recolunt, tam Antuerpienſe, quam Corbeienſe, & mſ. S. Maximi prope Treuiros, in quo legitur ad diem 14. Februarij. *In Militana Ciuitate Armeniæ Natale S. Polyecti Martyris.* Vide quæ dicta ſunt ad diem ſeptimum Ianuar.

In Heraclea Felicis &c. Sanctos hos Martyres Felicem, & Ianuarium coniectatur Bollandus in prætermiſſis, eoſdem eſſe, qui in Romano martyrologio die ſeptima Ianuarij recoluntur, & eorum numerationem hìc eſſe repetitam. At mirandum eſt, quomodo tam Polyectus in Militana Ciuitate, quam in Heraclea Felix, & Ianuarius, in Græcia Palladius, & Cãdidianus, & alibi Polianus, ſiue Poliares, Filoron, & Cãdidus hìc eodẽ fere ordine repetãtur, quo ad VII. Idus Ianuarij in vetuſtiſſimũ Antuerpienſe S. Hieronymi, in Corbeienſi, noſtroque reponuntur. Vnum, alterumque Martyrem iterata veneratione, vel ex aliqua reliquiarũ tranſlatione, vel Eccleſiæ dedicatione diuerſis diebus in pluribus martyrologijs adnotari non eſt incongruum; tot verò, in tam diuerſis locis, tam ſeptima die Ianuarij, quam 14. Februarij eodem ordine memorari, ſine errore fieri vix mihi ſuadere poſſum. Vnde verò error emanauerit, ſicuti me fateor ignorare, ita antiquiſſimum fuiſſe non dubito, & fortaſſe, qua homines ſumus, ab ipſo vetuſtioris martyrologij ſcriptore, cum eadẽ ferè proſtent tam in Antuerpienſi, quam Corbeienſi, noſtriſque binis codicibus. Ad hãc ipsã diẽ XVI. Kal. Martij, ita legit mſ. Reginę fueciæ. *In Heraclea Felicis, Ianuarii. In Græcia Palladii, Candidiani.*

Paſſamonas Ionas &c. Ita etiam legit martyrologium Corbeienſe cum codicibus noſtris, vt ſuſpicionem facile induxerit, Paſſamonas locum fuiſſe aliquẽ certaminis, aut natalis ſequẽtiũ martyrũ, quorũ Anteſignanus Ionas fuerit. At cũ nuſquam Paſſamonas, vel quid ſimilis denominationis apud Geographos compareat, & ex martyrologio Antuerpienſi mendum apertè percipiatur, legendum eſſe, *Paſſio Ammonis Ionas &c.*

liben-

libenter consentio, & corrigendos esse, tam Corbeiensem, quam codices nostros: ita vt alia classis Martyrum Græcorum à Passione S. Ammonij incipiat, & pro Ammonio post Ionam repetito, legendus sit Sammonius, vt habet martyrologium Antuerpiense. In Corbeiense verò, in quo non modo Ianuarius additur, sed ex interpunctione Dacherij Lector pro martyre numeratur, cũ officiũ sit Moysei, cui subnectitur, existimarem Prœconio notam Diaconi esse addendam ex nostris codicibus, in quibus manifestè Moyseus Lector, & Præconius Diaconus asseruntur. Hinc leue mendũ ex Antuerpiense remoueri potest, in quo cum legatur *Præconidi*, restituendum videtur *Præconi Diaconi*.

In Ciuitate Spolitio &c. Alium Vitalẽ Martyrem Vrbi Spoletanæ, à superiori seiunctum, qui plurium Militum simul coronatorum Dux fuerit, hìc recensèri apparet. Spolitium pro Spoleto corruptè scriptum palam videtur. Militum numerus in Antuerpiensi minor est, nempe Vitalis, & Militum XLIIII. In nostris codicibus fere geminatur ad LXXXIIII. In Corbeiensi magis etiam exuberat, habet enim natalem *Vitalis, & Militum nonaginta nouem*. Reliqua me latent.

In Africa Nat. Valentini. Nisi codices nostri, ita apertè legerent, & tam Antuerpiense vetustissimum, quam Corbeiense martyrologium in assignando Africæ Valentino conspirarent, de insigni transpositione sequentia suspicionem induxissent, nempe prius legendum esse. *Interamne Milliario LIIII.* vel potius *LXIIII. Valentini*: deinde *In Africa Artheni, vel Anthini, Marciani &c.* Iam supra de Valentino Interamnensi Episcopo, & Martyre aliqua diximus, quem Spoleto ascriptum fuisse conijciebamus. Si quis illum Spoletanum, & non Episcopum vellet, & hunc potius Interamnensem putaret, ita mendosè transpositum, non pugnarem, sed adducta mss. martyrologia apertissimè Valentinum Martyrem Afrum fuisse docent, ac insuper vetustissimum Antuerpiense, siue Epternacẽse socios illi adiungit milites viginti quatuor.

Interamne &c. Iterũ in Vmbria Martyres Interamnenses numerantur. Dacherius in Corbeiensi martyrologio legit. *Interamne milites quinquaginta quatuor*. Deinde in alia classe *via Flaminia Athenium, Martianum*, & reliquos. At licet sine vlla Interamnæ vrbis, aut militum coronatorum memoria vetustissimũ Antuerpiense viæ Flaminiæ, eiusq; Martyrum meminerit, cum nostri tamen codices, ac Corbeiense martyrologium Interamnam exprimant, libentiùs illorum lectionem, quam Dacherij amplector, & breuiatum nomen *Militum quinquaginta quatuor* facilius *milliario quinquagesimo quarto via Flaminia* interpretor, iuxtà martyrologij nostri morem, quã *Militum quinquaginta quatuor*. Nihil enim vetat, hos Martyres, via Flaminia, milliario quinquagesimo quarto coronatos, Vrbi Interamnensi ascribi, cũ Vrbs ipsa, vt diximus, in via Flaminia sita fuerit. Et quamuis longiùs Interamna ab Vrbe Roma distaret, potuissent hi Martyres, eadem via, milliario tantùm quinquagesimo quarto, supremo supplicio affici, vel ex Interamna ad locũ illum passionis deduci, vel post necem reducti eidem ciuitati ascribi, & in ea deinde celebres esse.

In Sicilia Ægias. Ægeæ in Cilicia legunt alij, ac ita emendandum vetustissimum Antuerpiẽse, seu Romanum, coniectatur Henschenius, ex antiquo Richenouiense, *quòd in Ægea ciuitate Iuliani, Marciani* memoriã recolat. Et licet Notkerus, *In Ægea Ciuitate S. Iuliani* tantùm meminerit, cũ Marcianum alterius classis esse manifestũ sit ex pluribus mss. legendum cum Corbeiense existimarem, *In Sicilia Ægias Iuliani*, siue Ægias nomen sit Vrbis, vel Martyris. Pro Vrbe accipiendum nomen Egiæ, vel Egeæ libentius existimarem, quòd ita habeant adducta martyrologia Notkeri, & Richenouiense. Restitui verò posset librarij lapsus,

lapsus, si pro Ægea in Sicilia legeretur Ligeste, quę Vrbs illius Insulę quondam fuit, vel potius Egyne eiusdē Insulæ Vrbe, quā aliqui Eggyne legunt, & cuius meminit Cicero in Verrem. Iulianum verò, frequentissimo in martyribus nomine, diuersum putarem ab eo, qui Lyciæ cum socio tribuitur.

Passio Sancti Seneri. Seuerum non Senerum habet vetustissimum Antuerpiēse, vel Serenum, vt legit Dacherius in Corbeiensi. Hunc putat Bollandus inprætermissis facile esse, qui prima Ianuarij Rauennæ colitur, & Seuerinum dici in S. Hieronymi vetustissimo, siue Antuerpiense testatur, sed Seuerum, non Seuerinum in eiusdem laminis apertè inuenio.

In Alexandria. Quatuor hos indicatos Alexandriæ martyres fatetur Henschennius nullibi se inuenisse, præterquā in adducto martyrologio S. Hieronymi Antuerpiense. At præter codices nostros, meminit etiam Corbeiense, in quo Aduocatus, ex interpunctione Dacherij nomen martyris est, non officij. Martyrologium tamen Reginæ Sueciæ ms. habet *Alexandria Saturnini aduocati*, relictis duobus alijs: & Antuerpiense pro Aduoto Aduocatum legit. Distinctos hos esse ab alijs Alexandrinis athletis, hac eadem die, in diuersis martyrologijs Alexandriæ tributis, non dubitarem: siue tempore, siue occasione Martyrij disiungantur. In codicibus nostris hi tantùm Alexandriæ passi numerantur.

XV. Kal. Martij.

IN Antiochia Natalis S. Iusippi Diaconi. Zenonis. Apolloni. Fœbi. Romani. Zosimi. Baraſe. Zocij Presbyteri. Rufini. Interamne Natalis S. Agapæ Virginis. Saturnini. Castulæ. Magni. Luci. Rogati. Ioannis, & aliorum xij. Vuarciana in Spania passio S. Loquunfas. In Syria Auanti. Xisti. Pompini. Gemelli. Victoris. Generosi. Item Victoris. Gemelliani. Coturni. Castuli.

FEBRVARII 15.

PArùm differt à nostris codicibus Corbeiense martyrologium, huius diei laterculum ita consignans. *XV. Kal. Mart. in Antiochia Natalis Ioseppi Diaconi, Zenonis, Apollonis, Phoebi, Romani, Zosimi, Baradi, Rufini, Zotij Presbyteri. Interamne Natalis S. Agape Virginis, Saturnini, Castula, Magni, Lucij. Rogati, Ioannis, & aliorum duodecim martyrum. Barcinone in Hispanijs, passio Sancta Loguunfas. In Syria Auenti, Sixti, Pompini, Gemelli, Victoris, Generosi. Item Victoris, Gemelliani, Coturni, Castuli, Ianuarii, & depositio S. Siluinii.* Nec dissonat vetustissimum Antuerpiense, seu Hieronymianum Bollandi, quod ita in laminis prostat. *XV. Kal. Martii. Antiochiæ Natalis Iosippi Diaconi, Zenonis, Apolloni, Phœbi, Romani, Zosimi, Barali, Zoci Presbyteri, Rufini. Interamne Natalis Sancti Agapis Virginis, Saturnini, Castolæ, Magni, Luci, Rogati, Iohannis, & aliorum XII. Arciana in Spanis passio Locusati. In Syria Aduenti, Xysti, Pomponi, Gemellæ, Victoris, Generosi, Itē Victoris, Gemelliani,*

Cuturni, Caſtola. Aliquos ex his Antiochenis Martyribus cõfirmat Héſchenius ex varijs mſs. martyrologijs. Ioſippũ legit etiã mſ. Reginæ Sueciæ, vt Ioſephus Hymnographus Græcorũ durè, hic videatur reponi in Notationibus Romani martyrologij, cũ ille Diaconus, & Martyr Antiochiæ fuerit. An verò Romanus martyr Antiochenus ille ſit, cuius meminit Euſebius de Martyr. Paleſtinæ cap. 2. ex ſocijs incertũ eſſe arbitramur. Martyrium alterius S. Romani Antiochiæ idem Euſebius deſcripſit in lib. de Reſur. & Aſcenſ. à Sirmundo edito p. 92.

Interamne Nat. S. Agape. Virginitatis decus rarò Viris tribuitur, ſepè mulieribus. Vnde in vetuſtiſſimo Antuerpienſi prò *S. Agapi Virginis*, reſtituendũ cum alijs eſſe videtur *S. Agapæ Virginis*. De Vrbe Interamnenſi, eiuſque antiquitate latè diſſerit Franciſcus Angelonius in Etruſca Hiſtoria Ciuitatis Terni, vbi etiam de S. Agape, eiuſque ſocijs martyribus agit, præter ea, quæ ad hanc diem habent Romani martyrologij adnotationes, Ferrarius de Sanctis Italiæ, & Iacobillus de Sanctis Vmbriæ. Romanum martyrologium ex ſocijs S. Agapæ quatuor recenſet Saturninum, Caſtulum, Magnum, & Lucium, ex martyrologio mſ. S. Cyriaci. Beda non niſi Saturninũ, & Caſtulum profert, ſicuti Rabanus. Mſs. Leodienſe, & Tornacenſe apud Hẽſchenium Anonymos addunt non XII, ſed XXX. Rogatum, & Ioannem adijciunt Codices noſtri, cum Corbeienſe, & Antuerpienſe. Sanè ad diem 15. Februarij Angelonius repoſuit quatuor illos Martyres à S. Agape ſeiunctim ſepultos prope Torrentem Paſſarum. Iacobillus ex Eccleſiæ Interamnenſis inſtituto, ſicuti & Henſchenius in diem 17. Februarij tranſtulerunt.

Vuarciana in Spania &c. Arciana in Spanis legit etiam iam adductum Antuerpienſe martyrologium. Barcinone in Hiſpanijs Corbeienſe. Cucufatis, & Barcinone legendum ſuſpicatur Bollandus in prætermiſſis. Mirandum eſt Hiſpanicos Sanctorum ſcriptores, Salazarium precipuè, qui tam facilè Martyres alibi paſſos in Hiſpaniam transferunt, de hoc Locum fate, ſeu Loquunfate non meminiſſe. Varcia Geographis Galliæ Belgicæ Vrbs eſt Antonino cognita, quã Ortelius in Comitatu Burgundiæ ſuſpicatur. Varciani Populi Pannoniæ ſunt Ptolemeo, & Plinio. Varcilienſes verò Ambroſio Morales ſunt Hiſpaniæ cireriores populi, locũque hodie Varcile ad Tagũ ſeſquimilliario ſupra Toletum eſſe docet. Sin verò ſequi maluerimus Antuerpienſe vetuſtiſſimũ Martyrologium, quod in nominibus locorum magis accuratum videtur, & Arciana retinendum ſit, forte oppidum eſſet Hiſpaniæ Tarraconenſis, quod hodie Hariſa dicitur, & *Arci* veteribus dicebatur, vel potius Arcos inter Harizzam, & Medinam cæſ. Si quis verò pro Arciana Arcilaie legeret, is in Tarraconenſi regione Archiſanam dici ex Moletio apud Ortelium diſceret. Cucufatem, ſeu Quoquofatem hic recoli repetita veneratione aliqui putant; ſed is poſtridie in noſtro, alijſq; martyrologijs, & Barcinone veneratur. Locumphatem conſtanter Antuerpienſe, Corbeienſe, noſtrique codices legunt, vt nihil mutare magis conſultum visũ ſit.

In Syria Auenti &c. in hac Syrorum Martyrum claſſe parùm in nominibus diſtat noſtrum à Corbeienſe, & Antuerpienſe Martyrologijs. Caſtulam, & Gemellam vocat Antuerpienſe, quos Gemellium, ſiue Gemeblium, & Caſtulum alij codices vocant. Pro Pompinio illud habet Pomponium, & Corbeienſe Ianuarium addit reliquis ignotum.

XIIII. Kal. Martij.

IN Brittannijs Natalis Sãctorum Fauſtini. Iouittæ, & Aloble Sidionis. Hierapi. Martialis. Nũdinari. Peſſiani. Pauli. Gallonis. Honori. Iocundi. Memini. Vincenti. Fructuoſi. Primi. Cicili. Fabiani. Pauli. Maximi. In Spania Barcilona paſſio S. Quoquofatis. In Africa Maximi. Item Vincenti. Pauli. Honorati. Mari. Item Maximi. Itẽ Pauli. Martialis. Therapi. Marci. Marpi. Marcellini. Itẽ Marci. Donati. Secundi. Marcopi. Lucelle. Item Secundi. Sauli. Stuporis. Muſtaci. Preſentis. Secundæ. Maximæ. Ionellæ, & cũ eis LIIII. Item Fiſſimari. Pamphili. Valentis Diaconi. Seleuci. Perfidi. Theophili. Iuliani cum Ægyptijs numero V. milia. *& Alibi Depoſitio Tetradi Epiſcopi.*

FEBRVARII 16.

FAuſtinum, & Iouittam, Presbyterum nempe, & Diaconum, Brixię Martyres in Gallia Transpadana, ſuperiori die 15. Febr. plura, tam edita, quam mſs. Martyrologia ab Henſchenio adducta conſignant, vt ex proximitate diei, & nominum ſimilitudine ſuſpicari quis poſſet legendum, non in Brittannijs, ſed in Brixia, vel in Brixianis. At cum non modo codices noſtri, ſed Corbeienſe martyrologium conſtanter legant, *in Brittannijs*, quemadmodum etiam mſ. Reginæ Sueciæ, nihil immutandum duximus, præſertim quòd pro Iouitta Iouentiam, Corbeienſe legat, & Iuuẽtium codex Reginę Sueciæ hoc pacto 14. *Cal. In Britannijs Sanctorum Fauſtini, Iuuenti.* Magis etiam in nominibus variat Veruſtiſſimum Antuerpienſe, dum Fauſtinianum, & Iuuentiam ita Brittanniæ in integro laterculo tribuit. *XIIII. Kal. Martij. In Brittanis natalis Sanctorum Fauſtiniani, & Iuuentiæ. In Hiſpania Barcinone natalis Cucubatis. In Campania Cumbas natalis Iuliana, & alibi Pleſi, Dionyſi, Hierapi, Martialis, Nundiani, Peſſiani, Pauli, Gallonis, Honori, Iocundi, Memmi, Vincenti, Fructuoſi, Primi, Fabiani, Cicili, Pauli, Maximi. In Africa Maximi, Vincenti, Pauli, Honorati, Mauri. Item Maximi, Pauli, Marcialis, Terapi, Marci, Marobi, Marcellini, Donati. Item Marci, Secundi, Macrobi, Lucellæ. Item Secundi, Sytuli, Stupuris, Muſtaci, Preſentis, Secundæ, Maximæ, Iunillæ, & cum eis CIIII. Fiſſinari, Pampili, Valentis Diaconi, Serleuci, Perfidi, Teoſili, Iuliani, cũ Ægyptijs numero V. mil. & alibi depoſitio Tetradi Epiſcopi.* In Britannijs etiam ita retinet Corbeienſe, vt parum à noſtro in reliquis etiam diſſentiat. *XIIII. Kal. Mart. In Brittannijs natalis Sanctorum Fauſtini, Iuuentiæ. Et alibi Bleſi, Donati, Dionyſij, Hierapi, Martialis, Nundinarij, Proſiani, Pauli, Gallonis, Honorij, Iocundi, Memmij, Vincentij, Fructuoſi, Primi, Cicilij, Fabiani, Pauli, Maximi, Vrbani. In Hiſpania Barcinone paſſio S. Cucufatis. In Africa Maximi. Item Vincentij, Pauli, Honorati, Mari. Item Maximi. Item Pauli, Martialis, Terapi, Marci, Marpi. Nicomedia paſſio S. Iulianæ Virginis, & Martyris. Item Marci, Martialis, Marcelli, Donati, Secundi, Marcopi, Lucellæ. Item Secundi, Maxima, Sauli, Stupuris, Muſtaci*

ſtaci, Præſentis, Secundæ, Iunillæ, & cum eis centum quinquaginta quatuor. Fiſſinari, Pamphili, Valentis Diaconi, Seleuci, Proſidi, Theophili, Iuliani cum Ægyptijs numero quinque millium, & alibi depoſitio Tetradi Epiſcopi. In hac copioſa Martyrum ſerie, ex varijs locis collecta, maior Vrbium, & Regionum, in quibus coronam acceperint, deſiderari notitia poteſt. Nonnulla tamen magis diſtincta habet Antuerpienſe Martyrologium, quamquam ſingulis adductis codicibus ſuæ maculæ non deſint.

Fauſtini, & Iouittæ. Variant, vt diximus, ex varijs mſs. libris, horum Martyrum nomina; magis ſincera exiſtimanda ſunt, quæ in vetuſtiſſimo Antuerpienſi ſignantur. Si enim exemplar illud, ex Britannia à S. Villibrordo Anglo in Belgium fuerit deportatum, vt Bollandus exiſtimat in Generali Præfatione, minus ſanè ſcriptorem errare potuiſſe credendū eſt in re patria, vel ſaltē facile librarij errorē eidē emendare licuiſſe. Vnde Fauſtinianum, & Iuuentiam, quàm Fauſtinum, & Iouittam, ſcriptum eſſe maluerim: præſertim quòd Fauſtinianum habet etiam mſ. martyrologium Aquiſgranenſe, & Hermannus Greuen ad Vſuardum.

Et Aloble Sidionis. Librarij oſcitantiam hic agnoſco in vtroque ex codicibus noſtris, qui pro *Alibi Bleſi, Dionyſi, ſcripſit Aloble Sidionis.* Emendatio ita patet, tam ex Antuerpienſi, quam Corbeienſi iam adductis martyrologijs, vt immorari non expediat. Addit Corbeienſe, poſt Bleſum anteſignanum, non Dionyſium, vt Antuerpienſe, ſed Donatium primò, deindè Dionyſium. Sed Donatius à noſtris codicibus etiam exulat, vt ab Antuerpienſe, in quo Pleſius dicitur non Bleſius, huius ſacræ cateruæ dux, quemadmodum legunt Martyrologium Aquiſgranenſe mſ. & Hermannus Greuen in additionibus ad Vſuardum, apud Henſchenium. Octodecim laureati in hac claſſe numerantur penès martyrologium Antuerpienſe, & codices noſtros. Viginti ſunt Corbeienſi, in quo præter Donatium, in fine Vrbanus additur. Pro Nundiano, & Memmio martyrologij Antuerpienſis, Nundinarium habent Corbeienſe, & noſtrum, quod Meminium pro Memmio exhibet.

In Spania, &c. Memoriam hic agi de S. Cucufate, ſeu Quoquofate Barcinonēſe Martyre, iam ex adductis Martyrologijs mſs. palam eſt, ſicuti ex Richenouienſi apud Bollandum, in prætermiſſis huius diei, & ex Notkero, qui eum Cucufatem non Quoquofatem, aut Cucubatem, vt Antuerpienſe martyrologium vocat, ſed ita retinet. *In Hiſpania Ciuitate Barcillonæ S. Cucufatis martyris.* Sin verò paſſus S. Cucufates fuerit die 25. Iulij, vt in actis eius legitur apud Surium, huius diei 16. Febr. ſolemnitas, alicuius tranſlationis dicenda erit, & illius fortè, quam Galli ſcriptores referunt, & quæ narratur apud Surium in vita S. Cucuphatis, die 25. Iulij, to. 7. recentioris editionis Colonienſis. Ibi enim legitur à Fulrado Abbate tranſlatum fuiſſe S. Corpus ad Cellā SS. Martyrum Dionyſij, & Sociorum 14. Cal. Martij, in ſaltu Vogaſo, vbi dicitur Lebraha, tempore Caroli Imperatoris. In Martyrologio Corbeiēſi S. Cucufatis memoria agitur etiam die 25. Iulij; quod non modo in edito apud Dacherium patet, ſed ex mſ. eiuſdem Bibliothecæ habet quoque Menardus ad Sacramentarium Gregorij: quamquam die illa de Sancto Cucufate ſileant, tam codices noſtri, quam vetuſtiſſimum Antuerpienſe. Verùm tranſlationis feſtum diem agi in Cœnobio Octoniano, propè Barcinonem ex legendario antiquo affirmat Ioannes Tamayus ad diem 29. Aprilis in martyrologio Hiſpanico, qui præter caput, etiam corpus reliquum ibi aſſeruari contendit, contra Galliæ ſcriptores. Notkerus acta eius compendiosè adducit ad diem 25. Iulij & caput Pariſijs tranſlatum, & ſeruatum ad ſua vſque tempora teſtatur, duplicisq; trāſlationis meminit Sauſſayus. Cucufatem Martyrem exhibet martyrologium mſ.

mſ. Treuirenſe ad diem 12. Februarij, cum S. Felice, qui ex Scyllitana Africæ Vrbe (vt de S. Cucufate teſtatur vbi ſupra Notkerus) Barcinonem appulerit cum S. Gerunda, de qua ad diem primam Auguſti.

In Africa Maximi. Inter numeroſam xxvj. Africanorum martyrum turmam, tam in noſtro, quam Antuerpienſi martyrologio explicatam, interponit Corbeienſe Sanctam Iulianam Nicomediẽſem, cui aliquos ex his martyribus adnectit, qui noſtris codicibus, non Nicomediæ, ſed Africæ videntur tribui. At cum inſueto ſtylo S. Iuliana dicatur in Corbeienſi martyrologio Virgo, & Martyr cum Martyr iam ſine expreſſa additione intelligi debuerit, videtur huius Sanctę Virginis memoriam in codice illo fuiſſe interiectã, & recentẽ eſſe additionẽ, quemadmodum idem ſuſpicari licet accidiſſe vetuſtiſſimo Antuerpienſi, in quo legitur. *In Campania Cumbas Natalis Iuliana.* Quamuis enim Bollandus in Commentario præuio ad acta S. Iulianæ Nicomedienſis, plura adferat, quæ doceant. Cumis (legendum enim ita eſt pro voce Cumbas) paulò poſt necem, Nicomedia corpus Sanctæ Iulianæ tranſlatum quieuiſſe; attamen cum prius Puteolis Sanctæ eius reliquiæ ſeruatæ, & non niſi ſub Lõgobardorũ feritate Cumas tranſlatæ fuerint, non potuerunt etiam in Antuerpienſe Martyrologio verba illa, niſi recentius, interpolari, hoc eſt ex Bollandi coniectura, ab anno 1060 iij. quando Longobardi Italiã inuaſerunt. Verùm in Antuerpienſi additio illa nullam parit in reliquis Martyribus confuſionem: & cum in eo, atque codicibus noſtris producta ſeries viginti quinque Martyres Africanos, nominibus ſignatos enumeret, & centum quatuor Anonymos, librarij vitio in Corbeienſi à primis vndecim reliqui ſeiungi videtur. Inſuper in hoc martyrologio martyres nomine ſignati viginti ſex ſunt, repetito nimirum Martiale: anonymi verò plurimum exuperant, & ad centum quinquaginta quatuor aſcendunt. Cum ergo martyrologium noſtrum alio loco de Iuliana Nicomedienſi meminerit, puta die 13. Februarij, & 29. Martij, in hac autem die 16. Februar. de illa prorſus ſileat, minus hoc eſſe interpolatum apparet. Anonymorum numerus in noſtris codicibus minor cõpareret, puta LIIII; ſed facilis lapſus librarij eſſet à numerali nota C. in L., niſi martyrologium mſ. Richenouienſe, & aliud S. Cyriaci Romæ à Baronio laudatum, legerent etiam LXIII. apud Henſcheniũ, cui magis Antuerpienſis lectio arridet. Vnus, aut alter ex his martyribus alijs martyrologijs numeratur, ſed integra corona non niſi in adductis, parua nominum, quæ obſeruari poteſt, diſſonantia.

Item Fiſſimari. Aliam Sacram Martyrum turmam videtur indicare, poſt anonymorum numerum, particula *Item*, qua huius martyrologij auctor vti ſolet, cum nomen idem alicuius martyris repetitur, vel cum non addito Vrbis, aut regionis nomine, alia Sanctorum claſsis adducitur. Coniectura hic autem ducor, hos eſſe duodecim martyres, qui apud Euſebium lib. 8. cap. 21. recenſentur. Fulcit coniecturam Valens Diaconus, Pamphilus, Seleucius, Theophilus, ſiue Thodolus, apud Euſebium expreſsis nominibus indicati, qui pariter ad hanc diem numerantur, & quinque Ægyptij, qui duodenarium numerum explentes, fortaſse in militiam aſcripti, quinque milites dicendi ſunt, non quinque millia. Conſonat dies certaminis ab Euſebio ſignatus decimus ſextus Menſis Peritij. *ideſt ſecũdum Romanos ad decimumquartum Calendas Martij.* & Chriſtophorſoni verſio videretur coniecturæ noſtræ fauere, dum Ægyptios illos, Cæſarea Paleſtinæ redeuntes, poſtquam Confeſſores aliquos in Ciliciam, ad metalla damnatos, deduxerunt, à cuſtodibus portarum, fidem ſuam non negantes captos fuiſſe narratur: verba enim Euſebij, ita vertit. *Iſti Ægyptij, ſimulatq. Confeſſores illos, qui erant ex Cilicia, ad metallo-*

vsque

staci, Præsentis, Secunda, Iunilla, & cum eis centum quinquaginta quatuor. Fissinari, Pamphili, Valentis Diaconi, Selenci, Profidi, Theophili, Iuliani cum Ægyptijs numero quinque millium, & alibi depositio Tetradi Episcopi. In hac copiosa Martyrum serie, ex varijs locis collecta, maior Vrbium, & Regionum, in quibus coronam acceperint, desiderari notitia, potest. Nonnulla tamen magis distincta habet Antuerpiense Martyrologium, quamquam singulis adductis codicibus suæ maculæ non desint.

Faustini, & Iouitta. Variant, vt diximus, ex varijs mss. libris, horum Martyrum nomina; magis sincera existimanda sunt, quæ in vetustissimo Antuerpiensi signantur. Si enim exemplar illud, ex Britannia à S. Villibrordo Anglo in Belgium fuerit deportatum, vt Bollandus existimat in Generali Præfatione, minus sanè scriptorem errare potuisse credendũ est in re patria, vel saltẽ facile librarij errorẽ eidẽ emendare licuisse. Vnde Faustinianum, & Iuuentiam, quàm Faustinum, & Iouittam, scriptum esse maluerim: præsertim quòd Faustinianum habet etiam ms. martyrologium Aquisgranense, & Hermannus Greuen ad Vsuardum.

Et Aloble Sidionis. Librarij oscitantiam hìc agnosco in vtroque ex codicibus nostris, qui pro *Alibi Blesi, Dionysi, scripsit Aloble Sidionis.* Emendatio ita patet, tam ex Antuerpiensi, quam Corbeiensi iam adductis martyrologijs, vt immorari non expediat. Addit Corbeiense, post Blesum antesignanum, non Dionysium, vt Antuerpiense, sed Donasium primò, deindè Dionysium. Sed Donasius à nostris codicibus etiam exulat, vt ab Antuerpiense, in quo Plesius dicitur non Blesius, huius sacræ cateruæ dux, quemadmodum legunt Martyrologium Aquisgranense ms. & Hermannus Greuen in additionibus ad Vsuardum, apud Henschenium. Octodecim laureati in hac classe numerantur penès martyrologium Antuerpiense, & codices nostros. Viginti sunt Corbeiensi, in quo præter Donasium, in fine Vrbanus additur. Pro Nundiano, & Memmio martyrologij Antuerpiensis, Nundinarium habent Corbeiense, & nostrum, quod Meminium pro Memmio exhibet.

In Spania, &c. Memoriam hic agi de S. Cucufate, seu Quoquofate Barcinonẽse Martyre, iam ex adductis Martyrologijs ms. palam est, sicuti ex Richenouiensi apud Bollandum, in prætermissis huius diei, & ex Notkero, qui eum Cucusatem non Quoquofatem, aut Cucubatem, vt Antuerpiense martyrologium vocat, sed ita retinet. *In Hispania Ciuitate Barcillona S. Cucufatis martyris.* Sin verò passus S. Cucufates fuerit die 25. Iulij, vt in actis eius legitur apud Surium, huius diei 16. Febr. solemnitas, alicuius translationis dicenda erit, & illius fortè, quam Galli scriptores referunt, & quæ narratur apud Surium in vita S. Cucuphatis, die 25. Iulij, to. 7. recentioris editionis Colonensis. Ibi enim legitur à Fulrado Abbate translatum fuisse S. Corpus ad Cellã SS. Martyrum Dionysij, & Sociorum 14. Cal. Martij, in saltu Vogaso, vbi dicitur Lebraha, tempore Caroli Imperatoris. In Martyrologio Corbeiẽsi S. Cucufatis memoria agitur etiam die 25. Iulij; quod non modo in edito apud Dacherium patet, sed ex ms. eiusdem Bibliothecæ habet quoque Menardus ad Sacramentarium Gregorij: quamquam die illa de Sancto Cucufate sileant, tam codices nostri, quam vetustissimum Antuerpiense. Verùm translationis festum diem agi in Cœnobio Octoniano, propè Barcinonem ex legendario antiquo affirmat Ioannes Tamayus ad diem 29. Aprilis in martyrologio Hispanico, qui præter caput, etiam corpus reliquum ibi asseruari contendit, contra Galliæ scriptores. Notkerus acta eius compendiosè adducit ad diem 25. Iulij, & caput Parisijs translatum, & seruatum ad sua vsque tempora testatur, duplicisq; trãslationis meminit Saussayus. Cucufatem Martyrem exhibet martyrologium ms.

mſ. Treuirenſe ad diem 12. Februarij, cum S. Felice, qui ex Scyllitana Africæ Vrbe (vt de S. Cucufate teſtatur vbi ſupra Notkerus) Barcinonem appulerit cum S. Gerunda, de qua ad diem primam Auguſti.

In Africa Maximi. Inter numeroſam xxvj. Africanorum martyrum turmam, tam in noſtro, quàm Antuerpienſi martyrologio explicatam, interponit Corbeienſe Sanctam Iulianam Nicomediẽſem, cui aliquos ex his martyribus adnectit, qui noſtris codicibus, non Nicomediæ, ſed Africæ videntur tribui. At cum inſueto ſtylo S. Iuliana dicatur in Corbeienſi martyrologio Virgo, & Martyr cum Martyr iam ſine expreſſa additione intelligi debuerit, videtur huius Sanctę Virginis memoriam in codice illo fuiſſe interiectã, & recentẽ eſſe additionẽ, quemadmodum idem ſuſpicari licet accidiſſe vetuſtiſſimo Antuerpienſi, in quo legitur. *In Campania Cumbas Natalis Iuliana.* Quamuis enim Bollandus in Commentario præuio ad acta S. Iulianæ Nicomedienſis, plura adferat, quæ doceant. Cumis (legendum enim ita eſt pro voce Cumbas) paulò poſt necem, Nicomedia corpus Sanctæ Iulianæ tranſlatum quieuiſſe; attamen cum prius Puteolis Sanctæ eius reliquiæ ſeruatæ, & non niſi ſub Lõgobardorũ feritate Cumas translatæ fuerint, non potuerunt etiam in Antuerpienſe Martyrologio verba illa, niſi recentius, interpolari, hoc eſt ex Bollandi coniectura, ab anno 1060 iij. quando Longobardi Italiã inuaſerunt. Verùm in Antuerpienſi additio illa nullam parit in reliquis Martyribus confuſionem: & cum in eo, atque codicibus noſtris producta ſeries viginti quinque Martyres Africanos, nominibus ſignatos enumeret, & centum quatuor Anonymos, librarij vitio in Corbeienſi à primis vndecim reliqui ſeiungi videtur. Inſuper in hoc martyrologio martyres nomine ſignati viginti ſex ſunt, repetito nimirum Martiale: anonymi verò plurimum exuperant, & ad centum quinquaginta quatuor aſcendunt. Cum ergo martyrologium noſtrum alio loco de Iuliana Nicomedienſi meminerit, puta die 13. Februarij, & 29. Martij, in hac autem die 16. Februar. de illa prorſus ſileat, minus hoc eſſe interpolatum apparet. Anonymorum numerus in noſtris codicibus minor cõparet, puta LIIII.; ſed facilis lapſus librarij eſſet à numerali nota C. in L., niſi martyrologium mſ. Richenouienſe, & aliud S. Cyriaci Romæ à Baronio laudatum, legerent etiam LXIII. apud Henſcheniũ, cui magis Antuerpienſis lectio arridet. Vnus, aut alter ex his martyribus alijs martyrologijs numeratur, ſed integra corona non niſi in adductis, parua nominum, quæ obſeruari poteſt, diſſonantia.

Item Fiſſimari. Aliam Sacram Martyrum turmam videtur indicare, poſt anonymorum numerum, particula *Item*, qua huius martyrologij auctor vti ſolet, cum nomen idem alicuius martyris repetitur, vel cum non addito Vrbis, aut regionis nomine, alia Sanctorum claſsis adducitur. Coniectura hic autem ducor, hos eſſe duodecim martyres, qui apud Euſebium lib. 8. cap. 21. recenſentur. Fulcit coniecturam Valens Diaconus, Pamphilus, Seleucius, Theophilus, ſiue Thodolus, apud Euſebium expreſsis nominibus indicati, qui pariter ad hanc diem numerantur, & quinque Ægyptij, qui duodenarium numerum explentes, fortaſse in militiam aſcripti, quinque milites dicendi ſunt, non quinque millia. Conſonat dies certaminis ab Euſebio ſignatus decimus ſextus Menſis Peritij. *ideſt ſecũdum Romanos ad decimumquartum Calendas Martij.* & Chriſtophorſoni verſio videretur coniecturæ noſtræ fauere, dum Ægyptios illos, Cæſarea Paleſtinæ redeuntes, poſtquam Confeſſores aliquos in Ciliciam, ad metalla damnatos, deduxerunt, à cuſtodibus portarum, fidem ſuam non negantes captos fuiſſe narratur: verba enim Euſebij, ita vertit. *Iſti Ægyptij, ſimulatq. Confeſſores illos, qui erant ex Cilicia, ad metalla*

vsque

vsque, qui ibi erant, produxerunt, dominum redierunt. In quibus videtur verbum illud *produxerunt* officium Ægyptiorum indicare, quasi ad metalla damnatos sub custodia deduxissent, vt militibus mos erat. In Martyrologio Romano hac die Ægyptij quinque martyres venerantur, Prophetarum signati nominibus, quæ non illi impositа à parentibus fuerant, sed quæ sibi ipsis imposuerunt, dum iam fassi se Christianos esse, ad Iudicis tribunal trahebantur, vt narrat Eusebius. Pamphilus, Valens, & socij complures, cum Helia, Hieremia, Isaia, Samule, & Daniele, hac die recoluntur in Menologio Basilij, & diuisa deinde classe Porphirius, Iulianus, & Theodolus. Eorundem Acta, ex Eusebio collecta, seiunctim edere pollicetur, ex codice Medicæo Regis Galliæ, Henschenius ad diem Kal. Iunij, quæ talem titulum præseferant. *Certamen Sanctorum, & glorioſori, Christum Martyrum Pamphili Valentis, Pauli, Seleuci, Porphyrij, Theodoli, Iuliani, Ægyptiorum*. Confusa esse horum Sanctorum nomina suspicatur idem Henschenius, & hæret, quid significet in Martyrologio vetustissimo Antuerpiense, *Sissiani*, vel *Fissiani*, & an locus fuerit Cæsareæ, damnatorum cædi destinatus, qui ita vocaretur? Fissimari tamē legitur in binis nostris codicibus, & Fissinari minima mutatione in Corbeiensi, quod nomen martyris videtur, ex pluribus fortasse illis, qui in Menologio Basilij indicantur. At quamquam Pamphilus Presbyter cū Valēte Diacono, & Paulo in Romano Martyrologio, seorsim ab alijs, recolantur ad Kalendas Iunij, aliquibus tamen hac ipsa die, cum alijs supra adductis, memorantur, vt puta Græcis in Menæis, & Anthologio, & inter latinos Galesinio. Duodecim re vera Eusebius profert, quorum saltem certamen cæptum fuerit XIIII. Kal. Martij, hoc est Pamphylū Presbyterum Cesarienſem, Valentem Diaconum Æliæ, seu Vrbis Hierusalem, Paulum Iamnitarum oppido oriundum, aliàs illustrem confessorem, quinque Ægyptios Prophetarum nomine vocatos, Porphyrium adolescentulum ex Pamphili familia, decimum Seleucum militem, aliàs confessorem, vndecimum Theodolum senem, & moribus grauem, duodecimum Iulianum cū Seleucio pariter Cappadocem, qui omnes *Manipulus eorum*, Eusebio dicuntur, *qui in subeundo Martyrio comites Pamphili esse meruerunt*. Non tamen hæc omnia in adductis martyrologijs, nempè Antuerpiensi, & Corbeiensi, & nostra ita plana sunt, quin aliquorum nominum diuersitas dubium pariat. Primumque nomen Fissinari, seu Fissimari Eusebio, & ex eo Metaphrasti, ac Græcorū Menologijs ignotū est: Antuerpiēsi Martyrologio Pāpilius, Corbeiensi, & codicibus nostris Pamphilus apertè dicitur. Perfidius, qui Profidius in Corbeiensi est, & Perfidus in Antuerpiensi, pro Prophyrio Græcorum, & Eusebij: Theophilus omnibus ijsdem adductis martyrologijs, pro Theodolo legi debet, Paulus, verò omninò deficit. At sicuti facilè nomina ad Eusebij, & aliorū fidem corrigi possunt, ita fortasse librarij errore vtrobique Paulus in hac martyrum corona deficit, quòd supra inter alios martyres incerti loci, vel Africæ, ter, aut quater repetatur. Nisi quis diuinando potius, quam coniectando dicere maluerit, Paulum fuisse binomium, & Fissimarum, seu Fissinarum dictum etiam fuisse contendat, vt Petrus, qui & Absolamus Eusebio paulò ante nuncupatur.

Iuliani cum Ægyptijs numero V. mil. Iulianum in Ægypto Martyrem cum socijs quinque millibus Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & cum Martyrologio Romano alia mss. apud Henschenium hac die referunt. Videnda tamen, quæ eruditè animaduertit Bollandus ad diem nonam Ianuarij, de pluribus Iuliani nomine Martyribus: Sanè hic si Pamphili socius fuit, malè quinque millium Ægyptiorum dux constituitur, & breuiatum illud verbum *mil.* vel legendum est, vt supra diximus militum, vel omninò remouen-

mouendum; cum quinque tantum martyres Ægyptij fuerint, qui cum Iuliano, & alijs Pamphili ſocijs coronam acceperunt.

Et alibi depoſitio Tetradi Epiſcopi. Tetradum, vel Tetradium Epiſcopum cum noſtro, eodem modo, ac die, recolunt Martyrologium vetuſtiſſimum Antuerpienſe, Corbeienſe, & Lętienſe apud Bollandum; qui putat Tetradium fuiſſe Epiſcopum Bituricenſem, & Concilio Agathenſi anno 10 vj. & Aurelianeſi 10 ix. interfuiſſe. Vnde ex additis à Gallico Antiquario vix dubitarem.

XIII. Kal. Martij.

IN Africa Ciuitate Concorde paſſio Sanctorum Donati. Secundiani. In Aquileia Criſcentiani. Eutici. Concordiæ. Iuſtæ. Romuli. Salini. Siluani. & aliorum LXXIIII. Quorum nomina Deus ſcit. Et alibi Ianuari. Item Ianuari. Feliciani. Donati. Caſti. Item Donati. Victoris. Agapæ. Donatæ. Gundiniæ. Datiui. Fortunionis. Marcelli. Quintiani. Iuliæ. Ianuari. Creſcenti. Celeſtini. Saturni. Gypionis. Felicitatis. Donatiani. Victoriæ. Emiliæ. Baſſulæ. Ebaſij. Saturi. Secundi. Felicis. Octauiani, Fauſtinæ. Albinæ. Rogatianæ. Victoris. Marci. Cetulæ. Rutulæ. & Guouili.

FEBRVARII 17.

SIcuti martyrologium Corbeienſe à noſtris codicibus parũ in hoc laterculo differt, ita multum Antuerpienſe vetuſtiſſimũ. Vtrumq; de more ad collationem adducere libet. *XIII. Kal. Martij. In Eſſ. natalis Chriſanti, & in Babilonia Policroni. Paſſio Sanctorum Donati, Secundiani. Aquileia Criſentiani, Entici. Concordia Inſta, & alibi Romuli, Saloni, Saluiani, & aliorum XXXIIII. & alibi Ianuarij, Feliciani, Donati, Victoris, Agapæ, Donatæ, Codenis, Datini, Furtunionis, Marcella, Quintiani, Iuliæ. Item Ianuarii, Cascenti, Celeſtini, Saturnini, Cyptonis, Felicitatis, Donatiani, Victuriæ, Emiliæ, Baſſilla, Saturis, Ebaſi, Secundi, Felicis, Octaniani, Fauſtiniæ, Albinæ, Venuſtinæ, Rogatianæ, Victoris, Marci, Cetulæ, Rutuli, Siluani, Genili.* Ita vetuſtiſſimum S. Villibrordi. Corbeienſe verò hoc pacto. *XIII. Kal. Mart. In Africa Ciuitate Concordia paſſio Sanctorum Donati, Secundiani, Pamphili. In Aquileia Criſantiani, Entici, Concordia, Iuſta, Romoli, Saloni, Siluani, & aliorum LXXXIIII. quorum nomina Deus ſcit. Et alibi Ianuarij, Feliciani; Item Ianuarii, Donati, Caſti. Item Donati, Victoris, Agapæ, Donatiana, Guddinis, Datini, Fortunionis, Marcella, Quintiani, Iuliæ. Item Ianuarii, Creſcenti, Celeſtini, Saturni, Gypionis, Felicitatis, Donatiani, Victuriæ, Emiliæ, Baſſulæ, Saturi, Ebaſi, Secundi, Felicis, Octauiani, Fauſtini, Albinæ, Rogatianæ, Victuris, Marci, Cetulæ, Rutulæ, Siluani, Guouili.*

In Africa Ciuitate Concordæ. A Corbeienſe noſtrum in alio non differt, niſi in Pamphilo, quem illud ſuperaddit, prętoritum in alijs Martyrologijs. Hos duos Donatum, & Secundianum exhibet quidem vetuſtiſſimũ S. Villibrordi, ſed nullo paſſionis loco indicato. An breuiatum illud nomen, in limine eiuſdem poſitum

situm *In Esse.* restituendum sit mutata prima littera *In Affrica* incertus fluctuo; quamquam enim facilius esset librarij error, nullibi tamen sub hac die in Africa Crisantius comparet, sed tantùm Crisantianus, qui constanter etiam in eodem Martyrologio, sicut & alijs Aquileiæ tribuitur. *In Effeso* igitur potiùs videtur legendum Crisantij, sicuti Babilonię Policronium nostris codicibus, & Corbeiensi præteritum, relinquendum esse existimamus. Suadet legendum in Effeso, non in Africa perantiquum martyrologium ms. Richenouiense apud Henschenium, in quo apertè legitur. *XIII. Kal. Martij in Effeso Chrysanthi.* De Polichronio Episcopo Babiloniæ, & Ctesiphontij proximæ Vrbis, inter alia ab eodem Henschenio collecta, disertè meminit ad hanc ipsam diem Notkerus, vt in hac parte mutilos codices nostros cum Corbeiensi fateri necesse sit, & in loco passionis Donati, & Secundiani Antuerpiense decurtatum esse. Hos Africæ tribuit Notkerus. Alia verò tam edita, quã ms. martyrologia, sine vlla Prouinciæ additione, Vrbi Concordiæ assignant, vt Martyrologium Romanum, Vsuardi, & alia ab Henschenio eruditissimo adducta, qui non dubitat, ex Ferrario præsertim, & Barbarano Concordiæ Venetorum diutinæ Vrbi, propè Aquileiam eos assignare, cum pluribus socijs. At quia, tã in binis codicibus nostris, quã in Corbeiensi disertè illi martyres Cõcordiæ Africanæ Vrbi tribuuntur, ab his nõ discedimus. Adrumetũ Plinij, vel Adrumettus Ptolemei, vel Hadrumentum latinis, in Inscriptionum volumine apud Smetium, dicitur, *Colonia, Concordia, Vlpia, Traiana, Frugifera, Hadrumentina*, & est Africæ propriæ Vrbs, vt adnotauit Ortelius. Non ergo Vrbs in Africa desideratur, quæ Concordia dicta sit. Nec desunt alij, qui Africæ tribuant, vt Notkerus, & ms. Colonieñse S. Marię ad Gradus. Sed disertissimè ms. martyrologiũ Reginæ Suecię, his verbis, *XIII. Cal. in Africa Ciuitate Concordiæ passio Sanctorum Donati, Secundiani. In Aquileia Chrysantiani, & alibi Romuli, Saluiani cum aliis LXXXIIII.* Concordiæ igitur Italicæ alij infra notandi Martyres tantùm debentur.

In Aquileia Crisentiani. Alijs Chrysentianus dicitur, Chrysantus Notkero, quem ms. aliqua apud Henschenium antesignanum notant populosæ turmæ nonaginta martyrũ, seorsim ab his octoginta quatuor, qui apud alios Cõcordiæ Italiæ tribuuntur; sed præter Euticium, siuè Eutichium, etiam Notkero, & Antuerpiensi martyrologio memoratum, nostri codices, cũ Corbeiense, nullos alios socios addunt, nisi qui post Concordiam sequntur. Dubium etiam est, an pro Vrbe, vel martyre accipiendum sit. Aliqua martyrologia sunt, quę Chrysantianum tantum Aquileiæ tribuant, vt quædam ab Henschenio adducta, & à nobis indicatum martyrologiũ Reginę Suecię.

Concordiæ Iustæ. Vetustissimus Sancti Hieronymi, vt vidimus, Martyrologium Iustum, non Iustam habet, quem tantum, & non alios sequentes Concordiæ assignet; si nomen ibi est Vrbis, non Martyris. At cum ex his, quæ ex Ferrario, & Barbarano adducit acris iudicij vir Henschenius, Martyres, qui deinde sequntur adhuc Concordiæ in Italia recolantur, non videtur ambigendum in adductis codicibus nostris, Corbeiensi, & Antuerpienti Concordię nomen Martyris non esse, sed Vrbis in Italia, sub Aquileiensi Patriarchatu. Iustum igitur, siuè Iustam, Romolum, Saluium, siuè Salonium, Siluanum cum socijs, Concordiæ martyres tribuendos esse probabilius apparet. Ex his septuaginta quatuor Anonymos nostri codices referunt: octoginta quatuor Notkerus, & Corbeiense Martyrologium: octoginta sex cum Romano Martyrologio, Petrus de Natalibus, & ab Henschenio adducta mss. Cũ verò Ferrarius, Donatum, & Secundianum Concordiæ Italiæ tribuat, siue Vicentini Martyres, Cõcordię sepulti, Donatus, & Solonus ijdem sint cum Dona-

to,

to, & Secundiana Concordiæ martyribus, siue non, quod indubium verti fatetur idem Ferrarius, dicendum hìc esset Donatum tantum deficere: Iustam verò, & Siluanũ nostri martyrologijs deberi.

Et alibi Ianuarii. Trigintanouem martyres in adductis codicibus nostris, Antuerpiense, & Corbeiense, incerto loco coronatis, pariter numerantur. Horum aliqui in alijs mss. martyrologijs apud Henschenium indicantur, omnes simul non nisi in adductis. Hos vidit Notkerus, sed omnes recensere fortasse piguit; inquit enim. *Alibi Ianuarii, & aliorum valdè multorum*. Variant non nihil nomina, & Marcellus Corbeiensis, & Lętiensis codicis, Marcella est in Antuerpiensi, & nostris: Gaddinius alijs, nobis est Gundinia, & Antuerpiensi Codene: Cypton alijs, nostris est Gipion.

XII. Kal. Martij.

IN Africa Natalis Sanctorum Publij, Iuliani. Marorobi. Item Iuliani. In Trapis Pauli. Maximi. Marcelli. Marobi. Marcianis. Gemini. Romuli. Siluinæ. Cassici. & Fructuosi.

FEBRVARII 18.

VOs in antecedentis diei laterculo vetustissimũ Antuerpiense Martyrologium Concordiæ Italicę martyres propalam non expressit, ita in limine huius diei signat. *XII. Kal. Martii. In Italia Ciuit. Concordiæ Natalis Rutuli, Siluani, Classici, Secũdini, Fructuli, Damasi, Interrapis Pauli, Marcialis, Maximi, & alibi Marcelli, Marobi, Gemini, Rumuli, Siluina, Carsici, Fructuli*. De his Concordię Martyribus nihil habet Ferrarius de Sãctis Italiæ, nihil codices nostri, nihil Corbeiense Martyrologiũ, quod, supra nostrũ, aliquos ita addit Martyres Africę. *xii. Kal. Martii. In Africa Natalis Sãctorum Rictuli, Syluani, Classici, Secundini, Fructuli, Damasi, Orion. Interrapis Pauli, Maximi, Marcelli, Marobi, Martialis, Gemini, Romuli, Syluina, Cusici, Fructuli, Ianuarii*. Sed re vera nullos supra nostrũ martyrologiũ addit Corbeiẽse; librarij siquidé errore, qui in codicibus nostris Africæ tribuũtur, sequẽti die in Corbeiensi xij. Kal. adnotantur. Et quamquam bini sint codices nostri, & paruo ætatis inter se interuallo disiuncti; attamen quia Corbeiensis codex magis cum Antuerpiensi in hoc concordat, & Rutulus cum Siluano, & socij, pluribus Martyrologijs, hac ipsa die 18. Febr. recoluntur, non sequenti, nostrorum codicum librarios potiùs culpamus, & ita restituendam Africanorum martyrum seriem hac die putamus. *In Africa Natalis Sanctorum Rutuli, Siluani, Classici, Secundini, Fructuli, Damasi. Interrapis Pauli, Maximi, Marcelli, Mararobi, Martianis, Gemini, Romuli, Syluinę, Fructuli*. Si quis autem in prima classe, post Damasum, addere Orionem ex Corbeiensi martyrologio velit, non pugnabo. Is tamen neque in Antuepiensi, neque in codicibus nostris numeratur, neque etiam in pluribus mss. ab Hẽschenio adductis. In his constat, Rutilum cum socijs ad hãc diem pertinere; quamquam cum Antuerpiensi eadem mss. Concordiæ Italiæ Vrbi illos tribuere videantur: & aliqua differentia Africæ, non Concordiæ, ascribat Martyrologium Romanum, ex fide vetusti codicis apud Baronium. Lucium quidem Antesignanum ms. Monasterij S. Cyriaci, cui inniti solet idem Baronius non habet, vt notat Henschenius.

sed apud alia mss. Vltraiectinum, & Bruxellēse legitur, & in editis libris sub Vsuardi nomine, ac Bellinij, & Galesinij. Rutilum pariter ad hanc diem decimum octauum refert ms. Reginæ Succiæ cum Syluano, & Anonymis duodecim, hoc pacto. *In Africa Natalis Sāctorū Rutuli, Siluani, & aliorum duodecim.* Quin, & Notkerus ita confirmat ad calcem huius diei. *In Africa Rutuli, Siluani, Classici, Secundini, Fluctuli, Damasi.* Kalendarium S. Hieronymi ms. in Bibliotheca Canonicorum Lucensium binos tantum Martyres ita profert. XII. Kal. *Rutuli Damasi*, ex quibus iam adducta codicum nostrorum emendatio confirmatur. An Rutilus hic antesignanus Rutilius Martyr sit Tertulliani, qui fugam prius emerat, deindè fortissimè dimicauit, viuicōburio coronatus lib. de fuga in persecutione cap. 5. ? difficile est affirmare.

Interrapis. Quid vero Interrapis Vrbs, an Martyr aliquis? inquit ad hanc vocem Henschenius. Sanè nomen istud nonnisi in Antuerpiensi, Corbeiensi, & nostris codicibus apparet; in quibus ita breuiatum scribitur. *In Trapis.* Duplici rrscriptum profert Corbeiense Martyrologium, Dacherij, vnico exhibet signatum codex idem ex variis lectionibus Rafaelis Dufrasnij adhuc Parisijs transmissis. *Interapis, Pauli, Maximi*, An legendum in Trempis pro Trampe Ioniæ Vrbe, cuius meminit Stephanus, vel Trampyæ Vrbe in Epiro iuxta Bunimam eidem Stephano, & Lycophroni? *Interamnis* aptius fortasse, vtrobique restitui potest, quemadmodum legit Notkerus *Interamnis, Pauli, & aliorum multorum.* Ex quibus etiam verbis coniicerē, reliquos martyres omnes, qui in hac classe memorantur iuxta codicem, quo vsus est Notkerus, Interamnenſi Vrbi Vmbriæ tribuendos esse. Verùm vetustissimum S. Vilibrordi, seu Antuerpiense martyrologium, non nisi Paulum, Marcialem, & Maximum, post vocem *in Terrapis* enumerat, reliquos autem alterius, & incerti loci, sicuti etiam legit Richenouiense apud Henscheniū, Martyres esse indicat his verbi, *& alibi Marcelli, &c.* post Paulū quidē ita omnes in nostris codicibus, & Corbeiensi succenturiantur, vt alij multi Notkero reuera dici potuerint.

XI. Kal. Martij.

IN Africa Natalis Sanctorum Rutuli. Siluani. Classici. Secundini. Fructuli. Damasij. Baechei. Marcelli. Tullij. Lampasij. Maruli. Iulij.

FEBRVARII. 19.

IN *Africa.* Repetenda hìc nō sunt, quæ pridie huius diei de errore librarij diximus, qui Africanos martyres, huic laterculo debitos, in superiorē diē trāstulit, illosue pridianis Kalēdis destinatos, hìc reposuit. Vndè restituendū laterculū hoc pacto credimus. *In Africa natalis SS. Publij, Iuliani, Marcbi, Itē Iuliani, Barechei, Marcelli, Tullij, Lampasij, Maruli, Iulij.* Ita parū distat ab hac serie Antuerpiēsis martyrol. census *XI. Kal. Martii. In Affrica Pupli, Maruli, Iuliani, Baeſeſi. Itē Iuliani, Marcelli, Tuli, Lampasi, Mainli, Iuli.* Nec à Corbeiensi in alio distabit, quā in martyre Saturnino enumerando post Iulū, qui reliquis ignoratur. *XI. Kal. Martii. In Africa Natalis SS. Publi, Iuliani, Maruli.*

Item

Itē Iuliani, Barechei, Marcelli, Tullii, Lāpasi, Mainli, Iuli, Saturnini. Ex his nouē tantùm numerantur Rabano, qui Iulium omittit. Vndecim habet, non tamen omnes nominibus distinctos, ms. Reginę Succiæ *Publii, Macrobii*, (ita & alia mss. pro Marubio legūt) *Iuliani, & aliorū octo* Vndecim pariter notat Notkerus, qui Paulum addit. Ita & ms. Richenouiense apud Henschenium vndecim Africanos Martyres reddit, quòd Maximillam, non Paulum, aut Saturninum recenseat. Differētias aliquas in nominibus, ex varijs mss. martyrologijs, adfert idem Hēschenius, quas hìc vano labore non recoquimus. An qui, vel Marulus, vel Maiulus, vel Mauilius, siue Manilius, vt in altero ex nostris codicibus legi posse videtur, Africanus Martyr Adrumeticus sit, cuius meminit Tertullianus in libro ad Scapulam cap. 3., & qui ad bestias damnatus, protomartyr Africæ à Pamelio, & Lacerda dicitur, nihil decerno.

X. Kal. Martij.

APud Cyprum natalis Potamine. Misis. Didimi. Romæ Via Appia in Cimiterio Callisti depositio Gagi Episcopi, & alij. Victoris. Coronæ, & aliorum X.

FEBRVARII 20.

FAcilis librarij lapsus, in vtroque ex nostris codicibus, emendari etiā facilè potest ex Antuerpiensi, & Corbeiensi martyrologijs, hìc ad inuicem de more collatis. *X. Kal. apud Cyprum Potami, Nemesis, Didimi. Romæ Gai Episcopi, & alibi Victoris Chronana, & aliorum X.* Ita habet Antuerpiense, in quo pro *Potamine, & Mesis* aptius legitur *Potami, & Nemesis*. Non tamen Corbeiense à nostro distat, cum eius antiquarius eadem vestigia presserit. *X. Kal. Martij apud Cyprum natalis Potamine, Misis, Didymi, Iocundi, Flori. Romæ via Appia in Cemeterio Calesti Depositio Gai Episcopi. Et alibi Victoris Corona, & aliorum X.* Condonandus est illi tamen leuis error, dum adiectione duorum Martyrum compensatur, nempe Iocundi, & Flori, quos indicatos non video in plurimis, tam editis, quam mss. martyrologijs ab Henschenio adductis. In his sicut aliqua sunt, quæ pro Potamio Potamiā referant, ita etiā aliqua Potaminiam, vel Potaniniam exhibeant. Petrus de Natalibus lib. 12. n. 73. ita inquit *Putamius, & Nemesius in Cypro Insula passi sunt X. Kal. Martij.*

Romæ Via Appia &c. Cœmeterium Callisti fuisse Via Appia notissimum est, & quamuis Antuerpiense vetustissimum, non indicato præcipuè sepulturæ loco, tantùm habeat. *Romæ Gai Episcopi*, cum nostro tamen concordat Corbeiense, & ms. Richenouiense apud Henschenium, quin etiam cum Notkero ms. Reginæ Succiæ hoc pacto. *X. Kal. Romæ Via Appia in Cęmeterio Callisti depositio Gai Episcopi.* Pro Gaio, siue Caio Antiquarium nostrum semper Gagium scribere, alibi diximus; & quamquam plura edita, & ms. martyrologia hac die X. Kal. Martij Gaium Pontificem Romanum recolant, non desunt tamen, qui eius memoriam venerari malint die X. Maij, seu 22. Aprilis. Ità martyrologium Romanum, Bēda, Vsuardus, Ado. Notkerus quidem cum nostro consentit, & magis ms. Richenouiēse, Bollādi, & Henschenij, in quibus Gagius Episcopus vocatur, & hac die re-

recenſetur *X. Kal. Martij Romæ via Appia in Cœmeterio Calliſti depoſitio Gagi Epiſcopi*. Cum vero S. Caius Pontifex Romanus, non modo iam dictis Martyrologijs recolatur die 22. Aprilis, ſed expreſſius ibi non depoſitio, ſed paſſio adnotetur, libuit ſuſpicari, hanc X. Kal. Martij celebritatẽ, depoſitionẽ eſſe, ſiue corporis in meliorem, vel aptiorem locum Cœmeterij Calliſti repoſitionem, non propriè dictam depoſitionem, quæ pariter martyrologio noſtro repetitur ad X. Kal. Maij, ſicut in Antuerpienſi, & Corbeienſi, quo loco magis appoſitè mſ. Reginæ Succiæ non depoſitionem, ſed paſſionem hoc pacto refert. *X. Kal. May. Romæ paſſio S. Gay Papæ, qui cum Eccleſiam IX. annis, menſes IIII. dies XII. rexiſſet, Martyrio coronatur ſub Diocletiano Principe, cum Gabinio fratre*. Quod de Gabinio dictũ, non eadem die, ſed in eadem perſecutione intelligendum eſt, alioquin minùs reſponderet ijs, quæ habet de Gabinio Henſchenius ad diem 19. Febr. ſeu Baronius ad annum 295. Tom. 2. Sanctum Caium Martyrio coronatum die 22. Aprilis, ſeu X. Kal. Maij, habet Luitprandus, Abbo Floriacenſis de Vitis Põtificum, & auctor ipſe Pontificalis libri. In tertio pariter vetuſto opuſculo, inſtar martyrologij, apud Bucheriũ de doctrina temp. cap. 15. ſub titulo *Depoſitio Epiſcoporum*, ita ſignatur, vt depoſitionis vox martyribus Põtificibus ibi communis ſit. *Kal. May. Cay in Calliſti*. Cõfirmatur id etiam ex quarto eiuſdem Bucherij opuſculo antiquo, quo vſus eſt Cuſpinianus. Ita enim de Cai Pontificali regimine narratur. *Caius annis duodecim, menſibus quatuor, diebus ſeptem. Fuit temporibus Cari, & Carini, ex die XVI. kal. Ianuarij Conſ. Caro II. & Carino, vſque in X. kal. May, Diocletiano VI. & Conſtantio II. Conſulibus*. In duobus diuerſis Kalendarijs Lucenſis Eccleſiæ diuerſimodè Caium indicatum inuenio. In vetuſtiori, quod libro Comitis S. Hieronymi præpoſitum, Calendarium, ſeu paruum S. Hieronymi martyrologium libuit appellare ita adnotatur *X. kal. Martii Potamii, Gagi Confeſſoris*, & X. Kal. Maij tantummodo *Gagi*: In recentiori, hædino tamen, ac vetuſto, qnod ordini Breuiario ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ præfigitur, ita ſcribitur in Februario menſe, *X. kal. Gaii, & Sociorũ eius Martyrum*, & menſe Maij *X. kal. Sotheris, & Gaii Papæ, & Martyris*, ad quam diem poſt Sotheris Pontificis lectiones hæc de S. Gaio adduntur. *Gaius natione Dalmatinus, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Gaio ſedit annos IX. menſes iv. dies xii. fuit autem temporibus Carini, à die XVI. kal. Ianuarii, à Conſulatu Cari II. & Carini, vſque in diem x. kalendas Maii, Diocletiano iiii. & Conſtantio II*. Sanctus Gaius equidem ex his eſt, qui Martyr, & Confeſſor dici poſſet, & ex eius vita in libro Pontificali apertè deducitur his verbis. *Hic fugiens perſecutionem Diocletiani in Cryptis habitans Confeſſor quieuit, martyrio coronatus poſt annos octo*. Sacrum eius corpus, ætate noſtra repertum, die 25. Aprilis anni Chriſtiani 1622., in Cœmeterio Calliſti docet Aringhius lib. 3. Romæ ſubterraneæ cap. 11. p. 454. ex Cæſare Becillo, qui Sancti Pontificis Acta collegit, nondum nobis viſa: & mira Dei prouidentia inuentum eſſe addit in vigilia illius diei, quo Natale eius in Eccleſia Romana celebratur. An ſocij, qui in adducto Calẽdario notantur, illi ſint, qui Petro de Natalibus indicãtur lib. 12. n. 74. ex Martyr. Hieronymi, *Caius, Victor, & Panthamia eodem die Romæ palmam percipiunt*, hoc eſt X. Kal. Martij, non mihi liquet.

Et alibi Victoris, & Coronæ. De Victore, & Corona martyribus in Syria agit Martyrologium Romanum ad diem XIV. Maij ex Beda, Vſuardo, Adone & alijs. Eorum Acta refert ex Lipomano, & Mombritio Surius. Alexandriæ Coronam, & Victorem cum pluribus ſocijs recolit vetuſtiſſimum Antuerpienſe ad 8. kal. Maij: cui concinit Corbeienſe. Coronam tantùm habent Alexandriæ, pridie illius diei, eadem martyrologia

cum

cum noſtro, in quo ad diem 24. Aprilis Coronata dicitur, nõ Corona. Equidem plura edita, & mſs. apud Henſchenium exhibent hac die X. kal. Martij Coronã, & Victorem: Sed vetuſtiſſimum Antuerpienſe, in hoc ab alijs diuerſum, pro Corona aptius fortaſſe *Chronanam*, aliam a Corona Martyrem ſignat. Anonymos decem his martyribus addunt Antuerpienſe, Corbeienſe, & noſtrum. Alios decem adijciunt, & viginti numerant Beda, Rabanus, & Notkerus cũ mſ. Aquiſgranenſe. Sunt etiam Martyrologia ab Henſchenio adducta, quæ Anonymos penitus taceant. Non ita mſ. Reginæ Sueciæ, quod ita cum noſtro conuenit. *Et alibi Victoris, & Corona, & aliorum decem.* An incertum locum, ſub verbis illis, *& alibi*, omnibus ferè melioris notæ codicibus communem, ſuſpicari licet Romę fuiſſe, cum poſt Cæmeterium Calliſti in depoſitione Gai Romæ ſtatim indicetur? Victorem quidem, & Coronam, aliqua martyrologia Romæ cum Gaio tribuunt. Vitio tamen id factum putat acris iudicij vir Henſchenius.

VIIII. Kal. Martij.

IN Africa Natalis Sanctorũ Verole. Secundini. Seruoli. Syrici. Felicis. Iocundi. Saturnini. Fortunati, & aliorum XVII. & alij Victorini. Mapalici. Puſſitimi. Thedre. Grippini. Secundi. Petri. Secundoli. Dinaris. Ruſtici. Titi. Tumuli. Maſſedi. Iuſti. Securi. Maſſeri. Glorioſi. Alciatoris. Iuſti. Amatoris. Secunde, & Syrici.

FEBRVARII 21.

MArtyrum ferax Africa plurimos etiam Chriſti milites hac die ſacris faſtis conſignat. Martyrologium noſtrum Vrbem Africæ præcipuam pro Sanctorum Natalibus non conſtituit, ſed dilucidius hoc pacto Vetuſtiſſimum Antuerpienſe: *viiii. kal. Martii. In Africa Ciuitate Adrumiti natalis Sanctorum Veruli, Secundini, Seruoli, Sirici, Felicis, Saturnini, Fortunati, Iocundi, & aliorum xviiii. & alibi Victurini, Mappalici, Puſitimi, Criſpini, Secundioli. Dinaris, Titi, Ruſtici, Tumuli, Maſſedi, Iuſti, Securi, Maſſeri, Glorioſi, Alciatoris, Iuſti, Amatoris, Secunda, Sirici*; Regionem tantùm, non Vrbem, cũ noſtro pariter notat martyrologium Corbeienſe. *ix. kal. Martii. In Africa natalis Sanctorum Viruli, Secũdini, Seruuli, Scirici, Felicis, Iocundi, Saturnini, Fortunati, & aliorum ſeptemdecim, & alibi Victurini, Mappalici, Puſitini, Thedra, Criſpini, Petri, Secundoli, Dinaris, Ruſtici, Titi, Tumuli, Maſſedi, Iuſti, Securi. Item Maſſedi, Glorioſi, Alciatoris; Item Iuſti, Amatoris, Secunda, Syrici, Iocunda.* In prima horum octo nominibus ſignatorum corona, omninò cum noſtro conueniunt adducta martyrologia, præterquam quòd codices noſtri Verulam pro Verulo reliquorũ duce, præferunt. In Anonymis pariter noſtrum, & Corbeienſe conſonant, ſuperabundat in vno Antuerpienſe. Adrumeti hos eoſdem cõſignat, præter adducta plurima ab Henſchenio edita, & mſs. martyrologia, manu etiam exaratũ Reginæ Sueciæ, ita in anonymis abũdans, vt in alijs deficiens. *In Africa Ciuitate Adrumeti, Natalis Sanctorum Veruli, Secundi, Seruuli, Siricij, & aliorum xxi.* à quibus ſi reliquos in noſtro nominibus

minibus cõfignatos quis detraxerit, decem, & septem remanebunt, vt etiam apud Notkerum, qui penitus cum nostro martyrologio conuenit. Martyres hos fuisse persecutionis Vandalicæ putat Baronius in Not. sed à Galesinio deceptus, non à mſ. martyrologio S. Cyriaci, vt notat Henschenius. De his ita Petrus de Natal. ex Martyrologio Hieronymi lib. 12. n. 75. *Vernulus, Secundinus, Serenulus, & alij XX. In Africa Ciuitate Adrumeto passi sunt X. Cal. Marty.* Adrumetum, seu Hadrumetum, & Adrumentum nota est Geographis Africæ propriæ dictè Ciuitas, quam etiam vocatam esse Concordiam adnotauimus ad diē 17. Februarij.

Et alibi Victurini. In secunda Martyrum classe exuberat, tam nostrum, quam Corbeiense martyrologium supra vetustissimum Antuerpiense, quod in illis Christi milites viginti duo accenseantur, in hoc tantùm decem & nouem: deficiunt enim Thedra, Petrus, & Iocunda. Pro Alto etiam Alciatorem, seu Altiatorem apud Henschenium reponendum esse nō dubito, penes quem ex varijs martyrologijs Petrus suppletur. Reliquos nostro, & Corbeiensi debemus. Notkerus, de more nominibus pro minori tedio decurtatis, antesignanum Victorinum cum Mappalico, & plurimis alijs hoc die venerari *alibi* incerto loco testatur. Cum Victurino vnum, aut alterum refert mſ. Reginæ Sueciæ, & anonymos sexdecim, ita vt non nisi decem, & nouem cum Antuerpiense cognouerit. *Et alibi Victurini, Crispini, Rustici cum alijs xvi.* Mſ. Calendarium S. Hieronymi Canonicorum Lucensium ducem primæ classis, & prostrewum Secundæ ita refert. *viiii. kal. Veroli, Sirici.* Mappalicum exhibet martyrologium nostrum, inter Martyres Africanos die 17. & 18. Aprilis. Mappalici nomen in Africa frequens erat, vt hinc coniectari liceat hos, quamuis *alibi* enunciatos, Africæ esse nihilominus ascribendos. Mappalicum cũ socijs extollit S. Cyprianus. Epist. 8.

VIII. Kalendas Martij.

NAtalis Sancti Petri Apostoli Cathedra, quam resedit apud Antiochiam. In Nicomedia Nat. Tecle Virginis Discipule Pauli Apostoli. In Africa natalis Sanctorum Victurini. Neuceri. Palati. Donati. Fortunati, & aliorum XXVIIII. Romæ Via Tyburtina ad Sanctum Laurentium natalis S. Concordiæ. Syrmium. Natalis. S. Sereni, & aliorum LXII. In Nicomedia Eutyri. Palatini. Victurinæ. Paulæ. Emeretæ. Antoninæ. Datiuæ. Rogatianæ. Antigæ. Vrbanæ. Maximæ. Marinæ. Maronæ. Peregũæ. Filiæ. Secundolæ. Iustæ. Castolæ. Florenti. Victuriæ. Marcellinæ. Castæ. Donatillæ. Libore. Flauianæ. Item Donatæ. Fortunate. Luciani. Ame. Reginæ, Cyriaci, Galaci. Valeri. Gurgoni.

FE-

MVtatis non nihil nominibus, inter se collata Martyrologia Antuerpiense, & Corbeiense parum à nostro discrepant. Illud seriè Sanctorum ita exhibet. *viii. Kal. Martii. Cathedra Petri in Antiochia, & Romæ natalis Concordiæ. In Antiochia natalis Galli Consulis. Natalis S. Teclæ Virginis. In Africa Sanctorum Victorini, Enciri, Pallatini, Donati, Fortunæ, & aliorum xxviii. Sirmi natalis Sereni, & aliorum xvi. Item Nicomediæ Euteri, Palatini, Victorinæ, Paulæ, Emeritæ, Antoninæ, Datinæ, Rogatianæ, Antigæ, Vrbanæ, Maximæ, Marinæ, Matronæ, Perigrinæ filiæ, Secundulæ, Iustæ, Castolæ, Florentii, Victoris, Marcellinæ, Castæ, Donatulæ, Liboſæ, Flauiæ, Dotæ, Furnatæ, Lucianæ, Amicæ, Reginæ, Cyriaci, Galatii, Valerii, Gorgiani.* Corbeiense verò sacros huius dici fastos ita profert. *viii. kal. Martii. Natalis Cathedræ S. Petri Apostoli, quæ sedit apud Antiochiam. Nicomediæ natalis Teclæ Virginis discipulæ S. Pauli Apostoli. In Africa natalis Sanctorum Victurini, Nuceri, Palatini, Donati, Fortunæ, & aliorũ xxviiii. Romæ via Tiburtina ad Sanctum Laurentium Natalis S. Concordiæ, Felicis. Syrmiæ natalis S. Senerũ, & aliorum lxxii. Item Nicomedi, Euteri, Palatini, Victorinæ, Paulæ, Emeritæ, Antoninæ, Datinæ, Rogatiani, Antigæ, Vrbanæ, Maximæ, Marinæ, Matronæ, Peregrinæ filiæ, Secundolæ, Iustæ, Castulæ, Florentii, Victuriæ, Marcellini, Castæ, Donatulæ, Liboſæ Flauiani mart. Item Donatæ, Fortunati, Luciani, Amiæ, Reginæ, Cyriaci, Valerii, Gurgonii, Felicis.*

Natalis Cathedræ &c. Idem est sacris medij æui scriptoribus Natalis dies, ac celebritas, aut solemnitas, vt alibi diximus. Hic igitur Natalis Sancti Petri cathedræ, qua resedit Antiochiæ, nil aliud est, quam celebritas, seu cultus memoriæ S. Petri Apostoli, cum cathedram posuit Antiochiæ, siue dicatur, vt in Antuerpiensi martyrologio *Cathedra Petri in Antiochia*, siue cũ Corbeiensi, *Natalis cathedræ S. Petri Apostoli, quæ sedit apud Antiochiam*, siue Cathedra S. Petri apud Antiochiam, vt in pluribus martyrologijs apud Bollandum. Proximius ad vetustioris nostri dicendi modum accedit fragmẽtum antiquissimum Romani martyrologij apud Bucherium, quod est opusculum tertium adductum in notationibus ad Canonem Victoris cap. 15. *viii. kal. Martii Natale Petri de Cathedra.* Vetus hoc fuisse in Ecclesia festum elici potest ex serm. 15. de Sanctis D. Augustino tributo, vbi de Cathedra Antiochena agi dubitari nequit, cũ in eos inuehatur, qui ea die ritu gentilium super tumulos defunctorum cibos, & vina conferrent. Huiusmodi ferales ritus apud Gentiles mense Februario peragebantur, epulis ad sepulcra collatis ab his, quibus ius ibi parẽtandi erat, & hinc feralia dicebantur, vt auctor est Varro lib. 5. de lingua Latina, & obseruant Philologi ad lib. 2. Fastorum. Ioannes Belethus apud Bollandum putat, festum hoc institutum ab Ecclesia fuisse eodem die, quo abominanda illa ab Ethnicis fiebãt, *vt solemni hoc festo, prauæ illius consuetudinis festum omnino extingueretur. Vnde etiam ab illis epulis festum hoc appellatum est B. Petri Epularum.* At quamquã hoc videatur consonare cum sermone D. Augustini iam indicato, minùs tamen congruit eum antiquis kalendarijs, in quibus feralia Sacra, non die 22. Februarij, sed 18. indicantur, vt notat Dempsterus ad c. 4. Antiq. Rosini. p. 342. seu potius apud Ouidiũ XIII. kal. martij, hoc est die 17. Februarij, vt idem Rosinus animaduertit lib. 4. c. 6. At quidquid Rosinus ex suis fastis doceat, cum vetus Calẽdarium apud Bucherium p. 282. *xiv. kalend. Feralia* indicet, *viii. kal. Caristia, vii. Terminalia*, & vetustius marmoreũ Romæ in ædibus Maffeiorum ad diem 21.

Eo-

Februarij ita etiam Feralia notet, *D. Feral. F.* ac pro inde Ethnicorum illud Festum in Peruigilio Cathedræ Antiochenæ incidat, non malè appellari potuit festum B. Petri epularum. Quod verò eruditissimus idem Bollandus ex Siluij laterculo educit ad diem istum, depositionem peragi S. Petri, & Pauli, quæ etiam Cara cognatio diceretur, *quoniam tunc, & si fuerint viuorum parentum edia, tempore obitus deponuntur*; Videntur hæc potius alludere ad celebritatem charistiorum, quæ proximo die à Feralibus peragebatur, & cum hac ipsa die Cathedræ coincidebat, vt educitur ex Ouidio lib. 2. Fastorum; sed pro re nostra luculentius id testatur Valerius lib. 1. cap. 1. dum inquit: *Conuiuium etiam solemne maiores instituerunt, idque Charistia appellauere, cui praeter cognatos, & affines nemo interponebatur*. Vnde tam ex Ferali epulo precedentis feriæ, quam ex conuiuio cognatorum eiusdem pene diei, potuit hoc Cathedræ Antiochenæ festum appellari *S. Petri Epularum* apud Beletum, qui ante 400. annos de sacris ritibus scripsit. Verùm ante Beletum huius superstitionis apponendi epulas ad sepulcra mortuorum in festo cathedræ S. Petri meminit Concilium Turonense 2. can. 22., vbi Presbyteris etiã, pastoribus que imponitur, vt ab Ecclesijs eos repellant, qui in huiusmodi fatuitatibus perseuerare maluerint. *Et amplius*, ibi subdigur, *ad nescio quas petras, aut arbores, aut fontes, designata loca Gentilium, perpetrare, quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent*. Quibus verbis non dubito ad Ethnicorum superstitionem respici, quãdo Deo Termino sacrificantes, festa illa celebrabant, quę Terminalia dicebantur, non hostias cedẽtes, sed liba, & frugũ offerẽtes primitias, vt ex Plutarcho quęst. Rom. 15. idem elicit Rosinus, in hoc non sequendus, quòd putet festa hæc in hunc 22. Februarij diem incidere, cum re vera in adducto marmoreo kalendario die 23. consignentur. Ritus quidem ab Ouidio indicati magnam lucem adferunt Concilij Turonensis verbis, quæ cum præter institutum sint, non libuit adducere. Possumus tamen educere, in hoc Christianorum festo S. Petri Cathedrę, à populis adhuc reliquijs superstitionum gentilium inquinatis, instigante Diabolo, quæ antecedentis diei erant, & quę apud Ethnicos ad sequentem pertinebant, accomodata esse, ac proinde à Sanctis viris animaduersa, & vetita fuisse. Celebritatem hanc D. Augustinus, si tamen illius sermonis genuinus auctor est, nuncupauit *Natale Sedis S. Petri*, eodem modo, quo in nostro, alijsque antiquis martyrologijs legitur. Verum iuxta antiquissimorum Patrum testimonia S. Petri cathedram Antiochenam recoli consueuisse ab Ecclesia VIII. kal. Martij testatur Paulus Quartus Pontifex in Bulla Festi Cathedræ S. Petri Romanæ sub anno 1558. Antiochiam autem Syriæ hìc intelligendam apertissimum est, quod non tacuit Notkerus.

In Nicomedia Natalis. Exhibet hic vetustissimũ Antuerpiense Gallum Cõsulem Antiochiæ, vel veneratum, vel passum. Huius memoriam cum nullum aliud Martyrologium recolat, neque apud Henschenium aliud de eo prostet, silentium, & nobis indicimus. In eo etiã deficit locus passionis Teclæ Virginis, qui tamen, tam in codicibus nostris, quã in pluribus editis, & mss. libris indicatur hac ipsa die. Eam Notkerus elogio prosequitur, & non modo Nicomediæ fuisse venerabilem testatur, sed discipulam D. Pauli, & omnino celebrem illam Heroinam, quam vniuersa Ecclesia die 23. Septembris in Romano Martyrologio veneratur, & de qua plura videri possunt in Notationibus summi Viri Baronij. Cur verò Nicomediæ, hìc assignetur, cum Seleuciæ etiam in nostro Martyrologio tribuatur 9. Kal. Octobris, ibique tam celebre habuerit sepulcrum, vt frequens ad illud antiqua esset peregrinatio, affirmare difficile est. An propter celebritatem nominis Teclæ, addita illa verba sunt ab antiquario minus in antiquis versato *Discipula Sancti Pauli*, quæ in vetustissimo Antuerpiensi desiderantur?

derantur? Num Tecla hæc Nicomediẽsis diuersu est? vel illa non Nicomediæ, sed Antiochiæ Pisidię, vbi cum Paulo fuit, cius aliqua celebris memoria recolebatur? Num ex Antuerpiensi restituendum est. *In Antiochia Natalis Galli Consulis, natalis Sanctæ Teclæ Virginis*; quasi eadem loco vbi Gallus Cõsul celebris erat, solemnis etiam esset dies Teclæ? De Sanctæ Virginis Antiochenis laboribus, ita D. Hieronymus in epist. ad Oceanum. *Thecla, post tentationem passionis Antiochiæ, à Paulo prohibetur pariter pergere.* At cum non modo Codices nostri, sed Corbeiense martyrologium, Beda, Rabanus, iam adductus, Notkerus, & mss. S. Cyriaci, Richenouiense, & Lætiense Nicomedię tribuant apud Bollandum in prætermissis, quinimmo discipula S. Pauli etiã dicatur in editis illis Martyrologijs, sicuti in ms. Tornacẽse, & Aquigranense, nihil mutandum duxi, quòd in Vrbe Regia Nicomediæ, ex aliqua reliquiarum translatione, vel Basilicæ dedicatione, celebris esse potuerit, hac die natalis Theclæ, D. Pauli discipulæ. Addimus iam dictis ms. Reginæ Suecię, in quo ad 8. Kal. Febr. nihil de D. Pauli disciplina additur, sed tantum signatur. *Nicomediæ Natalis S. Teclæ Virginis.* & iure meritò eruditissimus Henschenius veretur, in vetustissimo Antuerpiensi, ex librarij incuria, nomen Vrbis Nicomediæ desiderari, quod infra in alijs enumerandis martyribus explicatum videtur in verbis. *Item Nicomediæ.* Hæc enim dicendi formula demore indicat, alium ex martyribus Nicomediæ iam fuisse memoratum. De Tecla Virgine, eiusque Natale Nicomediæ, agitur etiam in martyrologio nostro ad diem 12. Septembris cum Deosilo, & Matrona, vt hinc augeatur suspicio Teclam Nicomediensem diuersam fuisse ab Iconiensi, siue Isaurensi, & reliqua de S. Paulo esse olim addita ab incurioso Antiquario.

In Africa S. Victurini. Cum Victurino antesignano alij quatuor, nominibus signati, martyres recensentur, & tam in nostro, quam Corbeiensi XXVIIII. Anonymi. Ita etiam habet ms. Aquisgranense, & aliud Guilielmitarum, à Pamelio ad epist. Luciani indicatum, & Auctarium Vsuardi. Hinc magis verisimile redditur in Antuerpiensi, vnius notam numeralem in fine fuisse obliteratam, dum non nisi XXVIII. signantur. Pro Neucerio, aut Nucerio Eucerium habet idem Antuerpiense, & pro Fortunata Fortunam. An Palatinus officij nomen sit in Heucerio, & nos cum Henschenio ignorare fatemur; si Palatus, qui forte aliis, vt Pamelio Paulus est, non Palatinus legi debeat, vt nostri bini codices habent, vtique nomen Martyris esset, non officij; eo magis quòd punctũ post Neucerium interiacet. Ex Paulo tamen cum Donato, & Fortuna coniectauit Pamelius, hunc martyrum chorum ex illis cõflatum, qui in eadem Luciani Epistola, inter opera D. Cypriani memorantur.

Romæ via Tiburtina. De S. Concordia D. Hippolyti Martyris Nutrice, hic agi, ex loco Sepulturæ, Via Tiburtina ad S. Laurentium, facile quis existimare posset, nisi diuersus eius celebritatis dies videretur obstare; qui enim expresse in Romano Martyrologio signatur idem cũ S. Hyppolito Idibus Augusti, quo die S. Hippolyti memoria etiam in martyrologio nostro recolitur, dubiam reddit assertionem. De sepultura S. Hippolyti ad S. Laurentium. prętereà, quæ adducit Aringhius lib. 4. Romæ subter cap. 16. ex codicibus Vaticano, & Vallicellensi, plura habent eiusdem S. Hippolyti Acta, quæ seiunctim ab historia S. Laurentij exhibet vetustissimum Hagiologium nostrum ad diem Idus Augusti. In his narratur Concordiam plumbatis cæsam emisisse spiritum præsente Hippolyto, & in cloacam proiectæ corpus inuentum fuisse decimo tertio die à passione ipsius S. Hippolyti. Cum verò ille Martyrium fecerit idibus Augusti, Concordiæ sepultura incidit in VII. Cal. Septembris, quã ex cloaca eductã sepelliuit Iustinus Præs-

byter propè corpus S. Hippolyti *in Campo iuxta Nimphas, ad latus agrum Veranũ*; Via nempe Tiburtina ad S. Laurentium. Ac ſicuti incertum mihi eſt, cur hac die S. Concordia recolatur, cum Idibus Auguſti agonem conſummauerit, ita certum eſt, plura Martyrologia hic cum noſtro conſentire. Mſs. Richenouienſe, & Colonienſe adducit in prætermiſſis Bollandus, in quibus *Via Tiburtina ad S. Laurentium* S. Concordiam venerari affirmetur, quam etiam perſecutione Decia na trucidatam habent, Beda, Rabanus, & Notkerus, non tamen addunt Hippolyti martyris fuiſſe nutricem. His ſubnectimus mſ. Reginæ Sueciæ in quo 8. Kal. Febr. pariter legitur. *Romæ via Tiburtina Natalis S. Concordiæ.* Felicem etiam profert S. Concordię ſocium, martyrologium Corbeienſe, ſed qui nullibi in alijs martyrologijs mihi compareat.

Syrmium Natalis S. Sereni, &c. Et ſi vetuſtiſſimum Antuerpiēſe Martyrologium, hac eadem die, Serenum cum alijs XVI. vel XIII. Syrmij paſſum referat, inter prætermiſſos tamen retulit Bollandus, quòd ſequenti die in Martyrologio Romano venerari viderit. At præter codices noſtros, & Corbeienſe martyrologium, etiam mſ. Richenouienſe, Sereni nomine mutato in Seuerum, exhibet, cum alijs LXXI. Serenam verò appellant mſs. Lętienſe, & Tornacenſe. Serenum Monachum in Pannonia inferiori fuiſſe plura, tam edita, quam mſs. Martyrologia teſtantur; etiam ſi alij Serenũ, alij Senerum, alij Synerium vocent, vt Notkerus ſequenti die, quando Bollandus idem plura Sancti Martyris monumenta congerit. De Anonymis ſocijs ſeiunctim idem agit, & varietatem notę numeralis oſtendit: dum alia Martyrologia LXXII., proferunt, alia LXI., alia cum noſtris codicibus LXII., vt ad VII. Kal. Martij habent Beda excuſus, mſ. Monaſterij Centulenſis, Ado, & complura mſs. S. Sereni acta profert idem Bollandus, & à quorundam recentiorum quiſquilijs emundat.

In Nicomedia Eutici. In numero Nicomedienſium martyrum cõcordant codices noſtri cum vetuſtiſſimo Antuerpienſi; quamquam nonnihil in nominibus differant, vt vnicuique patet. Corbeienſe pro Nicomedia Vrbis nomine Nicomedium martyrem refert; ſed mendum ſuſpicari licet, emendandum ex Antuerpienſi, & codicibus noſtris, in quibus triginta quatuor martyres ab iniuria temporum vindicati numerantur. Hos in aliis, quam in vetuſtiſſimo illo non vidit Henſchenius, qui fluctuat an Palatinus, & Filia' ſint nomina propria Martyrum. In codicibus ſanè noſtris tanquã diſtincti Martyres Palatinus, & Filia maiuſculis à capite literis, ac punctis vtrinque diſtinguntur. Pro Euticio tamen Antuerpiēſe habet Euterium, ſicuti Corbeienſe, in quo Rogatianus ſcribitur, non Rogatiana, vt in noſtro, & vetuſtiſſimo legitur; è contra Victuria in noſtro, & Corbeienſi dicitur, qui Victor, ſiue Victorius Antuerpienſi eſt; quemadmodum cum noſtro Marcellinam retinet, nõ Marcellinum, vt Corbeienſe. Donatilla, & Flauiana, Donatula, & Flauia Antuerpiēſi sũt, ĩ quo Dota, & Furnata, Donata, & Fortunata dicuntur. Flauianus pro Flauiana in Corbeienſi legitur, & Amia pro Ama, ſiue Amica. Gurgonium etiam cum noſtro pro Gorgiano, Antuerpienſe profert, ſicut Martyrologium Lebbei, & Felicem alium pro coronide ſuperaddit ad alium Felicem Concordię Romanæ ſocium, qui ambo in codicibus noſtris, & Antuerpienſi ignorãtur. Grogonium pariter pro Gorgiano legi in martyrologio mſ. Lebbei, notat in Additionibus ad tomum tertium Februarij, Bollandus, ſiue Henſchenius.

VII. Kal. Martij.

IN Pannonis Seneroti. Antigoni. Rutuli. Libij. In Asia Natalis Policarpi Episcopi cum alijs XII. Zmyrna natalis Sanctorum. Herotis. Garpori. In Africa Grisconis. Zenonis. Iminandri. Carmiani. Arionis. Ippoliti. Diuduri. Menelanti. Actore. Petri. Lambesis. Luciniani. Felicis, & aliorum XXXVI. In Asia. Cusconi. Sinorus. Heruli. Zenon. Menalippi. Sineritis. Syrici cum socijs eorum.

FEBRVARII 23.

IN Pannonijs. Martyres, quos codices nostri cõstituunt in Pannonijs, Senerotum nempe, Antigonum, Rutulum, & Libium, S. Hieronymi vetustissimum Antuerpiense M. in Pannonia inferiori Sirmi pressius signat. Corbeiense pariter cum vetustiori nostro martyrologio in Pannonijs collocat, & Rogatianum martyrem addit, cum Marchianense, & Aquicintino mss. apud Bollandum. Nostro pariter consonant Rabanus, Notkerus, & Bëda, qui tamen in libro edito Seronedum pro Seneroto exhibet, sicuti aliqui ex recentioribus retinent. Martyrologium ms. Reginæ Sueciæ non Sirmij, non Rogatianum refert, sed tantùm legit. *In Pannoniis Natalis Sanctorum Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libij*. Verùm integrum latercülum tam Antuerpiensis, quam Corbeiẽsis exhibere hìc de more libet. *VII. Kal. Martii. In Sirmi Sinerotis, Antigoni, Rutuli, Libii. In Asia Natalis Policarpi Episcopi cum aliis xii. Smirni natalis Sãctorum Herotis, Carpofori. In Affrica Crisconi, Zenonis, Minandri, Cariniani, Arionis, Ipoliti, Diodori, Menelanti; Athoræ, & alibi Petri, Lambesis, Luciani, Felis, & aliorum xxxv. In Asia Sinonis, Heruli, Cuscumi, Menallippi, Zenonis, Inertis, Sirici*. Hæc Antuerpiense martyrologium, Corbeiense verò. *VII. Kal. Mart. In Pannoniis Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii, Rogatiani. In Asia Policarpi Episcopi cum aliis xii. Martyribus. Smyrnæ SS. Erotis, Carpori, Geronti. In Africa Grisgoni, Zenonis, Minandri, Cariniani, Arionis, Hippolyti, Diodori, Menelanti, Athoræ, Petri, Lambesis, Luciana, Felicis, & aliorum xxxvi. In Asia Cosconi, Synorus, Heruli, Zenonis, Menalippi, Sinertis, Syrici cum sociis*.

In Asia Natalis Policarpi. Sunt qui Romæ, non in Asia Sanctum Polycarpũ hac die recolant, eumque non Episcopũ, sed Præsbyterum. Ita Vsuardus, Notkerus, Ado, Vvandelbertus, & cum alijs recentioribus martyrologium Romanũ. Addit Bollandus plura mss. martyrologia, & eruditè suo more de S. Presbytero plura colligit, & disponit. Addimus nos ms. Reginæ Sueciæ. *Romæ S. Policarpi Presbyteri cum alijs xiis*. Est etiam penes me Calendarium vetustum ms. Breuiario præpositum, in quo legitur Februarij *vii. kal. Policarpi Presbyteri, & Mart.* Martyr quidẽ asseritur contra id, quod plura mss. martyrologia apud eundem Bollandum videãtur docere, dum in illis Confessor, non Martyr asseritur. At non modo codices nostri, sed Vetustissimum Antuerpiense, ac Corbeiense martyrologium, hac die constanter in Asia Polycarpum Episcopum recolunt, cum alijs XII. Et cum his consentit Rabanus, & ex recentioribus Galesinius

kalendarium item S.Hieronymi mſ.apud Canonicos Lucenſes, quamquam S.Polycarpum Epiſcopum hac die eſpreſsè nõ proferat, dum tamen addit XII. ſocios Aſiaticum ita ſignare videtur. *vii. kal. Febr. Polycarpi cum aliis xij. Presbyteris*; Etſi verò inſignis Martyris, & Apoſtolici Epiſcopi memoriam ita egerit martyrologium noſtrum kalendis Februarij, ad Orientalem tamen Eccleſiam reſpiciens, tanti Martyris celebritatem cum eadem Eccleſia repetere voluiſſe credibile eſt, hac die 23.Februarij. Ita kalendarium Græcorum à Genebrardo editũ ad diem 23. Febr. his verbis exhibet. *Polycarpus Martyr Smyrnenſis Epiſcopus.* Ita etiam in Menologio Sirleti apud Caniſium eadem die exprimitur. *Sacroſancti Martyris Polycarpi Smyrnæ, qui fuit diſcipulus S. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ.* Et diffuſiùs ad diem ipſum 23. Febr. Menæa, & Menologium Baſilij, quanquam uis corrigẽdum in illis ſit, quòd agonem cõſummauerit in Deciana perſecutione, cum id ſub M. Aurelio Antonino euenerit, vt palam docet Euſebius in Chronico; Minus etiam cum martyrologio Romano Menologium illud conſonat, dum narrat interprete Arcudio, quòd *comprehenſus tandiu tortus eſt, dum animam efflaret.* Equidem Romanis faſtis igni traditus, & gladio confoſſus martyrium cõſummauit. Quod diſertè ſcribitur apud Euſebium lib. 4. Hiſt. cap. 15. in fragmento epiſtolę, quam ad Eccleſias Põti ſcripſit Eccleſia illa Smyrnæis, cui Polycarpus ipſe præerat. In magno hoc venerandæ antiquitatis monumento, quod Græcà integrum edidit Vſſerius, & latinitate deinde donauit vir eruditiſſimus Henricus Valeſius dicitur, Beatum Polycarpum martyrio ſuo, velut ſignaculo, quodam, perſecutioni in Aſia finem impoſuiſſe. Sed quando ad amuſſim accideri, cum non exprimat, in magnas diſputationes viros doctos coniecit, nobiſque iterum eadem, pro re noſtra diſcutiendi impar onus impoſuit.

De die Natali S. Polycarpi.

EXERCITATIO VI.

QVM ergo difficile admodum ſit ex epiſtola Smyrnenſium diem agonis S.Polycarpi ad amuſſim haurire, hic exerceri non nihil placuit. In epiſtola illa tantùm narratur, milites S. Epiſcopum comprehendiſſe in Veſperis Paraſceue, & deduxiſſe in Vrbem die magni Sabbathi. Hunc diem, cum alij interpretati ſint, vt Bucherius, primum Azimorum, putarunt etiam B. Polycarpum paſſum eſſe die 26. Martij, quo die agonem eius notauit auctor chronici Alexandrini. Edouardus Liueleius cenſet Sabbathum magnum dictum eſſe, in quod ſolemnitas Purim, ſeu dies ſortium incidiſſet, qui dies anno Chriſti 167. fuerit 22. Februarii, quando captum eſſe Polycarpum, & ſequenti martyrium compleuiſſe, vult idem Liueleius. Contra Bucherium ſtat Iacobus Vſſerius de anno Macedonico cap. 3.; negat enim, Sabbathum, quod initium erat Azimorum magni nomine dictum fuiſſe. Hunc riprehendit Henricus Valeſius in Notationibus ad Euſebium p. 70, quòd S.Ioannes in Euangelio his verbis Bucherianę ſententiæ faueat, *Erat enim magnus dies ille Sabbathi.* & quòd idem confirmet Anaſtaſius Sinaita orat. 3. de Reſurrect. Idem etiam Valeſius Liueleio non acquieſcit, & Vſſerio contra Liueleium in hoc fauet, quòd epiſtola illa à Chriſtianis ad Chriſtianos ſcripta fuerit, & Chriſtianorum potius feſtũ, ſub nomine illius Magni Sabbathi, indicari congruum ſit, quã Iudaicam quamcumque ſolemnitatem. Addit quòd Liuelei opinio pugnet cum

Smyr-

Smyrneorũ epiſtola, in qua Polycarpum captũ narratur die Paraſceues ſub veſperam, ſequenti verò die, qui erat magni Sabbathi, fuerit perductus in vrbem, & martyrij laurea donatus; Liueleius verò vult S. Polycarpum captum die Sabbathi, ſequenti verò flammis abſumptum. Vſſerius Sabbathum magnum Smyrnenſi clero dictum putat, quod proximũ Paſcha antecedebat, quamuis in Dominicam Paſcha non caderet, more Eccleſiarum Aſiæ tempore Polycarpi, in quibus cum Iudæis Paſcha celebrabatur Luna decima quarta, nulla diei Dominicæ habita ratione. At quantumuis Aſiatici cum Iudæis in celebratione Paſchæ conueniſſent, nequaquam Vſſerio concedit Valeſius, Smyrneum clerum Sabbathũ magnum cũ Iudæis obſeruaſſe, & ad chriſtianos ſcribentem indicare voluiſſe. Capellus primum Sabbatum Quadrageſimæ magnum à Smyrnenſibus vocari coniectatur; ſed minus etiam Valeſio probatur. An primum Sabbathum Quadrageſimæ fuerit, vel aliud, difficillimũ eſt ſtatuere, nec Cycli Paſchalis anfructuoſas vias hic libet percurrere. Aliquod ex Quadrageſimæ Sabbathis indicari abſonum non videtur. Sane Ieiunium Quadrageſimæ magnum vocabant Græci, & Quadrageſimam ipſam magnã dicebant, vt ex Euchologio Græcorum apparet in Miſſę Pręſantificatorum declaratione p. 190. Vnde Quadrageſimæ Sabbatha magna etiam dicta fuiſſe veriſimile eſt, quòd in eis, & Dominica tantum, ex Canone 49. Laodicenæ Synodi, liceret ſacrificium offerre, & ex Canone Sanctorum Martyrum memoriam ſolemniter tantùm conceſſum eſſet, celebrare. Hon enim hunc Sabbathum magnum fuiſſe, quòd Paſcha precederet, dici poteſt, ſi Natale S. Polycarpi cõſtanter à Græcis celebrabatur die 23. Februarij, neque in Smyrnenſium epiſtola dies Paraſceue Sabbathum illud magnum præcedens, dicitur magnus, cum tamen ex eodem Euchologio, Paraſceue, quæ Sabbathum à nobis Sanctum nuncupatum antecedit, magna Paraſceue eadem ratione Smyrnenſibus dicenda videretur, ſicuti apud Codinũ de off. Conſt. cap. 13. diſertè nũcupatur. Quòd in fine epiſtolæ Smyrnenſiũ diſertè ſcribatur, Polycarpum paſſum eſſe die 2. menſis Xanthici, ideſt 7. Kal. Martij, vt vertit vetus interpres illius epiſtolæ apud Vſſerium, rectè conuenit, cum martyrologio noſtro, alijſque adductis, in quibus S. Polycarpi Natale hac die, non in Occidente, ſed in Aſia fuiſſe celebrem ſcribitur. Verùm ſi licet, in tanta Doctorum virorum controuerſia, quidquid ſentiam candidè proferre, putarem ſanè eadẽ ratione, qua Valeſius refellit Vſſeriũ, & Liueleiũ, hoc eſt diem magnum Sabathi non eſſe Hebraico more accipiendum, ſed ad aliquam chriſtianorum ſolemnitatem aptandum, quia epiſtola illa à Chriſtiana Eccleſia, ad Chriſtianos Philomelienſes, ſiue Philadelphienſes ſcribatur: ita auctorem Chronici Alexandrini potuiſſe decipi, ex Iudaica ſignificatione minus aptè ab Epiſtola Smyrnenſium acceptã *Sabbathi magni*: dũ videlicet Hebraico more putauerit, de Sabbatho ante Paſcha id eſſe accipiẽdum. Smyrnenſes igitur magnũ Sabbathũ illũ appellare exiſtimarẽ, non tantum quòd Sabbatũ aliquod magnæ Quadrageſimæ eſſet; ſed quòd deinceps S. Polycarpo conſecratũ fuerit; vt potè in quo Polycarpus ille paſſus ſit, qui ex eadẽ epiſtola Doctor inſignis, & ſummus Martyris nũcupatur: ſed qui à Gentili populo in Theatro acclamatus eſt, *Doctor Aſiæ, & Pater Chriſtianorum*; fuit enim captus in veſperis diei præcedentis, Paraſceue in Græco codice appellata, non modo ad diem Pro ſabbathi ſignificandum, ſed quòd dies ille ad martyrium, & natalem Polycarpi fuerit tanquam preparatio, & paraſceue. Neq; difficile videretur Smyrnenſi Eccleſiæ fuiſſe, ſequentẽ diẽ Sabbathi in magni agonis, & magni Martyris, *admirandi, Apoſtolici, & Prophetici Doctoris*, memoriam magnum ſimplici titulo, & ſine alio myſterio indigitatum, propterea quòd Polycarpus *Martyrio ſuo, vel vt ſignaculo quodam, perſecutioni finem impoſuerit*, ma-

gno

gno inquàm illo Sabbatho coronatus, in quo persecutio Asianæ Ecclesiæ cessauit. Quantis verò ambagibus, si aliter locus ille, *In Ciuitatem deduxerunt de magni Sabbathi* interpretetur, penes scriptores inuoluatur, videri potest apud Valesium loco indicato, & apud Samuelem Petitum variar. lect. lib. 4. cap. 7. Is de magno Sabbato cum Bucherio sentiens, ad nodum soluendum, cogitur annos ante vertere, & à chronico Eusebij discedere. Verùm ea amplius expedit animaduertere, quæ adnotata sunt in fine epistolæ Smyrnensium, tam apud Vsserium Armachanum, quam apud Valesium. *Passus est autem B. Polycarpus die secundo mensis Xanthici, ante diem septimum Cal. Martias, magno Sabbatho hora octaua.* In hoc parergo in quo additur, Caium integram epistolam accepisse, ex libro Irenæi discipuli Sancti Polycarpi, qui Caius versatus sit cum Irenæo, & ex Caio Socratem Corinthium, deinde Pionium, ab eodem S. Polycarpo per visionem monitum, excerpsisse: cum dies agonis ita literis consignetur, & per antiquum interpretem editionis Vsserianæ dies Natali S. Polycarpi ita apertè indicetur: si addatur Græcæ Ecclesiæ consensus, in Menæis, Menologijs, ac Kalendarijs, Sanctum Episcopum eadem die 7. Kal. Martij vbique recolentis, satis neruosè comprobatum apparet, non alium fuisse celebrem Polycarpi Natalem diem, quam XXIII. Febr. ita vt idē Valesius existimauit; nefas esse, de die passionis eius amplius dubitare. At mirum est, in Græco codice, ex eadem Vsseriana editione à Valesio producto, non 7. kalendas Martias legi, *sed septa Calandon Maion*: quin etiam Acta S. Polycarpi latinè reddita in diuersis codicibus antiquis, cum Græca illius epistolæ Vsseriana editione plurimùm conuenire. Ita enim apud Bollandum prostant, ex ipsius epistolæ, vt apparet, parergo. *Martyrium consummauit B. Polycarpus mensis Xanthici incipientis secunda die, ante 7. Cal. Maias, Sabbatho magno, hora octaua.* Quod in alijs actis ex tribus mss. codicibus latinis apud eundem pariter repetitur. Non me fugit, aliquos etiam Græcos codices legere potuisse *septimo* kalendas Martij, non Maij, illos præsertim, quibus vsus est Metaphrastes, ante multos annos, in Actis S. Pionij exornādis. In his apud Lippomannum, & Surium, Pionium captum fuisse scribitur. *Vigesima tertia mensis Februarij cum Sabbathum magnum inst aret. Natali scilicet B. Martyris Polycarpi, vigente Decij Imperatoris persecutione.* Quasi Sabbatum illud magnū nil aliud esset, quam Natale Polycarpi, vt suprà interpretati sumus, & esset Asiaticis mobile festum Natalis S. Polycarpi. Videtur enim difficillimum, post sexaginta circiter annos à passione Polycarpi, Pionium capi potuisse die Natalis S. Polycarpi, qui pariter esset Sabbathum magnum, nisi Sabbathum magnum idem esset Smyrnensibus, ac Natale S. Polycarpi, quòd primò in Sabbathum aliquod magnum incidisset, deinde verò 23. Februarij in eius magni Sabbathi memoria, idem nomen retinuisset. Verùm his non videntur consentire Acta illa S. Pionij, quæ ex ms. codice S. Maximini profert Bollandus ad 1. Febr. In his enim cap. 1. n. 2. initium certaminis Pionij ita signatur. *Secundo itaq; die sexti mensis, qui dies est 4. Idus Martij, die Sabbathi maiore, Geminum, Pionio, Sabinam, Asclepiadem, Macedonium quoque, & Leuinum Presbyterum catholicæ Ecclesiæ, vis persecutionis inuenit.* Hunc fuisse diem, qui Natalem S. Polycarpi precedebat, sequens de visione martyrij narratio conuincit. *Ergo cum ante diem, quàm natalis Polycarpi aduenisset, cum Sabina, & Asclepiade deuotus insisteret letaniis, vidit in somnis sequenti die se esse capiendum.* Fuisse autem diem illum Sabbathi ita signatur. *Facta igitur oratione solemni, cum die Sabbatho Sanctum panem, & aquam degustassent, Polemon, siue Ædituus aduenit, stipatus &c.* & in fine, iam consummato Pionij certamine, tempus ita adnotatur. *Acta sunt hæc, vt Romani dicunt IV. Idus Martii, vt Asiani mense sexto die Sabbathi hora diei decima.* Conueniunt ergo in Sabbathi die simul hæc, & alia acta ex Simeone Metaphraste, nam

Pionij

Pionij capturam incidisse in profesto S. Polycarpi etiam in his narratur, *Pionius igitur pridie natalis diei S. Polycarpi futurum prauidit, vt eo ipso die caperentur.* Quod peractum die Sabbathi ita subditur. *Cum igitur precationibus incubuissent, & Sabbatho Sanctum panem, & aquam capissent, supervenit Polemo.* De Sanctorum verò Martyrum in forum aduentum hæc subduntur. *Impletum est totum forum, & superiores porticus, tùm viris Græcis, atque Iudais, tùm etiam mulieribus. Nam cum magnum esset Sabbathum feriabatur.* At pugnarent hæc inter se cum Actorum initio in quibus dicitur captum esse Pionium die 23. Februarij, nisi rectè intelligantur. Iudicium sanè tunc absolutum non fuit: sed post publicam in foro interrogationem: post carcerem: post iteratam in forum eductionem, ac ad dolorũ templa attractionem: post aduentum Proconsulis Smyrnam. Igitur aliquo interuallo ante quartum Idus Martij quæstio cepta est, sed Martyrium consummatum 4. Idus Martij, vt in fine rectè adnotatur, & in his Acta apud Metaphrastem cum alijs conueniunt, quòd gesta hæc sint *ante iv. Idus Martias more Romanorum, Asia autem more septimi mensis vndecimo die Sabbathi.* Vnde corrigenda ex his videntur Acta illa, quæ diem capturæ cum die postremi certaminis confundunt; Pugnãtia pariter alia quædam in his comparent, puta quòd Acta alia, sexto Asianorum mense, id accidisse velint, alia septimo. Chronicon Alexandrinum habet Pioniũ occubuisse Indit. XIV. *Proclo Asiæ Proconsule iv. Idas Martias, hoc est Asiaticorum calculo sexto mense xii. Sabbathi hora decima.* Sed Polycarpum passum esse *vii. kalendas Aprilis magno Sabbatho*, diserte habetur in eodem Chronico Alexandrino. Vsserius lib. de Anno solari Macedonum, & Asianorum cap. 1. affirmat Smyrneos præter morem reliquarum Asiæ Vrbium mensem Xanthicum exorsos fuisse à die 25. mensis Martij. Sed Valesius non consentit, quia ad illud probandum nullam rationem afferat. At forte Vsserius ex parergo ad epistolam Smyrnensium educebat, certamen Polycarpi secunda die Xanthici mensis accidisse, quod cum tempore chronici Alexandrini componens septimum kal. Aprilis pro secunda die Xanthici mensis apud Smyrneos accepit. E contra Valesius Smyrneos à consueta Macedonum mensiũ dispositione non recessisse existimat, & apud Asianos Xanthici mensis initium in 22. Februarij incidere affirmat, & corrigendum ad calcem epistolæ Smyrneorum illud *Calandon Mation* existimat, & restituendum *Calandon Martion*, vt legit vetus illius epistolę interpres. At neque maiorem rationem ipse affert, Asianos, & Smyrneos Xanticum mẽsem a die 22. Februarij incæpisse, quàm Græcos omnes S Polycarpi memoriam recoluisse die 23 Februarij. Verùm hunc fœdissimum errorem in illis Actis esse iam decreuerat summus censor Scaliger in animaduers: ad Chronic. Eusebij, edit nouiss. p. 221. Ridiculum enim putauerat magnum Sabbathum in Februarium vnquam incurrere posse; cum citissimum Pascha sit in XXII. Martij. Hinc critico supercilio de more in Baronium debachatus, dum nodum soluere nescit, cur latini 26. Ianuarij, & Græci 23. Februarij S. Polycarpi natalem recolant, martyrologia damnat, quòd inquit plura contineant, quæ ad veram Historiæ regulam dirigi non possint. At cum de magno Sabbatho iam supra dictum sit, Scaligero sibi ipsi plaudente relicto, dubium remanet, an Xanticus mensis re vera Macedonibus, & pluribus Asiaticis in Februario inciperet, Ex Galeno quidem Comment. 1. in primum epidem. apparet Macedonum annos cum Latinorum mensium initijs nequaquam conuenire, sed puncta Æquinoctialia, & solstitialia in principio mensium Macedonum incidere & in principio Dij mensis Autumni esse æquinoctium, initio Artemisij Vernum. Verba per interpretem Cruserium adducã maximè ad rem nostram spectantia. *Apud Macedones Vernum Æquinoctium principio Artemisii, sic æstivum solstitium initio Loi. Nam in principiis mensium, quorum meminimus Æquinoctia, & Solstitia*

fiunt

sunt apud Macedones. At quis melius Galeno Pergamensi in Phrigia, seu Mysia mẽses Macedonum conterminorũ scire potuit? quin si varius esset, & vagus annus Macedonicus, quis ætati S. Polycarpi proximior, ferè synchrono Galeno adduci potest? Ex Galeno igitur Xanthicus, Martius est, vel è Martio, & Aprili conflatus mensis erit. Æquinoctium enim Vernum sæculo, quo Galenus floruit, & ante, post anni Iuliani correctionem in 24. vel 25. diem Martij incidere, nemo est qui ignoret, ex Columella, Plinio, & alijs. Si ergo Artemisius mensis ab Æquinoctio verno originem sumebat, & Xanthicus Artemisium immediatè præcedebat, iam & Februarij postremam partem attingere necesse erat, & demptis duobus Februarij diebus ex triginta, iam in 22. circiter diem Februarij initium Xanthici incidebat. Non me latet Iosephum Hebreum, mensem Nisam Hebræorum cum Xantico composuisse, atque eundem putasse; videlicet lib. 11. antiq; Iudaic. cap. 5., & lib. 3. cap. 12. & 13. & expressius lib. 10. cap. 4. in quibus locis ex antiqua Russini interpretatione, primum mensem Nisan Hebreorum Macedones Xantichum nominare apertè docet. Hinc apud Suidam, & alios, Xanthicus mensis pro Aprili accipitur, & Aprili apud Antiochenos Xanthicum mensem respondere Socrates testatur lib. v. Hist. capite 21. At cum Galenus expressè Æquinoctium vernum initio Artemisij, non Xanthici, apud Macedones fuisse doceat, & secundo Xanthici die Natalis Polycarpi fuerit, iam rectè in martyrologijs à nobis adductis notatur, penes Asiaticos die 23. Februarij natalem esse S. Polycarpi Episcopi, cum de Græcorum, & Macedonum mensibus consciũ magis fuisse Galenum, quam Iosephum Hebræum credere congruum sit. Hæc addere libuit Valesianæ assertioni, cum interim ad manus non sit liber Iacobi Vsserij Armachani de Anno Macedonico. Cum verò Sabbathum illud, in quo primùm incidit Natalis dies S. Polycarpi, quacumque ratione magnum dictum fuerit, vagum quot annis esse oportuerit, mutatis nempe ad nouilunia Paschalibus terminis, verisimile admodum est, vt quiescente deinde persecutionum procella, Smyrnensis Ecclesia, quod in epistola illa optauerat, consequeretur, hoc est, vt fideles conuenirent aliquando *ad Natalem eius martyrij diem cum hilaritate, & gaudio celebrandum*, & diem illam tantæ celebritatis figerent in aliquo stabili mensis termino. Hinc fortasse accidere potuit, vt Græci aliqui kalendas ipsas Februarij insigni Martyre ornarent, quemadmodum in martyrologio nostro vidimus, prima huius mensis die cum Pionio, & alijs Smyrnensibus martyribus *In Græcia S. Polycarpi Episcopi* memoriam recoli; reliqui verò Asiatici cum Smyrnensibus eandem mensis Xantichi secundam diem, siue vigesimam tertiam Februarii, agonis, & triumphi genuinam retinuerint. Finem igitur difficillimę exercitationi imponẽtes, qualecumq; tandem fuerit Sabbathum illud magnum, tantas tricas inferens, existimamus, Natalem S. Polycarpi in Asia die 23. Februarii tantis testimoniis firmari, vt vix de eo liceat dubitare; transpositum verò in Ecclesia Latina ad diem XXVI. Ianuarii dici fortasse potest, quia in dies Quadragesimæ plurimùm incideret, atque eodem modo, ac aliis celebritatibus accidit, in alium diem translatum, vt de aliis alibi animaduertimus.

Cum alijs xij. Item etiam addunt bina iam adducta Martyrologia, vt dubitari nequeat, hos Sanctos illos Philadelphẽses fuisse, cum S. Policarpo coronam adeptos. Ad fragmentum enim Epistolæ Smyrnensium, ita subdit Eusebius lib. 4. cap. 15. *Hæc de B. Policarpo, qui cũ alijs xij. Philadelphensibus apud Smyrnam martyrio*

syria est coronatus. Presbyteros vocat calendarium S. Hieronymi adductum, sed breuiarũ fortasse nomen Philadelph. aliquis inscius librarius in Presbyteros cõmutauit. Ad Apostolici viri, totiusq; Asiæ doctoris agonem ex vicinis vrbibus, vt Smyrnę Philadelphia erat, Presbyteros accessisse, neque impossibile, neque improbabile esset. Sunt tamen mſ. quæ socios addant Polycarpo Romano Presbytero, & xiij., non duodecim enumerent, vt mſ. martyrologium Reginæ Sueciæ supra adductum. Acta illius S. Polycarpi præcipua, & quæ beatum illius finem doceant, hucusque non comparent, & an cum socijs martyr, vel Cõfessor obierit, mihi in obscuro latet.

Zmyrnæ Natalis, &c. Zmyrnam pro Smyrna in antiquis monumentis aliquando legi docet Aldus in orthographia, ex vetustis inscriptionibus, confirmatque martyrologium Antuerpiense in laminis, eodem cum authographo caractere expressum, ad Kalendas Ianuarij. Pro Garporo illud, & Notkerus Carpophorum cum Herote proferunt; cum nostro tamen Carporum, non Carpophorum exhibent optimę notæ martyrologium Aquicintium, & Marchianense, quæ etiam Gerontium adijciunt, codicibus nostris, & Antuerpiensi præteritum, sed indicatum à Corbeiensi. De antiquis martyribus fuisse Herotem, & Garporum testatur vetus mſ. S. Martini Tornacensis apud Bollandum.

In Africa, &c. Tredecim Christi pugiles, parum mutatis nominibus, exhibet martyrologium nostrum, Antuerpiense, & Corbeiense. Notkerus, qui longam nominum seriem fastidit, duos tantùm profert Grysionium, siue Grisconium, antesignanum, Zenonem, & alios multos. In duas classes hos partitur Antuerpiense. Non enim Affricæ tribuit, nisi primos nouem, alios cum socijs anonymis *alibi* passos esse statuit. Cum tamen plura edita, & mſs. martyrologia cum nostris, & Corbeiensi codicibus Africæ omnes tribuant, *Alibi* quidem, sed in eadem Orbis regione passos esse consentirem. Ita apud Bollandum obseruari potest, qui aliquam nominum differentiam notat. Variat etiam Antuerpiense in martyrum anonymorum numero quorũ xxxv. tantùm recensет, dũ in nostro martyrologio, & Corbeiensi xxxvi. scribuntur, & ex Marchianensi apud eundem Bollandum totidem confirmantur.

In Asia Cuscori, &c. Asiaticos septem tantùm martyres hìc exhibet vetustissimum Antuerpiẽse martyrologium, quorum Antesignanus illi est Sinon, qui alijs, non modo Sinorus est, sed cui præcedat Cusconius, illi Cuscumis nuncupatus. Marchianense mſ. non primo loco Cusconium refert, sed sine nomine, ac numero socios addit, quemadmodum mſ. Aquicinctinum, ac Richenouiense, quæ Corbeiensi, & codicibus nostris, in sociorum memoria, ac numero præcedentium consonant.

VI. Kal. Martij.

IN Cæsarea Cappadociæ Natalis Sãctorũ Heruli. Luci. Sirgi. Romæ Absolanas. In Porto Primitiuæ. Nicomedia Editius. Palpetri. Luciani. Felicis. Vrbani. Marthæ. Crescentie. Florentini. Rogatulæ. Donatulæ. Item Donatulæ. Marcelline. Rumadi. Felicianæ. Nine. Casti. Iafferis. Tuliani. Iuliæ. Innule. Gahis. Exuppi. Daciani. Flauiani. Ianuari. Securis. Diddi. Sellaris. Subitane. Gemiliane. Fortunate. Peregrine. Victorici. Ma-

xenti, Gegoli, Iuliæ, Luciani, Honorati, Flauiani, Felicis, Saturi, Felicissimi, Victoris, Mariæ, Ianuari, Ruffiniani, Fortunati, Aurili, Rutili. In Nicomedia Natalis Sanctorum Luciani Presbyteri, Petri, Palatini, Euitiæ. In Ægypto passio Sanctorum Victorini, Victoris, Niuictæ, Nicofori, Serapionis, Dioscori.

FEBRVARII 24.

NAtalem Sancti Matthiæ Apostoli, à Corbeiensi martyrologio indicarum, Codices nostri cum Antuerpiense non habent, Neque antiquis temporibus, in vniuersa Occidentali Ecclesia, hac die fuisse celebrem probant, quæ Menardus notat ad D. Gregorij Sacramentarium, dum alia mss. hanc S. Matthiæ celebritatem nō exhibent. Ita autem, mutato à nostris codicibus ordine, huius diei latebrosum signat vetustissimum Antuerpiense. *VI. Kal. Mart. in Porta Natalis Pauli, & Primitiui. In Cesarea Cappadociæ natalis Sanctorum Heruli, Lucii, Georgij, Abiotis. Nicomediæ, Luciani, Edici, Petri, Felicis, Orbani, Marthæ, Crisconiæ, Gagi, Florenti, Donatilæ, Rogatilæ, Item Donatilæ, Marcellinæ, Rummadi, Fellani, Nidæ, Flaui, Afferis, Atulini, Sanctæ, Cubis, Diciani, Ianuary, Diddi, Securis, Sellaris, Exuppi, Iubitinæ, Gemelianæ, Iuliæ, Fortunatæ, Peregrini, Victorici, Maxenti, Gegoli. Item Luciani, Honorati, Flauiani, Felicis, Casti, Saturi, Felissimi, Victoris, Mariæ, Ianuariæ, Rufiniani, Fortunati, Aureli, Rutuli. Nicomediæ natalis Sanctorum Luciani Presbyteri, Petri Palatini, Anitti. In Ægypto passio Sanctorum Victorini, Victoris, Niniuitæ, Nicefori, Serapionis.* Corbeiense martyrologium, nostris semper codicibus magis consonum, ita huius diei sacros fastos absolut. *VI. Kal. Mart. Natalis Matthiæ Apostoli. In Cesarea Cappadociæ natalis SS. Eruli, Lucij, Sergij. Romæ, Absolonas in porto, Primitiuæ. Nicomediæ Editij, Palphetri, Luciani, Felicis, Vrbani, Martiæ, Crescentiæ, Florentinæ, Rogatulæ, Donatulæ, Item Donatulæ, Marcellinæ, Rummodi, Felicianæ, Ninæ, Casti, Fasferis, Tulliani, Iuliani, Iuliæ, Innulæ, Gabis, Exuppi, Daciani, Flauiani, Fausti, Securis, Diddi, Sellarii, Subitinæ, Gemellianæ, Fortunatæ, Peregrini, Victoriti, Maxentii, Gegoli, Iuliæ. Item Luciani, Honorati, Flauiani, Felicis, Saturi, Felicissimi, Victoris, Mariæ, Ianuariæ, Rufiniani, Fortunati, Aureli, Rutuli, Faustini. Nicomediæ Natalis SS. Martyrum Oceani Presbyteri, Petri Palatini, Euitii. In Ægypto natalis SS. Victorini, Victoris, Niuitæ, Nicephori, Claudiadi, Dioscori, Serapionis.*

In Cæsarea Cappadociæ, &c. Pro Sergio, siue Sirgio Georgium hic exhibet vetustissimum martyrologium Antuerpiense, in Herulī tamen, & Lucij nomine nibus consonat. An hic Sergius ille fuerit, cuius Acta profert Salazarius, & ex eo Henschenius, non affirmare, cum licet in die passionis conueniant, passum tamen Sergium, sine socijs narrent, & Monachum fuisse doceant. Eosdem Cappadociæ Martyres eosdem ferè verbis etiam enumerat Notkerus. *In Cæsarea Cappadocia, Heroli, Lucii, & Sergii Martyrum.* Ms. Reginæ Succiæ Sergiū silet & pro Herulo Heraclīū ita profert. *VI. Kal. Cesareæ in Cappadocia natalis SS. Heraclii, Lucij,* nec desūt alia mss. licet valdè, vt apparet confusa, quæ Heraclium habeam, & pro Sergio Georgium. Lucius, siue Lucas aliquibus mss. martyrologijs Episcopus est, & Ipsum Cæsareæ, vt Aquigranensi, Tornacensi, & S. Cyriaci Romano apud Henschenium. An Absolonas siue Absolonus inter martyres Orientes debeat cum vetustissimo

mo Antuerpienſi computari non liquet. Cum eodem Henſchenio mendum potiùs eſſe exiſtimarem, & cùm codicibus noſtris, & Corbeienſi Romæ, potius vt infra eſſe tribuendum. Malè etiam ſcriptũ ibi legitur pro Abſolono Abiolonus. De Sergio hæc habet Petrus de Natal. lib. 11. num. 76., *Sergius Martyr in Cæſarea Cappadociæ paſſus 17. Cal. Martii, cuius, vt dicit Ado, geſta præclara habentur.*

Romæ Abſolanas. Parum mutato nomine, ita etiam Abſolonum, vel Abſolanum Romæ tribuit Notkerus. *Item Romæ Abſalonis*, quod cum noſtris codicibus, ac Corbeienſi conuenit. Abſolanum, quamquam confuſis alijs aliorum locorum martyribus, Romæ pariter tribuunt Greuen in Auctario Vſuardi, mſ. Richenouienſe, & Aquiſgranenſe, apud Henſchenium.

In Porto Primitiuæ. Ita & Corbeienſe martyrologium. Legendum verò eſſe in Portu Romano, non difficile ex immediatè antecedẽti ſignato Vrbis Romæ loco conijcitur. Paulum ſunt, qui Primitiuæ ſocium addant, vt vetuſtiſſimum Antuerpienſe, quod Primitium non Primitiuam legit. Secundulam, & Ianuariam Virgines etiam ſuperaddit mſ. Tornacenſe, Paulum, non pro Martyre, ſed pro Cœmeterij noſtine ita ſignat. *Eodem die in Portu Romano in Cœmeterio Pauli, Natalis Secundolæ, & Ianuariæ Virginum.* In Portu Romano etiam Beda, non Primitiuum, ſed Paulum, Secundolam, & Ianuariam exhibet. Primitiuum Cæſareæ alij aſcribunt, vt mſ. S. Cyriaci. Romæ verò Auctarium Greuen, & mſ Richenouienſe. In tanta varietate codices noſtros, ac Corbeienſem in Primitiuæ vniformes ſequimur; præſertĩ quòd omiſ. ſo Paulo Primitiuum tantùm exhibeant mſs. martyrologia Tornacenſe, & Letienſe. Primitiuam legit non Primitiuum mſ. Cyriaci, cuius ope Baronius in Romano martyrologio eam addit, ex conſenſu veterum mſs.

Nicomediæ Editius &c. Lucianus, non Editius, pro anteſignano notatur in vetuſtiſſimo Antuerpienſi, qui tamen tertio loco in noſtris codicibus, & Corbeienſi recenſetur. Sed cum tres Luciani Nicomedienſes in ijſdem noſtris codicibus hac die numerentur, & ſeiunctim Lucianus Presbyter cum Petro Palatino, & Eutio, non bene cum Richenouienſi mſ. martyrologio aptari poſſunt. Hoc enim legit apud Henſcheniũ. *In Nicomedia Luciani Presbyteri, & aliorũ XLIII.* Verùm qui hìc numerãtur anonymi, nõ modo quadrãginta, & nouem ſunt, cum primi ordinis Luciano, ſed ſi Palatinus nomen Martyris ſit, non officij, atque poſtremi Martyres, Lucianus, Petrus, & Euitius addantur, ſunt omnes Nicomedienſes quinquaginta tres. Quamquam verò, in vetuſtiſſimo quoque Antuerpiẽſi, horum Martyrum vniuerſa turma Nicomediæ tribuatur, vereri tamen poteſt, ne aliquid, tam in ipſo, quam noſtro, & Corbeienſi deficiat. Ad quid enim, poſt enumeratos Martyres vſq; ad Rutilum, addi debeat, iterum *Nicomediæ*, vel *in Nicomedia Natalis S. Luciani Presbyteri*, ſiue vt legit Corbeienſe *Oceani Presbyteri*, ſi vno eodemque loco omnes coronati eſſent? ſuſpicioni anſam præbet Notkerus, qui Iulianum, & Iuliam, atque alios plurimos Africæ ita tribuit; *In Africa Iuliani, Iuliæ, & aliorum plurimorum.* Quaſi decem, & ſeptẽ tantùm Martyres Nicomedienſes eſſent, vſque ad Tullianum, vel decem, & octo, vt ſcribitur in martyrologio Corbeienſi, reliqui verò Africæ aſſignari debuerint. Iulianus, & Iulia in codicibus noſtris coniunctim non leguntur, at in adducto Corbeienſi poſt Tullianum *Iulianus, & Iulia* numerantur, penes quod diuiſum à poſtrema Nicomedienſium claſſe, quinquaginta, & vnus Martyres recenſentur, hoc eſt ſuperadduntur Iulianus, & Fauſtinus. In Antuerpienſi varijs nominibus, & ordine, Nicomediæ omnes tribuuntur. Vidit improprium loquendi modum Henſchenius, & putauit Martyres, qui addũtur deinceps in Antuerpienſi,

si, hoc est *Nicomedia Natale S. Luciani Presbyteri, Petri, Palatini, Aduiti*, ab alio quopiam, non à S. Hieronymo, vel ab eo, qui primò martyrologium concinnauit, superadditos fuisse; quasi diuersos Martyres putauerit, qui re vera ijdem essent. Lucianum nempe iam numeratum, Petrum, & Aduitum, siue Aduitium, qui idem sit, cũ Editio supra indicato. At qui Petrus est in Antuerpiensi, in nostris codicibus, & Corbeiensi Palpetrus dicitur, & Euitia, non Editius, qui Luciano, seu Oceano Presbytero in postrem. Nicomediensiũ classe sociatur. Præterea, si Lucianus, non Océanus dicendus Presbyter Sanctus est, hac vtique Præsbyterij nota ab alijs Lucianis primæ classis seiungitur. Nomina sanè quædam cum Africanis martyribus, qui hac die in Romano martyrologio, tam Galesinij, quam Baronij recoluntur, congruunt, & eorum Acta optimæ notæ prostant apud Suriũ, & in Baronij Annalibus ad Annum CCLXII. Apprehensos simul in his narratur Lucium, Montanum, Flauianum, Iulianum, Victoricum, Primolum, Renũ, & Donatianum: Donatianum cum Primulo, in carcere mortuos, festinasse ad coronam distinguitur: Victor Presbyter commartyr dicitur, Flauianus Diaconus post biduum coronatus, eiusq; vnici filij mater eumdé ad martyriũ cohortans affertur. Nicenus, & Paulus iam palmam adepti: Quartillosia, siue Tharquillæsia etiã soror memorãtur; & huius maritum, & filium ante triduum martyrium compleuisse. Lucianus, Herennianus Hypodiaconus, & Ianuarius cathecumenus eorum auxiliarij nuncupantur. Verùm cum in Actis hisce nulla Iulia sit, & tantum ex nominibus in martyrologio nostro, Corbeiẽsi, vel Antuerpiensi expressis post Iulianum, & Iuliam, Notkero quoq; memoratam, non nisi Victuricus, Victor, & Flauianus indicentur, non ita certum est, hanc sacrorum pugilum cohortem, vel ad Nicomediam non pertinere, vel eos, qui in Actis illis recensentur, alterius chori non esse; cum præsertim Lucianus Episcopus Carthaginensis deinde fuerit, neque tunc martyrio defunctus. In nominibus, quæ intercedit differentia inter codices nostros, Antuerpiense, & Corbeiense MM. facile vnicuique est obseruare.

In Nicomedia Natalis Sanctorum Luciani, &c. pro Luciano Oceanum Presbyterum signari in martyrologio Corbeiensi iam diximus. Lucianum tamen habent Notkerus, Greuen in Auctario Vsuardi, Mss. martyrologia Tornacense, & Richenouiense, & quod adduximus vetustissimum Antuerpiense. Addimus ms. Reginæ Sueciæ, in quo legitur. *Nicomedia natalis Sanctorum Luciani Presbyteri, Petri, Palatini.* An S. Lucianus Præsbyter Nicomediæ coronatus, idem ille sit, quem 7. Idus Ianuarij plura cum nostro martyrologia recolunt, non affirmarẽ. Potuit hic cum Petro, Palatino, & Æuitia, vel Æuitio, repetita memoria venerari, quòd illi septimo Ianuarij, alij Martyres socij eius in Februario passi fuerint. At quid vetat in tanta Martyrum laniena, Nicomediæ iterata, plures Presbyteros Lucianos agonem in eadẽ vrbe perfeciisse? præsertim cum Luciani nomen frequens tunc maximè esset. De Palatino etiam potest dubitari, an proprium, vel officij nomen sit; in nostris codicibus, interpũctione, tanquam Martyr à Petro diuersus, seiungitur.

In Ægypto. Nisi sub hac die sacros hos Ægypti Athletas adnotarent etiam Antuerpiense, & Corbeiense martyrologia, facile librarij lapsum in vetustiori nostro suspicatus essem; quòd nimirum sequentis diei initium ad calcem huius laterculi insuisset. At præter illa, multi põderis martyrologia, ex his martyribus duo, nempe Victorinus, & Victor Niniuita in Richenouiensi ms. hac die memorantur, sicut & Serapion in martyrol. Aquisgranensi. Ms. Reginæ Sueciæ ita etiam VI. Kal. legit. *In Ægypto passio Sanctorum Victurini, Victoris.* Septem tamen Martyres in hoc choro fuisse plura martyrologia ab Henschenio

die

die sequenti adducta, manifestè docent. Plura Papiam addunt, qui in nullo ex indicatis martyrologijs, vetustiori nempe nostro, Antuerpiensi, & Corbeiensi legitur; sed Niniuittam Antuerpiense, Niuiuitam Corbeiense, Niuictam codices nostri, Niuentiam Richenouiense ms. eius loco habent. Tam verò Græci, quam Latini ab Henschenio adducti, de Niniuicta silent, & Papiam omnes celebrant. Differunt Græci, qui non in Ægypto passos hos Martyres scribunt, sed in Vrbe Corintho. In Papię martyrio pariter à latinis dissentiunt, dū illi in mari mersum, hi gladio cęsum prædicant: non nihil etiam in nominibus variant, vt inde dubitari quis possit, an re vera ijdē Martyres sint.

V. Kal. Martij.

IN Africa Natalis Sanctorum Donati. Iusti. Rutuli. Herenei. Pisionis Aurili. Primusi. Ingenuæ. & aliorum XLV. & alibi Ingone. Fortunati. Pusinni. Herenni. Item Iusti. Crescenti. Rogatiani. Ianuarij. Lucioſe. Item Fortunati. Pamfilia Natalis Sanctorum Nestoris, & Caste.

FEBRVARII 25.

EX Africanis octo Martyribus à codicibus nostris enumeratis, ac nominibus expressis, quīque tantum hic habet Notkerus: tres martyrologium Romanum. Vetustissimum verò Antuerpiense, nostris codicibus proximius, tam nominibus signatos, quā Anonymos ita refert. *V. Kal. Mar. In Africa natalis Donati, Hirenai, Pisinionis, Aurili, Rutuli, Prigiati, Ingenuæ, & aliorum XLV. & alibi Ingon, Fortunatæ, Pusſini, Hirenei, Iusti, Crescenti, Renocati, Ianuariæ, Luciosæ, Castæ, Fortunati. Pāpilia Natalis S. Nestoris.* Adhuc autē ad vestius nostrū proximius Corbeiense legit. *V. Kal. Mart. In Africa natalis Sāctorū Donati, Iusti, Rutuli, Herenei, Pisionis, Aurili; Primon, Ingenuæ, & aliorū XLVI. & alibi Ingonæ, Fortunatæ; Pusſinni, Herenei; Item Iusti, Crescenti, Rogati, Aniani; Ianuariæ, Luciosæ; Item Fortunati, Victorini. In Pamphilia natalis Sanctorum Nestoris, & Castæ, Claudiani.* Ex his duos habet Kalēdarium nostrum S. Hieronymi ms. *V. Kal. Donati, Ingenui*, sunt aliqua ms. quæ in Anonymorum numero videntur dissentire, vt Treuirense martyrol., in quo *aliorum quinquaginta vnius* memoria agitur, & Centulense quod *quinquaginta* tantum signat; sed re vera non dissentiunt; illud enim Donatum, & Iustū tantùm numerat, sex verò nominibus non signatos, dum tamen supra quadraginta quinque apponit, quinquaginta & vnum non malè reddit. Hoc verò, quia Donatum, Iustam, & Ingeniam nominatim indicat, quinquaginta tantum innominatos refert. Sunt etiam martyrologia ms., quæ etsi integrum octonarium numerum propria appellatione non exhibeant, anonymos tamen XLV. referant, vt Romanum S. Cyriaci, Richenouiense, & Parisiense apud Henschenium, penes quem nominum etiam varia inflexio obseruari potest, & cum nostris conferri.

Et alibi, &c. Differt Corbeiense martyrologium à codicibus nostris, cū quibus vt plurimum consonat; in his enim, incerti loci martyribus recensendis, & numero excedit, & in nominibus aliquibus etiam dissonat. Illud Sacros Athle-

tas

tas duodecim exhibet, noſtrum verò decem,& Antuerpienſe vndecim. Exhuberat tamen Corbeienſe in poſtremo Sacræ turmæ Victorino; Anianus ſiquidē in alium Martyrem ab inſcio librario diſciſſus eſt, nempe in Rogatum, à Rogatiano; Rogatianus ſiquidem non Rogatus, tam in noſtris codicibus,quam Pariſino Labbei apud Henſchenium dicitur; licet in Antuerpienſi deficiat cum Victorino; qui pariter in noſtro deſideratur. Caſta Martyr inter hos à vetuſtiſſimo illo numerata Pamphiliæ in codicibus noſtris, & Corbeienſi tribuitur. An Donatus, & Hirenæus ex martyribus ſint in Epiſtola Luciani memoratis, vel Aurelius adoleſcens ille ſit, cuius meminit S. Cyprianus ep. 23. dubitat Henſchenius.

Pamphilia Natalis. Sunt martyrologia mſs. quę Creſcentium ab Aſiis martyribus ſeiungant,& Pamphiliæ tribuant; alia quæ Caſtam Afris addant,vt de Antuerpienſi diximus: ſunt quæ Claudianũ adijciant, vt Corbeienſe, cui illum omnino debemus, fortaſſe ex Actis S. Neſtoris apud Surium. Neſtorem tantùm habet Antuerpienſe, & Richenouienſe, quem Epiſcopum in Pamphilia fuiſſe,teſtantur aliqua mſs. martyrologia, die ſequenti, apud Henſchenium. Nos nihil immutãdum in codicibus noſtris duximus, quia Notkerus ita habet hac ipſa die. *Pamphiliæ Neſtoris, & Caſtæ*, cui concinunt mſs. martyrologia Aquiſgranenſe, Tornacenſe, Lætienſe apud Bollandum in prætermiſſis,licet poſtremum Caſtum pro Caſta exhibeat.De Neſtore Epiſcopo Magydenſi, Martyre Pergæ in Pamphilia, plura ſuo more eruditè congerit Hẽſchenius,& Acta ex Surio,aliiſq; mſs. codicibus notationibus illuſtrat inſequenti die.

IIII. Kal. Martij.

NAtalis Sanctorum Alexandri. Neſtoris. Theonis. Epion. Iuſti. Donatiui Ampliati. Ingenui. Epioni. Anthi. Fortunati, & Aliorum XXVI. In Alexandria Felicis cum ſocijs ſuis.

FEBRVARII 26.

DIſſidẽt hîc martyrologia mſs. in aſſignandis, nõ tam Martyribus, quam locis. Vetuſtiſſimum S. Hieronymi Antuerpienſe cum codicibus noſtris, & Corbeienſi, primo Martyrũ choro vrbem, aut regionem certaminis non tribuit, ſed tantum nomina hoc pacto recenſet. *iiii. kal. Mart. Natalis Sanctorum Alexandri, Neſtoris, Iuſti, Teonis, Epion, Donatiui, Ampliati, Ingenui, Epion, Anthi, Fortunati, & aliorũ XXXV. In Alexandria Felicis.* Corbeienſe verò ita exhibet. *iv. Kal. Martij Natalis Sanctorũ Alexãdri, Neſtoris, Theonis, Epion, Anti, Fortunati, & aliorum XXVII. In Alexandria Felicis cum ſocijs ſuis.* Poſt Neſtorem, & Caſtam, à nobis die præcedenti adnotatos, mſ. Reginæ Sueciæ, quo vſus eſt Holſtenius, ita prepoſtero ordine ex his aliquos notat. *In Alexandria Felicis, cum ſocijs ſuis, & alibi natalis Sanctorum Alexandri, Iuſti, Theonis, & aliorum xxviii.* Calendarium, ſeu martyrologium paruum S. Hieronymi mſ. Lucenſe, *Februarij iiii. kal Alexandri Felicis* nomina tantum profert, vtriuſq; nimirum turmæ duces. Plura martyrologia, tam edita, quam mſs. apud Henſchenium, tam primam, quam ſecundã claſſem Alexandriæ tribuunt, & inter ſe confundunt. Notkerus, Alexandrum putat Alexandriæ Epiſcopum, qui Nice-

no

no concilio interfuit, sed in adductis codicibus manifestè Martyres sunt. Qui sequuntur post secundum Epionem, Antiochiæ tribuendos monet oculatissimus Henschenius, qui tamen vnum tantùm Epionem suscipit: Sed cum non modò in codicibus nostris, sed etiam in Corbeiensi Epion, & Epionius seiunctim recenseantur, sicut in Antuerpiensi, alteri non videtur remouendus; præsertim quòd in Antuerpiensi, non Epion, sed aliqua nominis differentia Epaion dicatur. Suspicatus aliquando sum, an non missa Epion, Anthi, ita distinctè librarij vitio scripta, vnum tantum nomen esset Epionanthi; at cum nullum ex antiquis martyrologijs ita legat, arridet magis, quod eidem Henschenio placuit, vt pro Anthi breuiata voce legi debeat Antiochiæ, quia ita expressè habeat ms. Richenouiense, in quo Fortunatus additur, siue Presbyter, vt Petro de Natalibus, & Bellinio, siue Episcopus, vt in ms. Vltraiectino, siue Martyr tantùm fuerit, vt in ms. Colonien. Aponymorum numerus in pleriſq; codicibus varius est. Henschenius ex varijs coniecturis suscipit numerum XXXII. vt habent martyrologium Antuerpiense, & Genualense. Nostrum cum Corbeiensi, & martyrologio S. Cyriaci Romano, in præsignato numero XXVII. consonat. Vnum addit, vt vidimus, ms. Reginæ Suecix.

In Alexandria Felicis. Socios non habet cum S. Felice passos, vetustissimum omnium Antuerpiense. Ex editis Notkerus, ita cum nostro, & Corbeiensi martyrologio conuenit. *Item in Alexandria Felicis cum sociis suis.* Et quamquam plura ms. apud Henschenium Alexandrinos Martyres cum alijs primæ classis confundant; plura tamen de sociis meminerunt. MS. Reginæ Suecix ab illo diuersum; quod hic adducit Henschenius, de sociis pariter meminit. Petrus de Natalibus lib. 11. n. 77. ex martyrologio S. Hieronymi, ita de Fortunato, Felice, & sociis. *Fortunatus Presbyter: & Felix cum alijs XXVII. quarto Cal. Martij passi*

III. Kalendas Martij.

IN Thessalonica Natalis Sanctorũ Alexandri. Antinogeni Abundanti. Titiani. Magari. Seuerini. Gaiani. Fortunionis. Ianuari. In Africa Diuniſi, & aliorum XXIII. In Ciuitate Zmyrna Asiæ Natalis Sanctorum Seruiliani. Datiani. Leandri.

FEBRVARII 27.

VAsti variè Sanctos hos Thessalonicenses Martyrologia referant, & alia Alexandriæ, alia Romæ, siue edita, siue ms. signêt, animaduerrit ad hanc diem Henschenius. Nos, tribus optimè notę martyrologijs Antuerpiẽsi, Corbeiensi & nostro innixi, ab ijsdẽ non deflectimus. Primũ ita se habet in laminis Moreti. *iii. Kal. Mart. Natalis Alexandri in Tessalonica Antigoni, Abundanti, Titiani, Magari, Scuriani, Gaiani, Fortuniensis, Ianuary. In Africa Dionysij, & aliorum XXIII. In ciuitate Smyrna natalis Sanctorum Seruiliani, Datiani, Leandri.* Corbeiense martyrologium cum nostris codicibus Alexandrum à reliquis Thessalonicensibus non disiungit. *iii. Kal. Mart. In Thessalonica natalis Sanctorum Alexandri, Antigoni, Abundanti, Titiani, Magari, Seueriani, Gaiani, Fortuniensis. In Smyrna, Leuisse, Rutili. In Africa Dionysij*

nysij, & aliorum XXXIIII. In ciuitate Smyrna Asiæ natalis Sanctorum Seruiliani, Datiani, Leandri, Menalippi. A Macedonica Christi falange Alexandrum remouet ms. Reginæ Sueciæ, in alijs etiam martyribus decurtatum. *iii. kal. Mart. In Thessalonica Abundantij, Tiriani, Severini. In Africa Dionysij. In ciuitate Smyrnæ Asiæ Sanctorum Seruiliani, Datiani, Leandri.* Paruum martyrologiũ S. Hierónymi, siue Calendarium ms. tantum ex Macedonum, seu Thessalonicensium classe vnum, ex Smyrnensi alterum ita profert. *iii. kalend. Antigoni, Datiani.* Emendandum ergo in codicibus nostris parua nominum differentia, & restituendum, pro Antinogono, Antiginum, & fortasse pro Magario Macarium. *In Africa Dionysij, &c.* In numero sociorum Dionysij Afri differt ab alijs nonnihil martyrologium nostrum. Antuerpiense cum nonnullis ab Henschenio adductis XXIV. recenset. Sed cum nostro in numero XXIII. concordat ms. Lebbei: exuberat Corbeiense, quod XXXIIII. pro XXIIII. exprimit, superaddita numerali nota X. In ms. Reginę Sueciæ anonymi non adduntur, sed tantum legitur *In Africa Dionysij.*

In ciuitate Zmyrna. Ita librarij nostrorum codicum pro Smyrna ferè scribunt Zmyrnam, vt alibi adnotauimus. In martyrum numero, & loco passionis cõsentiunt Antuerpiense vetustissimum iam adductum, & ms. Richenouiense, Læticnse, Tornacense apud Henschenium, quibus addimus ms. Reginæ Sueciæ. Corbeiense præter Seruilianum, Datianũ, & Leandrũ, superinducit Menalippum, reliquis martyrologijs ignotũ.

II. Kal. Martij.

NAtalis Sanctorum Celeris. Pupilli. Gagi. Serapionis. Iustiopoli. Claudiani. Theophili. Victorini. Saturnini. Euthecariæ. Astutæ. Mustilæ. Alexandri. Victori. Secundille. Nicopori. Diudori. Papiæ. Machariæ. Felicis. Eunuculi. Ianuari. Quintini. Mansueti. Hermetis. Satthei. Donati. Seruiliæ. Veneriæ. Basellæ. Item Seruiliæ. Item Veneriæ. Ianuariæ. Stercũlæ. Siluiani. Mamyrre. Rufinæ.

FEBRVARII. 28.

VArios huius latereculi martyres, ex varijs ms. martyrologijs, sparsim adductos, colligit Heschenius; vrad fidem vetustissimi Antuerpiensis scitè accomodet. Triginta, & sex induas classes diuisos illud ita profert. *Pridie Kal. Martij In Alexandria Natalis Celeris, Pupilli, Serapionis, Iusti, Claudiani, Theophili, Victurini, Saturnini, Euthecia, Astuta, Mustile, Alexandria, Victuris, Secundilla, & alibi Nicopori, Didori, Papiæ, Macarris, Tellæ, Felicis, Gagi, Enuculi, Ianuarij, Quintiniani, Mansueti, Hermetis, Gethei, Donati, Seruiliæ, Veneriæ, Bassiliæ, Ianuariæ, Stercolæ, Siluanæ, Manninæ, Rufiniæ.* Exuberat martyrologium Corbeiense, & licet sub vna classe, & incerto loco, nihilominus triginta nouem Christi Athletas, hoc pacto enumerat. *Prid. kalend. Mart. Natalis Sanctorum Celeris, Pupilli, Gai, Serapionis, Iusti, Opoti, Claudiani, Theophili, Victurini, Saturnini, Eutichiæ, Astutæ, Mustilæ, Alexandri, Victori, Secundillæ,*

le, Nicefori, Diodori, Papiæ, Macharia, Felicis, Eunuculi, Ianuarij, Quintiani, Mansueti, Hermetis, Gittei, Donati, Seruilla, Veneriæ, Basillæ. Item Seruiliæ; Item Veneriæ, Ianuariæ, Sterculæ, Siluiani, Maximæ, Rufinæ, Leandri. Ex his aliquos etiam refert martyrologium ms. Reginæ Sueciæ, ab eo diuersum, quod adducit Henschenius. *Prid. kal. Natalis Sanctorum Celeris, Pupilli, Serapionis, Theophili, & alibi Felicis, Gai, Quintiani, Mansueti Alexandriæ, Victurini, Secundillæ.* Duos tantùm primos indicat Calendarium S. Hieronymi Lucense *ms.* 11. *Kal. Celeris. Pupulli.*

Celeris, Pupulli. Primæ classis Martyres vsque ad Nicophorum esse, & alterius loci, monemur tam ab adducto codice Antuerpiensi, quam à ms. Reginæ Sueciæ. Ex illo didicimus Alexandrinæ Vrbi esse assignandos: ex codicibus verò nostris, & Corbeiense martyrologio plures Martyres supra illud addendos esse discimus. Illud quidem in assignandis locis magis accuratum experimur, & proinde nostrum, & Corbeiense martyrologium magis confusum, hìc fateri cogimur. Primam ergo Martyrum turmam Alexandriæ esse assignandam existimamus, etiam quia Notkerus ita confirmat. *Prid. Cal. Martij In Alexandria Sanctorum Celeris, Pupulli, Gai, Serapionis.* Cerealem, & Eupulum marginali nota ad Celerem signat, qui Notkerum edidit Canisius. Astipulantur pro loco Alexandriæ, Beda editus, & ex eo & ms. S. Cyriaci, Romanum emendatum martyrologium, in quo pro Celeri, Cerealis, & pro Pupillo Pupulus legitur. Confirmant id ms. Lætiense, Tornacense, & Richenouiense, in quo Eppolus etiam numeratur, qui Epotus martyrologij Corbeiensis facile est, seu potius Opilus nostrorum codicum. In his non negamus, duo nomina librariorum vitio coniuncta fuisse, quæ seiunctim legenda sint, nempe pro Iustiopulo, Iustum, & Opolum. Henschenius perspicacissimus cum in alijs mss. martyrologijs separatim viderit Macarium, Rufinum, Iustum, & Theophilum numerari, de his ab alijs seiunctim Historicam syllogen contexuit; præcipue quòd viderit, horum aliquos Romæ fuisse à Galesinio ascriptos, ex quo fortasse Eminent. Baronius hausit primò, & ex veteribus mss. confirmauit. At ex melioris notæ codicibus, eosdem esse, vel primæ Alexandrinorum classis, vel secundæ Martyrum incerti loci, magis cõsonum videtur. Iustus ad primam Alexandrinorum classem in Antuerpiensi refertur, sicuti, & Theophilus, & in secunda suspicari licet Maccarum esse, qui alijs Macarius. Rufunia ad calcem secundæ classis illius martyrologij reposita Corbeiensi Rufina est, sicuti & codicibus nostris: alijs verò Rufinus.

Nicopori, Dioscuri. Prima Alexandrinorum Martyrum turma Antuerpien. si vetustissimo in Secundella, seu Secundilla sistitur, atque Nicoporus alterius manipuli antesignanus est, vt eadem ferè seruata Martyrum serie, qui post Nicoporum in nostris codicibus, & Corbeiensi, numerantur, ad alteram incerti loci turmam pertineant. Dissensus est in Gaio, seu Gagio, qui vetustissimo *illi* & ms. Reginæ Sueciæ secundæ classis est, nostris verò codicibus, & Corbeiensi tertius est primæ, seu Alexandrinorum. Post Felicem etiam Gagius recensetur in ms. Colonien. S. Mariæ ad Gradus; sed cum Iustum antecedat, qui quartus est Alexandrinorum in Antuerpiensi, tertius verò in ms. S. Maximini, & quintus in mss. Aquisgranensi, & Labbei, licet in hoc pro Gaio, siue Gagio, Gaia legatur, in his præcipuè postremis, vnam cum altera classe simul confundi manifestè patet. Nostro, & Corbeiensi martyrologio consentit, vt vidimus, Notkerus, consentit & Beda, qui apertè Gaium in Alexandrinorum classe reponunt. Aliqua etiam intercedit cum reliquis nominibus differentia, dum aliqui pro Nicoporo Nicephorum legunt, pro Euthecaria, Euticiam, vel Euthecian, pro Gitteo Gatteum, pro Alexandro Alexandrum.

exuberat Corbeiense in Leandro, quem cum Dacherius diuerso charactere non signauerit, inter reliquos Martyres numerandos censuit. Sed forte S. Leandrus Confessor superioris diei est; in illo siquidem apud Adonem, & alios nuncupatur Episcopus Hispalensis. In Calendario mſ. Hedmo ad vsum Breuiarij apud nos II. Kal. Februarij Macarius tanquam antesignanus ita notatur. *Macarius, & sociorum eius Martyrum, & translatio S. Augustini.* Ex his martyribus aliquos, sed indistinctè, affert Petrus de Natalibus lib. 11. c. 80. ex martyrologio S. Hieronymi. *Macarius, & Rufinus: Iustus, & Theophilus pridie Cal. Martij martyrio coronantur.*

MARTIVS.

Kalendis Martij.
Litanias indicendas Mense Martio.
Habet dies XXXI.

NAtalis Sanctorum Leoni M. Donati. Abundanti. Adrasti. Carasi. Nicofori. Donatellæ, & aliorum VIIII. In Africa Adriani. Victuri. Secundille. Massilia Hermetis. Gitthei. Felicis. Enneculi. Ianuarii cum Alijs XXIIII. Andegauis Ciuitate depositio S. Albini Episcopi.

MARTII 1.

HEucusque laudatissimis laboribus Ioannis Bollandi, & Godefridi Heschenij nō parum adiuti, Vetustius martyrologium nostrum, varijs lectionibus adornatum dedimus. Deinceps pluribus mſs. codicibus, quibus illi gaudent destituti, quod reliquum est candidè exhibebimus, & ex illorum Antuerpiensi, seu vt ijdem appellant, vetustissimo Romano, Corbeiensi, & alijs mſs. codicibus nostris, quà explicatum, quà emendatum, quà confirmatum dabimus, vt pauculis adnotationibus additis, qualecumque obsequiū Sanctis martyribus hactenus, & vt plurimum latentibus, pro nostro modulo tribuamus.

Natalis Sanctorum Leonis M. &c. De loco passionis Sanctorum septem martyrum, qui nominibus exprimuntur, ac nouem anonymorum, ita cum nostris codicibus silet Corbeiense martyrologium. *Kal. Martij Natalis Sanctorum Leonis, Donati, Abundantij, Adrasti, Carisii, Nicofori, Donatellæ, & aliorum nouem Martyrum. In Africa Adriani, Victuri, Secundillæ. Massiliæ Hermetis, Ghitthei, Felicis, Enneculi, Ianuarij cum alijs XXXIIII. Andegauis ciuitate depositio S. Albini Episcopi, & Confessoris.* Non ita vetustissimum Antuerpiense in assignandis locis magis accuratum. Africæ enim non tam primæ turmæ martyres, quam alios hoc pacto tribuit. *Kal. Martij In Africa Natalis Sanctorum Leonis, Donati, Habundi, Adrasti, Carisii, Nicefori,*

Donatille, & aliorum vitii. In Africa Adriani, Victori, Secundillæ. Massiliæ Hermetis, Gittei, Felicis, Enneuli, Ianuarii, & aliorum xxiiii. Andecanis depositio Albini Episcopi. Ex his martyribus Leonem, Donatum, Abundantium, Nicephorum cum alijs nouem restituit Baronius in martyrologio Romano ex ms. Monasterij S. Cyriaci. De Leone martyre sub hac die, non indicato loco passionis, meminit Petrus de Natal. lib. 11. n. 82. ex martyrologio S. Hieronymi. Galesinius cũ alijs alterius classis, & loci, Leonem cum Hermete, & Adriano Massiliæ tribuit, & Donatum Carthagini. Hunc Cathagini pariter tribuit Maurolycius, sed Adrianum cum Hermete eadem dissonantia Massiliæ, sicuti legitur apud Petrum de Natalibus loco adducto n. 81. & Vsuardum, ex quo alij videntur accepisse. Quamuis autem qui Donatum Carthagini assignant, videantur quodamodo & socios Africæ tribuere, nullus tamen codex id apertè profert, præter vetustissimum Antuerpiense, in locis assignandis, vt sæpe diximus, magis accuratum; esse tamen passos hos martyres in persecutione Vandalica, vt de Donato habet Galesinius, non consentio, cum in vetusto nostro, & S. Hieronymi martyrologio illius persecutionis Martyres expresse nusquam recensentur.

In Africa Adriani. Secunda hæc est Africanorum martyrum classis in vetustissimo martyrologio Antuerpiensi: quæ etiam Africæ tribuitur, tam à Corbeiensi, quam à codicibus nostris. His, quãuis decurtatum consonat ms. Reginæ Sueciæ, quod Adrianum, & Victurium a martyribus Massilienſibus liquidò ita distinguit. *In Africa Adriani, Victuri, Massiliæ Hermetis, Felicis.* De Secundilla vbique silentium inuenio in editis hucusque martyrologijs.

Massiliæ Hermetis. Adrianum inter Massilienses martyres numeratur Vsuardo, Petro de Natalibus, Maurolyco, Galesinio, & Bellini martyrologio; sed Africanis rectius tributum vidimus, & ex non optimæ notæ codicibus libros illos hausisse patet, dum inter Massilienses præter Hermetem socios reliquos, tam nominibus signatos, quam anonymos silent. Felicis meminit, vt vidimus ms. Reginæ Sueciæ.

Andecanis. S. Albinus Episcopus Andegauensis, omnibus ferè martyrologijs, hac depositionis die memoratur. Memi-nit Gregorius Turonensis de Glor. Confess. cap. 99. & vitam à Fortunato Presbytero scriptam producit Surius. Vixisse circa annum 540. habet Baronius. Ex additis antiquo martyrologio existimamus. In Calendarij vetusti fragmento ms. Canonicorum Lucensium Bedæ adscripto legitur. *Kalendis Martii Albini*, & in alio pariter Hieronymiano *Kalen. Martii depositio Albini.*

VI. Nonas Martij.

NAtalis Iorgij. Herolij. Absaloni. In Cesarea Capadociæ Lucij Episcopi. Primitiui. Secundolæ. Ianuariæ.

MARTII 2.

Natalis Iorgii. Neque nomina, neque martyrum ordo adamussim, in diuersis martyrologijs, inter se respõdent. Vetustissimum Antuerpiense non Iorgium, seu [illegible]ium notat ante signanum, sed Hãta [illegible] hoc pacto: *VI. Non. Martii Hei [illegible]ii, Absaloni, Cæsareæ Capadociæ Luci Episcopi, Primitiui, Romæ, Secundolæ, Ianuariæ.* Corruptum videtur Corbeiense, & in-

assignandis locis mutilum, sicuti in martyribus numerandis redundans. *vi. Non. Mart. Iorgi, Herculi, Absolomi, AErenei, Lucii, Primitiui, Secundolæ, Ianuariæ, Luciosæ.* Sed sine alio additamento nuda nomina quantas ambages inducere possunt? In Romano martyrologio hac die 2. Martij Cæsareæ Cappadociæ memoria recolitur Lucij Episcopi, Absalonis, & Lorgij, quos ita restituisse ex vetustis exẽplaribus profitetur Baronius. Sed hi vidẽtur Cæsariẽses martyres, de quibus egimus ad diem 24. Februarij, vbi pro Georgio, siue Iorgio codices nostri legunt Sorgium, vel Iorgium, alij verò mss. libri Sergium. Incerto hìc loco tribuuntur, sed tam in vetustissimo Antuerpiensi, quàm in codicibus nostris a Cæsareæ martyribus segregantur. Beda etiã, nõ signato loco, Absalonium, Herglium, & Largum producit, ex quo Galesinius hausit, qui Lorgiũ alijs scriptum fatetur. *In Cæsarea Cappadociæ Lucii Episcopi.* Lucam dicit, non Lucium Beda editus. M S. Reginæ Sueciæ cum vetustissimo martyrologio concordat in hoc, vt Cæsarienses tantùm martyres agnoscat Lucium, & Primitiuum. *vi. Nonas Cæsareæ Cappadociæ Lucii Episcopi, Primitiui.* Vereor quapropter, ne in Corbeiensi pro voce *Cæsareæ* irrepserit *Æreneo*; dum promiscuè, & sine locorum distinctione cuncti huius dici martyres in vnica turma recensentur. Ita ex S. Hieronymi martyrologio, vel decurtato, vel confuso Petrus de Natalibus lib. 11. num. 83. Lucium primæ classis martyribus miscet. *Lucius Episcopus, Absalon, & Largus martyrio coronati sunt vi. Non. Martii.* Consimilia habet Bellinus de Padua.

Secundolę, Ianuarię. Has Sanctas martyres vetustissimum Antuerpiense Romæ tribuit. In Portu Romano easdẽ exhibet ms. Tornacense martyrologium ad diem 24. Februarij, vt ibi diximus, & Virgines vocat. Corbeiense Luciosam addit, alijs, quos viderim, præteritam.

V. Nonas Martij.

FElicis, Lucioli, Iusti, Fortunati. Marciæ. Hierotis. Antigoni. Ianuari. Tutelle. Gabiani, Quiri. Iuli. Marini. Item Felicis. Fiorini. Donati, Fortuni. Helbiani. Gagi. Paule. Gaiose. Galle. In Africa Gaiole. Felicis, & depositio Reliquorum Emeteri. Celledoni. Item Felicis. Sauiniani. Galogori. Item Emeteri. Felicis. Item Celedoni. Item Iuli. Felicis. Marini. Donatæ. Nicefori. Carissimi. Claudiani. Papiæ. Luciole. Saliani. Iunule. Astri. Socij. Georgij. Isici. Sisinni. Casti. Basili. Soli. Artilasi. Antonij. Cirici. Eutici. Gorgoni. Ascilipi. Frunumi.

MARTII 3.

Felicis. Lucioli. In prima hac martyrum turma, Vetustissimum martyrologium Antuerpiense, non modo Florianum, & Castum, alterum ducem Felicis, alterum sequacem hac die constituit supra codices nostros, & Corbeiensem; sed expresse locum passionis indicat Africam fuisse, vel reliquis orbis partibus Sanctorum pugilum feraciorem, vel quæ industria Cypriani, & Sanctorum aliorum Episcoporum magis accuratos Notarios habuerit. Ita verò ho-

hodiernos faſtos exornat. *v. Non. Mart. In Africa Floriani, Felicis, Caſti, Lucioli, Iuſti, Fortunati, & aliorum, Quirilli, Maurini, Donati, Furtuni, Hebiani, Gagi, Paulæ, Gaioſæ, Galla. In Africa Caiole, Felicis, Emeteri, Celedonij, Felicis, Sabiniani, Calagori, Meteri. Item Celedoni, Iuli, Felicis, Marini, Donata, Niceſori, Cariſſimi, Claudigni, Papiæ, Luciolæ, Felicis, Sabiani, Iunulæ, Foui, Aſteri, Georgi, Siſinni, Baſili, Artilai, Iſici, Cirici, Eutici, Gorgoni, Antoni, Frunimi, Aſclipi, Caſti, Soli*. In duos manipulos prima claſſis diuiditur. Primi ſex ſunt nominibus expreſſi, quadraginta verò anonymi. Horum nulla in Corbeienſi, aut alijs codicibus noſtris memoria extat. Alium manipulum ducit Marcia, cui alij decem martyres ſuccenturiantur; Marcia alicuius agminis dux ita à Vvandelberto deſignari videtur. *Quinas, Marcia pio, nonas defendit amore*. Secundæ claſſis Africanorum Caiola dux eſt, cum alijs quinque; dubium enim remanet, an Calagori nomen martyris ſit, vel Vrbis, infra diſcutiendum. Corbeienſe martyrologium, minùs in loci aſſignatione accuratum, cum noſtro ferè conuenit hoc pacto. *v. Non. Mart. Felicis, Luciolę, Iuſti, Fortunati, Martiani, Martię, Hierotis, Antigoni, Ianuarii, Tutellę, Gabiani, Quiri, Iulii, Marini. Item Felicis, Floriani, Donati, Fortuni, Helbiani, Gagi, Paulę, Gaioſę, Galloſę, Gallę, Lupicini. In Africa Gaiolę, Felicis, Depoſitio reliquorum Emeritę, Cellidoni. Item Felicis, Saniniani, Galogori. Item Emeriti. Item Felicis. Item Eceledoni. Item Iulii, Felicis, Marini, Donatę, Niceſori, Cariſſimi, Claudiani, Papię, Luciolę, Sabinianę, Iunolę, Aſterii, Phocii, Georgii, Iſici, Siſinnii, Caſti, Baſiliſoli, Artilai, Antonii, Cyrici, Eutici, Gorgonii, Aſclipii, Frunimii, Zoſimi.* Vnũ, & alterum ex his producit Calendarium mſ. S. Hieronymi *v. Nonas Felicis, Luciolí*, & alterũ Calendarium Breuiario hædino præfixum exhibet *v. Non. Marini, & Aſterii Martyrum*. De Felice, Luciolo, Fortunato, Marcia, ac ſocijs agit martyrologiũ Romanum, ex Beda, & alijs veteribus mſs. Corbeienſe ſupra codices noſtros, & Antuerpienſe martyrologiũ Martianum addit, & præter Gaioſam, & Gallam ijſdem indicatã addit Galloſam, & Lupicinum, iiſdem præteritum. Pro Quiro, & Iulio geminis martyribus in noſtro, & Corbeienſi, Quirillum profert vetuſtiſſimum illud cũ Galeſinio, qui legit Quiriuli: ſed Iuli legẽdum eſſe diſiunctim à Quiro, patet ex repetionis formula martyrologij noſtri, & Corbeienſis, in quibus dicitur *Item Iuli*. Florianus primo loco in Corbeienſi, & noſtro non numeratur, ſed infra, ſicuti Caſtus, Antigonus, Ianuarius, Tutella in Antuerpienſi non recenſentur; ex his tamen aliqui, corruptis non nihil nominibus, ex mſs., & Beda, ita Romæ tribuit Galeſinius. *Romę Sanctorum Felicis, Lucioli, Fortunati, Martię, Herodis, Antigonii, Ianuarii, Tutellę, Gabiani, Quiriuli. Item Felicis, Floriani, Donati*. Quæ ex Martyrologio S. Hieronymi imperfecto defluxiſſe non dubito.

In Africa Gaiole. Gaiolum legit mſ. Reginæ Sueciæ *V. Nonas*. *In Africa Gaioli*. Sed Caiolam, vel Gaiolam retinẽt martyrologia Vetuſtiſſimum, & Corbeienſe; quorum alter Felicem ſocium addit, cum quatuor alijs martyribus; alter Felicem tantùm.

Et depoſitio reliquiarum. Emeterium, & Celedonium cum alio Felice, & Sabiniano inter Africanos martyres numerat vetuſtiſſimum Antuerpienſe martyrologium. Noſtri codices depoſitionem reliquiarũ Emetherij, & Celledonij cõmemorant, vt videtur in Africa. *Reliquiarum* enim potius videtur legendum, quã *reliquorum*, licet aliquibus enumeratis ſocijs, intollerabile etiam non ſit, reliquorum Martyrum depoſitionem in Vrbe Emerita fuiſſe celebratam. Pro Emeterio ſiquidem legit Emerita Corbeienſe martyrologium Dacherij; & ad Emeritam vrbem Luſitaniæ, olim Archiepiſcopalem, & quæ etiam Auguſta Emerita dicebatur, aliquã factã eſſe reliquia-

rum

rum Celedonij depositionem, vel translationem non est improbabile. In Hemitirij, & Cheledonij martyrum Caliguritanorum memoriam extat Hymnus primus Prudentij de Coronis, in quo aliqua de eorum certamine percurrūtur. Dolet tamen is præcipua eorum acta desiderari. Milites fuisse innuit, & vexilla Cæsaris reliquisse, quod bene Emeritæ Vrbi aptaretur ab Augusto conditæ, & Emeritæ ideo nuncupatæ, quòd Emeritis, ac veteranis militibus ad incolendum tradita esset. Patronos fuisse colonorum affirmat, *quos Hiberus alluit*, inter quos Emeritam numerari ex Ausonio patet in Catalogo, cui memorabile est, *nomen Iberum Emerita*. Notkerus non ab Emerita Calagurrim, Hemetherium, & Chelidonium translatos ad martyrium refert, dum Acta compendiosè percurrit, sed à Legionēsi Gallicia militari statione Calagurrim perductos, & ibi martyrio coronatos, sicuti etiam legitur apud Vsuardum, Adonem, & Petrum de Natalibus lib. 3. c. 172. Socios hos martyres habuisse nemo ex his indicat, Acta quippe vetustiora, Prudentij ætate, iam deperdita, nil mirum etiam recentius desiderata fuisse.

Galogori. Tam in codicibus nostris, quam in Corbeiensi, & Antuerpiensi *Galegori*, seu *Calagori* videtur pro nomine Martyris accipi. At cum deinde Emeteri, Felicis, & Celedonij memoria repetatur Calaguri, vel Calagurri nomen accipiendum omnino videtur pro Vrbe Hispaniæ Tarraconensis ad Iberum fluuium, vbi Prudentius, Emeterij, seu Hemetherii, & Cheledonij memoriam laudibus prosequitur, quemadmodum hac die V. Nonas Martij, in Romano martyrologio, Vsuardi, Adonis, & Notkeri, aliorumque recentiorum expressè recolitur. An Iulius, & reliquorum series ad Calagurrim, vel aliam regionem pertineat non mihi adhuc liquet. Marinus, & Asterius plurium martyrum interpositione, in adductis codicibus disiūcti, in editis martyrologijs Romano, Vsuardi, Adonis, Notkeri, & ex historia Ecclesiastica Eusebij lib. 7. c. 15. & 16. Cæsareæ Palestinæ tribuuntur; sed cum neque apud Eusebium, neque apud Nicephorum, qui eadem repetit lib. 6. cap. 13. & 14., alij socij numerentur; iam inclinante Valeriani persecutione, imo iā Gallieni procella vigente, vix eosdem esse cum enumeratis credimus. Post repetitam Celedonij, & Emitherij memorim, 27. martyres in Antuerpiensi recoluntur, totidemque in codicibus nostris, ac Corbeiensi, in quo numerus idem est, quamuis Zosimus alijs preteritus, superaddatur, quia Basilius, & Solus in vnum conflantur. Solum seiunctim esse martyrem Antuerpiense vetustissimum ita docet, vt non modo a Basilio seiungat, sed postremum vltimæ classis tantorum martyrum enumeret. Differentiā, quæ in nominibus, vetustate, & librariorum incuria depravatis, inter adductos codices intercedit, elicere per se poterit curiosus lector.

IIII. Nonas Martij.

NAtalis Martyrū DCCC. Romæ depositio Iulij Episcopi. Roti, & aliorum XXVII. Arcillai. Gagi. Palatini in mare merli. Asteri. Vrani. Sisinni. Pauli. Philippi. Hieripheli. Basili. Cipeciri. Gregorij. Euticj. Victorini. Pecculi. Quirini. Mari. Honorati. Asclipiadis. Sisinni. Felicis. Lucis. Gaiore. Fortuni. Item Luci. Peluiani. Rustici. Floriani. Donati. Helariani. Fortunati. Gagi. Pylyci.

licei. Antonini. Frunini. Aſclepiadis. Fortunionis. Caſti. Fortij, & aliorum numero XVI. In Nicomedia paſſio Sancti Adriani cũ alijs numero XXXIII.

MARTII 4.

MArtyrum Romanorum acies minor eſt in codicibus noſtris, quam in Corbeienſi, octingenti tantũ apud nos numerãtur, nongẽti, in illo hac ſerie. *iv. Non. Mart. Natalis Martyrum nongentorum Romę depoſitio Iulii Epiſcopi, Roti, & aliorum triginta nouem; Archelai, Gai, Palatini in mare merſi, Aſterii, Vranii, Siſinnii, Pauli, Philippi, Herifeli, Baſilii, Tepiceri, Gregorii, Eutici, Victuri, Victurini, Marii, Honorati, Aſclepiadis, Siſinnii, Felicis, Lucii, Gaioſę, Fortunati. Item Lucii, Peluiani, Ruſtici, Floriani, Donati, Helariani; Item Fortunati. Item Gaii. Pydiei, Antonii, Fronimi, Aſclipiadis, Fortunionis, Caſti, Fortii, & aliorum nouendecim. Nicomedię paſſio Sanctorum Adriani cum aliis triginta tribus.* Antuerpienſe verò Romanos adductos martyres ita decimat, vt non niſi decem exhibeat. *iiii. Non. Mart. Romę Martyrum X. Item Romę Iuli Epiſcopi; & aliorum xxvi., & alibi Fati, Ancilai, Palatini, Aſteri, Vruni, Siſinni, Philippi, Herefili, Tipecini, Grigori, Baſili, Eutici, Victorini, Peceuli, Quirini, Eutoci, Honorati, Aſclepiadis, Siſinni, Pauli, Luci, Fortuni, Luci, Gagiorę, Felicis, Peluiani, Gagi, Iuli, Ruſtici, Mari, Floriani, Donati, Hilariani, Fortunati, Gagi, Pilici, Antonini, Frunimi, Aſclepiadis, Fortunonis, Caſti, Forti, & aliorum xvi. Nicomedię Andriani cum aliis xxiii.*

Nat. DCCC. Martyrum. Tantæ carnificinæ locum, neque Corbeienſe martyrologium, neque noſtri codices proferunt. In ea quidem cũ Galeſinio ſententia aliquando fui, vt qui in capite latereculi, ſine vrbis, aut regionis nomine, martyres notarentur, Romæ eſſent tribuendi, quòd vetuſtius noſtrum, non minus ac Antuerpienſe, vt placuit viris doctiſſimis Bollando, & Henſchenio, ad vſum eſſet Romanæ, ſeu Occidentalis Eccleſiæ. At cum non ſemel id accidiſſe viderim librariorum vitio, non ita tuto & vniuerſim id affirmandum eſſe didici, præſertim ex vetuſtiſſimo illo Antuerpienſi, in quo martyrum claſſes, & loca certaminis, vel celebritatis accuratius indicantur. Aſſertionem tamen noſtram plurimùm veritati conſonare ex capite huius diei apertum eſt, in quo populoſũ martyrum Anonymorum agmen, in noſtro, & Corbeienſi, ſine diſtincto loco ſignatum, Romæ deberi ex vetuſtiſſimo Antuerpienſi didicimus; quamuis numeralis nota tanto diſcrimine ab illis diſtet. Nongentos hos fuiſſe cum martyrologio Corbeienſi habent Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, & Romanum martyrologium cum recentioribus; In his additur, hos Romæ non modo ſepultos, ſed preſſius via Appia ad S. Cæciliam, hoc eſt in Cæmeterio Calliſti, cuius pars ad D. Cæciliam dicebatur, vt docet Aringhius Romæ Subterr. lib. 3. cap. 14. Octingentos tamen cum Lucio Papa, ita habet eum codicibus martyrologij noſtri Calẽdarium vetuſtum S. Hieronymi mſ. *iiii. Non. Lucii Papę, & DCCC. Martyres.* Ita & Vvandelbertus, qui apud Molanũ legit. *Martyrum, & octingentorum turba optima fulget,* quamuis ad oram libri ſcriptum ſit *Martyrio, & nongentorum.* Nongentos nos potius credimus multiplici codicum fide.

Romę depoſitio Iulii Epiſcopi. Pro Iulio S. Lucium Pontificem Romanum hic exhibent, nulla Iulij memoria indicata, martyrologium Romanum, Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, Vvandelbertus, & alij

alij recentiores. Addimus, præter iam dictum Lucense Calendarium Hieronymianum, aliud Kalendarium antiquum mſ. in quo legitur Martij. *iiii. Non. Lucii Papæ, & Martyris*. Facilis quidem eſſet lapſus literarum a Lucio in Iulium, & facilè eſſet admittendus, niſi martyrologia Antuerpienſe, & Corbeïenſe, cum binis codicibus noſtris Iulium, legerent, non Lucium: quibus aſtipulatur etiam mſ. Reginæ Sueciæ, IIII. Nonas idem retinens. *Romæ in Cæmeterio via Appiæ depoſitio Iulii Epiſcopi, & aliorum xxvi.* At plures codices ſunt, qui Lucium recolunt. In primis verò antiquiſſimi martyrologij Romani fragmentum apud Bucherium loco pluries adducto. In hoc licet non quarto, *ſed tertio Nonas Martii Lucii in Calliſti* cœmeterio memoria repetatur; cum tamen diem depoſitionis Iulij Papæ cõſignet, *Pridie Id. Aprilis in via Aurelia milliario iii.* in Calliſti, ſatis Lucium à Iulio in die, & modo commemorationis diſtinguit. Nec difficile potuit euenire, vt pro IIII. Nonas, III. tantum temporis iniuria in eo codice legeretur, ſicuti etiam apud Abbonem Floriacenſem, & magis corruptè apud Luitprandum. 1. Nonas Martij Lucij obitus conſignatur. Præterea in libro Pontificali diſertè ſcribitur Lucium Papam à Valeriano capite truncatum eſſe, *quarto Nonas Martii*. Eodem pariter modo ſcriptum proſtat in codice, quo vſus eſt Boſius in Actis S. Ceciliæ. Ex binis etiam vetuſtis codicibus mſs. Bibliothecæ Canonicorum Lucenſium, alter legit S. Luciũ capite truncatum III. Nonas Martij, alter IIII. Eadem quoq; differentia adnotatur in varijs lectionibus ad Anaſtaſium Bibliothecarium editionis Regiæ Pariſinæ; fortaſſe quia vna die martyrium cõſummauit, altera ſepultus eſt. Quid autem mirum in die paſſionis codices eſſe varios, ſi tanto inter ſe diſtant interuallo in tempore Pontificatus? Euſebius lib. 7. cap. 2. ex recentiori Valeſij interpretatione affirmat, Lucium Cornelio ſuffectum, *vix octo menſium ſpacio* perfunctũ eſſe eo munere, & moriendo Epiſcopale munus Stephano reliquiſſe. Nicephorus interprete Langio lib. 6. cap. 7. adhuc ſpacium illud cõarctat, *& non integris ſeptem menſibus* Eccleſiam adminiſtraſſe affirmat. Vetuſtiſſimi tamen codices sũt, qui annos tres, & amplius illi in Pontificatu tribuant; ita mſs. membranæ Palatinæ antiquiſſimæ in Vaticana Bibliotheca, & mſ. codex Reginæ Sueciæ à D. Damaſo Epiſcopo, vt profertur conſcripto, in illis ſediſſe aſſeritur *Ann. iii. menſes iii. dies iii.* & in hoc totidem verbis cõfirmatur, quemadmodum me nuper Antuerpia monuit Vir humaniſſimus, & doctiſſimus Danielus Papenbrochius S. I. Bollandi, & Henſchenij in colligendis, & illuſtrandis Sanctorum Actis coadiutor, & ſocius. Nè verò Lucam patriam meam tanti Pontificis, & martyris debito fraudem honore, addere etiam libuit, quam variè in Patre, ac Patria Lucij aſſignanda veruſti codices, & ſcriptores inter ſe differant. Adductæ membranæ Palatinæ, ac Reginæ Sueciæ codex cum communi libro Pontificali inquiunt: *Lucius natione Romanus ex Patre Porphirio*; & tamen Anaſtaſius Bibliothecarius editus ex mſ. Vaticano, & cum duobus mſs. collatus *Natione Tuſcũ de Ciuitate Luca ex Patre Lucino* diſertè Lucium fuiſſe affirmat; quod pariter ad oram Anaſtaſij Bibliothecarij editionis Regiæ adnotatur. Quid ſi ex longo incolatu patria dicereture Romanus, ex origine Lucenſis patre binomio Porphirio Lucino? è coniecturã adiuuat Lucij nomen inter Lucenſes priſcos vſitatum: quod docet Lucius ille Caſtronius Petus, cuius meminit Cicero epiſt. fam. 209., & Lucius Papa tertius ſine vlla cõtrouerſia Lucenſes. Hũc Vmbaldũ ante Allucingum vocatum, facile eſt, ex gentili ſuo Lucio Martyre, Lucij nomen aſſumere voluiſſe. Sancti igitur Martyris Lucij hac die memoriam agi plurimorum codicum fide magis ſuſcipimus, quam Iulij. Huius celebritatem, vt nobis hìc lapſum librarij magis ſuadeat, martyrologium noſtrum hìc verbis exhibet

hæc tria dies Aprilis *Romæ in Cœmeterio Calep. iii. Milliario, Iulij Episcopi*, & Antuerpiēse *Romæ depositio Iulii Episcopi*, ad quem diem Lectorem nostrum amandamus.

Roti, & aliorum xxvii. Rorum pariter socium, siue Iulij, siue Lucij Pontificis habet martyrol. Corbeiense, in quo anonymorū numerus augetur ad xxxix. Ms. Reginæ Suecię non indicato Roto, & eius numero imminuto, xxvi. sine nomine Martyres profert: totidemque vetustissimum Antuerpiense, quod Rorum non indicat. Sunt qui Gaio, seu Gagio Palatino 27. socios anonymos addunt, vt Galesinius, qui ex Romano Bellini martyrologio hausit, Caium Palatinum in mare mersum habet Vsuardus, cui Bellinus subnectit, & alios xxvii., vt etiam confirmat Maurolycus, & Romanum Baronij martyrologium: Beda etiam, & Ado, qui in numero xxvii. anonymorum conueniunt. In codicibus nostris, & Corbeiensi Archelaus, Gaio præponitur. Vetustissimum S. Hieronymi in assignandis locis, ac distinguendis martyribus magis accuratū, socios anonymos Iulio Episcopo annectit, *& alibi* non Gaium, sed Fatium, Archelao, Palatino iungit, cui nulla alia distinctione addita, spissum agmen subnectit triginta nouem Sanctorum, nominibus signatorum, & aliorum anonymorum xvi. Inter hos Gagius quidem bis numeratur, non tamen Antesignanus, vel Palatinus, si Palatinus nomen officij est, non alterius martyrijs, vt alias dubitauimus.

Asterij. Cum hoc triginta nouem Martyres numerat Antuerpiense vetustissimum triginta tantum quinque Corbeiense; Triginta sex nostri codices ostendunt. Exuberat enim illud vetustissimum supra nostrum in Eutocio, Iulio, & altero Gagio, qui alterius classis, Palatinus & in mari mersus nobis est, ante Asterij numeratus. Victurium M. Corbeiensis, ante Victurinum, in reliquis non inuenio, sicuti repetito nomine Fortunatum, quorum alter Fortunius est in Antuerpiensi, & nostro. Deficiunt ergo in Corbeiensi, Felix, Eutocius, Iulius, & Gaius, qui pariter cū nostro vel Palatinus, vel Palatini socius ante Asterij numeratur, & forrasse tres, qui deficiūr inter anonymos includuntur, qui xvi. in Antuerpiensi, ac codicibus nostris sunt, nouendecim in Corbeiensi, tribus nimirum additis, qui nominibus non exprimuntur.

In Nicomedia Adriani. Adrianum, siue Andrianum, Nicomediæ in Bithynia Martyrem, omnia ferè martyrologia ad hanc diem exhibent, etsi socijs xxiii. Huius, & alterius, qui filius Probi Imperatoris, ex Ciuitate Byzantij Nicomediam ad martyrium perrexit, latè meminit Menologium Basilij ad diem 26. Augusti. Acta S. Hadriani, & sociorum habet Surius Tom. xi. recentioris editionis; ex quibus corrigendi sunt codices nostri, qui addita numerali nota x., non xxiii. sed socios anonymos xxxiii., Hadriano iungunt, in quo numero peccat etiam Beda editus, cum reliqua Martyrologia, Romanum, Maurolyci, Galesinij, & vetusta alia in additionibus Molani ad Vsuardū xxiii. tantūm retineant. Hadriani, siue huius, siue alterius meminit martyrologium nostrum ad diem 6. & 8. Septembris.

III. Nonas Martij.

IN Africa Adriani. Euuoli. Eusebi. In Antiochia passio S. Focæ. In Africa Porri. Eusebi. Rustici, Heribi. Maris. Palatini, & aliorum VIIII. in Antiochia Victoris, Adriadi. Pamphili, Palamarti.

Saturnini. Iusti. Syriæ. Saturni. Martini. Petri. Chariconis. Sathyri. Marcij, & aliorum XII. & Barbalabiæ.

MARTII 5.

QVam varia sunt in huius diei martyribus, suis regionibus assignandis, mss., quæ adducimus martyrologia? Adrianum, Euuolum, & Eusebium Africæ tribuunt codices nostri, sicuti & hoc pacto Corbeiense M. quod Iulianum, & Octauium addit alijs ignotos. *iii. Nonas Martij. In Africa Adriani, Euoli, Eusebij, Iuliani, Octaui, Antiochiæ passio Sanctæ Focæ, Rustici, Herebi, Maris, Palatini, & aliorum nouem Mart. Antiochi, Victoris, Adriani, Pamphili, Paluti, Marti. In Antiochia Saturnini, Iusti, Lucasi, Sirja, Saturnini, Martini, Petri, Carpathonis. Item Saturnini, Marcij, & aliorum duodecim Martyrum, & Barbalabia.* Vetustissimum S. Hieronymi Epternacense, siue Antuerpiense binos tantùm Adrianum, & Euuolum nó Africæ, sed Græciæ ita assignat. *iii. Nonas Mart. in Gracia Adriani, Euuoli. Antiochiæ passio S. Focatis. In Africa Petri, Rustici, Herebi, Maris, Palatini, & aliorum viiii. Item Antiochia Victoris, Adriani, Pamphili, Eusebi, Antiochia Syriæ Saturnini, Iusti, Cari, Atanis, Petri, Saturnini, alibi Martini, Marci, & aliorum xxii. Barbalabea.* Adriani. Hunc cum Socio Eubulo suspicari licet, eos esse Martyres, qui ab Eusebio Cæsariensi, siue lib. 8. cap. 11 editionis Christophorsoni, siue libro de martyribus Palestinæ cap. 11. editionis Valesianæ, memorantur. Horum primus *quinto die mensis Dystri, idest ante diem tertium Nonas Martij, qua die natalis Genij, Publici, vt Gentiles existimant, apud Cæsaream celebratur, Leoni obiectus, vt deinde gladio transfixus martyrium consummaret. Eubulus vero perinde, ipsis Nonis martij, quod est septimo die mensis Dystri.* Pollunt autem hac die ambo numerari, quia ambo, dum ad Confessores proficiscerentur, ad portas vrbis Cæsaræ à militibus capti, paruo inter se interuallo agonem perfecerunt. Sed in Palestina, non in Græcia, eoque minùs in Africa ambo coronam acceperunt. An Manganæa regio, ex qua profectos Cæsaream habet Eusebius, Græciæ, vel Africæ fuerit? minus probabile videtur, cum tam valde longinqua regio videatur deseribi, quinimmo ipsius Palestinæ pars, vt suspicatur Ortelius. In Vanea natos, & Cæsaream profectos habet Menologium Basilij ad diem 3. Februarij. Sed mihi non minus ignota Vanea est, quam Manganea. Eusebius socius, qui geminis his martyribus, in nostro, & Gorbeiensi martyrologio additur, imo Iulianus, & Octauius, qui ab eorum Corbeiensi adijciuntur, videntur significare, alios hos esse martyres, ab Adriano, & Eubulo Cæsariensibus, vel Manganæis distinctos. Eusebium Antiochiæ tribuit Vetustissimum Antuerpiense. Sed forte alius is est, quia martyrologio nostro assignatur Africæ, & Gorbeiensi non memoratur. Eusebium quidem Palatinum, non indicato agonis loco, cum socijs nouem anonymis proferunt Beda, Vsuardus, ac ex ijs Romanum martyrologium, Maurolycus, & Galesinius, qui passos esse Antiochiæ in persecutione Traiani, nullo indicato auctore addit. Eadem cum Beda, & Vsuardo habet, ex martyrologijs vetustioribus, Petrus de Natalibus lib. 11. n. 84. Ex his suspicor in codicibus nostris Eusebium transpositum esse, & post Marum esse reponendum in classe secunda Africanorum Martyrum, cui alij nouem anonymi succenturientur. Vnicus ille Hieronymiano Lucensi tantum tres martyres signantur, *iii. Nonas Euoli, Petri, Eusebij*, & in alio Kalendario

rio mſs. *iii. Nonas Euſebij, & ſociorum eius Martyrum.*

In Antiochia paſſio S. Focę. De eo etiã Beda agit, Vſuardus, Ado, Notkerus, & recentiores. De S. Phoca, vel Foca glorioſſimo Martyre ea videnda ſunt, quæ in Auctario Græc. lat. Bibliothecæ Patrum affert Combefiſius in notis ad Aſterium. Quæ hìc de Phoca adducit Baronius, ſi reuera Sinopenſi Hortulano, de quo agit Aſterius, conueniant, Antiochenſi vtique aptari nequeunt, niſi Aſterius ipſe Amaſenus deceptus ſit, & duos Phocas in vnum conflauerit. Duos in Ponto, & Sinopi Martyres agnoſcit Combefiſius ex menologio Græcorum, alter Olitor, de quo Aſterius, ad Sinopis Iſthmum ſepultus in propria domo, & Horto, vbi in ob iuos hoſpitalitatem exercebat, ab hoſpitibus ipſis capite truncatus: Alter ex Piſcatore Epiſcopus, cuius Acta habẽt Petrus de Natalibus, & Mombritius, & cuius memoriam recolit Romanum martyrologium ad diem 14. Iulij. Illum Antiochiæ martyrium feciſſe, vt Baronius doctiſſimus exiſtimat, minus cum Aſterij homelia congruit, in qua docetur, Martyrem clariſſimum Phocam, antequam ſe hoſpitibus lictoribus, in propria domo patefaceret, foſſam ſibi ad ſepulcrum parauiſſe, & ipſis deinde ſe oſtendẽtem perſuaſiſſe, vt iniũctum munus implerent. *Dixit, perſuaſit, paſſus eſt, & capite truncatus grata Deo hoſtia oblatus eſt*, inquit per interpretem Aſterius. De ſepulcro verò, & ad illud populorum concurſu, paulo infra. *Sic mendicorum, & erronum turbę ad Sinopes Iſthmum, ceu ad commune aliquod penarium occurrunt*, vt de loco conſũmati martyrij, ac ſepulcro Phocæ Olitoris, dubitari vix poſſit ex Aſterio proximæ Vrbis Epiſcopo; imò ipſius Sinopes Metropolitano. Cũ Antiocheno ergo nihil cõmune habet Sinopenſis, & olitor Phoca. De Epiſcopo verò altero Martyre Phoca agit cũ Romano Martyrologium noſtrum ad diem 14. Iulij, non indicato tamen loco martyrij, quem incertum etiam habuit vetuſtiſſimum Antuerpienſe, dum extra Alexandriam tantùm veneratum fuiſſe innuit, particula illa, *& alibi* poſt Martyrem Alexandrinum; ſed facile eſt Sinopenſem fuiſſe, de quo Græci, cum Phoca Olitore agunt ad diem 22. Septembris in Menologio Caniſij; nam in Menologio Baſilij, nõ niſi vnus Phoca Epiſcopus Sinopenſis recolitur. De Antiocheno ergo omnia ſunt in obſcuro, cum neq; in noſtro martyrologio, neq; in Antuerpienſi, aut Corbeienſi addatur, niſi Antiochiæ fuiſſe celebrem, eiuſque memoriam ibi vigere exiſtimemus; quæ enim de ſerpente apud Vſuardũ narrãtur, Hortulano aptari nequeunt, ſed Antiocheno Phocæ conueniunt, cui ab Vſuardo, Notkero, & alijs, cõtra venena virtus tribuitur hac ipſa die. De alio Foca fortaſſe Sinopẽſi agit martyrologium noſtrum ad diem 21. Decembris cum Antuerpienſi, ſed incerto loco, *& alibi*. Mendum hìc putarem in mſ. Reginæ Sueciæ, quod Phocam Africæ tribuat, vt puto nominum tranſpoſitione; exhibet enim hęc *iii. Nonas. In Africa paſſio S. Phocę. Antiochię Syrię, Saturnini, Iuſti, Petri*, quippe legendum videretur *Antiochię paſſio S. Phocę. In Africa Petri*, cũ re vera primo loco in codicibus noſtris, & Antuerpiẽſi Petrus Africæ tribuatur, cum aliquibus ſocijs. Saturninus, & Iuſtus cum alio Petro Antiochiæ Syriæ relinquendi ſunt. An fortaſſe ex repetito Antiochiæ Vrbis nomine, ac poſtremo addita diſiunctiua nota *Syrię*, exiſtimandum ſit Phocam Antiochenum Martyrem fuiſſe Antiochiæ, ſiue Piſidiæ, ſiue Cariæ, ſiue alicuius ex pluribus apud Geographos indicatis huius nominis vrbibus, non verò Antiochiæ Syriæ?

In Africa Petri. Corbeienſe martyrologium Petrum nõ habet, neque Africæ tribuit Ruſticum, Herebum, Marum, Palatinum, ſed Antiochenſi Focę ſubnectit. Antuerpienſe cum noſtro conuenit, præter quam in Euſebio, inter Afros repetito, quẽ etiam Corbeienſe præterijt.

Maris Palatini. Si Palatinus officij

nomen eſt, non alterius martyris, tàm in codicibus noſtris, quàm Antuerpienſi, & Corbeienſi martyrologijs Mari, vel Maro, non Euſebio accomodatur. Notkero nomen Martyris eſt, non dignitatis; ita enim legit. *Euſebii, & Palatini, & aliorum octo Martyrum*. Nouem tamen ſocios non octo anonymos Palatino addũt, ſiue Euſebio, ſiue Mari adducta à nobis miſs. martyrologia, & cum Romano, Beda, Vſuardo, & Petro de Natalibus, Maurolycus, & alij recentiores.

In Antiochia Victoris &c. Pro Adriano Arrianum habet Antuerpienſe martyrologium, & Corbeienſe *Antiochum* pro *in Antiochia*: cui vrbi Vetuſtiſſimum illud Victorem, Arrianum, Pampilium, & Euſebium tribuit. An Antiochia Piſidiæ hìc intelligatur, vel alia ex tredecim eiuſdem nominis diuerſis vrbibus, quas Stephanus recenſet, incertum mihi eſt. Aliam ab Antiochia Syrię exiſtimarem, quòd in accuratiore Antuerpienſi, bis adducta Antiochia, tertio loco tantùm retineat Syriæ differentiam. In noſtro Adrianus dicitur Adriadius, & cum Pamphilo, Saturnino, & Iuſto, Palamartius additur. Hunc in duos martyres partitur martyrologium Corbeiẽſe, hoc eſt in Palatum, & Martium, vetuſtiſſimo Antuerpienſi ignotos, cui etiam Saturninus, & Iuſtus alterius claſſis ſunt, nempe inter eos numerantur, qui Antiochiæ Syriæ tribuuntur. Sed Syria tam codicibus noſtris, quam Corbeienſi, & Notkero, Antiochiæ non iungitur, & in ancipiti relinquit, an regionis, vel Martyris nomen ſit. Quia verò vetuſtiſſimum illud S. Hieronymi martyrologiũ, quod in ſignandis locis magis accuratum alibi agnouimus, ita retinet, magis etiam probabile videtur, in noſtro, & Corbeienſi vocem *Antiochię* deficere, illius ſcilicet, Vrbis quæ ſine alia additione in illo notata, probabile admodum eſt, eſſe diuerſam ab Antiochia Syriæ, cui Saturnus, ſiue alter Saturninus cum reliquis aſſignatur; non modo quia ita habet M. Antuerpienſe, ſed quia idem confirmat etiam mſ. Reginæ Sueciæ, iam adductum. An Cariathon, qui integro nomine, in noſtro, & Corbeienſi legitur, in duo partiri debeat, vt in eodem Antuerpienſi notatum videtur, nempe Cari, & Actonis, non mihi liquet. Martinus, Marcus, & alij numero XII., in hoc *alibi*, prę-ter Antiochiam Syrię aſſignantur: in noſtris codicibus Syris martyribus admiſcentur, in quibus Sathyrus ſupra alios abundat; ni forte tertius Saturninus pro Sathyro ſit. Sed in tanta codicum varietate diuinare facilius continget, quam emendare.

Et Barbalabię. Quid ſibi hoc nomen velit, poſt xii. anonymos noſtris codicibus, Antuerpienſi, & Corbeienſi indicatos, me neſcire fateor, & an nomen vnicum martyris ſit anonymis ſuperadditum, an in duo nomina diuiſum Barbę, & Labæ, vt in Antuerpienſibus laminis apparet, alijs codicibus deſtitutus, non decerno.

II. Nonas.

IN Nicomedia Victoris. Victuri, & Neocepuli. Papiæ. Alexandri. Diodori. Claudiani. Cariſi. Mercuri. Perpetuæ. Felicitatis. Iocundi. Saturnini. Carſi. Nicephori. In Italia Filatagoniæ. Victurini. Ianuli. Siluani. Permiæ. Sattiri. Saturnini. Reuocati. Plamfagioni. Petroni. Diodori. Nigori, & Chariſti.

MAR-

MARTII 6.

NIcomediæ Victorem, & Victorinũ omnia edita martyrologia, hac die tribuunt. Mſ. etiam S. Hieronymi antiquum Kalendarium Victurinum refert. *ii. Nonas Victurini*. Aliud etiam mſ. Kalendarium Canonicorum Lucenſium ſub Bedæ nomine *ii. Nonas S. Victoris, & Victurini*, & aliud penes me in peruetuſto Breuiario ita retinet. Vnde in codicibus noſtris pro *Victuri*, reſtituendum eſſe *Victurini*, non dubito, & addendum ex Romano, Vſuardo, Notkero, & alijs, Claudianum, & Baſſam, qui in Corbeienſi, & noſtro deficiunt, in vetuſtiſſimo verò Antuerpienſi ita recenſentur. *Pridie Non. In Nicomedia Victoris, Victorini, Claudiani, Baſſæ, & alibi Nicapoli, Papæ, Alexandri. In Africa Diodori, Claudiani, Cariſi, Mercori, Item Claudiani, Perpetuæ, Felicitatis, Iocundi. Nicomediæ Saturni, Carſi, Victoris, Papiæ, Nicefori, Plamfagoni, Victorini, Ianuli, Siluani, & Permiæ. Item in Africa alibi Satyri, Reuocati. Item Plamfagoni. Item aliæ Petrini, Diodori, Nicefori, Cariſti.*

Et Neocepoli. Eodẽ proſus modo, quo codices noſtri Neocepolim legunt, ita etiam retinet Corbeienſe, cuius integrũ laterculum de more ſubteximus. *Pridie Non. Mart. Nicomediæ Victoris, Victorini: & Neocepoli, Papiæ, Alexandri, Diodori, Claudiani, Cariſii. Item Claudiani, Mercurii, Perpetuæ, Felicitatis, Iocundi, Saturi. Nicomediæ, Saturni, Caſſii, Victoris, cum aliis duobus Martyribus Papiæ, Nicephori. In Italia Filagoniæ, Victorini, Hianuli, Siluani, Permiæ. Item Saturi, Saturnini, Reuocati, Planfagoni. Italiæ, Petronii, Diodori, Nigori, & Cariſti, Donati, Vibiani.* At poſt Nicomedienſes Martyres vetuſtiſſimum Antuerpienſe legit, *& alibi Nicapoli, Papæ, Alexandri.* Quo loquendi modo intelligere pariter liceret Nicapoli, tam nomen eſſe martyris, quam vrbis, niſi diſertè Notkerus pro nomine Vrbis Nicopolim accepiſſet, non Martyris; poſt Nicomedienſiũ enim breuiter indicatum agonem, capitali diuiſione ſubdit. *Nicopoli, Papiæ, Alexandri, & Diodori Martyrum.* Adauget coniecturã, & quòd pro Neocopoli, Nicopoli legendũ ſit, quia Victor, Victorinus, Claudianus, Papias, Serapion, Dioſcorus, & Nicephorus, qui in MS. Hiberniæ ad diem 25. Februarij apud Bollandum recenſeretur, in veteri martyrologio Roſuueydi, ſeu potius apud Adonem, Bedam, Vſuardum, Ægypto tribuuntur. Eſt enim Nicopolis Ægypti locus, triginta ſtadijs ab Alexandria diſtans, vt ex Dione, Strabone, ac Ioſepho deducit Ortelius. Sunt tamen qui Dioſpoli, vel Diopoli hos Martyres tribuant, vt Petrus Cabilonẽſis in Topogaphia, ex quo Galeſinius. Corinthi verò agonem perfeciſſe habent Græci in Menologio Baſilij ad diem primam Februarij, ſiue ad diem quintam Aprilis in Menologio Caniſij. Poſt Claudianum in codicibus noſtris Cariſius, Perpetua, Felicitas, & alij quatuor, nulla addita loci diſtinctione, ſuccenturiantur. In Corbeienſi, ſub alio Claudiano poſt Cariſium, militant Mercurius, noſtris codicibus ignotus, Perpetua, Felicitas, Iocundus, & Saturus; deinde alij Nicomedienſes numerantur. At negandum non eſt, quod toties diximus, vetuſtiſsimum Antuerpienſe, in locorum diſtinctione magis eſſe elaboratum, ac proinde illi magis in his adhærendum eſſe. In hoc Diodorus, alter Claudianus, cum Cariſio, & Mercorio, alio Claudiano, Perpetua, Felicitate, & Iocundo Africæ tribuuntur. Perpetuam, ac Felicitatem, cum ſocijs, inter quos Iocundus fuiſſe in Africa Martyres magni nominis, ſequenti die palam erit; potuerunt autem glorioſæ Martyres Perpetua, & Felicitas cum ſocijs aliquibus, hic expreſsis, repetita ſolemnitate proſequi, ne ab illis ſocijs dirimerentur.

Sa-

Saturnini, Carsi. Alia hæc est Nicomediēsiū Martyrū classis in Antuerpiēsi martyrologio, pluriū hìc sacrorū pugilū feraciori, quā sint codices nostri, & Martyrologiū Corbeiense; quin etiā magis in turmas, locosq; distincti ibi afferūtur: vnde eosdem nostros codices hic esse, & illud magis esse sequendum constat.

Italiæ Filatagoniæ. Ex his martyribus Italiæ à nostris codicibus tributis, aliqui in serie Nicomediensium apud martyrologium Antuerpiense sunt. In hoc bis Plamfagonius repetitur, qui aliquando in nostro Filatagonius, aliquando Plamfagionius dicitur. Italiæ in illo tantùm tribuuntur Petrinus, Diodorus, Nicophorus, & Caristius, qui nonnihil mutatis nominibus postremi sunt in nostro: licet pro Petrino Petronius, pro Nicoporo Nigorus appellentur. Corbeiense M. in duas classes diuidit Italiæ Martyres, nihil à nostro differens, præter quam quòd post Plamfagonium, iterum interponit vocem *Italiæ*, quasi turmas eiusdem loci diuidens; nisi potius Italiæ nomen, aliàs frustra repetitum, martyris esset, nō prouinciæ, quòd difficillimum est decernere. Notkerus pro *Filatagoniæ* legit in duo diuisum nomen *Villa Fagoniæ*, hoc est in Italia Villa Fagoniæ Victorini, & Siluani. Locum in Italia, qui Villa Fagonia dicatur, hucusq; me faceor ignorare.

Nonis Martij.

IN Africa Satyri. Reuocati. Iocundi. Seruani. Rogati. Eroi, & Victurine. In Antiochia Leoci. Satiri. Taxis. Nestoris, Equini. Saturnini. Reuocati. Secundoli. Italici. In Mauritania Ciuitate Turbitanorum passio Sanctarum Perpetuæ. Felicitatis. In Thracia Dandæ. Leunucæ. Sutunde. Artaxi. Quinti. Nestoris. Secundi. Ferri. Occatus. Idem Dandæ. In Africa Sauri. Siluani. Rogati, & Manili.

MARTII. 7.

EX Actis Sāctarum Perpetuæ, & Felicitatis, quæ cum notis posthumis Lucę Holstenij, doctissimi olim, & amicissimi viri, ad me dum hæc cuderentur, peruenerunt, confusa esse Sanctorum Martyrum nomina suspicari licet, tam in codicibus nostris, quam Corbeiensi, & Antuerpiensi martyrologijs. Vetustissimum hoc ita sacros saltos prosequitur. *Nonas Martij. In Africa Saturi, Reuocati, Iocundi, Saturnini, alibi Siluani, Rogati, Eroij, Victorina. Antiochia Leocis, Taxis, Nistoris, Equini, Satiri, Saturnini, Reuocati, Secundoli, Italici. In Mauritania Ciuitate Turbitanorum passio Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis. In Thracia Dandæ, Lenucæ, Secundi, Antaxi, Quinti, Nistoris, Secundi, Serri, Occatis; Item Dandæ. In Africa Satiri, Siluani, Rogati.* Corbeiense huius diei Martyres signat hoc pacto. *Non. Mart. Africa, Satiri, Reuocati, Iocundi, Victurini, Saturnini, Seruani, Rogati, Croci. In Antiochia Leuci, Satiri, Taxis, Nestoris, Equini, Saturnini, Reuocati, Secundili, Italici, Iocundi. In Mauritania Ciuitate Turbitanorum Passio Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis. In Thracia Dandæ, Leununcule, Secundi, Nestoris, Artaxi, Quinti. Item Secundi, Serri, Occatis. Itē Dandæ. In Africa Sauri, Siluani, Rogati, Manili.* Quos in prima Africanorum Mar-

Martyrum classe, tria hæc martyrologia produnt, ex his esse, qui cum Perpetua, & Felicitate martyrium fecerunt, facile est credere. Excidit in codicibus nostris Saturninus, qui in Antuerpiensi, & Corbeiensi memoratur. Hic cum Iocundo, & Artaxio viuus arsit, & cũ Quinto, qui obiit in carcere in visione Saturi recensetur. Reliqui, quamquis in iisdem actis nominibus non exprimantur, non modo eiusdem persecutionis tempore agonem perficere potuerunt, sed inter plures illos numerari, qui in munere castrensi, in qua Perpetua, & Felicitas pugnauerunt, ad bestias damnati sunt. Plures in carcere fuisse coniectos, partim habetur in iisdem Actis, & plures fuisse eodem tempore damnatos, hæc verba docent in narratione ipsius inuictæ Martyris Perpetuæ, *Tunc nos vniuersos pronunciat, & damnat ad bestias*, Hilarianus nempe procurator, qui tunc, loco Proconsulis, Minucij Timiniani defuncti, ius gladij acceperat: & de multis, eodem certamine, martyribus meminit D. Augustinus in tractatu de tempore Barbarico cap. v. *Ante paucos dies natalicia celebrauimus martyrum Perpetuæ, & Felicitatis, comitum. Et cum tot ibi sint viri, quare ista duæ prę omnibus nominãtur, nisi quia infirmior sexus, aut æquauit, aut superauit virorum fortitudinem?* Hos omnes in eadem ciuitate Tuburbitanorum palmã accepisse verisimile est. Beda hoc eodẽ die, non modo Perpetuæ, & Felicitatis, sed Reuocati, Saturnini, ac Secundoli memoriam agit, & eorundem Acta breuiter percurrit: vnde educeretur, etiam plures eodem tempore commilitones in carcere fuisse, qui præcocem partum Sanctæ Felicitati orationibus impetrarent, nisi ex iisdem germanis actis liquidius constaret. Eadem hic ille ex iisdem, digna vt passim legerentur, nisi iam Romæ edita scirem ex schedijs eiusdem clarissimi Holstenij opera Petri Possini. Totidem Africanos Martyres, cum codicibus nostris, exhibet Corbeiense M. quod Crocium, vel Crocum, pro Eroo, vel Eroio profert, à vetustissimo martyrologio prætermissum, in quo tres tantũ Reuocatus, Iocundus, & Saturninus recensentur: reliqui Siluanus, seu Seruanus, Rogatus, Eroius, & Victorina *alibi* passos esse pronunciatur. Vnde pro Victurino, restituendum esse Victurinam, in Corbeiensi vix dubitarem.

In Antiochia Leuci. Leucium habet Corbeiense, & nouem Martyres illi sociosadiungit. Leocium tamen legit vetustissimum Antuerpiense, & illicum codicibus nostris octo commilitones addit, prætermisso nempe Iocundo, qui inter Africanos Martyres rectius ab alijs reponitur. Reuocatus, & Secundulus cathecumeni Africani sunt, & Felicitatis consocij, & commartyres. Notkerus *In Antiochia Leuci, Saturi, & Nestoris*, eandem hac die memoriam agit.

In Mauritania. Tuburbi apud Carthaginem habet ms. Reginæ Sueciæ, in hoc ab Holstenio laudatum. Erat enim Tuburbis, siue Tuburbũ Ciuitas Episcopalis sub metropolita Carthaginensi, inter Carthaginem, & Vicum Augusti, ex Itinerario Antonini: Vrbs quinquaginta Proconsularis, inter quam, & Mauritaniam Numidia intercedit. Corrigenda ergo vox Turbitanorum, quæ tam in Antuerpiensi, quam codicibus nostris legitur, & restituenda Tuburbinatorum ex D. Augustini serm. 22. inter editos à Sirmundo, vbi insignes Martyres Perpetua, & Felicitas Tuburbitanæ dicuntur. *In Mauritania Ciuitate Tuburbitanorum*, legit martyrologium vetus Rosuueydi, ex Adone vt assolet. Ita Vsuardus, Notkerus, & Beda in martyrologio, qui tamen non Tuburbi, sed Carthagine agonem complexum esse affirmat in lib. de vi. ætat. sub Seuero Pertinace his verbis: *Perpetua, & Felicitas apud Carthaginẽ Africæ in castris bestijs deputatæ pro Christo ix. Mart.* Rabanus eadem refert apud Carthaginẽ, quæ in nostro Adone ms. legatur, vt in codicibus Mart. nostri, & Corbeiensis *Tuburbitanorum*. De Perpetua, & Felicitate hac die agunt cum Romano, nõ modo omnia

ferè

ſerè martyrologia, ſed Canon Miſſæ, & fragmentum pariter veruſtiſſimum martyrologij apud Bucherium. Meminit Tertullianus lib. de anima, vbi reliquos Martyres vocat Perpetuę fortiſſimę martyris *Commartires*. Plura de ijſdē ſcripſit D. Auguſtinus, quæ omnia cum reliquis ad calcem paſſionis Perp. & Felic. edita Romæ ſunt. Addimus his Græcorū menologium, Baſilij nomine inſignitum, in quo ad diem 11. Febr. certamen Sanctorum Perpetuæ, Satyri, Reuocati, Saturnini, Secundi, & Felicitatis narratur, nōnihil immutata hiſtoriæ veritate. Proſper Aquitanus in Chronico integrō ita de Sanctorum martyribus ad quintam perſecutionē agit. *Qua tempeſtate Perpetua, & Felicitas pro Chriſto paſſæ ſunt Nonis Martij, apud Carthaginem Africæ, in caſtris b. ſtÿs depute*: Vbi Perpetua dicitur in Actis, cathecumena honeſta, liberaliter inſtituta, Matrona, nupta, habens patrem, & matrem, & fratres duos, alterum æquè catechumenum, & filium infantem ad vbera. Huius martyrium non admirabile tantùm eſt, quòd beſtias, & reliquas carceris, & tribunalium ærumnas non expauerit; ſed quòd patris blandimenta, minas, & ſenectutis illius commiſerationem, filij lactantis inediam pro Chriſto nihili fecerit, non minus in anima quā in corpore martyr. Felicitas conſerua Reuocati, octauō grauidationis mēſe, orationibus cōmilitonū, enixa in carceribus puellam, ſuperuiuentem, dum anſia eſſet, ne propter ventrem differretur pugna, queribunda in doloribus partus, nihil ſentiens à Vacca indomita eliſa, reticulis cū Perpetua inducta & iactata, tandē in medio theatro cū illa Saturo, aliiſque iugulatur. Fatetur Ioſephus Scaliger p. 221. Animadu. in Chron. Euſebii, quamquam critico tumore inflatus Smyrnenſium apud Euſebium epiſtolam, vel Acta martyrum Lugdunenſium, ita animum eius ſemper affeciſſe, vt à lectione illorum ſemper commotior recederet. Acta equidem Sāctarum Perpetuæ, & Felicitatis huius generis ſunt, & venerabile quippiam ſapiunt, ad pietatem in animum altiùs inſtillādam. Vtinam tantarum Martyrum Perpetuæ, & Felicitatis meritis, & interceſſionibus roborati, perpetuam in cælis felicitatem conſequi mereamur. Vide quæ in epiſtola ad me data clariſs. Holſtenius adnotauit, ad calcem Admonit. 1. et quæ diximus ad diem 9. Ianuar.

In Thracia Dande: Nonnihil immutatis nominibus, tam Antuerpienſe, quam Corbeienſe, cum codicibus noſtris decem ſacrorum pugilum chorum in Thracia enumerant. Artaxis, & Quintus ex his eſſent, qui in Actis Sanctorum Perpetuæ, & Felicitatis memorantur, niſi conſtanter non Africæ, ſed Aſiæ tribuerentur? Notkerus aliquos ex his ita refert: *In Thracia Dande, Eunice* pro Lemica, vel Leunuca Antuerpiēſis martyrologii, & noſtri, *Secundi, Sergii*, pro Serri, aut Ferri, *Optati*, pro Occatis.

In Africa Saturi. Saurum etiam legit Corbeienſis; Satirum verò Antuerpienſe; qui cum eō tantùm enumerat Siluanum, & Rogatum. Manilium addunt codices noſtri cum mſ. Corbeienſi. Alij hi ſunt ab his, qui initio latebāt indicantur, quamquam Satirus, & Reuocatus etiam inter illos recenſeantur. Sed nomina hęc frequētis vſus erāt in Africa.

VIII. Idus Martij.

IN Nicomedia Quintili Epiſcopi, & Capitulini. In Africa Rogati. Felicis. Item Rogati. Beromæ. Hereme. Felicitatis. Orbanilli Epiſcopi. Siluani, & Manili.

MAR-

MARTIVS.

IN Nicomedia *Quintili Episcopi*, Quirillum non Quintilium habet vetustissimũ Antuerpiense. *VIII. Idus Mart. Nicomediæ Quirilli Episcopi, & Capitolini. In Africa Rogati, Felicis, Manili. Item Rogati, Beronicæ, Aerenia, Felicitatis, Orfani, & Cyrilli, Siluani Episcopi.* Quintilium tamen cum codicibus nostris ita retinet Martyrologium Corbeiense *viij. Idus. In Nicomedia Quintili Episcopi, Capitolini. In Africa Rogatiani, Felicis. Item Rogati, Beronæ, Ereme, Felicitatis, Vrbani, Cyrilli Episcopi, Siluani, Manili, Datiani.* Et Quintilis Episcopi, & Martyris memoriam agit hac die martyrologium Romanum, ex Beda, & veteribus mss., quæ Capitolinum addunt, sicuti etiam ms. Reginæ Sueciæ *VIII. Idus Quintilli Episcopi, & Capitulini*. Eadẽ habet Notkerus, qui *Quintilis Episcopi*, non *Quintilli* legit.

In Africa Rogati. Rogatianum habet martyrologium Corbeiense, librarij vitio, cum Rogatus, tam in codicibus nostris, quam in Antuerpiensi, & alijs nuncupetur, & in eodem Corbeiensi ex repetitionis nota *Item* coniungitur. Rogatus etiam dicitur Notkero, qui tantùm Felicem illi adiungit. *In Africa Rogati, & Felicis*, deindè veluti alterius ordinis subdit. *Natalitas etiam Cyrilli Episcopi, Siluani, & Manili.* At Manilius Antuerpiensi primæ classis est, immò eiusdẽ penè ordinis cũ nouẽ alijs martyribus. His omnibus Cyrillus dicitur, qui in nostris codicibus, vt videtur, corruptè Orbanillus Episcopus vocatur, nimirum composito nomine ex Orfani, siue Vrbani, & Cyrilli decurtato. In Castedario perantiquo S. Hieronymi, nõ modò Cyrillus dicitur, sed Rogato iam præponitur. *viij. Idus Cyrilli, & Rogati.* Antesignanũ Cyrillum Episcopum etiã præfert, cum Rogato, Vuandelbertus, & martyrologium Romanum ex Beda, in quo nouem pariter martyres numerãtur, & pro Berema Beata dicitur, pro Orfano Vrbanus, & pro Manilio Manilius. At mirũm, quòd vetustissimum Antuerpiense, non Cyrillo Episcopatus dignitatem addat, sed Siluanò, qui agmen claudit. Plures Siluani Episcopi, sub diuersis diebus, memorantur in Romano martyrologio, nullus hac die. Datianum pro coronide addit martyrologium Corbeiense, alijs non indicatum.

VII. Idus Martij.

IN Armenia Minore Sebastiani, & Milia xl. quorum gesta habentur. Iuliani, & Sici. Cyrilli. In Africa Felicis. Philippi. Cedecesis. Cendei. Mariani. Rogati. & Concessij. & Infirmario Rodomi in loco Paldiacro passatio corporis S. Ansberti Episcopi.

MARTIVS.

Librarij lapsum, non minus in codicibus nostris, quam in Corbeiensi fateri cogimur; tam enim in edito apud Dacherium, quàm in mss. penes me, legitur *vij. Idus Martij, In Armenia Sebastiani, & militum xl. Iuliani Sisci, Cyrilli, In Africa Felicis, Philippi, Code, Cedis, Cendei, Maxiani, Regati, Concessi, Iuuencule.* Notissimum enim est, in pluribus martyrologijs quadraginta Martyres Sebastæ in Armenia minori coronatos, hac die recoli; Vnde in nostro sic librarij oscitantiam emendandam credimus. *In Armenia minore Sebasta Natalis militum xl., quorum gesta habentur*, vel *Sebasteni militum xl.* Lacunam habet vetustissimum in Antuerpiense in laminis. *vij. Idus in Armenia Sebastia militum xl Item Iuliani, & Sici. In Africa Cyrilli, Felicis, Philippi, Cedeceſis, Cendei, Mariani, Regati, Concessi.* Cyrillus in codicibus nostris & Corbeiensi, ad Armeniã minorem, & Sebastam Vrbem attinet; sed alterius ordinis à quadraginta militibus, quorũ nomina, quæ hic non recensentur apud Adonem prostant, qui non vij. Idus, sed vj. in ms. nostro illorum memoriam recolit, sicuti apud Vsuardum, & Notkerum. v. Idus. Cum verò Ado ex vetustiori nostro, vt alibi diximus, martyrologiũ suũ ditauerit, facile existimamus, hic culpa incuriosi librarij eorum nomina desiderari, & ex Adone ms. cui vetustius hoc S. Hieronymi martyrologium apud nos subnectitur, iterum reponi debuit; præsertim quod non multũ distent ab his nominibus, quæ protulit Metaphrastes, & recentiùs Petrus Equilinus, & Galesinius. *Domitianus, Eunoicus, Sisirenius, Eradius, Alexander, Iohãnes, Claudius, Athanasius, Valens, Elianus, Melithon, Hecdicius, Achatius, Bibianus, Helius, Thendolus, Cyrillus, Flauius, Seuerianus, Cyrion, Valerius, Chu-*

rion, & Sacerdon, Priscus, Eutychius, Smaragdus, Philectimon, Aetius, Nilbaelius, Lisimachus, Damnus, Theophilus, Enticius, Xantius, Aggius, Leontius, Isius, Gaius, Gorgonius, Candidus. De his luculentam orationem habuit D. Basilius, in qua eorum Acta percurruntur, & exornantur; aliã etiam Nyssenus eius frater in duo partitam, & S. Gaudentius Brixianus in dedicatione Ecclesiæ. Nomina etiã quadraginta martyrũ, & acta habet Petrus de Natal. l. 3. c. 185. & latius ex Metaphraste Surius, in quibus disertè traditur, passos hos Sanctos xl. martyres *vj. Idus Martij Licinio Imperatore.*

Iuliani Sici. Hos Africæ tribuit Galesinius ex antiquis codicibus, quos deprauatos valdè fuisse constat; nàm ex his, qui re vera Africani sunt, præter Marianum, vel Maurianum, nullum aliũ exhibet.

In Africa. Cyrillũ inter Africanos, non Sebastenos Martyres numerat M. vetustissimum Antuerpiense, in quo Cedeceſis vnus martyr est, quemadmodum & codicibus nostris, non in duos diuisus Gedem, & Cedim, vt in Corbeiensi Dacherij.

In Territorio Rodomi. Meram additionem Fontanellensis antiquarij hic agnoscimus in S. Ansberto; quod infra etiam apparet ad calcem diei sequentis. Si quis de S. Ansberto plura desiderat Bollandum adeat ad diem 9. Februarij. Corrigendus interim hic est librarij error, & legendum. *In Territorio Rotomagensi in loco Paldriaco passatio corporis S. Ansberti Episcopi.* Quæ cum capitibus illius vitæ conueniant, Translatio corporis Sancti, & magni Prosulis ad Ecclesiam S. Petri Fontanellensis ex Ecclesia Sancti Pauli, cum in chronico illius cœnobij facta fuerit sub Baino Abbate anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quarto, iam ante idem tempus ad Fontanellense Cœnobium deportatum Sacrum corpus fuisse apparet; quod

die

die sequenti notatur. Consecratus fuit Ansbertus à Landeberto Abbate Fontanellensi, & Metropolita Lugdunensi in Episcopum Rotomagensem, Anno DCLXXXVIII., vt legitur in Chronico Vindunensi p. 202. & obijsse anno 695. habetur ex Chronico Rotomagensi p. 365.

VI. Idus Martij.

IN Nicæa Gorgoni. Palatini. Firmi. In Antiochia Agapæ Virginis, & Marianæ. Smyrnæ Phionis. In Persida numerum martyrum xlij. In Nicomedia Palatini. Firmiani. & Rustici. Alexandria Eracli. Zosimi. Alexandri, & Gaiperi. *Fontanella Monasterio aduentus, & exceptio corpus S. Ansberti Episcopi.*

MARTII 10.

MAneos hìc agnoscimus codices nostros, cum Martyrologio Corbeiensi. Deficit enim prima Alexandrinorum Martyrum cohors, quã ita vetustissimum Anturpiense complectitur. *vi. Idus Martij, In Alexandria Natalis Candidi, Valeri, Petri, Marciani, & aliorum xij. Martyrũ. In Nicea Gorgoni, Palatini, Firmi. In Antiochia Agapæ Virginis, & Martyris, Ganis, Smyrnæ, Phionis. In Persida Martyr. xxxj. In Nicomedia Palatini, Firmani, Rustici. In Alexandria Eracli, Zosimi, Alexandri, Gai, Penni, Sancti Atalia Abbatis.* De primis Alexandrinis Martyribus nihil alibi inuenio, & omnes vetustissimo illi debemus. Corbeiense cũ nostro ferè ita consonat. *In Nicea Gurgonij, Palatini, Firmi. In Antiochia Agapæ Virginis, & Martyris, Mariani. Smyrnæ Phionis. In Persida numero martyrum quadraginta septem. In Nicomedia Palatini, Rustici, Pionij. In Alexandria Eraclij, Zosimi, Alexandri, & Gaipe.* Dubitari tamen potest, ne Alexãdrini martyres, qui in Antuerpiensi primo loco memorantur, ex his sint, qui die sequenti in Romano Martyrologio prostant, & ibi aliqua adnotabimus.

In Nicea Gorgoni. Gregorium cum Firmo pro Gorgonio legit Petrus de Natalibus lib. 11. num. 87. non indicato loco martyrij. Sed Niceæ, & Gorgonium constanter retinent adducta, cum nostro, martyrologia. Cõsonat Galesinius ex vetustis martyrologijs, sed deprauatis; cum Gorgonio enim, & Firmo Agapem Antiochensem sociat, & Antoninum addit reliquis ignotum. Palatinus videtur nomen potius esse Martyris, quam dignitatis, vt infra.

In Antiochia Agape. Sancta hæc Virgo, ac martyr Antiochena Marianæ iungitur in codicibus nostris. Marcianis hæc tamen dicitur Antuerpiensi, Marianus Corbeiensi. De Agape ita meminit Calendarium Hieronymianum nostrum peruetustum *vi. Nonas Agapi.* Agapem Virginem, & Marinam in Antiochia etiã Notkerus hac die veneratur; in sequenti mſ. Reginæ Sueciæ cum Gorgonio, & Palatino Niceę, non Antiochiæ martyribus.

Zmyrnæ Phionis. Zmyrnæ pro Smyrnæ dictum codicibus nostris, alibi monuimus; Phonis non Phionis legit Antuerpiense martyrologium; fortasse leuiori librarij errore.

In Persida. Quadraginta duo martyres in Persida omnia ferè retinent martyrologia, & cum Romano, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & recentiores;

vndè emendãda numeralis nota in Corbeiense, & pro xlvi. restituendum xlij.

In Nicomedia Palatini. Palatinus nomen hìc martyris est, non officij. Consonat Antuerpiense martyrologium, & Notkeri, tam in nominus, quam in numero martyrum, dissonat tantum Corbeiense: in quo pro Firmano legitur *Pioni*. Firmianum habet Galesinius ex Beda.

In Alexandria. Pro Gaipero legit Corbeiense Gaipem. Antuerpiense in duos martyres diuidit Gaium, & Pẽnum; quod magis accuratè scriptum videtur, & numerum implet, à ms. Reginæ Suecię indicatum. *vi. Idus Martij Alexandria Zosimi, & Alexandri cum aliis tribus.*

Fontanella Monasterio. De S. Ansberto, eiusq. translatione egimus ad calcem diei superioris, & hæc ab antiquario Fontanellense addita nõ dubitamus. Habet vetustissimum martyrologium, suas etiam additiones; nimirùm Atraliæ Abbatis, siuè Actalæ Abbatis, quem Luxouio tribuit Galesinius, Romanum Bobiensi in Italia Monasterio, sicuti & Notkerus.

V. Idus Martij.

IN Cartagine Zosimi. Alexandri. Filomi Episcopi. Candedi. Valeri. Quirilli. Petruni. Gagi. Marciani. Syci. Piperonis, & aliorũ xv. Rogati, & Cendei. In Nicomedia Eunuci, & Gurgoni.

MARTII 11.

TAm Antuerpiense, quam Corbeiense Martyrologium plures martyres hac die enumerat, quam nostrum. Illud enim tredecim Cartaginenses nominibus exprimit, cum duodecim anonymis; nostrum vndecim nominibus signatos, quĩdecim verò anonymos, numerali fortasse nota deprauata, & duos sequentes recenset. In Nicomedia Eunucũ tantum, & Gurgonium reponit, dum illud quatuor Nicomedienses in memoriam ita reuocat. *V. Idus Martii. Kartagine Eracli, Zosimi, Alexandri, Gai, Filomi Episcopi, Candidi, Valeri, Quirilli, Petruni, Martiani, Sicipi, Perionis, & aliorum xỹ. Rogati, Cendei. Nicomedia, Eunuchi, Gorgoni, Firmi, Agapiti.* Corbeiense tredecim pariter cum Antuerpiensi nominibus distinguit, & xv. anonymos prẽter Rogatum, & Cendeum. In Nicomedienses verò ita supra vetustissimum illud in duobus martyribus redundat. *v. Idus Martij. In Carthagine Heraclij, Zosimi, Alexandri, Philomi Episcopi, Candidi, Valerij, Quirilli, Petronij, Gai, Martiani, Ysici, Piperionis, & aliorum quindecim, Rogati, & Cendei, In Nicomedia Eunuculs, Euchi, & Gurgoini, Firmi, Pauli, Fortunati.* Corrigẽda est tamen in Antuerpiensi martyrol. differentia in nomine *Sici*, & *Perionis*, & scribendum est Ysici, vel *Sici, & Piperionis*. *Piperionis* enim prætor nostrum, & Corbeinse etiam retinet Galesinius; qui ex his numerat Heraclium, Zozimũ, Candidum, Piperionium, & xx. anonymos, non indicatis in notationibus scriptoribus, vndè excerpserit. Sanè ex his vnus est Bellinus de Padua, qui totidem verbis, cum Piperione, & xx. anonymis, reliquos exhibet; Piperionem etiam legit martyrologiũ Romanũ, quod Carthagini tantùm tribuit Heraclium, & Zosimum; quamquam Alexandrum etiam à Beda inter hos numeratum, Baronius animaduertat. Quin etiam idem vir sũmus, antiquorum ms. fide, à Petro de Na-

Natalibus discedit: licet in eo lib. 3. cap. 191. relatos inter Carthaginenses martyres viderit Hiradum, pro Heraclio, Zosimum, Alexandrum, Candidum, & Piperionem cum xx. consocijs. At fortasse Petrum Equilinum reliquit, quòd is ex Adone excerpisse in fine capitis profiteatur; cum re vera apud Adonem, neque Mosandri, neque Rosouueydi hi martyres inueniantur, sicuti neque in Adone nostro ms.; eos tamen refert Maurolycus, ad cuius marginalem oram editionis Venetæ 1577., pro Alexandro, adnotatur aliter scriptum esse; *Alexandriæ Philonis Episcopi, Valeri, Candidi, & aliorum xx.* Nec præter rationem suspicari licet, aliqua in vetustissimo Antuerpiensi corrupta esse, & ex superiori die in hunc transposita: illic enim Alexandriæ natalis memoratur Candidi, Valerij, Petri, (forte pro Petrunio) Marciani, & relictis tantũ Sicipione, & Perione additur ijsdem verbis, *Et aliorum xij.* Ita facilis librarij lapsus esset *Alexandri* pro Alexandriæ scribentis. Cum tamen ijdem martyres Chartagini in Corbeiensi tribuantur, sicut in vetustissimo illo, mãcos maluimus codices nostros suspicãri, quam contra decernere. Non silebimus interim Notkerũ die superiori *vi. Idus Alexandriæ* pariter *Heraclij, Zozimi, Alexandri, & Gai*, memoriam prosequi; V. verò Idus nullum ex his nominibus repetere, sed tantùm Nicomedienses aliquos Martyres proferre, nempè Euniciũ, Gorgonium, Firmium, & Agapitum Antuerpiensi memoratos; reliquos autem à Corbeiensi adductos nuilibi mihi comparere fateor. Pro Valerio, inter Carthaginenses numerato, Valerianum, & Cãdidum ita exibet Calendarium Lucense ms. Hieronymianum *V. Idus Candidi, & Valeriani*. Aliud verò Calendarium ms. exhibet, non indicato passionis loco, Alexandrum, & Gaium, sed superiori die *vi. Idus Alexandri, & Gaij martyrum*, hac enim die, v. Idus, habet tãtùm Constantinum Confessorem.

IV. Idus Martij.

IN Nicomedia Egdoni Presbyteri. & aliorum viiij. Sofogatorum. In Alexandria Zoni Episcopi. Alexandri. Diaconi. & Duni. & Netar Diaconi. In Africa Iohandi, & aliorum xliiij. & in Albya Syluani. Romæ depositio S. Innocenti Episcopi. Rasij Episcopi. In Nicomedia Migdoni presbyteri. Item Migdoni. Eutici. Maximæ. Domnæ Virg. Rigini. Marij. Petri. Smaragdi. & Vingeloſi. Helari. Quirini. Mareas. Nestori. Eugeni. Dorothei. Gorgoni. In Alexandria Orion Diac. In Asia Carpi. Petuni Episcopi. Firmi. Pauli, Agathoni. Macedoni. Patriciæ. Modesti Presbyteri. Zosimi Presbyteri. Eustasi Presbyteri. Baseliſſa vxor eius. Felicionis. Ioueniani. Helari. Concesi. Zirne Pioni Presbyteri. Romæ depositio S. Gregorij Episcopi beatæ memoriæ.

CVr non vnica classe Nicomedienses, vt in sua vnica Alexãdrini, claudantur, sed vtriusque vrbis sacri pugiles in duos ordines distribuãtur, causam putarem, varium martyrij tempus, & martyrum etiam variæ turmæ, à diuersis Ecclesiæ notarijs, in sacris fastis consignatæ. Quod cum non semel occurrat, præsertim in Africanis, Nicomediensibus, Antiochenis, & Alexandrinis martyribus animaduertere libuit. In his enim locis frequens carnificina Christianorum exercebatur, & ad memorias martyrum consignandas destinati notarij, munus impositum magis accuratè prosequebantur; Quod dictum velim, ne facilè librarios de incuria culpare accidat. Id in primis videre licet in vetustissimo Antuerpiensi, in quo bis martyrum manipuli, interiectis alijs, & aliorum locorum martyribus, tam Nicomediæ, quam Alexandriæ repetuntur. Ita enim laterculi series componitur. *iiij. Idus in Nicomedia Egoni presbyteri, & aliorum vii. In Alexandria Zoni Episcopi, Alexandri Diaconi, & Duni. In Africa Iohannis, & aliorum xliiii, Andini, Albuca, Siluani. Romæ Sancti Innocenti Episcopi, Rasi Episcopi. Item Nicomediæ Migdoni presbyteri. Item Migdoni Enneni, Maximi, Donatæ, Rugini, Mari, Petri, Zmaragdi, Hilari, Enenguli, Inquirini, Mereasi, Nestori, Eugeni, Dorothei. Gorgoni: Item Alexandriæ Arionis Diaconi. In Asia Petuni Episcopi, Confirmi, Pauli, Carpi, Agationi, Macedoni, Patrici, Modesti, Domitiani presbyteri, Eustasi presbyteri, Basi, Bassilissæ filiæ, Cionis, Iouiani, Hilari, Conceßi, Zmyrnæ Pioni presbyteri, Petrodi presbyteri, Mirdani presbyteri, & aliorum lx. S. Grigori Papæ Romensis.* Eadem recensendi martyres consuetudo, etiam in Corbeiensi Martyrologio seruatur. *iv. Idus Martij in Nicodemia Egdoni Presbyteri, & aliorum septem suffocatorum. In Alexandria Zoni Episcopi, Alexandri Diaconi, Duni, & Neonas Diaconi, Iuli. In Affrica Ioãnis, & aliorum quadraginta quatuor. Et in Albua Saluiani, Andi, Minandi. Romæ Depositio S. Innocentii, Rasi Episcopi, Iuliani. In Nicomedia Migdoni, Euticii. Item Migdoni, Maximi, Domnæ Virginis, Rugini, Marii, Petri Smaragdi. & Vingelosini, Hilarii, Mariæ, Ner... Engini, Dorothei, Gurgoni, Matuli. In Alexandria Grion Diaconi, Gai. In Asia Carpi, Petronii Episcopi, Firmi, Pauli, Agatoni, Macedoni, Patriciæ, Modesti presbyteri, Domiciani presbyteri, Zosimi presbyteri, Eustasii presbyteri, Basilissæ vxoris eius, Felicionis, Iuuiniani, Helarii, Conceßi, Smyrnę Pionis, Metrodi. Romę Depositio S. Gregorii Papæ beatæ memoriæ.*

In Nicomedia Egdoni. Egdonium Presbyterũ, eundem cum Migdonio putat Baronius doctissimus, melioris notæ codicibus destitutus, in quibus, vt vidimus, longè diuersus est, & repetitus Migdonius. De Egdonio Presbytero agunt Beda, Vsuardus, Ado, & Notkerus cum alijs septem, qui vt cæteris Christianis metus adaugeretur, diebus singulis suffocati sunt. Vnde numerus in nostris codicibus expressus VIIII. emendandus est in septem, vt retinent adducta martyrologia.

In Alexandria Zoni Episcopi. Ad Zonam Episcopum Alexander tantùm, & Dunus Diaconi addũtur in Antuerpiẽsi; in nostro Necar, siue Nctar Diaconus pariter adiicitur, qui Neonas Corbeiẽsi est, in quo Iulius etiam socius legitur.

In Affrica Iohandis. Ioannes is est in Antuerpiensi, & Corbeiensi martyrologijs, in quibus numerus anonymorum xliiij. cum nostro consonat, sicuti ms. Reginæ Sueciæ infra adducendum. Adduntur deinde in vetustissimo alij martyres *Andinus, Albuca, Siluanus.* Sed cũ nostro legit etiam Corbeiense, *& in Albua*, & præter Siluanum, vel Siluianum,

An-

Antrum, & Minandium superaddit. Quę Vrbs, vel regio Albus sit, difficile est asserere, præsertim cum in Antuerpiensi Albuca sit nomen martyris, non loci. Album Promontorium Africæ dicitur Plinio in Proœmio libri 3. sed mendum hic timeo, & hæreo.

Romæ Innocentii Episcopi. Beatum Pontificem Innocentium primum, inter Sanctos in Martyrologio Romano recoli, ad diem 28. Iulij satis patet: quo die decessisse referunt, liber Pontificalis, & Albo Floriacensis. At Beda, & mss. antiqua apud Galesiniũ, hac ipsa die iiij. Idus Martij, eius memoriam recolunt, sicut Ado, & Notkerus, qui eius gesta per cõpendia decurrunt. Rasium alium Episcopum addit, qui auctarium Adonis confecit, martyrologium Antuerpiẽse, & cum codicibus nostris, Corbeiense, in quo insuper Iulianus adducitur. Ad Vrsum Pileatum via Portuensi, siue in Pontiani cœmeterio, ex ms. Vaticanæ Bibliothecæ, sepultum, cum Anastasio refert Aringhius Romæ Subterraneæ lib. 2. cap. 19. nu. 11. His verbis illius ms. *Ad Vrsum pileatum Portu. Anastasius, Innocentius.* Vndè subijt dubitare, an pro Rasio, Anastasius restituendus esset. Vtrumq. Pontificem transtulit Sergius in titulum Equitis, quando potuit eorum celebritas in hunc diem asportari: nec alibi in martyrologio nostro Anastasius Põtifex Romanus veneratur. Sed adducta martyrologia Rasium constanter retinent, fortasse alibi, non Romæ Episcopum. De hoc nihil exhibet ms. Reginæ Sueciæ, licet iiij. Idus addat. *Item Romæ Depositio Sancti Innocentii Episcopi.*

In Nicomedia. Altera Nicomediensium martyrum turma in adductis martyrologijs recẽsetur, in qua dux est Migdonius, cuius memoria cum habeatur in Actis S. Donnæ, & Indę apud Metaphrastem, & Surium die 26. Decembris, & cum hic inter martyres Nicomedienses etiam S. Domna Virgo numeretur, eundem esse Migdonium arguere liceret: alterum inquam ex duobus Migdonijs, qui in adductis codicibus numerantur, & sanè is, qui secundo loco proponitur, cũ primus in Martyrologio nostro Presbyter sit. Et quamquam plurima in ijsdem actis expressa nomina hic non recensentur, præcipua tamen exprimuntur, nempè Dorotheus, Petrus, & Gorgonius, qui pariter Nicomedienses martyres apud Eusebium numerantur lib. 8. cap. 6. Quinimò sicut Domna Virgo, & Migdonius apud Metaphrastem, ex ipso Imperatoris Palatio Martyres cũ Dorotheo dicuntur, & dignitatibus ornati, facilè etiam cum Dorotheo apud Eusebium componi possunt; non enim is, Dorotheum tantũ certamen tunc inijsse narrat, sed nõ in dicatis nominibus, *reliquos cubicularios pueros*; qui tametsi *summi honoris prærogativa ab Imperatoribus ornati essent*, erumnas potius, & mortem subire, quam gloriam sæculi maluerunt. Petri deindè agonem Eusebius prosequitur, *vt ex illo Lectores coniicere possint, quid reliquis contigerit*, quorum *martyria nihilo inferiora breuitatis studio*, omittit. *Id tantum retulisse*, inquit, *sufficiat, quod Dorotheus, & Gorgonius vna cum aliis pluribus, qui in palatio ministrabant, post cuiusque modi certamina, elisis laqueo faucibus, Diuinæ victoriæ præmiũ adepti sunt.* Inter hos plurimos, connumeratos fuisse reliquos, qui in Martyrologio nostro recensentur, nihil vetat asserere; quamuis enim Eusebius eiusdem libri cap. 2. doceat, Persecutionem motam mense Martio, *apparente die festo Dominicæ passionis*, vt Valesius interpretatur, vel vt Christophorsonius, *cum salutaris passionis Dominicæ festũ iam præsoribus esset*, & addat non statim sæuitũ in martyres, sed æquatis solo Ecclesijs, sacrisq. codicibus flammis absumptis, honore tantũ, & libertate primùm spoliatos fuisse; deinde sacros Antistites in vincula coniectos, & omnes denique ad sacrificandum impulsos, breui tamen tempore hæc accidisse colligitur, & ea narrare Eusebium palam est, quæ per literas, & edicta Imperialia ad eus noti-

notitiam peruenerunt: quæ edicta prius promulgata Nicomediæ fuisse, vbi duo ex Augustis morabantur, & vbi cœpta erat persecutio, Eusebius ipse nõ obscure innuit: vndè non videtur pugnare, quòd hi Sancti Nicomedienses pugiles die 12. Martij, quando non longè dies passionis distabat, agonem compleuerint. Siquidem vir quidam strenuus, & nobilis, cùm primũ edictũ contra Ecclesias propositũ fuerat Nicomediæ, propalam illud, vt impiũ discerpserit, & statim supplicia grauiora perpessus sit, vt eodem cap. 5. docet Eusebius. Penes quem licet nomen tanti martyris non explicetur, non difficile tamen esset, inter recẽsitos hodiernos athletas numerari, qui decem, & septem in Antuerpiensi martyrologio nominibus exprimuntur, totidemq. in nostris codicibus, & Corbeiẽsi referuntur. Variant quidem nonnihil nomina, & pro Domna Virgine vetustissimum illud Donatam habet, & pro Vingelosio, vel Vingelosinio, Euengulum. Reliquas nominum differentias vnusquisque elicere potest. An pro Maximo Maximilianus Notkeri accipiendus sit, quem vt aliorum plurimorũ antesignanum refert, mihi diuinandum non est.

In Alexandria Orion Diaconus. Arionem vocat martyrologium vetustissimũ Antuerpiense, sed Orionem cum codicibus nostris Corbeiense, qui Gaium alijs ignotum addit.

In Asia Carpi. Petunius Episcopus Antesignanus est Asiaticæ martyrum turmæ in Antuerpiensi martyrologio, sed Carpus etiã in Corbeiensi præponitur. An Carpus ille sit, qui sub M. Aurelio agonem perfecit, non est absurdum recogitare. De eo Eusebius lib. 4. cap. 15. in fine, ait. *Aliorum præterea, qui in Vrbe Asiæ Pergami, sub id tempus martyrium passi sunt, acta etiam nunc circumferuntur, Carpi videlicet, Papuli, & mulieris cuiusdam Agathonicæ, qui post multas, atq. illustres fidei nostræ cõfessiones glorioso exitu consummati sunt*; Fortasse pro Paulo Papulus, & pro Agathone, Agathonica restitui posset. De Petunio Episcopo nihil habet Eusebius, Petronius non Petunius Episcopus in Corbeiensi martyrodicitur, sicut etiam Petronius nuncupatur in ms. Reginæ Sueciæ IIII. Idus post Innocentium Pontificem Romanum. *In Africa Ioannis, & aliorum xliv. In Asia Petronij Episcopi, Modesti, Domitiani, Zosimi, Eustatii Presbyterorum.* At decurtatum hoc vbique martyrologium, quinque tantum ex martyribus Asianis profert: cũ quindecim in codicibus nostris numerentur, sex decim in Antuerpiensi, & Corbeiensi. In quorum primo, ad Eustasium presbyterum, Basius cum Basilissa filia additur; filia inquam non vxor, vt in nostris codicibus, & Corbeiensi dicitur: in quibus cum Basius deficiat, suspicionem induxit, ne nomen Basi in fine lineæ positum, ad illud Basilissæ, quod in capite alterius lineę statim occurrit, referri debeat, tanquam huius initium à librario per iniuriam repetitum. Tot verò Presbyteri recensiti in Asia, illud etiam respicere, videntur, quod initio persecutionis Diocletiani Eusebius lib. 8. c. 3. adnotauit, tunc inquã plurimos Ecclesiarum Rectores, grauissima supplicia alacri animo perpessos, illustrium certaminum spectacula exhibuisse.

Smyrnæ Pioni Presbyteri. Aliqua ex Actis S. Pionij eius certamen ad hanc diẽ referre diximus ad vij. kal. Martij, & in Exercit: de Natali S. Polycarpi. Videnda verò sunt, quę Eusebius habet lib. 4. cap. 15., post Martyrium Polycarpi, & Epistolam Smyrnensium. Metrodorum, quippe refert Presbyterum flammis cõsumptum, & martyrium Pionij prælibat. An Metrodius is sit, qui Pionio in Corbeiensi Martyrologio copulatur, suspicari licet, sed animaduertendũ apud Eusebium illũ tanquã Marcionistã vulgo reputatũ, & pro pseudo martyre potius habitũ; inquit enim; *Metrodorus quidam, qui Marcionis secta presbyter dicebatur, flammis consumptus interyit*. Vndè tanquam dubiæ sanctitatis non malè à codicibus nostris, & Antuerpiensi martyrologio exulat. In quo tamen Petrodius

Presby-

presbyter, Mirdanius præsbyter, & alij ix. anonymi superadduntur, quorum memoriam apud Eusebium non inuenio.

Romæ depositio S. Gregorij. Huius Sancti Pontificis Festum diem, ex additis etiam post eius ætatem esse, nequit dubitari. Ioannes Fronto ad antiquum Calẽdarium Romanum die hac 12. Martij notat canone 17. Concilij Clouehouiensis anno 747. esse decretum, vt dies Natalitius S. Gregorij celebraretur: & Rodulphus Tungrensis de canonum obseruantia prop. 16. animaduertit, antiquitus festum D. Gregorij ad diem ordinationis eius fuisse translatum, donec in Ecclesia Romana, redeunte ad Quadragesimale tempus Annunciationis celebritate, & D. Gregorium ad locum suum redijsse. De S. Gregorio *Papa Romensi* meminit etiam martyrologium vetustissimum Antuerpiense, ex quo, licet superaddita fuerit huiusmodi commemoratio, elicimus tamen, celebrem fuisse diem natalis eius, & in sacris fastis relatum ante annum 747. Concilij Clouehouiensis, si tempore S. Villibrordi codex ille exaratus fuit, vt Bollandus doctissimus existimat.

III. Idus Martij.

IN Nicomedia Macedoni presbyteri. Mitritiæ vxoris eius, & Modestæ filiæ eius. Cyrion presbyteri. Saturnini. Ianuarij. Silui. Petroni. Modestini. Zosimi. Eustasi presbyteri, & Basillæ vxoris eius. Eppedodi Diac. cum alijs duo. Gerati. Lacus Carpisti. Galathæ. Domisiani Presbyteri. Hyromei. Lucetelle. Zedioni Presbyteri, & Patria vxorem. Partifrigiæ. Item Basilisa. Claonij. In Nicea Ciuitate Theusete. Hetoris. Filiæ Theodore. Nimpodore. Marci. Arabe. Hi oẽs igne cremati sunt. Iulij Episcopi. Alexandri. Picij. Mariæ cum alijs duobus. Dionis. Trabiæ. Quartæ. Nisithei. Nimphadobe. Arabiæ. Pionis. Parte. Victorini. In Thessalonica. Alexandri. Dione. In Nicomedia Euphrasiæ. Domiciani. Macedoni. Patriciæ. Lucæ. Duoni. Item Domiciani. Scaleruæ. Pactæ. Piomi. Fronimi. Caledi. Item Dioni. Seuerini. Petruni. Pueri. Siluani. Iuliani. Felicis. Elarij. Concesi. & Martialis.

MARTII 13.

NIcomedienſium martyrum numerosa cohors, in duas turmas diuisa, totum ferè hunc laterculum implet. Horum tres tantùm apud Bedam, Vsuardum, Adonem, Notkerum, Petrum de Natalibus, & alios cum Romano martyrologio recentiores, recoluntur; nempe Macedonius, Patricia eius vxor, & Modesta filia. Tacent ex his nonnulli Macedonium, quem fuisse Presbyterum addunt Vsuardus, Ado, Notkerus, & Vuandelbertus, quibus consonat ms. Reginæ Sueciæ. At latius confirmant Antuerpiense, & Corbeiense Martyrologium, quorum integros laterculos apponimus. Antuerpiense. *III. Idus Martij Nicomediæ Macedonis presbyteri, Patriciæ*

vxoris eius, & filiæ Modestę, Cioni, Saturnini, Ianuari, Salui, Petruni, Modestini, Zosimi, Eustaci presbyteri, & Basillę Eppodi Diaconi, & aliorum II. Gerati, Lacus, Carpisti, Galatæ, Domisiani presbyteri, Lucetelli, Hiromei, Zeddoni presbyteri, & Patræ, Claoni, Patyrrigiæ. Item Basilissę, Sicia Ciuitate Theustę, Ethoris fili eius, Theodoræ, Nicõ Pudore, Mancia, Labę, Iuli Episcopi, Alexandri, Dioni, Mariæ, & aliorũ II. Pioni, Trabiæ, Quartę, Misthei, Nimphę, Dotæ, Ariabę. Item Partæ, Poenis, Victorini. In Thessãlon Alexandri, Dioni. Nicomediæ Eufrasię, Domitiani, Macidoni, Patriciæ, Lucæ, Duoni. Item Domitiani. Item Dioni, Salla, Nuę, Pactæ, Pioni, Pronimi, Callidi, Seuerini, Petruni, Pueri, Saluiani, Iuliani, Felicis, Hilari, Concessi, Martialis. Corbeiense pariter crebrã Nicomediẽsiũ martyrũ memoriã, ita parum à nostris codicibus dissentiẽs exhibet hac die *ij. Idus Martii. In Nicomedia Macedonij presbyteri, Matriciæ, vxoris eius, & Modestæ filiæ. Cionis presbyteri, Saturnini, Ianuarij, Saluii, Petronii, Modestini, Zosimi, Eustasii Presbyteri, & Basilissæ vxoris eius, Eppepodi Diaconi cum aliis duobus. Gerati lacus, Carpisti, Galatæ, Domisiani, Hyromei, Iucetellæ, Zeddonis presbyteri, & Patriciæ vxoris eius, Patyfrigiæ. Item Basilissæ, Claonis, Mineruini. In Niceæ Ciuitate, Thesente, & Horis filii eius, Theodori, Nympodoræ, Marci, Arabæ: Hi omnes igne consumati. Iulii Episcopi, Alexandri, Pionis, Mariæ cum aliis duobus, Dionis, Trabiæ, Quartę, Misethei, Nymphadobæ, Ariabæ, Poenis, Partę, Victuriæ, Victurini. In Thessalonica Ciuitate, Alexandri, Dionisii. In Nicomedia Eufrasiæ, Domitiani, Macedoni, Patricię, Lucii, Duonii. Item Domitiani, Scallerue, Pactæ, Pioni, Fronimi, Callidi. Item Dioni, Seuerini, Petroni pueri, Saluiani, Iuliani, Felicis, Hilarii, Concessi, Martialis.* Macedonij Sancti Presbyteri, & martyris Sancta martyr vxor Mitricia codicibus nostris dicitur: Matricia Corbeiensi Patricia: Antuerpiensi, & reliquis omnibus editis martyrologijs. Cionus etiam, qui Antuerpiensi sine presbyterij nota signatur, in Corbeiensi Cion Presbyter vocatur, & in nostro Cyrion pariter presbyter. An Eustasius presbyter, qui cũ Basiliſſa vxore in Corbeiensi memoratur, idem cum vxore sit, qui superiori die exhibetur, suspicari iure merito potest. Quamquam enim Eustasius presbyter, cum Basiliſſa filia, non vxore, recolatur die superiori, & hic Eustacius presbyter cum Basilla, sine vxoris, aut filiæ additione memoretur; in Antuerpiẽsi tamen Martyrologio Basiliſſam scribi debere, docet repetita inferius particula *Item Basilissę*; Hanc eandem Eustasij Presbyteri vxorem vocat cum Corbeiensi alter ex codicibus nostris, quantũuis in altero eorum Basilla scribatur, non Basiliſſa. Eppipodius Diaconus, Eppodius tantum est in Antuerpiensi, & qui duo sequuntur anonymi in omnibus pariter recensentur; ita vt primę turmæ Nicomediensis martyres, si Geratilacus, & Partifrigia, seu potius Partyrrigia, singularia nomina sunt, tam in Antuerpiensi, quam Corbeiensi, & nostro martyrologio, viginti sex sacri pugiles vnanimi consensu numerantur.

In Nicea Ciuitate. Sicia Ciuitate legit vetustissimum Antuerpiense. At præterquam quòd codices nostri cum Corbeiensi Niceam constanter retinent, non Siciam; Niceæ pariter ciuitati Theosetam, Horrim, filium eius, Theodoram, Nimphadoram, Marcum, Arabiam, tribuunt Vsuardus, Beda, Ado, Notkerus, & alij recentiores; qui etiam per ignem martyrium compleuisse docent. Est autem aliqua in nominibus differentia. Theusta, & Horis filius eius, Nicõ, Pudore, Marcia, Raba dicuntur in Antuerpiẽsi martyrologio, nulla de viuicomburio inducta mentione, & facilè restituendũ in illo esset, pro Nicõ, & Podera, Nimphodora vsitatius nomen, & Marci, & Arabæ pro Manco, & Raba; sed neque certũ est an breuiata vox Nicõ pro Nicomedia legi debeat, cum infra Nimphodoba, & Aria-

& Ariaba repetatur. In noſtris codicibus, ac Corbeienſi parum nomina differunt. Alterius claſſis videntur, qui ſequũtur martyres, & qui in adductis editis martyrologijs non proſtant. Iulius nempè Epiſcopus anteſignanus cum alijs quatuordecim ſocijs, quorum nomina variè non nihil in noſtris codicibus ſcribuntur, ac in Corbeienſi, & Antuerpiẽſi martyrologijs. Nimphadoba, in duas martyres apud vetuſtiſſimum diuidi videtur, hoc eſt Nimphã, & Dobam, quod veriſimilius videtur, & pro Araba, Arieba ſcribitur. Emendandum verò in eo ſuſpicor, ſicuti in noſtris, Partam, & Quartam; modus enim loquendi *Item Partæ*, idem nomen repetitum oſtendit. Vtrobique igitur legendum Partæ. Picus noſtrorum codicũ in Antuerpienſi deficit, & Pionius eſt in Corbeienſi, cui Pionius infra adductus Poenis eſt. Ex his Notkerus Iulium Epiſcopum tantum, & Alexandrum complectitur.

In Theſſalonica. Dionyſium hìc pro Dione habet M. Corbeienſe. Alexandrum verò cum Dione exhibent codices noſtri, & M. Vetuſtiſſimum.

In Nicomedia. Iterum, & ſecunda Nicomedienſium martyrum turma producitur. Viginti & vnus in codicibus noſtris, Antuerpienſi, & Corbeienſi numerantur. Hos tranſigit Notkerus, in martyrum redundantia abſortus, his tantummodo verbis. *Item Nicomediæ multorum Martyrum*. Euphraſia, quæ Romano martyrologio, Vſuardo, & alijs hac die memoratur, alia eſt ab Euphraſia martyre Nicomedienſe, quæ feliciſſimam hãc pugilum cohortem ducit. Paſſos tantos martyres eſſe initio perſecutionis Diocletiani veriſimile eſt, ex dictis ad diem antecedentem, quorum agones generali recenſione narrat Euſebius lib. 8. cap. 5. & 6.

Virgo

II. Idus Martij.

EVfroſi. Frunimi. In Nicomedia S. Feliciſſimi. Datiui. Frontine. In Africa Dionæ. Alexandri. Petri. Mammeri. & Naborꝭ martyrum. Promtonis. In Theſſalonica Eufraſi. Alexandri. Frummi. In Antiochia Nicomediæ. Pionis.

MARTII 14.

NVllo indicato Paſſionis loco ab Eufroſio, & Frunimio huius diei faſtos incipiunt codices noſtri. M. Corbeienſe addit hoc pacto Fortunionem. *Pridie Idus Martii. Euſroſii, Frunimi, Fortunionis. In Nicomedia Feliciſſimi, Datiua, Frontini, Iocundi. In Africa Diona, Alexandri, Petri, Mammeri, & Naboris martyrum, Frontonis, Maria, In Theſſalonica Eufraſii, Alexandri, Frunimi, Baſilii. In Antiochia Nicomedia Pionis*. Inuerſum ordinem ſeruat vetuſtiſſimnm M. Antuerpienſe, & à poſtremis Theſſalonicenſibus martyribus exorditur. *Pridie Idus Mart. In Theſſalonic. Dionyſi, Alexandri, Palatini, & Romę Innocentii Epiſcopi, Natalis Eufroſi, Frunimi: Nicomedia Feliciſſimi, Datiui, Frontinę. In Affrica Alexandri, Bona. In Affrica Petri, Mammeri, Naboris, Comis, Prontonis, Theſſalonica Alexandri, Eufraſi, Frunini. Antiochia Nicomed. Pionis*.

Eufroſi, Frunimi. Galeſinius Carthagini Sanctos hos martyres tribuit, addito Donato, ex Beda, ac mſs. codicibus. Pro Donato M. Corbeienſe Fortunionẽ repoſuit, omnibus aliis ignotum. Quam-

uis enim, tam in noſtris codicibus, quam vetuſtiſsimo Antuerpienſi, non indicato agonis loco, Natalis Eufroſi, & Frunoni tantum, afferatur: cum tamen memoriæ Innocentij Pontificis Romæ ſubtendatur, coniectari licuiſſet, hos martyres ex Romanis eſſe, niſi Notkerus pariter inter Carthaginenſes reponeret. *Pridie Idus Martii. Apud Carthaginem Donati, Euſroſii, Fronimi.*

In Nicomedia. Nulla inter adductos codices in his Nicomedienſibus athletis agnoſcitur differentia. Frontinus dicitur in M. Corbeienſi, qui Antuerpienſi, & noſtro Frontina eſt. Ita etiam notat Notkerus. *In Nicomedia Felicisſimi, Datini, Frontinæ.* Mſ. Reginæ Sueciæ ferè ſemper mutilum, duos tantum ex his profert *Prid. Idus. In Nicomedia Felicisſimi, Datini. In Africa Petri. Theſſalonicæ Alexandri, cum aliis duobus. Antiochiæ Pionis.*

In Affrica. In duas claſſes ita partitur Africanos martyres Antuerpienſe M. vt poſt Alexandrum, & Dionem, repetita nota regionis, in ſuſpicionem oſcitantiæ librarium traducat. Equidem in codicibus noſtris ſex, in Corbeienſi ſeptẽ martyres in vno contubernio continentur, & totidem Notkerus enumerat, ijſdem penè nominibus ſignatos. Mſ. Reginæ Sueciæ Petrum habet tantumodo. Supra noſtros abundat Maria, poſtrema Martyr in Corbeienſe, & Comis ante Frontonẽ in Antuerpienſe. Sed hæc duo nomina tam diſparata ſunt, vt componi facile non poſſint. Poſt Nabotum, ſiue Naborem ſcriptum eſt in altero ex codicibus noſtris breuiatum hoc nomen mr̃m, quod antiquarius quispiam hariolus Mariam fortaſſe reddidit.

Theſſalonicæ. Altera hæc eſt in M. Antuerpienſi Theſſalonicẽſiũ martyrũ claſſi, quę Eufraſium, & Fruninum, non Frunium complectitur. Horum nomina, quia cum primis, ſiue Carthaginenſibus, ſiue Romanis, hac die memoratis, parua mutatione coincidunt, dubium mouere potuiſſent, an ijdem reuera eſſent, qui ſine loco paſſionis in noſtris codicibus, & M. Corbeienſe ſignantur; at quoniam conſtanter inter Theſſalonicenſes numerarentur, & alter Eufraſius ab Eufroſio, omnibus ita dicto, ſeiungitur, nihil mutãdum videtur. Baſilius additur in Corbeienſi M. ſupra Antuerpienſe, & noſtrũ, quibus conſonat mſ. Reginę Suecię binos tantum ſocios Alexandro iungens.

Antiochia Nicomediæ Pionis. Ita ſcriptum cum noſtro retinet M. Corbeienſe. Decurtatum nomen Nicomed. videtur in Antuerpienſe ſignari; & ſiue viri, ſiue mulieris martyris nomen eſſe libentiùs conſentio, quàm Vrbis.

Idus Martij.

IN Cappadocia S. Longini. In Nicomedia Luci Epiſcopi, & Martyris. Fauſte. Siluij. Ingenuæ. Cartagine Pauli. Salutoris. & S. Iacobi Apoſtoli Fratris Domini. Alexandri. Theophili. Octaui. Theodoli. Petruni. Ieroſolyma Iacobi Apoſtoli. Lucæ Euangeliſtæ.

DE Longino Cappadociæ martyre omnia ferè, tùm edita, tùm mſs, martyrologĩa hac die agunt. Romanum, Bedæ, Vſuardi, Adonis, Notkeri, & recentiorum militem illum fuiſſe teſtantur, qui latus Domini aperuit, & cuius Acta ex Metaphraſte apud Surĩũ proſtant. Sunt qui exiſtiment Longinum oculis captum fuiſſe, & ex contactu pretioſiſſimi ſanguinis, & aquæ de latere diuino fluentis, viſum recepiſſe, ſicuti reuelatum legitur B. Veronicæ de Binaſco cap. 18. eius vitæ. At viris doctis parum probabile videtur, Longinum cæcum militaſſe, ac vulnus ita facile inſcopum inflixiſſe, vt crura exinde Domino non frangerentur. Nihil tamen vetaret, vno tantum oculo orbatum militare, lanceam in latus figere, & viſum recipere potuiſſe. Verùm, neque in martyrologio vetuſtiſſimo S. Villibrordi, neque in Corbeienſi, neque in codicibus noſtris aliud de Longino, niſi nudum nomen, & locus martyrij legitur. Sicuti neque in mſ. Reginæ Sueciæ, neque in Kalendario peruetuſto hædino penes me, neque in alterius Bedæ aſcripti fragmento, in Bibliotheca Canonic. Lucenſium, ſed tantùm in illis legitur. *Idibus S. Longini*. m. Corbeienſe verò M. ita integrum diem exhibet. *Idus Martias. In Cappadocia S. Longini Martyris. In Cappadocia Lucii Epiſcopi, & Martyris, Fauſtæ, Siluii, Ingenuæ, Ianuarii, Carthagine Pauli, Solutoris, & S. Iacobi Apoſtoli Fratris Domini, Alexandri, Theofili, Theodoli, Petronii, Manili. Hieroſolyma Iacobi Apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ. Obiit Ratoldus Abbas bonæ memoriæ.* De Milite, ſeu Centurione, qui latus Domini aperuit, & an Longinus proprio, vel appellatiuo nomine diceretur, eruditiſſimè plura colligit Gretſerius de Cruce lib. 1. cap. 34. omnino videndus.

Nicomediæ. Manifeſtus error in adducto nuper M. Corbeienſe librarij incuria dignoſcitur, dum pro Nicomedia Cappadocia iteratò legitur contra omnium codicum fidem. Nicomediæ Lucium Epiſcopum Notkerus ex editis habet, & ex mſs., non modo codices noſtri, ſed martyrologium Reginæ Sueciæ hoc pacto. *Idib. Martii. Nicomediæ Lucii Epiſcopi, & Martyris, Iacobi Apoſtoli fratris Domini.* Lucæ Euangeliſtæ ſocios Lucio Epiſcopo addunt codices noſtri Fauſtam, Siluium, Ingenuam. M. Corbeienſe Ianuarium cumulat; ſed plurimum variat M. Vetuſtiſſimum Antuerpienſe; quoniam Nicomediæ, non modo Luciũ Epiſcopum aſſignat: verũ cum Siluio, & Ingenuo ſocijs, non Fauſtam, non Ianuarium, ſed Petrunium his verbis refert. *Id. Mart. Cappadociæ Longini. Nicomediæ Lucii Epiſcopi, Siluii, Pauli, Petruni, Ingenui. Carthagine Pauli, Solutoris, Sãcti Iacobi fratris Domini, Alexandri, Theophili, Octaui, Peruni, Theodoli. Hieroſolymis Iacobi Apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ, Riguli.* Lucius Epiſcopus Nicomedienſis, ex primis martyribus, in perſecutione Diocletiani per hos dies commota, eſſe nequijt, cum Anthimus tunc eſſet Epiſcopus Nicomedienſis, & capite trũcatus inter primitias martyrum ab Euſebio numeretur lib. 8. cap. 6.

Carthagine. An Paulus tantùm, & Salutor, ſeu Solutor hac die, Carthagini tribui debeant, an verò etiam quinque alij, qui ad memoriam Iacobi Apoſtoli proximè ſequuntur, tam in vetuſtiſſimo Antuerpienſi, quam Corbeienſi, & noſtro, non incongruum exiſtimarem; ex eo præcipuè, quòd Notkerus poſtquam Carthagini Paulum, & Salutarium aſſignauit, quaſi eiuſdem loci, ſed alterius claſſis reliqui eſſent, ex quinque ſequentibus binos videtur eidem Vrbi tribuiſſe, *Carthagine Pauli, Salutaris. Itẽ Alexandri, Theophili.* Octauium filet M. Corbeienſe, & illius loco Manilium profert. Sed Octauium referunt codices noſtri,

ſtri, & M. Vetuſtiſſimum Antuerpienſe.

Hieroſolyma Iacobi. Inter ſolutorem, & Alexandrum, iam dictos martyres Carthaginenſes mediat in tribus adductis martyrologijs memoria *Iacobi Apoſtoli fratris Domini*, deinde ſequitur Hieroſolymis commemoratio *Iacobi Apoſtoli, & Luca Euangeliſta*. Duo hìc adnotanda videntur. Primùm, cum Iacobus frater Domini, inter Charraginenſes martyres, ita tribus diuerſis martyrologijs reponatur, videtur poſſe exiſtimari, quòd celebris eſſet Carthagine aliqua Sancti huius Iacobi, vel Baſilica, vel celebritas, quæ diem feſtum Sancti Apoſtoli indiceret, & inter Carthaginenſes ſolemnitates reponeret, dum eadem die Hieroſolymis etiam idem, vel alius Iacobus celebris eſſet. Deinde an idem S. Iacobus Apoſtolus, tam Carthagini, quam Hieroſolymis eſſet veneratus, cum priori Iacobo Apoſtolo addatur titulus fratris Domini, ſecundo tantummodo Apoſtolatus nota accomodetur. Iacobum fratrem Domini, extra duodenarium numerum Apoſtolum fuiſſe nuncupatum, diximus ad Indiculum Apoſtolorum exercit. 2. Veriſimile ergo eſt martyrologij vetuſtioris auctorem vnum ab altero Iacobo diſtinguere voluiſſe, & Iacobum Iuſtũ hac prerogatiua ab alijs duobus Iacobis ſegregare voluiſſe, quòd frater Domini eſſet, alium vero, ſiue filius fuerit Zebedei, & frater Ioannis Euangeliſtæ, ſiue alius Iacobus Apoſtolus cognomento Alphei, ex Apoſtolico munere indicare tantum voluiſſe. At cum martyrologium noſtrum 8. Kal. Auguſti, tam Iacobi, quam Ioannis fratrum, & filiorum Zebedei memoriam repetat, ſicuti etiam Iacobi fratris Domini, infra 8. Kal. Aprilis, & alibi, & Iacobi Alphei X. kal. Iulij, nihil hìc certi poſſumus aſſerere; præſertim cum nihil ijſdem commune habuiſſe inueniatur Luca Euangeliſta. Vel igitur ex aliqua reliquiarum tranſlatione, vel Baſilicæ dedicatione contingere potuit, vt in vnum hunc diẽ celebritates huiuſmodi inciderent. Martio menſe tranſlatas reliquias Lucæ, & Andreæ Apoſtoli Patra Conſtantinopolim, ſignat Theodorus lector lib. 2. Collect: Sed preſſius Nonis Martij, non Idibus, & cum Andreæ reliquijs, cuius nulla hìc memoria peragitur. Incerta de D. Luca ſunt omnia, non modo quoad obitus feliciſſimi diem, ſed an martyr, vel confeſſor quieuerit, vt alibi adnotamus. De duobus Iacobis dici poſſet, celebritates fuiſſe antecæptas aliquando propter proximum Paſcha, cum Iacobus Zebedei, & alter frater Domini tunc agonem perfecerunt. De Sancti Iacobi Iuſti feſto in alium diem tranſlato, Petrum damianum alibi id docentem adduximus. MS. Reginæ Sueciæ iam productum, cum Luca Euangeliſta, Iacobum Domini fratrem, non alium recenſet. Sed cum decurtatum ſæpe ſit, neque Carthaginenſiũ martyrum meminerit, item hìc non dirimit. M. Antuerpienſe, poſt Lucam, ſuperaddit Rigulum, mihi, & alijs codicibus ignotum.

XVII. Kal. Aprilis.

IN Aquileia Helari. Taſiani. Daciani. In Nicomedia Caſtori. Dionyſi. Nonni. Sereni. Quiriacæ. Miliſæ. Eugeniæ. Iuliani. Aſplipiodati. In Græcia Cyriacæ. Pampine. Caſſonis.

MAR-

MARTII 16.

IN *Aquileia*. Nisi constanter codices nostri, M. Vetustissimum Antuerpiense, Corbeiense, & aliud Reginę Sueciæ, cum Hilario, & Tasiano, Datianum etiam Aquileiensẽ martyrem sacris fastis cõsignarent, mendum in ijsdem irrepsisse putarem, & restituendum *Tatiani Diaconi*, pro eo quod scriptum est *Tatiani, Datiani*. Ita suaderent Romanum martyrologium, Vsuardus, & Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 203., qui diffusius eorum acta prosequitur, ac præterea Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Maurolycus, & Galesinius. In horum fastis additur, Felicem, Largum, & Dionysium in carcere, eadẽ die 17. Kal. gladio, cum Hilario Episcopo, & Tatiano Diacono transuerberatos fuisse, in persecutione Numeriani. Fatetur tamen Ferrarius, de tribus postremis, in Aquileiensi Ecclesia memoriam non peragi; quia aliorum corpora, vbi quiescant, ignoretur. Notkerus, Hilarium tãtum profert, & Galesinius in mss. modo Tatianum, modo Datianum scriptum reperiri affirmat. Cum ergo in Aquileiensi Ecclesia minus hęc nota sint, iniuria sæculorum, nihil immutandum duximus, & cum Hilario Episcopo, & Tatiano Diacono, etiam Datianum sinẽdum esse, & fortasse Iulianum addendũ, ex sequenti Corbeiensis M. latercu-

lo. *xvii. Kal. Aprilis. In Aquileia Hylarii, Tasiani, Datiani, Iuliani Martyris. In Nicomedia Castorii, Dionysii, Nonni, Sereni, Quiriaci, Milisa, Eugenia, Iuliani, Asclippiodi, Pionis. In Gracia Cyriacę, Pampini, Cassionis. Natale Sanctæ Gertrudis.* Antuerpiense pariter martyrologium Datianum, cum alijs huius dici martyribus ita refert. *xvii. Kal. Apr. In Aquileia Hilari, Tasiani, Datiani. Nicomediæ Castori, Nonni, Dionysi, Sereni, Iuueni, Ciriacæ, Milisæ, Eugeniæ, Iuliani Asclepiodoti. In Graecia Ciriaci, Papiliani, Cassonis.* Et quamquam in Calendario Breuiarij nostri hædini, ita hac die 17. Cal. plures socij indicentur. *Elarii, & sociorum eius Martyrum*; de socijs tamen sequẽti die cum codicibus nostris aptius agendum existimauimus: interim animaduertentes in Corbeiensi M. Iulianum ex Nicomediensibus martyribus, fortasse librarij vitio repetitum, inter Aquileienses esse repositum, nisi alius Iulianus sit martyr Ciliciæ, ex Græcis monumẽtis apud Galesinium. Tres tantum prostãt in martyrologio Romano, & vt Baronius addit ex menologio Græcorum.

In Nicomedia. Quamquam in M. Corbeiensi Iulianus Aquileiæ tribuatur, alius tamen eiusdem nominis etiam Nicomediæ ascribitur, & decem alij martyres in eo numerantur, sicut in Antuerpiensi, à quo illud in eo dissidet, vt pro Iuuenio, Pioniũ referat. Cũ vetustissimo hoc codices nostri consentiunt, præter quam quod Iuuenius desideratur. Corbeiense M. pro Ciriaca, etiam Quiriacum habet, & pro Asclepiodoto Asclippiodiũ. Ms. Reginæ Sueciæ, ex his duos tantum in fine laterculi ita exhibet. *Nicomediæ Castoris, Dionysii.* Notkerus verò tres tantum. *Nicomediæ Castoris, Dionysii, & Nonni.*

In Gracia Ciriaca. In his athletis Græciæ assignandis conueniunt martyrologium Antuerpiense, & Corbeiense. At Notkerus plurimũ in nominibus discrepat, quamuis in numero non dissentiat. *In Gracia Cyriaci, Florentii, & Iouiani.*

XVI. Kal. Aprilis.

IN Nicomedia Diuniſi. Ianuarię. Nonne. Cyriace. Victurine. Marine. Mariæ. In Aquileia Largi. Helari. Ticiani. Catoni. Daxiui. Romæ. Alexandri Epiſcopi. Teuduli Diaconi.

MARTII 17.

IN Nicomedienſium martyrum choro nulla eſtat diſſonantia inter codices noſtros, M. Antuerpienſe, & Corbeienſe, niſi quòd hoc poſtremum decurtatum nomen addit Baſil... hoc pacto. *xvi. Kal. Apr. In Nicomedia Donyſi, Ianuary, Nonna, Ciriace, Victorine, Marie, Baſil... In Aquilea Largi, Hilary, Titiani, Caton, Datini, Iocundi. Roma Alexandri Epiſcopi, Theodoli Diaconi. Depoſitio Patricy Epiſcopi, & Confeſſoris.* An Maria ea ſit cuius non indicato loco paſſionis agonẽ percurrit Notkerus, & ex Beda Molanus in additionibus ad Vſuardum, non affirmarem.

In Aquileia. Aliquos fortaſſe ex his martyribus, Hilari, ac Ticiani, ſeu Taſiani ſocios, ſuperiori die à Petro de Natalibus, Ferrario, & alijs recenſeri diximus; ex quibus non niſi Largus hìc producitur. Hilarius, ſi idem eſt, repetitur; qui enim heſterna die Taſianus cunctis ferè dicitur, hìc, vel Ticianus, vel Titianus nuncupatur. Diuerſos proinde exiſtimare malui: quoniam Vetuſtiſſimum M. Antuerpienſe aliquam ponit loci differentiam, puta, in Aquileia ad Ponto, ſiue legendum ſit ad Portum Aquileienſem, ſiuè ad Gradus, ſiue relinquendũ ad Ponto, vt ibi legitur. Cum enim alia martyrologia hanc loci diſtinctionem non ſignent, propriam, & illius genuinã lectionem retinendam eſſe crederem, & celeberrimi Pontis prope Aquileiam hic mentionem induci putarem. Tabulæ itinerariæ *Ponte Sonti* vocant, & per quatuordecim milliaria ab Aquileia diſtare notant. Iornandes de Rebus Gothicis Theodericum narrat in Italiam tendentem, Venetorum fines ingreſſum *ad Pontem, Sontium nuncupatum* caſtrametatum eſſe. Herodianus lib. 8. Maximini in Italiam ingreſſum deſcribens, Pontem hunc prope Aquileiam, in eius aduentu deſtructum narrat, Pontem inquam, & eius ſtructuram ita graphicè proponens. *Quod opus magnum atque pulcherrimum veteres Imperatores lapide quadrato conſtruxerant, pilis veluti quibuſdam paruis ſenſim creſcentibus.* Putat hunc locum fuiſſe ad confluentem amnem, Vipao dictum, Cluuerius Italiæ antiquę lib. 1. p. 188. Facile eſt agonem hìc feciſſe Largũ cum ſocijs, quorum ita meminit martyrol. vetuſtiſſimum. *xvi. kal April. Nicomediæ Dionyſii, Ianuary, Nonnæ, Cyriace, Victorini, Mariæ. In Aquilea ad Ponto Largi, Hilari, Titiani, Catoni, Datiani. Roma Alexandri Epiſcopi, Theodoli Diaconi. In Scotia Patrici Epiſcopi.*

Roma Alexandri Epiſcopi. Ita præter M. Antuerpienſe modo adductum, & Corbeienſe retinet etiam mſ. Reginę Sueciæ. *xvi, Kal. Roma Sanctorum Alexandri Epiſcopi, Theodoli Diaconi.* Alexandrum Romanum Põtificem antiquo more Epiſcopum appellari nouum in antiquis mſs. non eſt. Cum verò eidem ſocius aſcribatur Teudulus, veriſimile admodum redditur, de Alexandro Papa, & martyre, ac eius ſocio Teodulo, memoriam hic peragi. Sed plura difficultatem ingerunt. Primùm, quòd hic Theodulus Diaconus, nõ Presbyter enuncietur, ſocius verò Alexandri Presbyter fuerit,

vt

vt ex Actis apud Surium apparet: deinde quòd Nonis Maij eorum martyrium acciderit, non die 17. Martij. Verùm in Historia Pontificali Damaso ascripta, non Presbyter, sed Diaconus Theodulus apertè dicitur, & dies tertius Maij in Actis non expressè dicitur martyrij consummati dies, sed tantum eorum natalitia celebrari V. Nonas Maij. Sanè scriptor illius agonis coæuus non est, & maculis scatet, Baronij etiam iudicio, nec ita certò, diem illum peracti certaminis fuisse constat, quin pro natali quęcunq; illorum celebritas accipi non possit, vt aliàs ostendimus. Constanter è contra Damasus, V. Nonas Maij S. Pontificem martyrio coronatum docet, & cum eo Luitprandus, siue alius sit, Albo Floriacensis, & vetera mss. Plures fuisse Romæ sepultos sub Alexandri nomine martyres, etiam Episcopos, ex nomine vsitatissimo admodũ probabile est. Duos saltem eodẽ nomine Episcopos, ac Martyres in sacris tabulis inuenio, quorum alter Pontifex Romanus fuerit; alter ignotæ, sed suburbicariæ Vrbis Episcopus. Huius sub Antonino via Claudia coronati, memoria extat in Romano martyrologio die 21. Septembris, quem diem translationis à Damaso factæ celebrem esse docet Ado ad VI. Kal. Decembris, vbi huius S. Alexandri Episcopi Acta diffusè prosequitur, & antiquam sepulchralem Epigraphem ita adducit. *Hic requiescit Sanctus, & Venerabilis Martyr Alexander Episcopus, cuius depositio celebratur xi. Kal. Octobris.* At cum Herculanus huic socius martyrij, non Theodolus astruatur, nequit cum Romano Pontifice confundi, vt videtur facere Aringhius lib. 4. Romæ subterr. cap. 22. n. 2. cum nodum de Herculano socio S. Alexandri, non admodum feliciter soluat. Fortasse idem Alexander est, qui cum Heraclio, siue Herculeo, alijsque socijs, non indicatæ vrbis Episcopus, à Græcis recolitur die 22. Octobris, tam in Menologio Basilij, quam Canisij. Ex dignitatis autem titulo, in multiplici Alexandri nomine, potuit quidem in reliquijs horum Sanctorum confusio oriri, & ab Episcopo in Pontificem facile deflecti. Et si enim partes reliquiarum Alexandri Papæ pluribus in locis esse possint, vbi corpus venerari creditur, tot Vrbes tamen sunt, quæ tali pignore gloriantur, vt non magna earundem pars, si vnus & idem Alexander est, vbique assignari possit. Iam Tibure quiescere creditur S. Alexandri Papæ, & martyris corpus in Cathedrali Ecclesia, vbi veneratur. Romæ ad S. Sabinam in Auentino Monte anno 1585. inueniri contigit corpora Sanctorum Alexandri Papæ, Euentij, & Theoduli, nimirum in Ara eadem, vbi ab Eugenio Secundo reposita fuerãt, & in eodem loco sub Sixto V. honorifico tumulo recondita fuisse, testatur superadductus Aringhius. In Ecclesia pariter S. Laurentij in Lucina à Cælestino tertio anno 1196. in solemni consecratione reposita eadem corpora fuisse adhuc testatur inscriptio hisce notis exculpta. *Corpora Beatorum Martyrũ Alexandri Papæ, Euentij, Theoduli &c.* Sed extra Vrbem Romam, aliæ non desunt Vrbes, quæ sacras easdem reliquias possidere certò existiment. Parmensis equè ac Iustinopolitana ciuitas corporis S. Alexandri pignore gaudent. Nec Lucam patriam meam à tanti muneris gloria excipio. In ea enim, & peculiari Basilica ab antiquo tempore extructa, corpus Alexandri Papæ, Euentij, & Theoduli cum catena miraculis coruscante, quiescere constans traditio est, ibique ab Alexandro Pontifice Romano huius nominis secundo, qui Episcopi Lucensis titulum retinuit, translata esse. Sanè in maiori illius Basilicæ ara hæc legitur inscriptio. *Corpus Beatiss. Alex. Primi Pont. Max. sub Adriano Imper. Martyrio coron. vna cũ catena, qua vinctus custodiebatur ab Alexandro II. in ara huius templi subterranea conditum debita cum reuerentia fuit in hoc altare trãslatũ anno MDLXXXIII mense Decemb. curante Nob. Viro Ioanne Arnolfinio AEdituo.* Referuntur hæc à

Cæsare Franciotto de Sanctis Lucensibus, & à Baronio ad annum 1070. In prima eiusdem Ecclesiæ fronte extat sedentis Sancti Pontificis antiquissima in marmore effigies; ex qua non leue vetustæ venerationis monumentum compareat. Vt verò tandem, quid succurrat, aperiam, putarem in martyrologio nostro, rè vera hac die Alexandrum Pontificem Romanum, siue Episcopum venerari, quòd eodem loquendi modo in alijs Romanis Pontificibus recolendis scriptũ illud vti consueuerit; ad tertium verò Maij diem alium Romanũ quidem Martyrem Alexandrum memorare, cum socijs aliquibus eiusdem nominis, sed qui non Episcopus fuerit; tum quia ibi nulla Episcopatus memoria agitur: tum quia supra Ebentium, & Theudolum alij socij, in actis D. Alexandri Papæ non indicati, recensentur. In martyrologio Romano ex veteri ms. Monasterij S. Cyriaci, Alexandrum, & Theodorum hac die restituit Baronius, qui pro Alexandro, cum Theodoro ex veteri inscriptione legendum non negat Nicandrum, & Theodorum a Sergio iuniore in titulum Equitij translatos, quod repetit Ferrarius. At Alexandrum, & Episcopum, non Nicandrum disertè vocant adducta martyrologia cum codicibus nostris, à quibus non recedo.

XV. Kal. Aprilis.

IN Alexandria Collegi Diaconi. Coloti Diaconi. Pamponi. Vunepti. Rogati. Quartini. Saturi. Quintasi. Marini. Generoli. Marti. Rogati. Samphoroni. Auriliæ. Capelledi. Diunisi. Ianuarij. Victoris. Vogonueti. Samphori cum alijs VIII. Mariæ. In Nicomedia Aplis. Seluoli. In Campania Quinti. Rogati. Ingenuæ. Rogate. Quartillæ. Luciani. Aurili. Saturnini. Victoris, & Mauri. In Mauritania Curenti. Timothei, & Salde.

MARTII 18.

ALexandrum Cappadociæ primum, mox Hierosolymorum Episcopum, Cæsareæ martyrio coronatum, plura hac die edita martyrologia venerantur. Vnde subijt primo dubitari, an pro Alexandria Alexandrum Episcopum esset legendum. At cũ vnanimiter cum nostris codicibus, tam M. Antuerpiense, quam Corbeiense, Alexandriç plures martyres, in ipso latercu-li limine exhibeant, neque de Alexandro meminerint, ab ijsdem non esse discedendum existimaui. Ita autem vetustissimum Antuerpiense sacram ephemeridẽ exhibet. *xv. Kal. Apr. In Alexandria Collectici Diaconi, Coloti Diaconi, Pamponi, Parilis, Sernili, Minepti, Rogati, Quartini, Saturi, Marini, Quintasi, Marti, Item Rogati, Aurili, Capillidi, Dionisi, Ianuari, Victoris, Cõuoti, Simpori cum alijs viii. Nicomedia Mariæ, Aprilis, Seruoli, & mil. xxiii. In Campania Quinti, Rogati, Ingenuæ, Rogate, Quartillæ, Luciasi, Aurili, Saturnini, Victoris, Mauri. In Mauritania Timothei, Saldiæ.* Ab hoc nonnihil tùm in nominibus, tùm in Martyrum numero, ita variat M. Corbeiense. *xv. kal. Apr. In Alexandria Collegij Diaconi, Colloti Diaconi, Pamponi, Minepti, Rogatiani, Quarti, Saturi, Quintasi, Marini, Iemsoli,*

li, Marti, Rogati, Samphoroni, Aurili, Capelledi, Dionysi, Ianuarij, Victoris, Vogonupti, Samphori cum aliis nouem martyribus, Maria cum socijs suis. In Nicomedia, Aprilis, Seruuli. In Campania Quinti, Rogati, Ingenua, Quartilla, Rogata, Luciani, Aurili, Saturnini, Victoris, & Mauri, In Mauritana Currenti, Timothei, & Salda, Feliciani, Iocundi. Collegiũ Diaconũ, in codicibus nostris vocatum, Collecticium appellat M. Antuerpiense; in quo supra Corbeiẽse, & codices nostros abundat Parisiis, & Seruilius. Pro Quarto Quartinus in eodem & codicibus nostris legitur, & pro Rogatiano Rogatus. Samphronius deficit in vetustissimo, & pro Vogonupto Conuotus retinetur. Anonymi, qui Simporio, vel Samphorio sociantur in Antuerpiensi, & nostro, octo sunt, in Corbeiensi nouem. Maria martyr Alexandriæ in codicibus nostris, & in Corbeiẽsi cum socijs suis; in vetustissimo Nicomediæ tribuitur. Notkerus duos tantùm Alexandrinos Diaconos ita xv. Cal. veneratur. *In Alexandria Collegij, & Colyti Diaconorum.* Collegium verò tantum modo exhibet ms. Reginæ Sueciæ, in quo & reliquę martyrum turmæ, ita decurtantur. *xv. Kal. Alexandriæ Collegi Diaconi. In Campania Quinti, Rogati. In Mauritania Timothei cum aliis duobus.* Galesinius pro Colyto ex corruptis codicibus Cælesticum martyrem Alexandrię producit, vel potius ex Beda Colesticum.

Nicomediæ Aprilis. Totidem etiã verbis Notkerus, *In Nicomedia Aprilis, & Seruuli* memoriam agit. Vetustissimum M. Antuerpiense Mariam præponit, & milites xxiij. anonymos superaddit, qui in nostris codicibus, & Corbeiensi reticentur: quamuis exuberent apud Galesinium ex Beda, & alijs ms. martyrologijs: Nicomediæ enim martyres præfert Aprilim, Ceruolum, Eucarpionem, & socios decem millia, fortasse pro decem militibus; nisi re vera cum Trophimo, & Eucarpione decem millia securi percussos, Nicomediæ Menologia Græcorum hac die testarentur.

In Campania Quinti. Decem in Cãpania martyres, tam nostrum, quã Antuerpiense, & Corbeiense martyrologia referunt. Vetustissimum illud pro Luciano Luciasium retinet. Notkerus tres tantum ex his enumerat Quintum, Rogatum, Ingenuam: duos tantùm ms. Regis næ Sueciæ, Quintum, & Rogatum. Ferrarius verò de Sanctis Italiæ horum nomeminit, neque alius, quem viderim, de Sanctis Regni Neapolitani.

In Mauritania. Non nisi Timotheum, & Saldeam hìc recenset M. Antuerpiense, totidemq. verbis Notkerus; vnde suspicari licuit, ne *Currenti* nomen esset oppidi in Mauritania. Cum verò Corbeiense addat etiam Felicianum, & Iocundum supra reliquos codices, & Currentium esse martyrem non displicuit; præsertim, quòd ms. Reginę Sueciæ Thimotheo duos alios socios super addat, qui Currentius, & Salda esse facile possent.

XIIII. Kal. Aprilis.

IN Cesarea Capadociæ Theodori presbyteri. In Africa Lucilli. Bassi. Frisciani. Pomoeni. Iosini. Apolloni. Ammoni. Saturnini. Basiliæ, & aliorum vij. Theodori Episcopi. Catullini. Depositio S. Leonti Episcopi. Sorenti. Quinti. Quintili, Quartillæ. Marci, & cum alijs viiij. Florenti, & Vonete.

THeodorum Presbyterũ Cappadocem Cęsariẽsem plura martyrologia habent. Notkerus hoc elogio eius memoriã exornat. *In Cæsarea Cappadociæ Theodori presbyteri sancti, & pij.* Mſ. Reginæ Sueciæ *xiv. kal. Cæsareę Cappadociæ natalis S. Theodori presbyteri. In Africa Bassi, Lucelli cum aliis xiij.* Vetuſtiſſimum Antuerpienſe. *xiiij. Kal. Apr. Cesareæ Cappadociæ Theodori presbyteri. In Africa Bassi, & aliorum xx. Lucelli, Viſciani, Pomeni, Ioſippi, Apolloni, Ammoni, Saturnini, Basilię, & aliorum iiij. Theodori Episcopi, Catuli, Leonti Episcopi, Sorenti Quinti, Quintilli, Quartilli, Segrigori, Marci cum aliis viiii. Florenti Vonectæ.* Theodolum vocat M. Corbeienſe, in quo hodierna dies ita Sacris pugilibus adornatur *xiv. Kal. Aprilis. In Cæsarea Cappadociæ Theodoli presbyteri. In Africa Lucelli, Bassi, Fiſciani, Pomeni, Ioſeri, Apolloni, Ammoni, Saturnini, Basilię, & aliorum nouem, Theodori Episcopi. Gagi, Gadulini, & Depoſitio S. Leonti Episcopi, Sorenti, Quinti, Quintili, Quartillæ, Marci cum aliis nouẽ, Florenti, & Vonectæ.* Galeſinius Theodorum, ſiue Theodolũ presbyterum Cæſarienſem, cum Diodoro Presbytero miſcet, qui in Græcorum Menologio, hac die 19. Martii recolitur. Sed neque hic Cæſarienſis, vel è Cappadocia dicitur, & Marianus Diaconus coniungitur.

In Africa Lucilli. De hac Africanorum martyrum turma, neque Romanum, neque vulgata alia martyrologia agunt. In binas claſſes videntur diuidi à codicibus noſtris. In prima nouem athletæ numerantur, cũ alijs ſeptẽ. In ſecunda Theodorus Epiſcopus, & Catullinus recenſentur. Omniũ anteſignanũ Lucillum, ſiuè Lucellum noſtri codices cum Corbeienſi præferunt, ſed Baſſus martyrologio Antuerpienſi dux eſt anonymorum xx, qui in noſtro martyrologio, & Corbeienſi deſiderantur. Vnde tres ſũt in illo Africanorum martyrum turmæ. Lucellus, ſecundæ claſſis anteſignanus, ſeptem nominibus expreſſos commilitones ducit, ac totidem anonymos. Noſtrum verò, & Corbeienſe M. poſt Baſſum enumerat Fiſcianum, Pomoenium, ſiue Pomenium, & Ioſerium, qui vetuſtiſſimo illi Viſcianus, Pomenius, & Ioſippus ſunt; anonymi verò non ſeptẽ in noſtris codicibus, & Corbeienſi, ſed nouem recenſentur. Mſ. Reginæ Sueciæ, ſæpè mutilum Baſſum Lucillo pręponit, & anonymos xiij. refert. Notkerus nominum copia de more veritus auditores faſtidire, vniuerſum Africanorum agmẽ his verbis claudit. *In Africa Bassę, Lucellę, Fuſciani, & aliorum multorum.* Ita etiam Baſſum, & Lucillum, in Baſſam, & Lucillam conuertit. Poſtrema Africanorum martyrum claſſis Theodorum Epiſcopum, & Catullinum continet, & Corbeienſe martyrologium Gagium addit, & Gadulinum pro Catullino retinet. Theodorum, & Apollonium, Epiſcopos ambos, veneratur hac die martyrologiũ Romanum; nec aliam lucem eis præfert Baronius, niſi quòd in Romano veteri, hoc titulo decorati inueniantur, hoc eſt in martyrologio Bellini, ex quo Molanus in additionibus ad Vſuardum, excerpſit. Apollonius ſine Epiſcopale titulo in prima, vel in ſecunda Africanorum martyrum turma, iam ex adductis codicibus numerauimus, & de Leontio mox agemus.

Depoſitio S. Leontii Epiſc. Depoſitionis nomen, potius Confeſſorem, quam Martyrem indicaret. Galeſinius putat eſſe Leontium Apolloniæ Epiſcopum, virum ſanctitate, & doctrina præclarum, ſed in Notis tantùm martyrol. Romanũ vetus adducit, in quo nõ niſi Epiſcopus cũ Apollonio nocatur. Maurolycus cũ ſuperioribus ita iungit. *Ipſa die Sanctorum Theodori, Apollonis, & Leontii Epiſcoporum;*

coperum. Vndè ſuſpicari licet, ex nomine Apollonij Epiſcopi, Apolloniam Vrbem conflatam fuiſse in martyrologio Hieronymi, quo vſus eſt Petrus de Natalibus lib. 12. num. 9. vbi legitur. *Leontius Epiſcopus Apollonii, eodem die in Chriſto dormiuit*, hoc eſt xiiij. Kal. Aprilis.

Sorenti, Quinti. Surrento Campaniæ Vrbe Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, Petrus de Natalibus lib. 12. num. 91. ac martyrologium Romanum Quinctum, Quintillam, Quartillam, Marcum, ac ſocios nouem hac die recolunt. Florentiũ addit Galeſinius ex libris mſs. Vonetem, vel Vonoctem cum Florentio, poſt anonymos nouem, exhibent adducta à nobis martyrologia, Antuerpienſe, & Corbeienſe, cum codicibus noſtris. De poſtremis duobus nihil reperimus apud Scriptores Regni Neapolitani, nec Ferrarius ex Dauide Rhomæo aliquid addit, niſi quod Quintillam ille legit, non Quintillum, vt Vſuardus. Calendarium Hieronymianum Lucenſe mſ. Florentium cum Theodoro ita admiſcet. *xiiii. Kal. Theodori, Florentii.*

XIII. Kal. Aprilis.

IN Antiochia S. Ioſeph. In Syria Pauli. Cyrilli. Eugeni. Serapionis. Thigrini. Claudi. Exuperi. Victorici. Valentiani. In Fontanella Depoſitio Vvaſrammi Epiſcopi, & Benigno Abbatis.

MARTII 20.

IN Antiochia S. Ioſeph. Cum Sanctiſſimi Dei Genitricis Sponſi memoriam vniuerſa nunc Eccleſia, die ſuperiori, recolat, ſubijt dubitatio, an hìc de S. Ioſeph Domini Nutricio ageretur. Inauditum ſciebam Antiochiæ Sanctiſſimum Virum deceſſiſſe, quemadmodũ verba vniuerſim prolata, *In Antiochia S. Ioſeph*, accipienda videbantur, & mirabar, cur Deus de Sanctiſſimi Viri ſtirpe, officio, ſublimitate, & iuſtitia clara, eſſe omnia in Euangelica hiſtoria voluerit, de eius tamen ætate, obitus tempore, & loco omnia incerta reliquerit. Et quamquam anteactis ſæculis Sancti Patres, magnæ venerationis teſtimonio, de Ioſepho meminerint, certum tamen eſt, poſterioribus temporibus Sancti Viri cultũ celebriorem eſſe, & poſtremis ſæculis Eccleſiam, templis, aris, ſodalitatibus, encomijs, magis in eundem fuiſſe perpenſam. De die obitus incerta ſunt omnia, & de loco obdormitionis pauca ſcriptores proferunt. Xiv. Kal. Aprilis eius Natalem exhibet martyrologium Romanum, & ad illud Baronius Adonem adducit; neceſſe tamen eſt codicem, aliquem penes illum extitiſſe, ſub Adonis nomine, in quo recenſeretur. Nam neque Ado in edito apud Moſandrum id refert, neque in vetuſto Canonicorum Lucenſium, neque in mſ. noſtro legitur, ſed tantùm apud Roſueydum, inter Adonis Spuria, & ad calcem reiecta, viſitur. Ioſippus quidem inter Africanos martyres numeratur anteacto die, in vetuſtiſſimo martyrologio Antuerpienſi; ſed neque nomen prorſus conuenit, quia Ioſerus codicibus noſtris, & Corbeienſi martyrol. dicitur, neque Regio Nutriciũ Domini eſſe patitur. In Menologio Baſilij ad diem 25. Decembris ineſt quidem commemoratio Ioſeph Sponſi, cuſtodiſque Virginis, oraculo ab Angelo admoniti; ſed nihil aliud in eo narratur, quam à biennio

poſt

post natum Christum, cum puero, & Matre in Ægyptum secessisse. Die verò sequenti 16., qua Baronius à Græcis recoli Iosephum addit, ita de eadem fuga in Ægyptum agitur, & titulus ita inscribitur. *vii. Kal. Ianuarii. Commemoratio fugæ Dei Genitricis in Aegyptum.* Huius memoria, ita in Menologio Sirleti Decembris die 26. signatur. *Celebritas Sanctæ Dominæ nostræ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, & Sancti, ac Iusti Ioseph eius Sponsi.* In Calendario verò Græcorum ad diem 26. *Dominico die post Christi Natiuitatem Commemoratio fit Ioseph Virginis, Dauidis Regis, Iacobi fratris Domini.* Ita in Mæneis aperiùs habetur, vt in Iacobo fratre Domini diximus ad Indiculum Apostolorum. In Kalendario Syrorum Dominica septimâ ante Natalem Domini, quæ in mensẽ Decẽbris incidebat, festum erat *Reuelationis Ioseph Sponsi Virginis.* In Occidentali verò Ecclesia diem proprium celebritatis non habuisse tempore Ioannis Gersonis videtur, ex eo colligi, quòd epistolam ille scripserit, de festo S. Ioseph instituendo, parte 4. operum. In Antiquo quidem nostræ Ecclesiæ Kalendario, penes me circa annum Domini M C. manu exarato non extat, sed in altero hædino decimi tertij, vt puto sæculi, & quod ad vsum Minoritarum scriptum erat, ita adnotatum inuenio, *xiiii. Kal. Aprilis S. Ioseph Confessoris Sponsi V. Mariæ duplex maius.* Et in alio paulo vetustiori pariter hædino, ita etiam diserte scribitur. *xiiii. Kal. Ioseph Conf. Nutritii Domini nostri Iesu Christi duplex.* Antiochiæ, nulla addita disiunctiua nota, Sãcti Ioseph meminit fragmentum Calendarij, seu martyrologij Bedæ ms., in Bibliotheca Canonic. Lucens. *xiii. Cal. In Antiochia S. Iosebi.* Hunc eumdem esse cum Antiocheno, in nostrõ martyrologio indicato non dubito. Sancti verò Ioseph Nazareni non minus dies obitus incertus est, quam ætas. Sanctus Epiphanius inter antiquos Patres, & in sacra Historia versatus, Sancto Iosepho annum *fortasse octuagesimum* ascribit, cum Beatam Virginem sibi desponsauit. At Molanus de sacris Imag. lib. 2. cap. 12. Fabulosam Ioseph in decrepita ætate senectutem putat, ex Apocripho libello Infantiæ Saluatoris deductã, eamq. ex Gerson, & Ioanne Hesselio refellit: Quodq. Iuuenis, senilibus moribus, S. Ioseph esset, ex sacræ scripturæ prædicationibus, & ex ijs, quæ in eius natali, ex libro Sapientiæ cap. 4. recitat Ecclesia, id comprobare nititur. Priori de prouecta senectute assertioni illi viderentur fauere, qui S. Confessorem, non diu post annum Christi duodecimum, aduixisse putant. Secundæ Sancti illi Patres suffragantur, qui adhuc in Domini Passione superstitem opinantur, vt Sanctus Cyprianus serm. de Passione, & auctor inter eiusdem opera de virtutibus Cardinal: Sanctus Ioannes Chrysostomus Homelia 5. in Matthæum, & Homelia 3. in Acta Apostol., Sanctus Ambrosius lib. pr. cap. 10. in Lucam, & de Instituto Virg. c. 6. & 7. & ep. 79. Sanctus Augustinus serm. 81. de tempor., & Arnoldus Abbas de laud. V. M.; Ioannes verò Episcopus Thessalonic. de Christi Resurrectione nu. 15. iam obijsse putat, cum Dominus triginta annorum factus prædicare cæpit, quoniam Sacri Euangelistæ, eo tempore nunquam Iosephi meminerint. Hinc fortasse Drexelius, in Cronologia Virginis, Iosephum obijsse putat, cum Mater Domini quadragesimum secundum, Dominus verò vigesimum octauum annum agerent. Vnde vero excerpserit Isidorus Isolanus lib. de S. Ioseph, Sanctum Virum mortuũ Nazareth die 20. Iunij, & sepultum propè corpus Iacobi, ignorare me fateor. Magis Bedæ auctoritati acquiesco, qui lib. de locis Sanctis cap. 6., suo tempore affirmat, sepulchrum S. Ioseph, propè Sãcti Simeonis senis tumulum, in Valle Iosaphat adhuc à peregrinis venerari; argumento, quòd vel in Vrbe Hierusalem, vel propè eam. S. Patriarcha ad Cœlum migrauerit. Cum igitur S. Ioseph,

initio

initio diei vigesimi, in nostro martyrologio, non in Palestina, sed in Syria, & Antiochiæ memoratur, iam ex hoc consueto loquendi more, martyrem quemdam Antiochenum indicari existimaui, illumque fortasse, quem filium Photinæ Samaritanæ, à Christo Domino, in puteo ad fui agnitionem perductæ, cũ Victore fratre, matre ipsa, & aliis commilitonibus hac ipsa die martyrio coronatũ exhibet menologium Sirleti apud Canisium, & ex eo Baronius ad Romanum martyrologium; quamuis Græci alij in Menæis, & apud Cytherçum eorum meminerint die 26. Februarij. Difficile verò non est, cum reliquis Christianis dato Antiochiæ nomine, sanguinem etiam pro Christo cum alijs Fidei testibus illos dedisse. Sanè primus Samariam D. Petrus erudiendam suscepit, & post necem Stephani dispersi Discipuli Antiochiæ sedem cum ipso posuerunt, vbi excitata deinceps per Antiochum seditione, ex Iudæis, qui Idolis sacrificare noluerunt, plurimi occisi sunt, vt auctor est Iosephus lib. 7. de Bello Iudaico cap. 21., inter quos plures Christianos fuisse, non dubitat Baronius T. 1. Annal. ad annum 71. Dubitari etiam potest an Ioseph ille, quem Siriæ ascribit, cum Paulo, Cyrillo, Eugenio, ac quatuor socijs martyribus, hac eadem die Galesinus, ex martyrologio (vt inquit in adnotationibus) Sancti Hieronymi, atque ex codice ms. idem cum Antiocheno sit, alijs nimirùm Syris martyribus breuitatis causa sociatus, qui accuratiùs Antiochiæ, & seiunctim ab alijs, in nostris codicibus recensetur. Ita sanè in vetustissimo etiam Antuerpiensi ab alijs huius diei Syris martyribus seiungitur. *xiii. Kal. Aprilis Nat. Ioseph. In Syria Pauli, Cyrilli, Eugeni, Serapionis, Tigrini, Claudi, Exuperi, Victorici, Valentini, Domni, & S. Cutberti Episcopi.* Et in Corbeiensi. *xii. Cal. Aprilis. In Antiochia S. Ioseph, Luca. In Syria Pauli, Cyrilli, Eugenij, Serapionis, Tigrini, Claudii, Exuperi, Victurini, Victurici, Domni.* Lucas Iosephi socius, qui in Corbeiensi additur, S. Iosephum Antiochenum à Samaritano diuersum indicare videtur, cum illius commilitones fuerint Photina mater, Victorinus frater, Sebastianus Dux, Anatolius, Photius, Photides, Parasceues, & Cyriaca, in nostro martyrologio, alijsq. consimilibus codicibus præteriti.

In Syria Pauli. Non nisi nouem ex martyribus Syris in martyrologio nostro recensentur: deficit enim Domnus; in reliquis cum Antuerpiensi M., & Corbiensi conuenit; sed in hoc, contra aliorum fidem, pro Valentino Victorinus signatur. Petrus de Natalibus, ex Hieronymi martyrologio lib. 12. num. 93, non nisi Paulum, Syrillum pro Cyrillo, & Eugeniũ nominibus signatos profert, atque alios sine nomine quatuor: Verùm mutilũ codicem sequutũ illũ esse, ex alijs etiam fragmentis apparet. Eadem habet Vsuardus, & cum eo martyrologium Romanum, alijq; recentiores, Maurolycus, & Galesinius. Mutilat hanc Syrorum martyrũ classem etiam Notkerus, sed maiori nonnihil prouentu. *In Syria Pauli, Cirilli, Eugenii, Serapionis, Victorici, & aliorum.*

In Fontanella. Antiquarius, qui additiones martyrologio nostro concinnauit, in Vualfranno, siue Vuaframmo cum pluribus conuenit, præsertim Vsuardo, & Romano martyrologio, vbi videndi sunt Molanus in Additionibus, & Baronius in Notationibus. Habet hìc etiam auctarium suum M. Antuerpiense, sed vetustius, in S. Cutberto Episcopo, de quo omnia ferè martyrologia loquuntur. Recentius verò est, quod Fontanellensis antiquarius ad Vualfrannum superaddidit, Benignum nempè Abbatem, & Diaconum, cuius acta prosequitur chronicon Fontanellense cap. 3. tomo 3. Spicilegij Dacherij, & annum, quo Benignus illius Cœnobij Abbas esse desijt, signat DCCXXIII.

XII. Kal. Aprilis.

DEpoſito S. Benedicti Abbatis. In Alexandria Serapionis. Monachi. Ioſeppi. Volutiani. Philocali. Chotinihonis. Nonuni. Luci. Ammoni. Philocarpi. Amatoris.

MARTII 21.

DIuus Benedictus Abbas, qui in fronte laterculi à Fontanellenſi Monaco, vt facilè eſt, ſignatur, ad finem laterculi in martyrologijs Antuerpienſi, & Corbeienſi reponitur, tanquam ſuperadditus; potuit tamen adijci tempore S. Gregorij Papæ Primi, penes quem Vetuſtioris martyrologij memoria proſtat; nam D. Benedictus, iam fama ſanctitatis celebris, obierat tempore D. Gregorij, qui præclariſſimas eius res geſtas toto ſecundo libro Dialogorũ complexus eſt, vt hìc amplius immorari neceſſe non ſit.

In Alexandria. Sanctum Serapionẽ Monachum exhibent primo loco etiam martyrologia Antuerpienſe, & Corbeienſe: in quibus nulla eſtat Epiſcopatus nota. Illud diem præſcriptum ita implet *XII. Kal. Apr. In Alexandria Serapionis Monaci, Ioſippi, Voluſi, Filicali, Gothini Bionis, Nomini, Loci, Ammoni, Filocarpi, Amatoris, & S. Benedicti Abbatis.* Corbeienſe, in nominibus aliquantulũ variũ ab Antuerpienſi, ita cum nr̃o conuenit. *XII. Kal. Apr. In Alexandria Serapionis Monachi, Ioſephi, Volotiani, Philocali, Cotiani, Honis, Nonni, Lucij, Ammonij, Philocarpi, Amatoris. Et depoſitio B. Benedicti Abbatis.* Serapionem Monachum, nõ Epiſcopum, etiam exhibent Beda, & Vſuardus, qui anachoretam, magnarum virtutum virum fuiſſe addit. Anachoretam tantum etiam notat Ado: Notkerus Monachum dicit. Thmuitanæ Eccleſiæ Angelum vocat Hiſtoria tripartita lib. 8. cap. 1., & eiuſdem Eccleſiæ ex Anachoreta fuiſſe Epiſcopum, habet Romanum martyrologium; in cuius adnotationibus lapſum Geographiæ notat Holſtenius: quòd vir nempè doctiſſimus Baronius vrbem Thmues in Scethi poſuerit, à qua longiſſimè diſtet. Decem milliũ Monachorũ Patrẽ appellat Maurolycius Serapionem, ex Petro de Natalibus lib. 3. cap. 217, qui eius geſta retexens, Alexandrię in pace quieuiſſe narrat xij. Kalendas Aprilis. Reliqui qui ſequuntur martyres, Ioſephus nempè in Corbeienſi M. Ioſeppus in noſtro, Ioſippus in Antuerpienſi eſt, cui Voluſius, non Volutianus, Filicalius, non Philocalus, Gothinius, non Cotianus, aut Cotinius, Bion non Honis, Nominius non Nonnus, aut Nonunius, Locius, non Lucius dicuntur; maiori, quam alibi obſeruauerimus, nominũ differentia. In reliquis enim, tam numero, quam martyrum nominibus inter ſe conueniunt.

XI. Kal. Aprilis.

IN Arbona Ciuitate Natalis S. Pauli Epiſcopi. In Africa Saturnini, & aliorum viiij. In Sebaſtia Decronis. Arionis.

MARTII 22.

PAulum Narbonensem Episcopum, ac illius Prouinciæ Apostolum nuncupatum, Vuandelbertus quidem, Ado, & Notkerus hac die venerantur; sed Beda, & Vsuardus silent. Alter enim idibus Decembris, alter, qui hac die Aphrodisium Biterrensem Episcopum, Pauli eiusdem Narbonensis, vel socium, vel discipulum prosequitur, illius festum diē pridie Idus Decēbris reposuit. Quod argumētum videtur, priscis temporibus diē celebritatis adhuc fixū non habuisse. Equidē in Narbona ciuitate non Paulum, sed Secundum, & Paulinum, ita martyrologium vetustissimum S. Villibrordi hac die recenset *xij. Kal. Apr. In Narbona Ciuitate, Secundi, Paulini. In Affrica Saturnini, & aliorum viij. In Sebastæ Decroni, Arionis, & aliorum xii.* Corbeiense verò Paulum cum codicibus nostris, ita retinet *XI. Kal. Aprilis. In Narbona Ciuitate Natale S. Pauli Confessoris. In Africa Saturnini, & aliorum nouem. In Sabastia Decronij, Orionij, Ammoni.* Corrigenda ergo vox Arbonæ in codicibus nostris, & Narbonæ restituendum.

In Africa Saturnini. Saturninū Africanum martyrem, cum alijs nouem, præter Antuerpiense, & Corbeiense exhibent martyrologium Romanum, Beda, & Notkerus. Galesinius putat esse de martyribus Vuandalicæ persecutionis ex Victore lib. 1., apud quem talia mihi inuenire non licuit. Episcopum fuisse, ex martyrologio S. Hieronymi, ita testatur Petrus de Natalibus lib. 12. num. 95. qui tamen Saturnium, non Saturninum vocat *Saturninus Episcopus, & alii viiii. martyres in Africa passi sunt xi. kal. Aprilis.* Socium Saturnino addit Fidelem, cum alijs nouē Maurolycus. Baronius in Saturninum propendet, cuius S. Celerinus meminerit in epist. ad S. Cyprianum 21.

Sebastæ. Decronium vocat etiā Antuerpiense, & ex Beda Galesinius, non Deeronium, vt habet M. Corbeiense: in quo Orion dicitur, qui Bedæ Alion, & Arion est in Antuerpiensi, ac codicibus nostris; in quibus Ammonius solum in Corbeiensi memoratus desideratur. Plures Sebastæ nomine Vrbes Geographis memorantur, nec ex ijs, quæ fuerit horum Martyrum mater, exprimitur.

X. Kal. Aprilis.

IN Africa Natalis S. Fidelis. In Antiochia Theodori presbyteri. In Prouincia Carmille Pauli. Cæsareæ Iuliani. In Ciuitate Cesareæ Agatonis. Alexandri. Fidelis. Thiomoli. Dionisi. Itē Dionisi.

MARTII 23.

IN Africa Natalē S. Felicis, cum alijs xx. habet ex Beda hac die Molanus in additionibus ad Vsuardum; sed S. Fidelis legendū esse monent martyrologium Romanum, & Baronius ex veteribus mss., quamquam viginti anonymos illos nequaquam exhibeant, quos Notkerus non prēterijt. *Item in Africa Fidelis, & aliorū viginti.* Sed hos non enumerat Antuerpiense *x. Kal. Febr. in Africa Fidelis. Antiochia Theodori Presbyteri. In Prouincia Car-*

millę Pauli, Ceſſariæ, Iuliani. In Caſſarea Agatini, Alexandri, Fidelis, Thimodoli, Dionyſi, item Dionyſi, & aliorum viii. Parum differt M. Corbeienſe *x. Kal. Apr. In Affrica Natale S. Fidelis. In Antiochia Theodori presbyteri. In Prouincia Carmillæ Pauli, Cæſariæ, Iuliani, Iuli. In Ciuitate Cæſariæ Agatii, Alexandri. Item Fidelis, Tiomyli, Dionyſi, item Dionyſi, Ruſtici.* An Fidelis, qui Africæ hac die 23. Martij tribuitur, idem ſit cum eo, cuius meminit Maurolycus die ſuperiori, dubitari poteſt; quòd vero viginti Anonymi, quos exhibent Beda, & Notkerus, in Antuerpienſi, Corbeiēſi, & noſtra M.M. non recenſeantur, quæ vt plurimum martyribus vberiora ſunt, aliundè additos fuiſſe, quam ex vetuſtiori Occidentalis Eccleſiæ, iure merito licet dubitare. In tertia claſſe Africanorum martyrum, corruptos codices ſequutus Galeſinius, Felicem pro Fideli profert, & Theodorum, Iulianum, Paulum, & Dionyſium, aliorum locorum martyres, perperam admiſcet. Ità dum Cęſareæ Iulianum, alio fortaſſe errore tribuit, non ſine errore repetit, ſicuti Theodorum, quem ſeiunctum ab Africano Fidele etiam Notkerus profert. *In Antiochia Theodori presbyteri.*

In Prouincia Carmillæ. An Carmilla nomen martyris ſit, vel Regionis, iam diu hæreo, & præter Antuerpienſe martyrologiū, ita certo certius retinet Corbeienſis codex, non modo à Dacherio editus, ſed à pię memoriæ Dufreſnio, meis precibus attentè perluſtratus. Prouinciæ nomen pro Narbonienſi tractu, non ita antiquis Latinis vſitatum exiſtimat Ortelius, & fortaſſe, primum ex Latinis, Paulum Diaconum Galliam Narbonenſem dixiſſe Prouinciā putat, Auſonium tamen, hoc nomine vſum, alij exiſtimant, alij etiam Cęſarem lib. 2. de bello Ciuili Prouinciam dixiſſe volunt, quam nos Prouenzam nūcupamus. Carmilla Prouinciæ nomen eſſe magis ſuſcipiēdum videtur, quòd in codicibus omnibus adductis, nullo mutato ordine. Paulo præmittatur, qui voci *Prouincię* ſtatim ſubnectitur, corrupto tamen nomine Carmillæ, cum illius nō meminerint Geographi accuratiores. Ceſareæ verò vocem pro martyre accipiendam vix dubitarem, præſertim quod *Ceſſariæ* in Vetuſtiſſimo M. ſcribatur, in quo reliqui huius latercŭli loci notantur, addita propoſitione *in*, vt poſt Iulianum ſtatim *In Cæſarea*, alij martyres adnotantur.

In Cæſarea. Nominum ſimilitudo, & locus paſſionis Cæſarea coniectare ſinūt, illos, quorum agones narrat Euſebius de martyribus Paleſtinæ cap. 2. editionis Valeſianæ, vel lib. 8. cap. 13. ex Chriſtophorſoni interpretatione, huic martyrū choro accomodari poſſe. Agapius nempè pro Agatio, Alexander, Tyomolius pro Timolao, & Dionyſij duo. Fidelis quidem cum Pauſio non conuenit, & alter Alexander in noſtris martyrologijs non comparet. E contra dies paſſionis non longe diſtat: nam ſex illi, apud Euſebium iuuenes, paſſi dicuntur *ante diem nonum Calendas Aprilis*. hoc eſt ſequēti die, quando martyres octo numerantur, & fortè aliqui ex his, cum Fidele ſocio potuerant, ante illorum agonem, Cæſareę coronari. Sanè ſi ijdem eſſent, quanta nominum inuerſio facta eſſet, dum ex vno in alium codicem per incurioſos librarios trāsferrentur? Ruſticum, in hac Cęſarienſium martyrum claſſe addit M. Corbeienſe, ſicuti Iulium in ſuperiori. Anonymi octo, qui ſecundo Dionyſio in Antuerpienſi M. ſuccenturiantur, in codicibus noſtris, & Corbeienſi deſiderantur. Ex his duos tantū exhibet Notkerus, nempè *In Cæſarea Achatij, & Alexandri.*

VIII.

VIIII. Kal. Aprilis.

IN Syria Seleuci. In Africa Agapiti. Molai. Romuli. Firosi. Duorum Alexandri. Diophi. In Africa Rogati. Catulæ. Vti. Victorini. Saturniai. Item Saturnini. Salutaris. Aprilis. Ioseph. Coliondolæ. In Mauritania Secundoli. Veruli. Felicis. Saturnini. Soretis, & aliorum xv.

MARTII 24.

IN Syria. De S. Seleuco Syro Martyre agit hac die martyrologiũ Romanum, cum Beda, & Vsuardo, licet Agapitũ illi iungat Beda cõtra plurimorũ codicũ fidẽ. Antuerpiense martyrologium ita Seleucum, cũ alijs huius diei martyribus cõplectitur. *viij. Kal. Aprilis. In Syria Seleuci. In Africa Agapi, Timolai, Romuli, Pioni. Alexãdri, Diopi. In Africa Rogati, Catulæ, Auti, Victorini, Saturnini, Item Saturnini, Salitoris, Aprelis, Ioseph, Colioni, Dolę; Et in Mauritania Secunduli, Veruli, Felicis, Item Saturnini, Socrecis, & aliorum xiij. Abatæ.* Eodem modo Seleucium exhibet M. Corbeiense, in alijs martyribus circa laterculi finem deficiens. *IX. Kal. Apr. In Syria Seleuci. In Africa Agapiti, Molai, Romuli, Phyſon, Alexandri, Diophy. In Africa Rogati, Catulę, Vti, Victurini, Saturnini. Item Saturnini, Salitoris, Aprilis, Ioseph.* Desunt ergo post Ioseph, quinque martyres Mauritaniæ, & anonymi xv. De Seleucio, & alijs in Africa ita agit mſ. Reginæ Suecię. *ix. kal. Aprilis. In Syria Natalis S. Seleuci. In Africa Rogati cum aliis nouem. In Mauritania Secundi, Felicis, Saturnini cum alijs xix.*

In Africa. Pro Africa, seu fortasse Mauritania Cæsarienſi hìc restituendum videtur in Palastina Cæsareæ; nã plures ex martyribus Palestenis in Romano martyrologio, & apud Eusebiũ indicati, hìc Africæ minus accuratè tribui videntur, errore vetustioris authographi, vnde mendum in reliquis libris irrepere potuerit, nimirum tam in Antuerpienſi, quam Corbeiẽſi. Numerãtur ergo Agapius, alter ab eo, qui ſocius fuit Teclæ, & Zimolaus, qui tantum in noſtris codicibus Molaus dicitur, rectius verò in Antuerpienſi Timolaus, natione Ponticus Euſebio: Romulus, Dioſpolitanæ Eccleſiæ Subdiaconus: Piſo, qui Pauſis Euſebio dicitur, Phyſon in M. Corbeienſi, & mendosè in codicibus noſtris Firan: duo Alexandri, alter Ægyptius, alter Gazenſis, vt in ijſdẽ rectius legitur: & duo Dionyſij, licet in Antuerpiẽſi ſcriptum ſit pro Dionyſio *Diopi*, in Corbeiẽſi, ac codicibus noſtris *Diophi*; alter nempè Dionyſius Tripolitanus, alter qui res neceſſarias confeſſoribus ipſis miniſtrabat. Hi octo martyres, etiamſi apud Euſebium nono Kal. Aprilis, capite ſimul abſciſſo, Cæſareæ palmam acquiſiuiſſe narretur, die tamen decima quinta Martij in Menologio Græcorum à Caniſio edito memorantur, & ſeptem tantum numero exhibentur: quòd Romulus ab eorundem choro alicuius librarij vitio excludatur. Hic ſanè in Calendario mſ. hædini noſtri Breuiarij tanquam Anteſignanus producitur *viiii. Kal. Romuli, & ſociorum eius martyrum*. Agapitũ, & Romulũ exhibet etiã Notkerus, ſed in Africa. Ex Paleſtinis aliquos ſuperiori diẽ indicatos etiã eſſe probabiliter diximus.

In Affrica Rogati. Vndecim Africanos martyres notat M. Antuerpienſe: decem vetuſtius noſtrum: Nouem Corbeienſe

beiense, quod mutilum hìc esse iam diximus. Decem verò tantũ numerat martyrologium nostrum, quia nomina duo Antuerpiensis Colioni, & Dolæ in vnũ conflat Coliondolæ. In nostro, & Corbeiensi Vtius dicitur, qui in Antuerpiensi Autius nuncupatur, & Salitor, qui Salutaris. Non nisi decem etiam agnouit, qui ms. Reginæ Sueciæ decurtauit. Rogatũ enim, vt vidimus, in Africa profert, cum alijs nouem.

In Mauritania. Licet Mauritania regio Africæ sit, ab Africa tamen propriè dicta distinguitur, vt vulgare Geographis est. Quia verò Mauritania gemina etiam est, Cæsariensis nimirum, & Tingitana, obscurum remanet, cui ex illis adducti martyres tribuendi sint. Secundus, non Secundulus, dicitur reliquorũ Dux, in ms. Reginæ Sueciæ: sed Secundulus in M. Antuerpiensi, & nostro nuncupatur, nullaq: alia differentia intercedit, præterquam quod huius vetustioris Socrecis, in nostro Soretis appellatur, & Anonymi, non xiij. sed xv. numerantur: Desunt in ms. Reginæ Sueciæ duo ex martyribus nomine signatis, sed aliorum numerus abũdat, dum xix. anonymi præscribuntur. Post hos Abata additur in M. vetustissimo, quæ alterius classis in Mauritania pariter martyr esse videtur. Minus diligenter eosdem prosequitur Notkerus. *In Mauritania Secundoli, Veruli, Felicis, Saturnini, & aliorum multorum*.

VIII. Kal. Aprilis.

IN Ierosolyma Dominus IESVS Christus Crucifixùs est. Et passio S. Iacobi Apostoli, qui & Frater Domini, sicut in actibus Apostolorum continentur. Et in Galilea Ciuitate Nazareth Adnuntiatio S. Mariæ de Conceptione, quando ab Angelo est salutata. In Nicomedia Natalis Dule. Victorine. Alexandri. Eufraste. Castulæ. Nicostrati. Lucelle, & ccc. mrm. S. Theodole, & Depositio Iuuini Burgo.

MARTII 25.

PRæter eam, quam iuxta Paschæ variabilem ratione vsque hodie seruat Ecclesia, aliam Dominicæ Passionis celebritatem, iuxta fixam mensium solariũ regulam habuisse, nisi aliundè constaret ex adnotatis in vetustissimo M. Antuerpiẽsi, Corbeiensi, & nostro planum omninò esset. Ita illud, cum reliquis huius diei martyribus Passione Domini signat. *viii. Kal. Aprilis Hierosolymis Dominus Crucifixus est; Passio Iacobi Iusti fratris Domini. Nicomedia Natalis Dule, Ancilla, & alibi Victurini, Alexandri, Euphrate, Castuli, Nicostrati, Lucella, & x. mart. Theodola*. In Corbeiensi verò M. non tantum Passio, sed Conceptio, vel B. V. Annunciatio, vt in nostro hoc eodem ordine indicatur. *viij. Kal. Apr. Hierosolyma Dominus Noster IESVS CHRISTVS Crucifixus est. Et Annunciatio Sancta Maria per Angelum. Et passio Sãcti Iacobi Apostoli, qui & frater Domini, sicut in Actis Apostolorum continentur. In Nicomedia Natale Dula, Victurini, Alexandri, Eufrasi, Castula, Nicostrati, Lucella, & quadringentorum martyrum, Sancta Theodola, & depositio Iunini*

Iunini Burgundionis. Et ex veteri more idem etiam habent Vſuardus, quo plurimum vſu eſt Romana Eccleſia, Rabanus, Notkerus, & Vuandelbertus. Mſ. etiam Reginæ Sueciæ, quod, vt monuit me aliquãdo clariſſimus Holſtenius, eſt ante octingentos annos ſcriptum, eadem ita confirmat. *viij. Kal. Annunciatio Beatiſs. Virg. Genitricis Dei MARIAE Hoc eſt Conceptio Domini N. IESV CHRISTI. Hieroſolyma Dominus Crucifixus eſt. Immolatio Iſaac Patriarchæ.* Ita & martyrologiũ S. Hieronymi apud Salianum T. 6. ad annum Xpi 34., in quo hæc verba ille extare teſtatur *vij. Kal. Aprilis Hieroſolymæ Dominus Crucifixus eſt*. Idem cum codicibus noſtris planè congruens exhibet, qui Notas ad librum Bedæ de rat. temp. cap. 45. concinnauit. Memorabilem diem Paſſionis priſcis Chriſtianis fuiſſe, inde elici videtur, quòd implacabilis illorum hoſtis Diocletianus, alijque cum eo imperantes, vt Euſebius notat lib. 8. hiſt. cap. 2. *Menſe Dyſtro, quem Romani Martiũ vocãt, apparente die feſto Dominicæ Paſſionis.* Imperialia edicta proponi fecit, vt Eccleſiæ diruerentur, & ſacri codices incẽderentur. Sed quod Euſebius, inſtante Paſſionis die, mandatum eſſe tradit, eo die peractum, in odium tantæ celebritatis, notat Theodoretus de Curat. Græc. affect. lib. 9. Acciaiolo interprete. *Quodq; magis indignum eſt, in ipſo ſalutiferæ paſſionis die, quo & Paſſionis, & Reſurrectionis memoriã celebramus, omnes Chriſtianorum Eccleſias in Romani Imperij finibus deſtruxerunt.* Cum verò id accidiſſe narret eo die, quo Paſſionis, & Reſurrectionis memoria celebrabatur, in die Paſchæ id accidiſſe videtur ſignificare, ſiue circa eos dies, vt factum dicit Euſebius in chronic. *In diebus Paſcha Eccleſiæ ſubuerſa ſunt*. Non vna quidem die, ſed fortaſſe à die magna Paraſceues, ad Dominicum, quo Paſcha ex Paleſtino Concilio celebrabatur. In chronico vetuſtiſſimo apud Caſaubonũ id accidiſſe dicitur, *menſe Dyſtro* (*Martio*) *xxv. die*, quod & notat Scaliger in Euſebianis animaduerſ. p. 245., & cum adnotato in noſtris martyrologijs paſſionis die maxime congruit. Quia verò in dubium vertitur ab aliquibus, Chriſtũ Dominum Crucis patibulũ ſubijſſe viij. Kal. Aprilis, ſeorſim poſt adnotata ad hanc diem, aliqua ex antiquis Patribus placuit, in breui exercitatione cumulare.

Et paſſio S. Iacobi Apoſtoli. Cum duo Iacobi nomine Apoſtoli, circa Paſchale tempus, fuerint martyrio coronati: Iacobus inquam Zebedei, & Iacobus frater Domini, Apoſtolus quidem, ſed extra duodenarium numerum, de poſtremo agere martyrologium noſtrum partim palam eſt, partim verò apprimè dubiũ, immò penitùs falſum. Iacobus, qui *Iuſtus* in Antuerpienſi dicitur, & apud Euſebium ex Hegeſippo, ita communiter vocatus legitur, idem & frater Domini eſt. Hunc in Paſchali ſolemnitate, de templi faſtigio deiectum, & Fullonis veſte percuſſum martyrio vitã compleuiſſe, refert idem Hegeſippus lib. 5. Cõmentariorũ, quod facile in die Paraſceues accidere potuit, quando Tribus Iudæorum, & Gentes ad feſtum diem conueniebant. Nam die Paſchę, quomodo fullo ad manus fuſtem habuiſſet, & *arrepto fuſte, quo veſtes exprimere ſolebat*, quomodo Iuſtum interemiſſet, ſi dies ſolemnis fuiſſet, in quo à manualibus operibus Iudæi omninò abſtinebant? Rectè igitur, vel frater Domini, vel Iuſtus cognomento Iacobus hac die recolebatur. Perperam autem à ſciolo quopiam antiquario additum eſt, *ſicut in Actibus Apoſtolorum continetur*; nihil enim ibi de Martyrio Iacobi Iuſti narratur, ſed *Iacobum fratrẽ Ioannis*, gladio peremptum ab Herode, diſertè ſcribitur, ante feſtum Azimorum. Videnda verò ſunt, quæ diximus ad Indiculum Apoſtolorum, & Idibus Martij. In Kalendario Hieronymiano per antiquo Commemoratio S. Iacobi fratris Domini in diem ſequentẽ traſponitur.

In Galilea Ciuitate Nazareth. De ſolemni

lemni festo Annunciationis Beatiſs. Virginis, hac die ab Eccleſia celebrato, plura eruditiſſimè colligit Baronius, quæ hic retexere non eſt ocium. Idem eſſe Feſtum Conceptionis Domini, & in eundem diem incidere, quo Paſſio celebratur, antiquam traditionẽ, eſſe Eccleſiæ, ex D. Auguſtino in proxima Exercitatione monſtratur. In chronico Alexandrino Olimp. cccli. huiuſmodi feſtum dicitur ex interprete. *Dies Annunciationis Domine Noſtre Dei Genitricis*: Qui dies in excerptis Dogmaticis Euſebij Cæſariẽſis apud Combefiſium, in notis ad Iſaaci Inuectiuas, ita ſignatur, *vigeſima quinta menſis Martij, apud Romanos creauit Deus Cælum, & terram. In illa Gabriel Virginem ſalutauit dicens, Aue.* Negabant Armeni, Dominicam Annunciationem menſe Martio contigiſſe, & contra illos pugnans Iſaac Catholicus cap. 2. Inuectiuæ, adduxit Euſebium Pamphili, D. Athanaſium, ac D. Ioannem Chryſoſtomum, alioſq; Patres, qui dicunt *Sanctam Deiparam vigeſima quinta Martii fauſta nuncia Gabrielis ore accepiſſe*. Feſtũ verò Annunciationis S. Gregorius Thaumaturgus orat. 2. in Annunciationem, videtur omnibus alijs ſolemnitatibus præferre, dũ ad auditores ſuos inquit apud eundem Iſaac. Hær. 9. *Cunctas quidem feſtorum celebritates, tanquam victimas, & holocauſta offerte Deo: præcipuè autem, ac pra omnibus Sanctiſſimæ Dei Genitricis, illius inquam gratia plenæ, ac ſemper Virginis Mariæ, Annunciationem*. In peruetuſto Calendario Hieronymiano Lucẽſi die viij. Kal. non Annunciatio, vt in alio peruetuſto pariter legitur, ſed *Incarnatio Domini noſtri IESV Chriſti adnotatur*. De Nazareth Vrbe Galileæ aliqua habet S. Hieronymus de locis Hæbraicis; paruũ ſuo tẽpore vnicũ fuiſſe, ſed maximis vrbibus præponẽdum narrat. In hoc Annũciatam Virginem eſſe, & conceptũ in ea Chriſtũ Dominũ patet ex Euang. Luca cap. 1. & ibi multo tempore nutritum; ſed in alia domo illius Oppidi Virginem Annunciatam fuiſſe, in alia Dominum nutritum, ex Eccleſijs ibi conſtructis docent, qui de locis ſacris ſcripſerunt.

In Nicomedia Natalis Dulæ. Sanctæ Dulæ Ancillæ meminerũt etiam hac die martyrologium Romanum, Beda, Vſuardus, Addo, Notkerus: in quo eius martyrium pro Chriſti fide, ac caſtitate repetit Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 230.

Victurini. Cũ ſocijs quĩque, nominibus ſignatis, Victorinus, nulla interpoſita loci diſtinctione, Nicomediæ videtur in noſtris codicibus cõſignari; ſed in M. vetuſtiſſimo Antuerpiẽſe, accuratè magis, incerto quidẽ loco, ſed *alibi* à Nicomedia illi tribuuntur. Verùm in cõmilitonibus anonymis quanta intercedit differentia? Decem tantum martyres habet Antuerpienſe, tercentos martyres ſignant codices noſtri, quadringentos M. Corbeiẽſe. Variant etiam non nihil nomina. Victorinus alijs, in noſtro martyrologio Victorina: Euſtaſius Corbeienſi; Euſtaſta in noſtro dicitur, Euphrata in Antuerpienſi, cui Caſtula, Caſtulus eſt. Theodora, quę Anonymos ſubſequitur alterius claſſis eſt, fortaſſe & alterius loci. Deſideratur in his omnibus martyrologijs D. Hieronymi *Cyrinus martyr, Romæ octauo Calendas Aprilis*, quem habet ex Hieronymi pariter martyrologio Petrus de Natal. lib. 11. num. 99. An qui alibi paſſi dicuntur, cum Anonymis ſocijs, Romæ tribui debeant? ita fortaſſe ſuaderet numerus cclxii. martyrum ibi coronatorũ, quos in Romano martyrologio additos Baronius accepiſſe profitetur ex veteribus mſs., & Vincentio Bellouacenſe lib. 10. cap. 98. Spec. Hiſt.

Depoſitio Iuuini Burgo. Supplendum eſt ex Corbeiẽſi martyrologio *Burgundionis*, quem alibi hac die memoratum non inuenio. Plures S. Iuuini nomine Beati viri à Sauſſayo, & alijs Galliæ ſcriptoribus memorantur, ſub hac verò Burgundionis nomine hucvſque aliquem inueniri non licuit, quem tamen, ex additis à Gallico antiquario, non dubitarem.

DE

De Passionis Dominicæ solemni die.

EXERCITATIO.

PER temporum doctrinas, ac Paschales veterum Canones, non hic mihi res agenda est, sed per Ecclesiæ, ac Patrum traditiones, quibus certo certius inniti expedit, quam chronologorum computis; maximis enim difficultatibus implicati, & magnis impletis voluminibus, viri alioquin doctissimi in Annis Christi Domini non adhuc conueniunt. Quantis vero ambagibus tota illa temporum tractatio inuoluatur, & quam incertis, vagisque, imò & mere coniecturalibus principijs innitatur, facile ille concedet, qui Scaligeri, Bucherij, Petauij labores, vel è limine salutauerit. De die Passionis Domini à communiori calculo recedunt Bucherius, & Petauius, qui cum D. Epiphanio, & alijs putant, Dominicæ Passionis diem esse XXIII. Martij: idque eliciunt præcipue ex Concilio Cæsariense sub anno 197. apud Bedam, & ex Hippolyto Thebano apud Canisium T. 3. Variarum lectionum. Sed quantis interpretationibus S. Epiphanij assertio indigeat, quantisque laboribus huic assertioni accomodetur, docebit Petauius ipse in notis ad opera D. Epiphanij. Plurimis vero erroribus apud Bedã scatere fragmentum illud Palæstini Concilij, docuit Bucherius in Canonem Paschalem Victoris cap. 3. p. 99., vbi fragmentum idem, cum integra epistola cuiusdam Philippi vulgauit, & ex vetustis codicibus emendauit. Quid vero de Hippolyto Thebano dicendum est? Nono sæculo vixit, & ex Metaphraste diem Dominicæ passionis collegit. Ita enim in adducto Petauij loco, post varias Chronologorum sententias Hippolytus ait *Triginta tres annos in mundo, & hac vita versatus, & commoratus, & propter salutem nostram mortem passus: 23. Martij fuit Cruci affixus: die 24. sepultus, & 25. resurrexit: die prima, nimirum Dominica: veluti Metaphrastes declarat, & Nicomediensis.* Sed alio die Dominum fuisse sepultum, quo fuit Crucifixus, quis in Hippolyto Thebano tolerauerit contra Euangeliorum fidem? is forte qui interpretetur humaniter, sepultum Dominum die 24., quòd initium diei 24. Hippolytus duxerit, more Hebræorum, à vespera diei 23. Ita sanè interpretatur qui notas ad Hippolytum addidit. Sed quis nescit Dominum sepultum ante diem Sabbathi, ac in reliquis Crurifagium perpetratum, nè *remanerent in Cruce corpora Sabatho?* Posuisse eum in Horto *propter Parasceuen Iudæorũ*, testis est D. Ioannes cap. 19. vel vt vertit Syrus, non Sabatho ingresso, sed quia iam in confinio erat, *& posuerunt illic Ieschua, propterea quòd Sabbatum intrabat, quod prope esset monumentum.* Quid etiam magis erroneum ab Hippolyto dici potest, quam à morte Ioannis vsque ad saluificam passionem menses sex fluxisse, & triginta, & sex annos Ioannem Baptistam vixisse, cum non nisi sex mensibus, ex Euangelio, Domini ætatem superaret? De Epiphanij verò computis quid dicendum est? Sanctus, gratis, & doctissimus Pater est. At vnde diem Passionis excerpserit candide fatetur lib. 2. contra Hæreses Thessarescædecatitas, quibus non consentit Christum Dominum passum esse die 8. kal. Aprilis: quamuis illi dicerent, Acta Pilati penes se retinere, *in quibus haberetur, Saluatorem die ante octauũ Kalendarum Aprilium passum esse.* S. tamen Epiphanius, eodem Cornario interprete, è contra se inuenisse profitetur Acta Pilati, in quibus indicaretur. *Ante decimam*

cimum quintum Calend. Aprilis passionem Christi factam; sed neque his acquieuit, addiditq; suam deinde opinionem his verbis, *Re vera autem, veluti ex multa certitudine cognouimus, die ante decimam tertiam Calend. Aprilis, Saluatorem passum esse accepimus. Quidam die ante decimam Calend. Aprilis asserunt. Sed & hi à proposito exciderunt*. Antea tamen docuerat Paschia, siue Domini Passionem nonnullos agere *ante octauum Calendas Aprilis*, fixo die, vt erant Cappadoces. Quod verò in illa Hæresi L.Quartadecimanorum longius agere detrectauit, in sequenti l.I. latè prosequitur S. Doctor, & repetit Saluatorem passum esse *die ante 13. Cal. Aprilis*. S. Epiphanio consentit Græcus auctor Alexander Monachus in libello, seu Hist. de inuentione S.Crucis apud Gretserium de Cruce Tom.2. p.1104. qui non modo natum esse Dominum profitetur ante diem 8. Cal. Ianuar. sed passum 13.*Kal. Aprilis*. At sicuti à traditione Ecclesiæ Occidentalis, S.doctor cum alijs Græcis in eo receßit, quòd Natum Christum Dominum iteratò asserit *ante octauum Idum Ianuarij, quæ est quinta Ianuarij mensis secundum Romanos*: ita & in die Passionis certum est ab eadem traditione dissentire, quam D. Augustinus diserti ßime, his verbis testatam reliquit lib.4.de Trinit. cap.5.*sicut à maioribus traditum suscipiens, Ecclesiæ custodit auctoritas, Octauo Calendas Aprilis conceptus traditur, quo & passus. Natus autem traditur Octauo Kalend. Ianuarias*: Dissentit etiam ab Actis Pilati, quæ sinceriora esse putabat illis, quibus innitebantur. Quarta decimani; in his enim dies Passionis Domini XV. kal. Aprilis, hoc est die 18. Martij signabatur, non dies 13. kal. Aprilis, seu 20. Martij, quem verum esse Pasßionis Dominicæ diem S. Doctor existimauit. Quòd vero dies 13.Kal.Aprilis, vigesimo tertio Martij non respondeat, ita certum est, vt immorari non expediat.Locum Epiphanij fatetur Petauius emendationem, potius, quam interpretationē requirere, quod & Keplerus, & Bucherius agnoscunt, atque is præcipue ita emendauit cap. 7. de Paschali Iudæorum Cyclo, pag.402.& 403., vt passum ad mentem Epiphanij existimauerit Christum X. kal. Aprilis, VIII. kal. resurrexisse. At D.Epiphanium à sententia sua discessisse, & cum D.Ioanne Chrysostomo consensisse in die Natalis Domini celebrando VIII. kal. Ianuar. adnotauimus ex Ioanne Niceno Exerc. 2. Vnde facile est etiam, in die pasßionis Dominicæ à propria sententia post scriptos libros suos discesßisse, & Occidentalis Ecclesiæ traditioni in hoc pariter acquieuisse. Sanè aliquorum Patrum fuisse sententiam non negarem, Christum potius die 8. Cal. April. resurtexisse, quam Crucem ascendisse, & huius sententiæ auctorem agnosco præcipue Theophilum Episcopum Cæsarienßem, tempore Victoris Papæ primi, in Actis Concilij Palestini: in quam sententiam Episcopi omnes illius Synodi subscripserunt. *Passus namque*, ibi legitur, *est Dominus ab vndecimo Kalendas Aprilis, qua nocte à Iuda est traditus, & ad octauum Kalendas Aprilis resurrexit*. Ita retinet ex veteribus mßs. Bucherius, inter epistolas Patrum antiquorum de Festi Paschalis ratione p. 471., & quamquam in Beda edito legatur Tomo 2. de Vernali Æquinoctio, *Passus namque Dominus ab vndecimo Kalend. Aprilium, qua nocte a Iudais traditus est, & ab septimo Kalendas resurrexit*; Bucherius tamen emendauit 8. *Kalendas Aprilis*, & forte primus etiam numerus erat emendandus, & legendum a sexto decimo kal. Aprilis, vt in octauo kalend. Domini Resurrectio aptari posset. Consimilia docet Lactantius Diuinarum Institutionum lib.4. cap. 10. editionis Venetæ annorum 1493.vbi inquit *Ante diem decimum Calendarum Aprilium Iudæi Christum Cruci affixerunt*; quæ lectio vtique magis congruit, quam quæ in alijs recentioribus libris prostat, vt in editione Lugdunensi 1561, *Ante diem septimam Calendarum Aprilium Iudæi*

Chri-

Christum Cruci affixerant. Quamuis enim aliqui putent illud *ante diem* importare idem, ac pridie illius diei, notant tamen Viri docti cum Roberto Stephano, & nuper animaduertit Valleſius ad lib. 2. Hiſt. Eccleſ. Euſebij cap. xi. idem eſſe Græcis, & Latinis ante diem tertium e g. calendarum, ac eſt die 3. calendarum. Huius ſententiæ, puta Dominum die 25. Martij reſurrexiſſe, fuit auctor ſerm. 18. de tempore inter opera D. Auguſtini, quem vel ex hoc ipſius genuinum non eſſe cognoſcimus, his verbis. *Et qua die eſt conceptus in vtero Virginis, in ipſa reſurrexit ab inferis*. Ex hoc inquam non eſſe D. Auguſtini, vt alij nonnulli ſermones de tempore, coniectauimus, quòd in operibus genuinis Sanctus Doctor ſemper Chriſtum Dominum paſſum eſſe ex traditione Eccleſiæ exiſtimauerit 8. Kal. Aprilis, vt præter adducta verba ex libris de Trinitate, idem etiam ita repetat lib. 18. de Ciuit. Dei cap. vlt. *Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis Conſulibus octauo Cal. Aprilis*. Et rurſus lib. Quæſtionum octuaginta trium q. 59. idem inculcat. Hunc in priſca Latinorum Eccleſia communem ſenſum fuiſſe, paſſum ſcilicet Dominum die 25. Martij, tanquam notiſsimum aſſumit Tertullianus Aduerſ. Iudæos cap. 8., quidquid in annis Chriſti numerandis peccauerit. *Menſe Martio, temporibus Paſchæ, die VIII. Calend. Aprilium, die prima azimorum* paſſionem Chriſti perfectam fuiſſe. Ex vetuſtioribus, ſiue Tertulliano, ſiue Africano, hanc aſſertionem facile eſt excerpſiſſe Barbarum auctorem Excerptorum Chronologicorum apud Scaligerum p. 82. his verbis. *Traditus eſt autem Dominus Noſter Ieſus Chriſtus à Iuda, ſub Conſulatu Rubellionis, viii. Kalend. Aprilis*, & infra. repetit. *Tiberio Auguſt. vi. & Soli, eodem anno Dominus noſter Ieſus Crucifixus eſt, ſub Conſulatu Rebellionis viii. Kal. Aprilis, quod eſt Famenoth. xxix.* Eiuſdem ſententiæ fuit inter Græcos, D. Ioannes Chryſoſtomus Homel. de Natiu. S. Ioannis Baptiſtæ, dum hæc de Virginis Annunciatione, & Paſſionis die per interpretem *affirmat. Fuit igitur, vt diximus, quando hæc Angelus ad Mariam Annunciauit 8. Kal. Aprilis, menſe Martio, qui eſt dies Paſcha paſſionis Domini, & conceptionis eius. In qua enim die conceptus eſt, in eadem, & paſſus eſt*. Ita Cyrillus Alexandrinus ad Carthaginenſem Synodum ſcribens anno 443., non dubitauit valde cõſona martyrologijs noſtris aſſerere, hoc eſt Dominum eadem die conceptum, & Cruci affixum, quemadmodum ex mſ. codice exhibet Bucherius ad Victorij Canonem cap. 1. p. 72. *Fugit Ioſeph in Ægyptum (Angelo præcipiente) in menſe Martio, anno reuertente*. Vt obiter hic etiam confirmari a Cyrillo videamus, aduentum Magorum, ſeu Innocentium cædem, non in primo Chriſti anno accidiſſe. *In quo menſe*, pergit Cyrillus, *eduxit Cain Abel iuſtum in campum, vt occideret eum, in typo Chriſti educti ad Prætorium Pilati in ſexta feria; quia eodem die conceptus in vtero eſt: & mortuus in Cruce*. Per idem fere tempus Polemeus Siluius, qui circa annum Domini 448. latercülum ſuum concinnauit, & plura ſimul Chriſtianorum, & Gentilium feſta cumulauit, per idem inquam tempus, Paſſionis diem indicauit in fragmento, quod Bollandus edidit in Præfat. Gener. ad Acta Sanctorum T. 1. *viii. kal. Aprilis noſtrum principium veris. Cruci miſſio Gentilium. Chriſtus paſſus hodie*. Eodem pariter ſęculo Victorius, ſeu Victorinus Canonem Paſchalem ſcripſit, & in eo cap. 7. ex Euſebij Chronicis computam ſuum deducens, quibuſdam veluti fundamentis innititur, inter quæ 8. kal. Aprilium mundum inſtitutum fuiſſe ab antiquis traditum, tanquam notum aſſumit, deinde cap. 9. *Menſe primo vi. feria viii. Kal. Aprilis, incipiente iam Veſpera, Luna xiv. noctis initio* Hebræos *Agni ſacrificium peregiſſe* ad prædictæ Hiſtoriæ fidem ſupponit. Huic Typo accomodans deinde Domini noſtri Paſſionem docet viii. kal: Aprilis, primo menſe, Luna xiv., veſpere

cedente, in prima Azimorum dies consummatum esse, & inquit: *Dominus Iesus Christus cœnans cum Discipulis suis, postquam sui corporis, & sanguinis Sacramenta patefecit, ad montem Oliueti, sicut Euangelia Sancta testantur, progressus, ibique detentus est à Iudæis, tradente discipulo. Deinhinc sexta feria subsequente, id est vii. kal. Aprilis, Crucifixus est, & sepultus tertia die, hoc est v. kal. Aprilis, Dominica resurrexit à Mortuis.* Cum vero diem cænæ Dominicæ diuersum esse putauerit à die Crucifixionis, non male in diem V. Kal. Aprilis gaudium Resurretionis transmisit. At malè cenam Agni Paschales, die viii. kal. Aprilis celebratam, in diuersu n diem reposuit, cum certum sit Dominum, cum Discipulis cænam legalem peregisse *in qua nocte tradebatur*, & ex diuina lege selemnes Hæbreorum dies de Vespere in Vesperum computarentur, quemadmodum diximus Exerc. II. ex Leuitic. cap. xxiii. Si ergo viii. kal. Pascha Dominus comedit, eadem Crucifixus, & sepultus est, & non nisi vi. kal. à mortuis resurrexit, vt infra in nostro Martyrologio adnotatur. De die Passionis Dominicæ 8. kal. Aprilis, ita Cassiodorus in chronico. *Tib. Cæs. V. * Coss. His Coss. Dominus noster Iesus Christus passus est viii. Kal. Aprilis.* Ita etiam legitur initio Opusculi quarti, seu in antiquo Catalogo Pontific. Romanorum Liberij tempore scripto, apud Bucherium. *Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster Iesus Christus duobus Geminis Consulibus viii. Kal. Aprilis.* Vidit Beda hanc esse Latinorum Patrum fere omnium sententiam, & non modo ab ea non discessit, sed ita confirmatam reliquit lib. de rat. temporum cap. 45. *Quod octauo Kal. Aprilis Crucifixus, vi. Kal. earundem die resurrexerit, multorum Latinorum Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum.* Hæret quidem dubius Doctissimus Baronius de die Passionis Domini T. 1. Ann. 34. n. 153. & dum nonnullos antiquorum scripsisse vidit, Redemptorem nostrum Cruci affixum die 25. Martij, & cum his Tabulas Astronomicas non consentire, quinimo viros in computis consultissimos, de veritate desperantes, rem inabsolutam aljs reliquisse, & ipse indecisam prætermittit. Nos Ecclesiæ traditionem cũ D. Augustinò veneramur, & huic magis fidendum, quam supputationibus, incertis principijs prorsus inhærentibus, omnino existimamus. Quòd enim adhuc Ecclesia in diem viii. kal. Aptilis propendeat, quantum vis Dominicam Passionem in die vago, & mobili Parasceues ante Pascha recolat, argumento est, quòd hac eadem die S. Latronem, qui in Cruce Christum confessus est, adhuc in Romano martyrologio præcipua veneratione prosequatur. Nemo enim sanæ mentis existimabit, alio die S. Latronem, alio Christum Dominum, cum eodem Cruci suffixum, *& ne remanerent in Cruce corpora Sabbatho*, de Cruce pariter depositum, diuerso die mortalis vitæ cursum compleuisse. Cur vero aliqui graues viri a communi sententia discesserint, & Christi mortem in 7. kal. reiecerint, docet Mariana in Opusculo de die mortis Christi, vbi etiam eorum argumentis respõdet. Pro eadẽ rè videnda postrema scholia Saliani ad annum mundi 4086. His appendere coronidis vice placuit, diem Passionis Domini apud Græcos celebrem fuisse, & appellatum Festum signi S. Crucis, omnino à festo Resurrectionis distinctum; quin imò D. Ioannem Chrysostomum docuisse, ex præcepto D. Pauli instituturum in uerbis illis fuisse *Pascha nostrum immolatus est Christus: diem itaque festum celebremus.* Ita notat Gretserius lib. 1. de Cruce cap. 68. ex Homelia de Cruce, & Latr., qui etiam T. 2. aliorum Patrum Homelias cumulat, in die Parasceues dictas, præcipue vero S. eiusdem Chrysostomi orationem de Cruce, & Cœmeterio, & aliam Georgij Mitylenei. Ex Glyca pariter, & Nicephoro Gretserius idem notat, festum Crucis, seu Ligni proximè ante Resurrectionem esse celebratum, id que non ad me-

mestitiam, sed hilaritatem conciliandam in fidelium animis. Ita enim D. Chrysostomus initio Homilię primo loco adductæ. *Hodierna die*, inquit per interpretem, *Dominus noster pependit in Cruce, & nos festiuitatem eius nimia latitia celebremus, vt discamus Crucem totius spiritualis gratulationis esse substantiam*, & infra. *Itaq; de causa hodie gratulamur*, & post adducta D. Pauli verba. *Vides Crucis intuitu præceptam lætitiã*; vt clare hinc appareat diuersam fuisse in Parasceue, seu die Passionis Domini celebritatem à festo Resurrectionis, etiam in Orientali Ecclesia, sicuti in Occidentali ex vetustiori nostro Martyrologio dilucidè apparet.

VII. Kal. Aprilis.

ROmæ in Cimiterio Via Lauicana. Natalis S. Castuli. In Syrmia Munati presbyteri, & Maximæ Vxoris eius. In Sebastia Ciuitate Petri Episcopi. In Tracia Sarmateniæ. In Eraclea Martiniani Episcopi. In Celer Natalis S. Cassiani Episcopi. In Antiochia Timothei. Diugenis. Madiariæ, & Maximæ. Theodori Episcopi. Hyrmi Diaconi. Syrapionis. Ammoni Lectorum In Africa Victoris. Saturnini. Solutoris, & aliorum XII.

MARTII 26.

ALiqua inter codices nostros, aliosque hac die differentia intercedit, quæ adductis de more integris laterculis expendere libet. Vetustissimum S. Villibrordi, seu Antuerpiense M. primo loco se offert. *vii. kal. Apr. Romæ natale Castuli. In Sirmi Montani Presbyteri, & Maximæ Vxoris eius, & aliorũ XL. In Sebastia Petri Episcopi. In Thracia Sarmata, Arminia. In Arade Marciani. In Celer Cassiani Episcopi. Antiochiæ, Timothei, Diogenis, Macasiæ, & Maximæ. In Pentapoli, Libia Theodori Episcopi, Herenei Diaconi, Serapionis, Ammonii. In Africa Victoris, Saturnini, Solutoris, & aliorum XIII.* Aliqua addit M. Corbeiense *VII. kal. Apr. Romæ in Cæmeterio eiusdem via Lauicana, Natale Sanctæ Castulæ, Syrmiæ. In Syrmia Munati Presbyteri, Maximæ vxoris eius, Iocundi. In Sabastia Ciuitate Petri Episcopi, Paulini. In Tracia, Sarmasiniæ. In Heraclea Martiani Episcopi. In Celer.... natale Sancti Cassiani Episcopi. In Antiochia Timothei, Diogenis, Madiariæ, Maximæ, Theodori Episcopi, Hirini Diaconi, Syrapionis, Ammoni Lectoris, Iuliani. In Africa Victoris, Saturnini, Solutoris, & aliorũ quatuordecim.* Tam codices nostri, quam M. Corbeiense, non modo Romæ S. Castulum consignant, sed cum Notkero ex Actis S. Sebastiani via Lauicana sepultũ docent. An Castuli nomine insignitum Cęmeterium extaret via Lauicana, nutat Aringhius lib. 4. cap. 12. Romæ subterraneæ. Arenarij nomine Cæmeterium ibi fuisse, ex ijsdem Actis S. Sebastiani deducitur, vt etiam appellari potuerit, non tam Cæmeterium viæ Lauicanæ, quã Castuli. Corbeiense M. legit Castulæ contra aliorum omnium fidem, qui Castulum retinent, vt Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & Romanum Martyrologiũ. Syrmiam pariter sociam addit alijs ignotam, & quæ facile ex sequenti Vrbis nomine, librarij vitio, conflari potuerit; in eo enim codice sicuti in nostris statim additur. *In Syrmia.*

In Sirmi. Munatium Presbyterum, & Maximam eius vxorem, cum eodem Corbeiensi, exhibet tantum Martyrologium nostrum. At præterquam quòd vetustissimum Antuerpiense Montanum legit non Munatiũ, Anonymos XL. Socios illi cum Maxima vxore iungit. Montanũ retinent etiam martyrologium Romanũ, Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Notkeri, in quibus fluuio submersos martyrium coniuges compleuisse additur. Corrigendum ergo est, non modo nostrum, sed Corbeiense M. & pro Munatio, Montanus est reponendus. Ita enim confirmat Vvandelbertus, qui de Montano, & XL. Socijs sequentia cecinit vii.kal. Aprilis.

Septima Montanum memorat cũ coniuge Sancta,
Atque simul quadrageno cum Martyre passum.

ex Hieronymi, alio à nostro, Martyrologio, Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 232. Montani gloriam auget; nam Maximam, quã alia Martyrol. illius coniugem dicũt, Virginem diserte prædicat, vt Sancti, & Virginalis coniugij gloria, etiam illis tribuenda videatur. Non in fluuium præcipites actos, sed vinculis ferreis colligatos in mare mersos, ex eodem martyrologio refert, non Syrmij sed in Oppido Furnio; quod esset Furnis Africæ vrbs, D. Cypriano, memorata, dũ ep. 66. scribit Presbyteris, & Diaconibus, & Plebi Furnis cõsistentibus. At Sirmi, vel Sirmio, vel in Syrmia omnes fere libri scripti, & editi habent, & nonnulli Pannoniã Sirmiensẽ, quam Paulus Diaconus vocat Gothorũ quondam sedem. Addit Galesinius ante Maximam Virginem etiam Demetriũ Diaconum, & XL. Anonymos, ex codicibus mss. At pro quadraginta Montani fortasse socijs illis, ac Demetrio, Iucundum potius adiungit M. Corbeiense, reliquis ignotum.

In Sebastia Ciuitate. Petrum Episcopum Sebastenum hac etiam die recolit Bellinus de Padua in editione Parisina anni 1521. & ms. Rhinouuiẽse apud Bollandum in addendis ad diem 9. Ianuarij hoc pacto. *In Sebastia Ciuitate Petri Episcopi.* Diuersũ hunc esse putarẽ a D. Petro Episcopo Sebasteno, S. Basilij germano fratre, cuius monumenta idem Bolldãus collegit ad diem 9. Ianuarij; nã Monasticã prius vitam profectus, & Confessor non Martyr in pace quieuit. Seniorem autem alium Petrum martyrem Sebastenum, Gregorius Nyssenus, item D. Basilij frater, agnouit, cuius memoria cum alijs martyribus tunc ageretur. Inquit enim ad Flauianũ Episcopũ. *Cum memoriam Beatissimi Petri, quæ tum primum celebrari capta est, apud Sebastem peregissem, itidemque Sanctorum Martyrum, qui vt eorum cum Petro vixerunt tempore, ita celebrari cum ipso consueuerunt; conuerso itinere, ad meam me Ecclesiam recipiendam.* Putat magnus Baronius, hæc Gregoriũ de Petro, iam præ defuncto fratre dicta voluisse. At de martyribus socijs, qui cum ipso celebrari consueuerint, quæ obiter addit Gregorius, alium seniorem Petrum, ac Martyrem respicere videtur, & facilius huic Petro, inter martyres numerato, aptari possent, quam ipsius Gregorij fratri, qui die 9. Ianuarij recolitur in Romano martyrologio; præsertim quod Paulinus socius Martyr addatur in M. Corbeiensi. Kalendarium Hieronymianum Canonicorum Lucensium. Petrum, & Castulum, ita vnit. *vii. Cal. Castuli. Petri. Passio Iacobi fratres Domini.* de quo die superiori egimus.

In Thracia. Sarmatiniam, siue Sarmateniam tantum indicant codices nostri, ac M. Corbeiense. Armeniam addit Antuerpiense, neque alibi aliud inuenire licuit. M. Reginæ Sueciæ Martianum Episcopum, ita in Thracia recolit. 7. *Cal. In Tracia natalis S. Marciani Episcopi. In Africa Victoris, & aliorum XIIII.* sed cum Marcianus in Heraclea celebris deinde dicatur in martyrologijs adductis, facile est vt Thraciæ in illo ms. tributus sit.

In Eraclea Marcianum, sine Episcopatus charactere, vocat vetustissimum martyro-

tyrologium, quem Corbeiense etiam Martianum, sed Episcopum dicit. Martinianum Episcopum habent codices nostri. Marcianum in Thracia ms. Reginæ Sueciæ: fortè quia celebris esset in Heraclea Thraciæ, quæ Ptolemæo memorata inter multiplices huius nominis Vrbes, patria, vel locus agonis Marciano Episcopo esse potuit. In vetustissimo Antuerpiensi corrigendum illud est *in Arnele*, & legendum *in Heraclea*.

In Celer. Ita scriptum legitur in M. Corbeiensi, in quo decurtatum nomen esse ex appositis punctis indicat Dacherius; licet Dufresnius in varijs lectionibus ad me transmissis, ita scriptum signauerit. *In Celer Natalis Cassiani*. Breuiatum nomen esse in laminis M. Antuerpiẽsis, ita videtur. *In Celẽr*. An Cælene Vrbs Phrigię magnę Apamię proxima? vel Celender Ciuitas Ciliciæ littoralis? Tam passionis locus, quam reliqua Cassiani Episcopi monumenta in obscuro mihi sunt. Vereor tamen, ne Petrus, Marcianus, Cassianus, qui cum Iouino, & Tecla Romę à Galesinio tribuuntur hac die ex veter. mss., confusa nomina sint, ex Petro Sebasteno, Martiano Heracleotico, & Casiano Episcopis. Ex Galesinio quidem hęc accepisse Baronius fatetur. Tot vero Episcopi, quanti hac die recoluntur, uarijs in regionibus, coniectari sinunt in Diocletiani persecutione fuisse coronatos: quando circa Passionis Dominicæ tempus Ecclesię solo æquatæ fuerũt, *& omnes vbique Ecclesiarum Antistites*, primùm quidem coniecti sunt in vinculis, postea vero ad sacrificandum omnibus modis coacti.

In Antiochia. Neq; Antiocheni martyres Timotheus, & Diogenes, cum Macaria, & Maxima, alibi comparent, quã in M. Antuerpiensi, Corbeiensi, & nostro; in quibus tamen postremis, pro Macharia legitur Madriaria, vel Madriadria.

Theodori Episcopi. Antiochenis quatuor Martyribus Theodorus Episcopus, Ireneus, seu Hyrmius, & Hirinus Diaconus, Serapion, & Ammonius Lectores in codicibus nostris, & M. Corbeiensi succenturiantur. Verum, quod plures diximus, M. Vetustissimum in assignandis locis, vbi passi vel celebres martyres fuerint, magis accuratum, hoc eosdem, cum Theodoro Episcopo, martyres expresse in Pentapoli Libiæ commemorat, cũ Romano martyrologio, Beda, Vsuardo, & Notkero: ex quibus etiam pro Hirmo, siue Hirino reponendus videtur Irenæus. Ex plurimis his martyribus nõ nisi Theodorum profert Calendarium nostrum vetus ms. *vii. kal. Theodori Episcopi*.

In Africa. Conueniunt in Africanorum pugilum numero, & nominibus Antuerpiense, & nostrum martyrologium. Corbeiense pro Victorio Pictorium exhibet, cum alijs XIIII. Totidem, vt diximus indicat ms. Reginæ Sueciæ, sed cum Victorium tantum nominibus exprimat, duosque Saturninum, & Solutorem reticeat, non male quatuordecim anonymos enumerat. Vnde in Corbeiensi restituendum esse Victorium, & aliorum numerum ad XII. coarctãdum, facile existimarem.

VI. Kal. Aprilis.

IN Ierosolymis Resurrectio Domini nostri IESV CHRISTI. In Africa Romuli. Acuti. Maroli. Pennari. Succesſe. Missiæ. Matutinæ. Donati, Saturnini.

MAR-

MARTII 27.

VEteres omnes Patres, qui Passionem Domini in die 8. Kal. Aprilis constituunt, Resurrectionis Gaudium in VI. kal. omni iure reponunt. Ita & martyrologia omnia, superius adducta, in idem conueniunt, Antuerpiense vetustissimum, Corbeiense, nostrum, & Hieronymianum, siue idem, siue aliud, quod Auctor adnotationum ad Bedam in medium profert, ms. Reginæ Sueciæ, Kalendarium Hieronymianum Lucense perantiquum, & aliud vetus Breuiario hædino præfixus; inter edita vero Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & Auctor additionum ad Adonē. Videnda quapropter sunt à nobis adducta ad diem 8. Kal. Aprilis, & subnexam de die Passionis exercitationem. Sunt aliqui, vt diximus inter Patres, qui eodem die conceptum esse, & Resurrexisse putauerint, sed pauci sunt, & contra receptam antiquitus Ecclesię traditionem. Ex Eusebio, & Africano excerpta authoris vetustissimi apud Scaligerum, quia tempora alia notant de solemnioribus Domini festis, mox in Ecclesia, vt vocāt, mobilibus, adducere proprijs vrbis libuit. *Surrexit autem Dominus noster Iesus Christus sub Consulatu Rubellionis vi. Kal. Aprilis. Ascendit autem Dominus noster iii. Nonas Maias. Missus est autem Spiritus Sanctus Idus Maias.* Laterculus Polemæi Siluij etiam expresse Resurrectionem notat. *vi. Kal. Aprilis. lauationem veteres nominabant. Resurrectio.* Aliquę Ecclesiæ Pascha, a festo Resurrectionis, quodamodo distinguebant; forte quoniam festum hoc fixum adhuc retinerent vi. kal. Aprilis: illud mobile venerarentur. Ita apud Gregorium Turonensem lib. 10. Hist. cap. 31. legitur S. Perpetuum constituisse, vt solemniores horum dierum vigiliæ in diuersis Ecclesijs haberentur, nempe *vi. Cal. Aprilis in Resurrectione Domini nostri ad Basilicā Domini Martini. Pascha in Ecclesia.* At vt reliquas Sanctorum memorias prosequamur, hic de more integros dies vetustissimi Antuerpiensis, & Corbeiensis MM. subnectimus. Illud quidem. *vi. kal. Apr. Resurrectio Domini nostri Iesu Hierosolymis. In Africa Romuli, Acuti, Pinnari, Mauroli, Successæ, Missæ, Matutinæ, Doti, Successi, Alexandri, Solutoris, Saturnini.* Eadem minima nominum differētia profert Corbeiense *vi. kal. Aprilis. Hierosolyma Resurrectio Domini nostri Iesu Christi. In Africa Romuli, Acuti, Marobi, Pinnati, Successi, Missæ, Matutinæ, Donati, Saturnini.* Pro Doto autem Donatum, cum codicibus nostris habet Corbeiense M. & in his Alexander, & Solutor desiderantur. Successam etiam pro Successo retinent ijdem codices, qui in Marolo, & Pinnaro ad Antuerpiense proprius accedūt. Notkerus induas classes hos partitur, & Martianū addit. *vi. kal. Apr. In Africa Romuli, Acutij, Mauruli, Pinarij, Missæ, Matutinæ, & aliorum. Item Donati, Saturnini, & Martiani.* Plures sine nomine adducit ms. Reginæ Sueciæ, de more decurtatum: ex quo tamen appareat, ex duodecim Africanis Athletis binos, in nostris codicibus, & Corbeiensi, esse præteritos. *vi. kalend. Resurrectio Domini N. Iesu Christi. In Africa Natalis SS. Romuli, Acuti, & aliorum X.* Alter, qui in codicibus nostris defecit Alexander, ita in Kalendario vetusto ms. suppletur. *vi. kalend. Alexandri Mart.* quem pariter ex Martyrologio Hieronymiano, indicat Petrus de Natalibus lib. 12. n. 101, & locum etiam passionis ostendit, diuersum ab Africa. *Alexander Martyr in Pannonia triumphum obtinuit. v. kal. April.* Hinc suspicari liceret Successum, Saturninum, & Alexandrum in Pannonia fuisse Martyres, & alterius classis ab Africanis, nisi

mar-

martyrologium S. Hieronymi, quo vſus eſt Petrus de Natalibus, in pluribus conſtaret melioris notæ non eſſe. Alexandri, Driziparæ in Pannonia, meminit, cum Vſuardo, Maurolyco, & Galeſinio Mart. Romanum: Driziparam Vrbem addidit Baronius ex Hiſt. Miſcella Pauli Diaconi lib. 17. Succeſſum, & Rogatum cum alijs XVI in Africa exhibet die ſequenti ex mſs. Galeſinius, ſed ex deprauatis codicibus, vt ſuſpicari licet.

V. Kal. Aprilis.

IN Ceſarea Rogati. Alexandri. Dorothei. Audactæ. In Tharſo Ciliciæ Caſtori. *Cauillonno Depoſitio Guntheranni Regis.*

MARTII 28.

EX Cæſarienſibus Martyribus, non niſi Priſcũ, Malchum, & Alexandrum exhibent martyrologium Romanum, Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, Vvandelbertus. Antuerpienſe Martyrol. Vetuſtiſſimum, cum Corbeienſi, & noſtro relictis Priſco, & Malcho, alios cum Alexandro martyres proferũt, hoc pacto *v. Kal. Ap. apud Cæſaream Ciuitatem Rogati, Alexandri, Dorothei, Audaste. In Tharſo Ciliciæ Caſtori. Item Cæſareæ Mariæ, & in Africa aliorum xiii.* & Martyrologiũ Corbeienſe. *v. Kal. April. In Cæſaria Rogati, Alexandri, Dorothei, Adauctæ, Modeſti. In Tarſo Ciliciæ Caſtoris, Menelampi, Cauillonno, depoſitio Gundebranni Regis.* In breui laterculo non parua differentia apparet. Supra quatuor Cæſarienſes martyres, in noſtro, & Antuerpienſi memoratos, Corbeienſe martyrol. Modeſtum quinto loco addit, & aliũ nempe Menelampſi Caſtoro Tharſenſi ſociũ aſcribit, qui apud Vſuardum, Dorotheus eſt, conſentientibus, vt habet Baronius ad Romanum martyrologium veteribus mſs. At ſæpe antiqua hæc mſs. ex Galeſinio ſunt, qui nactus corruptos codices Adauctum, & Dorotheum Cęſariẽſes Martyres, Tharſenſes facit cũ Caſtore, Polluce, & ſocijs. Rogatum vero cum Succeſſo precedentis, diei martyribus, alijſque XVI Africæ tribuit. Conſimilem Hieronymianum codicẽ habuit Petrus de Natalibus lib. 12. num. 102. dum inquit. *Caſtor, & Dorotheus Mart. Tharſi. Ciliciæ paſſi ſunt v. Kal. Aprilis.* Niſi fortaſſe Dorotheus, alter à Cæſarienſi fuerit Alexandri ſocius, qui Alexander alius eſt ab eo, quem edita martyrologia ex Euſebio lib. 7. cap. 12. cum Priſco, & Malcho recolunt hac die. Cum n. Alexandri commilitones, & numero, & nominibus diuerſis ſint, dum nimis frequens eſt illis temporibus Alexãdri nomen, ex hoc tantum reliquos immutandos eſſe non video.

Guntheranni. Cabilone in Gallijs S. Gunthrannum Regem Francorum, cum Romano, omnia fere exhibent martyrologia. De eo plura, notat Baronius, qui ex Sigiberto in chronico, S. Regem obijſſe docet anno Dñi. DXCI. Ex additis à Gallico antiquario hũc eſſe dubitari nequit, & de eo ſi quis plura deſiderat videndi ſunt Galliarum rerum ſcriptores.

IV. Kal. Aprilis.

IN Nicomedia Pastoris. Victorini. Saturnini. Iulianæ, & Aliorum IIII. In Antiochia Teodori presbyteri. Poentalis. Iuliani. Acacie.

MARTII 29

IN tres classes ita hac die Martyrologium vetustissimum, seu Antuerpiense exhibitos martyres partitur. *iiii. kal. April. Nicomediæ Pastoris, Victorini, Saturnini, Dilæ, Iuliana, & aliorum iiii. Antiochiæ Teodori Presbyteri, Poentalis, & Iuliani. Alibi Achaiæ.* Achacium pro Achaia in eadem classe Antiochensium reposuit M. Corbeiense, in reliquijs cum nostro consentiens. *iv. Kal. Aprilis. In Nicomedia Pastoris, Victorini, Saturnini, Iuliana, & aliorum iiii. martyrum. In Antiochia Theodori Præsbyteri, Poentalis, Iuliani, Achaci.* Nicomedienses martyres eodem numero exprimit ms. Reginæ Sueciæ, non omnes tamen de more suis nominibus signatos. *iii. Kal. Nicomediæ SS. Pastoris, Victurini, & aliorum septem.* in quibus quatuor anonymi nostrorum codicum includuntur. Iulianum pro Iuliana profert Notkerus, qui non modo Dolam martyrem, Antuerpiensis codicis cum nostro, & Corbeiensi silet, sed anonymos etiam; *iv. kal. Ap. In Nicomedia Pastoris, Victorini, Saturnini, Iuliani.* Pastorem, & Victorinum tantum producit Maurolycus, & ex eo Galesinius cum martyrologio Romano, tam veteri apud Belliniã de Padua, quam Baronij, in quo sub nomine sociorũ contineri possunt. Saturninus, & Iuliana à Molano, ex alij martyrologijs addũtur; quibus alios sine nomine quatuor, ex martyrologio scripto, & probato subnectit Galesinius.

Antiochia. Theodorum præsbyterũ, cum Poentale, & Iuliano, Antiochiæ tãtum tribuit Martyrol. vetustissimũ; Achaiam enim incerto loco *alibi* in tertia classe recenset. Nostri codices quanquam sub vna Antiochena vrbe quatuor hos omnes martyres reponant, Acaciam, non Achacium ad illud proximius retinent. De his nullibi, præter adducta ms. martyrologia memoriam agi inuenio. Kalendarium Hieronymianum Lucense de more ex vtraque classe vnum depromit, & fere Antesignanos. *iv. kal. Pastoris, Theodoli.*

III. Kal. Aprilis.

IN Thessalonica Ciuitate Domnini. Philopholi. Acaci. Palatini, & alibi Victoris. Marcellini. Satulli. Crusis. Agathoniæ. Aquilinæ Virginis. Saturnini. Eulaliæ Virginis. Philippoli. *Aurelianis Ciuitate Depositio Pastoris.*

MARTII 30.

IN M. Corbeiense dies 3. kal. Aprilis cum postremo, seu pridie kal., ita confunditur, vt in vnum confletur: hoc enim modo se habet *iii. Kal. Aprilis. In Thessalonica Ciuitate Domnini, Philippopoli, Acaci, Palatini, & alibi Victoris, Marcellini, Satulli, Crusis, Agathonicæ, Aquile Virginis, Saturnini, Eulalia Virginis, Philippopoli, Datini, Pastoris. In Africa Anesi, Felicis, Protidæ, Corneliæ, Valeriæ. .....* Nec tantum laterculum hunc cum sequenti confusum agnoscimus, sed in plurimis, vt mox apparebit, deprauatum. Non desunt etiam Antuerpiensi maculæ suæ, & eadē prorsus ex vno in alterum diem confusio: sed quæ non ita difficile cognitu sit. *iii. kal. Apr. Tessalonica Ciuitate Domnini, Philopoli, Achaici, Palatini, Agadonis, Aquilinæ Virginis, Saturnini, Eulaliæ Virginis, Philupuli, Auriliani, Pastoris, Ridie kāp. In Africa Anesi, Felicis, Diodoli, Protidis, Cornilie, Valeriæ.* Nō dubito hìc, post Pastorē, reliqua ad postremū Martij diē pertinere, & omnino legēdum. *Pridie kal. Apr. in Africa Anesi &c.* vt posttridie explicabimꝰ

In Thessalonica. Non nisi quatuor Thessalonicēses martyres codices nostri exhibent, Domninum, Philopholum, seu Philopolum, Acacium, siue Achaicum, & Palatinum. Eodem ordine etiam in Antuerpiensi recēsentur, sed cum sequentibus vnica classe clauduntur. In Corbeiensi tamen ab alijs incerti loci martyribus distinguuntur: pro Philopolo autem Philippopulus scribitur. Nitorem codicibus nostris affert Notkerus, & Thessalonicenses hoc martyres ita exhibet. *In Thessalonica ciuitate Domnini, Philipoli, Achaici, Palatini,* & à sequentibus distinguit, quāquā secundam classim decurtatā producat. Domnium pro Domnino, Philipponium, pro Philipolo, & Lacatium pro Acacio, non indicato agonis loco, numerat Galesinius, vt assolet ex deprauatis codicibus. Thessalonicæ Maurolycus Domninum, & Victorium habet; Sed male Victorem Thessalonicæ ascribit; si qua fides nostris codicibus, & Corbeiensi M. habenda est. Victorium cum socijs, & Domnino antesignano, eidem vrbi Romanum martyrologium asignat, & ex Vsuardo, & Beda confirmat Baronius. Vvandelbertus, Victorium comitē Domnini fuisse cecinit. *Tertia Domnino, comite, & Victore refulget.* Sed comitem potius in die venerationis, quam loco passionis, Domnino Victorinum fuisse, codicibus nostris, & Corbeiensi, ita consentit Notkerus. *Alibi Victoris, Aquilinæ Virginis.* Et ms. Reginæ Sueciæ, in numero martyrum, & nominibus eorundem pro parte expresis, ita consonat, vt vix locum dubitandi reliquat. *iii. kalend. Thessalonicæ SS. Martyrum Domnini, Philippici, Aacij, Palatini, & alibi Victoris, Marcellini, cum alijs septem*, illis nempe, qui in nostris codicibus septennariū numerum explent. Datiuum addit, & Pastorem M. Corbeiense, sed Pastor martyr non est, sed Episcopus Confessor, & Datiui alibi memoria non extat.

Aurelianis. Presius eundem Aurelianesem Episcopum Pastorem habet M. Antuerpiense. *Aureliani Pastoris*; at Episcopum fuisse tacet. Meminit Martyrol. Romanū, tam Belljni, quam Baronij, qui Adonē adducit, sed inter Adonis spuria, non apud Adonē, inuenitur. Petrus de Nat. lib. 12. n. 104. vocat Episcopū Palatinum. *Pastor Episcopus Palatinus eodem die* (iii. kal. Ap.) *Aurelianis clarnit.* Vereri tamen potest, ne ex deprauato codice, siue S. Hieronymi, siue Vsuardi, vel Adonis, vt profitetur, Palatinum Thessalonicēsē martyrem cū Pastore Episcopo confuderit. Notkerus ex vetustioribus, eiusdem ita meminit. *Aureliani depositio*

S. Pastoris. Aurelijs Episcopũ, & Confessorem reposuit Saussayus in martyrologio Gallicano ad diem 30. Martij, sed nihil de eius actis, aut tempore, quo vixit præcipuum habet, nihilque de eo profert Hagiologium FrancoGallicum Lebbei. Ex superadditis fuisse existimo.

II. Kal. Aprilis.

Trasmutatio corporis Sanctorum Vuandone Abbate, & Asberto Episcopo, & Vualframmo Episcopo. In Africa Natalis Sanctorum Anesi. Felicis. Diodoli. Porti. Abde. Corneliæ, & Valeriæ.

MARTII 31.

NE postremus huius mẽsis dies, sine aliqua deprauatione, in codicib⁹ etiam nostris ex curreret, Antiquarius Fontanellensis in ipso limine, festum diem, ad cœnobium suum pertinentẽ intrusit. Iam in Antuerpiensi, & Corbeiensi Martyrol. quæ emendanda erant, ad præsentem diem spectantia, superiori laterculo emẽdare curauimus, & Vetustissimum illud, ita rectè restituendum existimauimus. *Pridie kal. Aprilis. In Africa Anesi, Felicis, Diodoli, Protida, Cornilia, Valeria.* Nihil hic memoratur, quod ad Sanctorũ Vuandonis Abbatis, Asberti Episcopi, & Vualfrãni, pariter Episcopi translationem pertineat, quia purum additamentũ in nostro est, octaui sæculi initio. Ita verò in chronico Fontanellensi cap. 2. inter gesta Dainũ Episcopi Taruanensis, & Rectoris Fontanellensis Cœnobij, translatio hæc literis consignatur. *Hic namque Bainus Episcopus, inter innumera bonitatis sua opera, que gessit, etiam corpora Sanctorum Vuandregesili, Ansberti, atq. Vulfranni in Ecclesiam B. Principis Apostolorum Petri de Basilica S. Pauli transtulit.* Et infra. *facta est autem hæc sancta translatio anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quarto, Inditione secunda, pridie Kal. Aprilis, feria secunda.* Nequis autem putet, eandem translationem non esse, quam in fronte huius diei antiquarius Fõtanellẽsis indicauit, quoniã Vuando S. Abbas dicatur, non Vuandragesilus, meminisse oportebit, in vita eiusdem apud Surium Tom. 7. die 22. Iulij, apertè doceri, Vuandonem Abbatem binomium fuisse, ac Vuandragesilum vocatum etiam esse. Vuandonem, quod cap. 1. Chronici Fontanellensis aperte docetur, dũ de S. Vandragesilo dicitur, *qui & Vuando.* S. Vualfrannus fuit Episcopus Senonensis, & Ansbertus Episcopus Rotomagẽsis. Qua ætate vixerint, & obierint habetur in Appendice Chronici Fontanellensis, de miraculis S. Vulfranni cap. 1. vbi eadem translatio recensetur. S. Vuandragesilum in Ecclesia S. Petri quieuisse notatur per annos quadraginta, hoc est ibi sepultum fuisse anno DCLXIIII. Ansbertum per annos vndecim, hoc est fuisse sepultum anno DCICIII. Vulfrannum nouem annis, hoc est sepultum anno DCICV. Meminit huius translationis Galesinius, qui pro Vuandone Andomenium habet, sed Vuandragesilum, Molanus in additionibus retinet.

In Africa. Anisius antesignanus est Africanorum martyrum, qui Anesius Antuerpiensi, & Corbeiensi Martyrol. dicitur. In Vetustissimo illo non nisi sacri pugiles sex numerantur: in nostris codicibus septem; quia Protidia in duos martyres

tyres diuiditur, Portium nempe, & Abdam. Diodolus deficit in Corbeiensi. Reliqua consentiunt. Portus & Abdas duo pariter martyres sunt apud Petrum de Natalibus lib. 11. num. 105. ex Hieronymi martyrologio. *Diodolus, Anesius, Felix, Cornelia, & Valeria, Portus, & Abdas Martyres in Aphrica passi sunt ii. kal. Apr.* Porcium pariter, interposita Cornelia, ab Abdia seiungit Maurolycus, qui, & reliquos Africanos martyres producit. Diodoli, & Anesij in Africa meminit Vsuardus, cum Vvandelberto. Pro Diodolo Theodolum habet Romanum martyrologium, in quo Anesius, Felix, Cornelia, & socij memorantur. Vsuardum mendose retinere Diodolum putat Baronius, sed plures codices, Baronio ignoti, Diodolo astipulantur. Beda de Anesio tantum agit. Notkerus suspicionem inducit, ne alij etiam in nostris codicibus desiderentur. Nam Abda tantum praetermissa, dum reliquos exprimit, socios alios vniuersim ita indicat. *In Africa Sanctorum Anesij, Felicis, Diodoli, Proti, Cornelij, & Valeria cum socijs eorum.* Ms. Reginæ Sueciæ, quatuor à Romano martyrologio indicatos, post Corneliam addit, *& aliorum quinque*, vt ad illud Notkeri *cum socijs eorum* videatur respicere: cū etiam supra codices nostros, Theodorū à reliquis Africanis martyribus, ita distinguat. *In Pentapoli Libiæ S. Theodori.* Et quamuis Galesinius, vt plurimum non optimis codicibus innixus, praeter Anesium, Diodolum, Cornelium, & Abdam, cumulet etiam Africæ Theodolum, Dionysiū, & alios, ac, vt in Notationibus profitetur, ex codice ms. & Victore Vticensi: vetustis tamen martyribus recentiores Vvandalicæ persecutionis male permiscet. Kalendarium Hieronymianum Canonic. Lucensium ex his martyribus duo tantum promit. *ii. kal. Anesij, Felicis.*

APRILIS

Kalendis Aprilis Litanias indicendas. Aprilis habet dies XXX.

IN Arminia Natalis Sanctorum Pastini. Quintiniani. Victoris. Secundi. In Eraclea Ciuitate Victoris. Chioniæ. Agapæ, & Herenei. In Thessalonica Natalis Sanctorum Ingenianæ. Saturnini. Partheni. Dionysi. Pantheri. Alexandri. In Ægypto Sanctorum Victoris, & Stephani.

APRILIS I.

OVantis Christianæ fidei fortissimis testibus, supra commune Romanū martyrologium abundet, Vetustius nostrum, magis, magisque Aprilis mensis aperiet. In hoc copiosissima martyrum messis abūdat, quòd Diocletiani sæuissima persecutio mēse Martio, vel Aprili cepta fuerit, vt Eusebius habet libro 8. cap. 2. & repetit ante initium libri de martyribus Palestinæ in editione Valesiana p. 318. Idq; nō tam Nicomediæ, vnde primum Imperialia edicta prodierunt, quam in Phoenice, Ægypto, Græcia, Cappadocia, Meso-

potamia, Armenia, Syria, alijsque pluribus locis, quorum martyres per compẽdia transigit Eusebius idem lib. 8. per totum. Nemo autem miretur tantam vbique Africanorum martyrum segetem exprimi, tum quia accuratius, de more illius Ecclesiæ, præsertim D. Cypriani ætate, Martyres in Ecclesiasticis tabulis relati sunt, tum quia plurimum ibi, & in Ægypto incendium persecutionis exarsit; Quod testatum reliquit in eodem libro Eusebius cap. 6. his verbis. *Vix iam iniri numerus potest omnium, qui deinceps in singulis prouincijs passi sunt Martyrum; ac præsertim eorũ, qui per Africam; & Mauritaniam; per Thebaidem, & Ægyptum sunt interfecti.* Prius vero cap. 4. iam in apertum se prodente Diocletiano bello in Christianos, vniuersim docuerat, inexplicabile esse, *quot, & quantos Christi Martyres in omnibus locis, atque vrbibus cernere licuerit; Toto* scilicet *persecutionis decennio*, vt addit cap. 15.

In Arminia. Concordat M. Antuerpiense, ac Corbeiense cum nostro, in martyribus quatuor Armeniæ, primo loco assignandis: sed in nomine Primipuli variant. Partenium vocat Vetustissimum illud, in distinguendis locis magis accuratum, & *in Arminia minore* pressius hos fidei testes consignat. *kal. April. In Arm. minore Parteni, Quintiani, Victoris, Secundi: In Cesarea Maria. In Eraclea Ciuitate itẽ Victoris, Chionia, Agapis, Herenei. Thessalonica Ingeniani, Saturnini, Partemi, Dionysi, Pantheri, Alexandri. In Ægypto Victoris, Stephana.* Corbeiense, pro Partenio, siue Partinio, Fortunium ita exibet. *kal. April. in Armenia Natale Sanctorum Fortuni, Quintiani, Victoris, Secundi. In Heraclea Ciuitate, item Victoris, Chionia, Agapæ, Herenei, Casti. In Thessalonica, Natale Sanctorum Ingenua, Saturnini, Pastini, Dionysij, Fanteri, Alexandri. In Ægypto passio Sanctorum Victoris, Stephani.... Iganan Monasterio depositio B. Vualarici Confessoris.* Minorem Armeniam, Ciliciæ, & Syriæ contexminam à maiori diuidit Euphrates Fluuius, in qua cum præcipuæ vrbes sint Melitene, Satala, & Nicopolis, in vna ex his quatuor adducti martyres agones complere potuerunt. Quintianum etiam tribuit Armeniæ Galesinius cum Irenæo, ex codice Græco, vnde Baronius ex Galesinio existimauit, hac die eosdem in Menologio Græcorum memorari. At nisi Menologium, à viro summo adductum, aliud sit à menologio Canisij, neque hac die, neque alibi Quintianus cum Ireneo licuit inuenire. Sanè Irenæus alterius classis est in codicibus nostris, & Heracleoticus. Notkerus prorsus cũ adductis codicibus ita consonat. *Cal. Apr. In Armenia Parthenij, Quintiani. Victoris. Secundi*: Mariam in Cæsarea martyrem addit M. Antuerpiense, nostris codicibus ignotam. Mariam Ægyptiacam Græci in Menologio iam dicto hac die venerantur, & martyrem vocant, quãquã de Maria, Musca Ægyptia Raynaudi, locutos esse appareat. Palæstina hęc dicitur in Romano martyrologio die sequenti, vbi videndus Baronius:

In Heraclea. Nulla inter adductos codices differentia in his martyribus intercedit. Kalendarium Hieronymianum vetus Canonicorum Lucensiũ pro Agape Agapitum refert, & eos nulla locorũ distinctione, ita inter se confundit *kalend. Apr. Agapeti, Quintiani, Herenei.* Castum supra alia martyrologia exhibet Corbeiense. Pro Chionia, Agape, & Irene videantur quæ dicimus ad diem V. April.

In Thessalonica. & hos Sacros pugiles alijs martyrologijs, vel ignotos, vel præteritos, nostris codicibus, & alijs mss. debemus. Pro Ingeniano, vel Ingeniana, Ingenuam habet M. Corbeiense.

In Ægypto. Stephanam legit Antuerpiense M. contra aliorum multorum fidẽ, quæ cum Corbeiẽsi, & codicibus nostris Victorem, ac Stephanum adducunt. Ita Vsuardus, & Romanum martyrologium, Maurolycus, & Galesinius, qui frustra Adonem testem profert. Petrus de Natalibus

talibus post Venantium Episcopum, ac martyrem, ita kal. Aprilis Victorinum Præsbyterum fuisse addit. *Victor Presbyter, & Stephanus Martyres eodem die in Ægypto passi sunt.*

IV. Nonas Aprilis.

IN Africa Natalis Sanctorum Amphiani. Victoris, & aliorum XIIII. & alibi Marcellini. Satulli. Sarurnini. Quiriaci. Reginæ. Proculæ, & aliorum III. In Thessalonica Macedoniæ Theudoli. Agathopi. Mastisi. Publi. Valeri cum alijs III. Vrbani. Iuliani. Proculi. Gagi. Agapitis. Dionysi. Cyriaci. Zonisi, & alibi Gordiani. *Lugduno Gallis Depositio Niceti Episcopi.*

APRILIS. 2.

VIa, Amphianum martyrem Palestinum, ab Eusebio narratur cap. 4. de martyribus Palestinæ, die secundo mẽsis Xanthici, quod est ante diem quartum nonas Aprilis, admirando certamine Cæsareæ martyrum compleuisse, doctissimus Baronius Bedã redarguit, qui Amphianum Africæ cum socijs tribuerit: At siue male Eusebius, Xãthicũ mensẽ cũ Romano Aprili, ad amussim aptauerit, siue alia de causa Amphianus, seu potius Amphianus nostro martyrologio Nonis Aprilis recolitur, & hac die cum Beda alius à Lyciensi Amphiano numeratur, cum Victore socio, ac alijs XIIII. Ita, quamquã in anonymorum numero varium, exhibet etiã M. vetustissimum S. Vvillibrordi. *iii. Non. Apr. In Africa Amfiani, Victoris, & aliorum X. & alibi Marcellini, Satuli, & aliorum iiii. Thessalonica Macedoniæ Theodoli, Agathopidis, Masteſi, Publij, Valerij, & aliorum iii. Orbani, Iuliani, Proculi, Gagi, Agapetis, Dionysi, Cyriaci, Zonisi, alibi Gortoniani, Lugduno Gallia depositio Nici, Episcopi Depositio Anastasi Abbatis.* Nec dissimilia profert M. Corbeiense, cum nostris codicibus pariter in martyrum sociorũ numero depraua tum. *iv. Non. April. In Africa Sanctorum Amphiani, Victoris, & aliorum quatuor martyrum. Et alibi Marcelli, Satulli, Marcellini, Saturnini, Quiriaci, Regina, Proculi, & aliorũ quatuordecim. In Thessalonica Macedoniæ, Theodoli, Agatophi, Martis, Publij, Valerij cum alijs tribus, Vrbani, Iuliani, Proculi, Gagi, Agapiti, Dionysij, & aliorum. Gordonioni, Magni, Iulij, Donati. Lugduno Gallia depositio S. Niceti, & Luxorio Monasterio, depositio Eustasi Abbatis.* Deprauatum esse in vtroque codice, Antuerpiensi, & Corbeiensi sociorum Amphiani, & Victoris numerum putaui, quòd Notkerus ad amussim cum nostris codicibus consentiat *iiii. Non. In Africa natiuitas SS. Ampliani, Victoris, & aliorum quatuordecim*, & Beda pariter editus quatuordecim enumeret. Vnum addit Galesinius ex ms. libris. Si quis vero cum Antuerpiensi, bonæ notæ martyrologio, sentire vellet, & X. tantum anonymos numerare, ms. Reginæ Sueciæ, ita consonum inueniet. *iiii. Non. Apr. In Africa Natali SS. Amphiani, Victoris cum alijs numero X.*

Et alibi. Secundam hanc, incerto loco venerata m, martyrum classem, in nostris codicibus decurtatam fateri expedit,

dit, multoq; magis in Antuerpiēsi M. nisi in Corbeiēsi codice, vitio librarij Marcel. lus pro Marcellino repetatur, & nisi librarij ocitātia anonymorū numerus, qui Africanis martyribus debebatur xiiii., his adijciatur, & iiii Anonymi illis, non his copulentur. Marcellinum, Satulum, siue Satullum, cum Saturnino habet M. vetustissimum, in quo Ciriaca pro Quiriaco scribitur, cum alijs quatuor. Vnde numeralis nota addenda est in codicibus nostris, & pro iii. socijs legendum est iiii. Cum vero hi sacri pugiles Reginæ, & Proculæ succenturientur, quæ martyres in M. vetustissimo non extant, dubium inserunt, an Romę passi sint, qui *alibi* extra Africam in illo dicuntur. Reginæ nomen, inter Sanctas martyres inauditum, putabant aliqui, nostro sæculo apud Aringhiū T. 2. Romæ subterraneæ p. 639. & à sacro martyrū cætu explodebāt, & proinde sepulcralem lapidem, è Romanis cœmeterijs erutum, a Sacris titulis remouebant, quātumuis intertextis Palmarum ramis, consummati agonis insignibus, ornaretur, & hanc epigraphem contineret. *Regina Vibas in Domino IESV*. Vibas quidem pro Viuas prisco more accipiebant, sed reliqua renuebant, nullo alio argumento ducti, quam quòd in sacris fastis Reginæ nomen non legeretur, leuissima nempe ratione, & quę ex codicibus nostris, & Corbeiense facile tolleretur. In fragmēto mēbranaceo Canonicorū Lucensiū, Martyrologiū Bedæ inscripto *iiii. Nonas Quiriaca, & Procula*, ita memoria recolitur. De Procula mihi alibi non constat, & Quiriaca, cum Ciriaca M. Vetustissimi, conuenit. Reginam exhibet etiam ex Beda Galesinius.

Thessalonicæ Macedoniæ. Anceps substiti veritus, ne Macedoniæ nomen martyris potiùs esset, quam vrbis. At quia Thessalonica Macedoniæ ciuitas Geographis est, etiā prouincia apponi potuit, vt à Thessalonica Sardorum, cuius meminit Concilium Chalcedonēse, sejungeretur, nihil mutandum duxi, & Macedonem Thessalonicensem, huius classis primariū martyrem Theodolū esse suscepi; Agathopsiū verò, seu Agathophiū in M. Corbeiensi, vidi in Vetustissimo Agathopidiam esse. Martius etiam Corbeiensis, Mastetius illi est, sicuti Mastitius in nostris codicibus: in quibus Vrbanus, nō Orbanus legitur, qui secūdę classis Thessalonicentium martyrum antesignanus est. Nullam deinde in reliquis dissentionem, inueni; sed summum in editis alijs martyrologijs de his martyribus silentiū.

Et alibi Gordiani. Gortonianum legit M. Vetustissimum, & pro alibi *aliorum* legit Corbeiense librarij vitio, sicuti fortasse *Gordonionius* male scribitur.

Lugduno. De Niceta, siue Nicetio Episcopo Lugdunensi, agunt hac die fere omnia edita martyrologia, & in primis Romanum, vbi Baronius multa affert. Floruit circa annum 580. Videndi pro eo Galliæ Sacræ scriptores, & præcipue Theophibus Raynandus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium, & Saussayus in martyrologio Gallicano.

III. Nonas Aprilis.

IN Nicea Natalis Sanctorum Thomæ. Euagri. Benigni. Chiristi. Arestì. Sinnidiæ. Rufi. Patricij. Apud Thauromenium. in Sicilia Natalis S. Passerati. In Mirca Agathe. Meriti de Antiquis. In Cesarea Palestine Natalis S. Theodosiæ Virg. In Nicomedia Donati, & passio S. Amphiuni. In Ciuitate Heumisiter, Euagri, & Benigni.

APRI-

APRILIS 3.

PRæter S. Pancratiũ, nullũ ex huius diei Athletis in Romano martyrologio, nullum apud Vsuardum, & Adonem memoratum vidi: paucos apud Notkerum. Differunt etiam inter se codices, quibus innitimur. Antuerpiense *iii. Non. Ap. In Sicilia Natal. Enagri, Benigni, Chresti, Enagaristi, Aresti, Sinnidiæ, Rufi, Patrici. In Tauromenio Siciliæ Praeati. In Mysia Agathemeri. In Cesarea Palestinæ, Theodosiæ Virginis; Nicomediæ, Dõnati, Amphiani, Theumis, Enagri. In Ciuitate Tomis Benignæ.* In Sicilia pariter primũ Martyrum chorum, ita ducit M. Corbeiense, tam in Schedijs Duphresnij, quam in editione, nuper visa Dacherij. *iii. Nonas Apr. In Sicilia Natalis Sanctorum Thomæ, Enagri, Benignæ, Christi. Aristi, Sinnidiæ, Rufi, Patricij, Zosimi. Apud Taurominiũ in Sicilia, Natalis Sancti Pancrati. In Moesia Agathameriti & antiquis. In Cæsaria Palestinæ, Natalis Theodosiæ Virginis. In Nicomedia Donati, & passio Amphiani Martyris. In Ciuitate Eumis, Enagri, Benigni.* Mendum hìc esse in codicibus nostris iure potest existimari, & cum *In Nicea* constanter vterque primos martyres reponat, alij vero codices *in Sicilia*, non parua nominis differentia succurrit. Sed dubitari subijt, ne potius codices adducti omnes labem aliquam contraxerint, & in Antuerpiensi; & Corbeiensi nomen Vrbis desideretur, in nostris vero Regionis. Nicea quidem Vrbs in Sicilia à Geographis nõ indicatur: sed Neas vnde Netini populi Plinio lib. 3. cap. 8. ac Ciceroni in Verrem Act. V. Neetum Ptolemæo vrbs est, vetusta olim, & ingens, vt habet Fazellus de reb. Siculis dec. 1. lib. 4. cap. 2. Hinc coniectabam, si ita legendum esset. *In Nicea Siciliæ Natalis SS. Thomæ &c.* præfertim quòd alter ex codicibus nostris legit. *In Meea.* Facile que accidisse suspicabar, ne ignorata Vrbe, librarij Siciliæ nomen ad Taurominium transposuisset, notiorem quidem insulæ Vrbem. Ex his martyribus Thomã vtique non signat. M. Vetustissimum, sed supra alios codices Euagaristium numerat, antiquarij vix dubitabili vitio, qui ex Euangrio, & Aristio, altero iam indicato, altero mox sequenti, nouum martyrem, alijs ignotũ conflauerit. Zosimum addit post Patricium M. Corbeiense. In reliquis nulla, vel minima est differentia, vt in Benigno à M. Corbeiensi in Benignam mutato, tũ in Schedijs nostris, quã penes Dacheriũ.

Apud Thaurominium. Siue Tauromenium, Græcis celebrem Siciliæ vrbem, celebris est memoria S. Pancratij primi Sicilienſium Apostoli. De quo cum omnia fere martyrologia loquantur, videnda præcipue sunt, quæ habet Baronius ad Romanum, ex T. 1. Annalium. *iii. Non. Apr.* Kalendarium Membranaceum nostrum habet. *Pancratij Martyris*, meminit & Notkerus, ijsdem penè cum nostro verbis. *Apud Tauromininum Siciliæ Sancti Pancratij.* Huius S. Episcopi quædam habet Ferrarius ad hanc diem in catalogo Sanctorum Italiæ.

In Mirea. Deprauatum Vrbis nomen esse in codicibus nostris suadent, non male notæ codices Antuerpiensis, & Corbeiensis, quorum alter. *In Misia* legit; alter parua differentia in Mocsia. Myra vrbs Liciæ Geographis est, quæ Myron Stephano dicitur. Myræum vero vrbs in Africa propria Ptolemæo, seu Mileum Antonino. Milei meminit D. Augustinus & Synodus Constantinopolitana V. quæ eam Numidiæ attribuit. At si legendum est. *In Misia*, vt M. vetustissimum habet, quod in locis appellandis minus deprauatum inuenimus, Regio Asiæ propriæ esset. Mysia regio est, & Vrbs Stephano.

no. Seruio Vrbs Moesia dicitur, vt scribitur in Corbeiensi. Quamquam verò ita ferax martyrum Africa fuerit, vt non difficile tribuendi essent illi martyres, cũ tamen raro martyrologiũ Hieronymianũ Vrbes Africæ distinguat, & alioquin frequentissimè in Africa vniuersim martyres suos signet, in Vetustissimi lectionẽ propendo, præsertim si verba in nostris codicibus, & Corbeiensi addita. *Agathemeriſi de antiquis* interpretãda sint, quasi martyrem signent ex antiquis, & Apostolico æuo proximis. Euangelium sanè citius in Asia vulgatum, quam in Africa fuit, nempe antequam Romana Ecclesia fundaretur: cum à Romana iam à Petro fundata, profiteatur D. Augustinus Africã prima fidei semina recepisse epist. 162. contra Donatistas: idque confirmet D. Gregorius lib. 3. epist. 32. Codices nostri vocem *Agathemeri*, siue Agathimeriti, in duas diuidunt, hoc est *Agata*, & *Meritis*, *de antiquis*. Vtra lectio melior sit, ex aliorum codicum consensu erit cõfirmandum.

In Cæsarea Palestina. S. Theodosia apud Cæsaream martyr, in adductis martyrologijs Antuerpiense, Nostro, & Corbeiense Virginis titulo decoratur; sicuti etiam apud Eusebium dicitur *Theodosia Virgo ex Vrbe Tyro oriunda*. Eius certamen libro de martyribus Palestinis cap. 7. ad calcem libri 8. Hist. idem Eusebius describit, & quamuis eius videatur notare martyrium, *die secundo Mensis Xanthici, quod est ante diem quartum nonas Aprilis*, & eadem die, nempe 2. Aprilis, tam in Romano martyrologio, quam in alijs recolatur, si tamen Eusebij verba perpendantur, fuit ille dies, quo nobilis Martir ad vinctos in Prætorio Confessores accessit, & à militibus correpta ad Præsidem deducta fuit, non consummati per mortem agonis. Cum enim acerbis, & horrendis tormentis ex cruciata, marinis fluctibus absorbenda ab eodem Præside confestim damnata fuerit, non est impossibile, vt integro die in cruciatibus consumpto, in crastinum reseruata, ac deinde mari mersa martyriũ cõpleuerit; Acta breuiter percurrit Notkerus, & in his saltẽ diẽ vnum à captura præterijsse necesse est: siquidem primùm *in Equleo cruciata, deinde ferro onerata, in carcerem trusa est; vbi Dei virtute omnia vincula eius disrupta sunt, & post hæc saxo alligata in mari demersa est*. Longius vero spacium eius certamen expostularet, si ad lictus per Angelum deportata, iterum Leopardo exposita intacta perstitisset, donec cæso capite coronam acceperit iii. Non. Aprilis vt narrat Petrus de Nat. lib. 4. c. 25. Theodora, non Theodosia dicitur hac ipsa die in menologio Græcorum apud Canisium: sed Theodosia in eodẽ vocatur die 29. Maij, quando iterum recolitur, & verba generosæ Martyris ad Vrbanum Præfectum referuntur. Postquam enim, vix spirans, comminutis ossibus, & visceribus denudatis interrogatur, an Dijs immolaret, ridenti vultu respondit. *erras homo, nescis me, cum Dei martyribus, communione dignam factam esse*. Ille ludibrio se haberi cognoscens, amplius eam torqueri, & in mare proijci iussit, quæ omnia longius, quam vnius diei, tempus videntur exposcere. At non modo ad diem vnum, sed ad duos saltem certamen Virginis instauratum fuisse, habent acta latina penes mè in vetusto, & ante sexcentos annos scripto Hagiologio. In his sulcatam vngulis, suspensam capillis, ferreis ponderibus, arctisq; vinculis oneratam, & saxo ceruicibus alligato, in profundum maris deturbatam primò narratur, deinde incolumen in lictus expositã, ad bestias ab Vrbano Præsidie in amphiteatro damnatã, & tandem in obsequium illius rabie ferarum cicurata, gladio ceruicibus amputatis, sanctam Virginem in pace requieuisse docetur. Hæc diffusius ibi prosequuntur, & auctor qui non vulgaris est, plura ad morum sanctitatem perorantem Virginẽ inducit, digna quæ à fidelibus præ manibus haberentur; præsertim cum Surium

au-

fugerint. Ex hac Historia, quæcumque habent in martyrologio Vsuardus ad diē 2. Aprili, & Petrus de Natalibus supra adductus, videntur accepisse, & eandem esse, cuius fragmentum Aringhius affert T. 1. Romæ subt. cap. 16. n. 31. ex ms. Lateranense. Conuenit eadem Historia cum martyrologio nostro in die passionis, quem dominicum fuisse affirmat, non vero solemne Resurrectionis festū, quemadmodum vertunt interpretes apud Eusebium qui facile diem Dominicum intellexit, Dominicæ Resurrectioni dicatū, & à priscis fidelibus, ita nuncupatum, vt alibi diximus. *Hæc autem gesta sunt in Ciuitate Cæsaraa Palestina. Sancta vero Theodosia die Dominica impleuit Martyrium suum tertio Nonas Aprilis.*

In Nicomedia. Donatum, & Amphianum martyres Nicomedienses, ita refert hac die Notkerus. *In Nicomedia Donati, & Amphiani.* Alium ab Amphiano, qui passus est Cæsareæ, & de quo infra agit martyrologium nostrum, hunc esse putarem, quia Nicomediæ, non Cæsareæ, nō in Vrbe Lyciæ Pagas, vnde erat oriundus, venerationem habuit, & quia socius illi ascribitur Donatus, cuius ne verbam quidem Eusebius in Amphiano martyre Palestino.

In Ciuitate Heumisiter. In vtroque codice nostro, ex vetustiori prototypo, apertissimū mēdū irrepsit. Legendū enim est. *In Ciuitate Thomis item Euagri, & Benigni.* Ita me docet Notkerus, qui regionem etiam addit. *iii. Non. Apr. In Scitia ciuitate Tomis natiuitas sanctorū Euagri, & Benigni.* Ita Ado, qui ex vetustiori nostro plurimum adiutus, martyrologium suum concinnauit: ita Vsuardus, & omnia fere martyrologia cum Romano: in quorum plurimis, cum in Scythia Tomis reponatur, non est ambigendum, an Thomum esset Ægypti vrbs Antonino, circa Chenobociam. Est enim Tomis sine aspiratione Vrbs Moesiæ, seu Scythiæ Ponticæ, vel Thracensis apud Zozimum, Ouidij exilio nobilitata. Vnde facilè emendandum est etiam in M. Corbeiensi nomen Eumis, & scribendum Tomis, vel Tumis. Maiori animaduersione dignū videtur in Antuerpiēsi, quòd post Amphianum, in eadem serie Nicomediensium martyrum, addatur Theumis, pro alio martyre, cum Euagrio, & in ciuitate Tomis expresse Benigna tantum recensetur. Equidem huiusmodi lectio nequaquam nostris codicibus accomodari potest, cum particula *Item Euagri, & Benigni* importet, sub nominibus antea productis, nouos martyres indicari, vt re vera initio laterculi, inter Siculos, siue Nicenos, aut Neetinos martyres, Euagrius, & Benignus enumerantur, & Beda, Vsuardus, & Ado vtrumq; martyrem Tomis ascribant. Addimus, ex martyrologio Hieronymiano, Petrum de Natalibus lib. 11 num. 108., qui licet pro Euagrio Eugarium scripserit, cum Benigno tamen Tomis in Scythia copulauit. *Eugarius, & Benignus Mart. coronam percipiunt in Scythia Thomas 3. Non. Aprilis.* Eadem etiam retinēt Maurolycus, & Galesinius.

II. Nonas Aprilis.

IN Thessalonica Natalis Sanctorum Agathonis Diaconi. Theodoli, & alibi Pauli. Matutini. Orbani. Saturnini. Quintiliani. Publi. Victoris. Successi. Iuliani, & alij duo Palatini.

QVod raro accidit, Græcorum Menologiũ hac die cum codicibus nostris, Antuerpiensi, & Corbeiensi martyrologijs omnino conuenit in memoria Thessalonicensiũ martyrum Theodoli, & Agathopidis. Diaconum fuisse Agathonium, ita enim vocat, espresse docet Antuerpiense vetustissimum, nostris libris, & Græcorum menologio ità consonans. *Pridie Non. Apr. Thessalonicæ Theodoli, Agathoni Diaconi, & alibi Pauli, Matutini, & aliorum X. Orbani, Saturnini, Quintiliani, Pupli, Victoris, Successiæ, Iuliana, Palatini, & aliorum duo.* In tres classes diuidit etiã huius diei laterculum Martyr. Corbeiense; sed incerti loci classem in Paulo, & Matutino sistit. Vrbanum enim, siue Orbanum primarium ex sequentibus martyribus Mediolano ascribit, hoc pacto. *ii. Nonas April. In Thessalonica Natalis Sanctorum Agathonis Diaconi, Theodoli. Et alibi Pauli, Matutini. Mediolano Vrbani, Saturnini, Quintiliani, Publij, Ingenui, Victoris, Successi, Iuliani, & aliorum duorum. Palatini, Iulij. Mediolano depositio B. Ambrosij Episcopi, & Confess.* Abundat in Thessalonicensibus martyribus ms. Reginæ Sueciæ *Prid. Non. Thessalonicæ SS. Martyrum Thomis, Theodulo, Agathonis Diaconi.* Agathon Diaconus in Romano martyrologio dicitur Agatopolus, & Theodolus titulo Lectoris ornatur, vt in Menologio, & in Actis, quæ sunt apud Surium T. 3. In his Agathopus dicitur senex, & Diaconus, Theodolus Lector, & iuuenis, qui post multa tormenta in mare mersi agonẽ feliciter consũmauerint, *prid. Nonas April.*

Et alibi Pauli. Siue induas classes diuisi incerto loco hi sacri pugiles ascribantur, siue altera Mediolano cum Corbeiensi Martyrol. tribuatur, vtraque in reliquis martyrologijs desideratur. Galesinius Paulum Ægypto assignat ex fide ms. coturicum, ex quibus alios illi socios addit, die sequenti Non. Aprilis ab Vsuardo, & alijs Martyrologijs veneratos. Decem anonymi primi ordinis, qui in M. Antuerpiẽsi recensentur, in codicibus nostris, & Corbeiẽsi nõ prostant. In hoc, post duos Palatinos, additur Iulius. Gemini Palatini facile ex Palatio Imperatoris fuerunt; disertè enim lib. 8. c. 6. scribit Eusebius, plures Regios cubicularios, & qui sũmi honoris prærogatiua ab Imperatoribus ornati erant, initio persecutionis Diocletiani, Aprili mense, Nicomediæ certamen compleuisse.

Nonis Aprilis.

IN Nicomedia Natalis Sancti Claudiani. In Ægypto Natalis Sanctorum Marcianæ. Nichanoris. Apollonij. Alexandriæ Didimi presbyteri. Et alibi Quinti. Pancrati. Successi. In Sicilia. S. Honori. In Thessalonica Natalis Sanctorum Virginum Chioniæ. Herene, & Agape. In Cesarea Liciæ Natalis S. Amphiani. Et in Cilicia Natalis S. Taraci. Andronici. Probi.

APRILIS. 5.

DE Claudiano Nicomediensi martyre, qui cum Bassa vxore, diuturnis carceris cruciatibus vexatus, insigne martyriũ pertulit, omnia Latinorum martyrologia agunt ad sextam diem Martij. Cum autem Claudiano, cuius hac die celebritas signatur, diuersi socij Plautus, & Irenes coiũngãtur in Antuerpiensi martyrologio, diuersum esse hoc pacto mihi suadent. *Nonas Aprilis. In Nicomedia Claudiani, Plauti, Irenes. In Ægypto Marciani. In Alexandria Didimi presbyteri, & alibi Quinti, Pancrati, Successi. In Sicilia Natalis S. Honori. Thessalonica Natalis Sanctarum Virginũ Chionie, Herenæ, Agapæ. In Cesarea Lucie, S. Amphiani. In Cilicia Taraci, Andronici presbyteri.* Nulli socij Claudiano sociantur in libris nostris, neque in Corbeiensi, vbi tantum legitur. *Nonas Aprilis in Nicomedia Natalis S. Claudiani. In Ægypto Natalis Sanctorum Didimi Presbyteri, & alibi, Quinti, Pancrati, Successi. In Sicilia Natalis Sancti Honorij, Magni. In Thessalonica Natalis Sanctarum Virginum Chionia, Herena, & Agapa. In Cesaria Licie, & Natalis Sancti Amphiani. In Cilicia Natal. Sanctorum Taraci, Andronici, Probi, & alibi Axulfi Episcopi, & Confessoris.* Martyres alij, qui Ægypto tribuuntur, Galesinio etiam memorantur ex mss. codicibus, sed deprauatis, vel mutilis, vt alibi animaduertimus; Claudianum enim Nicomediensem, Didymũ Alexandrinum, Quintũ incerti loci martyrem, sub vna Ægyptiorum turma confundit; alios vero in nostro, & adductis martyrologijs signatos nõ refert, Martianũ scilicet, vel Martianã, Nicanorem, & Apollonium; quos etiam Ægypto assignant Vsuardus, Notkerus, & Ado: horum primus Martianũ dicit, postremus Martianam: Notkerus, Martinum. Martianã etiã dixit Galesinius die precedẽti, quo Ægyptijs martyribus Paulum, & Victorem malè addidit. Maurolycus Vsuardo consonat, & Petrus de Natalibus lib. 11. n. 110. Marcianam etiam ex Hieronymiano, vel Adonis martyrologio ita appellauit. *Martiana, Nicanor, & Apollonius martyr. apud Ægyptum passi sunt Nonis Aprilis.*

Alexandria Didimi. Alexandrię legẽdum omnino est, ex fide aliorum codicũ, non Alexandri, vt alter ex codicibus nostris retinet. Presbyterum etiam Didimum dicunt M. Antnerpiense, & Corbeiense, cum Notkero. Galesinius putat esse Didimum illum, qui cum Theodora insigni martyrio coronatus est: sed nulla hic Theodorę memoria habetur. Ex Menologio Græcorum hausit Galesinius, in quo die V. Aprilis Theodora, & Didimus venerantur. Videda sunt autem quæ ad diẽ 29. Aprilis adnotamus de Theodora.

Et alibi Quinti. Quintum, Pancratium, & Successum vnanimiter cum Antuerpiensi, & Corbeiensi exhibet martyrologium nostrum.

In Sicilia. Ignotus omnino mihi est Siculus martyr Honorius, & Maurolycus Abbas Messanensis regionem suam Sancti martyris gloria non fraudasset, si illi pariter innituisset: obscurus est etiam Ferrario.

In Thessalonica. Sanctarum Martyrũ Chioniæ, Hirenes, & Agapæ memoriã agunt Græci in Menologio, & Sanctarũ mulierum tantum titulo exornant die 16. Aprilis. Hac tamen quinta die cum Hirene Thessalonicæ tribuunt Beda, Vsuardus, Vvandelbertus, Ado, & Notkerus, qui eas Virgines appellant cum Romano martyrologio, in quo 3. non 5. Aprilis recoluntur. Acta seruauit Metaphrastes apud Surium, in quibus pariter mulieres, non Virgines, à Thessalo-

nica originem duxisse asseritur, & Irenem post Agapem, & Chioniam viui combusrio certamen absoluisse Kalēdis Aprilis, quādo pariter in Vrbe Heraclea, ex martyrologio nostro recoluntur. Sanè cum actis hæc non pugnant; non enim in illis dicitur Thessalonicę martyrium compleuisse, sed origine fuisse Thessalonicenses; quod minus proprie dictum esset, si in patria martyrium fecissent. Ex montibus dicuntur abstractæ vbi fugerant: sed locus passionis non exprimitur. Horum etiā certamen exponitur in Actis S. Anastasiæ iunioris apud Surium die 25. Decembris, sed quę multis implicentur difficultatibus; primum enim Aquileiæ decertasse, deinde in Macedoniam translatas, ibi cursum perfeciisse ostenditur. Cum verò non modo Heraclea Vrbs sit Macedoniæ, sed & Thessalonica, vnde oriundæ erant Sanctæ Virgines, potuerunt, & Heracleæ aliqua pro nomine Domini pati, & Thessalonicæ celebres esse, vt in vtraque Vrbe publico cultu venerarentur. Aquileiæ adhuc recoli docet Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad hanc diem 5. Aprilis, & fateturacta correctione indigere, quòd inueriſimilia quædam contineant.

In Cæsarea Lyciæ. De S. Amphiano aliqua dicta sunt ad diē tertiam Aprilis. Secunda tamen die huius mensis insignē martyrem Amphianum, seu potius Apphianum recolit Romanum martyrologium. Ibi notat Doctissimus Baronius in Vsuardo, alijsque Latinis martyrologijs mendum inesse; quemadmodum etiā esset in Notkero, Corbeiense M., & codicibus nostris, in quibus legitur S. Aphianum passum esse Cæsareæ Lyciæ, cū tamen apertissimè eiusdem certamen Eusebius describat in Vrbe Cæsarea Palestinæ. Mendum quidem adesse fatemur leuissimę mutilationis, sed facillimę emēdationis; hoc est, si addita disiunctiua virgula, vel particula coniunctiua, & hoc pacto scribatur, *In Cæsarea, & Lyciæ Natalis S. Amphiani.* Constat enim ex eodem Eusebio, Apphianum martyrem ex Lycia, & eiusdem nō ignobili vrbe Pagas, principis viri filium, & adolescentem fuisse, qui Cæsareæ quidem Palestinæ ad mortem vsque certauerit, sed Lyciæ in patria etiam solemni festo recoleretur, vel ex martyrij nobilitate, vel translatis deinde reliquijs. Pro *Lyciæ* ergo nomine, facili lapsu, restituendum in M. Antuerpiensi putarem Lyciæ, & aptius legendum esse, *In Cæsarea, & Lyciæ S. Amphiani.*

In Cilicia Natalis. An legendum sit *Taraci, Andronici Presbyteri,* vt habet M. Antuerpiense, an *Taraci, Andronici, Probi,* vt profert M. Corbeiense cum codicibus nostris, adhuc delibero. Tres insignes martyres in Cilicia Tharsēses, his nominibus signatos, recolunt ferè omnia martyrologia cum Romano ad diem XI. Octobris, quo longum, durissimumque agonem in Tharso Ciliciæ compleuerūt, vt eadem acta procōsularia habent apud Baronium ad annum Christi 290. nu. 29. Cæptum est autē certamen 8. kal. Aprilis, vt initio eorundem Actuum dicitur. nu. 2. Sub his nominibus *Taraci, Probi, & Andronici* tres martyres in Palestina Martyrologio nostro, & Corbeiensi memorantur. die 13. Maij, & die 27. Sept. seu V. Kal. Octobris in Tarso Ciliciæ: & iterum 7. Idus Octobris in Cilicia, & VI. Idus inter martyres Africæ. An hi semper, & vbique ijdem sint, non facile affirmarem. Insignes Martyres fuisse, & eorum reliquias alibi, & alibi asportatas non dubito, atque ita plures illorum solemnitates inductas fuisse, sicuti septima mensis Maij solemnem factam eorum reliquiarum repositionē, ex Cyrillo in Euthymio notat Baronius ad diē XI. Octobris. Forte, vt in illis Actis dicitur, cum ex diuersis locis originem ducerent, puta Tharacus ex Claudianopoli vrbe Syriæ, Probus è Thracia natus in Perge Pāphidiæ, Andronicus Ephesius, & primi ordinis Ephesiorum, potuerat etiam pluribus in locis eorū memoria recoli. Pompe-

peiopoli apud Tharſum Cilicię detentos eſſe habent Græci in Menologio Caniſij. Mopſueſtiam à Cilicia ductos, cum prius in Cilicia agonem cæpiſſent, & rurſus tortos, ac diuerſis tormentis excruciatos, capite demum abſciſſo triumphaſſe, docet Menologium Baſilij IIII. Idus Octobris. In tanta feſti diei, & loci, vbi certauerint diſſonantia, aliquid certi ſtatuere meis viribus impar onus agnoſco. Si pro nomine Probi, Præsbyter, ita breuitatis characteribus Prb. eſſet reponendus, vt habet M. Antuerpienſe, diuerſos eſſe huius die martyres omnino exiſtimarem; ſed alibi Andonicum Preſbyterum dici non inuenio.

VIII. Idus Aprilis.

IN Nicomedia Firmi. Hermei Epiſcopi. Hymnari. Solutoris. Quiriaci. Moyſi. Romani. Succeſſi. Quartillæ. Romanæ. Donate. Xiſti. Victoris. Quiriace. Gagi. Et in Sirmia Roſine. Moderate. Romane. Secunde cum alijs VII. Florentini. Geminiani. In Africa Natalis Sanctorum Epiphanij Epiſcopi. Donati. Xiſti. Rufini. Modeſti, & aliorum XL. In Macedonia Tymothei. Diogenis. In Alexandria Natalis Cluſi Presbyteri. Pentapoli Tymothei. Machariæ. Tyrie. Marciæ. Maxime. Libiæ ſuperiori Natalis Sanctorum Theodori Epiſcopi. Hereni Diaconi. Serafionis. Ammoni Lectoris. Summiſte. Apricis. Victoris, & alibi Natalis S. Marinæ, & Tegulianæ.

APRILIS 6.

PRæter paucos ex his martyribus, in aliquibus martyrologijs memoratis, reliquos noſtris codicibus, & alijs, quibus innitimur mſs. debemus. Antuerpiēſe veruſtiſſimum ſacros huius diei faſtos ſequentibus martyribus exornat. *viii. Idus Aprilis Nicomedia Sirmi, Herenei Epiſcopi, Imari, Solutoris, Cyriaci, Morſi, Romani, Succeſſi, Quartillæ, Romanæ, Cyriacæ, Sirmi, Donati, Xiſti, Victuri, Gagi, Roſinæ, Moderatæ. Item Romanæ, Secundi, & aliorum vii. Florentini, Geminiani; In Africa Epifani Epiſcopi, Donati, Syxti, Ruſini, Modeſti, & aliorum X. In Macedonia Timothei, Dioginis. In Alexandria Cluſi Presbyteri, Pantapoli Timothei, Tyria, Machariæ, Margæ. Libiæ Superioris Theodori Epiſcopi, Hirenei Diaconi, Serapionis, Ammonis Lector, Luni Miſtæ, Apriciæ, Victoris, & alibi Sanctæ Marinæ, & Teguliani.* Corbeienſe eoſdem ſacros faſtos ita implet. *viii. Idus Apr. In Nicomedia Firmi, Henci Epiſcopi, Himnari, Solutoris, Quiriaci, Moysÿ, Romani, Donati, Syxti, Victoris, Gagi, Satiri, & in Syrmia, Ruſinæ, Moderatæ, Romanæ, Secundi cum alijs ſeptem. Florentini, Geminiani, Saturi. In Africa Natalis Sanctorum Epiphanÿ Epiſcopi, Donati, Sixti, Ruſini, Modeſtæ, & aliorum vndecim. In Macedonia Timothei, Diogenis. In Alexandria natalis Sancti Cluſi Presbyteri. Pentapoli, Timothei, Macariæ, Martiæ, Maximæ. Libiæ ſuperioris, Natalis Superiæ, Theodori Epiſcopi, Herenei, Diaceni, Se-*

Papionis, Ammoni, Lectoris, Summiſtæ, Apricij, Victoris, & alibi Natalis Sanctæ Marinæ, & Tegulani, Vrbani. Firmum, Nicomedienſium martyrum primarium, noſtri codices etiam dicunt, nō Sirmum, Herinium Epiſcopum non Heneum, & Hymnarum non Imarū. Succeſſus, Quartilla, Romana, in Corbeienſi deſiderantur, in quo etiam Donatus pro Donata legitur. Sed Donatus cum Sixto, & qui ſequntur, Sirmi videntur tribui ſuboſcure in M. Antuerpienſi, cum tamen Sixtus, Victor, Quiriaca, & Gagius Nicomediæ aſſignentur, tam in codicibus noſtris, quā Corbeienſi, in quo Satirus additur. Cyriaca in Antuerpienſi etiā Nicomedienſis martyr eſt, cui illius Vrbis athletæ non niſi XI. ſunt. XII. in Corbeienſi, in noſtro vero XV. nominibus omnes expreſſi. Notkerus pro Firmo Syrmium non modo legit, ſed pro Vrbe accipit, & Ireneū Epiſcopum eiuſdem loci fuiſſe teſtatur. Calendarium Hieronymianum Canon. Lucenſ. *viii. Idus Apr. Firmÿ, Romani,* memoriam agit.

Et in Syrmia Roſinæ. Syrmienſium martyrū dux eſt in M. Antuerpienſi Donatus, in noſtro, & Corbeienſi Rufina, quæ illi Roſina dicitur, cum Moderata, & Romana ſocijs, Secundo, & Anonymis ſeptem; poſtquos, veluti alterius Claſſis adduntur Florentinus, & Geminianus ſiue, vt in Corbeienſi M., etiam Satirus, codicibus noſtris, & Antuerpienſi præteritus.

In Africa Epiphanÿ Epiſcopi. Cum Epiſcopo Africæ Epiphanio nominibus ſignati commilitones Donatus, Sixtus, Rufinus, Modeſtus, & decem alij in Antuerpienſi M. numerantur. Ijdem in codicibus noſtris exprimuntur: non decem tamen Anonymi, ſed XL. exprimūtur. In Corbeienſi pro Modeſto, Modeſta legitur, & anonymi vndecim. In mſ. Reginæ Sueciæ. *viii. Idus April. In Africa Natalis SS. Epiphanÿ Epiſc. Donati, & aliorum xiii.* Ex his emendandum eſſe in Antuerpienſi vnius numeralis notæ defectū putarem, & in noſtris codicibus pro XL reſtituerem XI. vt alter ex codicibus retinere videtur, & in mſ. Reginæ Sueciæ XIII. relinquerem, vel potius XIIII. quòd poſt Donatum, Sixtus, Rufinus, & Modeſtus breuiatori illo inter anonymos includantur. Idem de numerali nota in Vſuardo exiſtimarem, qui die ſequenti cum Epiphanio Epiſcopo, Donatum, & alios XIII. exhibet. Emendationem noſtrā confirmat Notkerus, qui 8. *Idus Apr. In Africa SS. Epiphanÿ Epiſcopi, Donati, Sixti, Rufini, Modeſti, & aliorum vndecim* memoriam agit; nec abhorret à martyrologio Romano, in quo poſtridie, poſt Epiphanium Epiſc. Donatum, & Rufinū, alij tredecim numerantur anonymi, è quibus ſi Modeſtus, & Sixtus demerentur XI. remanerent. Ita Petrus de Natalib. lib. 11. num. 113. non niſi cum Epiphanio Donatum annumerans, quatuordecim anonymos profert, quia tres nominibus expreſſos in illorum numero incluſit. Fragmentum Calendarij membranacei Canonic. Lucenſium *viii. Idus S. Epiphanÿ* nomen tantum retinet.

In Macedonia. Timotheum, & Diogenem recolit, etiam hac die Vſuardus cum Romano martyrologio, cui aſtipulari addit Baronius vetera mſs. Maurolycius preſſius etiam ſignat agonis locum, nempe in Macedonia ciuitate Philippis. Notkerus librarij, vt videtur errore, pro Macedonia habet Nicomediam, & pro Diogene Theogenem.

In Alexandria. De Cluſio Presbytero Alexandrino, præter quam in Antuerpienſe, Corbeienſe, & noſtro martyrogio, nulla aliunde mihi ſuppetunt monumenta? Chiſium, ita appellat mſ. Reginæ Sueciæ. *In Alexandria Natalis S. Chiſi Presbyteri.* De S. Peleuſio, Alexandrino pariter Presbytero, agunt die ſequenti Vſuardus, Notkerus, & alij, ſed alius is eſt à Cluſio ſeu Chiſio.

Pentapoli Timotheo. Plures regiones Pentapolis nomine vocatæ Geographis memorantur. Maioris famæ ea videtur

quæ

quæ Cyrene Plinio dicitur, & Ptolemeo. Hæc contraponi videtur Lybiæ interiori, tanquã exterioris Libyæ pars; post enumeratos enim Pentapolitanos martyres, alij subiiciuntur in Libya superiori. Vtrãque Notkerus confundit, dum illos cum his martyribus miscet,& inquit *Pentapoli Lybiæ superioris passio S. Theodori Episcopi, & multorum martyrum.* Alterius sanè classis est S. Theodorus à Pentapolis martyribus, inter quos Tyria est, tam Antuerpiensi quã nostro martyrologio, prætermissa in Corbeiensi. Timotheus, Tyria, Macaria, & Marga Martyres Pentapolis sunt in Vetustissimo illo. In nostro pro Marga Martia, & Maxima est, cum Timotheo, Tyria, & Macaria.

Lybiæ superiori. In interiorem,ac exteriorem Lybiam partiuntur potius Geographi, quam superiorem, & inferiorem. Pro superiori interior accipi potest, cui in codicibus nostris,cum Theodoro Episcopo, & Herenio Diacono,quinque alij martyres numerantur. Sex sunt in Vetustissimo quia Sũmista martyr in duo partitur, nempe Iuni, & Mistæ. Summista tamen dicitur etiam vnica voce in martyrologio Corbeiensi, ac ita etiam legisse conijcio, qui mſ. Reginæ Sueciæ ex Hieronymiano martyrologio concinnauit, seu potius decurtauit; post Theodorum enim, & Irenæum quinque alios martyres refert,inter quos vnico nomine Summistã legisse oportet. *Lybia superiore natalis SS. Theodori Episcopi, Irenæi Diaconi, & aliorum quinque.* Serafion, siue Serapion,& Ammonius Lectores dicuntur, & facile est de Clero Africano fuisse, in prima statim sub Diocletiano persecutione, vt alias diximus.

Et alibi Marinæ. Marinam, & Thegulianum legit M. Antuerpiense. Marinam, & Thegulianam codices nostri.Marinam tantum mſ. Reginæ Sueciæ, *Et alibi Natalis S. Marinæ.* Vrbanum alijs ignotum addit M.Corbeiense, post Marinam, & Tegulianum.

VII. Idus Aprilis.

IN Antiochia Syriæ Natalis Sanctorum Timothei. Diogenis. Macharij. Maximi, & alibi Eleusi Presbyteri. Libiæ superioris Coprice. Victoris. In Alexandria Natalis S. Pilusi Presbyteri.

APRILIS 7.

ABundat supra codices nostros, ad calcem latercuIi,in Nicomediensibus martyribus,Vetustissimum Mart.S. Villibrordi,videlicet-*vii. Id. Apr. Antiochiæ Syriæ, Timothei, Diogenis, Macharia, Maximæ. Et alibi Eleusi Presbyteri. Lybiæ superiore Capricę, Victoris; Alexandriæ Natalis Peleusi Presbyteri, & in Nicomedia Cyriacis cum alijs X.* In Lybia superiore præter Victorẽ habet Corbeiense Martyrol. etiam Donatum. Deficit tamẽ sicut in nostro Cyriacus Nicomediensis, cum alijs anonymis, vt in integro latercuIo,quem apponimus.*vii. Id. Apr. In Antiochia Syriæ Natalis SS. Timothei, Diogenis, Macharię, Maximę, & alibi Eleusi Presbyteri.Libiæ superiore Coprice. Victoris, Donati. In Alexandria Natalis Peleusi Presbyteri.* Codices nostri in Antiochenis martyribus Macharium, & Maximum, pro Macharia, & Maxima, Eleusium pro Leusio legunt: in reliquis cum Corbeiense M.consentiunt. Ex his omnibus præter Peleusium Præf-

byte-

byterum Alexandrinum, alium martyrē non recenſent plura Latina martyrologia, Vſuardi, Adonis, Maurolyci. Notkerus tamen ſupra Peluſium Præsbyterum recolit etiam *In Nicomedia natiuit. S. Cyriaci cum alijs decem*. Ante Notkerum de Cyriaco, & decē ſocijs agit Beda, ex quo Baronius ad Romanum martyrologium, quod in hiſ cū Vetuſtiſſimo Antuerpienſi conuenit. Mutilum eſſe, tam Corbeienſe, quam noſtrum, confirmat mſ. Reginæ Sueciæ, tantum exhibēs. 7. *Idus Antiochię Syrię Natal. SS. Timothei cum alijs tribus.* Calendarium Hieronymianum Lucenſe *vii. Idus Victoris*. Pro Pelenſio Præsbytero Petrus de Nat. lib. XI. num. 114. ex antiquis martyrologijs legit. *Pleuſius Presbyter eodem die in Alexandria in Chriſto quieuit*.

VI. Idus Aprilis.

IN Africa Natalis Sanctorum Thymori. Mecari. Conexi Maximi, & alibi Conceſſi. Solutoris. Pinnari. Item Succeſſi.

APRILIS. 8.

BReuiſſima martyrū ſylloge clauditur, in his, quibus innitimur Hieronymianis martyrologijs, huius diei Nomenclatura. Antuerpienſe hos tantum martyres refert, & aliqua cum noſtro differentia. *vii. Idus Apr. In Africa Timori, Ianuari, Machari, Conexi, Maximę, Conceſſę, Succeſſi, Pinnari, Item Ammoni*. In duas pariter claſſes diuidit Mart. Corbeienſe vniuerſam martyrum ſeriem. *vi. Idus Apr. In Africa natalis Sanctorum Timori, Moechari, Conexi, Maximi. Et alibi Conceſſi, Saluatoris, Pinnari, Ammoni, Succeſſi, Donatę.* Cogimur hic mutilos, in vno martyre Ianuario, fateri codices noſtros, ſicut, & M. Corbeienſe; non modo enim Ianuarium poſt Timorum enumerat Antuerpienſe; ſed concinit eidem Notkerus. *vi. Idus Apr. In Africa SS. Iannarij, Macharij, Maximę, Conceſſę, & aliorum multorum*. In prima Africanorum martyrum turma ſex martyres enumerat Vetuſtiſſimum M.: quatuor tantum codices noſtri cum Corbeienſe; Ianuarium etiam cum Maxima, & Macaria in Africa numerat Romanum martyrologium. In quo ſeiunctim ex Beda veneratur quoque Cōceſſam, ſed Carthagine. Deficiunt ergo tū Ianuarius, tum Conceſſa, quæ alia martyr eſt à Conexio, & pro Maxima in ijſdē codicibus Maximus ſcribitur. Pro Machario, Machariū legit mſ. Reginæ Suæciæ, & enumerato Thimorio, non niſi quinque martyres ſcripſit illius martyrologij Breuiator. *vi. Id. In Africa Themori, Macery cum alijs iii.*

Et alibi Conceſſi. Incerti loci martyres quinque recenſet M. Antuerpienſe, quorum primus Conceſſus eſt, diuerſus omnino a Carthaginenſi Conceſſa. Ammonius alterius, vel loci, vel temporis eſt, & in noſtris codicibus non indicatur, in quibus, non niſi quatuor Athletæ recenſētur, Conceſſus, Solutor, Pinnaris, & deinde repetitus, cum particula, item Succeſſus, niſi ſit alterius claſſis. In Corbeienſi, non modo Ammonius proſtat, ſed Donata, quæ in alijs deſideratur. Conceſſum, Ammonium, & Succeſſum, profert etiam M. Maurolyci. Calendariū Hieronymianum Vetus Lucenſe ex vtraq; claſſe vnū producit hoc paſto. *vi. Id. Maximi, & Solutoris.* de quibus ita etiam cecinit Vvandelbertus.

Maximus, & Senas Idus tenet, atq; Solutor.

V. Idus

V. Idus Aprilis.

IN Syrmia Natalis V. Virginum quorum nomina Dominus nouit; & alibi Demetri Diaconi. Hylari. Conceſſi. Mari. Syrmionium. Fortunati. Donati, & Natalis VII. Virginum. *In Rauenna dedicatio Oratorij S. Polycti.*

APRILIS 9.

VIrginei cruoris feſtum appellari iure merito poteſt dies nonus Aprilis, quando pro gemino Sanctarũ Virginum, ac Martyrum choro antiquitus exultabat Eccleſia. In primo Sirmienſes quinque Virgines: Septem Canonicas in ſecundo ita numerat vetuſtiſſimum Antuerpienſe M. *v. Idus Apr. In Sirmi v. Virginum. Et alibi Demetri Diaconi, Hilari, Conceſſi, Mari, Sirmionis, Fortunati, & vii. Virginum Canonicarum. Rauenna S. Polycti.* Non niſi vnum Sanctarum Virginum chorum Sirmij recolit martyrologium Romanum, quæ ſeptem numero ſimul coronatæ fuerint ex Beda, Vſuardo, Adone, & alijs, puta Petro de Nat. lib. 4. cap. 4. Maurolyco, & Galeſinio, qui ex illis acceperũt. At præter codices noſtros, & vetuſtiſſimum Antuerpienſe M. in quibus etiam, aliorum martyrum interpoſitione, diſiunguntur Virginum coronę, addimus, & M. Corbeienſe, quod eadem diuiſione Virgineas martyres exhibet. *v. Id. Apr. In Syrmia Nat. iiii. Virginum, quarum nomina Deus ſcit. Et alibi Demetri Diaconi, Hilari, Conceſſi, Mari. Syrmium Fortunati, Donati, & aliorum ſex. Et Natalis ſeptem Virginum canonicarum. In Rauenna Dedicatio Oratorij S. Polycti.* Deeſt in primo Virginum choro numeralis vnius nota, & plurimorum codicum fide reſtituendũ eſt quinque Virginũ. Ita Notkerus, qui duas Virginum turmas, ita pariter refert. *Apud Syrmium Natiuitas ſeptem Virginum quæ in vnum coronari meruerunt. Item natiuitas quinque Virginum.* mſ. Reginæ Sueciæ V. Idus Aprilis. *Syrmij paſſio SS. Quinque Virginum, & alibi Demetrij Diaconi, & vii. Virginũ quæ in vnum meruerunt coronari.* In Adone tam edito Roſuueydi, quam mſ. noſtro, Syrmienſes ſeptem Virgines ita recenſentur. *Apud Syrmium nat. vii. Virginum quæ in vnum meruerunt coronari v. Idus Aprilis.* In Adone, Moſandri additur. *Item v. Virginum quorum nomina Deus ſcit*, quæ verba Roſuueydus inter ſpuria reiecit. Sirmium, Straboni, Zoſimo, & alijs vrbs Pannoniæ inferioris quondam celebris erat, & Sermium ab Euagrio dicitur Sirmis à Iornãde. In hac vrbe primas quinque Virgines agonem compleuiſſe, ex adductis bonæ notæ codicibus, planum eſſe videtur; quamquam non deſint, qui ſeptem alias Virgines Sirmio tribuant, vnum cum altero choro miſcentes. Alij vero, qui eas diſtingunt, partim incerto loco poſt Demetrium, & ſocios, partim Sirmio, ſeu Sirmioni paſſas eſſe affirmant. Sirmium Opidum in Peninſula ad lacum Benacum olim erat, cuius Catullus meminit, & quod amphiteatro lateritio decoratum non ignobile ibi fuiſſe apparet. Sermione ab incolis vocatur, ſed pagus hodie eſt, nullaque ſibi ſeptem Virginum memoria eſtat, neq; apud Ferrarium, neque apud alium, quem viderim. *Sirmionis* nomen martyris potius videtur in M. Antuerpienſe, quod in

minibus minus deprauatam apparet. Vnde incerto loco *alibi*, cũ Demetrio Diacono, Hilarius, Conceſſus, Marus, vel Marius, Sirmionius, Fortunatus, Donatus, & ſi libet etiam anonymi ſex, in Corbeienſi M. expreſſi numerandi eſſent, deinde ſeptem Virgines Canonicæ; Sin vero Demetrius, Conceſſus, Hilarius, & ſocij, Romæ martyrium compleuerunt, vt ex vet. mſ. Monaſterij S. Cyriaci reſtituit in Romano martyrologio Baronius, facile, & ſeptem Virgines Romanæ illæ eſſent, quarũ meminit Anaſtaſius Bibliothecarius in Hadriano primo, his verbis, dum inter Cœmeteria plurima, ab eo reſtaurata numerat *Cœmeterium Iordanorum, videlicet Sanctorum Alexandri, Vitalis, & Martialis Martyrum, ſeu Sanctarum ſeptem Virginum*. Quæ enim hac die ſeptem poſt Demetrium, & ſocios in Romano Martyrologio numerantur, Sirmienſes quinque videntur eſſe, in adductis codicibus, diuerſæ ab alijs ſeptem incerti loci martyribus, quæ Romæ coronam adipiſci potuerunt. Quòd vero in M. Antuerpienſi, & Corbeienſi Canonicæ dicantur, nil aliud ſignificare putarem, quam ſacras Virgines fuiſſe, ſub certa aliqua regula viuentes. Non enim dubium eſt ſaltem in perſecutione Diocletiani ſacrarum Virginum Aſceteria in vſu fuiſſe, ac ex Actis SS. Indes, & Domnæ apud Lippomanum, & Surium conſtat, quæ etiam Nicephorus præibat lib. 7. c. 6. Ab Apoſtolorum quoque temporibus Collegia Virginum exiſtebant, & meminit S. Ignatius in Epiſtola ad Philippenſes. Canonicarum Virginum XL. memoriam agit martyrologium noſtrum ad diẽ viiii. Kal. Ianuarij.

In Rauenna. Antiquum hoc, ſeu vetuſtius martyrologium, Rauennæ ſe inueniſſe Ado fatetur in præfatione: ex eo verò quod Rauennæ, Roma deducto codice, ipſe vidit, noſtrum, Antuerpienſe, & Corbeienſe martyrologia fluxiſſe, ex hac ſuperaddita Dedicatione Oratorij S. Poliẽti, ſiue Poliuti videtur poſſe deduci. Minutiora enim hæc, non niſi ab indigenis, addi ſolent, & ad vniuerſalis Eccleſiæ martyrologium non pertinent.

IIII. Idus Aprilis.

IN Alexandria Apolloni Presbyteri. Grani. Helari. Donati. Conceſſi. Saturnini. Gaiani. In Africa Martyrum XVII. quorum nomina Dominus ſcit, & alibi Pinnati. Succeſſi. Marcelli. In Antiochia Natalis S. Theodori Præsbyteri.

APRILIS. 10.

CVm inter Alexandrinos martyres Philemon nõ numeretur, qui cum Apollonio Monacho, & Præsbytero, igni primum traditus, mox cũ in illo, & alijs in mari demerſus fuit, vt in vitis Patrum legitur cap. 19. part. 1. anſam præbet dubitandi, an idẽ cum hoc re vera ſit, vt Doctiſſimus Baronius exiſtimauit, præſertim cum plurimi ſocij nominibus his exprimantur, qui apud D. Hieronymum, ſeu quiſquis auctor illius libri ſit, nominatim nõ ſignantur. Quamquam enim ſummus ille vir Vſuardum adducat, ac Petrum de Natalibus: Vſuardus tamen Alexãdrię Apolloniũ Presbyterum cum alijs quinque ſine nomine recolit. Petrus vero de Natalibus lib. 4. cap. 43. dum ex Vitis Patrum Ægyptiorum

rum certamen Apollonij, & ſociorum præſidebat, vt Vſuardo fortaſſe ſe accomodaret, Apolloniũ Præsbyterũ dixit, cõtra quod ſcriptum ſit in hiſtoria Patrum, in qua de Apollonio tantum dicitur, quòd Diaconus fuit ordinatus, non Presbyter. *Qui cum vitam magnificam egiſſet inter fratres, etiã Diaconus ordinatus eſt. Tẽpore ergo perſecutionis &c.* De illius vero ſocijs, cũ quibus demerſus eſt Apollonius, Choraula .ſ. Iudice, ac militibus, nullus alius nomine exprimitur, niſi Philemon Choraula, neque numerus militum, qui eum vinctum ducebant, definitur. Vnde alius videtur Apollonius Monachus, & Diaconus, à Presbytero cuius Vſuardus cum quinque ſocijs anonymis meminit. Sex tamen coumilitones in codicibus noſtris Apollonio iunguntur, & quia nominibus exprimuntur, efficacius etiam alium Apollonium ſuadent à Monacho. Donatam, & Conceſſam pro Donato, & Conceſſo habet M. Antuerpienſe, in quo Gaianus deſideratur, ſicuti Granius in Corbeienſi, pro quo Saturus additur. Vtriuſq: integrum diem de more adducimus, & Antuerpiẽſis primùm. *iiii. Idus Apr. Alexandria Apolloni Presbyteri, Grani, Hilari, Donatæ, Conceſſæ, Saturnini. In Thracia Gaiani. In Africa xvii. Martyrum, & alibi Pinnadi, Succeſſæ, Marcellę. Antiochię Theodori Presbyteri. In Dacia Gaiani Diaconi.* Corbeienſis deinde. *iiii. Idus April. In Alexandria Apollonis Presbyteri, Gaiani, Hilarij, Donati, Conceſſi, Saturnini, Saturi. In Thracia Natalis Gaiani. In Africa martyrum ſeptemdecim quorum nomina Deus ſcit. Et alibi Pinnati, Succeſſi, Marcelli. In Antiochia Natalis SS. Theodori Preſbyteri.* Notkerus ſine ſocijs, ita Apollonij meminit. *In Alexandria Apollonij Presbyteri. In Antiochia S. Theodori Preſbyteri. In Thracia Natiu. S. Gaiani. In Africa Martyrum ſedecim, quorum nomina Deus ſcit.* Horum numerum ad XVII. extenditur in noſtris, & alijs adductis codicibus. mſ. Reginæ Sueciæ, ita ad XL. protrahit. iiii. Idus. *In Africa Martyrum XL. quorum nomina Deus ſcit.* Si martyres hi quadraginta eſſent, quorum Martyrum deſcribit Metaphraſtes apud Surium Tomo 3. non omnes eſſent Anonymi, nam non modo Terentius Africanus, & Pompeius, qui in Romano martyrologio ſignantur, etiam in Actis illis memorantur, ſed Maximus, Zeno, Alexander, & Theodotus, qui cum ſocijs reliquis triginta ſex ad Tribunal ſiſtuntur, vnde potius XLI. eſſẽt, quã XL. Sed XXX ex Græcis legit Galeſinius, in quorum Menologio, non niſi quinque hac die memorantur, ſecuri percuſſi ſub Decio Imperatore, & Fortuniano præſide.

In Antiochia. Theodorus Presbyter Antiochenus in martyrologio Romano cum Beda, Adone, & Vſuardo colitur die 23. Octobris; quem eundem eſſe non affirmarem. In additis ad Adonem, & reiectis à Roſueydo, Theodorus, ijſdem pene verbis cum noſtris codicibus, ita indicatur. *iiii. Id. Apr. Item in Anthiochia S. Theodori Presbyteri,* quod iam vidimus à Notkero confirmatum. Galeſinus de eo agit die ſequenti, & Iuliani Apoſtatæ auunculum, ab eodem acerbè primo cęſum, deinde ſecuri percuſſum addit; ſed ex quo fonte, in notationibus ſilet. Is tamen eſt Bellinus de Padua, cuius verba adducit Molanus in additionibus ad Vſuardum.

III. Idus Aprilis.

IN Mauritania Natalis S. Sylonis. Maximi. Helari. Conceſſi. cum ceteris Sanctis, & Domnini Epiſcopi. In Salona Damatiæ Domionis. Epiſcopi, & Militum VII. & Dalmati. In Africa For-

tunati. Donati. & aliorum CCXL. In Nicomedia Natalis Sanctorum Eustorgij Presbyteri. Nestoris. Filonis. Ceremonij. *Lugduno galt. Depositio Siagrij, & Patricij.*

APRILIS 11.

ANtuerpiense vetustissimum, seu S. Villibrordi martyrologiũ, his Martyribus sacras huius diei tabulas ornat. *iii. Id. Apr. In Mauritania Salanis, Maximi, Hilarij, Concessi cum aliis Sanctis, & Domnini Episcopi. Salona Dalmat' Dominionis Episcopi, & Militum trium, Dalmati. In Africa Fortunatę, Donatę, & aliorum CCXL. Nicomedię Eostorgi Presbyteri, Nestoris, Filonti, Ceremonię. Lugduno Gallię Siagri, Patrici.* Non multum differt Corbeiense M. *iii. Idus Aprilis. In Mauritania Natalis Saloni, Maximi, Helarij, Concessi, cum cęteris Sanctis, & Domnini Episcopi. In Salona Dalmatię, Dominioni Episcopi, & Militum nouem, & Dalmatę. In Africa Fortunati, Donati, & aliorum ducentorum quadraginta. In Nicomedia Natalis SS. Eustri Presbyteri, Nestoris, Filoni, Cęremonię. Lugduno Gallię depositio Siagrij, & Patricij.* Mirum quam variè primi Martyris nomen scribantur. *Salanis*, in Antuerpiensi, *Saloni*, in Corbeiensi, *Sylonis* in codicibus nostris, & *Solonis* in ms. Reginæ Sueciæ, signatur. *iii. Id. In Mauritania Natalis Sanctorum Solonis, Maximi, Helaris, Concessi cum cæteris Sanctis.* Totidem numero Martyres refert Notkerus hac ipsa die. *In Mauritania Salonis, Maximi, & Concessi, cum cæteris Sanctis.* Plures, eodem agone, in Mauritania consummatos Sacros pugiles, manifestum exinde apparet. Inter hos aliquos fuisse Confessores, facile est credere, sub generali nimirum nomine Sanctorum, sub quo, non strictè tantum martyres, sed vetustis sęculis, propiè dicti Confessores, includebantur. Ex vnico autem fonte antiquissimo, siue S. Hieronymi, siue alterius, omnia adducta martyrologia originem duxisse, eadem loquendi formula ostendit. Posset etiam Sanctorum nomine contineri, facer aliquis clericorum cœtus, cui pressius sanctitatis titulus deberetur, antiquo more: & fumũ addit Domninus Episcopus, qui post eosdem, tamquam præcipua veneratione dignus, reponitur.

In Salona Dalmatiæ. In Salona Dalmatiæ vrbe legendum esse clarum est, & pro Domione *Domnionis Episcopi* memoriam reponendam esse, clamant Martyrol. Romanum, Notkerus, Petrus de Natal. cum alij recentioribus, quamuis Vsuardus retineat *S. Domionis* nomen. Cumque Salona Episcopalis Vrbs esset, sub Archiepiscopali Spalatensi S. Dõnio, vt Holstenius monet, adhuc anno Christi 949. requiescebat in propria Aspalatena Ecclesia, teste Constantino Porphirogenito Imperatore lib. de administr. Imperij cap. 28. Septem milites S. Domnionis socios addit Martyrologium nostrum, tres tantum Antuerpiense, nouem Corbeiense, cum Dalmato alio martyre: octo habet tantum martyrologium Romanũ, cum Vsuardo, & Notkero. Notat ibi Baronius Ioannem Quartum Romanum Pontificem, natione Dalmatam, Romam transtuliisse corpora sociorum S. Domnionis, & eorum nomina ex Ecclesiæ Lateranensis veteribus monumentis, ita notat *Paulinianus, Telurus, Asterius, Anastasius, Maurus, Septimius, Antiochianus, & Cuianus*, qui octo re vera sunt. Vnde corrigendum in nostris codicibus numerum Militum existimamus, & reponendum *Milites octo*. vt ex antiquis Martyrologijs notat etiam Petrus de Natalibus

lib.

lib. xi. n. 216. *Dominus Episcopus cum Militibus octo Martyres in Dalmatia, Ciuitate Salona passi sunt. iii. Idus Aprilis.*

In Africa Fortunati. Totidem verbis Africanorum martyrum agmen signat Notkerus. *In Africa Fortunati, Donati, & aliorum dugentorum quadraginta.* In numero anonymorum consonant MM. Corbeiense, & Antuerpiense, sed in hoc *Fortunata, & Donata* scribitur, non Fortunati, & Donati.

In Nicomedia. Eustorgium Presbyterum, Martyrem Nicomediensem, refert sine socijs martyrologium Romanum, ex Vsuardo. Tres illi socios ascribunt codices nostri, cum Antuerpiensi, & Corbeiensi M. quorũ antesignanũ Eastorgium vocant, Eustorum vero Corbeiense, & Eostorgium Antuerpiense. In hoc pro Filonio Filontius est, & pro Cęremonio, Cæremonia, sicut etiam in Corbeiense legitur.

Lugduni Galliæ. Concordes inuenio in Siagrio, ac Patricio Lugdunensibus hac die recolendis bini codices nostri, vetustissimum Antuerpiense, & Corbeiense, martyrologium. Episcopum Lugdunensem Siagrium dicit ex martyrologio Benedectino, Molanus ad Vsuardum. Sicarium Episcopum Lugdunensem, & Confessorem refert hac die Saussayus, non Siagrium, quamquam alios hoc nomine alibi Episcopos afferat, Niciensem, Augustodunensem, & Æduensem. Sicarium Episcopum sedisse sub annũ Christi 425. scribit Raynaudus in Hagiologio Lugdunense nouissimæ edit. p. 81. in cuius Ecclesia S. Sicarium recoli testatur Cal. Aprilis, quamuis in Vsuardi martyrologio ascriptus sit XI. Aprilis. At ibi non Sicarius, sed Siagrius dicitur. De Patricio nihil adhuc apud sacros Galliæ scriptores inuenire licuit. Ex additis in vetustiori martyrologio licet suspicari. Confessores fuisse depositionis nomen suadet.

II. Idus Aprilis.

IN Asyę Pergamo Natalis Sanctorum Carpi Episcopi. Pauli. Ysac. Agazonis. Romæ in Cæmeterio Calipo. tertio miliario Depositio Iulij Episcopi, & alibi Agapi. Valeri. Publi. Bassi. Iuliani. Felicis. Pauli. Mauri. Hestulæ. Verecunde, & aliorum numero XLII. Quarti. Saturnini. Secundi. Decimi. Darij. Item Secundi. Saturnini. Quinti. Dextri. Victoris. Donati. Varicij. Butti. Venusti. Titiani. Victoris, Sirille. Luci. Iusti. Orbanæ. Item Orbanæ. Marci. Ianuarij. Cittini. Paterni. Patini. Putti. Murici. Obtaci. Item Victori. Migoni. Demetri. Marci. Flauiani. Vitalis. Minaliæ. Clementiæ. Victuriæ. Feliciæ. Maximæ. Musti. Item Marci. Honorati. Laurenti. Arburi. Crispini. Tertij. Quintuli. Restituti. Reuocati. Saturnij. Buttari. Barici. Pauli. Optati. Manili. Petri. Felicis. Proculi. Item Donati. Gemellæ. Euanti. Lazari. Venusti. Flanini. Rufini. Crispini. Nabori. Victurini. Donatulæ. Victoris. Acutine, & Tertiæ. In Capũt Natalis Sanctorum Cypriani. Musculæ. Donate. Nouelle. Ianuari. Siluani. Mutiani. *In Vuapingua Ciuitate depositio Constantini Episcopi.* & alibi Primicari. Cyrillæ. Macha-

chari. Istialis. Venusti. Item Venusti. Iuliæ. Felicis. Verecundi cum alijs VII. Eocapi. Tertullæ. Antonie. Mustilæ. Miggine. Acutine. Item Donate, & alibi Eufemiæ. Macharij. Primæ, & aliorum VIIII.

APRILIS 12.

DE Carpo, Episcopo Pergamensi in Asia, agit sequenti die martyrologium Romanum, cum Beda, Vsuardo, & Adone, Græci vero in Menologio ad 3. Id. Octobris. At cum vetustiori nostro Vetustissimum Antuerpiense, & Corbeiense M. cum populosa martyrum Turma hac ipsa die S. Episcopũ referũt; illud que primùm *Pridie Id. Apr. In Asia Pergamo Natalis Carpi Episcopi, & aliorum XLVII. Pauli. Isaac. Agatonis. Romæ Depositio Iuli Episcopi, & alibi Agapi, & in Capua Quarti, Valeri, Pupli, Bassi, Iuliani, Felicis, Pauli, Mauri, Hertulæ, Verecundæ, & aliorum XLII. Quarti, Saturnini, Secundini, Decimi, Quarti, Ianuari, Secundi, Quinti, Dextri, Victuri, Donati, Varici, Venusti, Titiani; Item Victori, Sirillæ, Luci, Vrbanæ. Itẽ Vrbana, Marti, Iusti, Cittini, Paterni, Famni, Butti, Murici, Optati. Item Victuri, Migoni, Demetri, Flauiani, Marci, Vitalis, Minalia, Clementia, Victuria, Felicia, Maxima, Musti; Item Marci, Honorati, Laureni, Arburi, Crispinæ, Tertii, Quintulæ, Restituti, Renocati, Saturnini, Buttasi, Barici, Optati, Spini, Donati, Manili, Petri, Proculi; Item Donati, Gemelli, Euanti, Lazari, Venusti, Flauini, Rufini, Valeri, Pauli, Crispini, Felicis, Naberi, Victorini, Donatula, Terti, Victoris, Acutinæ, & Tertiæ. In Capua Cypriani, Musculæ, Donatæ, Nouellæ, Ianuari, Siluani, Muciani. In Ciuitate Vappineo Depositio Constantini Episcopi. Alibi Caro, Primi, Cirilli, Marcari, Hilari, Venusti, Iuliæ, Verecundi cum alijs VI. Tertulæ, Antoniæ, Mustilæ, Maginæ, Acutinæ, Donatæ, & alibi Eufemiæ, Item Felicis, Machari, Primi, & aliorum VIII.* Eandem fere Sãctorum cohortem, pluribus turmis diuisã, ita in sacris tabulis instruit M. Corbeiense. *Pridie Idus Aprilis. In Asia Pergamo natalis Sanctorum Carpi Episcopi, Pauli, Isaac, Agathonis. Romæ in Cœmeterio Calepodij, Lupicini. Via Aurelia tertio milliario depositio Iuly Episcopi. Et alibi Agapiti, Bessi, Iuliani, Felicis, Pauli, Mauri, Herculę, Verecundę, & aliorum numero quadraginta duo, Quarti, Saturnini, Secundi, Decimi, Darij. Item Secundi. Itẽ Saturnini, Quinti, Dextri, Victoris, Donati, Varici, Butti, Venusti, Titiani. Itẽ Victoris, Syrillę, Luci, Iusti, Orbanę. Item Orbanæ, Marti, Ianuari, Cittini, Paterni, Pacini, Putti, Murici, Optati. Item Victori, Migone, Demetri, Marci, Flauiani, Vitalis, Dinalię, Clemẽtię, Victurię, Felicię, Maximę, Mustę. Item Marci, Honorati, Laurenti, Arburi, Crispini, Tertij, Quintulę, Restituti, Renocati, Paterni, Buttari, Varici, Pauli, Optati, Speni, Valenti, Donati, Manili, Petri, Felicis, Proculi; Item Donati, Gemellę, Enanti, Lazari, Venusti, Flauini, Rufini, Crispini, Naburi, Victorini, Donatulę, Victuris, Agutinę, & Tertię, Mameri. In Capua Natalis Sanctorum Cypriani, Musculę, Donati, Nouelle, Ianuari. Siluani, Plutiani, Saturi, Iuly. Et alibi Primi, Cari, Cyrilli, Machari, Hilari, Venusti. Item Venusti, Iulię, Felicis, Verecundę, cum alijs nouem, Eocapi, Tertulę, Antonię, Mustulę, Migini. Item Donatę, & alibi, Euphimię, Machari, Primi, & aliorum nouem. In Vapingo Ciuitate Depositio B. Constantini Episcopi.* S. Carpi Episcopi acta, etiam ætate Eusebij Cæsarienfis præ manibus fidelium versabantur, & post martyrium

Pio-

Pionij, ad calcem epistolæ Smyrnensium subtensa, idem Eusebius inuenit, ità vt crediderit etiam S. Polycarpo, tam Pionium, quam Carpum fuisse coæuos; cum tamen epistola illa ad Ecclesiã Philomelij scripta sit, temporibus Marci, Antonini, Pionius vero, & Carpus cum socijs sub Decio passi sint. De Carpo, Papulo, & Agathonica, ita Acta prælibat Eusebius lib. 4. ad calcem cap. 15. *Aliorũ præterea, qui in Vrbe Asiæ Pergamo sub idem tempus Martyrium passi sunt, Acta etiam nunc circunferuntur. Carpi videlicet, Papuli, & mulieris cuiusdam Agathonicæ: qui post multas, atque illustres fidei nostræ confessiones, glorioso exitu consummati sunt.* Longum eorum certamen narrat Metaphrastes apud Surium, quia fatetur in Aprili mense, & die 13. cum Beda, Vsuardo, & Romano martyrologio eorundem memoriam reposuisse, quamquã agonem compleuerint ex ijsdem Actis die 13. Octobri: quo die etiam in Græcorũ Menologio, tam Canisij, quã Basilij venerantur. Carpus Episcop. Thyatiris dicitur, & Papylus eius Diaconus, in ciuitate Pergamena cum Carpo natus asseritur, quamquam infra Papylus idem iudici narret, se natum Thyatiri. Sancti athletæ, ex eadem historia primùm Sardas raptantur, & ibi dum agonem expectant, Agathodorus eorum famulus per flagella coronatur. E Ciuitate Sardonorum Pergamum adducuntur, ibique post plurima tormenta capite plectuntur. Sin verò ijdem martyres sunt, qui in Antuerpiensi, Corbeiensi, & Nostro martyrologio, post Carpũ producuntur, cum his, qui in Actis illis, & Menologijs indicantur, nomina valde corrupta fateri expedit; nam pro Papylo Paulus, pro Agathodore Isaach, pro Agathonica, Papyli sorore, Agazonius, vel Agathonius legitur. Male Notkerus pro Carpo Polycarpum reddit, quamuis in Eusebio ad narrationem agonis S. Polycarpi, eiusdẽ Carpi memoria producatur. In socijs tamen omnino cum nostris conuenit. Dicendum ergo videtur, vel in diuersis codicibus nomina valde esse deprauata, vel Carpum ex diuersitate sociorum diuersũ esse ab Episcopo Thyatiri. Præsertim si illi anonymi socij alij essent XLVII. ab Antuerpiensi M. tantum indicati. *Pergamo Asiæ* inquit Notkerus ad hanc ipsam diem 12. Aprilis, *natalitas SS. Polycarpi Episcopi, Pauli, Isaac, Agathonis*. Pro Carpo Notkerus memoriam S. Polycarpi, quæ die sequenti, Pergami pariter agitur in codicibus nostris hic reposuit. In nostro Kalendario Breuiarij Membranacei legitur *Idibus Carpi Episcopi.*

Romæ in Cœmeterio Calep. Decurtatos hic esse codices nostros agnoscimus, & cum M. Corbeiensi legendum. *Romæ in Cœmeterio Calepodij Lupicini. Via Aurelia tertio milliario depos. Iuli Episcopi.* Lupicinium, Romanum martyrem alibi adnotatum non inuenio. De S. Iulio Romano Pontificę huius nominis primo agunt hac die Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & cum Rom. martyrologia recentiorum. Eius obitum tam liber Pontificalis, Damaso ascriptus, quam Abbo Floriacensis, & ex vetustioribus quicumque res gestas Pontificum scripserunt, notant pridie Idus Aprilis, & sepultum dicunt. *Via Aurelia in Cœmeterio Calepodii milliario tertio.* Ita cum reliquis, ms. Bibliothecæ Canonicorum Lucensium peruetustum habet. Exulasse per decem menses sub Constantio Ariano omnia ferè martyrologia Latinorum affirmant; sed refragante doctissimo Baronio, tam in Notationibus, quam in Annalibus. Idem narrat etiam Luitprandus, & ms. Reginæ Sueciæ. Depositionis titulo Confessorem, non Martyrem fuisse docent M. Antuerpiense, Corbeiense, & nostrum. Fragmentum veteris martyrologij apud Bucherium cap. XV. Comm. in Victorij Canon. ita de Iulij depositione. *Pridie Idus Aprilis Iulii in via Aurelia milliario iii. In Callisto.* Non quod sepultus fuerit in Cœmeterio Callisti, quod erat Via Appia, non Aurelia,

sed

in Basilica, quam ipse Iulius construxerat, vt habet vetus Catalogus Pontificum Romanorum apud eundem Buchetium, *in Via Aurelia milliario iii. ad Callistum*, hoc est vbi idem S. Callistus Pontifex, aliud cœmeterium construxerat, diuersum ab eo, quod Via Appia Callisti nomen retinuit; in hoc enim Via Aurelia idem S. Callistus sepultus fuit, vbi antea proprijs manibus S. Calepodium humauerat, ex quo Calepodij deinde nomen accepit.

Et alibi. Non nisi martyrem vnum, incerto loco, assignat M. Antuerpiense hoc est Agapium; sequentes verò decem cum XLII. Anonymis *In Capua*, vel passos, vel veneratos fuisse indicat. Corbeiense octo nominibus signatos producit, cum alijs sine nomine XLII. Sed *alibi*, non Capuæ. Codices nostri Agapium antesignanum cum alijs nouem, nominatim expressis, & innominatis pariter XLII. exhibent, vnica classe *alibi*. In Antuerpiensi deinde breuis lacuna interiacet, cui alij succedunt Athletæ nomine proprio vocati LXXV. In codicibus nostris LXXIII. tantum recensentur; in Corbeiensi vberiori nomenclatura Lxxvii. Nullos martyres hac die Capuę agnoscit Ferrarius, cum tamen plures repetat Antuerpiense Mart. etiam geminata classe. Veberiorem tamen numerum post illius lacunam, alibi potius assignandum esse, quam Capuæ crederem, cuius vrbis repetitio dubium ingerit, ne in vetustissimo codice illo prima vice abundet: quoniam, neque in nostro, neque in Corbeiensi, nisi postremo comparet. In Agapio, vel singulari martyre, vel plurium antesignano Episcopalis titulus desideratur, cum tamen magni nominis Agapius Episcopus, in Colonia Cyrthensi martyrium circa hos dies fecerit. Hic in alijs persecutionibus confessor illustris, ab exilio in Numidiam euocatus, per aliquot dies ante Marianum, & Iacobum agonem compleuit, vt ex Actis horum SS. Martyrum sinceriſſimis apud Surium, educitur. Vnde sicut non male illi ad postremũ Aprilis diem venerantur, hic per aliquot dies ante illos benè recoleretur. Incertũ est cuius vrbis Agapius fuerit Episcopus: certum est eius orationibus concessum, vt cariſſimæ puellæ Tertulla, & Antonia pariter coronarentur; quę martyres, quàmuis incerto loco, hoc tamen die in adductis codicibus memorantur. Plures eo tempore coronatos in ijsdem Actis habetur, vt ad diem 30. Aprilis adnotamus. An ex his aliqui, eodem die cum Agapio, incerto quidem loco, sed in Africa passi sint?

In Capũt. Ita scriptum est in geminis codicibus nostris, quod nomen Vrbem Caputa, quę, & Baputa, in Armenia maiore a Ptolæmeo indicatam significare posset. *In Capua* tamen legunt M. Antuerpiense, & Corbeiense, vt ad eorum amussim nostrum corrigendum esse videatur. Sacros septem pugiles Çapuæ assignat M. vetustissimum illud, totidemque nostrum. Nouem vero Corbeiense, in quo supra Plutianum, nobis Mutianũ, Saturus, & Iulius adduntur.

In Vuapingua Ciuitate. Vapingũ Vrbs Gallię Narbonensis apud Alpes Cottias Geographis describitur, Antonino, & Aimonio memorata. Ciuitas Appencensium dicitur in libro Prouinciarum in Gallia Narbonensi, sed Vvapincensium alij codices legunt, vt notant Ortelius. Huius siue Vrbis, siue opidi olim Episcopus fuit Constantinus, de quo hac die agit Romanum martyrologium, ex Vsuardo. Aliqua de eo notat Baronius, & vixisse putat circa Annum 441. quando subscripsit Concilio Arausicano. Meminit eiusdem ad hanc diem, Bellinus de Padua, & Saussayus in M. Gallicano, qui sub Symmacho Papa, & Clodoueo Francorum Rege protochristiano vixisse affirmat. Petrus de Natal. lib. 11. num. 118. ita de eo, ex veteribus martyrologijs scripsit *Constantinus Episcopus Oppido Vapigo claret pridie Idus Aprilis*. Maurolycus de eo pariter agit hac die, &

Con-

Constantium vocat. Confessorem dicit Galesinius, vt depositionis nomen suadet. Hagiologium Franco Galliæ Lebbei in Aprili legit. *Pridie Idus. Vapingo Constantini Episcopi*. Dacherius, tanquã superadditum, Sanctum hunc Episcopum ad finem laterculi relegauit, quamuis in vetustissimo Antuerpiensi, eadem serie post Martyres Capuanos, sicuti in nostro collocetur.

Et alibi. Primicarus scribitur in geminis codicibus nostris, qui aliorũ nouem, & anonimorum VII. chorum ducit. Sed aptius potest in duo nomina diuidi Primi, & Cari; Carus ante Primum primus est in M. Antuerpiensi, in quo primæ turmæ, octo tantum nominibus expressi, pugiles numerantur, VI. autem Anonymi. Sed decem in Corbeiensi sunt proprijs nominibus vocati, nouem alij. Secundę classis turma ab Eocapio ducitur, tam in nostro, quam Corbeiensi M. & cum eo, & Acutino alię quinque martyres numerantur. In Antuerpiensi Eocapius desideratur, & sex martyres mulieres omnes producuntur, inter quas pro Acutino Acutina est. Incerto pariter loco, sed diuerso tribuuntur Euphemia, siue Euphimia, cum Macharıo, Primo, & alijs anonymis nouem, in codicibus nostris, & Corbeiensi. In Antuerpiensi verò anonymi octo tantum sunt, quia Felix additur alijs, qui nominibus exprimuntur.

Idus Aprilis.

IN Calcidonia Natalis S. Eusimiæ, & Eucapiæ post multa tormenta requiescentes. Secutoris. & alibi Ianuarij. Pauli. Passæ. Caruli. Carite. Aroazoniæ. Pergamo Asiæ Polycarpi Episcopi, & Pauli Diaconi.

APRILIS 13.

DE S. Euphemia Chalcedonia martyre plura congerit eruditissimus Baronius ad diem 16. Septembris, quando eius memoriam recolit Romanum martyrologium, & cum eo Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & alij. Magni nominis Martyrem, sub diuersis diebus veneratam fuisse difficile non est credere. Græci in Menologio Canisij ad diem XI. Iulij, & rursus ad diem 16. Sept. eius memoriam agunt. In Concilio Calcedonensi S. Euphemiæ natalis recolitur 8. Kal. Nouembris. In Menologio Basilij, neque Septembris, neque Octobris mense memoratur. In pluribus mss. hac die Idus Aprilis Euphemiæ celebritas indicatur Chalcedone. Vetustissimum in primis S. Villibrordi. *Id. Ap. In Calced. Natalis Eusemiæ, Eucarpi, Secutoris, Caruli, Iannarii, & alibi Pauli acoliti, Arobi, Bassæ, Caritæ, Agatonicæ. Pergami Asiæ Polycarpi Episcopi, Pauli Diaconi.* Menardus ad sacramentarium Gregorij p. 150. ex mss. Bibliothecæ Corbeiensis, præsertim Martyrologio S. Hieronymi habet. *Idus Ap. in Calcedone Natalis S. Euphemiæ*, quæ à Dacherio, & ms. nostro, ita verbis sequentibus supplentur. *Et Eucapiæ, Secutoris. Et alibi Iannarii, Pauli, Passæ, Caroli, Caritę, Arobi, Azatonicæ, Decimi. Pergamo Asię Polycarpi Episcopi, & Pauli Diaconi.* Confirmat idem Martyrol. ms. Reginæ Suecię. *Idibus Apr. In Chalcedonia Nat. S. Euphemię. Pergamo Asiæ Polycarpi Episcopi, Pauli Diaconi.* Calendarium Hieronymianum

Lucense 1. *Idus Nat. S. Euphemiæ Virginis*. In editis verò martyrologijs idem legitur apud Rabanum, & in additionibus Adonis. Notkerus vero ijsdem penè verbis Euphemiam cum Eucarpa recolit, quibus in nostris codicibus adnotatur Idibus Aprilis. *In Chalcedone Sanctæ Euphemiæ, & Eucarpiæ post multa tormenta requiescentes*. Meminit hac etiam die S. Euphemiæ Maurolycus, & Galesinius ex ms. martyrologio, quod alias S. Hieronymi titulo producit, vt negari nequeat, Latinos plures hac die Idus Aprilis, Sanctæ Euphemiæ Chalcedonensis Natalem recoluisse. An vero ea sit, quæ celeberrima Martyr est apud alios, ansam prebet dubitandi martyrij socia Eucapia, siue Eucarpia, quam præter Notkerum, codices nostros, & Corbeiense M., a nemine ex antiquis video memoratam, multo magis si alij Chalcedonenses martyres, in M. Antuerpiensi, illius in passionibus socij essent, nempe non Eucarpa, sed Eucarpus, Secutor, Carolus, seu Canulus, & Ianuarius, ex his enim nullus in Actis S. Euphemiæ apud Metaphrastem signatur, sed quadraginta nouem simul comprehensos fuisse narratur, quorum Victor, & Sosthenes tantum nominibus exprimuntur, & die 10. Septembris memorantur apud Romanum martyrologium, & Notkerum eorum agonem percurrentē. Diuersam huius diei Chalcedonensem Euphemiam ab ea, quæ die 16. Septembris coronam accepit, Petrus de Natalibus existimauit. Postquam enim celebrioris Euphemiæ Acta dedit lib. 8. cap. 84. aliam lib. 11. n. 119. inter Sanctas retulit, quorum sola nomina, & dies festi inueniantur, idque ex antiquis martyrologijs Hieronymiano præsertim. *Euphemia* inquit *Virgo, & martyr Idibus Aprilis coronam percepit*. De alia verò Euphemia dixerat sepultam esse milliario vno à ciuitate Chalcedonia XVI. kal. Octobris.

Et alibi. Ianuarium alterius loci antesignanum Martyrem proferunt codices nostri, cum Corbeiensi martyrologio, non Euphemiæ socium; cum eo verò alios quinque pugiles signant, qui nominibus nonnihil ab Antuerpiensi differunt. Eidē tamen Paulus acolithus dicitur, sicuti in Corbeiensi Decimus, postremo, & octauo loco numeratur.

Pergami in Asia. An Carpus, vel Polycarpus Episcopus Pergamenus hic recoli debeat, non delibero. Polycarpum cum Paulo Diacono omnes codices habent, quibus innitor, & vt vidimus etiā ita retinet ms. Reginæ Sueciæ. At Carpus nō Polycarpus est Episcopus Thyatirensis in Martyrologio Romano cum Beda, Vsuardo, Adone, Bellino de Padua, & alijs, Paulus verò Diaconus, Papylus illis est. Videantur quæ diximus pridie huius diei. Aliunde à S. Polycarpo Smyrnensi esse vix dubitarem.

XVIII. Kal. Madij.

ROmæ Via Appia in Cœmeterio Pretextati Natalis Sanctorum Tiburtij. Valeriani. Maximi. Quiriaci. Optati. Pati. Saturnini. Marciæ. Pertine. Corneliæ. Conditoris. Tatuli. Interanna Proculi. Valentini. Prosduci. *Et in Lugduno Ciuitate Transitus Domni Landiberti Episcopi* Auurni. Domnæ Virginis cum suis Virginibus simul Coronatæ, & S. Valeriani. Item Optati. Saturni. Arcillai. Simproni. Prontini. Maximi. Decime. Marciæ. Corneliæ. In Alexandria Frontunis Monachi.

APRI-

APRILIS. 14.

Hieronymiani vetuſtioris martyrologij codices, quibus noſtrum fulcimur, in numero, ac nominibus martyrũ, tam Romanorum, quã Interamnenſiũ variant inter ſe. Antuerpienſe vetuſtiſſimum Sacras diarias tabulas ita ſcribit. *xviii. kal. Mai. Romæ Tiburti, Valeriani, Maximiani, Cyriaci, Diocletiani, Simphroni, Docimi. Interamnæ Appolloni, Feui, Optati, Pati, Saturnini, Frontini, Macariæ, Cornilię, Conditoris, Tituli, Proculi, Valentini, Producti, Liurni, Dominæ Virginis cum ſuis Virginibus, Sancti Valeriani, & alibi Optati, Saturnini, Arcilai, Simproni, Frontoni, Maximi, Decenię, Martię, Cornilię. Frontoni Monaci.* Corbeienſe M. magis cum noſtris codicibus conuenit *xviii. Kal. Maij. Romæ via Appia in Cœmeterio Præteſtati natalis Sanctorum Tiburtij, Maximi, Quiriaci, Optati, Pati, Saturnini, Martiæ, Frontinæ, Cornilię, Conditoris, Tituli. Interamnæ, Proculi, Valentini, Profuturi, Laurini, Dominæ Virginis cum ſuis Virginibus ſimul Coronatæ, & Sancti Valeriani; & alibi Optati, Saturnini, Archilai, Simphronij, Frontini, Maximi, Decimæ, Martiæ, Cornilię. In Alexandria Frontoni. Monachi.* Vſque ad Cyriacum, ſeu Quiriacum martyrem Romanum conſonant Antuerpienſe, & Corbeienſe martyrologium, cum codicibus noſtris. Poſt Optatum, qui in his numerantur, ad Interamnam pertinent in Antuerpienſi; in quo poſt Quiriacum, ſeu Cyriacum, Diocletianus, Simphronius, & Docimus Romanis martyribus accenſentur, qui Corbeienſi, & noſtro M. ignorantur. Forte librarius Diocletianum horruit Chriſtiani nominis implacabilem hoſtem, & tã ferale nomen Martyri aptare neſciẽs, cum ſocijs reliquit. Maximus cum Tiburtio, & Valeriano celebris eſt in Actis S. Cæciliæ. Maximianus, non Maximus in Antuerpienſi vocatur, & ſcrupulum injicit, an Valerianus, & Tiburtius, qui hodie in adductis martyrologijs memorantur, Sponſus, & frater Sponſi Ceciliæ ſint, cum diuerſa die ab illis venerentur, & plures ſocij addantur, de quibus nulla mentio habetur in eiuſdem S. Cæciliæ Actis. At locus, ſeu Cœmeteriũ, in quo ſepulti Sancti Martyres dicuntur, & dies eorum Paſſioni aſſignatus, ſuadere videntur eoſdem eſſe, qui S. Cæciliæ opera, Chriſto nomen dederunt. Cœmeterium Præteſtati Via Appia, idem quod Xyſti fuiſſe docet Boſius in Notis ad literas Paſchalis I. de Reuelat. Corporis S. Cæciliæ, & aliquando dictum eſſe ad S. Cæciliam habetur die 4. Martij in martyrologio Romano. Diẽ autẽ XVIII. kal. Mart. natalem fuiſſe SS. Tiburtij, Valeriani, & Maximi docet antiqua inſcriptio, ad Confeſſionem S. Cęciliæ ex Cœmeterio tranſlata, apud eundem Boſium, videlicet. SANCTIS MARTYRIBVS TIBVTRTIO, BALERIANO, ETMAXIMO, QVORVM NATALE EST XVIII. KALEND. MAIAS. Vetus kalendarium à Fronto editum hac eadem die Maximianum, non Maximum exhibet, vt M. Antuerpienſe. Sed Maximũ reliqua ferè omnia martyrologia, tam edita, quam mſs. referunt, & in Sacramentario S. Gregorij horum martyrum feſtum hoc titulo ornatur. *XVIII. Kal. Maij Nat. SS. Tiburtij, & Valeriani, & Maximi.* In recentiori tranſlatione S. Cæciliæ, & ſociorum narratur à Boſio, inuenta tria hæc corpora fuiſſe, peculiari linteo inuoluta, & eodem loco, vbi primitùs fuerant ſepulta, immota remanſiſſe. Attamen eorum reliquias, alibi etiam veneratas, non deſunt, qui ſcripſerint. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, & Cæſar Franciottus de Sanctis Lucenſi-

censibus Tiburtij, Valeriani, & Maximi, corpora Lucæ in Hetruria, & in Basilica S. Paulini primi Lucensis Episcopi requiescere testantur; & Ecclesia illa solẽni ritu eorum festum, in proprio Sacello, hac die recolit. Memini piæ memoriæ P. Barthol. Gauantum, de sacris ritibus optimè meritum, nos aliquando monuisse perperam, Sanctos hos martyres existimari in Ecclesia nostra quiescere, cum Romæ integra eorum corpora seruentur. Sanè Sanctũ aliquem Maximum Lucæ seruari non dubito, eumque Præfecti Cornicularium, qualem Tiburtij, & Valeriani socium fuisse affirmatur in Actis S. Cæciliæ, exploratum habeo, & ita vocari in peruetusta membrana dedicationis illius Basilicæ, quam integram in nostris Lucensis Ecclesiæ Dypticis exhibemus. In illius tamen Sacelli ara, antiquis characteribus, hæc insculpta tantùm legitur Epigraphe *CORPVS S. Maximi. Pcum aliis*, quod interpretatum ab antiquis Lucensibus existimarem cum alijs socijs, Tiburtio nempe, & Valeriano. At si re vera horum martyrum integra corpora anno Domini 1590. Romæ reperta fuerunt, & ibi immota relicta, vt idem, qui supra Bosius testatur, alius Maximus qui Lucæ colitur esset, alij que socij. Anteacto vtique sæculo corpora illa non ita estimabantur, integra, vt eorum notabilis portio etiam aliò transferri non potuerit, & præter alia monumenta in Vita S. Angilberti Abbatis Cẽtulensis, seu potius in ipsius scripto ibi esse reliquias SS. Tiburtij, & Valeriani affirmatur, & in vita B. Rabani Mauri, Rudulfus Presbyter einsdem sancti discipulus cap. 6. narrat Ossa S. Cæciliæ, & SS. Tiburtij, Valeriani, & Maximi, Romæ ad ipsum B. Rabanum, tunc Abbatẽ Fuldensẽ asportata anno Dom. Incarn. DCCCXXXVII. & cap. 8. additur in Cœnobio Rathestorpiæ fuisse reposita ab eodem B. Rabano additis carminibus in quibus hæc legebantur.

Germani cecedua hic panfant, quos Virgo beata
Lucrata est Christo dogmate Cæcilia.
Valerianus adest vnus, Tiburtius alter
Nomine præclarus, clarior & meritis.
Has tres personas Romana ex arce meantes
Suscepit Hraban Christe tuus famulus.

Vel enim Monaci, qui Roma Ossa Sanctorum transtulerant Fuldam, Rabano imposuerunt, vel corpora illa non integra ita sunt, vt ossa quędam nõ deficiant, quarum notabilis portio Lucam etiam translata recoli potuerit, quasi integrum corpus esset, quod sæpe accidisse norunt sacræ antiquitatis studiosi, & sine impostura labe partes reliquiarum non magnas pro toto corpore venerari posse, nuper docuit Ricciullus Archiepiscopus Consentinus, & qui Romæ diutius Cardinalis Vicarij vices gessit lucubr. Eccles. iast. lib. 1. cap. 11. n. 5. & deinceps, præsertim ex Theodoreto. Cum verò in adductis martyrologijs Tiburtio, Valeriano, & Maximo alij socij addantur, videretur dicendum, vel ex familia Maximi fuisse, vel ex Militibus, & Carnificibus, qui cum Maximo baptizati sunt, quemadmodum in Actis S. Ceciliæ narratur; licet nominibus non exprimantur. Dubitari hìc vero iure merito potest, an Cyriacus, siue Quiriacus Sanctorum Tiburtij, & Valeriani socius, Martyr idem ille sit, cuius sacrum corpus ex eodem Cœmeterio, siue Prætestati, siue Callisti via Appia à Ioanne Baptista Alterio Episcopo Camerinensi, tunc Romano Vicegerenti, mox Eminentissimo Cardinali, olim extractum, & piæ memoriæ P. Ioanni de Annunciatione Ordinis Sanctissimæ Trinitatis in Romana Curia Generalis Procuratoris donatum fuit. Cõstat enim id ex pluribus publicis documentis cõfectis a D. Ioãne Baptista Maro Presbytero Romano, & Processuum concistorialium secretario, & ex altero precipuè celebrato die 7. Novembris MDCXLIIII. Ex quo pariter appareret, idem sacrum corpus, cum facultate donandi, ab vrbe exportandi, & publicæ venerationi exponendi, vna cum lapide

pide sepulcrali, nomine Ciriachi signato, dono mihi traditum fuisse a R. P. Francisco eiusdem Ordinis Sacerdote. Quod cũ Lucam translatũ, & ab Eminentissimi Cardinalis Franciotti Episcopi Lucensis Vicario Generali D. Alexandro Cenamio S. Alexãdri Maioris Priori, spectatæ pietatis, ac nobilitatis Viro, probatũ esset die XXVII. Decembris anni MDCXLV. die XVII. Ianuarij à mè largitum fuit sacris Virginibus Monasterij B. V. Annunciatæ, Oppidi Villæ Basilicæ in Lucensi ditione, vt apparet ex publicis monumentis, manu D. Bernardini Pieronij Episcopalis Cancellarij, sub ijsdem diebus exaratis. Sanè martyris huius Cyriaci corpus, in humanam figuram iterum compaginatis ossibus, adolescentis circa pubertatem mensuram adequat, & plumbatis cæsum, quemadmodum de S. Maximo Acta S. Cæciliæ testantur, martyrium compleuisse, satis probabiliter suadent ossa cranij, adhuc sanguine saturata: siue Christi athleta, de familia S. Maximi fuerit, siue alterius originis; quod, quantumuis probabili coniectura fulciatur, affirmare vtique non auderem. Hoc asserere pro certissimo possum Sacrum S. Cyriaci corpus supra aram illius Ecclesiæ repositum, plurimis quotidie fulgere admirandæ sanationis donis, & magna illius populi veneratione, quotannis in eius honorem festum diem peragi.

Interamne Proculi. Antiquarius Gallicus, seu potius Fontanellensis ad oram libri, vnde codices nostri scripti sũt, Lugduni Lambertum Episcopum, eiusque transitum adnotauerat, sed librarius in medio laterculi minus aptè intrusit; continuantur enim Interamnenses martyres vsque ad Valerianũ, tam in Antuerpiensi, quam in Corbeiensi martyrologijs; in quibus nihil de Lugdunensi Lamberto additur. De Proculo Interamnensi agũt hac die Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & alij recentiores. Proculum esse, qui post Valentinum Episcopum Interamnensem, cum alijs socijs martyrio prope Interamnam coronatus est, facile crederem: & quamuis Valentinus alio die ante Proculum agonem compleuerit, ne tamen socij disiungerentur, vtriusq; memoriam iunxit, qui martyrologium vetustius concinnauit. Meminit etiam S. Proculi hac die Ferrarius, qui ex Baronij Adnotationibus hæret, an duo fuerint Valẽtini, & Proculi Interamnenses, quos sine hæsitatione distinguit Iacobillus de Sãctis Vmbriæ. Prosducum, & Laurinium illis etiam socios addunt M. Corbeiense, & Antuerpiẽse; in hoc tamen nõ Prosducus, sed Productus, non Laurinius, sed Liurnius dicũtur, & in codicibus nostris corruptè magis Vuinius, vel Auurnius. Acta S. Valẽtini apud Suriũ die 14. Febr. de his nõ agũt, sed de Proculo Atheniensi, alijsque socijs martyribus, nomine diuersis, puta Ephebo, & Apollonio disertè narrant, corpus S. Valentini ad Ecclesiã Interamnensẽ transtulisse, & martyrio ibi coronatos, à B. Abũdio esse sepultos.

De Laudiberto, seu Lamberto Episcopo Lugdunensi agit martyrologium Romanum hac eadem die. Plura habet Theophilus Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium, & passim Lambertum vocant Christianæ Galliæ scriptores, qui S. Lambertum in Abbatia Fõtanellensi successisse S. Vvãdragesilo, & factum Episcopum referunt, circa annum 670. Nonnulli etiam vocãt Landelbertum, & de eo meminit Angradus in vita S. Ansberti apud Surium, die 9. Februarij.

Domnæ Virginis. Domninam vocat Rom. Martyrologium ex Beda, Vsuardo, Petro de Nat., Maurolyco, Galesinio, non Adone. Ado enim tam in ms. nostro membranaceo, quam apud Rosueydum Domnã habet, non Domninã Dominã legit M. Antuerpiense, Domnã Notkerus. XVIII. kal. Maij. *Interamnis S. Proculi martyris. Item S. Domnæ Virginis, cum sociis Virginibus coronatæ.* Hæsitaui an Interamnensi Vrbi Domna, siue

Dom-

Domnina Virgo tribuenda esset, S. Proculo succenturiata. Ferrarius nihil de ea retulit in Catalogo SS. Italiæ hac die, sed sequenti ex monumentis Ecclesiæ Interamnensis, quod iterauit in Catalogo generali, incertus tamen, ne circa festum diem in illis error irrepserit. Die 15. de ea agit Iacobillus de Sanctis Vmbriæ, qui cũ Ferrario discipulum fuisse S. Proculi secundi, & sub Totila Rege Gothorum, martyrio cum socijs Virginibus coronatã docet die 14. Aprilis anno 546. qua die Petrus de Natal. lib. XI. n. 121. ita scribit ex veteribus martyrologijs. *Proculus Martyr, & Domina Virgo cum socijs Virginibus, ipso die Interamnis passi sunt.* Hunc a Proculo, qui sub Totila martyrium compleuit diuersum fuisse existimauit, idem Petrus de Natal. cum de illo egerit lib. 1. c. 15. & passionis illius celebritatem incidere in diem kalẽdarum Decembris disertè docuerit, huius verò cum S. Domnina diem passionis recolat XVIII. Kal. Maij. Nemo tamen S. Valerianum, qui S. Domnæ, vel Dominæ accensetur, in sacros fastos refert. De S. Domnina, & socijs Græci agunt ad diem kalendarum Martij, sed facile ab Interamnensi diuersa.

Item Optati. Cum alter Optatus, inter Romanos martyres, in nostris codicibus iam fuerit numeratus, particula *item* potius de more, sub eodem nomine, diuersum martyrem indicaret, quam loci differentiam. At cum *alibi* non *Item* scriptum sit in MM. Antuerpiensi, & Corbeiensi, non modo alterius classis, sed alterius regionis Optatum cum socijs martyrem suscipio, quorum nomina in adductis a nobis martyrologijs parum inter se variant, nec alibi inuenire licuit.

In Alexandria S. Frontonis. Sicuti facilis lapsus est à Frontino in Frontonem, ita facile fuit Acta S. Frontonis, se Frontini Petragoricensis Episcopi, cum vita S. Fronti, seu Frontonis Abbatis confundere, vt manifestè miscentur apud Petrum de Natalibus lib. 9. c. 109. quamquam nominibus eos videatur distinguere, & die, quo eorum festum celebretur. De hoc enim Abbate breuissimè agit lib. XI. n. 120. Eius res gestæ habẽtur in Vitis Patrum lib. 1. cap. 47. & de eo meminit Beda, Vsuardus, & Ado. Notkerus diffusius Alexandrini, & Nitriensis Abbatis Frontonis vitam hac die prosequitur.

XVII. Kal. Maij.

PIccino in Aureo Monte. Maronis. Messoris. Mositis. Procline. In Mesopotamia Arcillai. Cyprani. Comati. Vironice. Acutes. Diogenis Diaconi cum duobus fratribus. In Antiochia Syriæ. Prusduci. Vironice, & Dionine filiæ eius. Octauiæ. Potamiæ. *Depositio S. Paterni Episcopi, & Scubilionis Abbatis.* Prodenti. In Audia Galati. Quomal. Arcilati. Potami. In Spaniæ Cesariæ passio SS. Luberci. Apodomi cũ duobus Fratribus. Marciani, itẽ Marciani. Felicis. Itẽ Felicis. Fausti. Martialis. Fortunati. Siluani Luciani. & alibi S. Gorgij. *In Autisiodoro Galliæ dedicatio Baptisterij, qui est iuxta Basilicam S. Germani Episcopi, & Confess. vbi sunt conditæ Reliquiæ S. Iohannis Euangelistæ. In eadem die dedicatione Altaris S. Iuliani Martyris, qui priuate partibus est.*

APRI-

APRILIS. 15.

IN loco, vbi prima horum sacrorũ pugilum turma martyriũ fecerit, adducta à me semper martyrologia non benè conueniunt. *In Cipino* inquit vetustissimum Antuerpiense XVII. Kal. Maij. *Natal. Maronis, Messoris, Procline, Mositis. In Mesopotamia Arcilai, Comatis, Cipriani, Vironica, Acute, Diogenis Diaconi cum duobus fratribus. In Antiochia Siria Prosduci, Veronicę, & Dominę filię, Octauię, Pomia, Praditi, Taidi, Agalatię, Quoamalię, Arcilai, Potami. In Spanis Cęsar Augusta, Luperci, Apodemi cum duobus fratribus, Marciani, Item Marciani, Felicis, Fausti, Marcialis, Fortunati, Siluani, Luciani, & alibi Sanctę Georgia.* corruptissimè videtur scriptum illud *in Cipino*, quòd locus ille Geographis, quos viderim ignotus sit. Corbeiense M. *xvii. Kal. Maij* legit *Piceno, in Aureo monte Maronis, Messoris, Procline, Mositis, Iocundi. In Mesopotamia Arcelai, Cypriani, Comati, Vironica, Acutę, Diogenis Diaconi cum duobus fratribus. In Antiochia Syrię, Prosduci, Veronicę, & Dioninę filię eius, Octauię, Potamię, Prudenti, Foci, Syri. In Taudia Gallitię, Quoamali, Arcelai, Potami, Donatellę. In Hispanijs Cesarię. Passio Sanctorum Luberci, Apodimi cum duobus fratribus, Martiani, Item Martiani, Felicis, Fausti, Fortunati, Siluani, Luciani, Gomali, Parcilai, Eonedis, Micę, Gallieni, Faustini, Luciani, ... Episcopi, & Confessoris, vbi sunt condita reliquia Sancti Ioannis Euangelistę. Et dedicatio Altaris Sancti Iuliani Martyris; qui Brinate passus est.* Nec tantùm obscurus mihi est Aureus-mons in Piceno, sed præter Maronem minus cõuenire video edita martyrologia, in eiusdem socijs recensendis, cum codicibus nostris: Romanum Martyrologium Maronem, Eutichetem, & Victorinum numerat inter socios exilij S. Domitillæ, ex Beda, Vsuardo, & Adone: quamquam fateatur Baronius Maronem apud Bedam non extare. Quãtumuis autem è societate S. Domitillæ astracti, post diuturnos labores martyrium consummauerint, non tamen eodem loco simul coronati fuerunt, sed Eutyches XVI. milliario, via Nomentana, terram fodiẽs, media via cæditur: Victorinus via Salaria in Aquis Cutilijs suffocatur: Maro, qui centesimo trigesimo milliario ab Vrbe, eadem via Salaria terram pariter fodiebat, ingenti saxo per collum alligatus, idem tanquam leuissimum pondus per duo milliaria transtulit, ac ita populum eius prouinciæ ad Christum adducens, iussu Consularis occiditur. Quæ nam verò Prouincia illa fuerit, cui Consularis ille præsidebat non exprimitur, neque apud Surium Tomo 5. die 12. Maij, neque in Hagiologio nostro peruetusto Hedino; Picenum tamen fuisse facile educitur, ex eodem codice, in quo legitur Maronem, ab Hydrope incolumen reddidisse curatorem ciuitatis Septimpedanæ, his verbis, quæ apud Surium non prostant. *Maro verò morbo Hydropis laborantem Curatorem Ciuitatis Septimpedem liberauit.* Septempedam Opidum Piceni fuisse nemini dubium est. Vnde Plinio lib. 3. cap. 13. In Piceno Opidani Septempedani, & in Itinerario Antonini à Septempeda ad Vrbem Saloriam milliaria XII. numerantur, Sanseuerinum Castrum hodie putat esse Cluuerius Ital. Antiquæ lib. 2. cap. 11. Hinc facile etiam patet, cur in Romano martyrologio tribus his martyribus, socijs quidem in laboribus, & alijs ærumnis, non verò in postremo certamine, locus non assignetur, cum tribus re vera diuersis locis agonem compleuerint. De Eutiche, & Victorino silet vetustius nostrum martyro-

lo-

logium, & Maroni alios socios addit, neque in editis martyrologijs, neque apud Ferrarium indicatos. De Aureo monte nihil penes Italiæ Chorographos inuenio in Marchia Anconitana, siue Piceno, nisi forte Mons sanctus sit, non longe a S. Seuerino, & Septempedanæ Vrbis ruderibus, vt habet Leander Albertus. Notkerus de Sancto Marone ita epilogũ Actorum claudit. *Corpus vero eius Populus Christianus rapuit, & condigno honore apud Vrbem Picenum in Monte aureo sepelinit.* In tribus Maronis socijs Messore, Mosite, & Proclina consonant, cum codicibus nostris, Antuerpiense, & Corbeiense MM. Calendarium Hieronymianum Lucense ms. duos ex his tantum profert. *xvii. Kal. Mai. Maronis, Messoris.*

In Mesopotamia. In alijs martyrologijs nullam de his octo martyribus veneration licuit inuenire. Totidem numero, ac nominibus sunt in Antuerpiensi, & Corbeiensi.

In Antiochia. De more Gallicus antiquarius, inter Antiochenos athletas, Sanctos Paternum Episcopum, & Scubilionem Abbatem interpolauit; M. vetustissimum vndecim enumerat Antiochenos pugiles, quorum antesignanus, vt in nostris pariter codicibus, Prosducius sit, postremus vero Potamius. Corbeiense post Prudentium, Focum, & Syrum addit; sequẽtes vero martyres Quoamaliũ, vel Quoamaliam, alio loco tribuit, & pro Taido, & Agalatia legit *In Taudia Gallitia* apud Dacherium; apud me tamen in varijs lectionibus Dufresnij, post Focum, & Syrum legitur. *In Taudia Gallia Quoamali, Artelai, Potamia, Donatella.* Nostri codices. *In Aude Galati,* retinent. Verum si Galleciæ tribuendi Sancti martyres essent, minus corrupti in vrbis nomine viderentur codices nostri, dum pro Auria Galleciæ Vrbe, Audiam vnius literulæ mutatione dixissent; sed cum *Galati,* deinde legant, & *Agalatię* M. Antuerpiense, facilius in locum aliquem Galatiæ propenderem, vbi frequentiora antiquitus martyrum certamina fuerunt, quã Galleciæ. Sed diuinandum non est, & aliorum codicum auxilio, vel emendandus, vel explanandus locus erit.

Depositio S. Paterni Episcopi. Abrincę in Normania S. Paterni Episcopi memoria recolitur, & res gestæ narrantur in martyrologio Gallicano die 16. sequenti, vbi etiam S. Scubilionis Enixionensis Monachi, siue Abbatis, & ipsius S. Paterni socij, vitam præfibar Saussayus, apud Surium, ad hanc diem longius expressam. Illorũ meminit Vsuardus ad 23. Septembris, qui dies translationis creditur; eadem enim die Paschatis ambo ad cęlestia regna migrarunt. S. Paterni memoriã recolit etiam martyrologium Romanum die sequenti, & in litanijs Pictonicis inuocatum die 16. Aprilis refert, in Notis Henrici Ludouici Castanæi ad Litanias Pictonicas, Lebbeus in Bibliotheca ms. T. 2. p. 730. Ex additis hos Sanctos esse iam diximus. Floruerunt circa annum 560.

In Spania Cæsarea, quæ Cæsarauguſta Plinio dicitur, Cæsarea Augusti Ptolomeo vocatur. De Cæsarauguſtanis decem, & octo Martyribus agunt sequenti die martyrologium Romanum, cum Beda, Vsuardo, Adone, Notkero, & alijs recentioribus. Sed, cum nominibus apud Prudentium indicatis, vix vnus, aut alter ex nostris consonat. Lupercius, & Apodemus hìc primarij martyres sũt, Lupercus, pro Luperco, & Apomidius pro Apodimio in M. Corbeienti scribuntur; Felix, & Martialis, etiam apud Prudentium, inter Cæsarauguſtanos martyres numerantur, sed nomina reliqua valde differunt. Decem, & octo quidem in Corbeienti martyrologio Athletæ indicantur, sed XII. tantum in Antuerpiensi, & nostro, in quo pro duobus Marcianis duo Felices sunt. Gomalus, Parcilaus, Eonedes, Mica, Gallienus, Faustina, & Lucianus, quos Corbeiense M. Cæsarauguſtanis associat, vel alibi, vel in Ponto die sequenti venerantur, errore libra-

librariorum in hunc transpositi. Plurimos ex martyribus decem,& octo,à Prudentio numeratis, diximus ad diem 22. Februarij,cum Vincentio recoli Valētiæ.

Et alibi S.Georgij. Sanctam Georgiã, non Georgium habet M.vetustissimum; & Corbeiense,hoc loco decurtatum,non magis codicibus nostris, quam illi fauet.

In Antisiodoro.Minuta hæc additamẽta Gallicum, & Autisiodorensem auctorem ostendunt. De Reliquijs S. Ioannis Apostoli videnda ea,quæ de eius Assumptione diximus. De S.Iuliano Briuatẽsi martyre in Aruernia,præter,eaq; habet varijs in locis S. Gregorius Turonensis, extat eius Passio apud Lebbeum T.2.Bibl.p.567.

XVI. Kal. Madij.

IN Achaia,Corintho Ciuitate Natalis Sanctorum Calisti. Carissi. Leoni Diaconi. Lotæ. Tertiæ. Christianæ. Gallæ. Theodore. Carissi,omnium in Mare mersi. Caritone. Cæleste cum alijs V. Nice. Calliniæ. Municiæ. Nigiæ. & alibi Martiani. Eniani. Felicis. Hermonis. Vincentij. Tertij. Caliste. In Mauritania natalis Bariliæ, In Ponto in Sclacelli Martialis. Felicis. Fausti. Fortunati. Siluani. Luciani. Goamali. Partiali. Leone. Dismice. Gallieni. Marciani. Faustini, & Luciani.

APRILIS. 16.

IN Achaia. Adonem ex hoc vetustiori, truncatis tamen septẽ martyrum nominibus, sui martyrologium adornasse,vt fatetur in Proemio, ex verbis quidem *omnium in mare mersorum*, videtur confirmari. Nomina septem Pugilum, qui tantum cum Callisto, & Canisio apud Adonem indicantur, hic singulariter recensentur. Vetustissimum S. Villibrordi in laminis expressum,ex marginali nota totidem martyres ita exhibet *XVI.Kal.Maij in Corinto ciuitate Calisti, Caristi, Leonidis*. Hic ex nostris codicibus, & Corbeiensi reponẽda esse duximus, quę ad oram huius diei signantur. *Loca, Tertia, Christiana, Gallæ, Theodosia, Caliste. Et Romæ in Portu Martialis,& in Colle lineris Vincẽti. Item Carissi, Cantonis; Caelesia cum alijs V.Nica, Gallinia, Monicia, Nigia,& alibi Marciani, Antani, Felicis,Hermogenis, Tertij, & in Mauritania Talis,& Basilia, & in ponto Marcialis, Felicis. Item Felicis, Fausti.Furtunati, Siluani, Luciani, Gomali, Parcilai, Eonedis, Mica, Gallieni, Faustini, Luciani*. Corbeiense ita huius diei martyres repręsentat. *XVI.In Achaia Corintho Ciuitate Natalis Sanctorum Caleśti, Carissi, Leonidis, Lotæ, Tertiæ, Christianæ, Gallæ, Theodori, Carissi, omnium in mare mersi, Caritonis, Cæleste cum alijs,Vnica, Gallinię, Monicię, Nigiæ. Et alibi Martiani, Eniani, Felicis, Hermogenis, Vincentij, Tertij, Caleśti; In Mauritania Natalis Basiliæ. In Ponto Insclacelli, Martialis, Felicis,Fortunati,Siluani, Luciani, Goamali, Parcilai, Leonedis, Mica, Gallieni, Martiani, Faustini,& Luciani, Iocundi*. Vrbem Corinthi in Achaia reponi,nemini incongruum videri debet, cum in eadem prouincia etiam Corinthum retulerint Pomponius Mela,

& Apuleius, licet Ptolemeo, & Plinio in Peloponneſo ſit. Leonem, non Leonidem noſtri codices vocant, & fortaſſe melius, quòd extremũ nominis illius, culpa librarij, ex officio Diaconi in noſtris expreſſo, Leoni accreuerit. Leonidem tamen habet etiam Notkerus. In Achaia ciuitate *Corintho Nat SS. Calliſti, Chariſij, Leonidis, Chriſtinæ, Gallæ, Theodori, qui omnes in mari demerſi.* In Menologio Græcorum, apud Caniſium, octo martyres die 16. Aprilis producuntur, quorum nomina non valde ab adductis abhorrent, hoc eſt *SS. Martyrum Leonidis, Charieſſę, Nices, Galenę, Calidis, Nunechię, Baſiliſſę, & Theodorę.*

Caritonę. Tàm codices noſtros, quam Corbeienſem, fateri hìc expedit mancos eſſe; in Antuerpienſi ſiquidem Martialis additur in Romano portu, vel paſſus, vel veneratus, cuius memoria cum Calliſte ita in Hieronymiano Kalend. Lucenſi mſ. agitur. *XVI. Kal. Mai Martiali; Caliſti.* Qualis autem locus ſit, in Antiquiſſimo M. S. Villibrordi, ita indicatus, *& in Collo Liueris*, alijs coniecturis deſtitutus, ex vbertate martyrũ in Africa, exiſtimarem Collopem fortè eſſe Vrbẽ Numidiæ, quæ Cillops Ptolemeo dicitur, & Chullu, ſeu Cullu municipium eſt Antonino, Collo hodie vocata, vt putat Marius Niger. Duplex locus huius nominis eſt in Africa: alter Collips Magnus, vt diximus in Numidia, alter Collops Paruus eidem Ptolemeo in Africa Propria, vnde Cullucitani, & Collucitana Ciuitas Byzacena in Concilijs. An vero Liueris nomem martyris ſit, vel quid additum, vel corruptum, diuinare non eſt animus niſi omnino mendũ ſit, vt infra XIII. Kal. præſertim cum Liueris, Vincentij, & Caniſi nomina in noſtris codicibus deſint. In his Caritona, non Cariton legitur, & Cæleſtis, non Cœleſia, cum alijs quinq; Anonymis, in Antuerpienſi etiam M. indicatis. Corrigenda quaproter ſunt in Corbeienſi verba illa, *cum alijs Vnicę, Gallinię*, legendum enim eſt *cum alijs V. Nicae, Gallinicę*: ita enim, & Noſtrum, & Vetuſtiſſimum habent ſatis appoſitè.

Nica. Et hìc dubius hæreo, an legendum ſit Nicae pro martyris nomine, an pro Vrbe Nicea, & cum nihil de his martyribus alibi legerim, difficillimum mihi eſt, hoc, vel illud affirmare. Gallinia, ſeu Callinia, Moniſia, & Nigia huius chori ſunt.

Et alibi. In hac Athletarum incerti loci turma, variant inter ſe nonnihil à codicibus noſtris, Antuerpienſe, & Corbeienſe M.: illud pro Eniano habet Antanũ: pro Hermonio Hermogenem: Vincentium ante Tertium, & poſt illum Caliſtam, ſeu Caleſtium filet; fortaſſe quia Vincentius eſt, qui in Collo eidem vetuſtiſſimo numeratur. Corbeienſe Hermogenem pariter legit, & pro Caliſta Caleſtium.

In Mauritania. Talis & Baſilia legit M. Vetuſtiſſimum. At Corbeienſe cum codicibus noſtris *Natalis Baſiliæ*, quæ lectio magis cũ Notkero congruit, apud quem ita ſcriptum video XVI. kal Maij. *In Mauritania Sanctæ Baſiliæ.* Emendandum igitur eſſet, & legendum in Antuerpienſe *Natalis Baſiliæ*, ſeu *Barilię*, vt habent codices noſtri. Baſillam vocant Adonis additamenta.

In Ponte. Obſcura mihi vox eſt *Inſclacelli*, an martyris, vel loci alicuius nomen ſit. In Vetuſtiſſimo M. non extat. Sed ad vocem *in Ponto* ſtatim ſubſequitur nomen Marcialis. In Corbeienſi Dacheri vnica vox eſt pro martyris nomine *Inſclacelli*, & quatuordecim inde ſacri athletæ numerantur, ſicuti in noſtris codicibus, parua in nominibus differentia. In illo Fauſtus non legitur, in his Iocundus deeſt, & deprauatè ſcriptum eſt *Leone, Diſmica*, pro *Leonidis, Mica*. In Antuerpienſi pariter quindecim martyres ſcribuntur, & pro Inſclacellio, ſi nomen martyris eſſet, numerum impleret alter Felix.

XV.

XV. Kal. Maij.

IN Antiochia Natalis Sanctorum Petri Diaconi, & Hermogenis miniſtri. Petri. Fortunati. Marciani. In Africa Barucis. Quinti. Mappalici. Victorici. Donati. Ianuarij. Maconi. Galli. *In Fontanella Monaſterio Depoſitio Vuandoni Presbyteri, & Abbatis.* Item in Africa Theodore. Iuliani Presbyteri, & Meconi.

APRILIS 17.

ANtiocheni martyres Petrus, & Ermogenes omnibus fere martyrologijs noti ſunt. De his agunt Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, martyrologium Romanum, & recentiores. Petrum Diaconum appellant ex his aliqui, Hermogenem miniſtrum, vt Antuerpienſe. *xv. kal. Maij Antiochiæ Petri Diaconi, Hermoginis Miniſtri, Petri, Fortunati, Marciani. In Africa Barucci, Quinti, Mappalici, Victorici, Donati, Ianuari, Macori, Galli, Theodoræ, Iuliani Presbyteri, Meceonis.* Dacherius in Corbeienſi Hermogenem putat miniſtrũ Petri, ac ita interpungit. *xv. Kal. Maij. In Antiochia Natalis Sancti Petri Diaconi, & Hermogenis miniſtri, Petri, Fortunati, Martiani. In Africa Buruci, Quinti, Mappalici, Victurici, Donati, Ianuarij. Macori, Galli, Theodori, Iuliani Presbyteri, & Meceoni, Migini, Diomedis, Filippiani.* At Petrus alter, martyr eſt Notkero diuerſus a Petro Diacono. *In Antiochia nat. Sanctorum Petri Diaconi, & Hermogenis, Petri, Fortunati, & Martiani*, quorum duo poſtremi nempe Fortunatus, & Marianus, non Antiochiæ, ſed Africæ aſſignantur in martyrol. Romano ex Beda, & recentioribus, inter quos Maurolycus. Petrus Diaconus, & Hermogenes in ſtagmẽto hędino Bedæ aſcripto, die ſuperiori XVI. Kal. recoluntur. In Kalendario verò Hieronymiano vetuſt. *xv. kal. Petri, Hermogenis.* Perperã hos Petrus de Natalibus Africæ tribuit lib. 11. num. 122. cum aliorum omnium fide, Antiocheni martyres ſint.

In Africa. Barucius, ſiue Baruccius, tam Antuerpienſi, quàm Corbeienſi, & noſtro MM. Africanorum pugilum anteſignanus eſt, non Mappalicus, de quo ſeiunctim ab alijs agũt Romanum martyrologium, Beda, Vſuardus, Notkerus, & recentiores. De Mappalico aliqua diximus ad diem 21. Februarij, & quia fere martyrologia omnia Mappalicum à D. Cypriano laudatum hac die recolũt, ſine ſocijs, non eſt præter D. eiuſdem Cypriani mentem, vt ſocios paſſionis habuerit, quamuis nominibus ille non exprimat. *Iſtum nunc Beatiſſimum Martyrem*, inquit de Mappalico epiſt. 8. ad Martyr. & Confeſſ. in editione Rigaltij, *& alios participes eiuſdem congreſſionis, & comites in fide ſtabiles.* Quamuis pro eo quod legitur *Participes eiuſdem congreſſionis*. Notkerus habet. *Principes eiuſdem Congregationis, & Comites in fide.* Pro ſuis commilitonibus, inter cruciatus alacriter oppignoraſſe fidem ſuam, iam D. Cyprianus ita docuerat *Mappalicus ſuo, & collegarum ſuorum nomine Proconſuli repromiſit, nec fefellit in promiſſo ſuo vox fidelis: pugnam quam ſpopondit exhibuit.* Vt dubi ari nequeat, in agone ſocios habuiſſe. Et hoc debemus Vetuſtiori martyrologio noſtro, vt comites Mappalici, forte eo ordine, quo agonem

compleuerunt, signati nominibus exprimantur.

In Fontanella Monasterio. De more hìc Fontanellensis antiquarius Sanctos Martyres interpolauit, additione Vvandonis Abbatis, qui diuersus est a S. Vvãdragesillo, etiamsi Vvando, & ille diceretur, vt alibi adnotauimus. Hic *Vuando Presbyter* dicitur in Chronico Fontanellẽse cap. 12. & regimen assũpsisse illius Cœnobij narratur anno D.I.DCCXLII. & obijsse, decrepitę iam ætatis, anno Dom. Incarn. DCCLVII. Idem ex eodem chronico *Transijt xv. Kal. Maij*, quod benè congruit.

Item in Africa. Secunda Africanorum martyrum classis, magis quidem distincta in codicibus nostris apparet: Sed vberior in Corbeiensi M., in quo supra Theodorum, Iulianum Presbyterum, & Meconium, siue, vt habet Antuerpiense Meceoniũ, numerantur Miginius, Diomedes, & Filippianus. Ex his omnibus Africanis martyribus m. Regiæ Sueciæ, de more decurtatum, non nisi sequentes producit *xv. kal. In Africa Victurici, Ianuarij, & Iuliani Presbyteri.*

XIIII. Kal. Madij.

IN Salonica Ciuitate Natalis Sanctorum Septimi Diaconi. Victorici, & alibi Hermonis. In Africa Victoris. Pamphili. Donati. Ianuarij. Micionis. Domni. Turemoni. Syrici. Prisciani. Romæ Natalis Sanctorum Eleutheri Episcopi, & Anchiæ Matris eius. Partheni. Coloceri. Febi. Proculi. Apolloni. Fortunati, Crispini. Expediti. Mappalici. Victorini, & Gagi. *Antisiodoro in Gallia dedicatio Altaris senioris Ecclesiæ.*

APRILIS 18.

MInus, quam præcedentis diei, sacræ vetustiores Tabulæ inter se differunt. M. Antuerpiense ita eas repræsentat. *xiiii. Kal. M. Salonas Ciuitate Septimi Diaconi, Victorici, & alibi Hermoginis, & in Africa Victoris, Pampilici, Donati, Ianuari, Micionis, Domni, Turimuni, Siriui, Prisciani; Rome Eleuteri Episcopi, & Antee matris eius, Parteni, Caloceri, Febi, Proculi, Apolloni, Fortunati, Crispini, Expediti, Mappalici, Gagi.* Corbeiense parua differentia eadẽ prosequitur. *xiiii. kal. Maij. In Salona Ciuitate natalis Sanctorum Septimi Diaconi, Victurici; & alibi, Hermogenis, Dionisij. In Africa Victoris, Pamphili, Donati, Ianuarij, Micionis, Domni, Turemini, Syrici, Prisciani, Iocundi. Rome Sanctorum Eleutheri, & Anthia, matris eius, Partheny, Coloceri, Febi, Proculi, Apollonis, Fortunati, Crispini, Expediti, Mappalici, Victurini, & Gagi. Antissidoro in Gallia dedicatio Altaris senioris Ecclesiæ.* Salonas Pannoniæ, vel Illyrici vrbem esse alibi diximus. In ea Diocletianum Imperatorem ædes palatinas habuisse sunt, qui narrent apud Ortelium; ex quo nil mirum esset, si in dira eius persecutione, odio fidei Christianæ Diocletianus curauerit, vt ex ea Vrbe, in qua aliquando morabatur, fides Christi exterminaretur, & frequenter proinde sint Salonites Martyres. De Septimio illius vrbis Diacono, & Victorico, seu

Vi-

Victurio, meminit cum alijs ms. Reginæ Sueciæ. *xiiii. kal. Salonas Ciuitate natalis Sanctorum Septimi Diaconi, Victuri. In Africa Victoris, Pamphilici, Sirici, Prisciani. Roma Eleuthery Episcopi, & Antia Matris eius.* In Salonia Ciuitate tantum meminit Septimi Diaconi Notkerus.

Et Alibi. Hermogenem, incerti loci martyrem, sine socio refert M. Vetustissimum, Dionysium addit Corbeiense. Nostri codices pro Hermogene, Hermonem retinent.

In Africa. Notkerus, Victorem contentus proferre, reliquos socios ita præterijt. *In Africa Victoris, cum socijs suis.* Pro Pamphilo Pampilicum scribit M. Vetustissimum, & nouem Athletas cum Corbeiense, & nostro ijsdem nominibus complectitur. ms. Reginæ Sueciæ, vt vidimus, non nisi quatuor exhibet.

Roma Natalis Sanctorum Eleutheri. Sanctum hunc Episcopum omnia ferè, hucvsque edita martyrologia, cum Anthia, vel Anchia Matre hac die venerantur. Martyrol. imprimis Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & alij recentiores, quorum plurimi in Messana Apuliæ ciuitate memoriam eius recolũt. Nos de more vetustioribus innixi, Antuerpiensi nimirum, Corbeiensi, & Nostro, Romæ cum pluribus socijs passum agnoscimus, quemadmodum, & Acta apud Surium ex Metaphraste aperte docent, & Menologium, tam Basilij, quam à Canisio editum, ad diem XV. Decembris confirmant. Emendat Baronius errorem, qui in Actis, & Menologijs irrepsit, puta eruditũ S. Eleutherium fuisse ab Aniceto Pontifice, ac Diaconum, Presbyterum, & Episcopum denique Illyrici creatum, sed passum esse sub Adriano. Vnde pro Aniceto Anacletum restituit, sub quo tamen martyrium non fecisse animaduertit, cum Adriano Imperante, iam Anacletus esse in terris desierit. Illyrici fuisse Episcopũ Græci omnes docent, cuius vero Vrbis non docent, neque inter plurimas amplę illius regionis ciuitates, aliquam inuenio, quæ Messana nuncupetur. Aquileiæ sedisse Episcopum habent Beda, & Notkerus. Messanæ in Sicilia, aduersus Baronium Eleutherium, cum Anthia matre adhuc recoli testatur Ferrarius. Ex Illyrico quidem Romam ductum, vbi natus ex viro consulari fuerat, & plura tormenta sub Adriano passum, Acta eius docent, in quibus, cum bis aduentus eius in Vrbem repetatur, secundusque reditus, post multa tormenta indicetur, aliquæ ex his extra Vrbem pati potuisse, verisimile redditur, cum Adrianus, ex Xiphilino, & alijs, in alias prouincias, regionesque, & vrbes, visendi causa, de more proficiscereturr; neq; esset inusitatum, secum reos adduxisse, præsertim Christianos, quos Gentiles laboribus, & ærumnis, diuturnioribus à proposito reuocare studebant. Hoc certum ex Actis illis est, Eleutheriũ Episcopum, cum matre Anthia, durissimum certamen Romæ compleuisse, Anthiamque matrem, Pauli Apostoli discipulam, omnium calamis dignã, quæ celebraretur, nihil muliebre cogitantem, aut indignum martyre proloquentem, in amplexibus filij, quem ad pietatem erudierat, lætam, & gloriabundam, eodem gladio perfossam, & duplici martyrio animæ, & corporis duplicem accepisse coronam. Eleutherium, cũ pluribus socijs, martyrium compleuisse Græcorum Menologium, quod Basilij dicitur, narrat dum Præfectum, siue Corebum, siue Corebonem, vt eius Acta legunt, siue Correum, vt habet Beda, siue Coreborum, vt Menologium Sirleti, siue Corennonium, vt Menæa magna dicunt, non modo per Eleutherium ad Christum traductum fuisse, sed cum & ipse alios ad fidem traduxisset, *cum omnibus fidelibus capite damnatum* occubuisse; At cum neque Felix, ab eo etiam Christianus, neque Corebus, hic inter alios martyres, Romæ coronatos, numerentur, alios existimarem fuisse Romanos pugiles, eodem die, non eodem anno

anno martyrio perfunctos, præcipue si Apollonius is est, qui elegãtissimam orationem, pro defensione fidei suæ, coram Senatu habuit, & tamen capitali supplicio ab eodem Senatu damnatus est sub Commodo apud Eusebiũ lib. 5. Hist. cap. 21., non sub Hadriano. Parthenius item & Calocerus Romani Martyres sunt, sed quorũ memoria agitur in fragmento antiquissimi martyrologi, apud Bucherium in Victorij Canonem p. 268. mense Maio, hoc pacto. *xiiii. kal. Iunii Parthini, & Caloceri in Callisti. Diocletiani ix. & Maximiano viii. Conss.* si tamen ijdem sint Eunuchi, ex Diocletiani Palatio, vt ad eam diẽ adnotabimus. Calocerum hunc, martyrem Brixiensem nõ esse, facilè quis agnoscet, licet de Brixiensi hac die agat martyrologium Romanũ. Notkerus XIV. Kal. Maij eorundem ita meminit. *Romę Parthenii, & Caloceri, item Romæ Apollonii Senatoris*, cuius res gestas per compendia transigit. De reliquis Romanis martyribus nihil mihi addere licuit. Victorinus quidem martyr è Cœmeterio Callisti, vbi Parthinius, & Calocerus sepulti memorantur, Lucæ recolitur, apud nobiles Ascetrias S. Ioannis, olim de Capite Burgi nuncupati, nunc vulgo S. Ioannetri, ex largitione P. Hieronymi Florentinij germani fratris mei, ac Sacerdotis, & Theologi Religionis Matris Dei. Huius sancti pugilis corpus, ex eodem Callisti cœmeterio extractum, à Ioanne Baptista de Alterijs Episcopo Camerinẽse, & sub Vrbano VIII. Põtifice, Vicarii Cardinalis Vices gerente, eodemque Pontifice iubente, dono datũ, primò P. Ioanni de Annunciatione Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, in Romana curia Generali Procuratori, vt testatum reliquit Ioannes Baptista Marus, Consistorialis Notarius sub anno MDCXLI. die XV. Augusti, deinde, eadem die, vt idem Notarius affirmat, sacrum illud pignus, cũ vasculo sanguinis, in iam dictum P. Hieronymum Florentinium peruenit; à quo Lucam translatũ, & à Vicario Eminentissimi M. Antonii Cardinalis Franciotti Episcopi probatũ, die XVI. Maii anni DCXLII. manu Vincentii de Iustis Episcopalis Cancellarii, solemni pompa in die Dominica, S. Marthæ festo proximiore, fuit in maiori ara illius Ecclesiæ repositum, vbi eodem anniuersario die, quotannis publicæ veneration exposítum veneratur. An idẽ S. Victorinus omnino sit, non assero. Nomen, & locus Cœmeterii Callisti, vbi ille sepultus, & vnde hic extractus fuit, suadere possent.

Autissiodor. Hanc eandem dedicationem refert M. Corbeiense, & nimis singulare est pro vniuersalis Ecclesiæ martyrologio, Gallici Antiquarij additamentum. Eiusdem dedicationis meminit Saussayus ad hunc diem, & seniorem Ecclesiam, notat S. Stephani, de qua videnda est, in Bibliotheca Lebbei, Hist. Episcoporum Autissiodorensium.

XIII. Kal. Madij.

IN *Fontanella Monasterio depositio Chilberti Episcopi Abbatis*. In Militana Ciuitate Armeniæ Hermonis. Gagi. Rufi. Expediti. Aristonici. Galate, vna die coronatorum. Militinæ Arminie Rufi. Hilaui. Aristonici. Fortunati. Donati. Gagi. & in Africa Sericiani. Donati. Heladij. Hermogenis, cum alijs duo. Cauco Liberi Natalis S. Vincenti.

APRILIS 19.

ITerum Fontanellensis Monaci Auctarium, in fronte laterculi minus opportunè appositũ, secernere oportuit. Quis fuerit Sãctus Chilbertus Episcopus, & Abbas inuenire hucvsque non licuit. An fortasse Herembertus Episcopus Tolosanus, cuius translationem reposuit Chronic. Fontanellense sub Baino Episcopo anno 704. Kal. Maij, seu die 31. post translationem SS. Vuandragesili, Ausberti, & Vualfranni, celebratam pridie Kal. Aprilis? An potius Hilbertus Abbas, cui Aigradus Monachus Fontanellensis inscripsit vitam S. Ansberti Episcopi Rotomagensis, & sub quo translatio ipsius S. Ansberti à Monasterio Altimontis ad Fontanellense Cœnobium celebrata est? Sed expresse Hilbertum fuisse Episcopum non legi, nisi obscurè in Chronico Malleacensi lib. 1. cum successor Ansberti Præsulis Rotomagensis dicitur. In certùm, an illi in Abbatia, vel Episcopatu successerit. Hunc, sub S. Hileberti Abbatis Fontanellensis nomine, recolit Saussayus in Appendice Martyr. Gallic. inter Sanctos, quorum diem natalem incompertum habuerit, & obijsse existimat anno 694.

In Militana. De his Militanæ Vrbis in Armenia sacris Athletis agit martyrologium Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, Petrus de Natal. lib. 11. num. 125. & alij, nulla nominis differentia. Galesinius Theodosiam Virginem addit ex mss. codicibus. Veruntamen in vetustissimis Antuerpiensi, Corbeiensi, & codicibus nostris, ijsdem nominibus, & eodem ordine recensentur. In illo primùm. *xiii. kal. Maii. In Armenia Militana ciuitate Hermogenis.* (Hermonem nostri codices legunt) *Gagi, expediti, Aristonici, Rusi, Galatha, Mitia, Arminia, Rusi, Hilari, Aristonici, Fortunati, Gagi, Donati. Et in Africa Donati, Sericiani, Elladi. Item Ermogenis cum aliis duobus; Cauco liberi Natalis S. Vincenti,* Deinde etiam in Corbeiense M. in quo ad secundam Armeniorum martyrum classem additur Maiulinus. *xiii. kal. Maii. In Militana ciuitate Armeniæ, Hermogenis, Gai, Rusi, Expediti, Aristonici, Galata vna die Coronatorum. Militina Armeniæ, Rusi, Hilari, Aristonici, Fortunati, Donati, Gagi, Maiulini. In Africa Sereciani, Donati, Heladii. Item Sereciani, & Hermogenis cum aliis duobus. Gaucoliberi, natalis Sancti Vincentij.*

Militanæ Arminiæ. Anceps fui, an sequentes martyres eidem vrbi Militenæ in Armenia tribuendi sint; supernaceneũ enim videbatur, vt statĩ post enumeratos eiusdẽ loci athletas, idẽ ad amussim locus repeteretur, ad alios martyres eidẽ ascribendos; auxit suspicionem quod vetustissimum, non Militene, sed *Mitine* legit, & *Arminię*, quę nomina esse possent martyrum, non Vrbis, & Regionis. Si quis tamen cum nostro, & Corbeiensi retinere voluerit *Militinę Arminię*, non pugnabo, quãdo etiam alibi videatur repetita eiusdem loci notitia, presertim in Africanis martyribus; iterato nempe loci nomine ad diuersos, & diuersi temporis signandos martyres. Quin etiam cum Melitena regio sit Armeniæ minoris ad Euphratem, apud Ptolemæum, non minus, ac ciuitas, in prima martyrum classe, nomen Vrbis addi verisimile satis est, vt ciuitas à regione distinguatur; in secunda vero classe ciuitatis nomen, ideo reticeri potuit, vt pro regione, non vrbe acciperetur.

In Africa. Diuitem martyrum Africam ferè quotidie ostẽdit Vetustius martyrologium nostrum. Duos Serecianos numerat Corbeiense: vnde vno pugile supra nostrum; & Antuerpiense abundat. In duobus anonymis omnia conueniunt

mss.

mſs.MM.De more mſ.Reginę Suecię nomina breuiat,non numerum, in quo cum noſtris codicibus concordat; duobus enim tantum nomine indicatis Donato, & Siriciano, anonymos quinque refert *xiii. kal. In Africa Donati, Siriciani cum alijs V.*

Caucoliberi. Ita Hiſpaniæ Vrbem vocant in memoria Vincentii M.Romanum martyrol. Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, Vuandelbertus, Petrus de Natal. & adducta a nobis mſs. martyrologia. Caucoliberis Vrbs Cataloniæ eſt Baronio, potius ex martyrologiis, quam ex Geographis. Ferrarius opidum exiſtimat Hiſpanię citerioris maritimę in Gallia Narbonenſi, inter Helenam, quæ illi in Epiſcopali ſede ſucceſſit, & Gerundã. In fragmento Kalendarii mſ.Canonicor. Lucenſ. legitur *xiii.Kal. SS.Ruſi, & Vincentij*. Kalend. Hieronymianum habet *xiii. kal. Criſpini*, quem alibi memoratũ non inuenio; Simonem etiam Diaconum exprimis ſeptem,habet Petrus de Natal. lib. 4.cap. 66. ex Hieronymi martyrologio,quod diuerſum à noſtris fuiſſe etiam hinc deducitur.

XII. Kal. Madij,

IN Africa Natalis Sanctorum Seruani. Araiaci. Siluaniani. Fortunati. Iohannis. Orati. Donati. Marcie. Geme. Corniliæ. Gemine. Corniliæ. Fortunate. Rome depoſitio S. Victoris Epiſcopi. Felicis. Alexandri. Papie. In Cœmeterio Militario Via Montana. Natalis SS.Siluiani. Aiarici. *In Autiſiodoro Ciuitate Depoſitio S. Martini Presbyteri, & Confeſſoris.*

APRILIS. 20.

ANte Africanos martyres M. vetuſtiſſimum S. Villibrordi binos Alexãdrinos martyres ita ſignat, in codicibus noſtris, & Corbeienſi deſideratos. *xii.Kal. Maii.In Alexandria Aradi Presbyt. & Tauci. In Africa natal. S. Siluani, Fortunati, Iohannis, Honorati, Donati, Mareię, Gemmę, Cornelię, Fortunatę. Romę Victoris Epiſcopi, Felicis, Alexãdri, Papiæ. Item Romę Siluani, Afaiaci, Donata. In ciuitate Antiſiodoro S. Meriani Presbyteri, & Confeſſoris.* Variat in nominibus ac martyrum numero M. Corbeienſe ab antiquario Gallico interpolatum. *xii. kal. Maii. In Africa Natalis Sanctorum Seruiani, Araiaci, Siluaniani, Fortunati, Ioannis, Oratii, Donati, Marcia, Gema, Comelia, Geminæ, Cornilia, Fortunati, Vincentii; Romæ depoſitio S. Victoris Epiſcopi, Felicis, Alexandri, Papiæ. Enerduno depoſitio S. Marcellini Epiſcopi, & Confeſſoris, Siluani, Tiaraei, Donati, Quinti. Autiſiodoro Ciuitate depoſitio S. Martini presbyteri, & Confeſſoris.* Pro Honorato Antuerpienſe M. cum codicibus noſtris legit Orati, vel Oratii.Comiliam, & Geminam, ſupra illud, cum vetuſtiori noſtro, addit Corbeienſe, quod Fortunatum pro Fortunata profert, & Vincentiam alibi non expreſſam.Mſ. Reginæ Sueciæ, cuius librarius ſæpe nominum perteſus, aliquos nominibus ſignatos inter anonymos reicit, ita de Africanis martyribus inquit. *xii. kal. In Africa nat.Sanctorum Siluiani, Fortunati, Iohannis cum aliis viii.* Sed cum

ano-

Sed cum anonymorum numero, neque Vetuſtioris noſtri, neque Corbeienſis chorum implet, quem ſuperat Antuerpienſe. Pro Seruano kalend. Hieronymianum, pluries adductum legit. *xii. kal. Veruiani.*

Romæ depoſitio S. Victoris. Romanum Pontificem Victorem, ſub Seuero principe martyrio coronatum, hac etiam die recolunt, omnia fere Latinorum edita martyrologia, præter Romanum, de eo agens V. kal. Auguſti, quando palmam promeruiſſe narrant liber Pontificalis editus, & mſ. peruetuſtus Canonic. Lucenſium, Luitprandus, & Abbo Floriacenſis; ſepultumque aſſerunt iuxta corpus B. Petri Apoſtoli in Vaticano. Felicem, & Alexandrum, Sancti Pontificis in agone ſocios, refert etiam vetuſtiſſimũ martyrologium, Bedæ nomine prænotatum, & in Archiuio Vaticanæ Baſilicæ ſeruatum, his verbis ad diem 20. Aprilis, apud Aringhium Romæ Subt. lib. 4. cap. 26. num. 2. *Romæ depoſitio S. Victoris Epiſcopi, Felicis, Alexandri.* Papiam tamen mſ. hoc non addit, ſicuti neque Donatam inter alios, quos ſubdit Romanos martyres. *Et in cœmeterio martyrum iuxta viã Nomentanam Saluiani, & Aragaci.* Hac etiam die Victoris memoriam recolit mſ. Reginæ Sueciæ XII. kal. *Romæ depoſitio S. Victori Epiſcopi.* Depoſitionis nomen, quamuis vſitatum magis ſit in vetuſtiori noſtro martyrologio, prò Sanctis Confeſſoribus indicandis, pro martyribus quoque non eſſe renuendum, diximus in præuijs admonitionibus.

In Cœmeterio. Romæ ſequentes martyres tribuit M. vetuſtiſſimũ, & ſi cœmeteriũ, quò ſepulti ſint, non exprimat. Corbeienſe, in memoria S. Marcellini Epiſcopi, ab Antiquario improuido interpolatum, illos à Romanis alijs martyribus ſeiungit, & poſt Marcellinum, tanquam eius ſocios enumerat. At ex vetuſto mſ. Baſilicæ Vaticanæ iam adducto, non modo vtriuſque noſtri codicis lectio confirmatur, ſed in aliquo corrigitur; vbi enim ſcriptum eſt via *Momentana*, legendum eſſe *Nomentana* patet. An vero retinendum *in Cœmeterio militari*, vt referunt codices noſtri, an potius *in Cœmeterio Martyrum*, vt habet mſ. Vaticanum, vtrumque tolerabile eſſe videtur. Militare enim cœmeteriũ dici poterat, quòd eodem loco, via Nomentana Sancti milites ſepulti eſſent Pãpias, & Maurus, vt habet Romanum martyrologium ad diẽ 24. Ianuarij, vel Cœmeteriũ martyrum, eo quòd ad templum Dianæ, in eadem via, plurimi ducti martyres, renuentes ſacrificare, agonem impleuerint. Codices noſtri cum Antuerpienſi vetuſtiſſimo non niſi tres martyres producunt. Siluanum, ſiue Silicianum, Aſaiacium, vel Aiaricium, & Donatum: Corbeienſe pro Donata Donatum habet; & aliũ ſocium nomine Quintum.

In Autiſiodoro. In nomine Sancti Presbyteri Autiſſiodorenſis variant, qui eius hac die memoriam agunt. Maurolycus cum Galeſinio addit etiam Mamertinũ, & Marcianum vocat, atque ita etiam M. Romanum; mſ. Reginæ Sueciæ Marianum dicit. Merianus legitur in vetuſtiſſimo Antuerpiẽſi. Martinum cum noſtris codicibus appellat M. Corbeienſe, forte pro Martiano vti à Petro de Natalibus lib. 11. num. 129. & Bellino de Padua vocatur. Marinus dicitur in Hagiologio Franco Galliæ apud Lebbeum, hac eadem die, in qua eiuſdem non meminit Sauſſayus. Gallici antiquarii purum hoc additamentum eſſe non inficior.

XI. Kal. Madij.

IN Alexandria Natalis Sanctorum Fortunati. Iohanis. Oratoris Presbyteri. Felicis. Siluij. Vitalis, in Carcere requieſcentes. Ro-

mæ in Cœmeterio Celestini, via Appia Natalis Sanctorum Valeriani. Maximi. Tiburtij. Et in Terracina Campaniæ, Natalis S. Cesarij. Et in Sicilia Nataiis S. Amfelici. Et alibi Victoris. Papiæ. Felicis. *Et alibi depositio Apruncli Episcopi.*

APRILIS 21.

ALexandrinos sex martyres vetustius nostrũ hac die recensẽt: Quinque Vetustissimũ Antuerpiense. Quatuor Corbeiense martyrologium. Illud vt sequitur. *xi. kal. Maij. Alexandria Ciuitate Fortunata, Aratonis Presbyteri, Felicis, Salui, Vitalis in Casarea quiescentis. Rome Valeriani. Maximi. Tiburtij, & in Terracena Campanie Sancti Cessari. In Sicilia Appelici. Et alibi Victoris, Papie, Felicis. Depositio Apruncli Episcopi. Depositio Oedelualdi Presbyteri.* Corbeiense, M. in aliquibus a nostro, & Antuerpiensi, ita prostat varium, & depravatum. *xi. kal. Maij. In Alexandria Natalis Sanctorum Fortunati, Aratonis Presbyteris, Felicis filij, Vitalis in carcere quiescentis. Rome in Cœmeterio Celesti via Appia Natalis Sanctorum Valeriani, Maximi, Tiburtii, Donati; In Terracina Campania, Natalis Sancti Amphelici, Iocundi, & alibi Victoris, Papie, Felicis, & alibi depositio Apruncli Episcopi.* Deficit in Alexandrinorum pugilum turma Iohannes, & Syluius; pro Syluio enim Corbeiensis codex habet *filij*, quasi Felix filius fuerit Aratoris Presbyteri. At vel Siluium, vel Saluium reuocandum esse confirmat Nockerus XI. Kal.: *Apud Alexandriam natiuitas SS. Fortunati, Aratoris Presbyteri, Felicis, Syluij, Vitalis, qui in carcere quieuerunt.* De omnibus videtur illud prolatum, in carceribus cursum perfeciſſe, quamquã id tantũ Vitato, seu Vitali videatur tribuere M. Antuerpiense; in quo aliorũ codicũ fide, & Romani martyrologij, emendandum illud est *in Cæsarea*, & reponendum *in carcere*, & pro Fortunata restituendum esse Fortunatum, omnes codices docent. Orator ex codicibus nostris, paucula differentia, Arator aliorum est. Orator etiam Petro de Natal. lib. 4. c. 72. ex Adone dicitur, & Siluius appellatur Silinus, qui omnes multo tempore onerosis vinculis afflicti, & durissima inedia macerati in carcere certamen compleuerint.

Roma. Libet hic adnotare, quod alibi de Kalendis Ianuarii diximus, nullum diẽ apud Romanos, cum in Christi fideles sæuire cæptum est, sine sanguine fuisse, neque ille etiam, qui ex veteri instituto, à sanguine immunis esse debuerat. In die Paliliorum, seu Pariliorum, qui Natalis vrbis Romæ erat, neq; hostia cedebatur; vt Patriæ natalis à cæde, & sanguine purus esset; quemadmodum plures Philologi obseruant, Stuckius præcipue Antiq. Conuiualium lib. 1. cap. 16. & tamen, tãta illis religio erat, Christinnos impune viuere, vt ipsa die Paliliorum prima, & secunda, hoc est XX. & XXI. ex vetustissimis Romanorum Kalẽdarijs, à cæde Christianorum non abstinuerunt. Repetitur hic Sanctorum Valeriani, Maximi, & Tiburtij memoria in Cœmeterio Callisti, non Celestini; ita enim frequens error codicum nostrorum emendandus est. Cur vero repetatur, cum de ijsdem actum sit 18. Kal. Maij, causa esse potuit, vel reliquiarum translatio, vel quòd aliquis ex his martyribus hac die passus sit, vt Maximus, qui non eadem die videtur cæsus, quo Valerianus, & Tiburtius; si ponẽs eorum corpora, deinde Maximum in nouo Sarcophago S. Cæcilia sepelit; vt in eius actis connetur.

netur. Ne vero à ſocijs diſiungeretur, cum duobus alijs ſimul recoli, congruum viſum eſſe antiquis, non improbarem. Diuerſos hos eſſe martyres à ſocijs S. Cæciliæ, difficilè admodum videtur, tribus ijſdem coniunctis nominibus; quamquã mſ. Reginæ Sueciæ Victorianum præferat Valeriano *xi. kal. Maij; Romæ in Cœmeterio Calliſti Via Appia natal. SS. Victoriani, Maximi, Tiburtij. Nicomediæ Pantaleonis Monachi. In Campania Nat. S. Cæſarii.* Nec eſt, quòd die 18. Kalend. dicatur, Sanctos hos martyres ſepultos eſſe in Cœmeterio Præteſtati, hìc vero in Cœmeterio Calliſti. Nam, vt ibi diximus, hoc erat nomen amplius patens, & totum via Appia Cœmeterium complectebatur: illud vero Præteſtati pars tantum erat Arenarij Calliſti. Præter noſtros codices, Antuerpienſe, & Corbeienſe Martyrol. etiam Beda editus, hac die 21. Aprili, Sanctos hos martyres in Cœmeterio Calliſti veneratur, & in additis ad Adonem legitur *xi. Cal. Maii. Romæ in Cœmeterio via Appia SS. Valeriani, Maximi, Tiburtii.* Donatum, alijs ignotum addit Corbeienſe.

In Terracina Campaniæ. Corruptiſſimè mſ. Corbeienſe, M. etiam editum à Dacherio, Amphelicum hìc pro Cęſario repoſuit, cum ſocio Iocundo; Amphelicum enim diſertè in Sicilia paſſum referunt vetuſtiſſimum S. Villibrordi, & bini codices noſtri, cum mſ. Reginæ Sueciæ, nuper adducto; in quibus, ante Amphilicum, Terracinæ Campaniæ S. Ceſſarius recolitur. Vnde librariorum vitio, martyrologium illud decurtatum eſſe apparet, & ex conſimili fonte etiam Adonis Auctarium, ita retinens. XI. Kal. *In Campania S. Amphelici.* De S. Cæſario Diacono Terracinenſi agit martyrologium Romanum, cum cęteris latinis, ad diem primam Nouembris; qua die cum pluribus martyribus Terracinẽſibus Cęſarium, etiam veneratur M. Corbeienſe, & Vetuſtius noſtrum. An idem martyr ſit dubius hæreo. Deſperauit Baronius doctiſſimus in Adnotat. ad Kalend. Nouembris, tempora componere, in quibus S. Cæſarius Diaconus aduixerit, & erroris redarguit, quæ paſſim de eodem habentur. Ad calcem martyrij SS. Nerei, & Achillei, Sanctas Virgines Euphroſinam, & Theodoram, ſub Traiano Imperatore coronatas, Cæſarium Diaconum Terracinæ condidiſſe narratur, & de his martyribus, ſub Luxurio per ignem triũfantibus, meminerunt etiam obſcure acta S. Cæſarij apud Surium die pr. Nouembris, vt vnum eundemq; Cæſarium fuiſſe dubitari nequeat. In Hagiologio noſtro membranaceo perantiquo, breuiſſimum eſt martyrium S. Cæſarij, nihil habet de perſecutione Neronis, ſub Claudij nomine deſignati, apud Surium, vt verba illa docent. *Claudius gladio necauit matrem ſuam.* Et quamquam ſub Domitiani Imperio ſecunda perſecutio Chriſtianorũ numeretur; inſtauratio hæc tamen Neronianæ legis, ex Euſebio potius dicenda videtur, quàm noua perſecutio, ſicuti quæ ſub Traiano inualuit, ex eodem Euſebio, tolerata potius ex ſeditione populorum fuit, quam commota. Vnde non male auctor martyrij S. Cæſarij, eiuſdem conſummationem, in Neronianam perſecutionem retuliſſet: nec facile duos fuiſſe Cæſarios Terracinenſes, hìnc deduci deberet. Efficaciori argumento, geminum Cæſarium vrgere videtur, Cæſarij Diaconi doctor, & ſocius Iulianus Præsbyter, qui cum Cæſario ſacco incluſus, & in mare præcipitatus, ſimul apud Terracinam ſepultus fuit kal. Nouembris, & cuius nulla hic inducitur memoria, cum è contra ad Kalendas Nouembris, etiam in martyrologio noſtro, Iulianus cum Cæſario, alijſque pluribus ſocijs memoretur. Vnde videatur potius affirmandum, Cæſariũ kalendis Nouembris veneratum, Tarracinenſem eſſe maioris famæ, alium vero die hac 21. Aprilis, ſacris noſtris tabulis indicatum, diuerſum ab illo eſſe. Græci quidem Cæſarium martyrem cum alijs ſocijs, non indi,

indicato martyrij loco, venerãtur die præcedenti 20. Aprilis in Menologio Canisij, & de Cæsario Diacono Africano, qui Terracinæ tentus, cum Iuliano in mare mersus, martyrium compleuerit, agunt die 7. Octobris. Alium quoque Cæsarium recolunt cum Dasio, & alijs quinq; in vrbe Damasco ad diem kal. Nouẽbris, quos tamen non habet Menologium Basilij, nec Kalendarium Græcorũ. Videnda hìc quæ addimus ad diem kal. Nouemb.

In Sicilia. De Amphelico martyre Siculo silet Ferrarius, & Maurolycus, alioquin Siculus. Appelicum vocat M. Antuerpiense. Campaniæ male illum tribuit M. Corbeiense, & Iocundum socium addit, mihi ignotum: sicuti *alibi*, incerto loco, ignotos esse vulgatis Martyrologijs video, Victorem, Papiam, & Felicem, Vetustiori nostro, Antuerpiensi, & Corbeiensi MM. memoratos.

Et alibi depositio Apruncli. Treuerensis Episcopus Aprunculus facile est, cuius relationem recolit Saussayus in supplemento Gallicani martyrologij ad diem 8. Martij, & Natalem celebrari subdit hac die 22. Aprilis: fuit a ius Aprunculus Episcopus Aruernorum, seu Claramontii, de quo idem Saussayus alio dic, & Ioannes Sauaro de Sanctis Ecclesiæ Claramontij in Bibliotheca Lebbei. Addit M. Antuerpiense Oedelualdium Præsbyterum, qui in vetustioris nostri additionibus non prostat, & diuersus videtur ab Osualdo Episcopo Eboracensi apud Molanum.

X. Kal. Madij.

IN Africa Ierapoli Natalis S. Philippi Apostoli. Romæ in Cœmeterio Calestini, Via Appia Depositio S. Gagi. Papiæ. Primoli. Turdiani. Lugduno Galliæ passio S. Eppepodi, & alibi Leonidis. Aratoris. Quiriaci. Basiliæ. *In Senonis Ciuitate Depositio B. Leonis Episcopi.*

APRILIS. 22.

ANtiquioris codicis mẽdum fuisse, quòd in Africa Hierapoli Sanctus Philippus Apostolus, Vetustiori nostro reponatur, non dubito; nam & qui Auctarium ad Adonem conciunauit, in eundem lapidem impegit, tam apud Mosandrum, quam apud Rosuueydum hoc est *x. Krl. Maij In Africa Ciuitate Hierapoli natalis S. Philippi Apostoli.* Error fortasse promanauit ex breuiato nomine, & minus ad leges ortographiæ compòsito; *Fricia*, quod facile in *Africa* mutatus fuerit: consimilem contracti nominis formulam habet M. Antuerpiense, dum recte Hierapolim, non in Africa, sed in Phrigia reposuit. *x. Kal. Maij In Frigia, ciuitate Hierapoli Philippi Apostoli. Rome depositio Gai Episcopi, & in Cordua ciuitate Parmeni, Elimar, Crisoli Presbyterorum, & Diaconorum, Luci, & Muci, Primali, Turdiani. Lugduno Gallia Sancti Epepodi, & alibi Leonidis, Aratoris, Cyriaci, Basilia. In Ciuitate Senonas depositio Leonis Episcopi.* Sed ex decurtato authographo potius errorem defluxisse, docet Corbeiense, dum Siluanum martyrem prius in Africa reposuit, deinde Hierapoli Philippum *x. Kal. Maij. In Africa Siluiani. Ciuitate Hierapoli, Natalis Sancti Philippi Apostoli. Rome*

mæ in Cœmeterio Caleſti, Via Appia depoſitio Gai Papæ, Primoli, Tierdiani, Lugduno Galliæ paſſio Sancti Eppolidi, & alibi Leonidis, Arateris, Quiriaci, Baſiliæ. In Senonis Ciuitate depoſitio Leonis Epiſcopi. Sed mirum in noſtris codicibus, errorem iteratum fuiſſe kalendis Maij, vbi Philippi Apoſtoli memoria repetitur; memor enim inſcius librarius, ita proxima hac die ſcripſiſſe, pro eo quod ſcribere debuerat *in Aſia* ſcripſit in Africâ. De S. Philippo videnda quæ diximus ad Indiculum Apoſtolorum.

Romæ in Cœmeterio. Et hic emendandus eſt frequens librarij lapſus in codicibus noſtris, & legendum *Romæ in Cœmeterio Calliſti in Via Appia &c.* De S. Gaio, vel Caio Romano Pontifice aliqua dicta ſunt ad diem XX. Februarij. Addimus, præter Romanum martyrologium, Bedã, Adonem, Notkerum, & alios poſteriores, antiquiſſimum fragmentum apud Bucherium in Canonem Victoris cap. 15. his verbis Caium recolere, ſub titulo depoſitionum Epiſcoporum. *x. Kal. Maij, Caij in Calliſti.* Ita etiam in Catalogo Pontificium Romanorum, ſeu Quarto opuſculo antiquo apud eundẽ Bucheriũ p. 272. tẽpus notatur, quo Caius Pontificatum tenuit, *ex die xvi. Kal. Ianuarii Conſulib. Caro II. & Carino vſque in kal. Maii Dioclet. VI. & Conſtantio II. Coſſ.* Corpus S. Cai in Cœmeterio Calliſti noſtra ætate inuentum fuit die 21. Aprilis 1622. in Peruigilio nẽpe natalis ipſius S. Pontificis, cuius nomen in lateritio lapide inſculptum his literis erat, CAIO PP. cum ſigno Palmæ, & Chriſti nomine, antiquo more Chriſtianorum, breuiato. In ſepulcro inuenta ſunt aliqua Diocletiani numiſmata, ſub quo coronam accepit, & Pontificalis anulus. Corpus ſub Vrbano VIII. Romæ in ſui nominis Eccleſia repoſitum fuiſſe refert Aringhius Romæ ſubterr. lib. 4. cap. 48. p. 426. Poſt Caium, ſeu Gagium tres ſocij martyres in noſtris codicibus numerantur Papia, Primulus, & Turdianus. M. Corbeienſe pro Papia legit *Papæ*, & Caij titulum exiſtimauit Dacherius, à quo non recedo; tum quòd ita ſcriptum eſt in adducta ſepulcrali coeua inſcriptione, tum quòd ita eum appellat Notkerus. *Romæ via Appia, in Cœmeterio Calliſti natiuitas S. Gai Papæ*; & ab eo Vſuardus, & Ado. Papæ frequens titulus eſt Romanorum Pontificum, præſertim Decij, & Diocletiani æuo, vt paſſim in Actis Martyrum. Commune fere erat, diui Cypriani quo, omnibus Epiſcopis, & ſub Gregorio tantum VII. Romano Pontifici reſeruatũ, vt notat Baronius ad diem X. Ianuarij. Inſolens tamen nomen eſſe martyrologio noſtro fateor, in quo paſſim, Romani Põtifices titulo tantum Epiſcopi donantur, vt pariter retinet hac die M. vetuſtiſſimũ Antuerpienſe. Ex hoc antiquo codice valde etiam dubitamus, an Primulus, & Turdianus Romani martyres ſint: cum in poſtrema claſſe Cordubenſium martyrum in illo reponantur. Sane nullum aliud martyrologiũ S. Caio ſocios aſcribit; neque ita mſ. Reginæ Sueciæ. *X. Kal. In Phrygia ciuitate Hierapoli Natalis S. Philippi Apoſtoli. Romæ paſſio S. Caii Papæ, qui cum Eccleſiam IX. annis menſes IIII. dies XII. rexiſſet martyrio coronatur ſub Diocletiano Principe, cum Gabino fratre. Eadem die in Corduba ciuitate natalis Parmony, Elimæ, & Criſotelis preſbyterorum, & Lucæ, & Mucii Diaconorum, qui omnes poſt multa tormenta gladio caſi ſunt, ſub Decio perſecutore.* Quæ ideo libentius adduxi, ne dubitare nos ſinant, tam codices noſtros, quam Corbeienſe M. lacunam pati, & poſt verba illa, *depoſitio S. Gagi Papæ*, ſequẽtia in M. vetuſtiſſimo deſiderari. *In Cordua*, vel Corduba *ciuitate Parmenis, & Elimar, Criſoli Preſbyterorum, & Diaconorum, Lucæ, & Mucei.* Hos habet etiam martyrologium Romanum ex Beda, Vſuardo, Adone, & reliquis Latinis; ex quibus licet nullus addat Primulum, & Turdianum, horum tamen inter poſtremos martyres Corduenſes repoſuit, idem M. vetuſtiſ-

ſtiſſimum Antuerpienſe; in quo pro Elimar Helimena legitur, & pro Criſolo Chryſotelus. Videndus Baronius eruditiſſimus in huius diei notationibus, qui Corduena, non Corduba, legendum putat, vel potius Cordubenna in Perſide; & fortaſſe melius legitur in M. Antuerpienſi Cordua, à qua Cordueni circa Hyrcanum mare. Fuerunt enim martyres illi in Perſide, & Eccleſię Babylonenſis Presbyteri, & Diaconi, vt dicitur in principio Hiſtoriæ S. Laurentij apud Surium Tomo 8. & ex eodem fonte martyrium complenerunt in Corduba Perſiæ.

Lugduno S. Epopodi. Martyr Epipodius ſub Antonino, ætate adoleſcēs, Lugduni palmam accepit. De eo Theophilus Raynaudus meminit in Indiculo Sanctorum Lugdunenſium poſtremæ editionis p. 47., & cum eo alij etiam ſacræ Galliæ ſcriptores. Memoriam Epipodij in hac die recolunt M. Romanum, Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, & alij recentiores. Epimachus tamen dicitur in Græco Euſebij codice lib 6. cap. 41. editionis Valeſianæ.

Et alibi Leonidis. M. Romanum patrem hunc Origenis agnoſcit, ſub Seuero Alexandriæ paſſum. Si verò is eſt, potuerunt facile Leonidi ſociari martyres alij, quòd Alexandriam, vbi præfecturam obtinente Læto, Chriſtianorum carnificina exercebatur, multi coronandi ex alijs locis adducerentur, & dum Leonides in carceribus detinebatur, *perſecutionis ardentiſſimum flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur*, vt refert Euſebius lib. 6. cap. 2.; ſociorum tamen non meminit Petrus de Natal. lib. 11. c. 23. Epiſcopum, & martyrem fuiſſe refert Suida, quod Euſebius tacuit.

In Senonis ciuitate. Ex Gallia etiam ante S. Villibrordum defluxiſſe M. vetuſtiſſimum Antuerpienſe, plura Sanctorū Galliæ additamēta ſuadere poſsūt, vt hac etiā die hæc verba docent. *In ciuitate Senonas depoſitio Leonis Epiſcopi.* M. Romanum de S. Leone meminit, & ex veter. mſs. Baronius notat inter fuiſſe Concilio Aurelianenſi ſecundo, quod celebratum fuit anno 536. Eiuſdem etiam memoriam agunt Maurolycus, Galeſinius, ex Romano martyrologio, & Tabulis Eccleſiæ Senonenſis. Auctor Hiſt. Epiſc. Autiſſiodorenſium cap. 16. in Bibliotheca Lebbæi, ſub Chilberto, & Clotario Galliæ Regibus, cum Eleutherio Epiſcopo Autiſſiodor. floruiſſe confirmat, & interfuiſſe Concilio Aurelianenſi ſecundo. Ita etiam de eo X. kal. Aprilis agit Hagiologium Franco Galliæ. *Lugduno S. Epipodii Martyris. Ciuitate Senonis depoſitio B. Leonis Epiſcopi.* Aliqua habet Sauſſayus, ad eius vitam ſpectantia.

VIIII. Kal. Madij.

IN Africa Natalis Sanctorum Catulini. Saturnini. Chori. Felicis. Theone. Theodori. S. Georgij. Victorini. Venuſti. Victuri. Nauori. Soluti. Pleni. Siluij. Felicis. Vitalis. Theodone. Fauſtini. Saluni. Valeri. Vrſi. Romæ Naboris. Item Vitalis, & Felicis. In Alexandria Coronæ. In Valentina Ciuitate, in Gallia natalis Felicis Presbyteri. Fortunati Diaconi. Achillei Diaconi, & alibi Natalis S. Pantalimoni.

APRI-

APRILIS. 231

S Georgius, in codicibus noſtris, alieno loco, ab inſcio antiquario poſitus, Africanorum viginti pugilum beatum agmen, quoquo pacto rumpit. Nec in Antuerpienſi, aut Corbeienſi martyrologijs locum inter Africanos habet. Illud ita ſacras tabulas implet. *VIIII. kal. Maii. In Africa Catuloni, Saturnini, Cori, Felicis, Theuna, Theodori, Victorini, Vennſti, Victori, Nabori, Soluti, Pleri, Silui, item Felicis, Vitalis, Theodora, Fauſtini, Saloni, Valeri, Vrſi. Roma Naboris. Item Silui, itē Vitalis, item Felicis; In Alexandria Corona. Valentia ciuitate in Gallia Felicis Presbyteri, Furtunati Diaconi, Cellei Diaconi, & alibi natalis S. Pantalimonis.* Eadem fere Corbeienſe repetit *IX. Kalend. Madii. In Africa nat. Sanctorum Catulini, Saturnini, Ghori, Felicis, Theone, Theodori, Victorini, Vennſti, Victori, Nabori, Soluti, Pleni, Siluij, Felicis, Vitalis, Theodori, Fauſtini, Valerii, Vrſi. Roma Naboris. Item Silui. Item Vitalis. Item Felicis, Nonna. In Alexandria Corona. Valentia ciuitate in Gallia Natal. Felicis Presbyteri, Fortunati Diac. Achillei Diac. & Commemoratio Georgii martyris.* Noſtri tamen codices cum Antuerpienſi, ſupra Corbeienſe, vno martyre abundant, Saluino nēpe, vel Saluio, qui in hoc deſideratur. Nullū tamen ex latinorū hucuſq; martyrologijs, Africanos hos martyres nouit.

S. Georgij. In fine laterculi Dacherius. S. Georgium martyrē refert in Corbeienſi M. tanquam quid ſuperadditum, & nihil de eo re vera habet Antuerpienſe: hac ipſa tamē die eius memoriam recolit cū plurimis M. Romanum, & Calendarium antiquum à Frōto editū. Nos de eo ſequenti die aliqua cumulamus.

Roma Naboris. Sanctum Naborem tantum, Romæ hac die, refert idem Notkerus; cui etſi inter ſocios iungatur Felix, cum tamen Syluius, & Vitalis etiam cum eo numerentur, diuerſos putarem à SS. Felice, & Naborc, qui Mediolani coluntur, & de quibus ad diem XII. Iulij agendum nobis remanet. Nonnam etiā his ſociat Martyrem M. Corbeienſe, alijs præteritam.

In Alexandria Corona. Cum adductis iam codicibus, totidem verbis Notkerus conſonat.

In Valentina ciuitate. Valentiæ Segalaunorum, ſub Metropoli Viennenſi, ad hanc diem Sauſſayus horum Sanctorum Martyrum Acta percurrit, quos, non modo omnia fere Latinorum Martyrologia hac die recolunt, ſed eorū Acta ab Anonymo, qui ſe coæuum ſubindicat, ſcripta apud Surium proſtant, ac epiſtolam continent Sanctis Ferreolo, & Ferrutioni datam pro reuelatione martyrij, ſub Aurelio Imperatore. Eorundem paſſio breui compendio libatur in Hagiologio Francogalliæ, ſicuti in Romano martyrologio. Celleum pro Achilleo Diacono legit M. Antuerpienſe.

Et alibi natalis S. Pantalimonis. Nihil de hoc S. Martyre habet M. Corbeienſe, nec aliud ſupra codices noſtros addit Antuerpienſe. Idem nomen eſſe cum S. Pantaleone viri docti non dubitant. Eundem verò eſſe, cum Pantaleone Monacho, quem Nicomediæ tribuit ms. Reginæ Sueciæ ad diem XI. Kal. Aprilis, vt ibi vidimus, nec affirmare, nec negare auderem. Diuerſum a Pantaleone Nicomedienſi Medico, cuius memoria agitur die 27. Iulij, facilè exiſtimarem.

VIII. Kal. Madij.

IN Alexandria Natalis Sanctorum Coronate Virginis. Victori. Zotice. Fortuni. Donati. Felicis. Secundi. Saturnini. Siluani. Ité Siluani. Rofine. Liberalis. Meturi. Coniti. Firiani. Barachi. Nabori. Fuſci. Mauenti. Serari. Fortuni. Donati. Floriani. Theonis Presbyteri. In Africa Natalis Sanctorum Fauſtini. Victorini. Saluni. Valeri. Alexandri. Vrbani. Theone. Valeriæ. Fortunaræ. Publi. Foriane. Mammeri. Fauſti. Ianuarij. Secundi. Marciæ. Sambachiæ. Teudeſtic. Valeriani. Vrbani. Luci. Victoris. Et hac die Sydrac. Miſac. Abdenago, iterato nomine, qui & Ananias, Azarias, Miſahel, in Babilonia Ciuitate magna, de camino ignis ardentis ſunt liberati. In Lugduno Ciuitate Galliæ paſſio Sanctorum Alexandri cum alijs numero XXIIII. & dedicatio Cripte, vbi corpora eorum requieſcunt, & Commemoratio Georgij, & S. Pulionis.

APRILIS 24.

ALiam eſſe Coronatam Alexandrinam martyrem à Corona, quæ ſuperiori die Alexandriæ pariter tribuitur, ex noſtris codicibus, & Corbeienſi apparet: tum quòd nomen diuerſum aliquo pacto ſit; tũ quòd illa ſine ſocijs, hæc populoſo martyrum choro anteſignana Virgo præfigatur. Corona tamen non Coronata vetuſtiſſimo Antuerpienſi M. ita vocatur, quinimo etiam librarij errore, cum plurimis Alexandrinis martyribus repetita. *VIII. Kal. Maij. In Alexandria Corona, Victoris, Gotica, Fortuni, Donati, Felicis, Secundi, Saturnini, Siluani, Rufina, Liberalis, Meturi, Tammini, Tibiriani, Barachi, Namberi, Fuſcini, Aucnti, Serani, Furtuni. Item Donati, Floriani, Theonis Presbyteri, & aliorum XXIIII. In Africa Fauſtini, Victurini, Saloni, Veleri, Orbana, Theona, Valeria, Fortunata, Pupliani, Foriani, Memmeri, Fauſti, Ianuari, Secundi, Marcia, Sambucia, Theodiſtia, Valeriani, Orſani, Heris, Victoris, Lucis, Babilonia Magna Ananię, Azarię, Miſaelegreſſio de igne. Lugduno in Gallia Alexandri, & aliorum xxxiiii. Et Sancta Georga, Sancti Paulinnis. Item Alexandria ciuitate Corona, Victoris, Zotici, Fortuni, Donati, Felicis, Secundi, Saturnini, Siluani, Rufina, Liberalis, Meturi, Tibiriani, Barachi, Nambori, Fuſci, Mauenti, Gerani, Furtuni, Donati, Flori.* Nec tantum viginti tres Alexandrini Martyres ſunt, nominibus expreſſi in Corbeienſi M., ſed viginti quatuor, repetito nimirum Siluano, ſiue Siluiano, hoc ordine *viii. kal. May. In Alexãdria natalis SS. Corona Virginis, Victoris, Zoticia, Fortuni, Donati, Felicis, Saturnini, Secundi, Siluiani. Ité Siluiani Rufina, Liberalis, Meturi, Tamini, Firiani, Barachi, Nabori, Fuſci, Nauenti, Sarani, Fortuni. Item Donati, Floriani, Theoni Presbyteri, Saluni, Theona, Valerię, Fortuni, Publi, Foriani, Memmeri, Fauſti, Martię, Sambacię, Theudeſtię, Valeriani,*

triani, Vrbani, Herus, Luci, Victuris. Et ix hoc die, Sydrach, Miſach, Abdenago, iterato nomine, qui & Ananias, Azarias, & Miſahel, in Babylonia ab igne ardenti liberati ſunt: benedictus Deus. In Lugdino Galliæ, Paſſio Sanctorum Alexandri cum alijs numero triginta quatuor, & dedicatio cryptæ, vbi corpora eorum requieſcunt. Coronam, ſiue Coronatam Virginem Notkerus ſilet, & Victorium cum Zotico reliquorum duces, ita reliquis in compendio præteritis, recenſet. *In Alexandria Victoris, Zotici cum alijs plurimis.* Caronam Virginem refert hac die Galeſinius ex martyrologio Monachorum S. Benedicti, ſeu potius ex additionibus Molani ad Vſuardum. Anonymos XXIIII., quos alijs Alexandrinis Athletis ſubdit M. Antuerpienſe, alibi indicatos non inuenio. Variant etiam nonnihil aliorum nomina; pro Conito enim, vel Tonito Antuerpienſe legit Tumminitum, & pro Firiano Tibirianum.

In Africa Nat. SS. Fauſtini. Viginti duorum martyrum agmen explicat in Africa vetuſtius noſtrum, & vetuſtiſſimum S. Villibrordi M. decem tantum, & octo decurtatum Corbeienſe; deſiderantur in eo Valerius, Alexander, Vrbanus, Ianuarius, & Secundus; In codicibus verò noſtris deficit Herus, qui ante Victorem, & Lucium in Antuerpienſi legitur. In hoc pariter deeſt Alexander, & pro Vrbano Orbana, pro Fortuna Fortunata, pro Publio Puplianus, & pro alio Vrbano Orſanus ſcribitur. In Corbeienſi pro Fortuna, ſeu Fortunata Fortunius, pro Foriana Forianus, pro Sambachia Sambacia indicatur. In tanta martyrũ meſſe, dies à martiribus vacuus in martyrologio Roſuveydi, quanti Kalendarium illud exiſtimari debeat, facile ſuadet. Notkerus, de more iam in martyrologijs illius ævi inducto, vt pauciores martyres, vel Confeſſores adnotarentur, dum aliquid de eorundem rebus geſtis adderetur, à longa nominum ſerie abſtinet, & tantum hac die notat. *In Africa Fauſtini, Victorini, & aliorum plurimorum martyrum.*

Et hac die Sydrac. Notiſſimum locum paſſionis Babylonem referunt codices noſtri. Notkerus ſignat. *In Babylone metropoli Chaldeorũ.* Vetuſtiſſimum Antuerpiẽſe M. *Babylone Magorum Ananiæ, Azariæ, Miſael*, dũ egreſſionem de igne commemorat, & in noſtro, & Corbeienſi mutatio nominum in tribus pueris, additur. Babylonem Magorum dixit M. vetuſtiſſimum pro Babylone Chaldeorũ. Niſi quis Magos, hoc eſt Perſarum lingua ſapientes, ſanctos pueros dicat, quos Nabucdonoſor erudiri fecerat in omni Chaldeorum ſapientia. De his agunt ad diem 16. Decembris Romanum martyrologium, Beda, Vſuardus, & Ado, Græci in Menologio Caniſij die ſequenti 17. At in Menologio Baſilij, capite truncato, cum Daniele Propheta martyrium compleuiſſe narratur: quod tamen neque S. Epiphanius de vita, & morte Prophetarum, neque Metaphraſtes apud Surium docent, cum potius Danielem in pace quieuiſſe perhibeant. Si verò martyriũ feciſſe conſtaret, vt Græci narrant, poſſet dies 16. vel 17. Decembris feſtum eſſe Martyrij, in hac vero 24. Aprilis eorundem liberatio à camino ignis venerari poſſet, vt adducta verba exprimunt. De his cum Daniele, Metaphraſtes agit die 12. Iulij. Vnde non modo, quòd in ignem coniecti ex voluntate martyres fuerint, ſed quòd gladio vitam finierint Martyres fortaſſe D. Athanaſio vocantur orat. 13. in Arianos. Quàm verò celebres vetuſtis temporibus in Eccleſia Romana fuerint hi Sancti pueri, ſatis indicãt eorũ imagines, paſſim in vetuſtis cœmeterijs ſignatæ, quas frequenter exhibet Aringhius, præſertim Tomo 2. Romæ ſubt. lib. 4. cap. 47. & lib. 5. cap. 20. vbi de illis longiùs agit. De fornace, in quã coniecti ſunt, eorumque ſepulcris, ſuæ adhuc ætate ſtantibus, agit Beniaminus, hoſtis Chriſtianorum in Itinerario p. 70. his verbis. *Ad 25. milliaria à Babel, & mil-*

milliario quinque ab Hilan, sunt in notissima valle. Palatium destructum Nabucdonosor, & Caminus ignis ardentis, in quẽ Hananias, Misael, & Azarias conjecti sunt. Et iterum de eorum sepulcris p. 73. *est locus inter fluuium Cobar, & Euphratem nuncupatus Ezechielis Prophetæ Synagoga, seu Dar Melilaha. Ab hoc loco ad dimidium miliarii Hananiæ, Misael, & Azariæ sepulcra, cum singulis magnis, & pulchris fornicibus visuntur, magna reuerentia habitis, & inuiolatis.* Solemnem eorum diem dormitionis apud Hebreos fuisse ex Martyrologio Hieronymi testatur Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 71. XVI. Kal. Ianuarij. Vnde diuersum illi à hostro fuisse Hieronymianum martyrologium apparet, vt alibi etiam adnotauimus.

In Lugduno Ciuitate. Alexander martyr cum socijs ab Epipodio, ante biduum memorato seiungitur, quòd non eadem die cum eo agonem compleuerit, vt in Alexandri Actis, ex mss. egregijs exemplaribus Surius habet die 24. Aprilis, sed interposito die. Græcus ille origine Martyr, per crucem completo certamine, in crypta cum Epipodio sepelitur. De martyribus XXIIII. anonymis, neque S. Epipodij, neque S. Alexandri acta meminerunt, & cum nonnisi eorum memoriam inuenerim in codicibus nostris, & Corbeiensi, ab Antiquarijs Galliæ interpolatis, subijt suspicari ne XXIIII. anonymi, qui hic Alexandro Lugdunensi iunguntur, librarij vitio abstracti sint à martyribus Alexandrinis, quibus in vetustissimo Antuerpiensi sociantur. Sed cum in eodem vetustissimo, non modo XXIIII., sed XXXIIII. cum Alexandro recensentur, placuit magis librariorum incuria factum esse, vt in Alexandrinis Anonymorum numerus subticeretur, in Lugdunensibus decimaretur. Martyrologium Romanum cum Vsuardo, & Adone legit XXXIIII. & ms. Reginæ Sueciæ cũ Hagiologio Franco Gallię XXXXIIII. Hic Alexander secundus Gallicis scriptoribus dicitur, ad differentiam alterius Alexandri, qui sub eadem Antonini persecutone., professione Medicus, passus est cum S. Potino die 2. Iunij: Videndus igitur præcipuè Theophilus Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium pag. 30. editionis nouissimæ, qui aliqua de crypta, vbi sepulti sunt martyres, in illo congerit, sicuti & Saussayus qui Anonymos martyres socios tantum numerat XXXIIII. Gregorius Turonensis de Glo. ria martyrum cap. 50. de Crypta in Basilica S. Ioannis, vbi sub altare sepultus est etiam S. Irenæus, & hinc inde martyres Epipodius, & Alexander agit, & de prodigijs per puluerem illius cryptæ in sanandis infirmis testatur. De consecratione verò, seu dedicatione cryptæ nihil hucusque palam inuenire licuit, nisi forte eadem die sepulturæ Alexandri à Zaccharia Presbytero dicata fuerit, cum illuc S. Irenæi corpus intulit, vt ex Adone colligi posset ad diem 28. Iunii in martyrologio.

Et Commemoratio S. Georgij: Dié natalis S. Georgii esse diẽ 23. Aprilis ex Romano, aliis que martyrologiis, ex Hieronymiano, & antiquo Kalendario Fronti ibi diximus. Addimus diem illum cõsũmari agonis apertè indicari in S. Georgii actis, tam ex Metaphraste apud Surium, quam in certamine, quod Pasicrates eiusdem, vt asseritur, seruus conscripsit. De varietate diei festi huius præclari martyris hæc habet Notkerus *vii. kal. Maij. In Persida S. Georgij martyris iuxta kalendarium sagacissimi Hieronymi. Cuius passio apud Romanos, & penè alios omnes ix. kalendarum Maiarum vt superius notatum est, celebris habetur.* Ex his veritus sum, ne commemoratio S. Georgii hac die 8. Kalendas lapsum aliquem librarii contineret. Suspicionem auxit, quia M. vetustissimum, non Georgium hac die, sed Georgiam cum S. Paulino profert, post XXXIIII. martyres Africanos hoc pacto. *Et S. Georgæ, S. Paulinis.* Mutata enim Georgia in Georgium,

Paulio-

Paulionem, seu Pulionem aliis martyrologijs ignotum, etiam codices nostros continere obseruabam. *Et commemoratio Georgij, & S. Pulionis,* de quibus ne verbum quidem M. Corbeiense. Ita licuit hariolari, & mendum etiam in sequenti die 7. Kal. Aprilis suspicari, vt ibi adnotabimus. In Aquileiensi Vrbe vetustius hoc martyrologium ab Adone inuentum alibi diximus, vnde nec difficile esset, aliqua ab Aquileiensi clero addita fuisse, vt commemoratio S. Georgij, cuius natalē diē 8. kal. Maij, seu hac 24. Aprilis Aquileiæ, Mediolani, Papiæ, atque alijs multis locis celebrari, testis est Galesinius ad non. Kal. Maij, & Kalendarium vetus Breuiario hædino præpositum habet etiā penes mè *viii. Kal. Georgi Martyris*. Sed minus esset ex variarum Ecclesiarum instituto, varijs diebus S. Georgij natalem recoli, magis est, tam diuersa de eo scripta esse, & ab hæreticis ita immutata, vt Gelasius eius vitam inter Apocripha reiecerit, quam censuram non Gelasio, sed Niceno concilio tribuit Petrus de Natalibus lib. 4. cap. 82., qui etiam in Actis S. huius martyris ad calcem, ex pluribus codicibus dissonantias animaduertit, tum in loco, tum in modo, tum in tempore, tum in Iudicis persona. Acta sinceriora ex Metaphraste apud Surium locum non signant: originem illi ex Cappadocia tribuunt: moram aliquam in Palestina, & agonem in ea vrbe, vbi Diocletianus Senatum, Consiliarios, & vxorem haberet, & vnde leges, & edicta in Christianos promanauerint, illi ascribūt, quæ omnia Nicomediam vrbem sub Diocletiano Imperialem indicarent. In Persida eius agonem vetustiora martyrologia signant, vt die sequenti VII. kal. Vetustissimum Antuerpiense. *In Persida Passio S. Georgij Martyris*; & Beda apud Petrum de Natalibus. *In Persida ciuitate Diospoli*, cui Vsuardus, Ado, Notkerus, & ms. Reginæ Sueciæ consonant ad 9. kal. Maij. Addit verò Notkerus nō sub Diocletiano, sed sub Datiano Rege potentissimo, cum ipsius Regis vxore Alexandra, martyrium compleuisse. De S. Pulione, seu Paulione, altum vbique silentium inuenio; De his qui sequuntur in M. Antuerpiensi martyribus, iam dixi repetitos esse plurimos ex Alexandrinis, initio diei indicatis, ijsdem omnino nominibus, & ordine; vt de obscitantia antiquarii dubitandum non sit. ms. Reginæ Sueciæ addit in fine *viii. Kal. In Alexandria Theonis Presbyteri.*

VIII. Kal. Madij.

IN Syracusa Ciuitate Siciliæ Natalis Sanctorum Euodi. Hermogenis, & Calisti. In Africa Nōbil Marce. Hermensi. Fortunati. *Lugduno depositio B. Rustici Episcopi.*

APRILIS 25.

IN breui laterculo aliquem obliuioni librarij lapsum agnosco, auxilio Antuerpiensis, & Corbeiensis codicis. Nullam hic S. Georgij memoriam video, cum tamen Notkerus testis sit, in Calendario Hieronymi hac die S. Georgium memorari, qui etiam de S. Marco addit, *& Festiuitas S. Marci Euangelistæ a suprad. Hieronymo Sancto priori die, idest viii. kal. Maiarum auctoritate Eusebij Cæsariensis designata est.* Vetustissimum Antuerpiense, ita cum

alijs martyribus Georgium, non Marcum recolit. *vii. kal. Maij Siracusa ciuitate Euodi, Hermoginis, Calisti. In Africa Mempli, Fortunati, & in Persida S. Georgi martyris. Lugduno Ciuitate B. Rustici Episcopi*, Corbeiense eadem continet, sed mutato nonnihil ordine. *vii. kal. Maij. In Syracusa ciuitate Siciliæ natalis Sanctorum Euodij, Hermogenis: & passio S. Georgi, Calestæ. In Africa Nubilis, Marca, Hermenphi, Fortunati, Iocundi. Lugduno depositio B. Rustici Episcopi.* De Siracusanis Martyribus Euodio, Hermogene, & Callisto agit M. Romanum cum Adone, & Maurolyco: de primis duobus etiam Vsuardus: de Callisto cũ alijs Galesinius: Notkerus Callistam legit, vt Calestam M. Corbeiense. Petrus de Natalibus ex veteribus MM. lib. ix. num. 129. pro Euodio legit. *Dunadius, & Hermogenes in ciuitate Siracusana Martyres coronantur vii. kal. Maij.*

In Africa. Veritus aliquando sum, ne codices nostri vitiati essent, & pro breuitate nomine *Nõbil* lege debere *Natalis*, & pro Marcæ, *Marci*. Id suadebat Sacramentarium Gregorij quod habet. *vii. kal. Maij Nat. S. Marci Euangelistæ*, confirmabat M. Antuerpiense in quo Africæ Memphius, & Fortunatus tantum tribuuntur, nulla Nobilis, aut Marcæ memoria, Sed nihil mutandum existimaui, quòd in Schediis Dufresnii ex ms. Corbeiensi legerem *vii. Kal. In Africa Nubilis, Marca, Hermemphi cum alijs*, vt edidit Dacherius.

Lugduno depositio. De S. Rustico, seu Rusticio Lugdunensi Episcopo, alio a S. Rustico Presbytero, agit Teophilus Raynaudus in Indiculo SS. Lugdunensium, qui etiam testatur in illius Ecclesiæ Kalendario S. Rusticii obitum consignari VII. Kal. Maij. Fuisse verò Episcopum addit, regnãte Lugduni Gundebado Burgundionum Rege circa annum 490. & Apollinari Sidonio fuisse coæuum. Videndus, pro rebus ab eodem gestis, Sausayus, dum ex additis in Gallia facile illum existimamus, tam in nostro, quam vetustissimo Antuerpiensi.

VI. Kal. Madij.

IN Axiopoli Aurilij. *Recharij Confessoris.* In Antiochia Leonedis. Vindei. In Africa Iuli. Victuri. Syrici. Honorati. Felicis. Pauli. Maximi. Victoris. Simplici. Polhonis. Viti. Calendini. Apollini. Marciane. Feliciſſime. Ethemiæ. Marciani. Lictiſſimi. Simiæ. Germiani. Feliciæ. Euasiæ. Gemellini.

APRILIS 26.

ANtiquarius Gallicus, dum in codicũ nostrorum apographo, Sanctũ Richarium Confessorem inter Axiopolitanos martyres incautè reposuit, alios Christi pugiles à Martyrologio Vetustissimo Antuerpiensi numeratos, incuriosus omisit. *vi. Kal. M. In Axiopoli nat. Cyrilli, & in Antiochia Eutimia, & Roma Primitiui, Aureli; Item Antiochia Leonidis, Vindei. In Africa Iuli, Victurini, Sirici, Honorati, Felicis, Pauli, Maximi, Victuris, Simplici, Polhonis, Viti, Calendini, Apolloni, Marciani, Felicissimæ, Timia, Marciani, Litissimi, Simia, Germani, Feliciæ, Euassiæ, Gemelini.* At licet in Gorbeiensi M. Dacherii, S. Richa-

charius inter ſuper additos ad calcem laterculi reponatur, lacunam tamen in fronte notabilem illud patitur,& eandem cum codicibus noſtris martyrum iacturam, videlicet. *vi.kal. Maj. In Axiopoli Aureli.In Antiochia Leonidis,Vendei,Maryj. In Africa Iulÿ, Victuri, Syrici, Honorati, Felicis, Pauli, Maximi, Victoris, Simplici, Pollionis, Viti, Calendini, Apolloni, Martianæ, Felicissimæ, & Hernia, Martiani, Lictissimi, Fimiæ, Felicis, Germani, Feliciæ, Euasiæ, Gemellinæ cum socÿs eorum, Siluani. Centulo Monasterio in Gallia depositio S. Richarÿ*.Mirum tamen eſt, nullum ex his martyribus Axiopoli inferioris Myſiæ vrbe, nullum Antiochiæ vel Africæ, & nullum etiam Romæ aſſignatos in Martyrologio Romano memorari, & è contra nullum è Romanis Pontificibus, quos illud recolit, in vetuſtiori noſtro, quatuor codicibus ſuffulto, indicatum inueniri. In mſ. Reginæ Sueciæ,alijs præteritis,egreſſio Noe de Arca, & Marcellini Papæ Romani acta breui ſtilo libantur. Kalendarium tantum Hieronymianum mſ. Lucenſe binos ex his martyrib⁹, nõ indicato paſſionis loco, ita refert *vi. Kal. Aurili, Leonidis.* Aurelius, qui Axiopolitanus in Corbeienſi, & noſtro apparet, Romanus eſt in Antuerpienſi; in quo Axiopoli Cirillus, Antiochiæ Eutimia, & Romæ Primitiuus cum Aurelio tribuuntur. In Africanis XXIII. martyribus enumerandis parum inter ſe adducti codices differunt. Corbeienſe pro Ethimia, vel Timia Herniam corruptiſſimè habet,& pro Simia Firmiam. Noſtri vero codices pro Germano Germianum, & pro Gemellina Gemellinum. Corbeienſe ſupra vigintiquatuor ſacros pugiles, & alios anonymos ſine numero addit verbis illis *cum ſociis eorum*, ſed & alterius claſſis alium, Siluanum nempe, omnibus præteritum ſuperinducit.

*Richary Confeſſoris.*Qui floruit,vt notat Baronius ad martyr.Romanum,circa annum 630.Eius vitam habet Surius,ab Albino Flacco compoſitam,ad hanc diem.E Villa Centula Pontinæ prouinciæ oriundum Presbyterum obijſſe VI. kal. Maij diſertè ſcribitur, & non multò poſt obitum, ad Centulam Monaſterium tranſlatum fuiſſe. Riarium vocat Maurolycus. Sed Tichariũ, Vſuardus, Notkerus, & Petrus de Natal. lib. 4. cap. 90.vbi vitam eius collegit. De S Richario agit etiam Hagiologium FrancoGallię VI.kal.Maij, & Sauſſayus Abbatem fuiſſe Centulæ Monaſterij in Ambianis addit. A Gallico antiquario vetuſtiori martyrologio additum Richarium fuiſſe non ambigo.

V. Kal. Madij.

IN Tarſo Ciliciæ Natalis S. Caſtori. In Nicomedia Anchini Epiſcopi. Stephani Epiſcopi. Antonini presbyteri. In Lidia Geneſi. Sodalis. Zotici. Marini. Zenoni. Hilpidi. Eppedij presbyteri. Eutici. In Ciuitate Armeniæ Militanæ Hermitis. Hilpidij. Hermogenis. Et Caſtello Aiouie. In Capia Mauri, & Caſti Diaconi. Huſandi Pañi. Priami. In Ægypto Nicomedia Victoris. Maximi. Marciani. Pauli. Germani, cum alijs VII. Gemilliani. Legiſſimæ. Feliciæ. Germane. Felicis. Euanciæ. Victorini. Nicofori. Dioſcori. Papiæ. Serapionis. In Antiochia Thimie. Mauri. Atti. Genoſi. Sodalis.

APRILIS. 27.

AD differentiam eiusdē nominis Vrbis Bithyniæ Tarsus hìc Ciliciæ dicitur, sicuti Ptolemęo, & Socrati. Iosephus, ipsam regionem Asię minoris Ciliciam, Tarsum dicit. Sed hæc Ciuitas est D. Pauli Apostoli patria in Cilicia aspera. Geminos huic martyres tribuit M. Romanum, nempe Castorem, & Stephanum, ex Maurolyco, vt notat Baronius. Vsuardus Castorem tantum exhibet, quemadmodum Martyrologium etiam vetustissimū Antuerpiense, cuius integrum latercul um exhibemus. *V. Kal. in Ciuitate Tarso Ciliciæ Sancti Castoris. Nicomediæ Antimi, Stephani Episcopi, & Antoni Presbyteri, Libandiæ, Zenori Episcopi, Generi, Maurini, Sodali, Entici, Zotici, Hilpidi. Ciuitate Armaniæ Militaū Hermitis, Eppei Episcopi. Item Helpidi, Hermogenis, & in Castel. Aiouiæ, Capri, Mauri, & Cupti Diaconi, Esandi, Priani. In Ægypto Nicomē Victoris, Maximi, Pauli, Marciani, Germani cum alijs VI. Germelinæ, Letissimæ, Feliciæ, Germæ, Felicis, Victorini, Nicofori, Dioscori, Serapionis, Papiæ, Antiochiæ Timiæ, Mauri, Atti Diaconi, Gennosi, Sotalis.* Stephanus, qui Castori socius apud Maurolycum additur, alterius classis est, & Nicomediensis etiam Corbeiensi Mari quo, prò Stephano, Germanus Castoris socius hoc pacto legitur. *V. kal. Maij. In Ciuitate Tarso Ciliciæ, Natalis Sancti Castori, Germani. In Nicomediæ Anchimi Episcopi, Stefani Episcopi, Antonij Presbyteri. In Lidiæ Genesi, Sodalis, Zotici, Marini, Zesoni, Helpidij, Euthicij, Lupicini. In Armeniæ Ciuitate Militanæ, Heremitis, Hilpidij, Eppei Presbyteri, Hermogenis. Et alibi Mauri, & Capri Diaconi, Husandi, Priani, Cypri. In Ægypto Nicomediæ, Victoris, Maximi, Martiani, Pauli, Germani, cum alijs sex, Gemellinæ, Lætissimæ, Feliciæ, Germanæ, Felicis, Euantiæ, Victurini, Nicofori, Dioscori, Papiæ, Serapionis, Ioannis, Iulij. In Antiochia Thimiæ, Mauri, Arri Diaconi, Genonsi, Sodalis.* Maurolycus ex Petro de Natalibus lib. 11. num. 130. Stephanum socium fuisse Castoris Tarsensis martyris accepit, ita enim ex vetustis martyrologijs, siue Hieronymi, siue Vsuardi, siue Adonis, vt profitetur initio cap. 130. *Castor, & Stephanus Martyres Tarsi Ciliciæ passi sunt V. Kal. Maij.* Ita etiam legitur in martyrologio Bellini, & in additionibus Molani ad Vsuardum. Castorem tamen sine alio socio habet, cum codicibus nostris, & vetustissimo M. Notkerus; Galesinius ex codicibus non optimę notæ præter Castorem, & Stephanum Tharsis in Cilicia Hermetem, & Victorem tribuit, confusis nimirum aliorum locorum martyribus.

In Nicomedia Anchimi. Anthimi legendum nō dubito, ex omnium fere aliorum codicum fide. Anthimum legit martyrologium Rom., Bedæ, Vsuardi, Adonis, Notkeri, & aliorum; mss. Reginæ Suecię. *V. Kal. Anthimi, & Stephani Episcoporum*, memoriam agit. De S. Anthimo Episcopo Nicomediensi plura Baronius habet in Notationibus. Acta exhibet ex Metaphraste Surius ad hanc diē 27. Aprilis, sequutus latinorum martyrologia; quamquam in ijsdem Actis diserte affirmetur, post multa certamina, capite truncato, martyrium compleuisse die 3. Septembris, quando Græci in Menologijs diem eius natalem recolunt. Percurruntur eiusdem certamina in Menologio Basilij, & tanquam peculiare adnotatur, sacrum eius corpus *positum Nicomediæ, cùm multa alia admiranda facere, tùm admirabilem capillorum subindè renascentium comā semper promittere:* quod mulieribus concessum, vel impetratum putarem, non effeminatis viris; Quandoquidem

quidem illis, D. Paulus, comam nutrire conceſſit, his ignominioſum decreuit. ep. 1. ad Corinth. c. 11. *Quod vir quidem, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi; mulier verò, ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.* Veteri autem licet, in die paſſionis S. Anthimi apud Græcos mendum irrepſiſſe, vel acta aliquo tempore poſt paſſionem concinnata fuiſſe, cum iam Græca Eccleſia, in proprijs ſignandis vniuerſis feſti diei ſolẽnitatibus, minus accurata, in diẽ tertium Septembris S. Anthimi celebritatem repoſuit. Euſebius quidem Cæſariẽſis lib. 8. Hiſt. cap. 6. Sancti Epiſcopi certamen inter ea narrauit, quæ acciderunt *ſimul, ac edictum contra Eccleſias propoſitum eſt Nicomediæ*, & ſtatim poſt Palatinorum certamen. *Tunc* inquit *etiã Anthimus Eccleſiæ Nicomedienſis Epiſcopus ob confeſſionem Chriſti in eadem vrbe capite truncatus eſt. Huic adiuncta eſt ingens martyrum multitudo*, & infra. *Et hæc quidem in ipſo perſecutionis exordio Nicomediæ geſta ſunt.* Tempus autem, quo ceperat perſecutio, adnotauerat cap. 2. nempe *menſe Dyſtro, quem Romani Martiũ vocãt, appetẽte die feſto Dominicæ Paſſionis, propoſita ſunt vbique Imperialia edicta* de Eccleſijs diruendis, ſacriſque codicibus tradendis. *Non multo poſt alia rurſus litera ſuperueneruat, quibus mandabatur, vt omnes vbicumque Eccleſiarum Antiſtites primùm quidem conjicerentur in vincula, deinde verò Dijs ſacrificare omnibus modis cogerentur.* Vt rectè tempus, quo Sancti Epiſcopi primùm cæpti, & tormentis expoſiti ſunt, Aprilis finem collimare poſſit, non ad Septembrem extendi. Stephanus Epiſcopus, & Antoninus, ſiue Antonius Presbyter, Euſebio non numerantur cum Anthimo, ſed cum ingenti martyrum, quæ Anthimum ſequta eſt, multitudine nihil vetat eſſe recenſitos. Antoninus ſcribitur in codicibus noſtris, qui Corbeienſi, & Antuerpienſi M. eſt Antonius Presbyter. Et hoc pariter nomine, ſiue Antonius, ſiue Antoninus Presbyter vocatur, qui in Eccleſia Lucenſi, hac ipſa die recolitur. Is Sancti Paulini primi Lucenſis Epiſcopi diſcipulus, & ab eo Presbyter ordinatus, Neroniana perſecutione vigente, in mõtibus, qui Lucam, Piſaſque Etruriæ Vrbes interiacent, vitam hæremiticam iaduxit, vt ad eum accedentes nouitios Chriſti aſſeclas ſacro baptiſmate ablueret, quemadmodum de S. Torpete Ado teſtatur in Martyrologio die 17. Maij, nec tamen furente Neroniano gladio Thuſcorum martyrum primitias Confeſſor intrepidus ſepelire deſiſteret. Ad hæc pietatis officia, fidemque naſcentem promouendam ſeruauit illum Deus in Neroniana procella, vt etiam prima hæremiticæ vitæ ſemina primus ſaltem in Italia iaceret, in montibus nempe illis, in quibus deinde ſolitariæ vitæ inſtitutum maximè viguit, & hæremitici ordinis primordia in reliquam Italiam emanarunt; quemadmodum in noſtris Etruſcæ pietatis Originibus latiùs oſtenditur. Extat penes me ex veteribus membranis Sãcti huius Præsbyteri, & hæremitæ hiſtoria, & in binis muſæi noſtri mſs. & veteſtis kalẽdarijs memoria eius recolitur: in altero quidem nonnihil veteſtiori, ſimul cum B. Sita adhuc in corpore incorrupta Virgine, hoc pacto memoratur menſe Aprilis *V. Kal. Antonii Heremitæ, & Sitæ de Luca.* In altero Antoninus vocatur, vt nũc etiã vulgo dicitur. *V. Kal. Antonini Cõfeſſoris Lucæ.* Extat in Baſilica S. Paulini, & in Sacello, vbi eius corpus ſeruatur, hæc fideliter excerpta inſcriptio, quam ideo proferre libuit, quia apud Siluanum Razzium de Sanctis Etruriæ, & ex eo apud Cæſarem Franciottum de SS. Lucenſibus mutila, & depraua ta producitur.

Ecce hic eſt corpus S. Antonii Presbyteri, & Heremita, qui ſepeliebat corpora Sanctorum Martyrum, ſub Nerone Imperatore, & Anolino decollati, die S. Reſurrect. & IIII. die Madii. Sanctè require corpora Epiſcoporũ huius Vrbis Presbyterorum,

rorum, Heremitarum, Militum, Martyrum, & Confessorum. S. Dionysius dedicauit Ecclesiam istam in honorem Saluatoris Cæli, & terræ, & Sanctorum Martyrum, & Confessorum. X. die Octobris tempore S. Clementis Papæ, & Martyris Vrbis Romæ ✠ *Hic* ✠ *Anno Domini MCC. primò inuentus est Beatus Antonius, & de monumento extractus mensâ Februarii.* Hæc non ideo animaduertere libuit, vt Antonium Lucensem Presbyterum, & Hæremitam cũ Nicomediensi confundamus, sed potius vt librarij nostrorum codicum inficiam notemus, qui Antonium Nicomediæ Presbyterum, ac martyrem, cum Lucensi Confessore, eadẽ die venerato, eundem putauerit, ac ideo Antonium in Antoninum, cum vulgo Lucensium, immutauerit.

In Lidia. Pro Lidia *Libandia* legit M. Vetustissimum in locorum nominibus minùs depraua tum. Fortasse Lybadia, seu Lebadia Vrbs Boetiæ est Pausaniæ, Gellio, & Plinio, qui nullas ibi esse talpas docet. *In Lydia* tamen cum nostro retinet etiam M. Corbeiense, & ita pariter Notkerus. *In Lydia Genesii, Sadalis, Zotici, Elpidii, & Eutichii.* In Lydiam non difficilis quidem esset lapsus à *Lybadia.* Variat ordinem martyrum Vetustissimum Antuerpiense M., & huius tutmæ antesignanum Zenonem Episcopum non Genesium profert, immò illi Generius est, non Genesius. In Corbeiensi, & codicibus nostris, non septem martyres numerantur, sed octo, inter quos Lupicinus, alijs ignotus, in Corbeiensi legitur, qui Eppeus Presbyter in Vetustiori nostro dicitur, sed vitio librarij, Eppeum, è sequentium Militanorum numero abstrahentis.

Ciuitate Armeniæ Militana. Tres tantum Martyres codices nostri recensent in Militina Vrbe Armeniæ minoris, quia Eppodium Presbyterum inter Lydiæ, siue Lybadiæ sacros pugiles reposuit. Eppeum Episcopum non Presbyterum vocat M. Antuerpiense. Sed Præsbyterum retinet Corbeiense, & ms. Reginæ Sueciæ; Hermogenem vero hoc pacto mitem: *Vkal. In Armenia Epphei Presbyteri, & Hermogenis militis.*

In Castello Iouis. Quis locus Castellum sit, in multa huius nominis significatione, arduum est decernere. Castellum sine alia additione Straboni est Firmi in Picenis nauale. Aliud Antonini inter Fauentiam, & Forentiam, numeratur. Aliud in Mauritania, & alia alibi. Aiouiæ nomen pro martyre accipio in codicibus nostris; sequitur enim statim alterius loci descriptio nempe *In Capia*, quæ Lybiæ interioris Vrbs est, siue Africæ propriæ. Huius meminerunt D. Cyprianus, & Victor Vticensis, & illi Maurus, & Castus Diaconi, Husandus, & Prianus tribuuntur in codicibus nostris, quos *alibi* incerto loco assignat M. Corbeiense. Pro eo quod dictum est *In Capia*, Vetustissimum habet *Capri*, incertum mihi nomen, ex multiplici locorũ significatione. M. Corbeiense *Cypri* retinet, sed pro martyris, quinto loco numerati nomine.

In Ægypto Nicomedia. Cum nulla Nicomediæ titulo Vrbs in Ægypto à Geographis describatur, nomen martyris esse conijcio. In M. Antuerpiensi breuiato charactere, *Nicõm* scribitur, vt Nicomediæ, & Nicomedis interpretari possit. MS. Reginæ Sueciæ de Nicomedia, vel Nicomede silet, & martyres quinque nominatim signatos exhibet, sex Anonymos. *In Ægypto Victoris, Maximi, Pauli, Mattiani, Germani cum alijs VI.* Septem generatim indicatos habent codices nostri: sex verò Corbeiense, & Antuerpiense, quibus alia sacrorum testium classis subnectitur; ex his vndecim tantùm enumerat M. nostrum: Decem Antuerpiense: tredecim Corbeiense. In Antuerpiensi deficit Euantia, vel Euancia, & pro Gemilliano Germellina, profertur. Corbeiense addit cum nostris codicibus Euantiam, & supra illos Ioannem, & Iulium, ignotos cum reliquis

om-

omnibus Latinorum hucusque editis martyrologijs.

Antiochia. In Antiochenorum martyrum numero adducti iam codices conueniunt; parum in nominibus variant Antuerpiense, & Corbeiense MM. Acto, siue Actoni titulum Diaconi adijciunt, & in illo pro Sodali Sotulus scribitur.

IIII. Kal. Madij.

IN Pannonia Natalis S. Vitalis. Eusebi Episcopi. Tyballi. Pollionis. In Alexandria Natalis S. Victurini. In Tarso Ciliciæ Malinæ cum alijs CLXX. Afrodis. Carilippi Presbyteri. Agapi Lectoris. Eusebi. Eunuci. In Africa Prouintia Numidiæ natalis Sanctorum Manili. Luciani. Victurini. Niciæ Virginis, & aliorum LXXII. Luciani cum alijs CLX. *In Betorine Ciuitate S. Eusebi Presbyteri, & Confessoris.*

APRILIS. 28.

IN assignandis certaminum stadijs, plurimùm nostri codices, & Corbeiense M. ab Antuerpiense differunt. Hoc vtiq; sacras huius diei tabulas ità concinnat. *iiii. kal. Madii. Pannonia Eusebi Episcopi, Pollionis, Tiballi. In Alexandria Victurini. In Tarso Cilicię Afrodisi, cum aliis CLXX. Malinę, Calippi Presbyteri, Agapi Lectoris In carme requiescētis Eusebi, Eunuchi. In Africa Sanctorum Mannilli, Donati, Mauroli, Lucani, Victorinę, Nicę, & aliorum LXX. Lucani, & aliorum CCLXX. Depositio Sancti Eusici Presbyteri, & Confessoris.* Corbeiense proximius vetustius nostrum M. attingit. *iv. Kal. Maii. In Pannonia Eusebi Episcopi, & Vitalis, Pollionis. In Alexandria Victorini. In Tarso Cilicię Malinę cum aliis centum septuaginta, Afrosi, Carilippi Presbyteri, Agapi, Lecturis, Eusebi, Eunuci. In Africa Prouincia Diomedię, Natalis Sanctorum Manilii, Donati, Maurili, Luciani, Victorini, Nicię Virginis, & aliorum ducentorum octoginta trium. In Betorine Ciuitate depositio S. Euse Presbyteri*

Vitalem in Pannonia non nisi codices nostri, & Corbeiense M. proferunt. Notkerus cum Romano M. Beda, Vsuardo, & Adone de Vitale martyre Rauennate longius agunt. MS. Reginæ Sueciæ Romæ hunc martirem tribuit. *iiii. kal. Romę Natal. S. Vitalis.* Antuerpiense neq; Romæ, neque Rauennæ, neque in Pannonia Vitalem martyrem exhibet. Kalendarium Hieronymianum Lucense nullo indicato passionis loco de more scribit *iiii. kal. Vitalis.* Ita & fragmentũ ms. quod nomen Bedæ profert in Bibliotheca Canonicorum Lucensium. *iiii. kal. S. Vitalis martyris.* Et totidem verbis aliud Kalendarium nostrum membranaceum. Eusebius in Romano martyrologio non indicato certaminis loco, cum Charalippo, Aphrodisio, & Agapio memoratur, sed alius ille Eusebius est, quineq; Episcopus dicitur, neque cum Pollione, & Tiballo martyrium fecisse in Pannonia narratur, sicuti docent codices nostri. De Triballo martyrol. Corbeiense non meminit. De Pollione Lectore, & Eusebio Episcopo aliqua habet Petrus de Natalibus lib. 4. c. 94. hoc est sub Probo Præside in persecutione Diocletiani,

tiani, poſt S.Hyreneum Epiſcopum Syrmienſem, Montanum Presbyterum, & Demetrium Diaconum, Syrmi coronatos, in Vrbe Cibali inferioris Pannoniç. Euſebium pariter ipſius ciuitatis Pontificem, & Pulionem Lectorem (ita enim non Pollionem vocat) agonem compleuiſſe. De Pollione in Pannonia tantum meminit M. Romanũ cum Beda, Vſuardo, Adone, & alijs Latinis recentioribus, vbi Baronius notat errata quædam codicis apud Petrum de Natalibus, quæ patentiſſima ſunt; addere libet in die paſſionis, quam ſignat *v. Kal. Maii.* Petrum à reliquis diſſentire: cum Vſuardus, & alij hac ipſa die IIII. kal. Pollionem referant. Polſionem Lectorem Cibalis habet cum alijs M. noſtrum 4. kal. Iunij. Non enim eadem die cum Euſebio paſſum eſſe fatetur idem Petrus de Natalib. Euſebium quapropter ſine ſocijs, ita recolit mſ. Reginæ Sueciæ. *In Pannonia Euſebii Epiſcopi.* Notkerus propius ad Vetuſtiora martyrologia accedit. *In Pannonia Euſebii Epiſcopi, Tiballi, & Pollionis.* Pro Pollione Apollinarem exhibet in Pannonia alibi Petrus de Nat. lib. 11. n. 132. ex antiquis martyrologijs, quem à Pulione diuerſum exiſtimauit.

In Alexandria. Victurinum martyrem Alexandrinum recenſent cum noſtro M. Vetuſtiſſimum, Corbeienſe, & mſ. Reginæ Sueciæ. *In Alexandria natalis S. Victurini*; reliqua, quæ viderim de Victorino ſilent, & Theodoram, Dydimumque celebrant, in adductis prætermiſſos.

In Tarſo Ciliciæ. Malinam, anonymorum martyrum Tarſenſium centum ſeptuaginta anteſignanum, refert cum noſtro M. Corbeienſe, & Afrodium non Afrodiſium ſequentis turmæ ducem cum eodem præfigit. Concordat Notkerus, licet demptis ſecundæ claſſis nominibus, ita ſcriptum reliquerit. *In Tarſo Ciliciæ Malinæ cum aliis centum ſeptuagiata, & aliorum multorum.* An Euſemus, ſiue Euſebius Eunuchus inter Cilices Tarſenſes numerandus ſit, anſam prebet dubitandi Vetuſtiſſimum M. Antuerpienſe, in quo poſt Malinam, Carippum, vel Carilippum Presbyterum, & Agapium Lectorem ſequentia profert. *In Carme requieſcentis Euſebi Eunuchi.* Eunuchũ tam codices noſtri; quam M. Corbeienſe interpoſito ad Euſebiũ diſtinctiuo pũcto referunt, & Eunuchi nomen pro alio ab Euſebio martyre accepiſſe videntur: In Antuerpienſi officij potius, quâ martyris titulus apparet, dum in Carme Euſebiũ Eunuchum requieſcere, tanquam quid ſingulare, & præter morem deſignet. Charmis Sardiniç inſulç Opidum a Carthaginenſibus cõditum Stephano de Vrbibus, & Charmæi Gens Arabiæ felicis ſunt apud Plinium, forte à Carman Arabiæ felicis vrbe regia. De Candacis Reginæ Æthiopiæ Eunucho à Philippo Diacono baptizato diſertè ſcripſit S. Lucas in Actis Apoſtolicis, quẽ ex proceribus illius Reginæ fuiſſe Euſebius teſtatur lib. 2. c. 1. Non malè ergo quis Euſebium exiſtimaret aulæ regiæ alicuius principem, ſiue palatinum fuiſſe, & fortaſſe Reginæ alicuius Arabiæ Eunuchum in Carman, ſiue Carmæ martyrio coronatum. Sed diuinare potius hoc eſt, quam coniectare. Incerto loco Afrodiſium, Caralippum Agapium, & Euſebium martyres referunt hoc die Romanum Martyrologiũ, & vt addit Baronius ex Beda, Vſuardo, Adone, & cæteris recentioribus, puta Petro de Natal. lib. 11. num. 131. Maurolyco, & Galeſinio. In Menologio Græcorum Caniſij ſequenti die 29. April. Sanctus martyr Euſebius recolitur. Fortaſſe Eunuchus S. Cercyræ Regis filiæ Iconienſium, quæ à Patre Cercillino pluribus tormentis vexata, cum plurimis eadem die coronata fuit. Iconium inter Cappadociam, & Ciliciam Lycaoniæ Metropolis, ſub ſe Cannam Vrbem continebat. Vnde fortaſſe pro eo quod ſcriptum eſt, *In Carme*, legendum eſſet. *In Canne.* Martyrium S. Cercyre, & aliorum eadem die 29. Aprilis menologium

idem

idem longius prosequitur.

In Africa. Prouinciam Diomediæ vitio legit M. Corbeiense, pro Numidiæ Prouincia, vt codices nostri retinent, & Notkerus. *In Africa, prouincia Numidia Sanctorum Manilij, Donati, Maurolij, Luciani, Victoris, Nicia Virginis, & aliorum septuaginta duorum*, Consonat ms. Reginæ Succiæ. *In Africa, prouincia Numidia Nat. S. Manilij, Donati, & aliorum multorum*. Septuaginta tantum anonymos refert Antuerpiense M. in quo pro Manilio, Mannillius, pro Luciano Lucanus, pro Victorino Victorina exhibẽtur. Deficit in nostro Maurilius, qui Maurolus est in Antuerpiensi: & in Corbeiense Africani sine nomine martyres ad ducẽtos octuaginta tres extenduntur, antiquarij incuria, qui anonymos secundæ classis in vnum numerum colligens, ordinem, ac censum confudit. Sub altero Luciano duce militat secunda pugilum turma, & quæ Notkero est ducentorum, & septuaginta, in nostris codicibus ad centum sexaginta tantùm reducitur, duplici, vt existimo, numeralis notæ iactura; in Vetustissimo siquidem, & Notkero idem numerus prostat; legendum ergo in vetustiori nostro putarem. *Item Luciani*, siue Lucani *cum alijs CCLXX*.

In Betorine. Eusicium Presbyterum, & Confessorem, non indicato celebritatis loco, addit in fine laterculi M. Vetustissimum Antuerpiense. In Pago Bituricensi Patriciaco celebris est S. Eutitius, sine Eusicius Presbyter, & Abbas, cuius monumenta aliqua exhibet Lebbeus in Patriarchio Bituricense p. 373. & seq. Sed in Antiquis Bituricensis Diocoeseos Breuiarijs S. Eusicij Confessoris festum indicari idem testatur die 27. Nouembris, quando decessit in Domino, vt in eius vita legitur. Eusis non Eusicius dicitur in M. Corbeiensi, in quo etiam Betoriue ciuitate, pro Beturicæ scribitur. In nostris codicibus, non modo Beturiue scriptum est, sed pro Eusicio Eusebius. In Vetusto membranaceo martyrologio S. Sabini de Leuitania Eucius Episcopus, & Confessor die 28. Aprilis ita recolitur. *Eodem die Biturices Ciuitate Sancti Euci Episcopi, & Confessoris, qui lucens aurum, atque diuitias mundi, huius tanquam stercora exhorruit*. Saussayus ad Gallicanum martyrologium, in supplemento, hac ipsa die, Eusebium præfert martyrẽ, socium Aphrodisij, qui fuit primus Episcopus ciuitatis Biterræ sub metropoli Narbonensi. Sed Eusebij Presbyteri, & Confessoris depositio, quæ hic recolitur vix martyrem fuisse significat. Sacræ Galliæ scriptoribus, an Eusicius, vel Eusebius, in martyrologio nostro ab antiquario additus, Bituricensis, vel Biterrensis sit, discutiendum relinquimus.

III. Kal. Madij,

IN Alexandria Natalis S. Germani Presbyteri. Prosduci Diaconi. In Nicomedia Prudenti. Marcialis. Sabbati. Codomoni. Basili. Item Germani. Filucasi. Budenti. Vrbani, & Pagatæ. In Africa Grati, & aliorum VI. & Perosinum Tusciæ Valentini. Marcianí. Benoniæ. Viralis. Augusti. Victurini. Manili. Metorine Virginis. Macculi. In Alexandria Pudenti. Marciani. Filocusi. Teodore. Virginis Padis cum alijs duobus.

APRILIS 29.

NOn modo Germanum, & Prosducium Alexãdrinos Martyres adducit hac die Galesinius, sed ex veteribus mss. Vitalem, Christophorum, & Vrbanum addit, etiamsi neq; Germanũ fuisse Presbyterum, neque Prosducium Diaconum moneat. Christophorus, & Vitalis in ms. Reginæ Sueciæ die præterito IIII.kal. recensentur: sed non Alexandrini martyres reputantur. In nostris vero codicibus Vitalis, & Vrbanus, hac etiam die memorati, alterius loci pugiles sunt, vt ex corruptis codicibus Galesinium accepisse, neque hìc nouum sit. Martyrologium Vetustissimum S. Villibrordi in distinguendis locis, quibus celebres martyres fuerunt, minus deprauatum, Alexãdriæ non nisi Germanum Presbyterum tribuit, & *alibi*, incerto loco ita Prosdocium, & Valentinum. *iii. Kal. Maij. Alexandria ciuitate S. Germani Presbyteri, & alibi Prosdoci Diaconi, & Valentini. In Nicomedia Prudenti, Marcialis, Sabbati, Codomani, Basili. Item Germani, Filocasti, Budenti, Vrbani, Pacata. In Africa Grati, & aliorum VI. & Perusio Theusi, Valentini, Marciani, Bononiæ Vitalis, Agusti, Victorini, Manili, Metronæ, Macculi. Alexandria Ciuitate Pudenti; Marciani, Filocosi, Theodoræ Virginis, Padis cum alis duobus.* Corbeiense martyrol. cum nostro consonat, aliqua tantùm puruta in nominibus intercedente dissonantia. *iii. kal. Maij. In Alexandria Natalis Sancti Germani Presbyteri, Prosduci Diaconi. In Nicomedia Prudenty, Martialis, Sabaty, Eodomoni, Barchi. Item Germani, Filibesi, Budenti, Vrbani, & Pagata, Siluani, Iaci. In Africa Gracti, & aliorum sex martyrum. Et Perusio Tuscia, Valentini, Martiani, Bononi, Vitalis, Augusti, Victurini, Manili, Metronæ Virginis, Maculi, Megini; In Alexandria Pudenti, Martiani, Filocusæ, Theodosiæ Virginis, Padis cum alis duobus.* In distinguendis Germano, & Prosducio, quem Prosdaum vocat ms. Reginæ Sueciæ, cum M. Vetustissimo ita conuenit *iii. Kal.* intercæterą. *In Alexandria natalis S. Germani, & alibi Prosdai Diaconi. In Nicomedia Prudentij, Martialis, & aliorum XV.* Primos, Alexandriæ tribuendos esse, Vetustiori nostro consentit Notkerus. *Apud Alexandriam natiuitas Sanctorum Germani Presbyteri, Prosdoci Diaconi.* Codicibus illis adhærere mallem, qui distinguunt, quam qui confundunt.

In Nicomedia. Nicomedienses sacros hos athletas, nõ modo cum reliquis omnibus martyrologiis Romanum silet, sed & Notkerus, qui ferè semper aliquos ex Hieronymiano martyrologio profert, hos tacuit. Decem in Nicomedia commilitones sub Prudentio, & Marciale, etiam ms. Reginæ Sueciæ memoratis antesignanis, exhibent codices nostri. Duodecim Corbeiense, quod Siluanum, & Iocium addit. Plures vidit qui martyrologium Reginæ Sueciæ compilauit; supra Prudentium enim, & Martialem anonymos XV. addidit. At Vetustissimum Antuerpiense omnino cum nostro conuenit, nec nisi decem enumerat; pro Filocaso tamen Filocastum, & pro Pagata Pácatam legit.

In Africa. Gratum cum socijs sex in Africa Vetustius nostrum M. Antuerpiense, & Corbeiense vnanimiter retulerunt, alia verò quæ viderim silent.

Et Perosinum Tuscia. Restituendum. *Et Perusio in Thuscia* siue, *& Perusio Thuscia* quemadmodum legit M. Corbeiense, in vatis lectionibus Dufresnij apud me, & in edito Dacherij; In Vetustissimo Antuerpiensi pro Perusio Thusciæ malè legitur *Perusio Theusi*. Emendandũ etiam in Corbeiensi nomen martyris *Bo-*

no-

noni, & reponendum *Bononiæ*, vel vt alter habet ex codicibus nostris Benoniæ. Vetustissimum idem Antuerpiense in laminis expressè legit Bononiæ, sed ansam præbet dubitãdi, an nomen Vrbis sit vel martyris; pro martyre suscipiendum potius videretur, quòd Vetustissimi huius martyrologij scriptor, ciuitatis peculiarem notam addere consueuerit, vt in hoc ipso latercule bis obseruare licet: vel vt alibi frequenter illi mos est, locum cum propositione signare, vt præcedenti die. *In Alexandria.* Perusinos Martyres adhuc in propria vrbe ignotos video, cum neque de illis Ferrarius de Sanctis Italiæ agat, neque mihi apud Perusinos scriptores, Cæsarem Crispoltium, vel Felicem Ciattum aliquid inuenire licuerit. *Bononiæ* pro Vrbe retinet Notkerus, & ad hanc diem pro Vitale, & Augusto retinet *Vitalis, & Agricolæ*; quorum tamen festum diem agit Ecclesia Bononiensis ad quartum diem Nouembris, vt ibi notat Ferrarius, & cum alijs martyrologijs etiam Romanum. Gherardaccius Tom. 1. Hist. Bonon. lib. 1. p. 13. putat anno 301. martyrium compleuisse Hermetem, Aggeum, Caium, Agricolam, & Vitalem die 4. Nouembris. S. Paulinus in Natali de aduentu Nicetæ Episcopi ad Natalem D. Felicis, Vitalem, Agricolã, & Proculum socios fuisse, tam in tumulo, quam in agone ita videtur asserere.

Vitalem, Agricolam, Proculumque Bononia condit:
Quos iurata fides pietatis in arma vocaret,
Proque salutiferis texit victoria palmis,
Corpora transfixos trabalibus inclyta clauis.

Cum igitur alios hìc socios Vitalis adducta martyrologia consignent, alium esse ab eo, qui die 4. Nouembris etiam in nostro recolitur, omnino putarem, siue Bononiæ, siue alibi palmam promeruerit.

In Alexandria. Nulla inter martyrologium nostrum, Antuerpiense, & Corbeiense differentia intercedit in hac secunda Alexandrinorum martyrum turma. Pro Filocuso, siue Filicoso, Filocusam legit Corbeiense. Theodoram Virginem Alexandriæ celebrem habent die precedenti IIII. Kal. Maij martyrologium Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & alij, sed eidem Dydimum generosum athletam socium addunt; putant enim hanc Virginem illã fuisse à D. Ambrosio 2. de Virg. celebratam, quæ ad Lupanar damnata, per Dydimum incolumis, & incorrupta euaserit, quamquam vitio librariorum, vt ibi putat Summus Baronius, Antiochiæ id accidisse apud D. Ambrosium legatur. Græci pariter in Menologio Sirleti Alexandriæ de Theodora, & Didymo agunt, sed supra ad diem V. Aprilis, quando martyrologium nostrum Dydimum Præsbyterum exhibet. Potuit enim euenire, vt de lusus iudex Dydimum illa die neci tradiderit, Theodorãvero longius in martyrio protraxerit: Sed ambos simul esse percussos, & coronatos, de martyrio certantes, famã olim fuisse innuit D. Ambrosius, Vsuardus verò, & Notkerus expressè docent. Si quis tamen hanc aliam fuisse Theodoram contendat, ex additis socijs, & silentio Dydimi non pugnarem.

II. Kal. Madij.

IN Alexandria Dorothei Presbyteri. Rodociani Diaconi. Viatoris. Therenti. Martini. Maiorice. Victoris. Claudi. Siluani. Clementi. Honorati. Item Victori. Reducti. Item Honorati. Thelesfori.

fori. Primosi. Rogati. Felicis. Luciani. Colosi. Item Rogati. Seueri Spice. Cotidie. Fortuni. Iocundi. Iuli. Secundini Episcopi. Meriti. Honori. Item Siluani. Saturnini. Emiliani. Item Saturnini. Afferodi. Dugdi. Pastoris Episcopi. Secundiani. Concordi. Marciani. Iacobi. Floria. Gabri. Gaiani. Postumi. Mommini. Quintiani. Cassi. Fasili. Florenti. Demetri. Gududi. Crispini. Donati. Zeonis. Pomodiani Diaconi cum alijs XXIIII Secundiani Episcopi. Alexandri Diaconi. Babuti. Saturi. Diodori. Ropodiani. & Nomesis. Romæ depositio Quirini Episcopi. In Frodiria Rodiciani Diaconi. Terenti. Marini Presbyteri. Dicari cum alis XII. Meturi. Clementis. Luciani. Telesfori. Primosi. Saturnini. Emiliani. Maiorice. Saturnine. *In Gallia Fontanella Monasteri translatio Eriberti Episcopi, & Confessoris.*

APRILIS. 30.

ALexandriam, furente Diocletiani gladio, totius Ægypti carnificinã fuisse, alibi animaduertimus, vt mirandũ non sit, sæpe Alexandrinos Christi milites in sacris hisce tabulis signari. Nullibi tamen vberior messis apparet, & supra sexaginta martyres hodierni numerantur, ac proprijs nominibus exprimuntur. Veruſtissimum Antuerpiense martyrologium producere primò libet. *Pridie kal. Maij. In Alexandria Dorothei Presbyteri, Nodatiani Diaconi, Victoris, Terenti, Martini, Maiorica, Victuri, Claudi, Siluani, Orimenti, Honorati, Victorini, Reducti. Item Honorati, Talesfori, Primusi, Rogati, Felicis, Luciani, Colisi, Reuocati, Seueri, Cotia, Fortuni, Spinica, Iocundi, Iuli, Eremiti, Honori, Siluani, Saturnini, Emelliani, Saturnina, Afrodi, Clugdi, Pastoris Episcopi, & alibi Secundiani, Concordi, Mariani, Iacobi, Floriani, Gabri, Gaiani, Postumi, Momni, Quintiani, Cassi, Fasili, Florenti, Demetri, Gadudi, Crispini; Item Crispini, Donati, Geonis, & alibi Romodiani, Igner Diaconi, Rumetina, Remisurini cum alij xxiiii. Secundini Episcopi, Alexandri Diaconi, Bubatis, Saturi, Diodri, Ropodiani, Nomensis. Romæ Quirini Episcopi. In Frodiria Rodiciani Diaconi, Terenti, Mariui Presbyteri, Dagari cum alis xii. Meturi, Clementis, Lucini, Telesfori, Primosi, Saturnini, Emeliani, Maiorica, Saturnini, Depositio Policroni Episcopi.* Corbeiense martyrologium mutilum hic agnosco, & de more exhibeo. *Pridie kal. Maii. In Alexandria Dorothei Presbyteri, Rodociani Diaconi, Victoris, Terenti, Martini, Maiorica. Item Victoris, Claudi, Siluani, Demetrii, Iulii, Secundini Episcopi, Meriti, Honori. Item Siluani, Saturnini, Affrodi, Dugdi, Pastoris Episcopi, Secundiani, Concordia, Mariani, Iacobi, Floriani, Gabri, Gaiani, Postumi, Mommini, Quintiani, Cassi, Fasili, Florenti, Demetri, Gadudi, Crispini. Item Crispini, Donati, Zenonis, Domodiani Diaconi cum aliis viginti quatuor, Secundiani Episcopi, Alexandri Diaconi, Bubati, Saturi, Diotri, Ropodiani, Nomensis. Romæ Depositio Quirini, Secundini. In Afrodisi, Rodociani Diaconi, Terenti, Marini Presbyteri, Dagari cum aliis duodecim, Meturi, Clementis, Lucini, Telesfori, Primosi, Saturnini, Emiliani, Maiorica, Saturnini. Depositio Polocronii Episcopi.*

scopi. Nominibus expressos Alexandrinos martyres in duas classes diuidunt codices nostri. In prima quinquaginta octo numerant cum anonymis XXIIII. In secunda septem nominatim pariter signatos. Triginta tantum, & nouem producit in prima turma, cum ijsdem anonymis, M. Corbeiense, & in secundæ turmę septennario numero cum nostro conuenit. Sed vtrumque minus distinctum in assignandis locis, quibus passi sunt martyres, existimare licet, quàm iam adductum Antuerpiense. In hoc non omnes numerati athletæ Alexandrinæ Vrbi tribuuntur, sed in quatuor ordines distributi, triginta septem tantum Alexandriæ conceduntur, decem, & nouem alibi, incerto loco ascribuntur, & diuerso pariter sine nomine loco, quatuor nominatim, & XXIIII. anonymi tribuuntur. Quarta classis à tertia, loco non diuiditur, & septem incerti agonis pugiles sub Secundino Episcopo, & Alexandro Diacono reponuntur. Abundat Antuerpiẽse etiã supra codices nostros, qui tamẽ in reliquis vberiores sunt tribus martyribus. Et si enim alterum Felicem, Igneum Diaconum, Rumetinam, & Remisurinum supra libros nostros Vetustissimum illud recenseat, post Iulium tamen Secundinum Episcopum prætermittit, vt alter alterius ope compleri, ac restitui debeat. Aliqua etiam in nominibus, sed parua differentia intercedit. Antuerpiense in prima classe pro Clemente, Orimentium, pro Victore Victorinum, pro Colosio Cilisium, pro Rogato Reuocatum, pro Spica Spinicam, pro Cotidia Cotiam, pro Merito Emeritum, pro Saturnino Saturninum, pro Afferodio Afrodium, pro Marciano Marianum, pro Floria Florianum exhibet; in tertia classe pro Pomodiuno, Romodianum, pro Babuto Bubatem, pro Dicario Dagarium, pro Luciano Lucinium profert. Desunt in Corbeiensi Clementius, Honoratus, Victorius, Reductus, alter Honoratus, Theleſphorus, Primosius, Rogatus, Felix, Lucianus, Colosius, alter Rogatus, Seuerus, Spica, Cotidia, Fortunius, Iocundus. Abundat è contra alter Demetrius, & pro Viatore Victor, pro Afferodio Affrodius, pro Concordio Concordia, pro Mariano, Marcianus, pro Floria Florianus, & pro Babuto, Bulatus in Corbeiensi legitur. Ex huius tamen cum Antuerpiensi in aliquibus nominibus consonantia, emendanda quædam, diuersè in nostris sonantia, nomina putarem, aliqua etiam sinenda. Quos Sanctos martyres, ab Alexandrinis distinctos, in secunda classe producit Antuerpiense M. socios fuisse Secũdini Episcopi, Iacobi Diaconi, & Mariani Lectoris vix dubitarem: quorum acta ex oculato, & elegantissimæ eruditionis teste conscripta, imo vt putat Baronius ex cõmartyre Episcopo, aut saltem Confessore fortissimo, elucubrata estant apud Surium die postrema Aprilis. De Agapio Episcopo egimus ad diẽ 17. eiusdẽ mẽsis, qui cum Secundino pariter Episcopo ab exilio, Confessor illustris, in Numidiam reuocatus ex Muguas, loco in Suburbanis Cirthensis Coloniæ, & ad vrbem non minus, quam ad Coronam perductus, per aliquot dies ante Marianum, & Iacobum triumphauit. Inter hos plurimos martyres Secundinus idem Episcopus, Marianus Lector, & Iacobus Diaconus recoluntur: Æmilianus etiam martyrio consummatus in ijsdem actis legitur, gemini item pueri cum Matre ante triduum passi inter Africanos martyres quinto, vel VI. Kal. Maij fortasse in nostro martyrologio recensentur. Mariani, & Iacobi certamen in ijsdem Actis fusius describitur, & aliorum multorum ita triumphus adnotatur. *Interim per dies plurimos effusione sanguinis transmictebatur ad Dominum numerosa fraternitas, nec peruenire ad Iacobum, & Marianum, Clericorũq; victimam rabies insanientis Præsidis poterat, laicorum tam multis occupata vulneribus. Nam ita inter se nostræ religionis gradus artifex sæuitia diuiserat,*

vt

demersus triumphauerit, & in Scarabatensi Vrbe, extra portam sepultus fuerit; facta tamen Barbarorum in Pannoniam incursione, Christiani fugientes S. Episcopi corpus Romam asportarunt, & via Appia, milliario ab Vrbe tertio ad catacumbas, depositum. Vnde, quamquã Martyr fuerit, facile depositionis nomen in nostrum martyrologium fuisse additũ pro trãslatione, probabile redditur. Agit tamen de eo Romanum martyrologium ex Beda, Vsuardo, & Adone pridie nonas Iunij, vbi Baronius doctissimus, de eo aliqua adducit. Acta eius apud Mombritium prostant, & contracta apud Petrum de Natalibus lib. 5. cap. 85. in quibus legitur passum esse *pridie nonas Iunij*. Sed dies pridie Kal. Maij potuit esse translationis, seu depositionis in Cœmeterio Præteștati, quod partem esse Cœmeterij Callisti, seu ad Catacumbas, aliàs diximus. Translatum S. Quirini Episcopi corpus Roma in Bauariam, tempore Pipini Regis, affirmat Molanus ad Vsuardum in secunda editione. Aliqua ossa etiam Roma Fuldam translata fuisse anno 836. scribitur in vita B. Rabani apud Henschenium, siue Bollandum T. 3. ad diem 4. Februarij p. 516. & seq.

In Frodiria Rodociani. Frodiria pariter legitur in Antuerpiensi, & Corbeien. MM. sed vitio librariorum. Nam Frodiria, siue Phrodiria nullibi mihi apud Geographos comparet. Vnde legendũ putarem *Aphrodisia*. Coniecturam excepi ex Menologio Græcorum apud Canisiũ, in quo ad diem 3. Maij legitur, Diodorum, & Rodopianum Diaconum, tempore Diocletiani Imperatoris, pro Christianæ fidei confessione, multas ærumnas à proprijs ciuibus perpessos, apud Aphrodisiam vrbem Cariæ lapidatos, spiritum Domino reddidisse. Subijt autem dubitare, an in aliquibus martyrologijs, vt Bedæ edito, inter Martyres Alexandriæ, pro Dorotheo Presbytero, Aphrodisius Presbyter vitio antiquariorum irrepserit, confuso nimirum Rodopiano, seu altero Rodociano Diacono Aphrodisiensi cum Alexandrino, & ex Vrbe Aphrodisia cõflato martyre Aphrodisio. Similitudo nominum, lacunæ in antiquis martyrologijs frequentes, oscitantia, siue insciția librariorum facile id suadent.

Tantum ani longinqua valet mutare vetustas.

Notkerus pariter cũ Romano M., & Beda legunt. *In Alexandria natiuitas S. Aphrodisij Presbyteri, & aliorum triginta*. E contra cum codicibus iam adductis Antuerpiensi, ac Corbeiensi, bini nostri codices Aphrodisium inter Alexandrinos martyres silent, & Dorotheum Presbyterum aliorum antesignanum producunt: quibus astipulatur ms. Reginæ Sueciæ. *Prid. kal Maij Alexandria natal. SS. Dorothei Presbyteri, Rodociani Diaconi, Terentij, Martini cum alij LII.* nulla de Aphrodisio superinducta memoria. Facilem antiquariorum lapsum inducere etiam potuit nominum similitudo, quæ cum Alexandrinis martyribus, & ad Rodocianum Aphrodisiensem consequentibus intercedit, hoc est Terentij nomen idem, & Marini cum Martino non dissimilis consonantia; sed alios hos esse, alterius Rodociani, vel Rodopiani socios, suadet, quòd Marinus, non Martinus ille præsbyteratus honore decoretur, & reliqui commilitones anonymi XII. cum Dagario numerentur, inter Alexandrinos non ascripti. Aphrodisienses, seu Frodisienses martyres videntur in duas classes diuidi, & secundæ antesignanum esse Meturium, ita omnibus adductis codicibus vocatum, cui socij octo addantur; inter quos aliqui ijsdem nominibus indigitantur, quibus aliqui etiam ex Alexandrinis signatos vidimus. Sed hoc minùs ad suadendum valet, hos Cariæ Martyres cum Ægyptijs confundi, quàm diuersa aliorum commilitonum nomina, diuersos potius esse efficacius comprobantia.

In Gallia Fontanella &c. Additamentum

tum hoc Fontanellensis Antiquarij confirmatur ex eiusdem cœnobij chronico cap. 2, in quo narratur anno DCCIIII. sub Bainio Episcopo Tarunensi, illius Asceterij Rectore, corpus S. Eremberti Episcopi translatum fuisse ex inferiori loco Ecclesiæ S. Pauli Apostoli ad locũ, vbi requieuerat B. Vvandregesilus: idq; accidisse die trigesimo primo post translationem aliorum Sanctorum corporum, quam signat pridie kal. Aprilis. Incidit ergo S. Eremberti Episcopi Tolosani translatio in diem postremam Aprilis. Nec alia translatio esse potest, quæ facta fuit anno Dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo septimo sub Gerardo Abbate, nam vt ibi cap. 7. in Appendice expressè notatur, peracta fuit *kalendis Iunij*, & recentior est, quam in martyrologio vetustiori signari potuerit. Tempus, quo S. Erembertus obijt, indicatur eodem cap. secundo; dicitur enim ante translationem illam anni DCCIIII. Sancti Episcopi corpus, in eadem Basilica quieuisse *annis plus minus triginta tribus*. Pro Eribberto, vel Erẽberto in Antuerpiensi, & Corbeiensi adnotatur depositio Polocronij, seu Polycroni Episcopi, sed cuius Vrbis fuerit antistes siletur. De S. Polychronio Episcopo Virdunensi agit Saussayus quarto Nonas Maij, quo die translationis festum agi testatur apud Virodunum, nec implicat, pridie kal. Maij depositionis celebritatẽ esse potuisse. Aliquam S. Polychronij Episcopi Babylonis, & martyris translationem sub depositionis nomine hic recoli, existimare videtur Henschenius ad diem 17. Febr. p. 6.

KALENDAS MADII

Litanias indicendas. Madius habet dies XXXI.

DE initio predicationis Domini nostri IESV CHRISTI. In Africa Hierapoli natalis Sanctorum Philippi, & Iacobi. Quintiani. Heleotheri. Gagi. Alexandri. Saturnini, & alibi Apolloni. Eufemi. Interamna Milia. LXIIII. *In Gallia Nanto Monasterio translatus S. Marculfi*. Proculi. Peletti. Agapiti, & Militum XXXIII. & Natalis Mathei, & Iacobi Apostolorum. In Oriente Quintini. In Ierosolyma natalis S. Iude, siue Quiriaci Episcopi, & Emeritæ Natalis S. Saturnini. *In Tolosa Serenti Episcopi. In Gallia Ciuitate Autisiodoro Depositio S. Amatoris Episcopi. Acauno passio S. Sigismundi Regis. Becora Ciuitate depositio S. Iusti Episcopi.*

MAII 1.

ADomini Prædicatione annuas humanæ salutis periodos exordiri, indeque aliquos annorũ computum duxisse, indicauimus in Exercitatione de Sacri anni Epocha. Ex vetustis nunc martyrologiis obseruamus, Ecclesiam Occidentalem, solemni memoria eiusdem Prædicationis initium, antiquitus recoluisse, non dissimili ratione ab ea, qua initium signorum in Cana Galileæ sub Epiphaniorum nomine celebrabat. Ita præsertim ex vetustiori, quod

quod damus martyrologio apparet, cui ex editis consonant Notkerus, & Vvandelbertus; his verbis ille *Cal. Maij Pausatio Hieremiæ Prophetæ. Initium Predicationis Domini nostri IESV CHRISTI.* Alter hoc carmine.

Maias prima sacrat Christi Doctrina Calendas.

Mirandum qua propter est, Vetustissimum Epternacense ms. tantam celebritatem sub silentio inuolere, atq; his verbis solùm huius diei fastos notare. *Maius dies xxx. & vno. kal. Maij. Nat. Sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi. In Africa Quintiani, Eleuteri, Gagi, Alexandri, Saturnini, & alibi Apolloni, Eusemi, & Interamne militum XXIII. Proculi, Felisti, Agapiti, & Militum XXXIIII. & Natalis Mathei, & Iacobi Apostolorum, Quintiani. Hierosolyma natalis Iudæ, siue Cyriaci Episcopi; Emerita Ciuitate natalis Saturnina. Ausi Ciuitate in Gallia Natalis Sorentis Episcopi. Autisiodoro Ciuitate Amatoris Episcopi. Monasterio Agaunno Sancti Sigimundi Regis Becca Ciuitate Sancti Iustini.* Eodem silentio, cæptæ diuinæ prædicationis solemnia, inuoluit Romanũ martyrologiũ, Beda, Vsuardus, & Ado cum recẽtioribus, vno excepto Maurolyco, qui nõ Kal. Maij, sed Kal. April. illius memoriam renouat, fortasse quòd in mẽse Maio, chronologis de anni Christi computis, eiusdem predicationis exordia respõdere nõ viderentur. At perantiquum Corbeiense ita diserte celebritatem prædicationis reposuit. *kal. Maij Initiũ Prædicationis Domini nostri IESV Christi. In Asia Hierapoli Natalis Sanctorum Philippi Apostoli, & Iacobi, Quintiani, Heleotheri, Gai, Alexandri, Saturnini. Et alibi Apollonij, Euphemii. Interamna miliario sexagesimo quarto Proculi, Pelesti, Agapiti, & Militum triginta triũ, & natalis Mathei, & Iacobi Apostolorum. In Oriente Quintini. In Hierosolyma natalis S. Iudæ, sive Quiriaci Episcopi. Emerita natalis Sancti Saturnini, In Tolosa Natalis Orientii Episcopi. Autisiodero depositio S. Amatoris Episcopi. Bigorra Ciuitate depositio S. Iustini Episcopi, Magni, Isici, Phoci. Ambianis Ciuitate natalis Sãctorum Agii, & Acioli Martyrum. Agaunno passio Sigismundi Regis.* Nec primæ prædicationis memoriam, tacuit ijsdem penè verbis ms. Reginę Suecię. *Kal. Maii. Initiũ Prædicationis Domini nostri IESV Christi.* Cur verò tantam celebritatem neglexerint, qui Romanum martyrologium emendarunt, præcipuam fuisse causam suspicor, quòd de ea neque Vsuardus, quo ad longum tempus vsu est Romana Ecclesia, neque Beda editus, neq; Ado meminerint, sicuti neque Bellinus de Padua, neq; Galesinius. Vereor etiã, Viros doctissimos vetustiora sub D. Hieronymi nomine non vidisse martyrologia. Baronius equidem vir summus pluries illud optauit à D. Gregorio indicatum, sed nanciscinon potuit. Aliud autem plurimi fecit ex Monasterio Romano S. Cyriaci, quod tamen in multis decurtatum, & maculosum agnoscunt Bollandus, & Henschenius. Vnde contingere potuit, vt festum cæptæ a Domino prædicationis, in vetustioribus martyrologijs indicatum non inuenerint, ac ita præterierint. Alia etiam causa esse potuit, quòd dies Kalendarum Maij, non modo Natali SS. Iacobi, & Philippi dicata fuerit, sed, vt infra apparebit, omnibus Apostolis. Postremò, quòd notatæ prædicationis initium Baronianæ Chronotaxi de Gestis Christi minus, quo ad tempus, videretur congruere. Cum vero annunciati Cœlorum Regni, nostræque fidei per auditum primitiæ, non dissimili veneratione prosequendę videantur, quàm signorũ in Cana Galileæ primordia, quòd in Euangelica historia, tam initium signorum, quam cæptæ Predicationis tempus peculiari animaduersione notetur, placuit in huius vetustæ celebritatis die, in Dei, tantique muneris gloriam nonnihil immorari.

De Initio Prædicationis Dominicæ, eiusque præcipuo tempore, ac celebri die.

EXERCITATIO VII.

BENE prisca fidelium pietas initium doctrinæ, siue verba vitæ, & gratiæ, quibus Regnum cœlorum primò nunciatum est, præcipua veneratione recoluit. Cæpit quidem Redemptor noster facere, & docere, cur ergo, quod *fecit initium signorum IESVS in Cana Galilææ* singulari memoria prosequi fideles debuerant, lucem verò ortam sedentibus in vmbra mortis, quando cæpit Iesus docere, & prædicare regnum cælorum, singulari cultu prosequi incongruum reputauissent? Vtinam quemadmodum de primæ prædicationis loco, ita de tempore cæptæ prædicationis, constaret. Vtrumque tamen constituere quàm breuissimè conabimur. Initium prædicationis Domini nostri ab eo tempore fuisse, quo in Iordane à Ioanne Baptista baptizatus est, *Quinto decimo anno Tiberii*, palam est; sed insuper post quam ieiunium quadraginta dierum consummauit, & post quam Ioannes ab Herode Galileæ Tetrarchâ in carcerem coniectus est. Ità ex cap. 4. Mathei liquere arbitror. *Cum autem audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta Ciuitate Nazareth venit, & habitauit in Capharnaum &c. Exinde capit Iesus prædicare, & dicere Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cælorum.* Idem confirmat, & Marcus cap. 1. *Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium Regni Dei.* Nec, antequã Ioannes in vinculis traditus esset, Dominum prædicasse putat etiam D. Ioannes Chrysostomus Homel. 14. in Mathęum ad verba illa *exinde capit prædicare. Exinde quando significat? Ex quo scilicet tempore, quo Ioannes in carcere inclusus est. Cur autem non ab initio statim eis prædicauit?* Inter alias, quas D. idem Chrysostomus causas adducit, hanc affert. *Propterea, nec prædicat antequam Ioannes, nec mirabilia operatus est, quo ad vsque ille incideret in vincula, ne hac existente causa, magna pars populi scinderetur. Idcirco nec aliquando signum fecit Ioannes, vt ex hoc quoque multitudinem traderet Christo, quæ ad eum multitudine signorum confluerent.* Consimilia habet Titus Bostrensis, aut quisquis sit auctor parui Commentarij in Mathęum inter eiusdem Chrysostomi opera. Nec statim ac se Dominus manifestauit, prædicationẽm Euangelij incepisse, his etiam verbis tradit Ammonius Alexandrinus, seu potius Tatianus Syrus in Euangeliorum Armonia. *Firmata de se, editis miraculis, diuinitatis opinione, ad doctrinam Euangelicam longè, latèque diuulgandam IESVS animum conuertit. Quippe qui*, addit D. Chrysostomus, *cum sublimem quandam viuendi introducturus esset disciplinam, quæ nunquam ab illis fuisset audita, auctoritatem mandatis suis præstruxit claritate signorum. Quia enim æternum regnum, quod prædicabat non apparebat, ex his quæ videntur, etiam illud, quod nondum apparerat, facit manifestum.* Neque tantum post coniectum in vinculis Ioannem putauit Tatianus Christum prædicare cæpisse, sed amplius postquam capite truncatus obierat. *Illa enim*, inquit, *crudelitas Iesum è Galilæa migrandi in fines Zabulon, & Nephtalim occasio fuit, vbi primum pœnitentiam, regnique cælestis confinitatem prædicauit.* At sicuti cum Euangelio Ioannis videtur pugnare, quòd nullum signum Iesus ediderit, antequam Baptis-

ta

sta in vinculis esset, ita quòd relicta Galilea migrauerit in terra Zabulon, & Neptalim, à Matheo dissonare videtur, qui potius in Galileam, post traditum Ioannem, secessisse Dominum narret. At postrema dissonantia facile concordari posset, cum ex vna, puta Galilea Iudeæ, in alteram, scilicet Galileam gentium, quæ in finibus Zabulon, & Neptalim erat, post Ioannem in vinculis positũ transfretauerit. In hac Galileæ parte, siue Gentium nuncupata, initium prædicationis Domini accidisse, certissimè ex sacris literis, & Euangelista Matheo educi posse non diffiteor. Exinde enim prædicare Iesus cæpit, *cum relicta Ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum*, frequentissimam inquam, & opulentissimam totius Galileæ Vrbem maritimam, vbi plurimis poterat primum se ostendere, moxque apud plurimos prædicationem auspicari. Capharnaum, quod interpretatur, Ager consolationis, cathedram fuisse primæ prædicationis ex Euangelistarum concordia deducit Origenes in Ioannem Tomo X. aduersus Heracleonem. Quod verò addit idem Origenes, in Vrbe ea, *non solum prædicare Dominum incepisse, instat Cælorum Regnum; Verùm, vt tres Euangelistæ tradunt, primas etiam illic virtutes edidisse*, dubitatione non caret, quòd Ioannes, qui cæteris Euangelistis apertius, primam gestorum Christi à Baptismo Chronotaxim contexuit, primum signorum in Cana Galileæ à Domino peractum docet, non Capharnao. At cum pluries Iesus ex Iudea in Galileam migrauerit, & hinc inde progressus iuerit, & redierit, distinguendum magis est ex ipso Ioanne, alijsque Euangelistis, quando Capharnao cæpit predicare, & an ibi aliquod primum signum ad se manifestandum ediderit. Iam vidimus ad prædicationem sibi viam lignis, & prodigijs aperuisse, primumque se filium Dei manifestare voluisse, quã nouam Euangelij legem prædicatione promulgaret. Habitauit igitur Iesus primùm, parentibus subditus Nazareth in Galilea, quousque incipiens esse quasi annorum triginta, Lucæ 3. anno quinto decimo Tiberij *venit à Nazareth Galilæa*, (Marc. 1.) *in Iordanem ad Ioannem vt baptizaretur ab eo* (Matthæi 3.) Prædicabat autem Ioannes baptismum pœnitentiæ *in omnem Regionem Iordanis* (Lucæ 3.) *sed in Bethania trans Iordanem* erat Ioannes baptizans. (Ioannes 1.) *& Baptizatus est à Ioanne in Iordane* (Marci 1.) & qui, ex eiusdem verbis, cæperat subobscurius manifestari, apertissimè post baptismum pro filio æterni patris est declaratus, tum emissa cælitus voce, tum ab ipso Ioanne profitente, *quòd filius Dei esset.* (Ioannes 1.). Regressus verò plenus spiritu Sancto *à Iordane* (Lucæ 4.) *statim spiritus expulit eum in desertum* (Marci 1.) vt tentaretur: ieiunauit in deserto *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana, eratque cum bestijs, & Angeli ministrabant illi* (Marci 1.). *Regressus est autem Iesus in virtute spiritus in Galilæam* (Lucæ 4.) & venit ad Ioannem, qui de eo testificatus est. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: quod altera die pariter videns ipsum ambulantẽ, presentibus discipulis confirmauit (Ioannes 1.). Vndeduo ex discipulis eius secuti sunt Iesum, inter quos Andreas, qui ad eum adduxit Petrum fratrem suum; *In crastinum Iesus voluit exire in Galilæam*, & vocauit Philippum, qui tecum adduxit Nathanaelem, quibus pro filio Dei se manifestauit. Die tertia vocatus ad nuptias cum discipulis suis in Cana Galileæ *fecit initium signorum, & videntibus, & credentibus discipulis manifestauit gloriam suam. Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus, quia cum prope esset Pascha Iudæorum ascendit Ierosolymam, vbi non modo eiecit ementes, & vendentes de templo, sed in Pascha in die festo multi crediderunt in nomine eius videntes signa eius quæ faciebat* (Ioannes 2.)

Post

Post hæc ab Vrbe Ierosolymitana venit Iesus in terram Iudæam cum discipulis suis, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat; Erat autem & Ioannes baptizans in Ænon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & baptizabantur. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. Illic orta quæstione de vtriusque Baptismo, seu purificatione iterum Ioannes 3. testificatus est Iesus diuinitatem. Iam verò *plures discipulos* habebat Iesus, quam Ioannes, & baptizabat per manus discipulorum, & id egrè ferentibus Pharisæis (Ioannes cap. 4.) *reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam.* Et quia oportebat eum transire per Samariam, venit in Ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: ibi mulierem Samaritanam allocutus pro Messia se manifestauit, & manente eo apud Vrbem illam duos dies, *multi crediderunt in eo propter sermonem eius*, quia verè esset Saluator mundi. Post duos dies exijt inde, & abijt in Galilæam, & venit iterum in Cana Galileæ, vbi absentem filium Reguli sanitati restituit, & hoc iterum secundum signum fecit Iesus cum veniisset à Iudæa in Galilæam (Ioannes 4.) Illic, postquam traditus est Ioannes, prædicauit Euangelium regni (Marci primo) siue, vt clarius habet Mathæus cap. 4. *relicta Ciuitate Nazaret, habitauit Capharnaum, & exinde cæpit prædicare &c.* Hæc est apud Euangelistas, ni fallor, germana gestorum Christi narratio, à prima nimirum per baptismum manifestatione ad prædicationis initium; Quæ omnia, ad calcem decimi octaui Tomi in Ioannem Origenes in septem Iesu itinera distribuit. Quamuis autem videatur Christus Dominus, aliquos ante initium prædicationis docuisse, & saltem Discipulos, quos primum in sui sequelam adduxit Nicodemum, Samaritanam, eiusque conciues, qui expressè in eum crediderunt, *propter sermones eius*, attamen nullus Euangelistarũ has vocat prædicationes, cum diligentius animaduertenti videantur hi potius sermones, ante initium prædicationis habiti, eosque in illud tendere, vt se pro Messia, & filio Dei manifestaret, quod etiam ita palam verbis, & prodigijs confirmabat, vt in se credentibus viam Euangelio sterneret, & nouæ legis promulgationi, antequam Regni Cœlorum doctrinam, & pœnitentiæ prædicationẽ auspicaretur. Sapienter enim vt habet Auctor operis imperfecti in Mathæum Homel. 6. *inde prædicationis sua sumpsit initium, quod prædicare consuetus erat Ioannes, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum Cœlorum: non vt conculcet Ioannis doctrinam, sed vt magis confirmet,* postquam prodigijs se pro Dei filio, ac Euangelij auctore detexerat. Pœnitentiã quidem ita prædicauit Ioannes, vt qui baptizarentur ab eo, in aquis etiam confiterentur peccata sua, quod expressè habet Matheus cap. 2. *Baptizabantur in Iordane confitentes peccata sua*, atque ideo Baptismus pœnitentiæ dicebatur. Baptismum vero Christi, non pœnitentiæ dictum fuisse legitur, sed Baptismus spiritus Sancti, quia re vera peccata dimittebat. Erat enim baptismus Ioannis velut via, & præparatio ad Christi baptismum, & qui à Ioanne baptizati erant, ab Apostolis iterum baptizabantur, vt patet ex cap. X. Actorum, & proinde alter ab altero baptismo differebat, vt notat Maldonatus ad cap. 3. Mathæi n. 11. quia Ioannis baptismus, non iam acta pœnitentia, sed vt ageretur: Baptismus Christi, non vt ageretur, sed iam acta pœnitentia conferebatur. Vnde D. Cyrillus in persona Ioannis *Ego præparando lauo aqua inquinatos peccatis, ad initium pœnitentiæ.* Verum autem fuisse Christi, vel Discipulorum Baptismum in Iudæa terra impertitum, Baptizante adhuc Ioanne, videtur ex his, quæ eodem tempore Nicodemum docuit Saluator noster, manifestè conuinci. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei.* Et quamquam aliqui ex Patribus putauerint, Christi baptismum, ante eius mortem, vim non habuisse

buisse expiandi peccata; inter quos nũmerantur Tertullianus, Ammonius, & Chrysostomus, iam quasi errorem esse ita asserere; docet Cornelius ad cap. 3. Ioannis V. 22., & in contrariam prorsus sentẽtiam abijt expressissimè Victor Antiochenus ad cap. 1. Marci; & D. Augustinus tract. 15. in Ioannem. Sicuti ergo baptismus Ioannis via fuit ad Christi baptismum, ita & prædicatio eius ad Dominicam prædicationem. Dominus enim, silente in vinculis Ioanne, prædicare exorsus, *prædicationem, quam prædicauit ille confirmat*, inquit D. Ioannes Chrysostomus, vel vt D. Hieronymus habet ad cap. 4. Matthæi: *Ioanne tradito, recte ipse incipit prædicare. Desinente lege consequenter oritur Euangelium. Si autem prædicat Saluator, quæ Ioannes Baptista ante prædixerat, ostendit, se eiusdem Dei esse filium, cuius ille Propheta sit.* Et quamuis videatur Victor Antiochenus in Euangelio Marci, aliquam animaduertisse differentiam inter prædicationem Ioannis, & Christi, quòd ille ad pœnitentiam disponeret, hic ad regnum inuitaret, & proinde scripserit, *Ioannes quidem dum prædicandi initium in deserto Iudeæ facit, Cœlesti regno pœnitentiam præmittere*, Christũ verò non quidem statim Pœnitentiam agite; Verùm impletum est tempus, appropinquauit enim Regnũ Dei: Omnes tamen sacri expositores in hoc conueniunt, vt in Galilea, & Capharnao prædicationem Dominus Iesus sit exorsus, in loco videlicet, vbi plurimi ex gentibus erant, qui ideo Galilea gentium dicebatur; quemadmodum Gregorius Nissenus videtur sentire ad cap. 15. Cantic. quia locus esset Etnicorum. *Galilæam (qui locus Etnicorum hominum sedes erat) nomen aliquod consequutam ab eo sermone, qui libenter ad gentes commigraturus esset.* Quia verò Capharnaum, maritima Vrbs, posita erat in finibus Zabulon, & Neptalim, adimpletum tunc esse docet Matheus, quod dictum erat per Isaiam prophetam: *Terra Zabulon, & Terra Neptalim, via maris trans Iordanem, Galilea gentium populus, qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione umbra mortis lux orta est eis.* Nec tantum, tunc adimpletam fuisse Isaiæ prædicationem docuit hoc loco Matheus, sed Iesum ideo venisse Capharnaum; & ibi Euangelicam exordiri voluisse prædicationem, vt præcipuè impleretur Isaiæ vaticinium. *Et relicta Ciuitate Nazareth venit, & habitauit Capharnaum, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam.* Hinc facile putarem prædicationis initium, lucisque Euangelicæ exortum his, qui sedebant in tenebris, ab Ecclesia vetustis temporibus recoli consueuisse, non modo quòd inde gentibus Euangelium innotescere cœperit, sed quòd tanquam præcipuum nostræ salutis mysterium prænunciatum fuerit à Propheta, & tanquam singulare quidpiam in Euangelica historia adimpletum fuisse narretur. De loco igitur cœptæ prædicationis constare prorsus videtur. Quo verò anni tempore, quoue die cœperit Christus Dominus prædicare, ex diuina historia non ita liquet, & præter id, quod in vetustis martyrologijs adnotatur, die præcipuus signari nequit; anni verò tempus cum ijsdem congruens satis probabiliter educi posse non despero. Baptizatum fuisse Dominum ante primum Pascha, quo se filium Dei signis, & prodigijs manifestauit, clarè deducitur ex Ioannis Euangelio, & iam supra ostendimus. Attamen non omnibus vetustis Patribus ita placuit. D. Epiphanius Hær. 51., à traditione Occidentalis Ecclesiæ dissentiens, *die Nouembris duodecima, ante sextum Idum Nouembris, hoc est ante sexaginta dies, plena diei aduentus, qua est dies natiuitatis ipsius secundum carnem*, baptizatum esse pronunciauit, addens complementum triginta annorum à Natiuitate accepisse, ea die, qua primum signum fecit in Cana Galileæ; quasi eadem die primi prodigij, ac natiuitatis eiusdem memoria recurreret. A primo autem

mi-

miraculo prędicare cępisse ita subdit. *A primo hoc signo alia signa, & prædicatio, & alia omnia completionis admirandæ ipsius erga homines benignitatis, & Euangelicæ mirąculorum editionis, atque doctrinæ ortæ sunt.* His parum consentanea infra videtur afferre, dum patratum in Cana Galileæ miraculum, tertia prædicationis die signat, nisi interpres malè verterit. *Perfectis enim omnibus circa Baptismum, & circa tentationem suam, statim vbi venisset, & discipulos suscepisset, hoc primum signum fecit, tertia die prædicationis in Cana Galilea.* Et iterum à semetipso dissentire videtur, dum addit, Iesum prædicare cæpisse, postquam rediens à tentatione, duos dies mansisset apud matrem in Nazareth. *Postquam venisset ipse à tentatione, & transisset per mare, & Iordanem, & profectionem ad propria instituisset, digressus eò vbi nutritus erat ad matrem in Nazareth, & duos dies mansisset, de cætero festinans ad hominum salutem prædicationis curam habere incipit.* At sicut D. Epiphanius in die Natiuitatis, & Baptismi (nisi vt infra explicetur,) dissentit ab alijs, ita prædicationem, seu sermones, quos pro sui manifestatione Dominus habuit, non distinguit à prædicatione Euangelij, quam cæpit postquam Ioannes traditus erat. Et quamquam inter cæteros D. Hieronymus ad cap. 1. Ezechielis, Dominici Baptismi diem quintã Ianuarij venerabilem fuisse docuerit, eiusdem tamen rei variæ erant antiquitùs sententiæ, vt testis est vetustus scriptor Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum. Basilidis enim sectatores dicebant præcisum Baptismi tempus fuisse *quintum decimum annum Tiberij, quintum decimum mensis Tubi. Aliqui autem eum esse vndecimum eiusdem mensis.* Equidem mensis Tubi, vel Tybi coincidebat maiori ex parte cum mense nostro Ianuario. Et si enim Ægyptiorum annus vagus, ac instabilis esset, & Plinij ætate decimo octauo Iulij die inchoaretur, Lactantij tamen Firmiani æuo mensis Thoth, qui erat anni illius initium, Septembri nostro respondebat lib. 1. de falsa Relig. c. 6. & vetus Epigrammatarius in fine libri primi Florilegij mensem pariter Tybicum Ianuario concordare supponit, primumque mensem Thoth, cum Romano Septembri conuenire in titulo exprimit, Tybi verò Romani consulatus exordium fuisse, ita per interpretem exprimit.

Tybi vero purpuream consularem vestem pandit.

hoc est, Tybi Ianuario respõdere, mẽsi *scilicet*, quo apud Romanos, Cõsules annũ aperientes magistratum inibant. His consentit S. Epiphanius, dum vndecimam diem Tybi, qua natum esse Dominum putat, quinto Ianuarij congruere non semel docet. Ita pariter in Coptico Calendario retinetur, in cuius specimine apud Bollandum cap. 4. Præfat. Gen: ad acta Sanctorum, vndecima die mensis Tybi hæc verba leguntur. *Baptizatus est Christus in Iordane Apparitionis die.* At si ea vera sunt, quæ de instabili Ægyptiorum anno exhibet Lalamantius lib. 2. de diebus decretorijs, & annus ille Plinij ætate à die 18. Iulij exordiretur, atque fixus & Romanis mensibus accomodatus non fuerit, nisi sub Diocletiano, fortasse Epiphanius ab alijs discedit, & mense Nouembris Dominum Baptizatum putauit, quia sub Tiberio Tybi mensis in Nouembrem nostrum caderet, quod quartus esset mensis ab initio anni Ægyptiorum. Veteres quidẽ Ægyptios ab ortu Caniculæ, qui ætate Ptolæmei in 19. Iulij incidebat, annum inchoasse, & inde in mensibus Ægyptijs, eorumque diebus circa annum Christi 140. insignem differentiam ortum duxisse, quam satis eruditè, & diligenter expendit Federicus Bonauentura ad Ptolemæi libellum de inerrantibus stellis n. 43. Quæ fortasse insignis varietas in D. Epiphanio ambages peperit, dum enim adhuc D. Hieronymi ætate in extrema senecture S. Epiphanius scriberet, potuit aliqua ex Diocletiani correctione,

ne, & fixo iam reddito Ægyptiorum anno notare, & aliqua ex vetuſtioribus excerpere, qui iuxta vagam annorum Ægyptiorum rationem Chriſti Domini geſta narrauerint; ac proinde facile diſſonantias cum Romanis, & Eccleſiæ annis ſignare S. Doctorem potuiſſe fatendum eſt. Cum ergo ex vago Ægyptiorum computo incertus remaneat dies baptiſmi Domini, incertum pariter erit inde rationem temporum inſtituere pro initio Dominicæ prædicationis indagãdo. Nec tamen, etiamſi cum Occidentali Eccleſia, vetuſtiſque patribus libenter ſuſcipiamus Domini baptiſmum in diem quintam, vel ſextã Ianuarij incidiſſe, determinare facile video tempus ad amuſſim, quando poſt Baptiſmum Dominus primùm prædicationem inierit; Vndè alijs grauioribus coniecturis inhærendum mihi eſſe putaui. Quia verò magis Euangelicæ hiſtoriæ conſonũ eſt, non ſtatim à baptiſmo, vel à proſtrato diabolo, prædicationem Dominum incæpiſſe, ſed ſermones tãtùm aliquos habuiſſe, vt ſe, tam verbis, quam prodigijs pro Meſſia, ſiue Dei filio manifeſtaret, alio tempore, & poſtquam in vinculis traditus fuit Ioannes, prædicationem inchoauiſſe, regnumq; Cœlorum, ac pœnitentiam annunciare cæpiſſe, dicendum videtur, quemadmodum à Matheo, Marco, & Ioanne, vt vidimus, non obſcurè elicitur. Cum autem id, non niſi poſtquam Hieroſolymis Paſcha Dominus celebrauit, eſſe potuerit, anno nimirum decimo quinto Tiberij, quo in nonam diem Aprilis Paſcha inciderat ex doctorum virorum ſupputationibus, neceſſe quoque eſt, poſt hanc diem, Domini prædicationem auſpicari. Neque negari poteſt à Paſchatis die ad prædicationis initium aliquod dierum ſpatium interceſſiſſe. Redijt enim Chriſtus Dominus celebrata ſolemnitate in Terram Iudeæ, vbi demorabatur cum diſcipulis, & baptizabat, non dum Ioanne tradito, & inde tranſiens per Samariam, deſcendit in Galilæam, & Capharnaum, vbi cæpit prædicare. Quia tamen ex aliquibus verbis, quæ cum diſcipulis habuit dum in Samaria ſederet ad puteum, videtur colligi poſſe, quale nã anni tẽpus tũc intercurreret, hæc expedit adducere ex Ioãnis cap. 4. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit. Ecce dico vobis leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albę ſunt iam ad meſſem.* Ex prima horum verborum parte plurimi educunt, dicta hæc eſſe Ianuario, vel Februario menſe, quando ad meſſem apud Iudæos præcocem, quatuor adhuc menſes interiacebant. At quia poſt Paſcha Ieroſolymis celebratum, hæc dicta fuiſſe negare illi nequeunt, ideo quæcumque in Samaria geſta ſunt, in ſecundũ annum poſt baptiſmum reijciunt. At præter quamquod non deſunt antiqui, vt Ammonius Alexandrinus in Euang. Armonia, qui primo prædicationis anno Chriſtum Dominum in vrbem Sichar ad mulieris, & aliorum conuerſionem profectum eſſe affirment, anceps admodum fluctuat hìc Origines Tomo 15. c. 3. in Ioannem; & licet in id propondeat, vt oſtendat, *tempus non fuiſſe meſſis, nec exiſtentis, nec proximæ*, & ſecundam partem, *leuate oculos veſtros, &c.* non literalem, ſed tropologicũ tantùm ſenſum recipere; dubium tamen tempus, quo moratus eſt Dominus in Iudæa, & quo diſceſſerit è Samaria, ita relinquere videtur, vt verba eius apponere quamquam longiuſcula pro re noſtra nõ pigeat. *Obſeruandum ìtaque eſt poſt Oeconomiam, quæ facta eſt in Cana Galilea circa mutationem aquæ in vinum, deſcendiſſe dici Dominum Capharnaum, cumq. ipſo matrem eius, & fratres, diſcipulos: vbi manſerunt non multos dies; fuiſſeque in propinquo Paſcha Iudæorum, & Hieroſolymam aſcendiſſe Ieſum: ibique poſtquam ementes, & vendentes de templo eiecit, & Nicodemum erudiuit, veniſſe ipſum, & Diſcipulos eius in terram Iudæam, & illic commoratum fuiſſe cum eis, & baptizaſſe. Quantum igitur tempus ponemus eum in Iudæa conſumpſiſſe, baptizantẽ poſt Paſcha?*

non enim apertè scriptum est: & apparet, eo quod cognouerint Pharisei Iesum plures discipulos facere, & baptizare quam Ioannes, Iesum Iudæam reliquisse, profectumq. in Galilæam, cum oportet eum transire per Samariam, venisse ad fontem Iacob, vbi inquit hæc verba. Nonne vos dicitis, quòd si quis existimet plurimorum mensium tempus consumpsisse Iesum post Pascha in Iudæa baptizantem cum discipulis suis, adeo vt iam instaret tempus, quod erat ante quartum mensem messis; adiungendum est illi, quod duos dies cum mansisset illic apud Samaritanos, post hos exierit in Galilæam: scriptumq. esse, quod (perinde quasi nuper Paschate facto, rebusq. quas ipse egerat Hierosolymis) cum venissent in Galilæam, exceperint illum Galilæi, qui viderant, quæcumq. Hierosolymis fecisset. Quia verò vidit Origenes, planum satis esse, ideo Galilæos Iesum suscepisse, quia recens esset gestorum eius in vrbe Hierosolyma recordatio, quæ non ita post plures menses admirationem, & reuerentiam, iam non nihil obsoleta memoria, refricassent, & ipse interim in eam sententiam propenderet, hæc secundo anno post baptismum accidisse, minori equidem energia subdit. *Probabile est aliquem ad hæc dicturum, nihil obstare, plurimum temporis eum in Iudæa commoratum, uenisse ad fontem Iacob, abeuntem in Galilæam, quando dixit adhuc quatuor menses sunt ad messem, nec quicquam absurdi esse, Galilæos eum excepisse propter ea, quæ præcedentibus mensibus ipse Hierosolymis egisset.* Totus autem capite sequenti in eo positus est Origenes, vt verba illa *leuate oculos uestros, &c.* spirituale dictum esse omnino velit, quod consequentia sint ijs, quæ discipuli protulerant. *Adhuc quatuor menses sunt ad messem.* Verùm si hæc discipulorum verba literalem sensum suscipiunt, cur quæ Iesus subdit, explananda ad literam pariter non sunt? Non me latet D. etiam Cyrillum sentire illud *leuate oculos uestros, &c.* spirituale, quid sapere, & frasim scripturæ esse ad excitandam mentis aciem; sed Iesus non tantùm discipulos hic monet, vt oculos tollant, sed ne de mentis acie sine metaphora locutus esse videatur, addit *Videte regiones*; quod potius in obtutum messis per campos matureſcentis prouocare est, quam in meditationem tantũ spiritualis lucri excitare, quamquam ex segetum per agros matureſcẽtium aspectu discipulos in animarum aduenientium salutem prouocare voluisse cum D. Cyrillo crediderim. Arridet qua propter Maldonati, grauis, & eruditi expositoris interpretatio docentis, primam verborum Domini partem, paræmia aliquod vulgatum respicere, contra eos dictum, qui de futuro impatienter soliciti, statim ac seminant, fructum laboris percipere vellent. Contra hos enim probabile est iactatum in vulgus prouerbium *adhuc quatuor menses sunt, & messis uenit*, adhuc nempe esse tempus recogitandi. Hanc interpretationem suadet ratio, quià alioquin sequentia è diametro cum antecedentibus pugnarent; nam si quatuor reuera menses erãt ad messem, Saluator noster prouocare nõ poterat ex dicto ad factum: obijcit enim statim linguæ Apostolorum eorundem oculos, inspecturos albescere iam segetem ad muturitatem. Nec videtur prima pars literaliter suscipienda, quasi re vera quatuor menses essent ad messem, & secũda purè tropologicè, quasi oculis regiones non essent iam albæ ad messem, sed quòd procedentibus ex Vrbe ad Saluatorem ciuibus, iam messis Euangelica parata videretur, quemadmodum communiter verba illa explicantur; At sensum huiusmodi tropologicum putat Maldonatus debere recipere ex vi verborũ metaphoricè prolatorum, quòd sicuti re vera alba erat seges ad messem, & maturitatẽ, ita populi Samariæ iam proximi essent ad credendum, & agnoscendum Dominum, sicuti re vera erant. Quòd verò pars prima respiciat aliquod, vel iactatum in vulgus, vel ab Apostolis communiter dictum, quod tunc verè in-

re

re non esset, verba illa indicare prorsus videntur, *Nonne uos dicitis*; cui alia opponit Dominus *leuate oculos uestros*, quasi tẽpus illud, quod frequenter iactabatur in vulgus, vel alia occasione tanquam distans, & longius communi sermone vsurpabatur, iam initio manifestationis suæ pertrãsierit, atq; oculis contrariũ, & proximũ intelligere statim Apostoli possent. Sanè in verbis Domini paræmia aliquando subesse libenter cum Maldonato suscipio, præsertim quod Syrus interpres id magis ita videatur exprimere. *Nonne dicitis. Post quatuor menses uenit messis?* Sed aliam ad literæ veritatem suscipere interpretationem posse crederem, ei consimillimam, quam Græcorum adagium retinet, *semper Agricolæ in annum nouum diues*. Quemadmodum enim, qui sementem curant, spe pleni, ærumnas interim, & paupertatem solantur copiosæ futuræ messis fiducia, qua sibi diuitias pollicentur, ita dictum frequenter Galileis, siue Apostolis cum vulgo fuerit, toleremus incomoda, quatuor menses à semente ad messem citò excurrunt, & messis venit. In hoc vtiq. sensu non difficile videretur, Redemptorem nostrum, tolerandum esse corporale ieiunium, Apostolis suadere voluisse, quòd spiritualis alimoniæ spes esset in proximo, eò magis, quòd non quatuor menses, vt iactabatur in vulgari sermone, adhuc expectandi essent ad segetum maturitatem, sed iam fruges in montibus ad solem expositæ citiùs flaueſcerent siue albescerent ad messem: & sicut discipuli ad explendam corporalem famem in proximo messuram videbant, ita in aduenientibus Samaritanis, spiritualem segetem, cui Dominus inhiabat, & in quam ipsi proximè mittendi erant, iam propè esse dignoscerẽt, & corporale ieiuniũ promptiùs pro animarum salute discerent tolerare. Non me latet in Hebreorum Calendario quinque, nõ quatuor menses inter sementem, & messem numerari, sed de triticea, ac farrea messe tempus illud acciperem, non de messe hordeacea, quæ præcocior erat, & qua pauperes magis victitabant. Quinque panes hordeaceos obtulerunt Domino pauperes Apostoli, in vilioris alimoniæ argumentum. Hordeacea messis palam ab alia, puta triticea distinguitur cap. 8. Iudith, vbi Manasses mortuus dicitur *in diebus messis hordeaceæ*, distinguitur etiam clariùs, & prçociùs pingitur 2. Regum cap. 21. *Et ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei*. Parabolam verò, siue paræmia à semente ad messem in cap. hoc S. Ioannis agnoscunt S. Chrysostomus, & Theodoretus, vnde obscurrissimi loci non difficilis explicatio mihi videtur emergere. Siue ergo prima, siue secunda interpretatio magis arrideat, nec inconcinna in difficillima litera compareat, maximè quidem vtraq. fauet Martirologio nostro; prædicatio enim Domini cæpta, postquam in Samariæ Vrbe Sichar biduò commoratus est, & in Ciuitatem Capharnaum descendit, tempus ad amussim instantis messis attingeret, quæ in Iudeæ regione in mensem Aprilis exeuntem, vel initium Maij incideret. Pascha siquidem, quod Iesus paulo ante celebrauerat, necesse erat mensem nouarũ frugum attigisse, vt in Exodo habetur præsertim c. 13. Tunc enim segetes hordeaceæ in grana matureſcentes, non dum tamen planè maturæ esse consueuerãt, vt patet Leuit. 23. quod illarum manipulus altera die azymorum offerebatur, tostis primum granis, deinde in farina contusis. In Pentecoste verò post quinquaginta dies, siue mense tertio, qui pro maiori parte Maio respondet, offerebant panes primitiarum ex frugibus iam maturis, & frumentis collectis. Cum ergo tempus designetur in Euangelio, quo fruges nondum maturæ erant, nec detruncatæ, sed quæ tantùm albescebant ad messem, non incongruè Aprilis extremum, vel Maij initium poterant designare. Apud Aegyptios, siquidem, non longè à Palestinis distantes, *peragitur messis mense Maio*, quemadmodum docet Plinius

lib. 18. cap. 18. Calendis ergo Maij, quo die Martyrologium noſtrum initium prædicationis Domini noſtri conſignat, meſſis iam ad maturitatem ita peruenisſe poterat, vt etiàm paulo ante dici poſſet, *leuate oculos veſtros, & videte regiones, quæ albæ ſunt iam ad meſſem.* Vndè mirari ſubijt eos, qui prædicationis dominicę exordium in chronotaxim referunt, primam tantùm partem, ab Apoſtolis prolatã, pro menſura temporis acceperint, ſecundam verò, qua oculis præſentem regionis ſtatum perluſtrandum Apoſtolis præcipitur, non eſſe ad literam ſuſcipiendã ſibi ſuaſerint, & tempus proximæ meſſis in ea deſignatum prætermiſerint. Accedat etiam alia coniectura ex ipſomet cap. Ioannis deducta, quæ quamuis neruosè non vrgeat, ſuadet tamen iam Ver fuiſſe adultum, cum Dominus Ieſus venit in Samariam iuxta prædium Ioſeph. Adnotatur ibi tanquam quid ſingulare, ac proprium, quod Redemptor *fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem, & hora erat quaſi ſexta.* Si enim Februarius tũc menſis fuiſſet, vt recentiones Chronologi ſtatuunt, hora quaſi ſexta, hoc eſt ferè meridiana magni caloris, aut ieiunij vix dici potuiſſet; cum alioquin, non per hyemem, ſed exeunte Aprili, vel inſtante Maio magis id eſſet congruum. In horas æquales apud Iudæos inæqualis dies diuidebatur. Vnde breuiores erant Februario menſe horę diei, vt in meridie, vel hora ſexta præ ieiunio corpora laxata eſſe non potuerint, multoque minus præ calore, cum Februario menſe hyems eſſet, & tempore Dominicæ Paſſionis ad finem Martij menſis Sacri Euangeliſtæ animaduertant adhuc in Iudæa frigus fuiſſe, & tamen ex calore non minùs, quam labore, & itinere laxatum ſediſſe Ieſum, docet S. Chryſoſtomus homel. 30. in Ioannem. *Vides laboris, caloris, & diſcipulos expectandi gratia ſediſſe Ieſum.* Et apertiùs Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Euangel. Ioannis cap. 79. ad verba illa, *hora erat quaſi ſexta, cauſam attulit, cur iuxta fontem Ieſus ſedere voluit. Cum enim ad laborem intentior etiã æſtus diei acceſſerit, non voluptate fontis captus, ſed calore, laboreq. vt homo fatigatus quieſcit.* Ita etiã Theophilactus: *erat enim tempus meridianum. Hora enim inquit, erat quaſi ſexta, atq. ita etiam propter horæ calorem opus habebat refrigerio, & recreatione.* Quæ interpretatio minùs aptè accomodari poteſt hyemali tempori. Accedat, quòd viri religioſiores apud Iudæos, non modo in diebus feſtis, ſed etiam alijs per hebdomadam non prandebant, neque corpus curabãt ante horam diei ſextam, vt pluribus exemplis probat Samuel Petitus var. lect. lib. pr. c. 15. ac propterea niſi per anni tempus acceſſiſſet calor diei, cum itineris labore, non ita inſolens eſſet, horam quaſi ſextam pro matutino prandio adnotare. Collimat etiã in calidiorem iam anni partem ſaltem vernam, quæ poſt Paſcha, ſed ante Pentecoſtem in Euangelica hiſtoria adnotantur de proximo die Feſto Iudæorum cap. 5. Ioannis, quando peracto ſecundo ſigno in Galilæa, Ieſus iterum aſcendit Ieroſolymam, quia *poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum.* Dũ enim digladiantur Sacri interpretes, an fuerit Paſcha, vel Pẽtecoſtes, vel Scenopegia, maior pars, Paſchate iam peracto, Pentecoſtẽ fuiſſe putant, vt Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophil. Euthymius, & plures recentiores, quod tempus omnino menſi Februario accomodari nequit. Ex his ergo omnibus, vel alijs coniecturis aliqui ex Patribus, in ipſis Calendis Maij cum Martyrologio noſtro initium Dominicæ prædicationis incidiſſe ſcripſerunt, vt Rabanus, qui licet in Martyrologio ſuo id præterierit, in Gloſſa tamen ad cap. 4. Matthæi, idem tam diſertè teſtatur, vt eius verba adducere pro re noſtra expediat. *Hæc prædicatio Chriſti in Capharnaũ, coruſcantibus miraculis incepta dicitur, & poſt annum à baptiſmo incepiſſe, vel ſecundum alios incepit Calendis Maij, vt in eodem anno fuerit baptizatus, & ieiunauerit, & aliquantis diebus interpoſitis, quibus fecit, quæ Ioannes ſcripſit, Baptiſta*

ptiſta incarcerato, prædicare cæpit. Floruit Rabanus Maurus tempore Ludouici Pij, & obijt ſub Ludouico iuniore anno Chriſti 856. qui cum alios ſacrarum literarum interpretes adducat exiſtimantes, initium prædicationis incidiſſe in Calendas Maij, iam qui ita ſenſerint ipſo vetuſtiores fuiſſe neceſſe eſt, ac etiam Notkero, & Vuandelberto, qui tempus illud Calendarum Maij pro initio prædicationis adnotarũt, Rabano, vel Synchroni, vel parum iuniores. Quia verò eadem verba ſine Rabani nomine penes me extant ad oram vetuſti hædini codicis Euangelij S.Matthei, fortaſſe excerpta ſunt ex Strabo Fuldenſi ipſius Rabani diſcipulo, qui gloſſas ordinarias nuncupatas, eodem ſæculo concinnauit. Cum autẽ prorſus eadẽ ſint repetere ſuperſedeo, dũ ex omnibus interim patere arbitror, veteres nonnullos Eccleſiæ ſcriptores, & aliquas ſaltem ex occidentalibus Eccleſijs, primæ Dominicæ prædicationis memoriam in ipſis Calẽdis Maij, vel tradidiſſe, vel recoluiſſe, & inſolens non eſſe, vt eadem in ſacris vetuſtioribus faſtis, ita conſignata permanſerint.

In Africa Hierapoli, &c. Iam alibi diximus huius Martyrologij librarium nõ ſemel infeliciter vrbium, & regionum nomina reddere. Plures hoc nomine vrbes Geographis ſunt, nulla in Africa. Hierapolis Meſopotamiæ Edeſſa eſt: an in hac, vel Hierapoli Phrigiæ Philippus agonem perfecerit, ex his, quæ ad Indiculum Apoſtolorum diximus colligi poteſt. De Hierapoli Phrigiæ vult Baronius ad hanc diẽ intelligi verba Chryſoſtomi Homel. in 12. Apoſtolos *Philippus miraculis conſernat Hierapolim*. De Philippo intelligẽda, nõ Iacobo hæc ſunt, cum Iacobus Hierapoli nequaquã paſſus ſit, niſi ibidem vtriuſque ſolemnẽ natalẽ peragi conſueuiſſe aliunde conſtaret. Vetuſtiſſimum fuiſſe SS. Iacobi, & Philippi Feſtum, tam in antiquis Martyrologijs, quã Sacramentarijs his verbis teſtatur Micrologus, *Feſtiuitas SS. Iacobi, & philippi, & omnium Apoſtolorum*, cap. 55. & in antiquo Calendario Romano, quod nuper edidit Fronto, habetur ſub hac die natale Apoſtolorum Philippi, & Iacobi. In Aſia igitur Hierapoli, nõ in Africa legendum eſſet, quemadmodum hoc loco habet Notkerus, dum geſta Philippi ſuo more ſtrictim colligit. *Apud Hierapolim Aſiæ Ciuitatẽ dormiuit, &c.* vt etiã legit Vſuardus; niſi reſtituendum potius librarij tranſponentis errorẽ ſequentia ſuaderent, & legendum. *Hierapoli Natalis Sancti Philippi, & Iacobi. In Africa Quintiani, &c.* Probabilis equidem emendatio videretur, niſi certã redderet Vetuſtiſſimum Antuerpienſe, quod in Africa Quintianum, & ſocios diſertè reponit. Idem error emendandus in Corbeienſi, in quo martyres illi Hierapoli tribuuntur, & non Africæ, ſed Aſiæ. Cum autem hoc ipſo die celebris vbiq. ſit S.Iacobi memoria, ſeiungendus ab Africanis martyribus videtur, & vel remouendum Hierapolis ſuperadditum nomen, vt monet M. Vetuſtiſſimum, vel addendum, & *alibi* Iacobi. Sin verò antiquitus ad hanc diem memoria agebatur Philippi, & Iacobi filij Mariæ ſororis Matris Domini, vt habent Beda editus, & Ado: Apoſtoli quidem ambo dici poſſent, ſed extra numerum duodenariũ, vt diximus ad eorum Indiculum. Polycrates equidẽ apud Euſebium lib. 3. c. 31. vnum ex duodecim Apoſtolis Philippũ fuiſſe aſſerit, qui Hierapoli obierit, idq. apud eundem Euſebium lib. 5. cap. 24. repetitur tanquam claris verbis ſcriptum à Polycrate in Epiſtola ad Victorẽ ex nouiſſima Valleſij interpretatione (quidquid Chriſtophorſonus minùs aptè verterit.) *Philippus ſcilicet vnus ex duodecim*

eim Apoſtolis, qui mortuus eſt Hierapoli, & duæ eius filiæ, quæ Virgines conſenuerunt; alia quoque eiuſdem filia, quæ Spiritu Sancto afflata vixit, & Epheſi requieſcit. Vndè Philippus Apoſtolus malè paſſim cum Philippo Diacono confunditur, vt idem Valeſius in Annotationibus docet, & nos alibi animaduertimus. Iacobum fratrem Domini poſt Philippum recolit Rabanus, & eius martyrium deſcribit.

Et alibi Apollonÿ, & Euphemi. Neque locus Martyrij exprimitur in noſtris codicibus, neque alijs martyrologijs indicatos binos hos martyres inuenio, præterquam in Antuerpienſe, & Corbeienſe. Quorum primum huius diei ſacros faſtos ita refert. *Kal. Maÿ Nat. Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi. In Affrica Quintiani, Eleutheri, Gagi, Alexandri, Saturnini, & alibi Apolloni, Eufemi, & Interamne militum xxiÿ. Proculi, Feliſti, Agapiti, & militum xxxiiÿ, & Natale Mattei, & Iacobi Apoſtolorum, Quintiani Hieroſol. Natal. Iudæ, ſiue Cyriaci Epiſcopi Emerita Ciuitate Natalis Saturnina, Auſi Ciuitate in Gallia Natal. Sorentis Epiſcopi, Antiſiodoro Ciuitate Amatoris Epiſcopi, Monaſterio Agaune Sancti Sigiſmundi Regis, Becora Ciuitate Sancti Iuſtini.* Corbeienſe verò ita in integro laterculo proſtat. *Kal. Maÿ. Initium prædicationis Domini Noſtri IESV Chriſti. In Aſia Hierapoli, Natalis Sanctorũ Philippi Apoſtoli, & Iacobi, Quintiani, Heleotheri, Gai, Alexandri, Saturnini. Et alibi Apollonÿ, Euphemÿ. Interamna, Milliario Sexageſimo Quarto Proculi, Peleſti, Agapiti, & militum triginta trium, & Natalis Matthæi, & Iacobi Apoſtolorum. In Oriente Quintini. In Hieruſolyma Natalis S. Iudæ, ſiue Quiriaci Epiſcopi. Emerita, Natalis Sancti Saturnini. In Toloſa Natalis Orientis Epiſcopi. Antiſiodoro depoſitio Sancti Amatoris Epiſcopi. Bigorra Ciuitate, depoſitio Sancti Iuſtini Epiſcopi, Magni, Iſici, Phoci. Ambianis Ciuitate Natalis Sanctorum Agÿ, & Acioli Martyrum. Aganno Paſſio S. Sigiſmundi Regis.*

Interamna mil. lxiiii. Codices noſtros hìc fateri expedit interpolatos, & non nihil deprauatos. Antiquarius demore ad oram veruſtioris libri addiderat tranſitum S. Marculphi, & librarius additionem in laterculũ intruſit, & à loco paſſionis Proculum cum ſocijs remouit. Veruſtiſſimum Antuerpiẽſe vitio pariter laborare ſuſpicor, dum milites anonymos bis repetit. Corbeienſe modum emendationis ſuppeditat, vt primo loco in Antuerpienſi legendum ſit. *Interamna milliario lxiiii. Proculi, &c.* reponendo ſcilicet numeralem notam vnius ad millariorum menſuram, & reliquendo in anonymis militibus numerum xxxiij., vt conſtanter cum Corbeienſe retinent bini codices noſtri. Diſtantiam vrbis Interamnenſis ab Vrbe Romana animaduertimus, & plures ſub Proculi nomine Martyres, & Epiſcopos Interamne veneratos habet Ferrarius in Cathalogo Sãctorum Italiæ, ſed nullum ſub hac die profert, neq. Peleſtum, neque Agapitum, neque anonymos milites; tam de his, quam de Africanis adductis martyribus ſilent alia monumenta: alium Proculum, cùm alijs ſocijs Interamnę tributum vidimus 7. Cal. Maij.

In Gallia Nanti Monaſterio. S. Marculphum Abbatem Nanti Monaſterio obijſſe neminem è Galliæ ſcriptoribus adnotare inuenio. Molanus in additionibus ita de eo. *In pago Laudunẽſi S. Marculphi Confeſſoris.* De eo tamen agit hac eadem die Sauſſayus, & obijſſe refert in Inſula minoris Britanniæ, eiusque oſſa ob incurſus Normanicos translata eſſe in Galliam interiorem, & Medurtie poſita. Ipſius meritis addit Reges Chriſtianiſſimos acceptum referre munus ſanãdi ſcrophulas, ac proinde regnum auſpicantes Sancti Prẹsbyteri, & Abbatis ſacram ædem inuiſere in Remenſi agro poſt acceptam vntionem: Remis tamen S. Marculphi celebritatem peragi notat die ſequenti. Floruit ſub Childeberto 1.

Na-

Natalis Matthæi, & Iacobi Apostolorũ. Difficile non est hac die præter Philippũ, & Iacobum superius memoratos, alios etiam Apostolos venerari, cum iam ex Menologio dictum sit, omnibus Apostolis diem hunc fuisse dicatum; & cum duo Iacobi Apostoli recolantur, & primus ex pluribus Martyrologijs frater Domini sit, restat vt qui secundo loco cum Mattheo recolitur Iacobus Alphæi dicatur, cum Iacobus frater Ioannis alibi expressè memoretur. Cur verò cũ Mattheo iungatur, tam in codicibus nostris, quam Corbeiensi, & vetustissimo Antuerpiensi, nisi aliqua communis translatio eorum cultui diem sacrauerit, vetus fortasse Ecclesia eos noluit disiungere, quòd fratres germani fuerint, & filij Alphæi, vt ad Indiculũ Apostolorum diximus ex D. Ioanne Chrysostomo, & Menologio Basilij.

In Oriente Quintini. Ita etiam legit M. Corbeiense, Antuerpiense vero retinet *Quintiani*, nullo indicato agonis loco.

In Hierosolyma Natalis S. Iudæ. Iudam fuisse nomine, qui Constantini tempore Sãctæ Crucis signum reuelauit, & appellatum inde Quiriacum, probatur ex his, quæ habet Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. c. 34. dum inquit. *Huius tempore Venerabile Crucis Dominicæ lignum per studium Helenæ Matris repertum est, prodente Iuda Hebreo, qui post Baptismum Quiriacus est nominatus.* Episcopum hunc deinde fuisse omnes concedunt, & Martyrologium nostrum cum Antuerpiense, Corbeiense, & ms. Reginæ Suecix consentiũt. In hoc ita legitur *Hierosolyma Natalis Sancti Iudæ Episcopi, qui cognominatus est Quiriacus.* Rabanus consimilia tradit his verbis. *In Hierosolyma passio S. Iudæ siue Quiriaci Episcopi, cui reuelatum est lignum Dominicæ Crucis.* Hierosolymitanum fuisse Episcopum negat Baronius in adnot. & cũ eo Anconitanum asserit Vghellius Abbas amicus noster Tomo 1. Ital. Sacræ, & inter Anconitanos Præsules recenset, cui litem non moueo, nec ab alijs motam, dirimo. Hierosolymitanũ Episcopum disertè tradit Petrus de Natal. lib. 4. c. 117. & cap. 120., quidquid ex eodem Petro educere aliqui apud eundem Vghellium conentur. Vsuardus 4. Non. Maij Hierosolymis Martyrium fecisse narrat, & Episcopum fuisse. *Hierosolymis passio S. Quiriaci Episcopi sub Iuliano Imperatore*, quod totidem verbis repetit Bellinus de Padua. Ado tantùm vocat Episcopum, & martyrem glorioſum. Galesinus in Notis Martyrologij ad eundem diem quarto Nonas, Episcopum Anconitanum ex Tabulis illius Ecclesiæ confirmat, & Annam matrem cum Ammonio socio coronam simul suscipisse narrat Hierosolymis, quemadmodum notat etiam Maurolycus. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, non modo Episcopum Hierosolymis fuisse docet, sed ita in Actis S. Cyriaci in Ecclesia Anconitana retineri affirmat, quæ ideo censura indigere æstimat, quòd sub Iuliano Apostata S. Cyrillus, & per plures annos, Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerit, non Cyriacus, qui falsò etiam Patriarcha Hierosolymitanus dicitur, nõ dum in Patriarchalem Ecclesia illa erecta. Iudam, qui & Cyriacus post baptismum vocabatur, fuisse Episcopum omnes fatentur. Hierosolymitanam non rexisse Ecclesiam libenter etiam concederem, ineluctabili argumento, quod S. Cyrillus tempore Iuliani Apostatæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ ad longum tempus sedem tenuerit. Adderem, quod in Catalogo Nicephori Constantinopolitani, postquam Christiani fuerunt Imperatores, & post Macarium, qui in Synodo fuit, & cathedram illam administrauit annos xx., nullus nomine Iudas, aut Quiriacus, seu Cyriacus cõparet, sed Macario Maximus per annos sex, huic Cyrillus per annos 62. & Ioannes per 16. successerunt, quamquam expulso Cyrillo ab Arrianis, Pseudo Episcopi tres interim numerentur, Arsenius, siue Erennius, Heraclius, & Hilarius. Nihil autẽ vetare video, quòd Iudas Episcopus esse potuerit in aliqua

Vrbe

Vrbe Hierosolymitanæ regionis, seu Palestinæ, quorũ plurimi numerantur apud Gelasium Cyzicenum lib.2.Concilij Nicæni. Vereor etiam, ne Iudas, seu Quiriacus Episcopus, qui in vetustioribus Martyrologijs Kalẽdis Maij veneratur, cum alio Cyriaco fortasse Anconitano, siue Episcopo illius Vrbis, seu per sacri corporis translationem indigena,confusus sit: id tamen affirmare non auderẽ. Eundem esse, qui Kalendis Maij, & qui 4. Nonas Maij recolebatur, asserit Notkerus,dum quarto nonas longius Acta S. Quiriaci Episcopi & Martyris, Annæ matris,& Ammonis Serpentarij, siue venefici prosequitur; & de die eius veneration dicato, ita in fine scribit. *Dies Passionis eius secundum alios hic, secundũ Martyrologium verò S. Hieronymi Calendis Maij celebris habetur*. Nihil habet Notkerus de Anconitana Cathedra, imò deceptus fortasse ex Epistola Eusebij Papæ infra examinanda de Quiriaco Episcopo inquit. *A B. Eusebio Romanæ Vrbis Episcopo Hierosolymorum est Antistes ordinatus*. Græci S. Cyriacum recolunt die 28.Octobris, nulla Episcopalis dignitatis addita his verbis memoria in Menologio Canisij. *S.Martyris Cyriaci, qui manifestauit pracioſam Crucẽ Domini sub imperio Constantini Magni, & Helenæ matris*. In menologio verò Basilij V. Cal. Nouembris signatur. *Certamen S. Sacro martyris Cyriaci, qui pretiosam Domini Crucem Helena monstranit*. Expressè verò dicitur *Hierosolymorum Episcopum* declaratum sub Iuliano Apostata, Hierosolymis multa passum in aenum iectum, & lancea confossum martyrio consumptum fuisse. Nil ibi de Anna matre, & Ammonio venefico.

Emeritæ Nat. S. Saturnini. Lusitaniæ Vrbs Augusta Emerita olim dicebatur, & Emerita tantùm Ptolemeo, Straboni, Plinio, & Melæ. Huius vrbis martyr Saturninus est in codicibus nostris,& Corbeiensi: in Vetustissimo verò M. potius Saturnina dicitur, quæ cum aliundè mihi non compareat, à codicibus nostris non discedo.

In Tolosa Seriẽti Episcopi. Orientium legit, non Serientium Corbeiense Martyr. quemadmodum & Adonis additamentum. *Tolosæ Natalis S.Orientis Episcopi*. Vetustissimum Antuerpiense Sorentem exhibet Episcopum non Tolosæ, sed Ausi Ciuitate in Gallia: consentiunt in Orientium Episcopum, non apud Tolosates, sed apud Ciuitatem Auscium Vsuardus, M. Romanum, Galesinus,& corrupto nomine apud Ausitam Maurolycius. Orientium apud Ciuitatem Ausium legit Bellinus. Augustæ Auscorũ, quæ Ptolemeo est Galliæ Aquitanicæ Vrbs, Auchz recentioribus, Orientium Archiepiscopum, & Confessorem ad hãc diem Cal. Maii refert Saussayus, cuius vitam percurrit glorioso fine cumulatam anno ix. Siricj Papæ. Quid verò de Oriẽtio Tolosarum Episcopo,dicendum erit? facilè mendum nominis Serientis, & Orientis admicti posset, sed quid Tolosæ, cui nostri bini codices, cum M. Corbeiensi, & Additamento Adonis suffragãtur, cum Auscijs, seu Auscio? Videant qui Galliam Sacrã diligentius prosequuntur cũ nihil Saussayus de Orientio Tolosano proferat, neq; Sammarthani fratres in Gallia Christiana.Fortasse eiusdem S. Orientis Auxitani celebris erat Tolosæ memoria, cum Olymbrium Tolosæ Regem ab Imperatore Maximo bello petitum tutatus est, & Tholosanis prodigiosè victoriam peperit, vt in vita eius legitur, quam nuper edidit Lebbeus tomo 2. Biblioth.p.596. Plura etiam de Orientio Auscience Episcopo ijdem Sammarthani, qui quintum illius sedis Episcopum docent. Nos in Gallici antiquarij additamento, non amplius immoramur.

Antisiodoro depos. S. Amatoris Episc. De hoc S. Episcopo agit Romanum M. vbi plura Baronius ex Vsuardo, Adone, & alijs,quẽ vixisse tẽporibusHonorij Imperatoris, & obijsse anno Dom. 427. docet. Eundem hac die veneratur Vetussimum,& Corbeiense MM., Maurolycus, Galesinius, Bellinus, & Saussayus, qui vitam

vitam eius prosequitur hac eãdem die. Meminit Hagiologium Franco Galliæ Labbei ex antiquo Martyrologio Bituricensi: eius vitam exhibet Surius tomo 5. & de eo aliqua habet in vita S. Germani Episcopi, sicut adducti Sammarthani, & Hist. Episc. Autissiod. cap. 6.

Acauno Passio S. Sigismundi Regis, Seduni in Gallia S. Regis memoriam recolit Martyrologium Romanum, vbi plura de eo Baronius ex Beda, Vsuardo, Adone, & alijs. Saussayus compendiosè eius acta exhibet, & in Agro Aurelianensi eiusdẽ Natalem diem refert, quamquam corpus Pragam sub Carolo IV. Imperatore translatum doceat. Adductum Franco Galliæ Hagiologium Labbei, ita de eo. *Ciuitate Senonensi Natalis S. Sigismundi Regis*. Agaunum nomen esse Monasterij docet M. Vetustissimũ Antuerpiense, & locum in Gallia territorio Sidunensi Ado, & Notkerus, qui S. Regem vocat Sigmundum filium Gundeuvaldi, Regis Burgundionum, & eius mortem passionẽ dixit, quemadmodum etiam Passio S. Sigismũdi dicitur apud Rabanum, & in ms. martyrologio S. Sabini de Leuitania in Pyrineis, & quod maius est in Romano emendato M. Sed Notkerus adhuc suo tempore miraculis eius reliquias coruscare addit, & quod Saussayum video aufugisse, præcipuè nimium frigescentibus opitulari ita refert. *Adeo vt frigoretici ab eo quasi specialem expetere soliti sint medicinam, & fideliter expetentes nequaquã prinentur eadem*. Sanctè occubuit ex Adone in Chron. anno 492. vel vt Sigiberto placuit anno sal. 515. Bellinus die sequenti exhibet Ciuitate Seduriæ passionem S. Sigismundi martyris Regis Burgundionũ. Calend. nostrum Hædinũ ms. Lvcens. pariter die xi. habet *Sigismundi M.* Ex Gregorio Turonensi aliqua de eo habet Surius tomo 5.

Begorra Ciuitate S. Iusti Episcopi. Iustinum non Iustum vocant M. Vetustissimum Antuerpiense, & Corbeiense, in quo additur, vel magni titulus, vel Magnus socius cum Isicio, & Phocio, alijs Hagiologijs prorsus ignotus. Saussayũ ferè aufugit, cũ in supplemẽto martyrologij S. Iustũ Confessorẽ talentorũ gratiæ multiplicatione gloriosũ depositũ hac die fuisse innuit in Castro Begorræ, quod & Tarba ad Atyrũ Fluuiũ in Nouempopulonia dicitur; Episcopũ vero fuisse tacet.

VI. Nonas Madij.

Cælestini. Felicis. Cetici. Vrbani. Bellaci. Priuate. In Alexandria Saturnini cum Neopoli socio suo. In Arminia Ciuitate Militana Hilpidi, & Hermogeni. In Alexandria Germani. Celestini. Sanctine. *Autisiodoro translatio corporum Sanctorum Confessorum Optati Episcopi. Memori presbiteris. & Sanciani presbiteri.*

MAII 2.

IN admonitione de Romano martyrologio diximus Vetustius hoc Romani M. titulo exuendum non esse, quod sæpe sine regionis, aut vrbis nomine martyres aliquos Romanos recolat, quasi in Romanæ Ecclesiæ codice subintelligendum nomen Vrbis veniat. Ita in huius laterculi capite videtur constare, dum præter codices nostros, tam vetustissimum Antuerpiense, quam Corbeiense Martyrologiũ sacros aliquos pugiles recensent sine vrbis, aut regionis titulo, qui ab alijs Romæ tribuuntur, præsertim

à Romano emendato M., in quo legitur *Romæ SS. Martyr. Saturnini, Neopoli, Germani, & Cæleſtini, qui multa paſſi in carcerem demum conieĉti ibi in Dominum quieuerunt*. Addit Baronius vir ſummus in Notis. Agunt de his item hac die Beda, Vſuardus, Ado, & alij recentiores. At ex his, apud Vſuardum, Bedam, & Adonem, tantummodo Saturninum, & Neopolium, ita inuenire licuit, *eodem die SS. Saturnini, & Neopoli, qui in carcere quieuerunt*. Nec amplius vidi apud Maurolycum, & Bellinum. Quapropter ex recentioribus non niſi Galeſinium reperio, Romanis primis martyribus Saturnino, Neopolio, Germanum, & Cæleſtinum addere, vt in notationibus ſcribit, *ex codice mſ.*, vnde oculatiſsimus etiã Baronius excerpſit. At in Corbeiĉſi & Notkeri M. & codicibus noſtris primi duo Saturninus, & Neopolius, nõ Romæ, ſed Alexandriæ tribuuntur: Saturninus, verò tantùm in Antuerpienſi M.: quod cum Neopolium non proferat, ſed plures prius martyres non indicato paſſionis loco referat, Romæ fortaſſe tributos, ita in claſſem huius diei dirigit. *VI. Nonas Maij. Germani, Cæleſtini, Felicis, Cetini, Vrbani, Bellici, Priuati. In Alexãdria Saturnini, in Armenia Ciuitate Militana Helpedi, & Hermogeni, Eupolitis. Item in Alexandria Germani, Cæleſtini, Scantina. Altiodoro translatio Sanĉtorum Confeſſorum Optati Epiſcopi, Memmori presbiteri, & Ani presbiteri*. Parum, aut nihil diſtat Vetuſtiſsimũ hoc à Corbeiĉſi, quod ita ſe habet. *VI. Non. Madij. Germani, Cæleſtini, Felicis, Cetini, Vrbani, Hellaci, Priuati. In Alexandria Saturnini cum Eopoli ſocio ſuo. In Armenia Ciuitate Militana, Helpidij, & Hermogenis, Lupi. In Alexandria Germani, Cæleſtini, Sanĉtini. Antiſiodoro, Translatio corporũ Sanĉtorum Confeſſorum Optati Epiſcopi, Memorij presbyteri, Sanĉtini presbyteri*. Germanum primæ claſſis anteſignanum codices noſtri non exhibent, forte quia incautus librarius videns eiuſdem nominis martyrem in ſecundo Alexandrinorum ordine, reſecauit in primo. Pro Cetino, vel Cettino Ceticum habent, & cum Antuerpienſi pro Priuato Priuatã. Idem Vetuſtiſſimum mutilum eſt in ſocio Saturnini Eopolo, ſiue Heopolo. Horum ita meminit Notkerus. *In Alexandria Saturnini, & Neopolis, qui in carcere requieuerunt*. Fortaſſe etiam primis ſæculis recẽſebatur S. Milex Romanus martyr, cuius memoria extat in Cœmeterio a Boſio inuento via Portuenſi. Paſſus enim in ſepulcrali Epigraphe dicitur, IV. Nonas Maij, & ex picturis illius dudum ignorati cœmeteri celebrem in Eccleſia Romana fuiſſe dignoſcitur. Videndus pro hac ré Aringhius lib. 2. c. 22. Romæ ſubterr. num. 6.

In Armenia Ciuitate Melitana. Siue Melitene, ſiue Melitine legatur, nomen tam Regionis, quam Vrbis Armeniæ minoris eſt Geographis, & Vrbs Archiepiſcopalis. Hìc prò Vrbe apud Euphratem fluuium accipi exiſtimarem. Codices noſtri binos tantùm martyres in hac Vrbe recẽſent Helpidium, & Hermogenem. Antuerpienſe martyrologiũ addit Eupolitem, quem Corbeienſe magna nominis diſſonantia Lupum vocat. Hos alibi memoratos inuenire nõ licuit.

In Alexandria Germani. Antuerpienſe Martyrologiũ ab alia claſſe Alexandrinorum hos ſacros pugiles ſeiungens legit. *Item Alexandriæ*, & pro Sanctino, vel Sanctina tertio loco retinet *Scantinæ*.

Antiſiodoro. Idem vetuſtiſſimum M. pro Autiſiodoro, vel Autiſſiodoro, minus appoſitè profert *Altiodoro*; forte breuiato nomine Altiſiodori, vt ſcribitur in veteribus Concilijs. Hanc eandem S. Optati presbyteri translationem, præter Antuerpienſe, & Corbeienſe adducta iam MM., indicat Hagiologium vetus FrancoGalliæ Lebbei, his verbis. *VI. non. Autiſſiodoro translatio SS. Confeſſorũ Optadij Epiſcopi, Nemorij presbyteri, & Sãctiani presbyteri*. Optatus S. Epiſcopus dicitur nõ Optadius, & Memorius non Nemorius presbyter in Hiſt. Epiſcoporũ

Autiſ-

Antissiodorensium cap. 14. In hac legitur S.Episcopum floruisse tempore Vigilij Papæ, & cum Sanctis presbyteris suis mortalem vitam exuisse prid. Cal. Septembris. *Postmodum verò labentibus annis translata esse eorum sacra corpora ad Ecclesiam B. Germani, tam solemniter vt in omnibus martyrologijs, & maximè vetustis dies translationis eorum insertus habeatur 6. Nonas mensis Maij.* Emendandum quapropter in Saussayo tempus translationis repositum in die 2. Martij pro die 2.Maij,& adnotata depositio pridie Cal.Decembris,reponenda in pridie Cal.Septembris, quemadmodum præter iam adducta, constanter retinēt Vetustissimũ M. Corbeiense, & vetustius nostrũ MM. vt ibi adnotauimus, & exhibent Sammarthani Tomo 2. Gall.Christianæ, penes quos XIV. Episcopus signatur, nullo Sanctitatis superaddito titulo. An verò prostremus ex Sanctis præsbiteris socijs dicendus sit Anius, vel Sanctinus, vel Sancianus adhuc delibero. In Vetustissimo legitur *Ani Presbiteri*,in codicibus nostris ita breuiatum scribitur, vt legi possit Sancti Ani. Neque negarem facilè etiam ex addito Sancti titulo,Sanctinum conflari potuisse.

V. Nonas Madij.

IN Ierosolyma Inuentio S.Crucis Domini Nostri IESV Christi ab Helena, post Passionem Domini Ann. CCXXXIIJ. regnante Costantino Imperatore. Provintia Asiæ in luminata Ciuitate Natalis S. Hermogenis de Antiquis. Romæ Natalis Ebenti. Alexandri. Theodoli. Fortunati. Natalis Arboni. In Africa Mariani. Saturnini. Rufinæ. Fortunionis. Fortunati. *Antissiodoro depositio, & translatio corporum Sanctorum Confessorum Eusebi presbyteri, & Auiti Diaconi.*

MAII 3.

CElebritatẽ Inuentæ Dominicæ Crucis Græci non referunt hac die; quòd, vt Baronius doctissimus notat, inter mobilia festa apud illos numeraretur. Penès latinos equidem præter ea, quæ adducit idem Baronius, antiquam fuisse solemnitatem,alia plura suadent. Fronto ad antiquum Calendarium suum, quia in eo non memoratur,putat non nisi post annum 720. indictum esse in Ecclesia latina. Pamelius è contra vetustam celebritatem putat ex Micrologi cap.55, vbi legitur. *Eusebius Papa, à B.Petro trigesimus secundus, constituit, vt omnes Christiani Inuentionem S.Crucis V.Non. Maij solemniter celebrarent.* Consimilia habet Luitprandus de Vitis Pontif. in Eusebio, & in eius epistola scripta ad vniuersos Episcopos Campaniæ, & Thusciæ continetur, quòd *solemniter celebrari præcepit festum Inuentionis S.Crucis, quæ suis temporibus V. Non. Maij inuenta est.* Damasus, seu auctor libri Pontificalis, inuentam quidem sub Eusebio Pontifice Crucem Domini, non verò festum indictum,narrat. Sanè extat epistola ad Episcopos Thusciæ,ac Campaniæ sub nomine Eusebij inter decretales, & tomo 1. Conc., in qua præcipitur, festum hoc solemniter celebrari V. Non.Maij; & refertur de Consecr. dist.2. *Crucis Domin.* Surreptitiam tamen Surius existimauit in notis marginalibus, cui pluribus ratio-

tionibus adhæserunt Baronius, & Gretzerus, à Binio relati in notis ad eandem epistolam; à pluribus tamen receptam vti genuinam negari nequit. Rationes præcipuè, vt explodatur, sunt; quòd in Pontificatu Eusebij, Constantinus nondum Christianus fuerit, & Helena mater post ipsum ad fidem venerit. Deinde, quòd post Nicenum Concilium id euenerit, & non V. Non. Maij, sed die xiv. Septembris, vt ex Patribus educit Paulinus in epist. ad Seuerum, & plures alij ex vetustioribus idem docent. At siue id sub Eusebio, siue alio Pontifice acciderit temporibus Constantini, valde probabile est, ab iisdem temporibus festum huiusmodi in Ecclesia institutum esse. Extat cum officio indicatum, tum in Sacramentario Gregorij, tum in lectionario, seu libro Comitis D. Hieronymo ascripto, tum in vetustioribus huc vsq; editis martyrologijs Bedæ, Vsuardi, Rabani, Adonis, Notkeri, Vuandelberti. Bini nostri codices idem retinent, sicuti M. Corbeiense, & ms. Reginæ Sueciæ, quæ hìc de more apponimus. Fatemur tamen in vetustissimo Antuerpiense nullam huius celebritatis memoriã prostare, neq. V. Nonas Maij, neq. xviij. Cal. Octobris, sed nescio, qua instituti ratione ij. Nonas Maij, his verbis, *Inuentio Sãcta Crucis Domini*. Corbeiense verò M. ita huius diei celebritates describit. *V. Non. Maij Hierusolyma Inuentio S. Crucis Domini nostri IESV Christi ab Helena Regina, post passionem Domini Anno ducẽtesimo trigesimo tertio regnante Constantino Imperatore, illuminata Ciuitas, & Natalis Sancti Hermogenis. Roma Natalis Sancti Euentij, Alexandri, Theodoli, Fortunati, Natalis Arboni. In Affrica Mariani, Saturnini, Rufina, Fortunionis, Fortunati. Antisiodoro translatio sanctorũ Confessorum Eusebij presbyteri, Auiti Diaconi.* Ex hoc eodem, vel consimile martyrologio Ioannes de Launoy in discussione de duobus Dionysijs p. 126. hæc verba adducit *Inuentio S. Crucis ab Helena Regina post passionem Domini anno ducentesimo trigesimo tertio, regnante Cõstantino Imperatore.* Ex Corbeiensi Bibliotheca sub Eusebij nomine martyrologium pervetustum produxerat Molletus, negauerat de Launoy, Eusebij illud esse, quòd Eusebius non tam fœdè errasset in annis, cum Dominica Crux inuẽta fuerit ad annum 326. & Constantinus imperare cæperit anno 306. Sed annorũ errorem nostris, & alijs codicibus communem, inferius emendare conabimur, dum interim martyrologia plurima vetustiora meminisse huius festi animaduertimus. Extat etiam in pervetusto, & ms. Hagiologio nostro sub nomine Eusebij historia Inuentionis S. Crucis ad hunc eundem diem. Continet autẽ narrationem eo prorsus modo, & ijsdem ferè verbis, vt apud Russinum legitur, sed prodigiosa Constantinopolitanæ Vrbis designatio à Constantino per Angelum ducem diffusè præmittitur; quod initio miratus sum, & quomodo ab Inuentione viuificę Crucis actio disiuncta eidẽ præfigeretur nesciebam, donec me fatti Cõsulares Idatiani monuerint non longè ab hac die, nempe V. Idus Maij, seu octaua die post Crucis inuentionem à pijssimo Constantino constructam vrbem fuisse dedicatam. Hæc ex græco aliquo codice suppositio Eusebij nomine fluxisse demõstrant, quæ in fine eiusdem narrationis adduntur. Ms. Reginæ Sueciæ, ita habet. V. Non. *Hierosolymis inuentio sacrosãctæ Crucis Dominicæ ab Helena Regina anno cccxxxv. sub Constantino Imperatore.* In omnibus ferè martyrologijs error in annorum numero irrepsit, hoc est in numerali nota. Plura enim habent signatum annum post Dominicam passionem ccxxxiij. ita Rabanus, Notkerus, ita M. Corbeiense, quod in varijs lectionibus mss. Dufresnij numeralẽ notam præfert, licet tam de Launoy, quam Dacherius expressis nominibus annorum numerum ediderint. Ita & bini nostri codices mss. retinent. Eusebius in Chronico statim post Nicenam Synodum sub anno xvi. Constantini, & 324 Domini, atq; ita in

editione

editione Basilienſi Sichardi inuentionem Crucis repoſuit. *Helena Conſtantini Mater diuinis monita viſionibus, beatiſſimum Crucis ſignum, in quo mundi ſalus pependit apud Hieroſolymam reperit.* Negat Scaliger caluinianus odio Crucis inanimaduerſionibus ad Euſebium, adducta verba eſſe chronologi, ſed in omnibus editionibus producta eſſe totidem verbis ex Rufino lib. 1. c. 8. Hiſt. Eccl. idq. nullum omnium ſcriptorum codicē habere, ac proinde quia, neq. Euſebii, neq. Hieronymi putauit eſſe, perduellis cenſor non admiſit. Hunc refellit optimo iure Gretſerus. Addimus ante ſexcentos annos id viſum Hermanno contracto, & in ſuum chronicon tranſpoſitum. Cum verò referantur ſtatim poſt Conciliū Nicenum, & antequam Conſtantinus filius Conſtantini Cæſar factus fuerit, ſi ſequēda eſſet, vti proſtat, emendatior Scaligeriana editio, caderet inuentio Crucis in vacuum annū Domini cccxxiij. nec alius eſſet error veteriſſimi librarij, niſi quod numeralem litteram C. mutauerit in X. ſed alio etiam modo erraſſet Antiquarius, qui hoc inuentæ Crucis monumentum in Hieronymianum martyrologium indidit; dum annos à paſſione numerauit, qui erant iuxta Euſebium à Natiuitate computandi. Inuentæ Crucis diem ſub Helena Regina non fuiſſe v. cal. Maij, ſed in Autumno, & x iv. menſis Septembris, ex Andrea Cretenſe educit Gretſenus de Cruce, lib. 1. cap. 62. & cum Baronio putat, anno proximè ſequēti à Nicæno Concilio, id eueniſſe, anno ſcilicet reparatæ ſalutis cccxxvi. Quibus ſi magis adhærēdum lector cordatus putauerit, mendum noſtrorum codicum eſſet ita emendandum, vt ex tribus vnitatis numeralibus notis, nempe iij. conflatus ſextus numerus eſſet hac pacto vj. & facilis lapſus ita etiam facile componeretur. Si quis plura de hac S. Crucis celebritate deſiderat, adeat iam dictum eruditiſſimum Gretſerum, qui ad calcem capitis 64. locupletioris editionis fatetur, apud Græcos in Menologio notatum inueniſſe diem, quando à B. Helena Crux reperta eſt, fuiſſe 6. Martij, quæ tamen illis non admodum ſolemnis eſſet.

Prouincia Aſia. In altero ex codicibus noſtris verba hæc *Prouincia Aſia* ſubdūtur Conſtantino Imperatori, & mediat interpunctio ad ſequentia verba. *In luminata Ciuitate.* In altero verò à Conſtino Imperatore interpunctione diſiungūtur, & ſequentibus verbis adnotantur. In M. Corbeienſi deſunt verba *Prouincia Aſia*, & ad Conſtantinum Imperatorem ſtatim ſubſequitur tanquam quid adnexum *illuminata Ciuitas*, quaſi ex Inuentione Crucis ſub Conſtantino Hieroſolymæ illuminata fuerit ciuitas, hoc eſt ad Chriſtianam religionem conuerſa. Nihil hìc ex Veteriſſimo M. Antuerpienſe naēti ſumus auxilij, detruncatum enim apparet, & cum ſequenti die confuſum hoc pacto. *V. Non. Maij natal. S. Hermogenis Romæ Natalis Euenti, Alexandri, Theoduli, & Natalis Arboni. In Africa Mariani, Fortunati, Saturnini, Rufinæ, Fortunionis. Item Fortunati, Ciuitate Autiſiodoro, depoſitio, & translatio Sanctorum Euſebi presbyteri, & Auiti Diaconi. In Nicomedia Natalis Antoniæ. In Africa Natalis Caleſtini, Felicis, Vrbani, Romani, Bellici, Marciani, Mittuni, Petri, Florianiæ, & in Ceſſarea natalis Siluani, Alexandri, & aliorum xl. & alibi Neſtori Mittoni, Antonini, Autiſiodoro translatio, & depoſitio Corcodomi Diaconi.*

S. Ermogenis. De Hermogene cum niſi nudum nomen, nullo indicato agonis loco, præferat Antuerpienſe, aliunde coniecturæ captandæ ſunt. Notkerus cū aliqua, noſtris codicibus non diſſimilia de Hermogene adducat, hoc ſaltem ſuadet, Aſiaticum martyrem fuiſſe, & uerba illa Prouincia Aſiæ ad Hermogenē pertinere. *In Aſia S. Hermogenis de antiquis.* Aſia quidem minus propriè Prouincia dicitur, cum antiquis tertia Orbis pars, & maior exſtimetur. Sed minor Aſia, ſeu propria, (quàm noſtram appellat Cicero) video aliquando Prouinciā eſſe dictam: quinimò ex Strabone à Romanis

in

in hæreditatem, post mortem Attali Regis acceptam, in formam prouinciæ redactam fuisse lego, & Asiam propriè dictam esse Asiæ partem Varroni. In duas hæc à Geographis diuiditur, & quæ septentrionem respicit Bythiniam, Galatiã, & Cappadociam comprehendere: quæ ad Austrum vergit Lyciam, Ciliciam, & Pamphiliam continere. At in hac minori Asia, quæ nam Ciuitas Illuminata, vel Luminata sit asserere arduum. Lyminis Cappadociæ oppidum fuisse scribit Ammianus Marcellinus, vbi Basiliscus à Zenone Imperatore fame necatus interijt: vnde lyminata, vel luminata ciuitas in Asia Minore dici posset: sed diuinandum mihi non est, cui neq. notiora sunt, quæ de Hermogene martyre ex antiquis addũtur. De antiquis Christi athletis fuisse non dubito, siue id ad Eusebij Cæsariensis opus de veteribus martyrijs, siue ad discipulorum Domini ætatem referatur. Profectò Ado die v. Octobris, Thraseã Episcopum apud Smyrnam martyrio coronatum *ex antiquis* vocat, & die sequẽti Sagarium Episcopum Laodicensem *de Antiquis*, pariter dicit, quòd non longe ab Apostolorum ætate fuerint.

Romæ Natalis Ebenti. In antiquo calendario Fronti hæc eadem leguntur, ad hunc ipsum diem. *SS. Alexandri, Euentij, & Theodoli.* In M. Vetustissimo iam allato Euentius, Alexander, & Theodolus Romæ indicantur, sicuti in M. Corbeiensi, in quo Fortunatus socius additur, in nostris etiam codicibus cum Alexandro annumeratus. Nihil in his de Pontificatu Alexandri innuitur, neq, vti antesignanus notatur, neq. Euentius, & Theodolus commilitones dicuntur presbyteri. Et tamen omnia Latinorum martyrologia de S. Alexandro Papa, ac socijs memoriam recolunt *V. Nonas Maij*, quemadmodum etiam vetustiora acta testãtur, tum edita apud Surium, & alios, tum mss. apud Aringhium Romæ subt. lib. 4. c. 22. tum penes me in peruetusto Hagiologio, in quo legitur *SS. autem ipsorum Natalis est V. Maij*, videlicet S. Euentij, & Alexandri, quos Seuerina vnico tumulo sepeliuit via Nomentana miliario septimo, & Theodolum, quem alio loco seorsim tumulauit, vt diffusius in ijsdem actis narratur: cum verò in illis nulla memoria extet Fortunati, qui in vetustiori nostro, & Corbeiensi tanquam Ebentij, & Alexandri socius numeratur, in suspicionem excitauit, ne diuersi essent Ebentius Alexander, & Theodolus ab Alexandro Pontifice, ac socijs in passione presbyteris; præsertim quòd de more codicum nostrorum Alexander Episcopus nondicatur, & Theodulus Thudulus vocetur, sicut Euentius Ebentius. Sed parua est nominum differentia, & Romani cum cæteris latinorum martyrologijs auctoritas, à suspicione remouit, eo magis, quòd tam liber Pontificalis Damaso adscriptus, quam Luitprandus, & Albo Floriacensis, Alexandri Papæ martyrium signent. *V. Nonas Maij.* Liber tamen Põtificalis ab actis Hagiologij nostri, & Surij in hoc differt, vt Theodolum Diaconum fuisse scribat, qui cum Euentio fuit ex Oriente presbyter, & Alexandrum decollatum fuisse asserat, quem in actis per tota membra punctũ consummasse martyrium narratur, quemadmodum idem etiam Vsuardus, Notkerus, Ado, Rabanus referunt, dum acta eadem strictim percurrunt, quibus concinit Romanum martyrologium. Sanctorum Alexandri Euentij, & Theoduli corpora Lucę in ppria Ecclesia quiescere à vetustissimo tẽpore, & ea Lucam ab Alexandro huius nominis secundo Pontifice Romano, & Episcopo Lucensi vna cum prodigiosa cathena, qua in carcere alligatus S. Alexander fuit, iam diximus in monumentis Mathildæ Comitissæ, & de his egit etiam. Cæsar Franciottus in Hist. SS. Lucensiũ. Neq. me latet Tiburi etiam corpus S. Alexandri Pontificis venerari, sicuti & Romæ, litemq. composuisse Cardulum in suo Tibure, plaudente Aringhio in Roma subterranea, partem scilicet Sancti corporis Romæ remansisse, partem fuisse Tiburi translatam: sed & alia etiam compo-

componenda esset cum Iustinopolitana, & Parmensi Ecclesia, quarum alterutra penes se sacrum pignus retinere gloriatur, vt adnotauit Ferrarius in Catalogo SS.Italiæ. Sed facile fortasse fuit ex sacris ossibus SS.Alexandri,& Euentij vnico sepulcro via Nomentana seruatis, binis nempe corporibus plures notabiles partes emersisse, quæ corpus,aut insignis pars corporis S.Alexandri dici, & venerari mereretur. Nec improbanda hæc populorum pietas, quando etiam Theodoreti ætate non magna reliquiarũ pars pro corpore martyris venerabatur, non sine populorum laude.

Natalis Arboni. Veritus aliquando sum, ne Natalis nomen esset martyris, qui cum Fortunato, & Arbone socij essent Ebentij,& Alexandri, non celebritatis, sed nostrorum codicum interpunctio, & modus quo breuiato de more charactere scribitur in laminis Vetustissimi martyrologij suaserũt accipiẽdum esse pro die natali S.Martyris Arboni, cuius tamen,præter nomen in adductis codicibus signatum,reliqua me fateor ignorare.

In Africa Mariani. Non nisi quinque Africanos Athletas,indicant codices nostri, cum M.Corbeiensi; sex verò M.Antuerpiense, in quo post Marianũ Fortunatus numeratur, & cum repetitionis nota *Item Fortunati*, alius redditur eiusdem nominis martyr. Vnde licuit suspicari in codicibus nostris, & Corbeiensi minus aptè Fortunatum cum Romanis martyribus misceri, qui Africanus sit.

Autissiodoro. Additamentum Gallici, siue Autissiodorensis antiquarij, quod in codicibus nostris, & Corbeiensi ad calcem laterculi signatur, interpolatur etiã in vetussimo Antuerpiensi, in quo, vt infra notamus, confusa est sequentis diei series cũ hodierno segmento. Vnde trãslationem SS.Eusebij, & Auiti vetustam esse, non minus conijcimus, quam & M. illud in Gallia pariter esse auctum. Mirũ, quòd neque depositionem, neq. translationem horum Sanctorum Saussayus in suo martyrologio Galliæ reposuerit, neque Hagiologium FrancoGalliæ Lebbei eorum meminerit, cum tamen his verbis eorum memoriam recolat Notkerus. *Autissiodoro depositio SS.Eusebij presbyteri,& Auiti Diaconi*. Addunt etiam translationem eodem die peractam M. vetustissimum Antuerpiense, Corbeiense, & vetustius nostrum binis codicibus expressum. Nihil tamen de translatione, aut horum Sanctorum veneratione in Historia Episcoporum Autissiodorensiũ, in Bibliotheca ms.Lebbei licuit inuenire.

IIII. Nonas Madij.

IN Nicomedia Natalis S. Senesij. Antonij. In Affrica Natalis S. Cęlestini. Felicis. Vrbani. Romani. Bellici. Martialis. Mituni presbyteri. Floriani. Petri. Et in Nuricopense Locorum, & in Cæsarea Natalis Sanctorum Siluani. In Alexandria xl. martyrum. Nestori. Mittori. Antonini. *Autissiodoro depositio, & Translatio corporũ S. Codomi Diaconi, & Confessoris In Basilica S. Amatoris.*

IN

MAII 4.

IN *Nicomedia*. Deficit in alijs Martyrologijs mſſ. quibus innitimur Sineſius martyr Nicomedienſis, & qui in noſtris codicibus Antonius eſt, Antonia dicitur tam in M. Antuerpienſi, quam Corbeienſi; Huius integrum laterculum primò exhibemus, quia minus in aliquibus deprauatum, quam Antuerpiẽsẽ agnoſcimus. *IV. Non. Maij. In Nicomedia Antoniæ, Iuſti. In Africa Natalis Cæleſtini, Felicis, Vrbani, Romani. Bellici, Martialis, Mittuni Preſbyteri, Floriani, Petri, & alibi Loguorgue. In Cæſaria, natalis Sancti Siluini, Vrbiani. In Alexãdria quadraginta martyrum. Neſtori, Mitton, Antonini. Autiſiodoro, depoſitio, & translatio corporis S. Corcodemi Diaconi, & Confeſſoris in Baſilica Sãcti Amatoris.* Martyrologium verò vetuſtiſſimum Epternacenſe, quamquam excuſum in laminis diem *IV. nonas Maij*, his tantum nominibus ſignatum exprimat. *Nicia Ciuitate Natalis Antoninæ. In Africa Cęleſtini, & aliorum xl.* noſtrorum tamen codicum, & Corbeienſis auxilio ex ſuperiori die fragmentum illi reſtituimus, ſiue iam adducta verba præmittantur, ſiue ſubnectantur. *In Nicomedia Natalis Antoniæ. In Africa Natalis Cęleſtini, Felicis, Vrbani, Romani, Bellici, Marciani, Mittuni, Petri, Floriani. Et in Cæſarea natalis Syluani, Alexandri, & aliorum xl. Et alibi Neſtori, Mictoni, Antonini. Autioſiodoro translatio, & depoſitio Corcodemi Diaconi.* Conſonat, in aliquibus ex his martyribus ad hanc diem tribuendis, Notkerus, & ex martyrologio Hieronymi Petrus de Natalibus, vt de emendatione vetuſtiſſimi vix dubitari poſſit; quamquam in alijs etiam ſupra adductis martyrologijs Corbeienſi, & noſtro aliquid deſiderari poſſit.

Sinesij. Pro Sinetio Iuſtum habet M. Corbeienſe alijs ignotum, ſicuti Sineſius in M. Antuerpienſi ignoratur. In fragmento tamen hædino mſ. Canonicorum Lvcenſium Bedæ nomine inſignito legitur *IV. Nonas S. Senesij martyris*. Et in Calend. Hieronymiano, in eadẽ Bibliotheca, cum alijs huius diei ſacris Athletis, ita numeratur. *IV. Nonas Antonii, Syluani, Senesij Martyris*. Vereor quapropter, ne Seneſius, vel Sineſius martyr in noſtris codicibus veneratus Lvcẽſis Eccleſiæ additamẽtum ſit. Fallitur Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italię, qui Sanctum Sentium militem, & martyrem hac die apud Lvcenſes venerari, eiuſque corpus apud eos eſſe repoſitum teſtatur. Et ſi enim vetuſta Eccleſia S. Sentio dicata in Vrbe Lvca non longe à foro adhuc exiſtat, nulla tamen traditio remanet ſacrum corpus ibidẽ venerari. Cum verò addat Ferrarius illud in maiori Eccleſia quieſcere, iam planum eſt S. Sentium pro S. Seneſio accepiſſe facili ſcriptoris errore. Corpus quidem S. Seneſij, dum Ferrarius ſcripſit, in maiori Eccleſia ſeruabatur, quia ex Eccleſia S. Petri, quæ nouo, & eleganti opere cõſtruebatur ad Cathedralem fuerat tranſpoſitum; Nunc verò in Baſilica S. Petri, quæ ex prodigioſa imaginæ Deiparæ ibi translata, Domina Miraculorum nuncupatur Sacrum Senetij corpus quieſcit in Ara maiori. Militem fuiſſe ſuadent ferreæ quædam armillæ, & fibulæ, quæ adhuc inter eius reliquias conſpiciũtur, & ſupra Arcam talis legitur Epigraphe. *Hic requieſcit Corpus S. Senesij martyris.* Franciottus, qui Sanctorum Lvcenſium hiſtoriam edidit, ſub Licinio paſſum exiſtimat Cyzici in Phrigia, ſeu potius Myſiæ ad Propontidem, cuius corpus ſub Damaſo Pontifice Romam primùm, deinde tempore S. Ioannis Epiſcopi Lvcã translatum fuerit. De S. Syneſio Nicomediẽſi martyre, qui ante Baptiſmum

Theo-

Theopompus diceretur, meminit martyrologium Romanum ad diē 21. Maij, & eius certaminis historiam refert Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 33. & cum Theopompo Episcopo Nicomediæ in eodem sepulcro repositum refert x. cal. Iunij, qua die nulla memoria agitur Synesij, aut Theopompi in martyrol. nostro.

Antonius. Librariorum lapsu Antonius pro Antonia scribitur in codicibus nostris, Restituenda qua propter S. Antonia martyr Nicomediensis, tum auxilio Antuerpiensis, & Corbeiensis MM. tum Notkeri, Bedæ, Vsuardi, Adonis, & præcipuè martyrologij Romani. Addimus ex Petro de Natalibus lib. 4. c. 123. sequentia, vt appareat alio à nostro Hieronymiano martyrologio vsum esse, *Antonia Virgo apud Nicomediam passa est, quæ nimirum torta, & variis afflicta cruciatibus, post ab vno brachio tribus diebus suspensa, deinde in carcerem biennio detrusa à Priscilliano Præside nouissimè flāmis exusta est IV. Nonas Maii. Hęc Hieronymus in martyrologio*. Quæ verba ad amussim penes Notkerum leguntur, nec dissimilia in alijs Latinorum martyrologijs continentur. Vnde repetitio illa M. Antuerpiensis tollenda videtur, & pro Nicia Antonia restituenda *Nicomedia Ciuitate Natalis Antoniæ*. An Iustus à Corbeiensi martyrologio additus sit Viennensis martyr, & Episcopus hac die veneratus in Auctario Adonis, & M. Gallicano non facile admiserem.

In Africa. Cum Cœlestino antesignano nouem sacri pugiles notant in feracissima martyrum Africa adducti iam codices. An Florianus huius classis sit, vel Norico Ripensis adducendus suspicari liceret, nisi constantissimè, tam in nostris codicibus, quam Antuerpiensi, & Corbeiensi Africanis iungeretur.

In Nuricopense. Apertissimè mendum hìc inesse fatemur, & legendum omnino *In Norico Ripensi loco Lauriaco*, quinimò restituendum etiam dicimus *Floriani*, ab inscio librario, detrūcati; dum enim Florianum vidit inter Africanos martyres numeratum, aliumq. statim repetere dum credidit incongruum, lacunam induxit, & reliqua deturpauit. Cum vero hæc lacinia in Vetustissimo Antuerpiensi non prostet, ab Antiquario fortasse addita esse potuit. Noricum Ripense tractus est Austriæ ad Danubium Viennam vsque, & Lauriacū vrbs olim Metropolitana, nunc Cœnobium, apud Anisum vrbem; & Fluuium, in quo Sanctum Florianū demersum fuisse acta eius apud Petrum de Natalibus, Rabanū, & Notkerum docent: apud quem pro Nicorio Ripensi legendum esse Norico Rigensi monuit ad oram libri Canisius, sicuti legitur etiam apud Surium tomo 5. in actis diffusioribus.

In Cæsarea. Mutilos esse codices nostros suadent verba illa *Natalis Sanctorum*, Siluano tantum interim numerato. Suspicionem auget M. Vetustissimum, in quo legitur, *In Cæsarea natalis SS. Sylvani, Alexādri, pro in Alexandria, & xl. martyrum*. Siluinum mendosè habet M. Corbeiense pro Siluano, dumq. addit Vibianum, & cum codicibus nostris *in Alexandria xl.*, martyrem alium socium Siluano addendum esse confirmat. De Syluano Gazzensi Episcopo, & martyre Palestino hìc agi, omnia Latinorum martyrologia docent, & cum Romano, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, penes quos nullum Vibianum inuenio. De Siluano Episcopo Gazensi meminit Eusebius lib. 8. Hist. Eccles. cap. 13. inter Præsides Ecclesiarum, qui fidem sāguine effuso testati sunt hoc pacto. *Inter martyres autem Palestina Siluanus Gazæ vrbis Episcopus apud eris metalla, quæ sunt in Phæno, cum aliis vndequadraginta capite truncatus*. Sed rursus de martyribus Palestinæ cap. 7. quinto anno persecutionis refert, quinto mēsis Dij, hoc est nonis Nouembris *in eadem Vrbe Cæsarea* Siluanū tunc Presbyterū, & Cōfessorem mox Episcopum, & martyrē, ac alios quosdam eius comites ad Metalla apud Phænum Palestinæ à Præside damnatos fuisse exustis prius, ac debilitatis pedum iuncturis. Quādo autem ad amus-

sim cum quadraginta Cõfessoribus agonem consummauerit, annum quidem octauum persecutionis fuisse notat Eusebius eodem libro de martyribus Palestinæ cap. 13. editionis Valesianæ, & vnicum diem omnibus communem assignat; non tamen illum distinguit. Dum verò Siluani elogium texit, & postremũ persecutionis signaculum vocat, inter socios etiã spectatissimæ virtutis, & incõparabilis memoriæ, numerat Eusebius, Ioannem quendam Ægyptium luminibus orbatum, qui Vibianus fortasse in Martyrol. Corbeiensi, corrupto nonnihil nomine dicitur. Cum autem nihil de Alexandro, siue Siluani, siue aliorum quadraginta martyrum Ægyptiorũ socio, apud Eusebium inuenerim, in eam sententiam descendi, vt in codicibus nostris legendum sit *Cæsareæ*, vel tanquam metropoli Palestinæ, vbi apud Phænum Sancti martyres agonem compleuerunt, vel quòd Cæsareæ primum damnati ad metalla fuerint, & inter Palestinæ martyres ab Eusebio computati. *In Cæsarea* inquam *Sanctorum Siluani, & Ioannis. In Alexandria xl. martyrum.* Non quòd in Ægypto martyrium fecerint, sed quod in Ægypti metropoli Alexandria xl. martyrũ vno die cum Siluano, & Ioãne coronatorũ celebris esset memoria, quod plurimi eorum, licet in Phæno Palestinæ capite truncati, natione tamen essent Ægyptij, vt disertè ibi testatur Eusebius, qui vndequadraginta, Ioãne pariter Ægyptio computato, numerat. Græci die 14. Octobris in Menologio Canisij Syluanum Presbyterum Gazæ venerantur, Eusebium primo loco secuti, qui eum Presbyterum Gazæ dixit. Siluanum verò à reliquis xl. martyribus distinguit Notkerus, eumq. in Palestina, & Gaza vrbe, cuius erat Episcopus, Natalem habuisse cum pluribus ex suis clericis animaduertit; quod de veneratione, non de agone ibi consummato intelligerem; dum enim *in Metallo Fœnensi* (emendandum *Phœnensi*) *Sanctorum xl. martyrum; qui simul capite casi sunt* memoriam agit, nihil de martyribus xl. Alexãdrinis, vel Alexandri socijs refert. Galesinius, qui duplicem classem xl. Martyrum affert, vnam cum Siluano, alteram seiunctim, in eodem Phœnensi metallo, ex Theodoreto lib. 4. hist. cap. 20. omnino deciperetur, si eos putaret eodem tempore martyrium fecisse, cum hæc secunda turma Confessorum, & martyrum à Theodoreto non exprimatur sub numero quadragenario, sed partim Virgines Alexandrinas Deo sacratas, partim monachos, cum xl. Episcopis Ægypti, instigãtibus Arrianis, vel morte, vel exilio coronatos, referat ex epistola Petri Alexandrini. Mendum etiã suspicari licet in M. vetustissimo, dum repetitur, *In Africa Cœlestini, & aliorũ xl.* hos enim alibi præter iam dictos Phœnenses adnotatos non inuenio.

Nestori. Alterius classis tres sequentes martyres Nestorium, Mictorium, seu Mictonium, & Antoninum, tam in nostris codicibus, quam Corbeiensi memoratos esse existimarẽ, & pariter Alexandrinos, nisi quis maluerit cum M. vetustissimo Antuerpiensi eos *alibi* incerto loco assignare.

Antisiodori. Depositio, & translatio S. Corcodomi Diaconi tam in Antuerpiensi, quam in Corbeiensi MM. memoratur: in codicibus verò nostris decurtatum nomen legitur *Codomi* Diaconi, & Confessoris indicato etiam Basilicæ S. Amatoris nomine, vbi quieuit. Curcodomum vocat cum Vsuardo M. Romanum, & Galesinius, qui martyrem dicit, & ei socios ascribit Antonium, Cœlestinum, & alios ex Adone, & codicibus mss. Hos pariter Carcodemo Diacono, ita vocat Saussayus, clericos, & martyres iungit idem in M. Gallicano. Sed nihil apud Adonem inuenire licuit siue Rosueydi siue Mosandri, siue ms. hædinum nostrum. At mirum, quam varijs nominibus Sanctus Diaconus compellatur. In ms. Reginæ Sueciæ Corcodinius Cõfessor dicitur: In Historia Episcoporum Autissiodorentium Corcodomus Archidiaconus vocatur, & Leuita cum S. Peregrino Presbytero, & Iouiano Subdiaconò

diacono, & alio Iouiano lectore, à Sixto Papa missis; Peregrinum postmodum Episcopum Autissiodorensem, martyrium compleuisse narratur; de alijs silet Historia. Carrobbomus non Corcodomus Archidiaconus, & Leuita dicitur in Passione S. Peregrini, quam Lebbeus edidit. Nihil verò de Martyrio sociorũ additur, & Corcondemus ita in Antiquo Hagiologio FrancoGalliæ nuncupatur. *IV. Nonas Maÿ. Autissiodoro Sancti Corcondemi Diaconi*. Vereor quapropter Saussayum ex Galesinio accepisse, qui ex mss., vt pluries diximus, deprauatis, Cœlestinum Africanum, & Antonium alterius loci, vel Antonium Nicomediensem Corcodomo Diacono sociauit. Et quamquam non improbabile fuerit, tempore persecutionis, martyrio Sanctum Diaconum vitam expleuisse, sicuti & Peregrinus, nullibi tamen apud antiquos dictum inuenio: quin potius ex depositionis voce, & titulo Cõfessoris in pace quieuisse suadeor. Cum verò apud Sacræ Galliæ scriptores non viderim in quanam Ecclesia corpus S. Corcodomi, non *Codomi*, (vt vitio librarij in nostris codicibus scriptum putarem) quieuerit, vel translatum fuerit, hoc vetustiori M. nostro Autissiodorũ debet, vt in Ecclesia S. Amatoris eiusdem Vrbis Episcopi quieuisse sciat. Gallici enim antiquarij hoc esse monitum superadditum, non dubitarem.

III. Nonas Madij.

EVthimi Diaconi. In Thessalonica Natalis Herenei. Peregrini, & Herene. In Africa Gregori. Arcilai, & Felicissimę. In Alexandria Petrui Diaconi. *In Arelato depositio S. Hilari Episcopi. In Vienna Depositio Nectari, & Niceti Episcopi. Autissiodoro passio S. Iuueniani Lectoris, & Martiris.*

MAII 5.

EVthimium Diaconum, & martyrrm, ita non indicato passionis loco, cum alijs huius diei sacris pugilibus exhibet M. vetustissimum *III. Nonas Maÿ. Natalis Eutimi Diaconi Tessal. .... Herenei, Peregrini, Herene. In Affrica Gregori, Archilai, Felicissimæ, Alexandria Ciuitate Petri Diaconi, Arelate Sancti Hilari Episcopi. Vienna depositio Nectari, & Niceti, Autissiodoro passio Sancti Iuliani Lectoris*. Nec dissimilia profert M. Corbeiense, ijsdem Gallicis additamẽtis locupletatum, *III. Nonas Maÿ. Eutimi Diaconi, & Martyris. In Thessalonica Natalis Sancti Herenei, Peregrini, & Herene. In Africa Gregorii, Arcelai, Felicissimæ, & passio Sancti Trifonis. In Alexandria Petini. Vienna depositio Nectarij, & Niceti Episcopi. Autissiodoro passio Sancti Iuuiniani Lectoris. Arelato depositio S. Hilarij Episcopi*. Locus passionis Euthymij Diaconi Alexandria est in Romano M., cui Beda, Vsuardus, & Ado consentiũt. Vnde ex Adone potius, qui ex vetustiori nostro martyrologium suum, vt alibi diximus, auxit, & emendauit, nostrum vicissim, ita expleri potest. *In Alexandria Euthymii Diaconi in carcere quiescentis*.

In Thessalonica. Eosdem tres Thessalonicenses martyres exhibẽt, cum Romano M., Beda, Vsuardus, Notkerus, & Ado, qui agonem viuicomburio compleuisse addunt. Mss. Reginæ Sueciæ, post Peregrinum, & Irenẽ, *Erenea*,

& Peregrini ignibus combuſtorum memoriam addit, repetito Peregrino contra aliorum fidem. Irenem ab Ireneo diſtingunt omnia Latinorum Martyrologia, dum aliqui codices Herenam, vt Corbeiēſis, Herenum, vt noſtri, & M. Antuerpienſe retinent. De his meminit etiã Petrus de Natalibus lib. 4. c. 133. De Hirene vero ita Menologium Caniſij. *Die V. Maii Sanctæ Magnæ martyris Hirenæ*. Magni titulum martyribus illis Græci deferunt, qui celebriores sũt.

In Africa. Præter codices noſtros, & Antuerpienſe, ac Corbeienſe ſilent alia latinorum MM. tres Africanos pugiles ſub anteſignano Gregorio. Addit ſupra illud, & noſtrum paſsionem Sancti Triſonis martyrologium Corbeiēſe, Græci prima die Februarij paſsionem martyris Tryphonis ſub Gordiano Imperatore recolunt, ſine ſociorum additione, & non indicato certaminis loco; eundem tamen eſſe non affirmarem.

In Alexandria. Codices noſtri, & M. Corbeienſe Petiuum Diaconum Alexandrinum hac die venerantur; Antuerpienſe non Petiuum, ſed Petrum Diaconum indicat in Ciuitate Alexandriæ. Verùm, neque Petiuum, neque Petrum Alexandrinum Diaconum alibi memoratos inuenio.

Arelate depoſitio S. Helari Epiſcopi. Bellarminius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis nota ſanctitatis non ſignat Hilariũ Arelatenſem, quòd à S. Leone Papa ſuperbiæ inſimuletur; putat tamen reſipuiſſe, & ſancto fine quieuiſſe. Vti Sanctus autem hac eadem die veneratur in Romano Martyrologio, quamuis in notationibus Baronius aliqua illi ante reſipiſcẽtiam inurat. Eius pariter memoria celebratur in M. Bedæ, Rabani, Vſuardi, Adonis, & præcipuè Notkeri, qui eius vitam compendiosè percurrit, & pluribus laudibus exornat. Numerat P. Theophilus Raynaudus in Apologia pro S. Valeriano Cemelenſi cap. 4. nu. 2. & 3. duos Hilarios, alterum Laicum, alterum Epiſcopum, qui pro Semipelagianis, & Maſsilienſibus ſtarent aduerſus D. Auguſtinum, diuerſosque eſſe ab Hilario Arelatenſi: illum verò, qui Epiſcopus dicitur, & de Pelagiani errore ab Auguſtino Ep. 94. admonetur, fuiſſe Hilarium Narbonenſis Primæ Epiſcopum, qui tunc florebat, non Arelatenſẽ ex computo annorũ deduxit. Quamuis enim Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, in Epiſtola Proſperi ad Auguſtinum, videatur in dubio remãſiſſe de eiuſdem doctrina, cum in cæteris admirator, & ſectator Auguſtini dubia eidem Auguſtino ſcribens propoſuerit; non inde neceſſariò infertur, in ijſdem dubijs, fortaſſe ab Auguſtino ſolutis, permanſiſſe, & Semipelagianis de cætero fauiſſe. At re vera Semipelagianos aliquando fouiſſe notauit Lucas Holſtenius in mſs. notis ad Martyrolog. Romanũ, & id euidentiſsimè probare teſtatur auctorem antiquitatum Eccleſ. Britann. p. 345. at reſipuiſſe etiam in hoc ex laudibus illi à pluribus ſcriptoribus tributis, deducit Baronius; ſi quid enĩ in credito ſuæ Eccleſiæ iure peccauit, aliena iura, Metropolitæ Viennenſis præcipuè, ſibi vẽdicans, & nimio zelo aduerſus Leonem Pontificem obloquens, vt habetur ep. 89. S. Leonis, ſe tamen purgaſſe de cetero exiſtimandum eſt, cum in electione Rauennij ſucceſſoris, ſanctæ, & beatæ memoriæ Epiſcopus nuncupetur. Sancta humilitate deliniuiſſe animũ S. Leonis docet Sauſſayus in Gallicano martyrologio, & in Franco Galliæ peruetuſto Hagiologio Lebbei cum alijs deinceps in martyrologio noſtro indicatis viris ſanctis ità recolitur. III. Non. Maij. *In Gallijs Ciuitate Arelatẽſi B. Hilarii Epiſcopi, & Confeſſoris præclariſſimi, & nobiliſſimi. Item Viennæ S. Nicetis Epiſcopi venerabilis Sanctitatis viri. Auſtiſſiodoro S. Iouiniani Lectoris, & Martyris*. Vita S. Hilarij extat in recentiori editione Surij à coæuo ſcripta diffuſiori ſtilo, in qua de indignatione S. Leonis Papæ in Hilarium agitur. Plura etiam de S. Hilario Arelatenſi vj. Epiſcopo

ſcopo Fratres Sammarthani exhibẽt to. 1. Galliæ Chriſtianæ.

In Vienna depoſitio Nectarij, & Niceti Epiſcopi. De Nicetio præter adducta ex Hagiologio Franco Galliæ agit martyrologium Romanum cũ reliquis Latinis, & Baronius in Notis. Vtrumq. tamen Nicetium ſcilicet, & Nectarium veneratur his verbis Notkerus *Vienne Nectarij, & Niceti Epiſcoporum.* Vnde miror Sammarthanos eos ita ieiunè præterijſſe, & Sanctitatis titulo exuiſſe. Numerantur illis 13. & 14. Viennenſes Epiſcopi.

Antiſſiodori Paſſio S. Iuueniani. Hũc ex ſocijs fuiſſe S. Peregrini Epiſcopi primi Autiſſiodorenſis diximus die ſuperiori ad S. Corcodomum. Titulus martyris Iouiniano lectori tributus probabilem reddit illorum ſententiam, qui etiã Corcodomum martyrio coronatum exiſtimant. De Iuueniano lectore, & martyre Autiſſiodorẽſe meminit Petrus de Nat. lib. xi. nu. 135. Iurianum vocat Rabanus.

II. Nonas Madij.

IN Perſida Natalis S. Matthei Apoſtoli, & Euangeliſtæ. Et primi initiorum Martyrum. *In Gallia Ciuitate Natalis Beatiſſimi Geronti Confeſſoris.* In Africa Natalis Sanctorum Secundiani Epiſcopi. Iacobi. Mariani. Concordiæ. Marinæ. Heliodori. Saturnini. Mediolani Victoris. & Felicis. Item Victoris. Caricæ. Auſidiæ. Iudith. Emerie. Item Victoris Acute. Fauſtinæ. Helariani. Victoriani. Saturninæ. Gauinæ. Hedenti. Fuſtune. Victoriæ. Prime. Gaiani. Valentine. Fortunati. Poſtumi. Fauſtini. Maiorici. Venuſti. Marſuni. Proceſſe. Secundiani. Importune. Quintiani. Petri. Taſſi. Caſſerici. Mappalici. Veneriæ. Bonefatiæ. Quinti Floriane. Victorini. Domuli. Gaudole. Item Victorine. Criſpini. Poſſiſini. Labori. Maſſille. Gaiani. Saferi. Item Quinti. Rogati. Maxenti. Nine. Virtume. Valerie. Tyronie. Matrone. Citini cum ſocijs eorum, & reliquis Sanctis. Floriani. Herenei. Fortunati. Fauſtini. Gauini. Herenti. Pappalici. Primi. Caſsi. Secundi. Celerini. Heremiæ. Flaui. & Gaiani cum alijs xx. Magropi. Marcellini. Maximi. Bafrobiti. Agutiani. Niceti cum alijs xlij. *Antiſiodoro depoſitio S. Valeri Epiſcopi.*

MAII 6.

ANte Matthei Apoſtoli celebritatem M. Corbeienſe S. Ioannis Apoſtoli Natalẽ ante Portam latinam omnibus ferè latinorum martyrologijs celebrem ita recenſet. *Pridie nonas Maij. Natalis Sancti Iohannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ ante Portam Latinã in feruentis olei dolium miſſi. In Perſida Natalis Sancti Matthei Apoſtoli, & Euãgeliſtæ. In Galacia Ciuitate natalis Beatiſsimi Gerontij Confeſſoris. In Africa Natalis Sanctorum Secundiani Epiſcopi, Iacobi, Mariani, Concordiæ, & Marinæ, Heliodori, Saturnini, Siluani. Mediolano Victoris, Felicis. Item Victoris, Caricæ, Auſidiæ, Iudith, Emerie. Item Victoris, Acutæ, Fauſtini, Helarianæ, Victoriani, Saturnini, Gauini, Adenti, Fortu-*

Fortunati, Victurię, Primi, Gaiani, Valẽtina, Portumi, Iuſtini, Maiorici, Venuſti, Maſſa. Proceſſa, Secundiani, Importuni, Quintiani, Petri, Taſsicaſsirici, Veneriæ, Bonifaciæ, Quinti, Florini, Victorini, Memoriæ, Gaudula. Item Victorini, Criſpini, Poſſinna, Laberi, Marſila. Item Gaiani, Faſeri, Maxenti. Ninæ, Virtunia, Valeriæ, Tironii, Matronæ, Citini cum ſociis eorum, & reliquiis Sanctis. Florione, Herenei, Fauſtini, Gauini, Herenti, Pappalici, Primi, Caſsi, Secundi, Celerini, Hieremiæ, Flaui, Gaiani cum aliis viginti, Magropi, Marcellini, Maximi, Bafroſiti, Aguſtiani, Niceti cum aliis ſeptuaginta ſex. Item Gaiani cum aliis ſeptuaginta duobus martyribus. Antioſiodero Depoſitio Sancti Valerii Epiſcopi. Silet cum codicibus noſtris celebritatem S. Ioãnis martyrologium Vetuſtiſſimũ, & faſtos huius diei à S. Matthæo) ita pariter auſpicatur. *Pridie nonas Maii. In Perſida Mathei Apoſtoli, & primi. In Gallia Natalis Sãcti Geronti presbyteri. In Africa Secundiani Epiſcopi, & aliorum xl. Iacobi, Mariani, Concordi, Marinæ, Eleodori, Saturnini. Mediolani Victoris, Felicis. Item Victoris, Calricia, Affidia, Inthid, Emeria. Item Victoris, Acuta, Fauſtina, Hilariani, Victoriana, Saturnina, Gauina, Hedenti, Fortuna, Victuria, Prima, Gaiani, Valentina, Fortunata, Poſtumi, Fauſtini, Maiorici, Venuſti, Maſſuni, Proceſſę, Secundiani, Importuna, Quintiani, Petri Taſsi, Caſſerici, Mapparici, Benere, Bone Facia Quinti, Floriane, Victorine, Demeri, Gaudola. Item Victorina, Criſpini, Poſsini. Item Felicis, Donati, Labori, Maſillę, Gaiani, Fareri. Item Quinti, Rogati, Maxenti, Ninna, Virtunia, Valeria, Tironi Matronę, Citini, Floriani, Herenei, Fortunati, Fauſtini, Gauini, Hereni, Pappalici, Primi, Secundi, Caſsi, Celerini, Hieremię, Flaui, Macrobi, Marcellini, Maximi, Bafrobiti, Aguſtiani, Nitici, & aliorũ lxv. Item Gaiani, & aliorum xx. Antiſiord. Depoſitio Valeriani Epiſcopi.* De S. Mattheo Apoſtolo nihil addendum ſuccurrit ad ea, quæ diximus ad Indiculum Apoſtolorum. Romanum Martyrologium, hac ipſa die recolit S. Matthæi translationem Salernum, pro qua ibidem videndus eſt Baronius.

Et Primi initiorũ martyrum. Primitiæ martyrũ legimus, & de his poſt huius latercul notationes exercitationẽ damus.

In Gallia Ciuitate. Sunt qui pro Gallia legunt *Galatię* ciuitate. Ita Auctariũ Adonis pridie nonas Maij. *In Galatię Ciuitate Natalis B. Geronty Confeſſoris.* Et totidem fere verbis adductum iam M. Corbeienſe. S. Geruntium Mediolanenſem Epiſcopum die ſuperiori recolit Galeſinius, quem à noſtro diuerſum putarẽ. Sauſſayus in ſupplemento hac ipſa die in Gallis Vico Iulij depoſitionem ſanctorum Gerontij Confeſſoris, & Edentij recolit; quod mutatis nonnihil nominibus accepiſſe videtur à mſ. veteri martyrol. S. Sabini de Leuitania, in quo legitur 5. die Maij. *In Gallia Vico Iulii depoſitio S. Neronti Confeſſoris, & Euentii*, immutato nimirum à Sauſſayo in Gerontium Nerontio. Si ergo pro *Galatia* legendum eſſet *Gallię Ciuitate*, pura hæc eſſet, & antiquarij Gallici interpolatio. At Vetuſtiſſimũ Antuerpienſe in laminis editum, nos ab hac ſententia remouet, non enim Gerontium Confeſſorem, ſed Presbyterum exhibet eodem ſtylo, quo reliquos martyres adnotare conſueuit, & inſuper nomen Vrbis exprimit *Prumi, vel Primi, in Gal. Gerontii Presbyteri.* An breuiatum nomen Galliæ, vel Galatia legendum ſit ignorare me fateor, ſicuti reliqua de S. Gerontio. An Primopolis vrbs Aſiæ minoris intelligitur, memorata in Chalcedonenſi Concilio, & quæ in Phrigia, vel Galatia recenſeretur? Vel Prumia pagus, & cœnobiũ in Sylua Arduenna? At ciuitas eſſe nequit, ita diſertè in codicibus noſtris vocata. Antiquarij Gallici laciniam in veteribus martyrologijs inſertã veremur. Gerontius Epiſcopus in Gallia memoratur tempore S. Leonis epiſt. 51. & 52. ſed quem apud Sammarthanos non inuenerim.

In Africa. Sub Secundiano Episcopo aliorum signifero, sacri sex pugiles succenturiantur in codicibus nostris: septem in Corbeiensi; additur enim Siluanus, qui deficit in M. Antuerpiense, alioquin lx. anonymis martyribus supra reliqua redundante. Notkerus Mariani, & Iacobi memoriam agit; & ad audientium tedium euitandum, amputatis reliquis, sub *aliorum plurimorum* titulo alios præterijt. Galesinus Heliodorũ, & Venustũ habet cum lxxv. alijs ex Vsuardo, & mss. vel potius ex Petro de Natalibus lib. xi. nu. 136. Bellino de Padua, & martyrologio Romano. Si tamen ex Africanis athletis Venustus remoueatur, quia in codicibus nostris, Corbeiẽsi, & Antuerpiensi in Choro Mediolanensium referatur, septuaginta quinque vel sex essẽt computatis nimirum anonymis sexaginta M. Antuerpiensis. Locum agonis non indicat Rabanus, & Marianum, & Iacobum tantùm exprimit. Iisdem reuelatum fuisse martyrium addit, & in eorum actis scriptum esse, quæ videre non contigit.

Mediolano. Ms. Reginæ Sueciæ ita Mediolanenses martyres signat. Pridie non. *Mediolani Victoris, Felicis cum alijs cxxxij.* sed minor numerus in eo exprimitur, quam in alijs adductis codicibus inuenerim, inter quos tamen non conuenit. Codices nostri sub Victore Antesignano in prima turma quinquaginta septem martyres recensent, *cum socijs eorum, & reliquis Sanctis*, quorum numerus non explicatur. Alia deinde succedit classis sub Floriano Duce, in qua quatuordecim Athletæ nominibus indicantur, & xx. anonymi. Tertia sub Magropo sex signatos milites ostendit, & sine nomine xlij., vt omnes cxxxix. numerum expleant. Martyrologiũ Antuerpiense, supra nostrum, aliquibus sacris militibus exuberat, sub Victore nimirũ septuaginta octo nominatim profert, & lxij. anonymos; sub Gaiano verò in secundo ordine xx., nequaquam proprio nomine indicatos, vt omnes sint clxi. Redundat supra reliquos codices Corbeiense M. quod, & si in primo manipulo sub Victore, non nisi lij. commilitones educat *cum socijs* pariter, *& reliquijs Sanctis*, (legerem aptius, *reliquis Sanctis*) in secundo sub Florione, non Floriano quatuordecim producit, & anonymos xx. In tertio sub Magropio sex exprimit nominatim, & lxxvi. sine nominibus memoria consignat. In quarto sub Gaiano lxxij. prorsus anonymos affert. Nihil facilius ab incuriosis librarijs corrumpitur, quam numeralis nota, quod in pluribus vetustis chronologis Critici passim obseruant. Quia verò facilior librarij lapsus est prætermittere, vel disturbare numeralem notam, quam addere, cum in his martyrum turmis distribuendis codices nostri, & Corbeiensis accuratiores appareant, quam M. Antuerpiense, illis videtur magis fidendum, & in horum emendatione laborandum: In prima classe abundant codices nostri supra Corbeiense M. quinque martyribus Fustura, Tasso, Casterico, Mappalico, Quinto, & Rogato, ex quibus tamen cum Tassus, & Cassericus minus aptè in Corbeiensi vnicum nomẽ Tassicassirici conflent, non nisi quatuor nomina in Corbeiensi desiderantur. In secundæ classis numero omnino conueniunt, parumq. nominibus differunt. In tertia parum in nominibus inter se dissident, in Anonymorum verò censu plurimum; bini enim nostri codices, qui ex vno fonte fluxerunt xlij. retinent, lxxvi. M. Corbeiense, nimia dissonantia producit. Facilius in hoc cum Antuerpiensi conuenirent, vnius enim numeralis notæ mutatione lxij. cum illo referrent. Quarta classis Corbeiensis, sub Gaiano altero, omnino in illis deficit, & ex hoc suppleri posset addendo nimirum *Item Gaiani cum alijs lxxij. martyribus*. Nominum differentia facile potest componi, nostriq. codices cum Antuerpiensi plures sanctas martyres mulieres indicant, quam quæ pro viris in Corbeiensi signantur. In prima tamen classe vetustioris nostri post Possonium addendi

sunt

sunt ex Antuerpiensi alter Felix, & Donatus. An Victor Mediolanensis martyr ex Africa, qui chorum omnem ducit idē fit cum eo, qui in Romano, & alijs martyrologijs ad diem octauam huius mensis recolitur, non putarem; quòd ille etiam in vetustiori nostro reponatur, & alij socij addantur. Plura nomina quæ hac die adducūtur Africæ vsitata erant, vt Mappalicus, Matrona, & alia passim. Hoc vnum educerem ex Actis alterius Victoris scriptis à Maximiano Notario apud Surium tom. 5. tantam martyrum Mediolanensium carnificinam sub Maximiano Imperatore accidisse, quando in illis actis initio legitur. *Regnante impio Maximiano Imperatore in Ciuitate Mediolanensi ingens fuit persecutio Christianorum.*

Autisiodoro. Frequēs sanctorum Autisiodorensium additamentum non modo auctorem Gallicum suadent, sed facile Autissiodorēsem. S. Valerius Episcopus, qui tertius fuit illius Vrbis Episcopus, temporibus Diocletiani, & Maximiani II. Nonas *Maij* migrauit ad Christum, & sepultus est apud montem Autricum secus prædecessorē suum *S. Marcellianum Episcopum*, vt legitur in Hist. Episcoporum Antisiodorensium in Bibliotheca Labbei cap. 3. Valerianum vocat M. Antuerpiense, sicuti Maurolycus. Galesinius martyres Autissiodori hac die producit Felicem, & Valerianum ex mss., cuius vestigia premit Saussayus nulla inducta in Valeriano Episcopalis dignitatis memoria. Valeriū Episcopum dicit M. Corbeiense, sed pridie non. pariterq. ms. Reginæ Sueciæ nō Valeriū, sed Stauium Episcopum ita exhibet *Autisiodoro Stauii Episcopi*. cuius nulla est memoria in adducta iam Autisiodorensi Historia, neque apud Sammarthanos, penes quos breuissimè S. Valerius tertius Episcopus adnotatur, & sepultus dicitur pridie non. Maij.

De Primitijs Martyrum, eorumq; Sacro die

EXERCITATIO VIIII.

QVando revera iussu Principum in Christianos animaduerti cæptum sit dubitari potest. Ante Neronem Veteres Patres martyrum initia non agnoscunt. Tertullianus in primis Apol. cap. 5. id diserte docet. *Consulite commentarios; illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maxime Romę Orientem, Cæsariano gladio ferociisse. Sed tali dedicatore damnationis nostrę etiam gloriamur.* Quod in Scorpiaco his verbis iterauit cap. 14. *Vitas Cæsarum legite: Orientem fidem Romę primus Nero cruentauit.* Idem tanquam quid primo castigatum videtur innuere Suetonius, dum inter singularia quæ sub Nerone *animaduersa seuerè, & coercita* cap. 16. lib. 6. *Afflictos* refert *supplicijs Christianos, genus hominum superstitionis nouæ*. Tertulliano consentit Eusebius, quem auctorem profert Hist. Ecclesiæ lib. 2. cap. 22. & in Chronico ad annum Domini septuagesimū, D. Hieronymo interprete inquit: *Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos fecit.* Sulpitius deinde Seuerus lib. 2. sacræ historiæ idem adduxit repetitis verbis. Primò de Nerone inquit *dignus extitit qui persecutionem in Christianos primus inciperet*, & infra. *Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est*: Et post Romanum indictum incendium, & inuidiam in Christianos versam, addit, *Hoc initio in Chri-*

stianos

stianos seuiri cœptum. Post etiam datis legibus religio vetabatur. Orosius pariter Sulpitio coquus de Nerone ait lib.7.c.6. *Primus Romæ Christianos supplicijs, & mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit*. Negari igitur nequit, tot antiquis scriptoribus suffragãtibus Neronẽ primum ex Romanis Principibus Christianos martyres effeciſſe. Nõ ita tamen, quòd in Iudæa, & alibi martyres ante Neronem non fuerint; nouæ nimirum religionis odio concitatis à Sacerdotibus populis, non verò à Regionum, & locorum Iudicibus nouis legibus Christiana Religione interdicta. Duo tempora in quibus castigari fuerint Christiani videntur apud Tacitum notari, dum Nerone iam in eos gladium exerente, repressam in presens Christianam fidem, rursus erupisse docet. Quando enim primum repressa? fortè sub Tiberio quando, vt Eusebius habet *ex consulto patrum Christianos eliminari Vrbe placuisset. Tiberius per edictum comminatus est mortem*. Iam nonnullos accusatos fuisse ex lege id vetante percipitur, & externæ Religionis reos, aliquos pœna mortis multatos. Romanis enim ex lege vetabatur, sine Senatu nouam Religionem suscipere. Sunt qui putent sub Claudio, non obscurè id Suetonio indicante c.26. *Iudæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulsos*. Sub Iudeorum nomine Christianos Romæ habitos plurimi ex eruditis credunt, quòd exitialis superstitio (iniurioſiſſime ità à Tacito vocatur Fides nostra) *per Iudæam etiam innaluisset*. Chrestianos ex Christianis, & Chrestum pro Christo per inscitiam, alios scripsisse, notat Lipsius ex Tertulliano, & Lactantio ad Taciti Annal. lib. 15. n.84. sed hæc male aptantur ad verba illa *repressa in presens*, & an exilium siue Iudæorum, siue Christianorum tumultuantium Religionis causa, vnde tumultus, & seditio moueri dubium esset, repressio dici debeat dubium remanet; cum potius ad Vrbis tranquillitatem, & turbas sedandas Claudium Iudæos expulisse appareat, quã ad Religionẽ nouam vetandã, & grauioribus pœnis interdicendam. Sanè significare videtur, vox Taciti *repressa*, leuiorem quandam pœnam indictam ne serperet, sed exilium huiusmodi nouæ doctrinæ vulgationem in Vrbe Roma frænare poterat, non vero in Romano vniuerso Imperio, & præcipuè in Iudæa. Si enim Claudius lege præcipue lata Christianum esse prohibuisset, non vtique primus esset Nero, qui datis legibus Christianam Religionem tollere voluisset, nec licuisset id Sulpitio Seuero, & Orosio affirmare. Varium ergo tempus sub ipso Nerone designatum à Tacito putarem. Primum cum sub generali lege externã Religionis Christianorum exuberantiam reprimere tentauit, deinde cum ad remouendam à se ipso inuidiam succẽsæ vrbis in aliquos seuijt, postremò cum non modo Romæ, sed per vniuersum orbem Romanum Christianum esse vetuit, quod ex ipso loquendi modo educi videtur, dum Tacitus ait, *repressaq. in presens rursus erumpebat*. In ipso enim Romanæ Vrbis incendio iam fuisse quoquo pacto repressam videtur particula illa significare *In præsens*, ac seuerius etiam nonnihil vetitam *illud Rursus erumpebat*. Et fortasse primum ex vi veteris legis correpti, qui fatebantur, non qui accusabantur postremo vero cùm deferri permissum, *indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quam odio humani generis*. Primæ repressionis Tacitus facem aliquam præbet lib.13. Ann: dum quinquennio saltem ante tempus incendij, Nerone secundum, & Calpurnio Pisone Cos. Pomponiam Græcinam nobilem fœminam *superstitionis externæ* ream Plautij mariti iudicio permissam refert, & absolutam. Externam hìc superstitionẽ non modo Baronius ad annum 59. sed Lipsius ad Tacitum Christianismum, siue vt tunc confundebant, Iudaismum intelligunt. Ex hoc tamen indicio patet, non modo iuxta vetus institu-

tum externam Religionem apud Romanos vetitam fuisse, sed non ita seuerè coercitam; quando cognitio pœnæ capitis, & famæ, qua prohibebantur Romani exteros ritus suscipere, *ex prisco instituto propinquis coram* Plautio marito peracta fuit: vt potius hæc repressio dicenda videatur, quam sæuera animaduersio. Nec Romæ tantum Christianam Religionem aliqua pœna cohibitam video apud Tacitum, sed in Iudea pariter, vnde propagabatur origo. Ita impius ille, & in Redemptorem nostrum, eiusque Martyres iniquus expressè docere videtur *Repressaq. in præsens exitiabilis superstitio* (ita per summam iniuriam Christianam fidem vocat) rursus erumpebat: *non modo per Iudæam originē eius mali, sed per Vrbē etiam*; vt aliquas ad Religionem nostram reprimendam hinc datas fuisse leges, parum ante appareat: in qua repressione Iacobus frater Domini Hierosolymis, & Marcus Euangelista Alexandriæ coronam facilè acceperunt. Consimili loquendi modo Suetonius vtitur dum acta Neronis refert cap. 16. & inuerso ordine inquit. *Multa sub eo, & animaduersa seuerè, & coercita*, quasi Christianam fidem non modo coercuisset, sed in eam etiam seuerè animaduertisset; post aliqua enim recēsita addit in res nostras impius pariter, & iniurioſus. *Afflicti supplicijs Christiani genus hominum superstitionis nouæ, & maleficæ*. In octauū Kal. Iulij huius lanienæ in Christianos initium refert Romanum Martyrologium à Baronio emendatum, qua die primitias martyrum Romanorum sub Nerone veneratur, non quod vnica illa, vel ipsa æstiui solstitij die omnes à Tacito indicati Christiani varijs pœnis afflicti essent, sed quòd opportunum ad horum memoriam recolendam tempus esset; quoniam ex incendio vrbis Nero infamatus occasionem in Christianos sæuiendi arripuerit. Illud sanè incendium ex eodem Tacito per sex dies grassatum ad exquilias tandem desæuijt viij. Kal. sextilis, quod ceptum fuisse adnotauit xiiij. Kal. eiusdem Mensis. Primi autem sub Nerone martyres in Romano Martyrologio signātur, die 28. Februarij cum sancti illi Presbyteri, ac Diaconi Alexandrini venerātur qui pestilentia sub Valerio grassante, in ægrorum, & morientium pientissimo officio decesserunt, quos omnes vna, vel illa die extinctos non esse certum est, sed ab Ecclesia Romana, ne tantæ charitatis memoria periret, in illa die fideliū oculis incredibile Christianæ pietatis exemplum, ait Eusebius, obiecit, vt per representationis modum robustam illam fidem, tanquam martyrum ab antiquis veneratam, aliquo minus solemni die recoleret; occasione nimirum suscepta aliquorū Alexādrinorum martyrum, qui ijsdem Calendis in antiquis tabulis signabantur. Neque enim præcox illa martyrum seges à Tacito memorata potuit statim post sextum diem Neroniani incendij maturari, sed in annum sequentem potius parari, vel tardius, quando in Christianos sæuitum est Neronis iussu ad remouendam incendij infamiam. Sanè non statim à die sexta Christiana clades ortum habuit, quia & si maioris flammæ finis ad Exquilias fuit *sexta demum die*, non ita tamen, vt tunc omnino desineret, Nam *nec dum posito metu redibat, leuis rursus grassatus ignis, patulis magis vrbis locis, eoque strages hominum minor*. Per nouem dies ignem perduraſſe habet vetus inscriptio apud Scaligerum in Eusebij chronicon, & alia, vel eadem apud Lipsium ex Romano Lapide propè Basilicam D. Petri ad lib. 15. Taciti nu. 67. Et quamquam suspicio statim orta esset, Neronem data opera Vrbem incendisse, *& opinio omnium inuidiam incendij in Principem retorqueret*, non tamen id certo, & propalam *nisi cum vsus est patriæ ruinis, extruxitq. domum*. Multa etiam antequam de Christianorum tormentis verba faciat Tacitus, post extinctum ignem refert. Vrbis primæ solicitam reparationem, cum vtilitate, & decore publico dimensis vicorum ordinibus,

nibus, latis viarum ſpatijs, cohibita ædificiorum altitudine, & patefactis areis, pluribuſq; additis, quæ longius tẽpus expoſtularẽt; præter humana enim cõſilia, etiam petita ab eorum dijs per piacula, per vigilias, ſupplicationes, & lectiſternia, non dum tamen infamia decedebat, *quin ipſum incendium crederetur* Nero *ergo*, ſubdit Tacitus, vt populo iam de anita Religione ſolicito gratificaretur *abolendo rumori ſubdidit reos, & quaſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellabat*. Ecce prima martyrum leges. *Igitur* pergit, *primo correpti, qui fatebantur*, non incendium, ſed Chriſtum, *deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij*, nimirũ extorta etiam ab inimicis Chriſtiani nominis veritate, *quam odio humani generis conuicti ſunt*. Non vnicum diem hæc requirebant, ſed plures ad indicia, ad confeſſiones, ad dãnationem. Preſſiùs vero Tacitus, non tam atrociores pœnas martyrum, quam locum, & fortaſſe tempus, ita deſignat. *Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defeciſſet dies in vſum nocturni luminis vrerentur*. De loco vero, & tempore ita. *Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludricum edebat, habitu aurigæ permiſtus plebi, vel circulo* (Lipſius legit, vel curriculo) *inſiſtens*. Non hic accipio Circenſes ludos, & Cereales quorum meminit idem Tacitus ad calcem libri eiusdem decimiquinti poſt detectam coniurationem, & plurium Romanorum inſignium mortes: hi enim ludi in Circo decreti ſunt adulatione Senatus poſt vitatum coniurationis periculum, qui ludi de more agi debuerant menſe Aprilis, vt notant etiam antiqui Kalendarij, ſed Ludos quidem Circenſes peculiares, & Neroni conſuetos in hortis ſuis, non in Circo maximo. Flagrabat Nero, vt notat Sueronius cap. 22. lib. 6. æquorum ſtudio ab ineunte ætate, & rudimenta aurigandi in Hortis ſuis, ita ſumere conſueuiſſe narrat, vt iam non difficile fuerit hortos ſuos Circenſibus Ludis ita eſſe accomodatos, vt ibi munus illud crudeliſſimum Chriſtianorum ederetur. Pro rudimento enim non initia aurigationis intelligit ibi tantum Suetonius *in horto inter ſeruitia, & ſordidam plebem*, vt etiam notat Tacitus, ſed vt datis Romæ experimentis Achaiam bene exercitatus peteret. Antiquus certè Scholiaſtes Iuuenalis à Pithœo editus ad primam Satiram, & mox adducendis carminibus id peractum innuit *in munere Neronis*, ſpectaculum aliquod illius ſingulare innuens, ſiue ex Tacito, ſiue alio vetuſto ſcriptore. Tigillinum addit idem Scholiaſtes fuiſſe, qui primum ad ſtadios Circenſes Neronem mouerit, & ad illum carmina illa Iuuenalis refert, in quibus ad atrociſſimum Chriſtianorum ludibrium ita alludit.

Pone Tigillinum, teda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Quaſi eiuſdem infamis Tigillini inuentum eſſet, vt viui illi in munere Neronis arderent, *de quibus*, inquit Scholiaſtes, *ille inſerat cereos fieri, vt lucerent ſpectatoribus, cum fixa eſſent illis guttura, ne ſe curuarent. Nero maleficos)* ita Scholiaſtes vetuſtus iniuriosè etiam, vt gentiles alij Chriſtianos vocat) *homines teda, & papiro, & cera ſuperueſtiebat, & ſic ad ignem admoueri iubebat vt arderent*, miſerabili ludibrio, quemadmodum addit Tacitus, *in vſum nocturni luminis*; nempe in hortorum parietibus, & interuallis ad ſpectacula per ſummam libidinem peragenda Chriſtianos innocentiſſimos ſtipitibus adfixit, vt indicibili tormento accẽſi eiulatibus barbariem paſcerent, & tenebras ad nequitias quaſcumque peragendas depellerent. Flagitiorum ſpecimen in Cœna Tigillini, idem Tacitus diſertè pingit. Miror proinde Scaligerum in Euſebium exiſtimare Chriſtianos crematos eſſe alligatos axibus, cera, & pice illitos, vt vſum nocturnorũ luminum

præstarent vigilibus, *vt tunica*, scilicet, *molesta induti per totã noctem ardentes vigilibus essent vicem ignium excubiarum*, quasi Tacitus, quem adducit, expressè non doceat, in spectaculo Circensis ludicri, & hortis Neronianis ad incendij infamiam abolẽdam, exquisitissimis pœnis, ac ludribrio Christianos incẽdiarios putatitios exposuisse, nempe pellibus ferarum laruatos, canibus laniando obijcẽtes, vel crucibus, seu quod idẽ est stipitibus affixos, & inflammatos, vt proxẽdẽtibus de more in noctem Neronianis spectaculis, præcipue Circensibus apud Suetoniũ *vbi defecissent dies in vsũ nocturni luminis vrerẽtur*. Hæ fuerũt in hortis suis delicię perditissimi hominis, & ex horto Neronis tales primitię martyrum eruperunt, non vnus, aut alter, sed Taciti eiusdem testimonio, *Multitudo ingens*. Has fuisse quidem martyrum primitias nos docuit Sulpicius Seuerus, inquit enim. *Hoc initio in Christianos sæuiri cœptum; post etiam datis legibus religio vetabatur: Balamq. edictis propositis Christianum esse non licebat*. Quod vero ad annussim tempus, & quam diẽ atroci illo spectaculo Nero funestauerit, vel potius martyrum primitijs consecrauerit, affirmare non auderem; cum enim Circense illud munus non fuerit de more in Circo maximo peractum, in diem nonam, aut decimam Aprilis, Circensibus, & Cerealibus Ludis dicatos non reijcerem, sed in aliud tempus refunderem. Autumnum sequentem excludo, cũ eodem anno si temporum ordo apud Suetonium seruatur, post incendij cladem ita pestilentia adnotetur. *Accesserunt tantis ex principe malis, probrisq. quędam, & fortuita: Pestilentia vnius Autumni, qua triginta funerum millia in rationem libitinæ venerunt*. Hyemale id tempus minus aptum ad spectacula in hortis edenda videretur, nisi principem incredibilium cupitorem, vt vocat Tacitus, credere quis maluerit, & hyeme sæuiente, & lue grassante, spectacula in hortis suis edidisse. Nec contra esset, quòd post narratas Christianorum clades, in fine eiusdem anni notet Tacitus vulgata *prodigia imminentium malorum nuntia*; nam & anno sequenti coniurationis initia recenset, quam tamen ante incendium palam ex ipso est fuisse exequendam, cum inter opportunitates illum occidendi numeretur etiã *cum ardente domo*, (sua nempe de qua iam egerat libro superiore) *per noctem huc illuc cursaret incustoditus*; vt clare pateat, Tacitũ non ita annorũ seriẽ pro aliqua re gesta signãda, ad amussim retinuisse, quin occasione nacta, totius rei progressum sub vnico anno coniunxerit, quamuis in plures annos distribuendus videretur. Id in Christianorum persecutione euenisse non dubito, non enim datæ statim leges, vt Christiani, vel religioni renunciare, vel mori cogerentur, cum primum carnificina cœpta sit per ludibriũ, & ad arcendã infamiam, mox ad crudelitatem exercendam sub prætextu publicæ vtilitatis, vt ex verbis Taciti. *Miseratio oriebatur tamquam non vtilitate publica, sed in sæuitiam vnius absumerentur*. Non diu enim post ludificatos ad necem Christianos, legem latam eadem verba, quæ incendio, & inde Christianorum tormentis subnectit, videntur indicare. Primi, qui Martyris nomine sub Nerone dignentur in Martirologijs, tam Romano, quam Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Notkeri, quadraginta septem milites sunt, qui in custodia Mamertini à Beatis Apostolis Petro, & Paulo per sacrum lauacrũ regenerati gladio martyrium sub Nerone fecerunt die xiv. Martij. Hoc autem planum est, non eodem signato anno, quo incẽdium vrbis accidit, agonem compleuisse, cum illud non ante diem xix. Iunij cœperit. Cum tamen eorundem Sãctorum militum præcipua Acta non prostent, sed tantum baptizati memorẽtur in Gestis SS. Processi, & Martiniani, an ante illos certamen compleuerint, vel postea, asserere arduum, ne dicam impossibile videtur; cumq. vel die 31. Maij, vel 2. Iulij Processus, & Martinianus per gladium triumphauerint, incertum etiam remanet, an in secundum annum post Neronianum incendium milites xlvij. reponendi

nendi sint, cum saltem primo labente anno Processus, & Martinianus agonem consummauerint per aliquot dies ante anniuersarium incensæ vrbis. Hos quidem geminos, martyres iam in Christianos promulgata lege, Idolis sacrificium offerre renuentes tormentis addictos, & damnatos ex ijsdem Actis conuincitur, quando in Equleo suspēsi, oblato & reiecto sacrificij Tripode præco inculcabat *Præcepta Principum contemnere nolite*, quasi iam sacrificare, & fidem negare detrectantes contra Principis præcepta ire obiurgarentur. Sanctos quoque Apostolos Petrum, & Paulum gloriosè Romæ occubuisse iam in Christianos promulgata lege, & in dicta generali persecutione docet Eusebius in Chronico. Ex veteri autem traditione auctor grauis est Clemens Alexādrinus lib. 7. stromat. apud Eusebium eūdem Hist. lib. 3. cap. 30. D. Petri vxorem ante ipsius sancti viri certamen fuisse coronatam. Aiunt enim B. Petrum cum vxorem suam vidisset duci ad suppliciū, gaudio exultasse, quòd à Deo vocata esset, eamq. proprio nomine compellantē inclamasse hortatorio, & consolatorio vocis sono *Mulier memento Domini*; & quamquam id Romæ accidisse vetus traditio non exprimat, probabile admodum sanctam mulierem, cum filia Petronilla, quæ Romæ virginitatis, & martyrij palmam accepit, (& infra die 31. Maij adnotabimus) Petrum ad Vrbem fuisse prosequtam, siue Petronilla naturalis, siue spiritualis illius filia dicenda sit. Igitur sicuti palam est aliquos martyres fuisse sub Nerone, antequam Apostolorum Principes necì traderentur, ita ante illorum trophęa primitias martyrum ibi Deo fuisse oblatas non videtur ambigendum, nec incongrue ante Apostolorum, immo ante Processi, & Martiniani natalem primorum martyrum in Martyrol. nostro memoriam consignari; quadraginta enim septem milites, qui in alijs MM. recoluntur die 14. Martij, in eodem Vetustiori nostro non comparent. Siue igitur primi martyres dicendi illi sint, qui ad abolendam Neroniani incendij infamiam primò, vt indicari vidimus apud Sulpicium Seuerū, siue qui lata lege, & vetita omnino Christiana Fide Idolis sacra facere propalā renuentes, Christum Dominum strictissimè martyres confitebantur, in alterutro choro primitias martyrū agnoscerē, & alterutrū hìc memorari putarem. Romanum M. viij. Kal. Iulij de primis manifeste intelligit, eosq. vocat Apostolorum discipulos, & primitias martyrum, ac in ipso primo Neroniani incendij die recolit, quòd in odium Christiani nominis, & occasione incendij martyres, factos eodem incendij initiali die venerari voluerit, non quòd re vera tunc Christiani pœnis affici cœperint, vt suprà latè probatum vidimus. Si quis vero illos in Romano M. signatos velit, in nostro vero eos esse indicatos, qui promulgata in Christianos lege, & vetita fide nostra, mortem subierunt, quòd hi proprijssime martyres fuerint, illi autem simulatione causæ ad infamiā vitādam, quasi incendiarij simul, & Christiani neci traderentur, non pugnabo, cum nihil magis expressum alibi inuenire licuerit, silentibus hic tam Corbeiensi, quam Antuerpiensi consimilibus martyrologijs.

Nonas Madij.

IN Nicomedia Natalis Sanctorum Flaui Episcopi. Augustini Episcopi. Item Augustini. Trium fratrum Marcellini. Macrobi. Heutheri. In Africa Celerini. Maximi. Victori Episcopi. Potentelle, & aliorum multorum. Item Augustini Episcopi. Victori. Gagi. Anti. Maximi. Celerini. Frontoni. Quinti. Flauiæ. Marcialis. Priuatiani. Septimiæ

præstarent vigilibus, *vt tunica*, scilicet, *molesta indati per totã noctem ardentes vigilibus essent vicem ignium excubiarum*, quasi Tacitus, quem adducit, expressè non doceat, in spectaculo Circensis ludicri, & hortis Neronianis ad incendij infamiam abolẽdam, exquisitissimis pœnis, ac ludribrio Christianos incẽdiarios putatitios exposuisse, nempe pellibus ferarum laruatos, canibus laniando obiectos, vel crucibus, seu quod idẽ est stipitibus affixos, & inflammatos, vt peractũ de more in noctem Neronianis spectaculis, præcipue Circensibus apud Suetoniũ *vbi defecisset dies in vsũ nocturni luminis vrerẽtur*. Hæ fuerũt in hortis suis delicię perditissimi hominis, & ex horto Neronis tales primitię martyrum eruperunt, non vnus, aut alter, sed Taciti eiusdem testimonio, *Multitudo ingens*. Has fuisse quidem martyrum primitias nos docuit Sulpicius Seuerus, inquit enim. *Hoc initio in Christianos sæuiri cœptum; post etiam datis legibus religio vetabatur: Balamq. edictis propositis Christianum esse non licebat*. Quod vero ad annussim tempus, & quam diẽ atroci illo spectaculo Nero funestauerit, vel potius martyrum primitijs consecrauerit, affirmare non auderem; cum enim Circense illud munus non fuerit de more in Circo maximo peractum, in diem nonam, aut decimam Aprilis, Circensibus, & Cerealibus Ludis dicatos non reijcerem, sed in aliud tempus refunderem. Autumnum sequentem excludo, cũ eodem anno si temporum ordo apud Suetonium seruatur, post incendij cladem ita pestilentia adnotetur. *Accesserunt tantis ex principe malis, probrisq. quędam, & fortuita. Pestilentia vnius Autumni, qua triginta funerum millia in rationem libitina venerunt*. Hyemale id tempus minus aptum ad spectacula in hortis edenda videretur, nisi principem incredibilium cupitorem, vt vocat Tacitus, credere quis maluerit, & hyeme sæuiente, & lue grassante, spectacula in hortis suis edidisse. Nec contra esset, quòd post narratas Christianorum clades, in fine eiusdem anni notet Tacitus vulgata *prodigia imminentium malorum nuntia*; nam & anno sequenti coniurationis initia recenset, quam tamen ante incendium palam ex ipso est fuisse exequendam, cum inter opportunitates illum occidendi numeretur etiã *cum ardente domo*, (sua nempe de qua iam egerat libro superiore) *per noctem huc illuc cursaret incustoditus*; vt clare pateat, Tacitũ non ita annorũ seriẽ pro aliqua re gesta signãda, ad amussim retinuisse, quin occasione nacta, totius rei progressum sub vnico anno coniunxerit, quamuis in plures annos distribuendus videretur. Id in Christianorum persecutione euenisse non dubito, non enim datæ statim leges, vt Christiani, vel religioni renunciare, vel mori cogerentur, cum primum carnificina cœpta sit per ludibriũ, & ad arcendã infamiam, mox ad crudelitatem exercendam sub prætextu publicæ vtilitatis, vt ex verbis Taciti. *Miseratio oriebatur tamquam non vtilitate publica, sed in sæuitiam vnius absumerentur*. Non diu enim post ludificatos ad necem Christianos, legem latam eadem verba, quæ incendio, & inde Christianorum tormentis subnectit, videntur indicare. Primi, qui Martyris nomine sub Nerone dignentur in Martirologijs, tam Romano, quam Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Notkeri, quadraginta septem milites sunt, qui in custodia Mamertini à Beatis Apostolis Petro, & Paulo per sacrum lauacrũ regenerati gladio martyrium sub Nerone fecerunt die xiv. Martij. Hoc autem planum est, non eodem signato anno, quo incẽdium vrbis accidit, agonem compleuisse, cum illud non ante diem xix. Iunij cœperit. Cum tamen eorundem Sãctorum militum præcipua Acta non prostent, sed tantum baptizati memorẽtur in Gestis SS. Processi, & Martiniani, an ante illos certamen compleuerint, vel postea, asserere arduum, ne dicam impossibile videtur; cumq. vel die 31. Maij, vel 2. Iulij Processus, & Martinianus per gladium triumphauerint, incertum etiam remanet, an in secundum annum post Neronianum incendium milites xlvij. reponendi

nendi sint, cum saltem primo labente anno Processus, & Martinianus agonem consummauerint per aliquot dies ante anniuersarium incensæ vrbis. Hos quidem geminos, martyres iam in Christianos promulgata lege, Idolis sacrificium offerre renuentes tormentis addictos, & damnatos ex ijsdem Actis conuincitur, quando in Equleo suspēsi, oblato & reiecto sacrificij Tripode præco inculcabat *Præcepta Principum contemnere nolite*, quasi iam sacrificare, & fidem negare detrectantes contra Principis præcepta ire obiurgarentur. Sanctos quoque Apostolos Petrum, & Paulum gloriosè Romæ occubuisse iam in Christianos promulgata lege, & in dicta generali persecutione docet Eusebius in Chronico. Ex veteri autem traditione auctor grauis est Clemens Alexādrinus lib. 7. stromat. apud Eusebium eūdem Hist. lib. 3. cap. 30. D. Petri vxorem ante ipsius sancti viri certamen fuisse coronatam. Aiunt enim B. Petrum cum vxorem suam vidisset duci ad suppliciū, gaudio exultasse, quòd à Deo vocata esset, eamq. proprio nomine compellantē inclamasse hortatorio, & consolatorio vocis sono *Mulier memento Domini*; & quamquam id Romæ accidisse vetus traditio non exprimat, probabile admodum sanctam mulierem, cum filia Petronilla, quæ Romæ virginitatis, & martyrij palmam accepit, (& infra die 31. Maij adnotabimus) Petrum ad Vrbem fuisse prosequtam, siue Petronilla naturalis, siue spiritualis illius filia dicenda sit. Igitur sicuti palam est aliquos martyres fuisse sub Nerone, antequam Apostolorum Principes necì traderentur, ita ante illorum trophęa primitias martyrum ibi Deo fuisse oblatas non videtur ambigendum, nec incongrue ante Apostolorum, immo ante Processi, & Martiniani natalem primorum martyrum in Martyrol. nostro memoriam consignari; quadraginta enim septem milites, qui in alijs MM. recoluntur die 14. Martij, in eodem Vetustiori nostro non comparent. Siue igitur primi martyres dicendi illi sint, qui ad abolendam Neroniani incendij infamiam primò, vt indicari vidimus apud Sulpicium Seuerū, siue qui lata lege, & vetita omnino Christiana Fide Idolis sacra facere propalā renuentes, Christum Dominum strictissimè martyres confitebantur, in alterutro choro primitias martyrū agnoscerē, & alterutrū hìc memorari putarem. Romanum M. viij. Kal. Iulij de primis manifeste intelligit, eosq. vocat Apostolorum discipulos, & primitias martyrum, ac in ipso primo Neroniani incendij die recolit, quòd in odium Christiani nominis, & occasione incendij martyres, factos eodem incendij initiali die venerari voluerit, non quòd re vera tunc Christiani pœnis affici cœperint, vt suprà latè probatum vidimus. Si quis vero illos in Romano M. signatos velit, in nostro vero eos esse indicatos, qui promulgata in Christianos lege, & vetita fide nostra, mortem subierunt, quòd hi proprijssime martyres fuerint, illi autem simulatione causæ ad infamiā vitādam, quasi incendiarij simul, & Christiani neci traderentur, non pugnabo, cum nihil magis expressum alibi inuenire licuerit, silentibus hìc tam Corbeiensi, quam Antuerpiensi consimilibus martyrologijs.

Nonas Madij.

IN Nicomedia Natalis Sanctorum Flaui Episcopi. Augustini Episcopi. Item Augustini. Trium fratrum Marcellini. Macrobi. Heutheri. In Africa Celerini. Maximi. Victori Episcopi. Potentelle, & aliorum multorum. Item Augustini Episcopi. Victori. Gagi. Anti. Maximi. Celerini. Frontoni. Quinti. Flauiæ. Marcialis. Priuatiani. Septimiæ

miæ. Dextri. Quinte. Ameſi. Donati. Item Donati. Marini. Octauianæ. Item Donati. Nauigi. Pulueri. Rogati. Victori. Mulieri. Fortuni, Victori. Secundi. Cecili. Donate. Saturnini. Item Donati. Iuli. Nauide. Felicis. Fortunati. Criſcenti. Sapide. Rogatiani. Donati. Galici. Iuſtiniani. Vitalici. Rogatiani. Lucelle. Honorati. Felicie, Sauine. Sulliti. Simplici. Flauiæ. Alexi. Cattule. Ianuari. Euticie. Victorij. Peculiaris. Germani. Ercole. Rogati. Maricelle. Odemare. Auide. Saturnine. Felicis. Victori. Proceſsi. Primuli. Donati. Caſtulæ. Secundiani. Donate, Marcialis. Fortunati. Tunnidi. Criſcenti. Germani. Victoriæ. Palatini. Epafroditi. Marcellini. Floriani Fauſtini Epiſcopi. Item Euſtuci cum alijs xl. In Ciuitate Dioſpoli paſsio S. Gorgij. *Arelato, depoſitio S. Helarij Epiſcopi, & Confeſſoris. Auguſtiduno depoſitio Beati Placidi Presbyteri.*

MAII 7.

HIuius diei ſacros faſtos ab Inuentione Dominicæ Crucis exorditur Vetuſtiſſimum M. Antuerpienſe: quam celebritatē reliqua latinorum, vt vidimus, recolunt die 3. huius menſis. Fortè eam hìc repoſuit antiquarius ille, vt cum Græcis conueniret, qui hac eadem die in Menologijs Crucis feſtum recolebāt, apparitionis tamen, non inuentionis; cum nimirū Crux in Cœlo apparuit hora tertia ſub Cōſtantino (legendū Conſtantio) Imperarore filio Conſtantini Magni. Extat epiſtola Cyrilli Hieroſolymitani ſcripta ad Conſtantium, in qua ſuper Golgotha magni luminis Crucem comparuiſſe docetur. *In diebus S. Pentecoſtes, Nonis Maij, circa tertiam diei horam.* At neq. de die Apparitionis inter Græcos conuenit; Chronicon enim Alexandrinū refert, accediſſe 3. kal. Febr. cui concinit Chronicon Idacio ſubditum. Sed feſtum Pentecoſtes refert Philoſtorgius, qui plura addit, & ad eum Gottifredus lib. 3. c. 26. Cur vero Inuentio Crucis in M. Antuerpienſi poſtponatur, ignorare me fateor. Integrum laterculum demore exhibemus. *Nonas Maij. Inuentio Sanctæ Crucis Domini. In Nicomedia natalis Flani Epiſcopi, Auguſtini. Item Auguſtini, & alibi Marcellini, Macrobi, Cuthei, & trium fratrum, & in Conſtantinopoli Achaici. In Affrica Celerini, Maximi, Victuri, Pudentella, Alla, & aliorū multorum. Item Aguſtini, Victuri, Gai, Anti. Item Maximi, Celerini, Fortuni, Quinti, Flauię, Martialis, Priuatiani, Septimæ, Dextri, Quinti, Arneſi, Donati. Item Donati Octauiani. Item Donati, Marini, Nauigi, Pulueri, Rogatę, Victuri, Secundi, Celedonię, Saturnini. Item Donatę, Nauidę, Fortunatæ, Felicis, Iuli, Creſcenti, Gallici, Iuſtiniani, Vitalici, Rogatiani, Lucellæ, Honorati, Felicie, Sauinæ. Stulti, Simplici, Flauię. Alexi, Catulę, Euticie, Peculiaris, Germanæ, Rogatæ, Marcellæ, Vdemari, Stercolæ, Saturninæ, Primolæ, Caſtolæ, Donati, Felicis, Victori, Proceſſi, Antoninæ, Sapidæ, Donatæ, Secundianæ. Item Donatæ, Marcialis, Ianuari, Diuni. Victuri, Tunidi. Item Fortunati, Criſcenti, Germani, Afidæ, Fortunati. Item Rogatæ, Epafroditi, Marcellini, Palatini, Fauſtini Epiſcopi, Eutici, & aliorum lvi. In Ciuitate Diaſpoli paſſio Sancti Georgi: Arelato Depoſitio Hilari Epiſcopi. Aguſtodunno depoſitio Placiti presbyteri.*

In

In Nicomedia. Nicomedienſes hi martyres variè in varijs martyrologijs reponũtur, ita vt qui reuera fuerint tres fratres vnanimi corona redimiti, valde ambigi poſſit. Romanum Martyrologiũ ita habet. *Nicomediæ SS. Martyrum Flauij, Auguſti, & Auguſtini fratrum*, quæ verba proſtant etiam apud Vſuardum, & Bellinum de Padua, & ante hunc apud Bedam, & Adonem, ac cæteros latinos recentiores. Aliter legit Notkerus Vetuſtiori noſtro magis accomodatus; diſtinguit enim Flauium, & Auguſtinum à tribus fratribus, quos diuerſo nomine ita profert. *Apud Nicomediam paſſio B. Martyrum Flauij, & Auguſtini, & trium fratrum Marcellini, Macrobij, & Euticij*. M. Corbeienſi etiam congruit, in quo ſacri huius dici athletæ hoc ordine numerantur. *Non. Maij. In Nicomedia Natalis Sanctorum Flauij Epiſcopi, Auguſtini Epiſcopi. Item Auguſtini. Trium fratrum, Marcellini, Macrobij, Euthicij. In Africa Celerini, Maximi, Victuri Epiſcopi, Potentellæ, & aliorum multorum. Item Aguſtini, Gaiani, Maximi, Celerini, Frontini, Quinti, Flauiæ, Martialis, Priuatiani, Septiminæ, Dextri, Quĩtæ, Orneſi, Donati, Octauiani. Item Donati, Mariani, Nauigi, Pulueri, Rogatæ, Victori, Secundi, Cecili, Donatæ, Saturnini. Item Donati, Iuli, Nauide, Felicis, Fortunati, Creſcenti, Lapi, Rogatiani, Donati, Gallici, Lucellæ, Honorati, Feliciæ, Sauinæ, Salti, Simplici, Flauiæ, Alexi, Catulæ, Januariæ, Euticiæ, Victuriæ, Peculiaris, Germani, Ercolæ, Rogatæ, Marcellæ, Odemari, Anidæ, Saturnini, Felicis, Victuri, Proceſſi, Promoli, Donatæ, Martialis, Rogatæ, Fortunati, Tunidi, Creſcenti, Germani, Victuriæ, Palatini, Epaphroditi, Marcellini, Floridiani, Fauſtini Epiſcopi. Item Euthici cum alijs quadraginta quinque. In Ciuitate Dioſpoli paſsio S. Georgij. Auguſtiduno depoſitio Beati Placidi Presbyteri*. Legendum ergo videtur in editis Martyrologijs diſiunctiuè illud *Trium fratrum* à Sanctis martyribus recenſitis. Flauius Epiſcopus eſt, tam in Antuerpienſi, quam Corbeienſi, & noſtro, ſicuti Auguſtinus alter, vel Auguſtus Romani Martyrologij, qui tamen in Antuerpienſi Epiſcopus non vocatur. Tres fratres Codicibus noſtris, & Corbeienſi illi eſſe vidĕtur, qui etiam à Notkero diſtinguntur Marcellinus, Macrobius, & Eutichius, ſeu Heutherius, vel Euthicius. At anonymi ſunt in Antuerpienſi, quandoquidem poſt tres illos ſeiunctim additur, *& trium fratrum*. In Rabano minus accurato ex his aliqui ita recenſentur. *In Nicomedia Natalis Flauij Epiſcopi, & Frodisij, Macrobi, Auguſtini Epiſcopi*.

In Africa Celerini. Lacunam hìc patiuntur (ſi lacuna dicenda eſt) tam codices noſtri, quam Corbeienſis ex fide Antuerpienſis; in hoc Achaicus Conſtantinopoli paſſus, profertur ante Africanos pugiles. Sed & aliquid in illo Vetuſtiſſimo M. deſideratur, quãdo in Græcorum Menologio Acatis, (ita enim legit, non Achaici) Quadratus ſocius additur. Fuit Acatius Cappadox, & miles legionis Martiæ ſub Imperatore Maximiano, & ſub varijs præſidibus tortus capite abſciſſo triumphauit. Cachius mendosè dicitur apud Galeſinium, qui Cacium potius dicendum eſſe aſtruit ex Metaphraſte, quamquam in Actis eius apud Surium to. 5. Acathius, vel Acatius ſcribatur, & Centurio nuncupetur, nulla Quadrati iniecta mentione. Narratur tamen plures concaptiuos ſuos ad fidem excitaſſe, & poſt multa tormenta in vrbe Perintho, & Byzãtij eidem collata, capite truncatum 8. die menſis Maij, ſepultum quæ eſſe extra Byzantiũ in loco qui Staurius appellatur. In duas claſſes diuidũtur hìc Africani martyres: In prima Celerinus eſt anteſignanus, dubium an ſit, qui apud D. Cyprianum dicitur ex martyribus prognatus, deinde Maximus, quem diuerſum puto à Maximo incerti loci Martyre apud Galeſinium ex Horologio Græcorum, cum rarò Græci martyrum Africanorũ memoriam recolant. Victurius, qui in Antuerpienſi

tuerpiensi M. titulo Episcopali non insignitur, in Corbeiensi, & nostro discrtè Episcopus nuncupatur. In illo etiam Vetustissimo Sanctæ martyri Potentellæ, seu Pudentellæ, alia martyr additur Alla nomine, deinde cum nostro, & Corbeiensi plurima Sanctorũ addijcitur multitudo, quorum nomina scripta sunt in Cœlo. Innumerabiles dixit Notkerus, dum aliquos, tam primæ, quam secundæ classis recenset, *In Africa Celerini, Maximi, Victuri, Potentillæ, Faustinæ, & aliorum innumerabilium*. Cõcordat modus loquẽdi Notkeri cum D. Cypriano, cuius ætate maxima fuit in Africa Christianorum carnificina. Vnde illud de exort. ad martyrium cap. xj. *Exuberante postmodum copia virtutis, & fidei numerari non possunt martyres Christiani*. Vberior est secunda Africanorum martyrum turma. Nominibus explicatos octuaginta quinque sacros Heroes proferunt codices nostri: octuaginta tres tantum M. Antuerpiense: octuaginta duos Corbeiense; sed in anonymis etiam inter se differunt. Antuerpiense maiorẽ numerum exhibet, & ad quinquaginta sex extendit; quadraginta quinque habet Corbeiense: quadraginta tantum codices nostris. Differentiam adnotare facile est, quia verò aliorum codicum auxilio destituimur, emendare non est facile. Codicibus nostris debemus, quod secundæ Turmæ Augustinus antesignanus Episcopus fuerit, cum quo aliquos ex clero passos esse vix licet dubitare, sicuti etiam cum Faustino Episcopo, qui numeratum agmen claudit, & cum Euticio anonymos ducit.

In Ciuitate Diospoli. Codices, quibus Vetustius M. nostrum innititur, Antuerpiensis, & Corbeiensis Diospoli S. Georgium martyrem referunt. Alibi inuenire non licuit. Diospolis nomine variæ Vrbes apud Geographos donantur: magna, & parua in Ægypto, & Palestina... An in altera ex his Ægypti, seu Thebaidis agonem compleuerit Georgius, vt vnus, & idem sit cum Georgio martyre Ægyptio, qui cum alijs martyribus in Græcorum Menologio veneratur die 5. Iunij, mihi non dum liquet.

Arelati Dep. S. Hilari Episcopi. Ne de sanctitate Hilarij Episcopi Arelatensis dubitemus, hìc cũ repetita memoria venerantur, tũ Antuerpiẽse quã Corbeiẽse, & Vetustius nostrum M. Vtrobiq. depositio non translatio nuncupatur. Ex vetusto Codice Vita S. Hilarij apud Suriũ nouissimæ editionis tomo 5. videtur docere duplicem illius sepulturam: primũ ad S. Genesij Basilicam deinde ad templum Sancti Honorati, quæ fortasse duplici eius in diuerso die depositioni respondeat. Videnda quæ diximus ad diẽ 5. Maij.

Augustodunо depositio B. Placidi. S. Placidũ Augustodunensẽ Presbyterũ vocant codices nostri cum M. Corbeiẽsi, & Antuerpiensi, ac Rabano; Episcopum verò Molanus in additionibus ad Vsuardum, quemadmodum etiam vocat Saussayus, qui nihil de Placito addit nisi gloriam confessoris. In martyrologio quoq. vetusto S. Sabini de Lemtania die superiori 6. ita de eo. *Augustudono depositio S. Placidi Episcopi*. Huius tamen inter Æduenses, seu Augustodunẽses Episcopos non meminerũt Sammarthani. Alius hic est à S. Placido Confessore, qui in Frontonaco Monasterio quiescere dicitur in Hagiologio Franco Galliæ Lebbei calendis Septembris. Antiquarij Gallici postrema hæc additamenta agnouit etiam esse Dacherius in M. Corbeiensi.

VIII. Idus Maij.

MEdiolano Victoris. Eutici. Marie. Fortunati. Saturnini. Constantinopoli Agati militum. Maximi presbyteri. Anthis Diaconi. Arestini. Marini. Tampi. Victorie. Stercie. Rogate. Florede. Luci. Donati. Victoris. Flauie. Iohanis. Ninne. Casti. Gagi. Furi. Maximi. Felicis. Iuliæ. Victoris. Marciani. Famose. Honostei. Nigri. Baptici. Rustici. Processi. Secunde. Militi. Feliciæ. Maxime. Datiue. Tuniani. Secundole. Datice. Gundoni. Tertuli. Cælestine. Fatustine. Ianuarij. Item Victori. Zetule. Aiale. Fortune. Rogati. Faustini. Ceneri. Barachi. Siddini. Nine. Sidi. Mittuni. Sirici. Rogati. Donati. Bacciri. Gatderi. Hereusi. Donate. Spici. Rogati. Saturnini. Glaudiose. Vitalis. Cetiliæ. Gallæ. Ianuariæ. Seneri. Rogati. Matronide. Augustine. Saturnine. Rufi. Faustini. Victoris. Citini. Zaderi. Antiqui. Item Nine. In Aegypto Victoris. Stefane. *In Santonico depositio S. Martini. Autisiodoro depositio Eladij Episcopi.*

MAII 8.

EX eodem vetusto fonte promanasse videtur codices nostri, & M. Corbeiense, cum vtrisque eadem lacuna communis sit post Victorem martyrem Mediolanensem, nimirum in sequentium loco assignando. Euticius enim, & tres sequentes socij in M. Antuerpiensi Africæ hoc pacto tribuuntur. *VIII. Idus Mai Mediolani Victoris. In Affrica Eutici, Furtunati, Saturnini, Marciæ, Constantinopoli Agati Militis Maximi Presbyteri, Anthosi Diaconi, Arestini, Marini, Tampi, Stercita, Rogata, Victuriæ, Floridæ. Item Floridæ, Luci, Donatæ, Victoris, Flauiæ, Iohannis Ninæ, Gagi, Furi, Maximi. Item Victoris, Iuliæ, Felicis, Marcialis, Famoræ, Honestæ, Nigri, Battaci, Rusticæ, Processæ, Secundæ, Militi, Feliciæ, Maximæ, Datiuæ, Tunianæ, Cutidi, Secundile, Daticæ, Guddini, Tertuli, Cælestini, Faustinæ, Cineri, Baraci, Siddiri, Ninæ, Mittuni, Sirici, Rogati, Donatæ, Bacciri, Gadderi, Berensi, Donatæ, Spici, Rogati, Saturninæ, Gladiosæ, Vitalis, Cæciliæ, Ianuariæ, Gallæ, Serenæ, Rogatæ, Matronæ, Augustinæ. Item Saturnini, Rubi, Victoris, Faustini, Cithini, Saderi, Antiquæ. Item Ninæ. In Aegypto Victoris, Stefanæ. Scantonico depositio Sancti Martini Abbatis, Autisiodoro depositio Pelladi Episcopi.* Et fortasse antiquarius codicum nostrorum, & Corbeiensis cum Victorem Mediolani coronatum, Maurum, siue Afrum esse sciret, & sequentes quatuor pugiles Africæ tributos videret, eidem illos sociauit. Verùm aliàs animaduertimus M. Vetustissimum Antuerpiense in assignandis Vrbibus, vel Prouincijs magis esse accuratũ, ac proinde in hoc magis esse sequendum eo libentius, quòd Victori Mediolanẽsi, aliũ, vt puto, ab eo, qui supra 6. die plurimorũ martyrum ducem vidimus, nullum sociũ tribui inuenimus, neq. in Actis eius à Surio relatis, neq. à Romano M. neq. à Beda, Vsuardo, Rabano, Adone, Notkero, Petro de Natalibus, alijsq. recentioribus, qui agonẽ eius prælibant, &

passionẽ eius referũt hac die 8.Idus Maij: quamquam mſ. Reginæ Sueciæ in diem ſuperiorem Nonis Maij eius memoriam ita reponat. *Mediolani natalis S. Victoris martyris, cuius passio ibidẽ celebratur.* S. Victorẽ etiã hac die exhibet Calend. mſ. Lvcẽſe Hieronymianũ, & meminit eiuſdẽ Greg. Turon. de Gl. martyr. lib. 1. c. 45.

Eutici. Quatuor hos martyres Africæ tribuendos cum M. Antuerpienſi iam diximus, quam quam in M. Corbeienſe Victori Mediolanenſi, ſicuti in codicibus noſtris ſuccenturientur. In eo Marciæ nomen integrum deſideratur, ſed reſtitui facile poteſt, tum ex M. Antuerpienſi, tum ex noſtro, tunc etiam ex mſ. martyrologio S. Sabini de Leuitania, in quo cũ Pallachio Epiſcopo mihi ignoto tres ex his Africanis martyribus ita indicat non die 8. ſed 6. *Eadem die S. Pallachrÿ Epiſcopi, Eutici, & Marciæ, Saturnini*, quos cum integro laterculo, ita addito Fortunato ſocio, refert. M. Corbeienſe. *VIII. Idus. Mediolano Victoris, Eutici .... atia, Fortunati, Saturnini, Conſtantinopoli Agati militis, Maximi Presbyteri, Antis Diaconi, Areſtini, Marini, Tampi, Victuriæ, Stertiæ, Agatæ, Floridæ, Lvci, Donati, Victuris, Flauiæ, Ioannis, Ninæ, Caſti, Gai, Fori, Maximi, Felicis, Martiniani, Famoſæ, Honeſtæ, Nigri, Baptirÿ, Ruſtici, Proceſſi, Secundi, Militi, Felicia, Maximæ, Datiuæ, Tuniana, Secundolæ, Datiuæ, Gundini, Tertuli, Caleſtini, Fauſtini, Ianuarÿ. Item Victuris, Letulæ, Setalæ, Fortuni, Rogati, Fauſtini, Canerÿ, Barachi, Siddini. Item Ninæ, Tidi, Mittuni, Syrici, Rogati, Donatę, Batci. Item Gadderi, Breuri, Donatæ, Spici, Rogati, Saturnini, Gaudioſæ, Vitalis, Cæciliæ, Gallæ, Ianuariæ, Seueri, Rogati, Matronicæ, Auguſticiæ, Saturnini, Ruſi, Fauſtini, Victoris, Cittini, Zaderi, Antiqui. Item Ninę, Saturi. In Ægypto Victoris, Stephani, Ianuarÿ. In Santonico depoſitio Sancti Martini, Iuliani. Antiſiodoro, Depoſitio Heladÿ Epiſcopi. Corbeia Monaſterio Translatio Corporis S. Gentiani martyris.*

Conſtantinopoli. An Agatius miles, idem ſit cum eo, quem ſuperiori diei dedimus ex Antuerpienſi M. exiſtimare licet, quoniam non modo Miles, & Cẽturio in Menologio Græcorum, ea die nuncupetur, ſed quoniam Romanũ martyrologium eundem quadamodo putauerit, dum Acathium Cẽturionem Græcorum hac die 8. recolit, minima nominis mutatione, & quia in noſtris codicibus, & Corbeienſi ſuperiori die deſideretur. Iam ibi diximus ex Actis eius apud Metaphraſtem, & Surium concaptiuos plures ſuos ad Chriſti fidẽ adduxiſſe; an vero ex his aliqui ſint, qui ſub illo duce in vberrima Conſtantinopolitanorum martyrem turma recenſentur, non affirmarem: ſiquidem Maximus Presbyter, & Anthes Diaconus, qui ſtatim ab Agathio numerantur, iam in acie Chriſti veterani nequeũt inter recẽtiores Chriſtianos ab eodem in vinculis lucratos connumerari. Sub eadem perſecutione Maximini, ſiue Diocletiani brauium meruiſſe facile eſt credere, ac proinde cum Acathio in eadem vrbe paſſos hic recenſeri. Variant in numero Athletarum Codices noſtri à M. Antuerpienſi, & Corbeienſi. Vberiorem meſſem illi exhibent, nempe octuaginta duos: totidem vno minus profert martyrologiũ Corbeienſe; Antuerpienſe vero nonnihil mutilum ſeptuaginta quĩque tantum nominatim affert. Differentiam vnuſquiſq., ſi inter ſe laterculos cõferat, haurire poteſt, tam in numero, quam in nominibus. Mſ. Reginæ Sueciæ aliquos ex his martyribus, ita notat. 8. *Idus. Conſtantinopoli Maximi Presbyteri, Antos Diaconi, & aliorum multorum.* Cur Acathium anteſignanũ prætereat ignoro, niſi forte quia Maximum ſequentis vberrimæ turmæ ducem exiſtimauerit. Illum quidẽ Notkerus non prætermiſit, ſed de more nominibus Hagiologium ſuum onerare noluit. *Conſtantinopoli Agathi militis, & aliorum valde multorũ.* Rabanus Achaicium recolit tantum Cõſtantinopoli pridie huius diei.

In Ægypto Victoris. Mirum quòd Ægyptij duo hi martyres, ab omnibus ferè Latinorum martyrologijs hac die venerati, in Romano desiderentur, & Baroniũ oculatissimum aufugerint. Aliqua tamen Stephanum, & Victorẽ legunt, vt Vsuardus, Maurolycus, & Bellinus de Padua. Galesinius, Stefano, & Victori socium addit Belladium, deceptus à codice non melioris notæ, vt alibi diximus; præsertim si Elladius dicendus esset, vt idem consentit, quem Episcopum Autissiodorensem esse infra constabit. Ms. Reginæ Succiæ Victorem ita Stephano præponit *In Aegypto Victoris, Stephani*, eodem quidem ordine, quo codices nostri, & MM. Antuerpiense, & Corbeiense indicant; sed non eodem sexu, vt nostrũ & Antuerpiense, quæ Stefanam, non Stephanum constanter legunt cum Notkero. *In Aegypto Victoris, & Stephanæ*, quibus magis adhæreo. Ianuarium addit M. Corbeiense alijs præteritum, & quem illi soli debemus.

In Santonico depos. S. Martini. Scantonico legit M. Antuerpiense, & S. Martini venerationem titulo Abbatis exornat à nostris, & Corbeiensi codicibus præterito, nisi forte in Corbeiẽsi vice Iuliani, insigni vitio librarij, *Abbatis* titulus restituendus esset. Breui elogio S. Martinum exornat Saussayus hac octauo Maij die. *Apud Senones B. Martini Confessoris cognomento Viatoris. Vbi Santones* pro Senonibus restituendum putarem. Nihil de eo alibi me legisse memini.

Autissiodoro depositio Helladij Episcopi. Ita etiam vocat M. Romanum, & Baronius ex Molano, & Demochare. At è contra Hogiologium vetus Franco Galliæ Lebbei Presbyterum tantum dicit, & vnit Pelagio Episcopo. 8. Idus. *In Autissiodoro depositio Pelagij Episcopi, & Elladij Presbyteri.* Cladij Episcopi Autissiodorensis quinto loco cathedram illius vrbis retinentis gesta habet Historia illorum Episcoporũ in Bibliotheca Labbei, in qua 8. Iduum Maiarum sepultum esse secus prædecessores suos in Monte Autrico docet, & vixisse sub Constantio & Constantino filijs Cõstantini Imperatoris. Meminit Saussayus pauca de eo ad hanc diem exhibẽs. Nihil Sammarthani habẽt præter nudũ nomẽ inter Autissiodorẽses Episcopos Galliæ Christianæ S. Claudium quinto loco numerantes. Re qua componenda Gallicis scriptoribus relinquimus, additamenta hæc non minus reputantes, quam in Corbeiensi Monasterio translationem S. Gentiani martyris, cuius meminit M. Corbeiense.

VII. Idus Madij.

IN Axiopoli Quirilli. Quindei. Zenoni. Tarso Ciliciæ. Afrodisi. Medialano Apostolorum Iohannis, Andreæ, & Thomæ in Basilica ad porta Romana In Persida Martyres cccx. Constantinopoli Natalis S. Timothei. Romæ Via Latina Gordiani. Promoli. Natalis S. Beati Confessoris.

MAII 9.

GAlesinius, à corruptis codicibus deceptus Romæ tribuit Quirillum, & Zenonem, qui Axiopoli à plurimis ascribuntur, & Timotheũ, qui Constantinopoli. Ita præter codices nostros docent primò M. Antuerpiense hoc pacto. *VII. Idus Maij. In Axiopoli Quirilli, Gindei, Zenonis. In Tarso Ciliciæ Afrodisi. Mediolani Ephenici. In Persida martyrum cccx. Constan-*

tinopoli Natalis Timothei, Romæ Gordiani, Primoli, & alibi Beati Confessoris. Idem deinde ostendit M. Corbeiense, quod aliquibus martyribus ità supra illud abundat. *VII. Idus Maij. In Axiopoli Quirilli, Quindei, Zenoni. Tarsi Ciliciæ Afrodisi, Iocundi, Firmi. Mediolano Apostolorum Ioãnis, Andreæ, & Thomæ in Basilica ad portam Romanam. In Persida martyrum trecentorum decẽ. Constantinopoli Natalis Sancti Timothei. Romæ via Latina Gordiani, Primuli, Natalis Sancti Beati Confessoris.* Concinit ms. Reginæ Sueciæ 7. Idus Maij. *In Axiopoli Natalis SS. Quirilli, Quindei, Zenonis. In Tarso Ciliciæ Afrodi. In Territorio Carnotino Ciuitatis Castro Vindocino natalis S. Beati Confessoris.* Vnde tantis monumentis Fulciti Axiopolitani martyres Romanæ suffu'ti tribui nõ possunt, nisi de aliqua translatione constaret, cuius Galesinius non meminit. Accedat ms. martyrologiũ S.Sabini de Leuitania, quamquã mendosè eos die 8. Maij referat, & forte vitio illius, qui ex auctographo excerpsit die 8. *In Axiopoli natale SS. Cyrilli, Quidei, & Zenonis, Aphrodisii, & S. Benedicti Confessoris.* Ita ex editis Latinorum martyrol. Notkerus, 7. *Idus Maij. In Axiopoli Quirilli, Quindei, & Zenonis*, memoriam agit. ita, & Rabanus. *In Axiopoli natalis Quirilli, Zindei, & Zenonis.* Axiopolis ciuitas est Mysiæ inferioris, vnde Danubius Ister appellari incipit.

Tarsi Ciliciæ. Patria hęc D. Pauli fuit, atq. olim celebris Academia. Aphrodium vocat Tarsensem martyrem ms. Reginæ Sueciæ, quem alia MM. Aphrodisium dicũt. Facile putarem eũdem esse martyrem Aphrodisium ex regione Ciliciæ, cuius gloriosũ certamen sub Dionysio Præside narrat Menologium Græcorum, die 21. Iunij, nisi martyrologiũ Corbeiense socios Aphrodisio adderet Iocundum, & Firmum, quorum cum illo non meminit Menologium, neque alibi memoratos inuenio, imò Rabanus illum tantum recolit. *In Tharso Ciliciæ Aphrodisij.*

Mediolano Apostolorum Iohannis. Speciale hoc festum Mediolanensis Ecclesiæ laciniam esse putaré ex aliquâ reliquiarum translatione, vel dedicatione Basilicæ in porta Romana, quam Vetustiori martyrologio insuerit antiquarius Italus tam in codicibus nostris, quam Corbeiensi. Vnde magis arridet martyrol. Antuerpiense, in quo legitur *Mediolani Epherici.* Verum nec illius festi, nec huius martyris memoriam agit Galesinius Mediolanensis, neq. in Martyrologio, neq. in alijs illius Ecclesiæ à se elaboratis monumentis. De Porta Romana meminit idẽ Galesinius in transl. S. Nazarij 6. Idus Maij.

In Persida martyrum cccx. Omnia fere Latinorum edita MM. in numero Sãctorum Persiæ pugilum conueniunt, Ita M. Romanum. Vsuardi, Adonis, Notkeri, Vuandelberti, & recentiorum. Beda editus numerum auget ad quadringentos facili librarij lapsu decumanam notam in centenariam conuertentis. Quando vero, & quomodo agonem compleuerint nullus, neque Baronius prodit. Forte in Persecutione Saporis Regis Persarũ, quã in Christianos mouisse auctor est D. Hieronymus in Chronico anno 2. Constantij, Xpi 347.

Constantinopoli. Hærerem an hæc esset translatio S. Timothei Epheso Cõstantinopolim, nisi Beda, & Ado me ita omnino docerent *Constantinopoli Natalis S. Timothei quando ab Epheso eius sacra ossa delata sunt*, & Notkerus confirmaret *Constantinopoli translatio S. Timothei.* Contra enim sentire viderentur martyrol. Romanum, Vsuardus, Maurolycus, & alij, qui hac die non Timothei tantum translationem, sed Andreę Apostoli, & Lucæ Euangelistæ ex Achaia, & ante Timotheum adnotauerunt. Hæsitãtiam tollerent S. Timothei reliquiæ trãslatæ seiunctim ab alijs SS. Andreæ, & Lucæ anno 22. Constantij Imperatoris vt signat D. Hieronymus in chronico, illæ verò anno 23. nisi pugnaret pro die

Theo-

Theodorus Lector 2. collectan. vbi Timothei translationem reposuit in viij. Kal. Iulij; reliquias vero Andreæ, & Lucæ translatas esse refert v. non. Martij. Repugnant etiam fasti Idatiani in quibus Cõstantio viij. & Iuliano Cæs. Coss. legitur, *His Cõsulibus introirũt Constantinopolim reliquiæ Apostoli Timotei die Kalen. Iunii*; deinde addit Constantio ix. & Iuliano Cæs. xi. *Introierunt Constantinopolim reliquiæ SS. Apostolorũ Andreæ, & Lucæ v. non. Martii.* Sed quocũq. die facta fuerit reliquiarũ trãslatio, solemnẽ diẽ, seu Natalem Timothei non pugnat statutũ esse in septimo Idus Maij, quãdo ita cõstanter plures editi, & mss. codices affirmant, & potuit cõmunis etiam celebritas Andreę, & Lucę constitui; cũ tempore Iustiniani refossa iterum corpora, iterum etiã simul translata sunt, vt notat Procopius lib. 1. de ædific. Iustiniani.

Romæ Via Latina Gordiani. Memoria S. Gordiani iteratur etiam sequenti die. Fortasse quoniam, vt in Menologio Sirleti exprimitur, hac die Orientalis Ecclesia Gordianum Romanum martyrem veneraretur. At Primolus qui socius Gordiano additur in codicibus nostris, Antuerpiensi, ac Corbeiensi, suspicionem moueret, an alius esset Gordianus, nisi locus sepulturæ Via Latina eundem esse suaderet. Promolus non Primulus dicitur in altero ex codicibus nostris S. Gordiani socius, & Romæ tantum recoli non Via Latina M. Antuerpiense retinet; nil autem vetaret illud Via Latina in Codicibus nostris, & Corbeiensi additamentum esse inscij librarij ex latercule sequenti.

Nat. S. Beati Confessoris. Sanctum hunc, nomine etiam Beatum veneratur M. Romanum ex Beda, & Vsuardo in Castro Vendecino; Ita quoq. Bellinus de Padua, Maurolicus, & Saussayus, qui cum die hoc 9. Maij nihil aliud exhibeat præter quam quod *In Castro Vindocinẽsi Episcopatus Carnutensis S. Beati Confessoris* in obscuro eius vitam latere suadent. Eadem habere iam vidimus ms. Reginæ Sueciæ ex Antiquario Gallico. Corrigendus est Rabanus, qui *Romæ Natalem S. Beati Confessoris* hoc ipso die recolit; Romæ enim nullus alius Beatũ tribuit.

VI. Idus Maij.

ROmæ Via Latina in Cimiterio eiusdem Natalis S. Gordiani. Et in Cimiterio Pretextati, Romæ natalis S. Efimaci, & Maioris. Coni. Quarti. Quinti. Probati. Moece. Petri. Datiui. Ianuarij. Fortunionis. Tecle. Lucelle. Maxime: Matrone. Aexiopoli Cyrilli. Cendeis. Dionis. Acaci. Crispionis. Zenonis. Afrodisi. Priuati. Giddini. Petri. Saturnini. Datiue. Fortuni. Lucelle. Maxime. Matronæ. Mutaci. Silici. Victori. Ianuari. Secusæ. Bonosæ. Victorine. Matuli. Constantie. Maxime. Ianuari. Gemini. Samini. Peregrine. Eruli. Senteri. Marullæ. Felicis. Indici. Reflenti. Tinni. Felioni. Thuinti; Silcuci. Zeltule. Ianuariæ. Fortunatæ. Theclaciæ. Donati. Rogate. Pauline. Nine. Honori. Candediæ. Secundi. Saturnini. Donati. Felicis. Marci. Nappoli. Cotidei. Dati. Nasomosi. Satulli. Victoris. Masuti. Malci. Scueri. Marciani. Fortuni. Saturi. Quintali. Fidelis. Scuerioli, Quinti. Fausti. Donati. Excritati. Pirioci. Septimi. Lucini.

ni. Reſtituti. Datiui. Ianuarij. Ninæ. Felicis. Satire. Marcelle. Tuiae. Matrone. Lucuſæ. Victoriæ. Feliciæ. Iocunde. Glorioſe. Rogatine. Victorinæ. Iuliæ. Prime. Fortunati. Marie. Rogati. Monni. Iacobi. Septemine. Maurellæ. Inditi. Tuni. Felicionis. Seleugi. Honorati. Saturni. Lvcini. Zebberiæ. Venuſte. Saturnæ. Cyrilli. Dioniſi. Et alibi depoſitio, ſiue Natalis Iob Prophetæ.

MAII 10.

LOngiores huius diei Ephimeridas vereor, ne in noſtris, & Corbeienſi codicibus minus accurate ſcriptas fateri expediat, cum in M. Vetuſtiſſimo Antuerpienſi magis diſtinctæ compareant regiones, & Vrbes in quibus adnotati martyres, vel paſſi, vel antiquitus venerati fuerint. Primo ergo loco integrum ex eodem latercuculum exhibemus. *VI. Idus Romæ paſſio Gordiani. Romæ Epimachis, & Midonis Confeſſoris.. Via Latina ad Centum aulas, Quarti, & Quinti. In Affrica Probatæ, Mecæ, Petri, Datiui, Ianuari, Furtunionis, Thecla, Lucellę, Maximæ Matronæ. Axiopoli Cyrilli, Cendis, Dioni, Acaici, Cripionis, Zenonis. Tarſo Cylicię, Afrodiſi, Priuati, Giddini, Saturnini, Petri, Datini, Furtuni, Lucellæ, Maximæ, Matronæ, Mutaci, Cicili, Victuri, Ianuari, Securæ, Victuriæ, Bonoſi, Conſtantiæ, Maximi, Gemini, Ianuari, Samni, Perecriæ, Sinteriæ, Nuli, Maiolæ, Maruli, Felicis, Indidi, Reflenti, Tinni, Filioni, Tinthiſi, Leuci, Zetulæ, Ianuariæ, Furtunatæ, Teclaciæ, Rogatæ, Paulinæ, Iauari Ninę, Ianuari, Condeliæ, Honoriæ, Saturnini, Saturni, Secundi, Donati, Solutoris, Felicis, Marcinappoli, Cuddei, Dati, Naſomoſi. Item Victoris, Satuli, Maſſiti, Malei, Seueri, Marciani, Furtuni, Saturi, Quintali, Seuerioli, Felicis, Quinti, Fauſti, Donati, Excritati, Septimi, Lucini, Reſtituti. Birti, Datinæ. Item Ianuariæ, Ninæ, Feliciæ, Satiræ, Marcillæ, Matronę, Tuię, Luęſæ, Victurinę. Item Felicię, Iocundę, Glorioſę, Rogatinę, Victurinę, Iulię, Primę. Item Furtunati, Manę, Rogati, Munni, Iacobi, Septiminę, Maurelli, Incidi, Tunni, Felicionis, Seleuci, Honorati, Saturnini, Lucini, Gebberię, Venoſta, Saturnę, Quintulę. Itē Cyrilli, Dioniſi. Alibi depoſitio Iob Prophetę.* Non tamen ita purũ putamus hac ipſa die M. Antuerpiẽſe, quin & nævos ſuos habeat. Apponemus illi Corbeienſe, vt ſingula deinde cõferamus *VI. Idus Maÿ. Romę Via Latina in Cimiterio eiuſdẽ Natalis Gordiani, Iulÿ. In Cimiterio Prętextati Romę Natalis Sancti Epimachi, & Maioris Confeſſoris, Quarti, & Quinti, & Probatę, Męcę, Petri, Ianuarÿ, Fortunionis, Teclę. Axiopoli, Cyrilli, Cendis, Dionÿ, Acciſi, Criſpionis, Zenonis, Afrodiſi, Priuati, Giddini, Petri, Saturnini, Datiui, Fortuni, Lucellę, Maximę, Matronæ, Mutaci. Cicili, Victuri, Ianuari, Sacuſę, Bonoſę, Victurinę, Maiuli, Conſtantię, Maximę, Iannarii, Gemini, Semini, Peregrię, Eruli, Senteri, Marulli, Felicis, Indici, Reflenti, Tinni, Felioni, Tuinti, Seleuci, Zetulæ, Ianuariæ, Fortunati, Tedetiæ, Donati, Rogatæ, Paulinæ, Ianuari, Ninæ, Honori, Candediæ, Secundi, Saturnini, Donati, Solutoris, Felicis, Marci, Nappoli, Coddei, Datis Naſo, Moſi, Satuli, Victoris, Maſuti, Malchi, Seueri, Martiani, Fortuni, Saturi, Quintali, Fidelis, Seuerioli, Quinti, Fauſti, Donati, Excritati, Septimi, Lucini, Reſtituti, Birici, Datinæ, itē Ianuarię, Ninæ, Felicis, Satiræ, Marcillæ, Tuię, Matronę, Lucuſę, Victurię. Felicię, Iocundę, Glorioſę, Rogatinæ, Victurinæ, Iulię, Primę, Fortunati,*

nati, Marię, Rogati, Monni, Iacobi, Septimia, Maurelli, Incidi, Tuni, Felicionis, Seleugi, Honorati, Saturni, Lucini, Zeberiæ, Venusti, Saturnini, Quintulæ. Item Cyrilli, Dionisi. Et alibi depositio Iuuenalis, & Iob Propheta. In sacramentario Gregorij 6. Idus Maij Orationes prostant pro Missa *in Natali S. Gordiani, & Epimachi,* & in Calendarijs, ita iunctim venerantur, vt simul socios fuisse martyrij videantur; & re vera pridie huius diei Græci eorum agonem Romæ vtrisq. cõmunem referunt. & elogium ita claudũt, *plurima tormenta subeuntes securi percussi sunt* in Menologio Sirleti. Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, qui S. Gordiani Acta delibant, vtrumq. Romæ passum videntur asserere, diuerso quidem tempore, & Gordianum expresè sub Iuliano, & post Epimachum, quem insuper addit martyrol. Romanum passum esse Alexãdriæ, eiusque reliquias paulo, autẽ trium. phum Gordiani translatas fuisse Romã, & in cripta deinde ijsdem communi repositas, Via Latina. Addit Notkerus de Epimacho hæc verba *Quem ferunt vnũ de septuaginta discipulis Domini IESV Christi fuisse.* Translationem S. Epimachi Alexandria Romam adnotauit Ado; & quamuis in Actis, quæ ex Metaphraste, & Lippomano habet Surius, non expresse dicatur S. Epimachum Romæ certamen compleuisse, nihil tamen de Alexandria dicitur, sed tantum Gordianum conditum fuisse *non longe ab Vrbe Roma, plus minus milliario vno, via Latina in cripta vbi iam pridem S. Epimachus sepultus fuerat*; quæ consonant cum Vetusto ms. Hagiologio nostro, & alijs mss, apud Aringhium infra adducendum. Petrus vero de Nat. lib. 4. cap. 149. pariter narrat Gordianum sepultum fuisse, *cum B. Epimacho, quem dudum ante prædictus Iulianus occidi iusserat* Via Latina. Distinguit quidem martyrol. Vetustius nostrum Gordianum ab Epimacho non modo loquendi formula, sed Cœmeterio, & loco sepulcri, ita enim cum Corbeiensi martyrol. & Adone *Romę Via Latina in Cœmeterio eiusdem natalis S. Gordiani, & in Cœmiterio Prætestati Romæ Natalis S. Epimaci.* Ita etiam tanquam loco distinctos, quamuis in eadem Vrbe, idem videtur confirmare M. Antuerpiense. *Romæ passio Gordiani. Romę Epimaci.* De S. Gordiano etiã seiũctim, & diffusiùs agit Rabanus. Cœmeterium primo ab Vrbe Lapide Via Latina vocatum fuisse Gordiani ex Petro Manlio docet Aringhius Romæ Subterraneæ lib. 4. cap. 30. Latinam viam prope Appiam fuisse habetur ex actis S. Nemesij Diaconi, qui capite truncatus inter viam Appiam, & Latinam, sepultus dicitur via Latina, non longe ab Vrbe. Et fortasse cœmeterium Prætestati Via Appia contiguum erat cœmeterio Gordiani, ita vt Notkerus Gordianum velit sepultum in *Crypta in cœmeterio Prætestati, vbi iam pridem corpus B. Epimachi sepultum fuerat.* Ad Epimacum addunt socios, vt puto librariorum vitio codices nostri, Maiorem, & Conum hoc est, *& Maioris Coni.* Martyrologiũ Corbeiense legit, & *Maioris Confessoris.* Vetustissimum Antuerpiense, *Et Midonis Confessoris*, vt in nostris codicibus pro breuiata voce *Coni* restituendum videatur *Confessoris.* Vereor tamen ne Lacinia hæc sit, & interpolatio alicuius antiquarij in vetustiori prototypo: inusitatum enim est his codicibus nomen Confessoris, nisi ad recentiores Sanctos, qui in pace quieuerint indicandos, & nihil cum S. Epimaco S. Maiorem, vel Midonem habere commune, præter locum venerationis, qui Romæ fortasse fuerit. An de S. Cetrone cõfessore memoria hìc agatur suspicari etiã licet. Huius insignẽ pœnitentiã assuti sibi magni lapidis narrat Petrus de Natal. lib. 4. cap. 147. A S. Medonę nomen Cetronis nõ valde distat, sicuti nec dies Natalis, qui signatur vij. Idus Maij.

Quarti, & Quinti. Mutilos hìc esse codices nostros, & Corbeiensem monet Antuerpiense, quod ante Quartum, & Quintum addit, *Via Latina ad Cẽtum Aulas Quarti, & Quinti.* Hoc fuisse

cœ-

cœmeterium Via Latina dictum ad Cétum Aulas, & in quò sepulti fuerint illi martyres, ita habetur apud Bibliothecarium in Hadriano. *Simili modo & Basilicam SS.Gordiani, & Epimachi; seu cœmeterium eiusdem Ecclesiæ, Simplicii, & Seruiliani, atq. Quarti, & Quinti martyrum, & B.Sophiæ, cum Cœmeterio S.Tertulliani foris portam Latinam, à nono renouauit.* Et eo magis restituenda in Vetustiori nostro verba illa existimarem, quòd in M. Adonis legantur ex Vetustiori Hieronymiano emendato. *Item Romæ via Latina ad Centum aulas natalis SS.Quarti, & Quinti.* Ita in M. Romano, cum quo idem habent Beda, Vsuardus, Maurolicus, Bellinus de Padua, Galesinius. Notkerus, quod miror, non meminit, cum tamen inter martyres Romanos sequentes superaddat. *Romæ Falsonis, Viuianæ, & Anitiæ, Lucinæ coniugis eius, cum alijs plurimis Martyribus.* SS.Quartum, & Quintum Capuam fuisse translatos habent idem Romanum martyrologium, & Capuanæ Ecclesiæ scriptores.

Probati, Neæ. Accuratius decem martyres, qui Probatæ, non Probato subnectuntur Africæ tribuit martyrol. Vetustissimum Antuerpiense, & supplendũ est Vetustius nostrum, & Corbeiense additis ante Probatum, seu potius Probatam verbis illis, *In Africa*, & in Corbeiensi restituendi sunt Datiuus, Lucella, Maxima, & Matrona, quamuis eadem nomina in vberrima Tarsiensium nomenclatura legantur. Ea enim Antiquariũ remouisse probabile est, quòd librarij vitio in alia classe crediderit repetita; sed cum Codices nostri cum Antuerpiensi in serie Africanorum martyrum conueniãt, & inter Tarsenses constanter Datiuus, Fortunius, Lvcella, Maxima, & Matrona repetantur, in tanta Martyrum segete non videtur impossibile, nuda plurima nomina coincidere.

Axiopoli Cyrilli. Pridie huius diei Axiopolitanos martyres veneratos vidimus Quirillum, Quindeum, & Zenonem. An ijdem hìc cum alijs socijs repetantur non decerno. Alios eiusdem classis, sed altera die coronatos alibi obseruamus coniũgi, & ne disiungãtur potius aliquos in sacra Ephemeride iterata memoria recoli. Cendis in Antuerpiensi martyrologio alter ex his dicitur, non Quindeus, sed parua differentia. In codicibus nostris Cindeis vocatur, sicuti pro Quirillo Cirillus. Noui etiã socij adduntur Dion, Acacius, & Crispionius, siue Dionius, Acaicus, & Cripion, vt legit martyrol. Antuerpiense, vel Dionius Accisius, & Chrispionius, vt habetur in Corbeiense.

Afrodisÿ. Et in hac martyrum serie locus agonis deficit in codicibus nostris, & Corbeiense, qui disertè adnotatur in martyrol. Antuerpiensi hoc pacto. *In Tarsò Ciliciæ Afrodisÿ, Priuati,* cum reliquis centum, & vndecim martyribus nominatim recensitis. Totidem sub duce Afrodisio numerãtur in M. Corbeiensi; in codicibus verò nostris centum tãtum & octo producuntur; sed re vera non nisi Ianuarius post Paulinam, & Quintula, seu Quintuba post Saturnam, ante Cyrillum deficiunt; nam Mosus librarij errore cum Noso confusus est, & ex duobus vnus conflatus Nosimosis, qui in duo distinguitur, tam in Corbeiensi, quã Antuerpiensi. Differunt etiam aliquantulũ inter se nomina, & per eorũdem inflexionem Sancti martyres sexu differre apparent, præsertim in alterutro ex libris nostris, quod illis emendare facilius erit, qui pluribus mss. codicibus abundant, sicuti in adductis differentiã agnoscere vnicuiq. difficile non erit. An Afrodisius antesignanus idem Tarsensis martyr sit, cuius septimo Idus huius mẽsis egimus, ambigerem, nec tamen negare pernicaciter auderem; potuit enim accidere, vt in tormentis socij, alio die consumarentur, & iunctim tamen eorũdem ageretur memoria, quamuis ex his aliqui, seiunctim coronati, proprium diẽ in dypticis retinuissent, vt supra etiam diximus. Rabanus *VI. Idus Sanctorum*

Falsonis

Falconi, & aliorum martyrum memoriam renouat, sed locum silet.

Et alibi Depositio siue Natalis Iob. Vereor ne M. Corbeiense Dacherij depositionem *Iuuenalis* retineat pro eo quod nostri codices legunt, *siue natalis*; nullus enim Iuuenalis in alijs mss. aut editis martyrologijs comparet; Antuerpiense tantum præfert. *Alibi depositio Iob prophetæ*, quam depositionis vocem Antiquarius noster solemniori cultu, Natalem interpretauit. Nisi potius, vt in martyribus assolet, pro martyre patientissimum virum recoluerit. Ab Antiquo sanè tempore Festum S. Iob passio dicebatur, & apud Origenem patet lib. 1. in Iob his verbis *Similiter autem, & in commemoratione Ecclesiæ, in diebus Sanctis legitur passio Iob.* Inter martyres ita illum reposuit S. Chrysostomus, Homel. de Iob. *Quis enim, & martyr, qui hic non potuit aquari? imò martyres innumeros hic vnus aquat.* Vndè non esse mirandum aliquos libros depositionem habere, alios natalem: depositionem S. Iob retinet Notkerus; ms. verò Reginæ Sueciæ Natalem. *Et alibi natalis S. Iob Prophetæ.* Brocardus de locis Sanctis lib. 1. cap. 4. §. 9. traditionem hanc affert de sepulcro S. Iob. *Iuxta Suecham est Pyramis, sub qua creditur B. Iob monumentum contineri.* In hunc mensem omnia ferè Hagiologia memoriam eius recolunt, non tamen eadem die. M. Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, Vuandelbertus, & mss. adducti codices in hūc decimum Maij diem conueniunt. Græcitam in calendario Genebrardi, quam in Menologio Canisij festum celebrant die sexta. Locum memoriæ, quod & natale solum fuit terram Hus addit Rom. martyrol. & Maurolycus explicat in finibus Idumeæ, & Arabiæ.

V. Idus Madij.

IN Syrmi natalis S. Montani. In Africa Maioli. Victorinæ. Fortunate. Septimi. Comini. Iulij. Crispi. Ianuariæ. Primoli. Manili Nerei. Item Manili. Victoriæ. Fortunati. Ianuarij. Romæ Achelli. Sipponi. Epimini. Nerei. Via Salutaria milia. xxij. Natalis S. Antimi. In Asia Natalis Sanctorum Demetri, Taddei. Depositio Nepotiani. *Vienna depositio Mamerti, & Martini Episcopi.*

MAII II.

VI Romæ S. Anthimus ad finem potius laterculi signatur in nostris codicibus, in M. Antuerpiensi ita chorum ducit. *V. Idus. Romæ S. Antimi Infirmi, Montani. In Affrica Maioli, Victorini, Iuli, Ianuariæ, Primuli, Nerei, Manili. Item Manili, Victuris, Fortunati, Ianuari. Romæ Achilis, Epimeni, Nerei. In Asia Sanctorum Dimetri, Attici, Tadhei, & alibi depositio Nepotiani. Vienna Natalis Mamerti, & Martini Episcoporum.* Cum nostris codicibus in ordine magis consonat, quamuis in aliquibus mutilum M. Corbeiense. *V. Idus Maij. In Sirmia Natalis S. Montani. In Africa, Maioli, Victorini, Fortunati, Septimi, Iulij, Crispi, Ianuariæ, Primuli, Manili, Nerei. Item Manilis, Victuriæ, Fortunati, Ianuari, Iocundi, Syppiani, Apimini. Via Salariæ miliario vigesimo secundo natalis Sancti Anthimi. In Asia Natalis Sanctorum Demetrij, Taddei, & depositio Nepotiani. Vienna Depositio Mamerti,*

merti, & Mamertini Episcoporum.

In Sirmia. De Montano martyre Sirmiense cum Maxima agit Rom. martyrologium ad diē 26. Martij ex Beda, Vsuardo, & Adone, quibus addimus Notkerum, & ms. Reginæ Sueciæ, cum M. Antuerpiensi; quamuis in codicibus nostris, & Corbeiensi Munatus ille, non Montanus dicatur. Nihil autem vetaret Montanum hac die veneratum diuersum ab illo Presbytero esse, cum hìc nec Sacerdotij titulus, nec socia vxor addatur.

In Africa Maioli. Decurtauit suo more Notkerus Africanorum pugilum turmam hoc pacto. *In Africa Maioli, Victorini, Fortunati, & aliorum multorum.* Quatuordecim tātum nominibus expressit M. Antuerpiense, decem, & septem Corbeiense, quindecim codices nostri. At confusum est Corbeiense: binos enim martyres Syppionum, siue Sippianum, & Æpiminium, in Vetustiori nostro Romanos martyres, Africæ tribuit, mutilū verò in Comino, quem silet: abundat tamen in Iocundo alijs ignoto. Deficit etiam in Antuerpiensi Cyrillus binis codicibus nostris, & Antuerpiensi communis. Alibi sacros hos Africanos martyres memoratos non inuenio, & pro Fortunato M. Antuerpiēse Fortunatā legit.

Romæ Achellas. Tres tantum martyres Romæ exhibet M. vetustissimum Achilem, Epimenium, & Nereum. Sippionem addunt codices nostri. Nereum, & Achilleum coniunctim hac die veneratur antiquum calendarium à Fronto editum. Sed vereor ne error fuerit innumerali nota diei cum cœtera omnia martyrologia de illis in crastinum agant. Malu hìc existimare Achellum, siue Achilem, & Nereum diuersos esse à Nereo, & Achilleo maioris famæ: tū quòd Achilleus die sequenti expressè dicitur in mss. omnibus adductis martyrologijs, non Achillus, siue Achiles: tum quod alij hìc socij addantur.

Via Salutaria. Librarij incuriam sæpe dolemus. Vtinam vbiq; tā facilem emēdationem admitteret. Pro Salutaria, Salariam viam restituendam esse aperte patet. S. Antimum in capite laterculi M. Vetustissimum veneratur, addito tantum loco *Romæ*: Corbeiense præterito Vrbis nomine tamquam notissimo legit *Via Salaria milliario xxij. S. Anthimi*; totidemque verbis Notkerus, & ms. Reginæ Sueciæ. Aliqua ex eius Actis notat M. Romanum, quæ extant apud Surium. Meminit eiusdem Beda, Vsuardus, Ado, & recentiores; ac sermonem S. Petri Damiani in eiusdem festum exhibet idem Surius. Sunt qui S. Anthimum Presbyterum cum Anthimo Interamniēsi Episcopo confundant, & errorem notat Bollandus ad diem 21. Februarij.

In Asia. Notkerus inter edita martyrologia ità de his martyribus agit. *In Asia nat. SS. Demetrij, & Taddei.* Et totidem verbis ms. Reginæ Sueciæ. Atticū addit intermedium martyrol. Antuerpiēse, quem præterierunt Corbeiense, & Vetustius nostrum. Reliqua me latent. De Magno martyre Demetrio cognomento Minobleto ex Vrbe Thessalonica, eiusque socio Nestore agunt Græci in Menologio ad 26. Octobris, quos alios esse putarem.

Depositio Nepotiani. D. Hieronymum in hoc vetustiori martyrol. labiorē aliquod impendisse hæc Nepotiani commemoratio innuere videtur. In re nota sufficiat nobis aliqua tantum ex Notkero adferre. *Item Depositio Nepotiani presbyteri nepotis Heliodori Episcopi de sorore. In cuius Epithaphij consolatione S. Hieronymus totum mundum pro eis, qua in eo fiunt malis, & accidunt calamitatibus in luctum, & lamentationem conuertit.*

Vienna depositio Mamerti. De Mamerto Viennensium Episcopo, qui ob imminentem cladem solemnes instituit supplicationes, seu ante Ascensionem Domini Litanias, ita memoria apud omnes celebris est, & vt immorari hìc nō expediat. Vnum addam, ne quomodocumq. patriā meam Lucam ascripto illi honore fraudē, vulgarem scil. auctorem secundæ partis Elucidarij Poetici Venetijs

tijs editæ S. Mamertum hunc asserere Italum fuisse, & Patria Lvcensem, cuius assertionis cum nullam apud alium scriptorem memoriam inuenerim, vnde acceperit nec fidē detraho, nec astruo. Vetustissima quidem Ecclesia S. Mamerto dicata adhuc perstat in Lvcensi mōtana ditione, vbi Brancalum dicitur, vigente adhuc adiacentium rusticorum in Sanctum Episcopum deuotione. Eundem Notkerus veneratur breui elogio; memoriam vero vt in Vetustiori nostro ita etiam S. Martini Viennēsis Episcopi agit. *Vienna Beatorum Episcoporum Martini, & Materni*. Vbi manifestus librarij error corrigendus, & restituendus Mamertus pro Materno, de quo videndus Baronius, & Surius, & Saussayus, qui tamen de S. Martino Apostolorum Discipulo festum diem notat ad diem calēdarum Iulij, quemadmodum etiam Sammarthani, qui tertium Viennensium Archiepiscopum in Gallia Christiana breuissimè constituunt, & decimumseptimū diffusiori stylo Mamertum.

IIII. Idus Maij.

ROmę Natalis Sanctorum Nerei. Achillei, & S. Pancratij. Gradi. & Rotheris. Virginis Sotheris. Iohanis. Achillis. Morei. Affroditi cum alijs nūo DIIII. quorum nomina Dns scit. Alexandri. Moysitis. In Africa Panerati.

MAII 12.

LEgionem non centuriā martyrum Romanorū numerāt hodiernæ Ephemerides. Supra codices nostros abundat martyrologiū Antuerpiense duobus martyribus Cyriaco, & Maximo, & supra hoc & illos Corbeiense in Iulio postremæ classis. Deficit tamen in Rotere Virgine, quam librarius eandem cum Soteride putauit, & præterijt. Constanter tamen eam retinēt ijdem codices nostri, & illud vetustissimum hoc pacto. *IIII. Idus Maij. Romæ Nerei, & Achilei, & Natalis Sancti Pancrati Martyris, Cyriaci, Maximi, Gnati, Roteris Virginis, Soteris, Ioannis, Achilis, Moirei, Afroti, & aliorū ccccciiij. Alexandri, & Moisitis. In Africa Pracati.* Corbeiense verò martyrol. hoc ordine *IV. Idus Maij Romæ Natalis SS. Nerei, & Achillei fratrum. Et alibi Natalis S. Pancratij, Gradi. & Sotheris Virginis, Ioannis, Achillis, Moisei, Afroditi cum alijs numero quingentis quatuor, quorum nomina Deus scit, Alexandri, Moisitis, Iulij. In Africa Pancrati.*

Nerei, & Achillei. Romanos celebres martyres omnia recolunt hac die Latinorum martyrologia, Romanum, Bedæ, Rabani, Vsuardi, Adonis, Notkeri, Vvandelberti, & recentiorum. Sepultos Romæ Via Ardeatina in crypta arenaria, iuxta sepulcrum Petronillæ Filiæ Petri Apostoli, à quo ipsi quoque baptizati fuerant, narratur in eorundē Actis apud Surium, & in fragmentis ms. apud Aringhium Romæ subt. lib. 3. c. 18. Is quidē ea nititur componere cum Beda in loco sepulcri, dum illic conditos affirmat Sanctos Fratres in cœmeterio Prætestati. Se Notkerum habeo mediatorē, qui eorundem Acta per compendia retexens, docet Sanctorum corpora Terracina per cymbam Romam deducta, in prædio S. Domitillæ Via Ardeatina sepulta fuisse, celebritatem vero seu Natalem celebrem fuisse Romæ in cœmeterio Prætestati. Sanè cœmeterium sanctos hos martyres habuisse via Ardea-

tina ex eo patet, quod Anastasius Bibliothecarius refert illud fuisse à Ioanne primo restauratum. Romæ pariter titulum vetustum habuisse docet idē Aringhius, in quo non est dubitandum eorumdem Natalem celebrari consueuisse, sicuti labentibus annis in Diaconia S. Hadriani, vbi eorū corpora iacuerūt. Hinc diuerso tempore, & per varias translationes nō est difficile festum eorum diem potuisse in cœmeterio Præstati esse celebrem, sicuti via Ardeatina.

S. Pancratii. De S. Pancratio adolescentulo, ac celebri martyre Romano ex Phrigia oriūdo, ac via Aurelia sepulto, dum omnes passim loquuntur, præcipuè in Romano M. Baronius, vulgaria hìc iterare non est animus. An verò Cyriacus, Gratus, Maximus, & alij qui post Pancratium martyres numerantur, socij passionis fuerint, in Actis eius apud Surium non habetur; tantum Sotheris memoratur, quæ an Rotheris potius fuerit hæreo. Constanter ita scribitur, tam in codicibus nostris, quam M. Antuerpiēsi, & à Sotheride alia martyre diuiditur, virginitatis titulo addito. Notkerus tantum de Soteride, non Roteride meminit hoc elogio. *Item passio Sanctissimæ Virginis Sotheris genere nobilis sub Diocletiano Augusto.* De Sothere Romana Virgine, quæ cœmeterium sui nominis habuit, egimus ad diem 8. Idus Februar. quando in plurimis MM. veneratur. Baronius eruditissimus sentire ibi videtur, eandem illā Sotherim esse, cuius in Actis S. Pancratij memoria recolitur, dū statim subditur ad passionem illius 4. *idus Maii. Eodem tempore passa est Sacratissima Virgo Soteris nobili genere orta.* Sanctæ huius martyris à S. Pancratio seiunctim agit Notkerus, & alterius etiam classis reliquos martyres existimauit, dū inquit. *Item passio SS. Ioannis, Achillis Moysei, Aphroditi, cum aliis numero quinquaginta quatuor.*

Et aliorum DIIII. Quinquaginta tātum quatuor anonymos habet Notkerus vt vidimus, sed constanter quingentos quatuor bini codices nostri, & MM. Antuerpiense, & Corbeiense retinent; quod difficile non est sub Diocletiano, quando passionem perfecerunt Pancratius, & Sotheris.

Alexandri. Postremā hanc Romanorum martyrum turmam, præter adductos codices, nemo indicat. Notkerus Moisetem Achilli iungit, qui Moreus, vel Moireus est codicibus nostris, & Antuerpiensi; Moisites quidem Alexandro vtrobiq. iungitur.

In Affrica. Solitarius Africæ martyr diuersimodè scribitur. In vetustissimo legitur *Pracati*, in Corbeiēsi Prancati, sicuti etiam in codicibus nostris.

III. Idus Maij.

IN Alexandria Natalis Sanctorum Afrodisi. Agriffæ. Sauini. Grippì. Lvci. Cyrillæ. Cridulæ cum alijs ij. In Palestina Taraci. Probi. & Andronici. In Polentia passio S. Victoris. Saturnini. Alexandri. *Treiesto depositio S. Seruasiæ Presbyteri, & Confessoris. & Translatio, & dedicatio Basilicæ.* Agrippe. Agris. Cyrille. Sauini. Creduli. Maximi. Gagi. *Depositio Sebastiani Episcopi. In Ciuitate Antisiodorensi Depositio, & Translatio corporis S. Marcellini Episcopi.*

Anti-

MAII 13.

ANtiquarius Gallicus malè huius diei laterculum noſtrum interpolauit, & aliquantulum decurtauit. Facilè apparet ex martyrol. Antuerpienſi. *III. Idus. In Alexãdria Aprodiſi, Agrippæ, Sabini, Griſi, Lucirillæ, Oritulę, & aliorum trium, Paleſtina Taraci, Probi, Andronici, Ponlentia, Victoris. In Vicia Daucti, Saturnini, Alexandri, Agrippę, aeris, Cirilla, Sabini, Credola, Maximi, Gagi. Depoſitio Sebaſtiani Epiſcopi. In Ciuitate Antiſiodoro Depoſitio, & translatio Marcelliani Epiſcopi.* Vereor etiam ne minus ſincerum ſit martyrol. Corbeienſe ita exaratum. III. *Idus Maij: In Alexandria, Natalis ſanctorũ Afrodiſij, Agrippę, Sauini, Griſi, Lucii, Cyrillę, Cridula, cũ aliis duobus, Iuuini. Treiecto porto in Gallia depoſitio S. Seruacij Epiſcopi, & Cõfeſſoris. In Paleſtina Taraci, Probi, & Andronici. In Polẽtia paſſio S. Victoris, & Saturnini. In Alexãdria Agrippę, Veris, Cyrilli, Sauini, Maximi, Credili, Gagi; & depoſitio Sebaſtiani Epiſcopi. In Ciuitate Antiſiodoro depoſitio, & trãslatio S. Marcelliani Epiſcopi.*

In Alexandria. Septem martyribus Alexandrinis nominatim expreſſis duos anonymos iungunt codices noſtri, & Corbeienſis, in quo Iouinus poſt illos additur, alijs ignotus. M. Antuerpienſe tres anonymos præfert, dum tamen ex nominatis Cridulam prætermittit, & Lucium, & Cyrillam ſub vno nomine Lucirillæ complectitur. De his ſuo more decurtato agmine meminit Notkerus. *In Alexandria Aphrodiſii Agrippæ, & multorum martyrum.*

In Paleſtina. De tribus ſub Taraci, Probi, & Andronici nomine martyribus ad xi. diem Octobris agit martyrol. Romanum ex Beda, Vſuardo, & cæteris latinis. At hos non in Paleſtina, ſed Tarſi in Cilicia agonem perfeciſſe habent Acta apud Metaphraſtem, & ſinceriora Proconſularia apud Baronium anno 290. Diẽ paſſionis, cum iudiciũ cæptũ fuerit 8. Cal. Aprilis, quando ex veteri inſtituto Paſſio Domini celebrabatur, & in longius fuerit protractũ, incõgruum non eſſet incidiſſe in xiij. Maij. Cur etiam in vetuſtiori noſtro hi tres martyres iterum recolãtur v. Cal. Octobris in Tarſo Ciliciæ, & 7. Idus Octobris in Cilicia, & Nonis Aprilis in Cæſarea Lyciæ, vel potius, vt ibi dicimus in Cilicia, non ita facilè eſt decernere. Videantur quæ de his ſanctis martyribus adnotauimus in adductis diebus.

In Polentia. Polentiæ nomen, ſeu potius Pnolentiæ ita ſcribitur in martyrologio Antuerpẽſi, vt potius nomen martyris, quam Vrbis eſſe videatur. At ex antiquis martyrologijs Notkerus legit. *In Polentia paſſio ſanctorum Victoris, & Saturnini.* Et in Polentia retinent bini codices noſtri cum martyrol. Corbeiẽſi. Plura oppida huius nominis Geographis memorantur. Polentia, ſiue Pollẽtia Vrbs erat Liguriæ apud Tanarum Fluuium nunc exciſa. Meminerunt huius Ptolemeus, Plinius, & Claudianus, de Vict. Stilic. Rudera eius ſparſa nunc viſuntur inter Tanarum, & Bruidam oppidum. Alteram Polentiam in Piceno, inter Maceratam, & Septempedanũ, vnde Polentini Plinio, exhibet Ferrarius. Tertia eſt Balearidis maioris oppidum Straboni, Pomponio, & Plinio apud Ortelium. De prima hic agi putarem, vt potè maioris famæ. An Pollentiæ etiam tribuendi ſint, qui poſt Saturninum martyres notantur Alexãder, Agrippa, Agris, Cyrillus, Sauinius, Credulus, Maximus, & Gagius, ſi amoueatur lacinia malè hic appoſita de S. Seruaſio, omnino exiſtimarem, idq; præcipue ex fide martyrol. Vetuſtiſſimi, in quo nulla interpoſita remora, omnes illi martyres iugiter recolũtur, tũ etiã quòd *Alexandri*, non in Alexandria conſtãter legunt Codices noſtri cum eodem Antuerpienſi

tuerpiensi, quamuis *in Alexandria* retineat martyrol. Corbeiense pro Alexandro; & minus quidem appositè vt videtur, quia initio laterculi iam Alexandriæ martyres numerauerat.

Treiecto. Interpolatos hìc esse codices nostros ex apposita veneratione S. Seruasij, siue Seruatij Episcopi Tungrẽsis iam diximus, &si statim post Alexandrinos martyres in martyrol. Corbeiensi assuatur eadem Lacinia, quæ in Antuerpiensi deest. Floruit Sanctus Episcopus sæculo quarto, & interfuit Sardicensi, alijsq; concilijs. Vnde præ vetustate potuisset quidem in vetustiori martyrol. numerari. At manifestum est, ex ora vetustioris codicis ab inscio librario alieno loco appositum esse. De eo tamen omnia latinorum martyrologia agunt, & plura ad Romanum colligit Baronius. Eadem die translationem aliquam eius, & Basilicæ illius dedicationẽ, cuius ex miraculo niuis eadẽ MM. meminerunt, hìc adnotari non dubitarẽ. In Traiectensi Vrbe obijsse refert Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. cap. 5. Translationem notat idem Gregorius de Gloria Confess. cap. 72. & prodigiosam niuẽ ad eius sepulcrum liquatam, donec Basilica cõstrueretur. Meminit S. Seruati ad hanc diem antiquum Hagiologium FrancoGalliæ. III. *Idus. Ipso die S. Seruatij Tungrensis Episcopi, & Confessoris.* Vnde in codicibus nostris pro *Seruasia*, restituendum est *Seruatij*, etiam ex fide Rabani, qui eius gesta diffusiùs prosequitur.

Agrippæ. Fateor me aliquando hæsitasse, an in verbis illis *Dedicatio Basilicæ*, si statim iungeretur *Agrippæ*, dedicatio S. Mariæ ad martyres indicaretur, cuius hac die memoriam agunt cum martyrol. Romano alia Latinorum martyrologia, & dubitandi ratio erat, quia Basilica vocata Pantheon, quæ in honorem Beatæ Virginis, & omnium martyrum à Bonifacio Papa hac die dedicata fuit, Basilica erat Agrippæ, vt adhuc superstes inscriptio docet, & videri potest cum reliquis adhanc rem spectantibus in Baronij Adnotationibus ad Kal. Nouembris. At cũ nomen Agrippæ, ex M. Antuerpiensi palam sit, esse martyris, & Basilica S. Seruatij omnibus martyrologijs nota sit, verba illa *Translatio, & Dedicatio Basilicæ* ad S. Seruatium pertinere non dubitaui, quamuis loco minus apto reposita. Ante Saturninum, Alexandrum, Agrippam, & socios in martyrol. Antuerpiẽsi *Danetus*, alijs codicibus ignotus exhibetur, & eidem locus cum alijs socijs à Victore seiunctus assignatur *In Vicia*. Vitium hìc vereor; sed neq; Corbeiense M. in hoc mutilum, neq; nostri codices suppetias ferunt. Si locus est coniecturæ, ex copiosa vbiq; Africanorum martyre messe Vrbem, vel Opidum esse in Africa putarem, vnde Vicensis Plebis Africanæ mentio incidat in Coll. Carthaginensi, vt adnotauit Ortelius. Aliqua etiam obseruatur nominum differẽtia, & qui Agris in nostris codicibus est, Aeris est in martyrol. Antuerpiensi, Veris in Corbeiensi.

Depositio Sebastiani Episcopi. Confessorem Sanctum hunc Episcopum suadet depositionis nomen. Cuius vero Vrbis Episcopus omninò me fugit; nec alibi eius memoriam licuit inuenire, præterquam in M. Vetustiori nostro, Antuerpiensi, & Corbeiensi.

In Ciuitate Autissiodoro. Tam depositionem, quam translationem hac die S. Marcelliani Episcopi Antissiodorensis, notant mss. iam adducta Martyrologia. Felici cursu migrauisse ad Christum III. Idus Maij habetur in Historia Episcoporum Autissiodorensium cap. 2. & floruisse sub Felice, & Eutichiano Rom. Pontificibus. Depositionem tãtum refert Notkerus, ms. Reginæ Sueciæ, & Hagiologium FrancoGalliæ. Obijsse etiam 3. Idus Maij, & in Autrice monte sepultum, nec amplius notant Sammarthani, qui secundum Autissiodorensem Episcopum numerant.

II. Idus Madij.

IN Syria Victoris militis, & Coronæ, qui simul passi sunt. In Affrica S. Secundiani. Quarti. Victoriani. Ianuari. Medion. Alexandri. Aframi. Maximini. Proculi. Audacti. Adeodati. In Asia Maximiani. In Mediolano Victoris. Namoris. Felicis. Rustici, & Sanctorum ccciiij. Martyrum, qui cum S. Cyriaco passi sunt. *Aruerñ dedicatio Ecclesiæ, ac Regulæ.*

MAII 14.

ELegãter Notkerus Acta insignis passionis SS. Victoris, & Coronæ, quæ apud Surium prostant in elogium redegit, & cum codicibus nostris in Syria reposuit, quemadmodũ Romanum martyrologium cum Beda, Rabano, Vsuardo, Adone, Vvandelberti, & alijs recentioribus. Consonat M. vetustissimum. *Pridie Idus. In Siria Victoris, & Corona. In Affrica Secundini, Quarci, Ianuari, Mediani, & Adaniti, Denecutia, Alexandri, Proculi, Aframi, Adaniti, Adeodati. In Asia Maximi. Mediolani, Victoris, Nemoris, Felicis, Rustici, & alibi ccciiij. martyrum, qui cum Sãcto Cyriaco passi sunt Aruern. ..... Ciuitate Agricolę.* Nec dissimilia habet M. Corbeiense. *Pridie Idus Maÿ. In Syria Victoris, & Corona, qui simul passi sunt. In Africa Natalis S. Secundiani, Quarti, Victoriani, Ianuarÿ, Medion, Alexandri, Afraniani, Maximini, Proculi, Audacti, Adeodati. In Asia Sancti Maximini. Mediolano Victoris, Timoris, Felicis, Rustici, & sanctorum trecentorum quatuor martyrum, qui cum sancto Cyriaco passi sunt. Aruernis dedicatio Ecclesiæ Sancti Agricolæ.* De S. Victore addit cum Notkero ms. Reginæ Sueciæ è Cilicia fuisse oriundum, & tam glorioſos martyres obseruat Henschenius tom. v. SS. pluries in martyrologijs venerari, vt etiam ad xx. diem Februarij. Græci in Menologio de S. Victore in Italia sub Antonino, & Sebastiano passo, tãtum agunt die xj. Nouembris apud Canisium, sed in Calendario ad eandem diem etiam Stephana additur. In Menologio Basilij non in Italia agonem compleuisse narratur, sed sub Sebastiano Italiæ Duce, simul cum Corona, quæ in Calendario Græco nomine Stephanides dicitur.

In Africa S. Secundiani. Vndecim sacri athletæ adducũtur in Africa coronati sub signifero Secundiano, vel Secundino, in nostrorum, & Corbeiẽsis codicum recensione. Duodecim sunt in martyrol. Antuerpiensi. Nec in omnibus idem ordo seruatur, nec nomina adamussim eadem sunt. Victorianum, & Medionẽ habent codices nostri, & M. Corbeiense. In Antuerpiensi Victurinus, & Medianus dicuntur, sicuti Adauitus pro Adaucto, qui bis repetitur pro Maximino aliorum codicum, supra quos abundat Derecutia. Notkerus de more Secundiano Duce indicato, reliquos martyres sub generali multorum titulo complectitur, nec alibi comparere video.

In Asia Maximiani. Maximum non Maximianum vocat martyrol. Antuerpiense, & Maximinum ex Horologio Græcorum martyrum exhibet hac die Galesinius, & in Menologio Sirleti Maximi lapidibus coronati elogium breue texitur, non indicato agonis loco,

In Mediolano. Notkerus qnatuor Xpi milites Mediolanẽses ita pariter recolit.

Medio-

Mediolani Victoris, Naboris. Felicis, Rustici. In nomine Naboris inter vetustos libros mss. non conuenit. Namorem, nō Naborem vocat Vetustius martyrol. nostrum: Timorem Corbeiense. Nemorem Antuerpiense. Camorem legit additamentū ad Adonem inter spuria reiectum à Rosuueydo. Vnde hic non agi de SS. Nabore, & Felice Mediolani maioris famę martyribus existimarem, quos recolunt cum Romano martyrologio alij mss. codices die 12. Iulij.

Et Sanctorum ccccliij. Ingentē, quæ additur, SS. pugilum turmā, alterius classis esse modus loquendi doceret, nisi & loco etiam distingueret martyrol. Vetustissimum cæteris accuratius. In hoc tamen tercenti tantum quatuor ità numerantur. *Et alibi ccciiij. Martyres, qui cum Cyrico passi sunt.* Ita & in Corbeiēse. At alij codices sunt, qui nostris in numero astipulantur. Notkerus, demptis quatuor, in numero quadringentorum conuenit. *Item quadrigentorum sanctorum qui cum S. Quiriaco passi, sunt.* Additamentum Adonis, licet cum Mediolanensibus martyribus coniungat, eodem numero consignat; *Mediolani Victoris, Camoris, Felicis, Rustici, Sanctorū ccccliij. Martyrum, qui cum S. Cyrico passi sunt.* Quis S. Cyricus sit Anonymorum antesignanus non exprimitur. Putarem S. Cyriacum Antiochenum martyrē, cuius memoria agitur in Vetustiori nostro xvi. Kal. Iuli,. Ex quo numerus etiam emēdari in alijs codicibus potest; ibi enim vt videbimus scribitur. *Antiochiæ Quirici, & Iulitæ matris eius, & cū eis ccccliij.* In martyrol. Corbeiensi rotundus tantum numerus exprimitur. *In Antiochia Cyrici, Iulitæ Matris eius, & quadringentorum martyrum.* Consonat eadem die M. Vetustissimum. *Antiochiæ Cyrico, & Iulittæ matris eius, & aliorum ccccliiii.* Peccat in numero Petrus de Natalib. lib. vj. cap. 10. dum gentiles tantum quadraginta quatuor conuersos narrat, cum quadringēti quatuor fuerint. Rectè verò addit post decem menses, fuisse coronatos. Quod tempus non male nostro M. respondet, cum Cyrici, siue Quiriaci, & Iulittæ certamen, non Idus Iulij, sed xvj. Kal. Iulij referat: dimenso nimirum vndecimo mense, seu anno intercurrente. Sed mirum tantam martyrum segetem Antiochiæ non ascribi, sed vel locum omnino reticeri, vel *alibi* incerto loco exprimi; fortasse, quod dubium sit, an Tarso Ciliciæ, vel Antiochiæ eiusdem regionis vrbe passi fint Quiricus, & Iulitta. Horum memoriam veneratur Romanū martyrologium xvj. Kal. Iulij, ne à Sancta Iulitta, à quæ conuersi sunt dissocient. In Actis horum SS. Martyrum apud Metaphrastem, & Surium nulla de Anonymis quadringentis martyribus memoria extat, qui tamen apud Petrum de Natalibus ex prodigio restitutorū corporum conuersi ad Christum, non Tarso Ciliciæ, sed in Ciuitate Iconij sub Alexandro, siue Imperatore, siue Præside capite cæsi sunt pridie nonas Iunij, & in eadem Ciuitate tumulati, vt seorsim narrat lib. 5. cap. 86. etiamsi quadraginta tantum quatuor ibi fuisse reperat. In hoc sanè ab Adone, cui plurimū innititur discedit, penes quem xvj. Kal. Iulij numerantur ccccliij. Reliqua videnda sunt ad diem 16. Iunij.

Aruernis. In Vetustiori prototypo nostrorum codicum insciciam librarij culpamus, qui dum MM. Antuerpiense, & Corbeiense recolunt dedicationem Ecclesia S. Agricolæ, vel ipsius S. memoriam, insulse pro *Agricolæ* reddiderit *ac regulę*. Sed minuta hæc dedicationis festa auctarium Gallicum sapiunt.

In

Idibus Madij.

IN Syrmia Tymothei, & alibi vij. Virginum. Alexandri. Digni. Chotitiæ. In Sardinia Simplicij. In Porto Romano Prestabilis. Felicis. Victoris, Cyriaci. Ianuari. Heroli. Pauli. Menerui. Aquilini. Heracli. Mediolano Victoris. Lamosacum passio Sanctorum Petri, & Anduci. Pauli, & Diunisiæ. Augustiduno Protece Episcopi.

MAII 15.

TImotheum Syrmiensem martyrem edita Latinorum martyrologia hac die non indicant, sed postridie huius diei. Sirmij S. Timothei, & SS. Virginũ septẽ memoriam recolit Galesinius ex Beda. Ita etiam SS. Virgines vij. Sirmio videtur tribuere M. Vetustissimum. *Idus. Sirmio Nat. Timothei, & vij. Virginum, & alibi Alexandri, Digni, Chostiæ, Insardi, Simplici, presbiteri. In portu Romano Prestabilis, Felicis, Victoris, Cyrici, Ianuari, Heroli, Pauli, Minerui, Aquilini, Heradi, Dionisiæ. Mediolani Natalis Victoris, Lamsa Ciuitate Petri, Pauli, Andreæ.* Sed à Timotheo Sirmiensi easdem vij. Virgines seiungit M. Corbeiense, dum *alibi* incerto loco tribuit. *Idus Maij. In Syrmia Timothei; & alibi septem Virginum, Alexandri, Digni, Chr ..... In Sardinia Simplicij. In Portu Romano Præstabilis, Victoris, Cyrici, Ianuarij, Heruli, Pauli, Minerui, Aquilini, Eracli. Mediolano Victoris. Lamsaco, Passio Sanctorum Petri, & Andreæ, Pauli, & Dionysij, Iulij. Augustiduno Retici Episcopi.* A Timotheo Sirmiensi septem pariter virgines diuidunt Codices nostri, & ms. Reginæ Sueciæ, in quo legitur. Idibus Maij: *In Sirmio nat. S. Timothei. Et alibi vij. Virginũ. Mediolano S. Victoris.* Menologium Græcorum hac die xv. *Virginum, septem ex patria Charchar* memoriam disertè recolit, illisq. socium addit Audesium Episcopum, cum presbyteris xvi. & Diaconibus nouem, siue Bathisio, Isacio, & Simeone, qui passi sunt in Persida. Carchar Vrbs est Assyriæ Geographis propè Niniuem. Alexander tamen, Dignus, & Chotitia hìc potius SS. Virginum socij numerantur, nisi quis diceret Alexandrum fuisse Episcopum Hierosolymorũ, qui in eodem Menologio memoratur eodem die, & Alexander tantum dicitur in Græcorum Calendario. Septem etiã mulieres martyres nominibus expressę habentur in eodem Menologio ad diem 19. Martij apud Amysum, sed virgines non dicuntur, & diuersi socij illis assignãtur. Timotheum recolit Vuandelbertus sequenti die, sed alium à Sirmiensi, quòd velit esse Pauli discipulum. Rabanus Sirmio Timotheum, & vj. non vij. virgines recolit, numeralis notæ vitio.

In Sardinia Simplicius. Episcopum Fausinæ Simplicium hac die inter Sanctos refert Romanum martyrologium, eiusque, & sociorum martyrum Acta ex Sardinia Insula Romam delata vidisse ibidem testatur Baronius, & eorundem meminisse Faram lib. 1. de rebus Sardodorum. Episcopum, & martyrem non Fausinæ, sed Phausaniæ fuisse tradit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, hac ipsa die, qua animam Deo reddidisse refert. Phausania Vrbs est in Prouincia Gallurensi hodie Terranoua nuncupata, vt idem Ferrarius docet, qui S. Simplicij Acta compendiosiùs refert. Galesinius postridie huius diei in Sardinia exhibet

S.Simplicium presbyterum, Diocletianum, Florentium, & Rosulam socios ex Beda, & codicibus mss.; quomodo autē S.Anthimi socios S.Simplicio Sardo permisceat ex Surio in adnotat: ipse viderit. Sanè Simplicium Presbyterum nō Episcopum asserit M. Antuerpiense. Sed Episcopum Gallurensem, & martyrio coronatum, dum lancea ab irato Iudice transfoditur, refert Ioannes Arca de Sāctis Sardiniæ lib.2. qui S.Simplicium sepultum refert in loco, vbi excitato deinde templo sedes Ciuitatensis Episcopalis emersit. Rabanus in Sardinia Simplicium Presbyterum, & in Ciuitate Filasiana Rosulam memorat.

In Portu Romano. Aliquos eodem nomine martyres in Portu Romano indicat Rom. martyrologium ad diem 1. Martij, nempe Paulum, & Heraclium. At cū illic diuersi socij addantur, & pro Ianuario, Ianuaria adducatur, alios esse non videtur incongruum. Nouem nominibus signat martyrol. Corbeiense prætermisso Felice: decem codices nostri: vndecim martyrol. Antuerpiense addita martyre Dionysia.

Mediolano Victoris. Ita adducta mss. martyrologia, Corbeiense, Antuerpiēse, & Reginæ Sueciæ. Victor qui die 8. huius mensis Mediolani in propria Ecclesia veneratur, vt testis est Ferrarius, alius ab hoc Victore esse videtur, nisi illius hæc esset aliqua translatio, aut Basilicæ dedicatio.

Lamosacum. Lamsaco legit martyrol. Corbeiense, *Lampsaci in Hellesponto* M. Romanum. Lamsa Ciuitate martyrol. Antuerpiense, Vsuardus, & Ado Lamosacum. Sed ex fide plurimorum codicum Maurolyci, & Galesinij pro Lamosacum omninò legendum est Lampsacum, non Damascum vt habet Beda. An verò hic locus passionis fuerit dubitari iure potest ex Græcorum Menologio, in quo ad hanc diem Sanctorū Martyrū Petri, Dionysij, Christinæ Virginis, Andreæ, & Pauli certamen narratur. Petrus quidē antesignanus *ex Vrbe Lampsaco* fuisse perhibetur *Paulus vero, & Andreas ex Mesopotamia* genus duxisse affirmatur. At cum hi milites essent, vna cum Decno Præside Abydini, sub quo militabant Athenas venisse, ibi detentos agonem compleuisse scribitur, præcipue verò Dionysium, & Christinam. Petrum Abydini toto corpore comminuto tradidisse spiritum, antequam reliqui Athenas proficiscerentur, non obscurè ex ipso Menologio educitur. Vnde Lampsaco veneratos hos martyres fuisse appareret ex Petro eiusdem vrbis ciue: reliquos vti Petri socios. Cum vero in M. Antuerpiensi Dionysia præter aliorum codicum fidem Romanis martyribus societur, vitio scriptoris antepositam suspicari licet, & inter martyres Lampsacenos reponendam. Et quamquā apud Latinos vbiq; Dionysia scribatur; in menologio tamen, & Calendario Græcorum Diohysius constanter retinetur, & cū Christina latinis prætermissa Athenis captum ibidem cū Paulo, & Andrea martyrium compleuisse dicitur. Horum SS. martyrum Acta habet etiam Petrus de Nat. lib.5. cap.4. aliqua à Græcis differentia. Passos nimirum sub Decio narrat, & Dionysiam non Christinam Virginem sociam vocat: Troadæ agonem compleuisse affirmat, & eorum corpora ad Vrbem Lemosacum translata vna cum Petro ibi esse tumulata, & eorum memoriam ibi peragi Idibus Maij; quę magis consona vetustiori martyrologio videntur. Iulium addit martyrol. Corbeiense omnibus ignotum.

Augustudono. Protecæ Episcopi Augustodunēsis memoriam hic addidit Antiquarius Gallicus, Reticū vocat auctariū M. Corbeiensis. Rethicius Augustodunēsis, D. Augustino, & Hieronymo bene notus in martyrologio Sanctarij recolitur die 14. Cal. Augusti, & iterum eius translatio 8. cal. Augusti in suppleméto eiusdem martyrol. sicuti in Romano ad diē 19. Iulij. De Proteca, vel Proticio nullibi memoria comparet, neq. apud Sammarthanos inter Episcopos Æduenses.

In

XVII. Kal. Iunij.

IN Esaurea Natalis Sanctorum Aquilini. Victuriani. Heracri. Paulini. Manerini. In Ciuitate Picino Ausumi. Florenti. & Declitiano. In Ciuitate Epheso Mengenis. Guiono. Iuuini. In Ciuitate Cortona Vincenti. Nideruni. Hereli. Pauli. Meneri. Aquili. Item Pauli. Monorgi. *In Antisoderinẽsi Vico Baioco passio S. Peregrini primi Ciuitatis ipsius. Trigasine depositio Fidoli presbyteri, & Confessoris.*

MAII 16.

ISauria pro Esaurea legendum non dubito. An regio, vel vrbs dubium est. Vtrumque enim significare potest, vel regionem Asiæ in Galatia Australi, vel eiusdem regionis cognominem vrbem. Pro Isauria etiam corruptè legit martyrol. Antuerpiense in Isuaria. *XVII. Kal. Iunÿ. In Isuaria Aquilini, Victurini, & alibi Heradi, Paulini, Menserimi. Ciuitate Piceno Ausimi, Florenti, Diocletiani. Ciuitate Efera, Mẽgenis, Gaiani, Ionini. Ciuitate Cortuna Vincenti, Nideruni, Herceli, Meneri, Pauli, Itẽ Pauli, Aquilini, Minorgi. Antisiodoro Ciuitate S. Peregrini Episcopi. Ciuitate Trecas Nat. Fiduli presbyt. & Confessoris.*

In Isauria Prouincia Aquilinum, & Victorianum recolit Vsuardus. *In Isauria Ciuitate Prouincia* corruptè legit Bellinus. Petrus de Natalibus lib. xj. n. 141. in Syria hos sanctos martyres ita reposuit. *Aquilinus, & Victorianus martyres, quorum gesta habentur in Syria Prouincia passi sunt xvii. Kal. Iunii.* reliqui tantum in Isauria, vt Romanum M., Notkerus, Ado, & alij recentiores. Ita & M. Corbeiense. *xvij. Kal. Iunÿ. In Isauria SS. Aquilini, Victoriani, Heraclis, Paulini, Minermi. In Ciuitate Piceno, Ausomi, Florentii, Diocletiani. Meminii, Iusti. In Ciuitate Epheso Mengenis, Gaioni, Iuuini. In Ciuitate Corthosa Vincentii, Nideruni, Hereli, Pauli, Mineri, Aquili. Item Pauli, Monorgi, Gai. In Autissiodero, Vico Baiaco passio S. Peregrini Episcopi primi Ciuitatis ipsius, Tricassino passio S. Fidoli presbyteri, & Confessoris.* Aquilino, & Victoriano, tam in codicibus nostris, quam adducto Corbeiensi tres addũtur socij, Heraclius, siue Eracrius, Paulinus, & Minermius, siue Minerinus. At præterquamquod in omnibus editis martyrologijs nulli socij adduntur Aquilino, & Victoriano, martyrol. Antuerpiense adductum, & in distinguẽdis locis, vt pluries diximus, magis accuratum, tres alios martyres Heradium, Paulinum, & Menserimum, non Isauriæ, sed *alibi* incerto scilicet loco tribuit. Heraclium, & Paulinum etiam Aquilino, & Victorino, seu Victoriano apud Vsuardum addidisse asserit Galesinius ex codice ms. Victurinam pro Victuriano legit contra omnium fidem ms. Reginæ Sueciæ 17. Kal. Iunij. *In Isauria Aquilini, & Victurinæ, quorum gesta habentur.* Acta hæc in pluribus MM. enunciata adhuc mihi latent.

In Ciuitate Picino Ausumi. Qui Ausimum non habent, Florentium, & Diocletianum tantum martyres numerant vt Notkerus. *In Ciuitate Piceno Florentii, & Diocletiani,* & ante illum Rabanus *in Ciuitate Piceno Auximo natale Diocletiani, & Florentini pro Florentio.* Ausoniũ pro Ausimo male legit martyrol. Corbeiense, cum Antuerpiense, & bini codices nostri constanter Ausimi, vel Ausumi retineant, quod nomen Vrbis est in Piceno. Legendum ergo est *In Ciuitate*

Piceni Auximi, vel Auxumi. Notissima hæc est Vrbs Italiæ, quæ hodie vocatur *Osmo*, & quam Procopius Romanis Metropolim dici affirmat. Ex actis S. Anthimi Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad diem xj. Maij agit cum Sisinnio Diacono de Diocletio, & Florentio apud Auximum in Piceno sepultis, vnde forte fasse, qui in martyrol. Corbeiensi Meminius dicitur Setinnius dicendus esset, Iulium verò quem addit nullibi adnotatum inuenio. Diocletius non Diocletianus socius Florentij dicitur in Actis S. Anonymi apud Surium to. 5. sed adducti codices omnes Diocletianum retinēt, sicuti Galesinius, qui malè hac die cum Florentio, & Simplicio Presbytero passos in Sardinia docet ex mſ. codicibus, & Surio in gestis B. Anthimi, in quibus Sisinnius dicitur, non Simplicius, & in Piceno saxis cum Diocletio, & Florentio obrutum, sepultum cum socijs esse *iuxta Aximum Oppidum*.

In Ciuitate Ephesi. Librarij vitio perperam legitur in martyrol. Antuerpiēsi. *Ciuitate Efera*. cum Ciuitatem Ephesi palam habeāt codices nostri, martyrol. Corbeiense, & mſ. Reginæ Sueciæ. *In Ephesi Mingenis, Gaiani, Iouini*. Ita non nihil vario primo nomine legit etiā Notkerus *Apud Ephesum Miogenis, Gaiani, & Iouini*. Cūm Antuerpiensi, & Corbeiensi retinent codices nostri tres martyres Ephisinos, quorum primus omnibus Mengenis vocatur, secundus nostris pro Gaiano Gaionus dicitur.

Ciuitate Cortona. Cortona Ptolomeo Vrbs antiquissima Vmbriæ est, vel potius Hetruriæ, sed Corbeiense martyrol. non Cortonam legit, sed Corthosa, pro qua Vrbe essent Carthosicorum populi ex nummo Goltzij apud Ortelium. Sed fortasse emendatius Notkerus legit Cortinæ. *In Ciuitate Cortina Vincentii, & aliorum*. Cortyna eadem vrbs Geographis, ac Gortyna Cretæ, vel Gortynia Macedoniæ. Sed minori labore Cortina est Mauritaniæ Cæsariensis ciuitas Ptolemæo, quæ alijs Cartenna dicitur, & facilius in hanc propendo ex vbertate martyrum Africanorum passim in hoc martyrologio indicata. Cū Vincentio huius vrbis martyre primipilo septem alij cōmilitones numerantur in codicibus nostris. Octo in Corbeiensi martyrol. in quo Gaius additur, nostro & Antuerpiensi prætermissus; parua in nominibus reliquis intercedit differentia, & cuicūq; facilè obuia.

In Autisiodorensi Vico Baioco. Martyrol. Corbeiense legit Vico Baiaco. Antuerpiense tantum Ciuitate Autisiodoro. De S. Peregrino primo illius Vrbis Episcopo, ac martyre agit martyrol. Romanum, & cum eo Beda, Rabanus, Vsuardus, Ado, Notkerus, & Hagiologium Franco Galliæ Lebbei. Vitam eius primo loco exhibet Historia Episcoporum Autisiodorentium, quæ docet abscissione capitis S. Episcopum martyrium cōpleuisse, *xvi. Kal. Iuniarum imperantibus Galieno, & Valeriano*. Acta vetustiora habet Lebbeus to. 1. Bibliothecæ p. 526. in quibus legitur à Proconsule in carcere retrusum *Baugiaco loco vbi tum temporis custodia habebatur*, & ibidem à Christianis post multa tormenta, & capitis pœnam sepultum esse *sub die xvii. Kalen. Iunii*, qui dies cum adductis martyrologijs magis conuenit. In Vico Baugiaco agonem compleuisse, & sepultum esse 17. Kal. Iunij confirmat Petrus de Nat. lib. 5. Veteris Kalendarij verba asserūt Sammarthani in quibus hæc prostent, *xvii. Kal. Iuninas in Territorio Autisiodorēsi Vico Baugiaco passio S. Peregrini Episcopi primi eiusdem Ciuitatis*.

Trigasine. In ciuitate Trecas Fidulū presbyterum, & Cōfessorē M. Antuerpiēse. *Tricassino* Fidolū M. Corbeiense. Trecis M. Romanū cū Beda, & Adone. Fidelium minus aptè vocat mſ. Reginæ Sueciæ. Rabanus Fidolum, Notkerus Fiduliū apud Castrum Tricassinū, magis codicibus nostris in loco assignando consonans, exhibet. Vetustius nomen Vrbis Lugd unēsis Galliæ Tricassium est, & Tricassini populi, Trecas recentius. Videndus Sauisayus, & reliqui Sacræ Galliæ scriptores.

In

XVI. Kal. Iunij.

IN Alexandria Victoris. Basiliæ. In Roma Pathyni. Galligori. Epono. Liberi Episcopi. Nimuiduno Heracli. Pauli. Minerei. Aquilini. Victoris. Artemi. Calcori.

MAII 17.

SAcræ huius diei Ephemerides, tam in codicibus nostris, quam in Corbeiensi conueniũt. Dissidet in aliquibus martyrol. Antuerpiense, ita expressum in laminis. *xvi. Kal. Iunij. In Alexandria Adrionis, Victoris, & Basila. Roma Paterni, & Caloceri, Primini, & depositio Libi Episcopi. In Veduno Eracli, Pauli, Mineri, Aquilini, Victoris, & alibi Anthemi Galcori.* Deficit in libris nostris ex Alexandrinis martyribus Adrion, vt in martyrol. Corbeiẽsi *xvi. Kal. Iunii. In Alexandria Victoris, Basiliæ, Siluani. In Roma Parthinij, Gallicori, Eponi, Liberti Episcopi. Neueduno Heraclii, Pauli, Minerii, Aquilini, Victoris, Arthemis, Calcori.* Adrion Alexãdrinorum pugilum Dux memoratur cũ alijs duobus in martyrologio Romano, apud Bedam, Rabanum, & veteres libros mſ., vt ibi notat Baronius. Vnde fateri oportet in Vetustiori nostro martyrol. supplendum esse Adrionem.

In Roma. Pro Pathinio, & Galligoro *Paterni, & Caloceri* legit martyrol. Antuerpiensi. *Parthinii, & Gallicori* Corbeiense. Parthenium tantum exhibet Notkerus. Parthenium, & Calocorum Eunuchos vxoris Decij Imperatoris sepultos Via Appia recolit martyr. Rom. infra xiv. Kal. cum Beda, Vsuardo, Adone, & alijs. Qua die etiam in vetustiori nostro martyrol. recoluntur, vnde alios martyres hac die signatos esse existimarem, præcipuè quòd in martyrol. Vetustissimo non Parthenius, sed Paternus dicatur, & Priminus socius addatur, nec Calocerus sit in codicibus nostris, sed Galligorus, & in Corbeiensi parua differentia Gallicori, addito socio non Primino, sed Epone, siue Eponio. At sicuti locum venerationis magis accuratè exprimit mſ. Reginæ Sueciæ, fortasse etiam in nominibus exprimendis minus est deprauatum, ex Galligoro enim siue Calociro, duos martyres format Gallam, & Chorum, & pro Primino Primum retinet xvj. Kal. *Roma Via Salaria veteri natalis S. Parthenii, Galle, Chori, Primi.* vnde in vetustiori nostro legerem pro Epono, *& Primi.*

Liberi Episcopi. De Liberio ita mſ. Reginæ Sueciæ post adducta iam verba, *& depositio Liberi Episcopi*, vt titulo depositionis, non martyrem, sed Confessorem indicare videatur. In nostro, & Corbeiensi post quatuor recensitos Romanos martyres, tanquam alius martyr Liberius additur, & Episcopus dicitur, eo modo, quo alios Romanos Pontifices adnotare solet. Martyrol. Antuerpiense in laminis non Liberium, sed Libum Episcopum Romanis martyribus iungit, quẽ Episcopum alterius vrbis, & Romæ coronatum dicerem, si Libus, & non Liberius, tam apertè in alijs codicibus vocaretur. De Liberio Romano Pontifice non meminit Romanum martyrologiũ, sed Beda editus, & Vvandelbertus ad diem 23. Septembris. Malè audit apud Luitprandum, & Abbonem Floriacensem, quòd Arrianis aliquando adhæserit, sed eius resipiscentiam latè probat Baronius in Annalibus ad annum 357. nu. 58.

n.58. Generosa enim confessione, ita præcedentem maculam absterſit, vt ſolus ferè pro Catholicis ſtaret, quando vt ait D.Hieron. aduerſus Lvcifer. totus orbis ingemuit, & Arianum ſe eſſe miratus eſt. Solus contrà Ariminenſe Concilium pugnauit, & iterum exul exturbatus ab Eccleſia pro Catholico Confeſſore, ac Pontifice à D.Ambroſio ferè coæuo, non modo ſuſcipitur, ſed Beatus, & Sanctus nominatur; quæ cum pluribus proſequatur Baronius à pluribus ſuperſedeo. Cũ verò eiuſdem Liberij Pontificis memoria etiam recolatur in Codicibus noſtris, & MM. Antuerpienſi, & Corbeiẽſi ad diem illam viiij. Kal. Octobris, in hanc ſententiam deſcendo, vt ſiue Liberius, ſiue Libus nuncupetur aliquis S. Epiſcopus martyr ſit, qui Romæ agonem compleuerit, & alius à Liberio Põtifice fuerit.

Neueduno. Nouijduno, vel Nouioduni legunt cum Romano omnia ferè latinorum martyrologia, quæ Heradium Paulum, & Aquilinium cũ duobus alijs hac die venerantur. Beda, Vsuardus, & Maurolycus, Heraclium non Heradium legunt, & Galeſinius, qui plures alterius claſſis martyres ſub vno Heradio copulauit corruptos codices ſequutus. Ex hoc Sauſſayum in ſupplemẽto Gallicani martyrologij accepiſſe non dubito. Menologium Græcorum pro his martyribus adducit eruditiſſimus Baronius in notis, ſed niſi alter Menologium ab eo, quod ex Sirleto edidit Caniſius, adducat vir ille ſummus, præter Heraclium, & Paulinum pro Paulo, & Benedimum, pro Aquilino alios ibi martyres non inueni, præter Solochanum anteſignanum, Pamphamen, & Pamphalum commilitones, qui cum adductis nominibus conueniãt. Notkerus non legit Nouiduno, ſed *Leuiduno Heracli, Pauli, & aliorum*. M. Antuerpienſe vetuſtiſſimum in Veduno. An Nouiodunum pro Galliæ Vrbe legendum ſit, vel Nouidunum pro Vrbe Ammiani circa Danubium, ſiue Nouiodunũ Moeſiæ inferioris, vbi Danubius in oſtia effunditur Ptolemæo, ſiue aliud Nouiodunum Antonini in Pãnonia accipiendum ſit, alijs ſtatuẽdum relinquã. Quamquam enim Sauſſayus hos, & alios ſequentes martyres Nouioduno Galliæ tribuat, cum ex tribus vrbibus à Geographis hoc nomine in Gallia indicatis, quænam eos martyres veneretur non diſtinguat, neq. aliud addat, niſi quæ ex Galeſino, eiusq; corruptis codicibus accepiſſe videtur, non me in eius ſententiam ire compellit. Cum Heraclio, Paulo, Minereo, Aquilino, & Victore, Artemiũ, & Galeorum eidem Vrbi Nouiduni tribuunt codices noſtri, & martyrol. Corbeienſe, ſed accuratius Antuerpienſe poſtremos duos martyres ab illis ſeiungit *& alibi* incerto loco tribuit. Ne quid autem taceamus, quod ad vetuſtius martyrologium emaculandum cõferre poſſit, addimus, veritos nos eſſe, ne pro Neueduno, legendum eſſet Nideruni, repetita martyrum memoria pridiani laterculi, cum ibi etiam Herclus, Paulus, Menerius, & Aquilus conſimilibus nominibus venerentur. De aliqua codicum corruptela ſuſpicionem hac die ingerit, quod Galeſinius Peregrinum ex ſuis codicibus admiſceat, quem in Kalendario peruetuſto', ſeu paruo Hieronymiano martyrologio Canonicorum Lvcenſium ita ſcriptum inueniam. *xvi. Kal. Maii, Peregrini, Nicandri, & Marciani*.

XV. Kal. Iunij.

IN Alexandria Pantamoni Presbyteri. Hortaſi Presbyteri. Syrapionis Presbyteri. Pantheri. Dioſcori. Palmi. Petecon Diaconis. Cerron. Datiui. Lvci. Maximæ. Hermon Lectoris cum alijs iiij. In Ægypto Dioſcori.

Dioſcori Lectoris, qui multum paſſus eſt. In Conſtantinopoli Eufuchi. Seraionis. Buſtaſi Presbyteri. Patamon. Panteri. Petedondi. Aeram Lectoris. Datiui. Marciani. Lvcioſi. Lvciane. Egipne. & alibi Natalis Sanctorum Caſi, & Victoris.

MAII 18.

DIſtinguunt codices noſtri Alexãdrinos martyres ab Ægyptijs, & dubiũ ingerunt, an de alia Alexandria, ex quinque huius nominis vrbibus, accipiendi martyres Alexandrini ſint. Ita etiam diſtinguunt MM. Antuerpienſe, & Corbeienſe, quorum faſtos hìc integros exhibemus. Illud ita proſtat. *XV. Kal. Iunij. Alexandria Potamonis presbyteri, Ortaſi, Syrapionis presbyterorum, Pantheri, Datiui, Lvci, & Maxima, Hermonis lectoris, & aliorum iiij. In Ægypto Dioſcori Lectoris. Conſtantinopoli, Euchi, Serapionis, Buſtaſi presbyteri, Potamonis, Panteri, Petegloni, Dieranti Lectoris, Datiui, Marciani, Lvcioſa, Locani, Egena, & alibi Caſſi, Victoris.* Corbeienſe verò parum ab illo differt. *XV. Kal. Iunij. In Alexandria Potamonis presbyteri, Hortaſii, Serapionis, Panteri, Dioſcori, Palmi, Pentecon Diaconi, Ceuron, Danici, Lvci, Maxima, Hermon lectoris cum aliis quatuor martyribus. In Ægypto Dioſcori Lectoris, qui multa paſſus eſt. Conſtantinopoli Effuci, Serapionis, Buſtaſi presbyteri, Patamon, Panteri, Peteclondi, Eran lectolectoris, Datiui, Maſtiani, Lvcioſi, Lvciana, Egina. Et alibi natalis Sanctorum Caſſi, Victoris, Iuliani.* Nomina quidem adducta martyrum Alexandrinorum Alexandriam Ægyptiam videntur ſignificare, quòd omnia ferè in Ægypto vſitata nomina in eorum cenſu contineantur. Potamon Magnus cognomine apud D. Epiphanium in hæreſi Meletianorum, nõ Presbyter, ſed Epiſcopus Heracleæ, ſubiectus Eccleſiæ Alexandrinæ, Sanctitate, & confeſſione celebris dicitur, oculo prò veritate mulctatus, & qui tandem ex D. Athanaſio in Epiſt. ad Solitarios martyr. occubuit. In Menologio Græcorum ad diem 24. huius menſis certamen memoratur Serapionis Ægyptij, & eorum, qui cum ipſo, eodẽ tempore paſſi ſunt. Ex clero Alexandrino ſignatorum martyrum maior cenſus videtur fuiſſe, cum plures Presbyteri, Diaconus, & Lector proferantur. Diuerſum Pitamonem Confeſſorem Epiſcopum Heracleenſem à Potamone presbytero, qui chorum in hoc laterculo ducit, exiſtimarem, quamquam in Romano Martyrol. Potamon Epiſcopus hac die veneretur, cum in adductis omnibus codicibus presbyter nuncupetur, & alijs presbyteris ſocietur. Duodecim nominibus ſignatos exhibet martyrologiũ Corbeienſe, & anonymos quatuor, totidemque in martyrologio Antuerpienſi, & codicibus noſtris adnotantur, nulla, vel parua nominis differentia. Mutilat eos nonnihil Notkerus, ex quo tamen videtur colligi poſſe Alexandriam, Ægyptiã hìc eſſe intelligendam, dum ait. *In Alexandria Potamonis, Hortaſii, & Serapionis presbyterorum.* Item in Ægypto *S. Dioſcori Lectoris.* Marcum Papam Rabanus, ita admiſcet Alexandrinis martyribus. *XV. Kal. Hortaſii, & Serapionis presbyteri, & Marci Papæ, & Potamionis.* Oſtaſium pro Hortaſio legit mſ. Reginæ Sueciæ, non Alexandriæ, ſed in Ægypti Prouincia, vt clariùs etiam doceat, Alexandrinos Ægyptios fuiſſe martyres. *In Ægypto Oſtaſii, & Serapionis presbyterorum cum aliis xiii.* numerato nempe Dioſcoro Lectore, de quo ſeorſim agunt codices noſtri. Galeſinius ex Beda Alexandriæ meminit Potamionis, Hortaſij, & ſociorum. Calendarium

Hie-

Ado. *Eunuchorum vxoris Decii Imperatoris*, vel vt habet Rabanus. *Natale SS. Coleceri, & Partheni Eunuchorum Vxoris Decii Imperatoris, quorum vnus cum esset præpositus cubiculi: alter vero Primicerius nolentes sacrificare Idolis à Decio occisi sunt.* Portentum resonat martyrol. Corbeiense, dum recolit Calocerum, & Parthenium Eunuchos, & eorum vxores. Quis enim Eunuchos vxoratos legit? Vnde non modo sensus peruertitur, sed vitiatur. Integrum tamen de more exhibemus ex Dacherio. *XIV. Kal. Iunii. Romæ natalis Sanctorum Caloceri, Parthenii, Eunuchorum, & vxorum eorum. Hi sub Decio Imperatore occisi, & requiescunt in Cimiterio iuxta Viam Appiam. In Cimiterio Calesti Via Appia Paterni, Galicori, Indici, Seleuci, Felicis, Elonici, Christi, Calonicæ, Iuliæ. Item Vrbani Ingenuæ, Saturni. In Alexandria Natalis S. Areni Diaconi. In Cæsaria Cappadociæ natalis S. Poliochi. In Affrica natalis SS. Quinti, Primuli, Salusti, Fortunati, duorum Donatorũ, Primi, Indicæ, Luguste, Rosatæ, Vrbanæ, Romanæ. In Getulia natalis Sanctorum Emeli, Baseli, Prætextatæ, Basilidæ Parthimi.* Horum sanctorũ eunuchorum celebris memoria est, & eorum dies Natalis ita in antiquissimi martyrologij fragmento apud Bucherium in Canonem Victoris p. 268. signatur. *xiii. Kal. Iunii. Parthini, & Caloceri in Calisti. Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Conss.* Quæ pugnãt cum his, quæ passim in reliquis martyrol., tam editis, quã mss. notantur, videlicet Sãctos hos martyres sub Decio, cuius Vxoris Eunuchi erant agonẽ compleuisse. Tempus enim quod in hoc fragmento adnotatur in persecutionẽ Diocletiani cadit, imo in eũdem annũ, quo Diocletianus, & Maximianus purpuram deposuerunt, hoc est quinquaginta circiter annis à mota sub Decio persecutione. Cum vero constanter Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & cum Romano martyrologio cæteri recentiores sub Decio passos esse Sanctos Eunuchos referant, & ijdem adducti mss. codices astipulentur, erasse potius illius fragmenti auctorem dicendum esset, quã tantorum codicum fidem nutare; difficile enim videtur in omnibus codicibus irrepsisse mendum in nomine Imperatoris, vt pro Decio legendũ esset sub Diocletiano, curius vxoris eunuchi essent. At eiusdem nominis socij martyres alij sub Diocletiano, alij sub Decio martyrium facere potuerunt, & fortasse alij sunt de quibus egimus ad diem 14. Kal. Maij, & error ex his in alios irrepere potuit 14. Kal. Iunij, vt illi sub Diocletiano agonem perfecerint, hi sub Decio, & emendandum fragmentum illud, *& pro xiiy. Kal. Iunÿ*, restituendum *xiiy. Kal. Maÿ.* Quæ addũtur de officio SS. Eunuchorũ in codicibus nostris leguntur apud Petrum de Natalibus lib. 5. cap. 17. & ante ipsum apud Vsuardum, Adonem, ac cæteros latinos, qui omnes testantur Romę fuisse sepultos Via Appia. In Cœmeterio illius viæ addũt codices nostri, quod est Callisti mox repetitum.

In Cemeterio Callisti. Sequentes Romanos martyres in Cœmeterio Callisti via Appia sepultos, ac veneratos, Notkerus reticet, qui ex vetustiori martyrologio aliquos saltem excerpere solet. Ita Vsuardus, Ado, martyrol. Romanum, & cæteri latini. Non ita ms. Reginæ Sueciæ post adductos Parthinium, & Calocerum, *Item in Cœmeterio Callisti Via Appia Natalis Sanctorum Paterni, Gallicoli, cum alÿs viiÿ.* Hos numerant codices nostri vndecim nominibus expressos. Duodecim exhibet martyrol. Corbeiense, licet tredecim fuisse conijci possit, ex repetitione Vrbanæ, quæ antea deficit, & Ingenuæ, ac Saturni additione Vberius comparet martyrol. Antuerpiense, quindecim enim sacros pugiles recenset, aliqua etiam intercedente nominum differentia; pro Patenio quidem siue Paterno, Prennium habet, & pro Galicoro, in duo nomina disiuncto, Gallum, & Curum exhibet; Vrbanum confessoris nota distinguit; pro Clonico, siue Elonico Donicum exhibet, & quod no-

men est vrbis, tam martyrol. Corbeiēsi, quam nostro, Alexander illi est, & Arenus Diaconus Romanus, qui nobis Alexandrinus, Vrbana, siue Orbana signatur, tam in illo, quam in alijs cum repetionis nota *item*, & tamen Vrbanus prior illi est, & Confessor, non Vrbana. Hæc sine alijs codicibus emaculare difficile est.

In Alexandria. Non ita difficile est asserere emendandum esse martyrol. Antuerpiense in cœtu Romanorum martyrum, & pro Alexandro legendum esse Alexandriæ; non modo quia ita binicodices nostri retinent, cum martyrol. Corbeiensi, sed quod ita etiam confirmet Notkerus *In Alexandria S. Irenei Diaconi*. Arenum, siue Arenium vocat Corbeiense martyrol. & nostrum.

In Cæsaria. Poliochum vel Polioclum Cæsariensem in Cappadocia martyrem distinguunt adducti iam codices, quibus innitimur; si reliqua silent Hagiologia, nisi Poliotus sit, vel Polyectus Cappadox Cæsariensis, de quo infra omnia latinorum martyrologia agunt xij. Kal. Iunij.

In Africa. Aliquos ex Africano cœtu libat de more Notkerus, dum alios innuit non exprimit. *In Africa Sanctorum Quinti. Primuli, Salustii, & multorum martyrum*. Quintulum, non Quintum horum ducem vocat martyrol. Antuerpiense, & pro Indica, Diœcesium profert, Romanam verò tam nostrorum, quam Corbeiensis codicis à duodenario numero aufert. Pro Indica in varijs lectionibus Dufresnij ex ms. Corbeiensi Iudicam inuenio, & pro illius Lugusta, Lvcussam video in M. Antuerpiensi.

In Getulia. Regio hæc est Africæ, seu Lybiæ interioris, natio frequens, & multiplex. Vnde plures gentes in Africa sub Getuliæ nomine, siue in Mauritania Cæsariensi, siue Tingitana, siue inter Carthaginem, & Numidiam. Quatuor martyres tantùm exhibent codices nostri Emilium, Prætestatum, Basiliam, & Partinum; sed ex MM. Antuerpiensi, & Corbeiensi addendus est Basilius, seu Baselus, & pro Basilia, vt in primo scriptum est, Basia reponenda. Reliqua mihi in obscuro latent.

XIII. Kal. Iunij.

IN Affrica Natalis Sanctorum Victoriæ. Marcellone. Salse. Romæ Via Salaria Basilisse. Aurei. Nusce. Nemaui. Saudeli martyris. Et alibi Natalis Sanctorum Ceruasi, & Protasi, & depositio Vellesi, & Faustini Episcopi. *In Ciuitate Bituricas depositio S. Augustregisseli Episcopi.*

MAII 20.

SAnctas tres martyres Africanas non nisi mss. codices hac die recensent, quæ tamen Marcelona codicibus nostris est, Marcelosa, seu Marcellosa alijs dicitur, vt in Antuerpiensi hoc ordine. *xiij. Kal. Iunij. In Affrica Victoriæ, Marcelosæ, Salsæ, Romæ Basilæ. In Ostea Aureæ, Nemausо, Baudilis martyris, & alibi Gerbasi, & Protasi, & Fausti Episcoporum*. Nec aliter ferè Corbeiense M. ex quo, & nostro aliqua supplenda infra indicabimus. Interim totus laterculus ita scribitur. *xiij. Kal. Iuni. In Africa Natalis Sanctorum Victoriæ, Marcellosæ, Salsæ. Romæ Via Salariæ Basilissæ, Aurei, Nustiæ, Nemaui, Baudeli martyris*

martyris, & alibi Natalis Sanctorum Germanorum Gervasij, Protasij, & depositio Vellesi, & Faustí Episcoporum.

Romæ Via Salaria. Omnia fere latinorum Martyrologia cum Romano Basillam Virginem, & Martyrem recolunt hac die addito elogio, virtutum, & palmæ. Babillam eam vocat Petrus de Natalibus lib.5. cap.23. qui longius Acta eius prosequitur, nullis tamen socijs indicatis, quos illi constanter addunt adducti iam codices nostri,& Corbeiense, Aureum nempe, & Nuscam, dum eam non Basillam, sed Basilissam vocant. De socijs mẽdum irrepsisse suspicor, vt mox dicam. De Basilissa martyre Romana meminit antiqua inscriptio in Basilica S. Pauli apud Aringhium lib.3. cap. 3. quæ ibidem requiescit cum Celso Iuliano, & Martianilla, socijs fortasse sepulcri, & nõ certaminis *Basilissæ cum aliis duobus*, retinet ms. Reginæ Sueciæ.

Aurei, Nuscæ, seu Nustiæ vt legit M. Corbeiense. Deprauatos hìc vereor iã adductos codices, minus tamen martyrol. Vetustissimum, in quo legitur pro Nusca, seu Nustia. *In Ostea*, seu Ostia *Aurea*. Et omnino ita restituendum puto ex mss. codice Lateranensi, & Vallicellano, ex quibus fragmenta Actorum S. Aureæ producit Aringhius Romæ subt. lib.3. cap.8. n.9. Primùm cum exilio ad Vrbem Ostiam deportata dicitur. *Iratus itaq. iussit eã leuari à terra Claudius, vinctam catenis in Ostiam deportari cum viris Religiosis, & sacris virginibus, & cum omni familia sua. Postquam autem illuc peruenit, cepit habitare foras muros Ostia ciuitatis in loco, qui vocatur Euaristi, in prædio suo, & ibidem die, & nocte ieiuniis, & orationibus epulabatur.* Deinde cum agonem compleuit, vt in altero fragmento. *Lapis magnus ligetur ad collũ eius, & demergatur in mare. Cuius corpus sanctum peruenit ad maris lictus, quod B. Nonnus collegit, qui etiam Hyppolitus nũcupatur, & cum omni diligentia sepelinit in prædio suo, vbi habitauerat viiii. Kal. Septembris*, De loco omnino conueniũt; De agonis die diffident Acta. Cum autem S. Aurea alibi in adductis codicibus non veneretur, nihil obstat, quin ex aliqua translatione in hanc diem eius natalis referri potuerit.

Nemausi S. Saudeli. Haudelum legit alter ex codicibus nostris, Baudilium M. Antuerpiense, Baudeleum aptius Corbeiẽse, in quo Nemausi scribitur, sed Nemauso in Antuerpiensi, sicuti apud Notkerum, qui acta breuiter percurrit. *In Gallia ciuitate Nemauso passio S. Baldelii, &c.* Nemausum Vrbs est Narbonensis Galliæ in Occitana regione. De eo omnia latinorum martyrologia agunt, & eius acta breuiato stylo cõplectitur Petrus de Natalibus lib.5. cap.23. quæ fusius prosequitur Saussayus.

Et alibi SS. Gervasi, & Protasi. Plures martyres coniunctis his nominibus recoluntur in Vetustiori M. nostro, vt Nicomediæ ad diem 19. Iunij, & Mediolani ad diem 28. Iulij. An ijdem sint in tanta vbiq. martyrum vbertate difficillimum est decernere. Aliquam Mediolanensiũ celebritatem agnouit hac die ms. Reginæ Sueciæ, fortasse ab aliquo recentiori antiquario emendatum. *Mediolano Natalis SS. Gervasii, & Prothasii.* vide sequẽtia.

Et dep. Vellesi, & Faustini Episcopi. Corruptum hic esse videtur M. Antuerpiense, in quo *alibi* tantum legitur *Gerbasi*, deinde *& Protasi, & Fausti Episcoporum*, quasi Protasius non ille Mediolanensis sit, sed alius, & Episcopus. At mutilum in hoc esse suspicari licet, & Vellesium deficere, quem codicibus nostris consonũ; ita habet M. Corbeiẽse, *& depositio Vellesi, & Fausti Episcoporũ.* Et fortasse melius legitur cũ codicibus nostris *Faustini*. Quia ille esse potuerit, ad quem scripsit S. Cyprianus ep. 67. Eum laudans, quòd steterit contra Marcianum Arelatensem Episcopum, qui se Nouatiano perfidiæ auctori adiunxerat, & initio epistolæ dicitur, *Faustinus Collega noster Lugduni consistens*. S. Helium Faustinum vocat Saussayus in Appendice, & Theophilus Raynaudus in Indi-

culo SS. Lugd. Faustus Rhegiensis ab aliquibus pro Sancto veneratur, in Regiensi præcipuè Ecclesia ex antiquo more, vt testatur Saussayus, qui Baronium adducit, re maturius perpensa in eiusdē sanctitatem consentientē. Sanctumquoq; asserit idē Raynaudus Pietatis Lugdun. p.502. ex Sidonio. Addit tamen Saussayus eius obitum fuisse die 28. Septembris, longe ab illius Fausti, seu Faustini Episcopi memoria, qui hìc recolitur. De Vellesio nihil hucusq. comperi, neq. de Fausto, aut Faustino aliquid decerno.

Bituricas. De S. Austregesilo Episcopo, & Confessore agit Rom. martyrologium; vbi videndus Baronius, qui ex Sigiberto putat floruisse circa annum 627. Vitā habet Surius to. 5. & Ducheſnius to. 2. Hist. coęten. Galliæ. Meminerunt Vsuardus, & Saussayus cū alijs Christianæ Galliæ scriptoribus. Additamentum huius S. Episcopi non legitur, neque in martyrol. Antuerpiensi, neque in Corbeiensi. Plura de S. Austregisilo 27. Bituricensiū Archiepiscopo habent Sammarthani Galliæ Christ. To. 1. ex Aimone, & alijs, & addunt Ecclesiam illā Festum habere die 20. Maij.

XII. Kal. Iunij.

IN Mauritania Tymothei. Polie. Eutici Diaconi. In Prouintia Cesarea Polite. Viti. In Africa natalis Sanctorum Victi. Maurelle. Quinti. Primoli. Salusti. Fortunati. Mirelle. Primi. In Cesarea Cappadociæ Policuti. Victori. Donati. Quinti. Lucuse. Primi. Euti. In Britannia natalis Timothei Diaconi, & alibi Natalis S. Matthiæ Apostoli. *In Ciuitate Antissiodorensium Depositio Pauli, & Anteon. Quadrati, & Beati Valeri presbyteri, & Confessoris.*

MAII 21.

IN Mauritania. Africani martyres in duas classes diuiduntur. Primi Mauritaniæ tribuūtur, quæ regio Africæ est, eaq. duplex Cæsariensis, & Tingitana. Incertum nostris codicibus esset, cui nam Mauritaniæ primus cætus martyrum esset ascribendus, nisi martyrol. Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, & Notkerus id de Cæsariensi apertè docerēt. Ex ijsdem Petrus de Natalibus, & præcipuè ex Adone refert glorioso martyrio Sanctos hos Cæsariēses hac die occubuisse lib. 5. cap. 28. Nihil supra codices nostros in his martyribus addit Martyrol. Antuerpiense, quinimo ex Polio, & Euticio vnum tantum martyrem Policuticium videtur ità conflare *xij. Kal. In Mauritania Timothei, Poli, Entici Diac. In Rauenna Martyria. Cessaria Policuicti. In Affrica Victi, Maurelle, Quinti, Primuli, Salusti, Fortunati, Marcelle, Primi. In Cessarea Cappodocia, Policuti, Victori, Donati, Quinti, Locustę. In Brittannia Timothei Diaconi, & alibi natalis Mathei Apostoli. Ciuitate Antisiodoro depositio Valentis presbyteri.* M. Corbeiense magis cum nostris codicibus consonat, quam cum Antuerpiensi, in quo aliqua supra illos abundant, vt in S. Martyria Rauennate, quæ & in illis deest, & Ferrario alijsque de Sanctis Italiæ scribentibus ignota est; nō vero Rabano, qui xij. Calendas in Mauritania Timotheum, *& in Rauenna Martiria* festū indicat. Ita verò M. Corbeiēse sacras ephemeridas exhibet. *xij. Kal. Iunij. In Mauritania Timothei, Poli, Eutici Diaconi. In Prouincia Cæsaria, Epoli, Eutici,*

Iocun-

Iocundi. In Africa natalis SS. Maurella, Quinti, Primuli, Saluſti, Fortunati, Nirilla, Primi. In Cæſaria Cappadocia Polieucti, Victuri, Donati. Quinti. In Britãnia natalis Timothei Diaconi. Et alibi Matthei Apoſtoli. In Ciuitate Antiſiodoro depoſitio B. Valis presbyteri, & Confeſſoris.

In Prouincia Cæſarea. An hæc ad Mauritaniam referenda ſint ambiguum, quòd prouincia Cæſarienſis eiuſdẽ pars ſit, & plura martyrol. tres primos martyres Mauritaniæ Cæſarienſi tribuerint. Sed dubium remouet Notkerus; primos enim Mauros martyres, non Prouinciæ Mauritaniæ Cæſarienſi tribuit, ſed Vrbi hoc eſt. *In Mauritania Ciuitate Cæſariẽſi natiuitas SS. Timothei, Pollij, & Eutichij Diaconorũ.* Cũ vero ſecũdus Polieuictus M. Antuerpienſis, ſeu bini martyres Polita, & Vitus codicũ noſtrorũ, aut Epolius, & Eurcius, & Iocundus M. Corbeiẽſis, aſcribantur Prouincię Cæſariẽſi, non Vrbi, omnis tollitur ambiguitas. Si quidẽ nomen Cæſaria, ſiue Cæſſaria, quo vtitur martyrol. Antuerpienſe, tam regionem, quam vrbem ſignificare poteſt.

In Africa. Si Vetuſtioris martyrologij concinnator accuratè locos ſignaſſet, quòd tamen pluries deſideratur, Africæ proprie dictæ, quæ pars Mauritaniæ Geographis eſt, Sanctus hic cætus eſſet tribuendus. Ex octo martyribus ſacra turma hæc conſtat in codicibus noſtris, & martyrol. Antuerpienſũ. Septem tantum refert Corbeienſe; quoniam Victũ anteſignanum præterijt, & Nirillam pro Marcella, ſeu potius Mirella retinet. Octo pariter Africanos Athletas vidit, qui martyrologium mſ. Reginæ Sueciæ concinnauit, & in pluribus nominibus decurrauit. *xii. Kal. in Africa Natalis SS. Victi,* (ita quoq; cum M. Antuerpiẽſi codices noſtri) *Maurella, Quinti, cũ aliis quinque.*

In Cæſarea Cappadocia. In Cappadocia, & Metropoli Cæſarea Polyectum Victorem, & Donatum recolunt martyrol. Romanum, Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, & ex eis recentiores. ex quibus aliqui Polyotum vocant. Polycutũ dicit martyrol. Antuerpienſe cum codicibus noſtris, in quibus præter Victorẽ, & Donatum ſocij aliqui adduntur Quintus, & Locuſta in eodem vetuſtiſſimo, Quintus, Lvcuſa, Primus, & Eutius in codicibus noſtris, quibus binos poſtremos debemus. Martyrolog. enim Corbeienſe non niſi Quintum addit. Quinque igitur Cæſarienſes in Cappadocia martyres exhibet vetuſtiſſimum illud: quatuor Corbeienſe, cum Polyeucto anteſignano: ſeptem codices noſtri, in hoc vberiores. Sex ſaltem agnouit mſ. Reginæ Sueciæ, cui ſi Polyectus, ſiue Polycutus omnibus tanquã dux memoratus adderetur ſeptẽ eſſent; hoc enim ordine ſuppreſſis aliquibus nominibus eos refert poſt Africanos. *Cæſarea Cappadocia Nat. SS. Donati, Primi, cum aliis quatuor,* ſicuti etiam Primum noſtrorum codicum confirmat.

In Brittannia. De Timotheo Brittãno Diacono ſilent edita latinorum martyrologia præter Notkerum, qui ſcribit. *In Brittannia Timothei Diaconi.* Eiuſdẽ vero natalem proſequitur mſ. Reginæ Suecię, totidem verbis cum codicibus noſtris. Conſentit martyrol. Corbeienſe, & concinit Antuerpienſe.

Et alibi Nat. S. Matthiæ Apoſtoli. Pro Matthia Matthæum exhibent MM. Antuerpienſe, & Corbeienſe, ſed Matthiã etiam libenter ſuſcipio, quòd alibi martyrol. Vetuſtiſſimũ eius memoriã nõ recolat, ſicuti etiam vj. kalend. Martij de eo ſilet martyrologiũ Vetuſtiſſimum Et quam quã incerta ferè omnia ſint de Apoſtolis adnotata, de Matthæo tamen, & loco paſſionis eius aliquod ſignatum legitur, vt vidimus *in Perſide,* pridie nonas Maij, & repetitur xi. Kal. Octobris, tam in codicibus noſtris, quam MM. Corbeienſi, & Antuerpienſi. De Matthia verò nihil in ijſdem legimus præterquã in Corbeiẽſi ad vi Kal. Martij, & vt ſuſpicari licet ex recentiori inſtituto. Incertũ eſt etiam vbi Matthias agonem compleuerit. In Iudæa ab aliquibus aſſeritur lapidibus obrutum Hieroſolymis quieuiſſe

uisse, vt habetur in monumento vetustiori, quod edidit Brouuerius lib.2. Annalium Treuerensium, *De regionibus & vrbibus quibus Apostolorum corpora requiescunt.* Rectius proinde de Matthia diceretur *& alibi*, quam de Matthæo, cui non modo Regio, sed & Vrbs assignatur pro triumpho, vt in Adnotatis ad Indiculum Apostolorum diximus, vbi etiam aliqua de Matthia cumulamus.

Ciuitate Autisiodoro. Maius est hìc Gallici antiquarij additamentum, quam in alijs codicibus viderim. Martyrologiũ Antuerpiẽse meminit tantum S. Valentis presbyteri. M. Corbeiense B. Valis presbyteri, & Confessoris, vt etiam ms. Reginæ Sueciæ, & Rabanus totidem verbis, ex quo Notkerus B. Valis presbyteri. Facilis est Valis in Valentem mutatio, sicuti etiam in Valerium, vt habent codices nostri, in quibus ad Valerium nota additur presbyteri, & Confessoris. Vallum vocat Saussayus, sed de eo non nisi generalia profert. De Paulo verò, Anteoro, & Quadrato Confessoribus item Autissiodorensibus, nihil hucusq. inuenire licuit. Confessores suadet depositionis nomen ab antiquario Gallico præfixum. Valem presbyterum, à Valente martyre distinguit Auctarium Adonis, vbi 12. Kal. Iunij legitur apud Rosuueydum *Autisiodori depositio B. Valis presbyteri, & Confessoris, & Valentis martyris*. Valentem martyrem Prætorem vocat Saussayus in supplemẽto ad hanc diem, & ei anonymum sociũ iungit. De Vvalo presbytero, & Confessore in Ciuitate Autisiodoro agit Molanus die sequenti xj. Kal. Iunij.

XI. Kal. Iunij.

ROmæ natalis S. Faustini. Timothei. Venusti. Casti. Emili. Plassi. In Corsica Insula passio S. Iuliæ. *In Ciuitate Autisiodorensi depositio, & Translatio corporis S. Helenæ Virginis*. In Cæsarea Cappadocie Natalis S. Poliucti.

MAII 22.

SAnctos Faustinum, Timotheum, & Venustũ Romæ etiam recolunt hac die Rom. martyrologiũ; at Beda, & Vsuardus, seu potius Molanus ad Vsuardum, Faustinum tantum & Timotheum habẽt, sicuti Bellinus de Padua, & Maurolycus, Notkerus aliquos socios etiam recensẽt. *xi. Kal. Iunii. Romæ nat. SS. Faustini, Thimothei, Venusti cum sociis eorum.* Ita etiam Adonis Auctarium, non Ado, socios alios agnoscit, dũ Faustinũ nominatim, & Timotheum recolit. *Romæ nat. SS. Faustini & Timothei, & aliorũ.* Socios plures Faustini ita recensẽt M. Antuerpiense non vero Romæ, sed in Africa, *xi. Kal. Iunii. In Africa Faustini, Timothei, Venusti, Casti, Emili, Cotti, Rogati, Albini, Regatiani, Maxenti, & Felicis. Item Casti. Itẽ Emeli, Plassi. In Corseca Insola natalis Iulia. Ciuitate Autisiodoro depositio, & translatio Helenæ Virginis. In Cappadocia Cessarea Poliuucti*. Plures ex primis martyribus quos Africæ assignat martyrol. Antuerpiense Romæ pariter cum nostro tribuit martyrol. Corbeiense. *xi. kal. Iunÿ. Romæ natalis Sanctorum Faustini, Timothei, Venusti, Casti, Emeli, Cotti, Rogati, Maxenti, Felicis, Ianuarii, Conceßi, Albini, Rogatiani. Item Casti. Item Plassi. In Corsica insula passio Sanctæ Iuliæ Virginis, & Martyris. In Cæsaria Cappadociæ natalis Sancti Poliucti.* Ex his decurtatos agnoscimus codices nostros,

noſtros, in quibus non niſi ſex martyres Romæ aſcribuntur, & præter Fauſtinum, Timotheum, & Ruſticum numerantur tantum Caſtus, Emilius, & Plaſſius. Adduntur in Corbeienſi Cottius, Rogatus, Maxentius, Felix, Ianuarius, Conceſſus, Albinus, Rogatianus, & alter Caſtius, vt omnes ſint numero quindecim. Sexdecim hos vidiſſe par eſt credere, qui martyrologium Reginæ Sueciæ reformauit; poſt tres enim à martyrol. Romano adductos, ſubdit *cum aliis xiii.* & fortaſſe ex repetitionis particula *item Caſti*, *itẽ Plaſſi*, in Corbeienſi adducto alter Plaſſius deſideratur, qui decimum ſextum numerum impleret. Multorum igitur codicum fide emendandum videtur. M. Vetuſtiſſimum, qui quatuordecim omnes quos numerat martyres Africæ tribuit, qui Romanæ vrbi reſtitui debent. Erroris fortaſſe cauſa fuit, quod Caſtus, & Emilius Africani eodem die recolerẽtur, quos ſeiunctim à Romanis martyribus ita recenſet Rabanus, & ex eo totidem ferè verbis Notkerus. *In Africa Caſti, & Æmilii, qui per ignem paſſionis martyrium conſummauerunt. Scribit B. Cyprianus in libro de Lapſis.* Imbelles hi primo cõgreſſu à fide ceciderunt, mox à domino roborati, & igne examinati palmam martyrij ſuſceperunt. De Sanctis his martyribus, eſtat ſermo S. Auguſtini inter vndecim additos ex mſs. Carthuſienſibus. Tractatum vocat Poſſidius in Indiculo. De martyribus Romanis reliqua ignota mihi ſunt, niſi Timotheum illũ eſſe, quis diceret in Eccleſia S. Pauli, quieſcentem, cuius meminit inſcriptio apud Aringhium lib. 3. Rom. Subt. cap. 3. nu. 4.

In Corſica Inſula. De S. Iulia agit M. Romanum cum Beda, Vſuardo, Adone, Notkero, & cæteris latinis. Acta ſunt collectim ſcripta in Additamento Adonis, ex quo etiam proſtant apud Surium tom. 5. Conſimilem narrationem exhibet Petrus de natal. lib. 5. cap. 29. & Cruci affixam ſpiritum emiſiſſe narrat xi. Kal. Iunij. De ea plura habet Saluator Vitalis in Sacra chronica Corſicæ, pia magis, quam ſolida veritate ſuffulta. Patriam, ac natale martyrij ſolũ Nonſam oppidum refert, antiquis Sacrum promontorium vocatum.

In Ciuitate Antiſiodoro. S. Helenam Virginem veneratur hac die Rom. martyrologium, de qua aliqua habet in Adnotationibus Baronius. Meminerunt Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, & latini recentiores. In eandem diem incidiſſe S. Virginis depoſitionem, ac translationem docent codices noſtri; quamuis Sauſſayus translationem in diem xij. Cal. Iulij reijciat. Depoſitionem hac die venerari confirmat mſ. Reginæ Sueciæ. M. Corbeienſe de ea agit die ſequenti.

In Cæſarea Cappadocia. Polioctum hìc repetunt additamenta ad Moſandri Adonem. Iterat martyrol. Corbeienſe. Antuerpienſe verò Poliuiuetum vocat. Vtrum idem Sanctus Cæſarienſis Cappadox ſit, de quo egimus ad dič 21. Maij an diuerſus, & ſi idem, cur repetatur memoria, difficile eſt aſſerere.

X. Kal. Iunij.

IN Spanijs Natalis Sanctorum Epictiti. Aptoni. Baſili Epiſcopi. Item Aptoni. In Africa Quinti. Lvci. *Et paſſio S. Deſiderij Epiſcopi, & martyris.* Iuliani. Felicis. Montanæ. Ianuariæ. Emiliæ. Nonne. Almeride. Aſti. Baſilei Epiſcopi. Victori. Firmi. Montani. Iuliani. Victorici. Fideli. Donati. Niciæ. Fauſti. Tymothei.

Epitacium

MAII 23.

EPitacium Episcopum, & Basileum hac die in Hispania veneratur R. martyrologium. Baronius adducit pro ijsdem vetera mss.,& Recentiores. Inter hos est Molanus in additionibus ad Vsuardum, Maurolycus, Bellinus de Padua,& Galesinius ex martyr:, vt inquit Romano, qui Epitacium aliquibus vocari Epictetum addit.Sicuti re vera vocat cum codicibus nostris ita consonum martyrol. Corbeiense. *x.Kal. Iun. Spanis natalis Sanctorum Epictiti, Aptonii, Basilii Episcopi. Item Aptonti, Iocundi. In Africa Quinti, Luci, & passio Sancti Desiderii Episcopi, Iuliani, Felicis, Montana, Ianuariæ, Emeliæ, Nonnæ, Alemeridi, Asti, Basilei Episcopi, Victuri, Firmi, Montani, Iuliani, Victurici, Fideli, Donati, Niciæ, Fausti, Timothei, Siluani, Foci. In Ciuitate Autisiodero depositio, & translatio S. Helenæ Virginis.* Interpolatum à Gallico antiquario M.Antuerpiense in memoria Desiderij Episcopi suspicari licet, cum Sanctum Desiderium Episcopum Viennẽsem vocat, quem nostri codices inter Africanos, alij verò inter Hispaniæ martyres reponunt, diuerso videlicet illius ordine. *x. kal. Iun. Spanis Epicti, & Aptoni. Vienna Ciuitate Desideri Episcopi, Basili Episcopi. Item Aptoni. In Affrica Quinti, Luci, Iuliani, Montana, Ianuariæ, Emeliæ, Nonnæ, Almeridæ, Asti, Basilei Episcopi, Victori, Firmi, Montani, Iuliani, Victurici, Fideli, Donati, Niciæ, Fausti, Timothei.* Basilius Episcopus,siue Basileus ita in hoc vetustissimo martyrologio, Viennensi præsuli Desiderio succenturiatur, vt eiusdem vrbis Episcopus, eadem die veneratus appareat. At præter quam quod Basilius siue Basileus Episcopus dicitur, & Hispanis martyribus copulatur, tam in nostris codicibus, quam Corbeiensi,cuius nam Vrbis etiã fuerit Episcopus, ita in ms. Reginæ Sueciæ indicatur. *x. kal. In Spaniis Ciuitate Valentia Natalis SS. Basilii Episcopi, cum aliis tribus.* Hoc est Epicteto, & duobus Aptonijs. De duobus Desiderijs Episcopis Ligonienſe,& Viennensi seiunctim à martyribus Hispanis, & ante illos agit Notkerus deinde addit. *Eadem die in Hispaniis Epicty,& S.Basilij.* Vt dubitari nequeat de Lacinia in martyrol. Antuerpiensi insuta inter Beatos Hispaniæ martyres; sicuti in martyrol. Corbeiensi, & nostro S. idem Desiderius in choro Sãctorum Africæ, minus aptè includitur. Contra fidem ms. Reginę Suecię, & supra codices nostros Valentinis martyribus martyrol. Corbeiense post secundũ Aptoniũ (ita enim legendũ in Antuerpiensi non Aptanium) addit Iocundum.

In Africa Quinti. Sub Quinto antesignano viginti pugiles sacros enumerat martyrol. Antuerpiense: viginti & vnũ codices nostri: Viginti, & tres martyrol. Corbeiense; supra illud enim addit Felicem, Siluanum, & Focium; supra nostrum verò postremos duos. In minori numero hos vidit, qui martyrologium ms. Reginæ Sueciæ concinnauit, & Cæsareæ ex his aliquos ita ascripsit. *In Cæsarea Lucii, Iuliani, Felicis cũ aliis x.* Legerem in Cæsarea Mauritaniæ, seu Mauritania Cæsariensi, vt vtraq. lectio ferri possit,& vt supra die 21. huius mẽsis dictum est ex martyrol. Antuerpiensi. De his ita Notkerus. *In Africa Quinti, & Lucii, atque aliorum multorum.*

S.Desiderii Episcopi. Rabanus præterito passionis loco legit x. Cal. *Passio S. Desiderii Episcopi,& martyris.* Notkerus, vt supra indicauimus, non modo Desiderium Episcopum Lingonienſem cum alijs socijs à Vvandalis interẽptum hac die veneratur, sed etiam Desiderium Viennẽsem sub impia Brunichilde martyrem in territorio Lugdunensi vico Prisciniaco, quem elogio, & vitæ compendio

pendio exornare hac ductus ratione, quod ſibi coæuus, Atdo Viennenſis anno Dcccl xx. tamquam de re notiſſima ſcribere prætermiſerit. Diem hunc eſſe paſſionis teſtatur tempore Mauritij Imperatoris: translatum vero eſſe S. Præſulis corpus Viennam docet 3. Idus Februarij. Cum autem in martyrologio ſuo Ado de Deſiderio Epiſcopo Lingonienſi hac ipſa die x. Kal. Maij memoriam agat, de Viẽnenſi ſileat litem dirimit, non modo Martyrologij auctorem fuiſſe Adonem Viennenſem, non Treuerenſem, ſed omninò tempus ſignat, quo illud exarauit, & cõuincit pariter ea, quæ tamquã Adonis ex editione Mosandri adducit doctiſſimus Baronius martyrol. illius non eſſe, ſicuti ad oram libri Colonienſis ſcripta vidit Roſuueydus, & inter addita, ſiue Adonis ſpuria reiecit. Vide in Adnotationibus eundem Baronium, Sauſſayum, & reliquos ſacræ Galliæ ſcriptores. S. Deſiderius, qui apud Sammarthanos 28. Epiſcopus Viennenſis numeratur anno circiter Dcvij. à Theoderico Rege impiæ Brunechildis ſuaſu ex exilio reuocatus, lapidibus obruitur, & martyrio coronatur in territorio Lugdunenſi ſuper fluuium Calaronam. Dies agonis non indicatur, ſed translatum Viennam xj. Februar. illa die ibidem recoli, ijdem Sammarthani docent.

IX. Kal. Iunij.

IN Iſtria Natalis Sanctorum Zebelli. Seruoli. In Africa natalis S. Saturnini, & aliorum iij. In Porto Romano Natalis S. Vincenti. In Syria Zeoli. Saturi. Timiſſi. Seruili. Saturnini. Felicis. Siluani. Fortuni. Item Zoeli. Strie, & Diocli. In Gallijs Ciuitate Nametis Natalis Sãctorum Rogatiani. Donatiani germanorum, & martyrum.

MAII 24.

IN Iſtria expreſsè natalem Zoili, & Seruuli ita notat cum reliquis huius diei ſacris pugilibus M. Antuerpiẽſe. *viij. Kal. Iunii. In Iſtria Natalis Zoili, Seruuli. In Affrica Sancti Saturnini, & aliorum vi. In Porto Romano Vincenti. In Syria Zoeli, Saturi, Timini, Saturnina, Seruili, Felicis, Siluani, Furtuni; Item Zoili, Siriæ, & Diocliæ. In Gallia Ciuitate Namnetis, Rogatiani, Donationi Germanorum, & martyrum.* Non Zoilum, ſed Zoellum, & Seruilium non Seruulũ vocat Iſtrianos martyres M. Romanum, dum ijſdem ſocios iungit Felicem, Syluanum, & Dioclem, quos Syriæ in aliã claſſe tribuunt cum codicibus noſtris MM. Antuerpienſe, & Corbeienſe. Addit in Notationibus Baronius eoſdem ità memorari in Iſtria apud Bedam, Vſuardum, Adonem, & recentiores, nimirum, Bellinum de Padua, Maurolycum, & Galeſinium. Ita eſt, negari nequit, quinimò ita etiam habere Notkerum his verbis addimus viiij. Kal. Iunij. *Eodem die in Iſtria natiuitas SS. Zoelli, Seruuli. Felicis, Syluani, Dioclis.* Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ eorundem meminit, ſed in Tabulis Eccleſiarum Hiſtriæ, Aquileienſis præcipuè, nullam eorum memoriam agi fatetur. At Seruulum, nõ Seruilium, ſub Numeriano Imperatore, & Iunilio Præſide in Vrbe Tergeſtina, ſiue Tergeſte Carnorum in Iſtria paſsũ, ac ſepultum cum ſocijs ix. Kal. Iunij diſertè docet Petrus de Natalibus lib. 5.

cap.36. inter quos fuisse Zoilium, vel Zebellium, & Secundinum nihil vetat. Hos enim tantum socios refert M. Corbeiense, cuius integrum laterculum de more damus, animaduertentes interim, Felicem, Syluanum, & Dioclem in alio cætu Sirorum martyrum referri, tam in hoc, quam nostro, & Antuerpiensi martyrologijs, licet Galesinius Seruulum affirmet memorari in Tabulis Ecclesiæ Tergestinæ, & codicibus mss. & reliquos ab illo in notis diuidat. *ix. Kal. Iunii. In Histria natalis Sanctorum Zebelli, Seruuli, Secundini. In Africa Natalis Sancti Saturnini, & aliorum vi. Martyrum. In Portu Romano natalis Sancti Vincentii. In Syria Zoeli, Saturi, Timini, Saturnini, Seruili, Felicis, Siluani, Fortuni. Item Zoeli, Striæ, & Dioeli, Maximini. In Gallia Ciuitate Namnetis, Natalis Sanctorum Rogatiani, Donatiani germanorum.* De sanctis Histræ videantur etiam quæ adnotamus ad diem v. Iunij.

In Africa. Cum Saturnino sex tantū anonymos habent MM. Antuerpiense, & Corbeiense, vnde corrigenda in nostris codicibus numeralis nota, & pro iij. reponenda vj. facili librariorum lapsu.

In Portu Romano. S. Vincentij memoriam agit M. Romanum in Portu Romano, vna cum Beda, Vsuardo, Adone, Notkero, & reliquis recentioribus, penes quos præter nomen, & locum passionis reliqua desiderantur. An S. Vincentius sit qui sacerdotali habitu pictus cernitur vna cum Sanctis Sennen, Abdon, & Mile in cæmeterio Pōciani apud Aringhium affirmare non auderem. Nō admodum difficile esset ex Portu Romano translatum fuisse sacrum Vincentij corpus in cœmeterium Pontiani, vel initio ibi sepultū, quod sit Via Portuensi. Vetustissima S. Vincentij imago extat ex lateritio sarcophago eiusdē cœmeterij apud eundē Aringhiū to. 1. Romæ subt. lib. 2. cap. 383. Sanctū etiam Vincentium inter martyres, qui Romæ extra Vrbem quieſcerent Via Portuensi commemorat Vvillelmus Malmesburiensis de Gestis Anglorum lib. 4. cap. 2. Abundat supra reliquos adductos codices in Vincentio ms. Reginæ Sueciæ; illi enim socios xij. anonymos, ita addit *ix. kal. Iunii. In Portu Romano nat. S. Vincentii martyris cum aliis xii.* Verendum tamen est ne Anonymi martyres Syri sint.

In Syria Zoeli. Vndecim Christi milites in Syria coronatos exhibent cum codicibus nostris martyrol. Antuerpiēse. Duodecim enumerat martyrol. Corbeiense; Maximinum enim postremo loco addit, alijs præteritum, sicuti omnes inediti hucusq. martyrologijs desiderantur etiam apud Notkerum. In numero videtur iam adductum ms. Reginæ Sueciæ cum Corbeiensi conuenire, dū anonymos xij. post Vincentium numerat, à quo in loco agonis sunt seiungēdi; vnde verba illa cum alijs xij. seiunctim legenda esse existimarem. In nominibus horum martyrum inter adductos codices aliqua intercedit differentia, Zoilus in martyrol. Antuerpiensi est Zoelus in Corbeiensi, & nostro; illius Siria, his est Stria, & Dioclius eidem est Dioclia.

In Galliis. De SS. Rogatiano, & Donatiano Germanis fratribus martyribus Nannetis in Armorica omnia latinorū edita martyrologia loquuntur, & præter Bedam, Rabanum, Vsuardum, Adonem, Notkerum, Petrum de Natalibus, & Surium apud Baroniū in Notationibus, videndus est Saussayus.

Quia vero in adductis omnibus mss. codicibus, quibus Vetustius nostrum martyrologium fulcimur, nulla de S. Ioanna Discipula, & Vxore Chuze Procuratoris Herodis extat memoria, cum tamen eius meminerint S. Lucas Euangelista cap. 8. & 24. & omnes fere qui martyrologia conscripserint, ne quid prætereamus ad vetustius Hieronymianum martyrologium spectans, monendum duximus, hic S. illius Matronæ fortasse librariorum incuria, veneration em desiderari, siquidem Petrus de Nat. lib. 5. cap. 35. dum eius vitam breui compēdio perstringit ix. Kal. Iunij, dumq. cap. 34. Ma-

naem

naem pariter Domini Discipulum, Herodis collactaneum, noui testamenti Prophetam, & in Apostolicis Actis memoratum, eode die Antiochiæ in Domino obdormiuisse narrat, eorũ gesta scribere profitetur, *vt dicit Hieronymus in Martyrologio Sanctorum.*

VIII. Kal. Iunij.

INsula Tusciæ Ciuitate Lera Natalis Sanctorum Sentiani. Vincenti, & Sanctæ. Mediolano Depositio Dionisij Episcopi. Polecrati, & aliorum iiij. Coronati. Vincenti. Iohannis. In Oriente Eusebi. Via Nomentana Miliario octauo Natalis Vrbani Episcopi. In Cimiterio Pretextati Dorostori. In Africa Fabiani. Septini. In Epheso Iohanis Apostoli. Saturnini. Saturi. Timidi. Tomuni. Victori. Sciali. Victoriæ. Flauini. & Depositio S. Marcelli Confessoris.

MAII 25.

HEtrusci martyres nusquam in vulgatis martyrologijs comparent. Martyrol. tamen Antuerpiense post Dionysium Mediolanensẽ fortasse superadditum, ita eos recenset viij. *Kal. Iun. Mediolani Dionysij Episcopi, & Confessoris. Ciuitate Blera Senciana, Vincenti. & Sanctæ, Policrati, & aliorum iiii. Gortuna Ciuitate Vincenti, Iohannis. In Oriente Eusebi. Via Nominata mil. viii. Natalis Turbani Episcopi. In Ciuitate Pretextata Dorostori. In Affrica Fabiani, Septini. Effeso Ioannis Apostoli, Saturnini, Timini, Tomuni, Victuri, Istiali, Victurię, Fluini.* S. Dionysium Mediolanensem, tam in codicibus nostris, quam Corbeiensi superadditum esse antiquis martyribus suadere videtur, quòd inter martyres Bleranos à vetustissimo illo iugiter numeratos interpolatur. Eodem enim ordine cum vetustiori nostro martyrol. Corbeiense signatur. *viii. Kal. In solo Tusciæ, Ciuitate Blera, Natalis Sanctorum Sententiata, Vincentii, & Sanctæ Iuliana. Mediolano depesitio Dionysii Episcopi, Polegrati, & aliorum quatuor coronatorum, Vincentii, Ioannis, Marii. In Oriente Eusebii. Via Nomentana miliario nono Natalis Vrbani Episcopi. In Cimiterio Pretextati Dorostoli. In Africa Fabiani, Septimi, Iulii. In Epheso Ioannis Apostoli, Saturnini, Tomuni, Victuriæ, Istiali, Victurię, Plauii, & depositio Sancti Marcelli.* Quid autem sibi velint in codicibus nostris verba illa *Insula Tusciæ Ciuitate Lera*, partim ex martyrologio Antuerpiensi, & Corbeiensi colligo, & corrigo *Ciuitate Blera*, partim vitiata vereor, atq. ita relinquere cogor. Æquè enim ignoro quid significet *In solo Thusciæ*, quam *Insula Tusciæ*. Primo modo omninò legitur in codice Corbeiensi, vt in varijs lectionibus Dufresnij penes me patet, & nuper apud Dacherium, secundo modo in binis codicibus nostris. Blera Ciuitas, vel Opidulum potius Tuscorum erat mediterraneum Ptolomæo, cuius incolæ Blerani Plinio, Blerates Straboni dicerentur. Librariorum vitio notat Cluuerius in Tabula itineraria pro Blera scriptum esse Olera, vnde antiquarius nostter pro Olera, vel Blera scripserat tantum Lera. Quamquam verò Blera Straboni

boni opidulum sit, in Vita tamen Sabiniani Pontificis apud Luitprandum ciuitas dicitur, ac Pontificem fuisse *natione Tuscum de Ciuitate Blera*, quod repetit Abbo Floriacensis. Oppidum nunc est Bieda nomine Sutrio, & Viterbio vrbibus finitimum. Tres ibi martyres, vel passos, vel veneratos refert martyrologio Corbeiense Sententiatam, Vincentium, & Iulianum. Codices nostri Sentianum, Vincentium, & Sanctam referunt. Martyrol. Antuerpiense pro Sentiano Sencianam, & pro Sãcta Scantam exhibet, hisq. Bleranis martyribus Policratem iungit, & anonymos quatuor, qui in codicibus nostris per memoriam Dionysij Episcopi interpolantur, sicut in Corbeiensi.

Coronati. Hic magis martyrol. Antuerpiensi adhæreo, in quo pro voce Coronati, seu Coronatorũ retinetur *Gortuna Ciuitas*, & in ea recolitur Vincentius, & Ioannes, qui minus aptè Bleranis martyribus sociantur. Gortyna vrbs, quondam celebris Cretæ fuit, Gnosso finitima, Lucano memorata, & Ouidio. Opidum Macedoniæ minus celebre etiã dicebatur Gortynia, sicuti & Gortyna vrbs in Arcadia. De celebriori Cretica intelligerem. Martyrol. Corbeiẽse Vincentio, & Ioannu martyribus socium Mariun addit.

Mediolano. De S. Dionysio Confessore Mediolanensi agunt cum Rom. martyrologio Beda, Vsuardus, Ado, & Notkerus, qui duplicem de loco vbi S. Cõfessor in exilio positus obdormiuit, sententiam affert, dum alij in Cappodocia, alij in Armenia laudatissimæ vitæ cursum compleuisse affirmant, & reliquias eius Mediolanum translatas à S. Basilio, vel vt alijs magis placet à S. Aurelio eiusdẽ Vrbis Episcopo. Plura hac die adnotauit Baronius. Strictim vitã affert Petrus de Natal. lib. 5. cap. 42. & Galesinus in martyrologio; diffusius eandem exornauit, & ex omnibus Mediolanensis Vrbis, tam editis, quam ms. scriptoribus vberius, & elegãter concinnauit amicus noster Placidus Puccinellius Decanus Cassinensis in Sacro Ecclesiæ Mediolanensis Zodiaco. Sufficiat verò hic ex D. Ambrosio eius successore epist. 82. coronidem illustris cõfessionis subnectere. *Itaq. vt Eusebius Sanctus prior leuauit vexillum confessionis, ita B. Dionysius in exilii locis propriore martyribus titulo* (vitam) *exhalauit*. Pro martyre illum habuisse D. Ambrosium, quòd in ærumnis pro fide positus quieuerit, ex pluribus locis patet, præsertim lib. 5. epist. in Oratione ad Auxentiũ, & serm. 69. vbi narrat, quomodo S. Eusebius Vercellensis, cuius S. Dionysius fuerat discipulus, eũ ab hæreticorum versutia liberauerit, & martyrem effecerit.

In Oriente Eusebii. Coniunctos à D. Ambrosio Episcopos puto hìc nõ dissũsisse vetustioris nostri martyrol. auctorẽ, & cum Eusebium Vircellensem in die eius natali recolat Kal. Augusti, eiusdem in Oriente memoriam hac die in Dionysij socij Natale libẽter repetat, & ambos memorabiles viros, cum D. Ambrosio ep. 82. ad Vercellenses, eodem die venerare voluerit. *Eusebius sanctus exiuit de terra sua*, (inquit D. Ambrosius) *& de cognatione sua, & domestico ocio peregrinationem pratulit. Pro fide quoq. dura prœoptauit, atque elegit, consuncto sibi S. memoriæ Dionysio, qui post habuit Imperatoris amicitiam exilio voluntario*. De S. Eusebij in Oriente passionibus plura habentur serm. 69. inter opera S. Ambrosij, vbi hæc verba de eo prostant. *Post multas iniurias Orientis plagæ illum in exilii relegarunt, in quo tãta passus est, vt martyris inuictam gloriam reportaret.* In menologio tamen, aut Calendario Orientalis Ecclesiæ, aut alibi hac die memoriã S. Eusebij non inuenio, præterquam in adductis MM. Corbeiensi, Antuerpiensi, & nostro.

Via Nomentana. Corruptè legitur in martyrol. Vetustissimo *Via Nominata* pro *Via Nomentana*. Vereor etiam nõ mendum aliquod in codicibus nostris, & Corbeiensi, alijs etiam martyrologijs

edius

editis commune irrepserit, hoc est *Via Nomentana* pro *Via Appia*. Plures enim codices S. Vrbanum Pontificem,& Confessorem recolunt hac die Via Appia. Ita antiquum Romanum calendarium à Fronto editum hac die 25. Maij *Natalis S. Vrbani Confessoris, atque Pontificis Via Appia*. Eadem Appia via in cœmeterio Prætestati sepultum asserunt B. Vrbanũ liber Pontificalis, & Abbo Floriacensis, penes quos legitur quieuisse in cœmeterio Prætestati via Appia 8. Kal. Ianuarij. At ex Luitprando corrigendus est error librarij, vel typographi, & legendum 8. Kal. Iunij, quia etiam Acta S. Vrbani ex tribus mss. codicibus Bibliothecæ Vaticanæ exhibent apud Antonium Bosium in Hist. Passionis B. Cæciliæ Romæ edita 1600. In his legitur, quod Christiani milites, & Tribuni Flauianus, Callistus, & Ammonius, cum quibusdam alijs sepelierunt in Vrbanum *cum suis sociis in Cœmeterio Prætestati* Via Appia viij. Kal. Iunias. E contra via Nomentana, vel sepultum, vel veneratum S. Pontificem docent cum nostris alijsque codicibus martyrologium Romanum, Beda editus, cum Vsuardo, Adone, & Notkero; ex quibus postremi non modo via Nomentana, *sed in Cœmeterio Prætestati* veneratum addunt. Cœmeterium Prætestati fuisse via Appia, & partem cœmeterij Callisti alibi diximus. Quomodo via Nomentana Appiæ opposita potuerit esse cœmeteriũ Prætestati, vel eundem attingere me prorsus latet. Tam autem certum est Vrbanum Pontificem sepultum, ac veneratum esse in cœmeterio Prætestati, vt inde aliquando mutato nomine cœmeteriũ Vrbani dictũ fuerit, vt notat Aringhius lib. 3. nu. 10. ex Bibliothecario locũ non indicat Rabanus, sed cum adducto Frõti calendario ita Confessorem vocat. *Romæ S. Vrbani Papæ, & Confessoris, cuius doctrina multi martyrio coronati sunt.* Confessorem etiam vocant Abbo Floriacensis, & Luitprandus. Liber Pontificalis silet migrationis modum. Marianus Scotus ad annum ccxli. passum affirmat sub Alexandro VIII. Kal. Iunij. Martyrẽ, sine hæsitatione asserit Baronius ad annum 233. n. 1. Sanè in vetustiori martyrol. nostro, vel Corbeiensi S. Pontificem recoli Via Nomentana dicitur, non vero in cœmeterio Prætestati.

Dorostoli. Omnia vulgata martyrologia hac die Dorostori in Mysia Pasicratem, & Valentionem cum alijs duobus memorant, Notkerus præcipuè, qui sæpius cum martyrol. nostro conuenit, & Ado, qui ex vetustiori suum emendasse profitetur. Vereri qua propter quis posset, ne plurimùm confusi essent codices omnes, quibus Vetustius nostrum roboratur. Minus certè appositè in Antuerpiense legitur *In Ciũi prætestata Dorostori*. Sed sicuti facile cum Corbeiesi martyrol. & nostro accomodari posset, & breuiatum illud nomen parua mutatione legi *In cœmeterio Prętextati*, ità contra editorum omnium fidem accipiẽdum esset nomen Dorostori pro martyre, non pro Vrbe. Beda editus ita retinet *Apud Mœsiam ciuitatem Dorostero Nat. SS. Passioratis Valentionis, & aliorum simul coronatorum*. Eadem penè verba habent Vsuardus, Ado, & Notkerus, qui tantum addunt *& aliorum duorum simul coronatorum*, quemadmodum etiam retinet Petrus de Natalibus lib. xi. n. 151. Dorostorus sanè siue Dorostolon Vrbs Mysiæ inferioris apud Geographos fuit, nunc pagus Bulgariæ, vel ergo nomen Dorostori restituendum ex ante Policratem, vel post Dionysium Mediolanensẽ legendam esset. *Dorostoli Policrati, seu Pasicrati cum aliis quatuor*, inter quos numerandus esset Valentio. In tanta tamen concordia mss. codicum nihil facile immutarem; facilius enim interpungi potest Vetustius nostrum, vt cœmeterium Prætestati Vrbano accomodetur, & post nomen Dorostori apponatur Passicratis, & Valentionis, qui Iulium martyrem aliquo spatio in martyrio præcesserunt, vt habetur apud Adonem, & Notkerum infra vj. Kal. Iunij.

In

In Africa. Binos martyres Fabianum, & Septinium ita recolunt adducti mſs. libri, vt apud Latinos editos non proſtent, parumque varient in nomine Septini, quem alter ex codicibus noſtris cum Corbeiēſi vocat Septimum, vel Septimium, alter cum Antuerpienſi Septinium. Iulium vero non exhibet niſi M. Corbeiēſe, ex quo fortaſſe Doroſtori vrbi reddendus eſſet in ſuperiori claſſe, vt apud Petrum de Natal. lib. 1. cap. 56.

In Epheſo. Qua die S. Ioannes Euangeliſta Epheſi translatus fuerit, vel obdormierit incertū eſt apud ſcriptores. Landulphus de vita Chriſti p. p. cap. 6. affirmat D. Ioannem Euangeliſtam de carcere huius mundi migrauiſſe ad Cœleſtem patriam in die Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, hoc eſt 8. Kal. Iulij, propter cuius ſolemnitatem affirmat, Eccleſiam feſtum Euangeliſtæ tranſtuliſſe in diem tertiam hebdomadæ Natalis Domini; quod fortaſſe accepit à Guglielmo Durando in Rationali diuin. offic. lib. 7. c. 14. Addit etiam diem illam 27. Decembris S. Ioanni Euangeliſtæ fuiſſe ſacratam, vel quòd illo die eius Baſilica dedicata ſit, vel quia tunc infulatus fuerit Patriarcha Aſiæ. Alio die Græci in Menologio D. Ioannis Theologi migrationem recolunt nempe vj. Kal. Octobris. Plura de ea diximus ad Indiculum Apoſtolorum, quæ hìc repetenda non ſunt. Fortaſſe huius diei feſtum Epheſinæ Baſilicæ dedicatio eſt, cuius meminit Procopius de Ædificijs Iuſtiniani lib. 5. An vero qui ſequuntur martyres Saturninus cum ſex ſocijs in martyrol. Antuerpiēſi, vel quinque in martyrol. Corbeienſi, vel ſeptem in codicibus noſtris Epheſini ſint, poſt Ioannem Theologum enumerati hæreo, & vereor, ne ex interlineari, vel marginali additione in prototypo vetuſtiore memoria S. Ioannis in latereculum inter martyres Africanos irrepſerit, & Saturninus cum Septimio, aut Iulio ipſis continuari debeāt. Nomen equidem Saturnini frequens in Africanis martyribus eſt. Nec ſubticere libuit poſt Saturninum, Saturum, Timidium, ſiue Fiminiū, codices noſtros habere Tomū, meq. anticipitē reddidiſſe, an vrbis nomē eſſet & legendū, vel Thomū in Ægypto apud Antoninum, vel Tomim in Moeſiæ inferiore, Ouidij poetæ exilio celebrem, cui reliqui martyres tribui deberent Victor, Scialus, Victoria, & Flauius ſiue Flauinus, ſeu Fluinus. Qui plures, varioſq; antiquos codices habuerit, decernere id facilius poſſet.

S. Marcelli. Cum neq. locus, vbi S. Confeſſor Marcellus recolatur exprimatur, neque in noſtris codicibus, neq. in Corbeienſi, difficile eſt coniectari, qui nam ex plurimis hoc nomine Diuis eſſe potuerit. Additamentum de more Gallici antiquarij licuit ſuſpicari, quòd in martyrol. Antuerpienſi non memoretur. Sed neque inter Galliæ ſacræ ſcriptores vllum hac die Marcellum licuit inuenire.

VII. Kal. Iunij.

NAtalis S. Eracli. Pauli. Mindine. In Africa item Pauli, & Anteon. Quadrati. Rufini. & Valeriæ. In Tutuaratine Tuſcie Natalis Sāctorum Feliciſſimi. Eracli. Paulini. Menedine. Saturi. Victori. Saturnini. Mauri. Saturi. Fortunati, & Themedi. *In Territorio Autiſiodorenſi loco Quociaco Paſſio S. Priſci martyris cum ſotijs ſuis innumera multitudine.*

Chriſti

MAII 26.

HRisti milites, quos nullo indicato passionis loco, in fronte laterculi producunt codices nostri Heracliũ, Paulum, & Mindinam, eosdẽ mutato in Paulinum Paulo, & Mendina in Mundinium Africæ tribuit, hac serie martyrol. Antuerpiense. *vij. kal. Iunij. In Affrica Heracli, Paulini, Mundini Augustini Episcopi, In Affrica Pauli, Ateonis, Quadrati, Rufini, Valeriæ. In Tuder Tusciæ, Felicissimæ, Eracli, Paulini, Meridie, Saturi, Victuri, Saturnini, Masini. Item Saturnini, Furtunati, & Theomedi. Antisiodoro Ciuitate Passio Prisci.* Africæ nomen primæ martyrum turmæ præpositum, sublatum esse ex alterius classis proximitate, ab antiquiario codicum nostrorum suspicor, & idem accidisse video martyrol. Corbeiensi, in quo tamen supra tres indicatos, Iocundus ita superadditur. *vij. Kal. Iunij. Nat. Sãcti Æracli, Pauli, Mindinæ, Iocundi. In Affrica item Pauli, Anteon, Quadrati, Rufini, Valeriæ, Magni. In Ciuitate Tusciæ Natalis Sanctorũ Felicissimi, Eracli, Paulini, Menedinæ, Saturi, Victuri, Saturnini, Maurini. Item Saturi, Fortunati, Thomedi. In Territorio Antisiodorensi loco Quotiaco, passio S. Prisci martyris cũ innumera multitudine.* Ex adductis martyribus cum Eraclius Paulinus, & Menedina ijsdem nominibus, & eodem ordine, quo initio laterculi signantur, prostent etiam inter martyres Thuscos, de aliqua oscitantis librarij repetitione suspicionem moueant; at cum paulo aliter Tudertini martyres in Antuerpiensi M. scribantur nihil moror; additamentum tamen in illo agnosco Augustini Episcopi, qui in Angliã à Gregorio missus virtutibus, & miraculis Britanniam Ecclesiæ adiunxit, vbi additus à S. Vvillibrordo, vel alio illius gẽtis antiquario in Epternacense martyrologio fuit, sicuti in nostro, & Corbeiensi desideratur.

In Africa. In alia Africanorum pugilum classe, Quadratus ille numeratur, qui ab omnibus ferè latinis martyrologijs recolitur, & in cuius celebritate D. Augustinus sermones habuit vt Possidius auctor est in Indiculo, & post eum Ado, & Notkerus. Meminit Quadrati Africani Romanum martyrologiũ cum Beda, Vsuardo, Adone, & recentioribus, qui nullos eidem socios addunt, cum tamen codices nostri, cum M. Antuerpiensi eidem quatuor commilitones assignent, Corbeiense vero quinque; supra Paulũ enim Anteonem, Quadratum, Rufinum, Valeriam, & Maginum numerat. Auctor ms. Reginæ Sueciæ non nisi quinque vidit in antitypo suo. *vij. Kal. In Africa Pauli, Quadrati, cum aliis tribus.*

In Tuuaratina. Corruptissimum in codicibus nostris nomen restituendũ est ex Adone, qui proximè ad horũ lectionem accedit, *In Tudertina Tusciæ.* Notkerus *Tuderto Tusciæ* legit cum Vsuardo, & Beda. *Tuderti* M. Romanum. *Tuder Tusciæ* Antuerpiense, in quo veluti in codicibus nostris, & Corbeiense plures, quam tres Tudertini Athletæ numerantur, nempe vndecim. Deficit in Corbeiensi Etruscæ Vrbis nomen, & aliqui martyres variant. Pro Mundinia codices nostri legunt Menedinam, & M. Antuerpiense Meridiam, & pro Thomede, Themedem, vel Theomem. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, non nisi cum Felicissimo Heraclium, & Paulinum refert sub Diocletiano, & Maximiano coronatos ex Tabulis Ecclesiæ Tudertinæ. Tuder, vel Tudertum in libris Cõciliorum Vrbs est Vmbriæ, propriè dictæ, non Thusciæ, vulgo Todi. At sicuti Perusia cui Tuder proxima vrbs est martyrologijs in Tuscia recensetur, ita nec illis absonum in eadem Prouincia Tudertinos reponere.

In Territorio Autisiodorensi. Ingentẽ cum Prisco multitudinem martyrio coronatam recolit etiam R. martyrologiũ cum Vsuardo. Notat ibi aliqua Baronius. Notkerus eadem cum Vsuardo penè habet. Acta refert Petrus de Nat. lib. 5. cap. 50. Passos sub Aureliano in Villa Tornaco Aurelianensis Diœcesis refert: militẽ vero cũ capite S. Prisci aufugientẽ captũ, & obtruncatũ prope Autissiodorũ, & post quinquaginta annos à S. Hermano Autissiodorẽsi inuẽta SS. corpora apud locum Quoriacum, constructo ibidem cœnobio refert scriptor vitæ S. Germani in Historia Episcoporum Autissiodorensium ex Bibliotheca Lebbei. Hericius Monachus de miraculis S. Germani lib. 1. cap. 9. locum illud parua differentia vocat Cotiacum. Breuissimè de S. Prisco præter morem agit ad hanc diẽ Saussayus, & breuius adhuc Hagiologiũ Franco Galliæ.

VI. Kal. Iunij.

IN Alexandria Natalis Sanctorum Aquilini Presbyteri, & aliorum xiiij. In Thomis Helie. Lvciani. Zotici. Martialis. Victori. & Maurini. In Africa Natalis Sanctorum Sacci. Iuli. Daame. Carpiæ. In Sardinia Saluciani. Eutrici Episcopi. Crisscentini. Ticiani. Quinti. Sciabili.

MAII 27.

IN altervtro ex codicibus nostris antiquissimi librarij oscitãtia huius diei segmẽtum cum superiori, ita admissum erat, vt sub eodem titulo vij. Kal. Iunij festus etiam calendas includeretur. Errorem agnoui, sed aliorum codicum fide emendãdum. Ex Corbeiense vetusto Eusẽbij, & Hieronymi martyrologio, doctissimorum humanissimorum Virorum Raffaelis Dufresnij, & Petri de Faultrì aliquorum dierum exemplum habui, & clarissimi Patris Ioannis Bolandi humanitate ex pluribus vetustis codicibus, quibus ille gaudet ita certissimum esse comperi, sacrasque huius diei tabulas à martyribus Alexãdrinis ex ordiri comperi. Ita vetustissimum Antuerpiense. *vi. Kal. Iunÿ. In Alexandria Aceuli Presbyteri, Euangeli, & aliorum xiiij. In Thomis Heliæ, Lvciani, Zotici, Marcialis, Victuri, & Murinæ. In Affrica Iuli, Dami, Carpiæ, & aliorum cccc. In Sardinia Salustiani, Eutropi Episcopi, alibi Crescentini, Ticiani, Quinti.* Pro Acculo Presbytero Aquilinum habent codices nostri Aquilum Corbeiense. *vi. Kal. Iunÿ. In Alexandria Natalis Sanctorum Aquili presbyteri, Euangelÿ, & aliorum quatuordecim. In Tomis Eliæ, Lvciani, Zotici, Martialis, Victuri, Maurini, Seruuli. In Africa natalis Sanctorum Sani, Iulÿ. Vaama, Carpiæ. In Sardinia Salutiani, Riterici, Crisentem, Titiani .... iti Sciabili.* Ab huiusmodi Ectypo nõ nihil variat editum M. Corbeiense Dacherij, & pro Sano Saccum, pro Vaama Daamam, pro Crisentem Crescentinum, & pro Stabili Stabulum profert. Sed quantum distant aliorum mss. codicum segmenta ab his, quibus iugiter innitimur, & quanto magis deprauata, ex his quæ subnectimus facile quisque eliciet. Vetus ms. martyrologium Parisijs apud Lebbeum ita sacram Ephemeridem signat, nulla locorum differentia. *Aquili, Heliæ, Saui, Iulÿ, Saluciani, Etrusci, Quinti, Straboli, Euangeli, Luciani. Romæ Restituti.* Et quamquam nullus in hoc codice ordo videatur, illi tamen debemus Romanũ

martyrem

martyrem Reſtitutum, in alijs non indicatum. Alius codex mſ. Monaſterij Rhinouienſis, quo ſæpè vtitur Bollandus hos pauculos martyres exhibet. *Alexãdria Aquilini Presbyteri, Euãgeli, & aliorum xiiij. Alibi Heliæ.* Quartus vetuſtus codex Monaſterij Diuitis-Augiæ, ſiue Richenouienſis in Germania ita diem vj. Kal. Iunij conſignat. *Alexandria Aquilini presbyteri, Euangelij, & aliorum xiiij. Alibi Elia, Luciani, Martialis. In Africa Sacer Carpia. In Sardinia Saluciani, Eutici Epiſcopi, Creſcentini, Terrani, Quinti, Stabili.* Aliud mſ. Martyrol. Eccleſiæ Aquisgranenſis in Belgio, ita mutilos etiam ſacros faſtos exhibet. *In Alexandria Natalis Accoli presbyteri, Saluſtiani, Aquilini, Heliæ, Reſtituti, Sanij, Ialij.* Verum & ſi minus perfectos, & deterioris notæ hos codices agnoſcam, quam noſtros, Antuerpienſe, & Corbeienſe MM.; ex eorundem tamen conſenſu emendati ora aliquorum martyrum nomina prodire poſſe non dubitarem. Ad vetuſtius noſtrum magis accedit mſ. Regjnæ Sueciæ etiam hac die vberius. vj. Kal. *In Alexandria Nat. SS. Aeuli presbyteri, Euangelij, & aliorum xiiij. In Tomis Elea, Luciani, Zotici, Martialis, Victuri, Mutiana. In Africa Nat. Sanctorum Sacci, Iulij, Damiæ, Carpiæ. In Sardinia SS. Saluciani, Eutici Epiſcopi, Criſcentini, Tychiani, Quinti, Sciabili.*

Alexandria. Galeſinus deprauatos, & mutilos codices nactus non modo aliquos ex Alexandrinis, ſed aliorum locorum martyres, ita Romæ tribuit. *Romæ Beatorum martyrũ Aquilini, Eliæ, Quinti, & Reſtituti.* Ex his tantum Romæ Reſtitutus tribuitur in martyrol. Lebbei, & id quidẽ recte cum Reſtitutus martyr via Nomentana ſepultus fuerit vj. Kal. Iunias, vt in fragmẽto mſ. Vaticani apud Aringhium lib. 4. cap. 24. Reſtituram habet M. Romanum apud Soram. Aquilinum cum codicibus noſtris nõ Aculum aliqua mſs. vocant, vt vidimus, quinimo vt Aquisgranenſe Aculum ab Aquilino diſtinguit, & vtrumq. exhibet. In Anonymorum Alexãdrinorum numero xiiij. omnia ferè conueniunt, & tamen xij. tãtum exhibet Notkerus. Euangelus in codicibus noſtris deſidederatur.

In Thomis. Qui alibi incerto loco ſignantur in aliquibus ex adductis codicibus Elias, Lucianus, & quatuor alij ſocij, in noſtro Vetuſtiori, Antuerpienſi, & Corbeienſi MM. Thomis tribuuntur. Vericus ſum an legendum eſſet Thmuis in Ægypto, an Tomis in Ponto. Plures codices ſanè Tomis ſine aſpiratione retinent, vt mſ. Reginæ Sueciæ, Notkerus, Ado, & M. Corbeienſe in exemplo Petri Faultryi. Tomis qui alio nomine Miletus dicitur Vrbs eſt Ferrario in ora maris Euxini, exilio Ouidij nobilis, & ab eo pluribus in locis indicata. Pro Maurino inter Tomitanos martyres Murinũ habet martyrol. Antuerpienſe, & Corbeienſe Seruulum addit.

In Africa. Nõ modo Africanos martyres non habet Rom. martyrologium, ſed neque Notkerus, qui proximiùs inter edita ad vetuſtius noſtrum accedit. Exuberat Antuerpiẽſe, in quo poſt Carpiam, Anonymi Quadringenti numerãtur alijs codicibus ignoti. Diuitem martyrum Africã non difficulter agnoſco.

In Sardinia. Vetuſtiſſimum M. quod pluries diximus in locorum diſtinctionibus præ reliquis magis eſſe accuratum, in Sardinia non niſi Saluſtianum. & Eutropium Epiſcopum recolit, reliquos verò alibi incerto loco aſſignat. Fauet illi Notkerus, qui Sardiniæ martyrem tantum agnoſcit Saluſtianum. Sed cum noſtris codicibus, ac Corbeienſi fere reliqua adducta martyrologia conueniunt. Sciabilem tamen M. illud vetuſtiſſimum non habet & pro Eutropio Eutricium, vel Euticium Epiſcopum alij codices rẽtinent. Ritericum ſine Epiſcopali notæ exhibet Corbeienſe in exemplo Dufreſnij, & Euticium in martyrol. Dacherij.

V. Kal. Iunij.

PAmphilia Zotoli. Primi. Nonna. Cureſi. In Africa Portini. Arminie. In Sardinia Emili. Felicis. Piriani. Luciani. Romæ via Numentana miliario xiij. Natalis Sanctorum Epegati. Euſtaſi. Victiæ. Caſtulæ. Epicari. Ance. Octubri. Vſorie. Vippia. Hili. Homini. Marcili. Collonie. Maxime. Sylomini. Auittiæ. Comini. Marciane. Flumini. Item Marciane. Caſtule cum alijs vij. *In Ciuitate Pariſius S. Germani Epiſcopi, & Confeſſoris.*

MAII 28.

NOn parum inter ſe diſcrepant codices noſtri cum martyrol. Corbeienſi à martyrol. Antuerpienſi. In hoc Pāphiliæ martyres ſubticentur, vel potius Africæ hoc ordine tribuuntur. *V. Kal. In Africa natal. Getuli, Nunni, Primi, Auroſi, Proti, Mari, Miniæ. In Sardinia Emili, Felicis, Priami, Feliciani. Roma Vopegani, Euſtaſi, Victiæ, Caſtulæ, & Pigati, Anie, Octobri, Vroriæ. Vimpiali, Homini, Marcelli, Cillonie. Maximæ, Filomeni, Anetiæ, Cummini, Marcianæ, Flumini, Maciane, Caſtulæ cum aliis vi. Ciuitate Pariſius Depoſitio S. Germani Epiſcopi.*

Pamphilia. Nihil habet Pamphilia cum Africa commune, ſiue pro Vrbe Macedoniæ accipiatur, ſiue pro Aſiæ regione inter Lyciam, & Ciliciā. Cum tamen in pluribus codicibus martyres, qui Pamphiliæ, à noſtro, & Corbeienſi M. aſſignantur, inter Africanos numerentur, ancipitem reddunt an Pamphiliæ nomen pouus martyris Africanæ eſſet, & à capite latercuſi *In Africa* eſſet reponendum. Sanè Zetolus, ſeu Cetulus, aut Getulus, Primus, Nōnus, Eureſius, ſiue Aroufius, qui tam in noſtro, quam Corbeienſi M. Pāphiliæ aſcribuntur, Africani ſunt Rhinouienſi, & Richenouienſi mſs. martyrologijs apud Bollandum, qui humaniſſime mihi hęc fragmenta tranſmiſit. Primum ita eos recenſet. *In Africa Cetuli, Auroſi, Proti. In Sardinia Emoli, Priami*, Secundum non nihil vberius, ſed tamen in omnibus mutilum. *In Africa Cetuli, Auroſi, Proti. In Sardinia Emili, Priami. Romæ Epigatæ, Catuli Martialis. Pariſiis Ciuitate Dep. S. Germani Epiſcopi.* At cum hos libros mutilos, manuſq. in omnibus accuratos agnoſcam, quam noſtri, & Corbeienſis ſint, nihil immutandum duxi, ac potius iuxta horum ordinē Antuerpienſe reſtituendum eſſe exiſtimaui. Ita verò in exemplo à Corbeienſe codice per D. de Faultry deſcripto legitur. *V. kal. Iunias. Pamphiliæ, Zeuli, Primi, Nouni, Eurioſi, Iulii, In Africa Portuni, Arminiæ, Secundini. In Sardinia Emuli, Felicis, Primiani. Lucrani, Iocundiani. Luci. Romæ Via Nomentana miliario xiii. Nat. SS. Epicati, Octubri,* * *Kroriæ, Vippiapali, Homini, Marulli, Cillonie, Maximi, Frolomini, Anicia, Commieni, Martiani, Flumini, Mariani, Caſſulæ cum aliis nouem. In Ciuitate Pariſius Depoſitio Sancti Germani Epiſcopi.* Differt nonnihil exemplum hoc ab edito Dacherij, quod poſt Epicarum addat *Euſtaſi, Victiæ, Caſtulæ. Item Epicati.* In illo feſtinatione ſcribēdi prætermiſſa. Differt etiam à noſtris nonnihil; inter Africanos enim martyres Corbeienſe M. addit Iocundianum, & in Sardinia Iocundianum pariter, & Lucium. Ex martyrologio mſ. Labbei nullæ ſuppetiæ afferuntur, nullo enim ſeruato ordine, & decurtatis faſtis, ita exhibetur in ſchedijs Bollandi. *Zotoli, Primoli, Æmili. Romæ Epagathi, Marciani, Caſtuli. Pariſ. Germani Epiſcopi.* Aquisgranenſe à martyribus enumerandis abſtinet, &

Germano Parisiensi adducto, Acta S. Ioannis Papæ tantum prosequitur, quod etiã retinent mſ. Reginæ Succiæ, & Notkerus indicatis tantum quatuor Sardiniæ martyribus, nempe Æmilio, Felice, Priamo, & Luciano, quos etiam habent M. Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, & recentiores Bellinus, Maurolycus, & Galesinius. Felicem martyrem mulierem fuisse, notat Maurolycus ex Petro de Natalibus lib. xi. n. 156.

Romæ Via Nomentana. De hac via alibi dictũ est, variaq; eius cœmeteria fuisse constat. Vrbanus PP. supra 8. Calendas sepultus dicitur via Nomentana milliario viij. Martyres xx. sub Antesignano Epegato, vel Vepeganio hìc sepulti eadem via dicuntur, milliario xiii. S. Restitutus ex eius Actis apud Aringhium lib. 4. cap. 24 sepultus fuit ibidem milliario xvi. Cœmeterium S. Primi, & Feliciani erat milliario xiv., vt vel in hoc, vel non lõge ab eo iacuerint Christi adducti milites. Parua, quæ intercedit inter Vetustius nostrum, & vetustissimũ Antuerpiense nominum differẽtia vnusquisq; agnoscere potest. Exvberat in M. nostro numerus ex viginti in viginti & vnum, quod Vimpiatus M. Antuerpiensis in codicibus nostris diuidatur in Vippiam, & Nilum. Anonymi in Antuerpiensi vi. sunt: in nostro vij.; in Corbeiense ix. in quo deficit Ania, vel Anca, & Vippia, ac Hilus pro vnico martyre accipiuntur Vippiapilo; vnde qui in eo nominibus signantur xix. tantummodo sint.

In Ciuitate Paris. Omnia fere latinorum martyrologia S. Germani Parisiensis meminerunt. Plura de eo cumulat Baronius ad hanc diem, & ex hac vita migrasse anno 579. tradit Sigibertus. Eiusdem vitã scripsit Fortunatus Pictauiensis apud Surium T. 5. & eandem compẽdiosiùs recitant Rabanus, Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 59. & passim sacræ Galliæ scriptores. Defunctũ anno 576. die 28. Maij docent Sammarthani contra Baronium, qui triẽnio post in cœlum migrauisse monet, & plura digna scitu addunt, dum eum xx Parisiensem Episcopum numerant.

IIII. Kal. Iunij.

IN Ciballis Natalis S. Pollionis Lectoris. In Numidia Natalis S. Crispuli. In Cesarea Cappadociæ Natalis S. Cyrilli. In Africa Natalis Sanctorum Primi. Accidie. Pasimoni. & aliorum cliij. In Treueris depositio Maximi Episcopi de antiquis ibi multa signa, & curationes fiunt. Romæ via Aurelia Natalis S. Restituti. Via Tyburtina septem Germanorum. In Spanijs Natalis S. Genti. Antiochia Sicimodi. Bassi. Venusti. Victori, Pulliemi. In Cesarea Cappodocie Carchi. Primoli. Finodi. Venusti. Tredenthei. In Anaunia Natalis Sanctorum Sisinni. Alexandri Martyris.

MAII 29.

SAnctum Pollionem martyrem in Pannonia recolit Romanum martyrologium die xxvii. Aprilis, qua etiam die in nostro memoratur, sed in Pannonia vniuersim non Cibali, quæ Vrbs illius regionis est. Ex Actis apud Petrum de Natalibus, vt ibi diximus Lector etiam ille fuit, & Cibali palmam accepit. Propterea an vnus, & idẽ sit negare timeo. In M. Antuerpiensi vario ordine, & non initio laterculi proponitur, hoc pacto. *iiii. kal. Iunii Romæ natalis Virginis. In Spanis Genti, Numidia, Crispolis. In Ciballis, Pollionis Le-*

Floris. In Cesſarea Cappodocia Cyrilli. In Africa Primi, Accidia, Baſſi, Mori, & aliorum xliii. Treueris Natalis Maximini Epiſcopi, Roma Reſtituti. Item Via Tiburtina vii. Germanorum. Antiochia Seimodi, Baſſi, Venuſti, Victuri, Pullieni. Itẽ Cappadocia Carili, Primoli, Vinodi, Venuſti, Giſſiñi, Alexandri martyris. Ad noſtrorum codicum ordinem magis accedit M. Corbeienſe, cuius de more integrum laterculum damus, eodem tempore cum noſtro collatum. *iv. Kal. Iunii. In Cibalis natalis S. Pollionis Lectoris. & Martyris.* Abundare hic videtur nomen martyris, quod omnes ferè in vetuſtiori M. adnotati martyres ſint. *In Nicomedia S. Cyrilli.* Noſtrum in Numidia S. Criſpulum exhibet, & in Cæſarea Cyrillum, in quo cum Antuerpienſi conuenit. *In Africa natalis SS. Primi, Aaccidia, Paſſimoni, & aliorum clxiij.* Noſtrum cum Antuerpienſi anonymos tantum numerat cliii. In Auctario Adonis, ſeu in Adone Mosādri c l iv. anonymi martyres recenſẽtur cum Primo, Aleidia, & Paſſamone in Africa. *Treueris Depoſitio Maximini Epiſcopi de antiquis.* Maximus in noſtris codicibus nuncupatur nõ Maximianus, ſed contra aliorum fidem; prẽter Bellinum de Padua, & Maurolycum, qui pariter Maximum ſcribunt. In ijſdem codicibus noſtris additur. *Romæ Via Aurelia Nat. S. Reſtituti martyris.* Aptius in noſtro martyris titulus ſicuti in Antuerpienſi ſubticetur. *Via Tiburtina ſeptem Germanorum. In Spanits Nat. S. Genſii, Antiochię Sicimodi, Baſſi, Venuſti, Victori, Pullieni,* hue vt in noſtro Pulliemi, ſed Pullieni potius legendum eſt ad fidem M. Antuerpienſis. *In Cæſarea Cappadocia Carelli, Primuli, Finodi, Venuſti, Tredentei, Iocundi,* qui in codicibus noſtris deſideratur. *In Anaunnia SS. Siſinnii, & Alexandri martyris. Romæ natalis S. Petronillæ, Alexandri, Martyrii.* Poſtremos hos Romæ martyres in noſtro omnino deeſſe dolemus, & facile Petronilla Virgo illa eſt, quæ in M. Antuerpienſi librarij vitio deficit, dum tantum initio laterculi legitur, *Romę Natalis Virginis,* & legendum eſſet, *Romæ Nat. Petronillæ Virginis*, & fortaſſe vetuſtioris noſtri compaginator, cum Petronillam recoli vidiſſet in ſequẽtis diei exordio, ab huius calce remouit.

Maximini de antiquis. Dum titulus Confeſſoris non additur, & pro depoſitione Natalis dicitur, videtur hic martyr aliquis deſignari, præſertim cum tam in noſtro, quam Corbeienſi addatur *de antiquis*, quod illum ad prima Eccleſiæ tempora videtur amandare. Rabanus depoſitionem Maximini Epiſcopi, & Confeſſoris Treuirenſis hoc die recolit. Maximinum S. Athánaſij hoſpitem Cratepolius numerat inter Epiſcopos Treuerenſes in eiuſdem præſulum Annalibus, vigeſimum octauum, & huius nominis ſecundum, primum vero, & in ordine xxv. ſub Imperio Probi recenſet, cũ Sammarthani Maximinum primũ xxiv. numerent in ſerie Epiſcoporum, & xxvii. Maximinum iuniorem. Vetuſtiori Sanctitatis titulum non addunt, & ſecundum ſanctitate clarum plurimis proſequuntur. At neque is ex antiquis nuncupari poſſe videtur. Sauſſayus Maximinum martyrem recolit Epiſcopum Treuerẽſem, & S. Martini ſucceſſorem die 20. Iunij, atis eſt qui à Cratepolio primus numeratur in Imperio Probi ante Diocletiani perſecutionem, & qui 12. kal. Iulijs pariter dicitur obijſſe; qui enim die 29. Maij lõgiore elogio decoratur apud eundem Sauſſaium S. Athanaſij hoſpes eſt, & Confeſſor, cuius memoriã hac die venerãtur omnia latinorũ martyrologia cum Romano. Fatentur ijdem Sammarthani primis ſæculis vſque ad Agricium incertã eſſe Treuerenſiũm Epiſcoporum ſucceſſionem, vnde inter primos, & antiquos Maximum aliquem fuiſſe neque etiam certò negari poteſt.

Romæ Via Aurelia. S. Reſtitutus ex fragmento Codicis Vaticani apud Aringhium lib. 4. cap. 24. poſtquam extra Capitolium capite cæſus martyrium cõpleuit à luſta Matrona ſepultus fuit via Nomentana milliario xvi. ſub die vi. kal. Iunij, & inde ſub Hadriano Papa tranſlatus

latus fuit iuxta Ecclesiam S. Andreæ in Auresaurio prope Basilicam S. Mariæ Maioris. Parum Sancti huius Restituti dies anniuersarius ab hodierno distaret; sed plurimum Nomentana Via ab Aurelia disiungitur. Vnde dubitare licet, an idem S. Restitutus sit. Via enim Aurelia non Nomentana memoratus hic Restitutus veneratur à M. Romano, Beda, Vsuardo, Notkero, Petro de Natalibus lib. xi. n. 157. Ms. Reginæ Sueciæ, M. Corbeiensi, & nostro. Antuerpiense enim vetustissimum cum Actis apud Aringhiū, & cū vetustissima Ecclesia, adhuc reliqua, S. Martyri dicata via Nomentana, non pugnat, dum Romæ tantum Restituti memoriam agit, nulla addita Vix, aut minutioris loci differentiam.

Via Tiburtina septem Germanorū. Sex tantum ita notat ms. Reginæ Sueciæ. *Via Tiburtina sex Germanorum.* Sed facilis fuit librarij lapsus in numeri vnius prætermissa nota. Septē habēt Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, Petrus de Nat. lib. xi. n. 158. & cæteri latini, præter Romanum martyrologium, quod de his silet: fortasse, quia eorum memoriam agit die xviij. Iulij, cum Symphorosa matre. Germani septem Anonymi fratres Antiochiæ incerta die martyres recensentur in Actis S. Iuliani apud Petrum de Natal. lib. 2. c. 51. Verū hi expresse via Tiburtina passi, vel venerati enunciātur, non Antiochiæ, & Romæ vel Tiburi. Erat locus cum Ecclesia septem fratribus dicata, via Tiburtina milliario nono, qui *ad septem fratres* vocabatur, & corrupto vocabulo dictus deinde vulgo est *A sette fratte*; ibi enim Symphorosa mater cum septem filijs coronata nomen loco reliquit, ita vt ab illo vsque tempore Adriani Imperatoris, Ado auctor sit, Pontifices Sacrorum posuisse nomen loci illius *ad septem Biothanatos* v. Kal. Iulij, quando etiam in M. vetustiori nostro eorum memoria repetitur: fortasse ex translatione aliqua, cuius meminit Aringhius lib. 4. cap. 17. Romæ subt. Eodem certè die ex Vsuardo, & Adone mater, ac filij agonem non compleuerunt.

In Anaunia. Ita habent Rabanus, Vsuardus. Ado, & Notkerus, qui Sysinnij, Martirij, & Alexandri acta percurrūt, ac martyrium accepisse in Anauniæ partibus confirmant. Hanc esse regionem Tridentinæ Vrbis proximam Rabanus, & Ado docent. Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 43. Vallem Annoniam vocat. M. Antuerpiense alijs Cappadociæ martyribus eos succenturiatur, forte quia Sysinnius genere Græcus, & ex prouincia Cappadociæ fuerat, vt Ado addit. Meminit horum martyrum ex Paulino in vita S. Ambrosij M. Romanum, vbi vidēdus est Baronius eruditissimus. Corrigendum est Vetustissimum nostrum in fine, & pro martyris titulo, Martyris nomen restituendum. De reliquis, qui hac die in Vetustiori nostro adnotantur martyribus, cū nihil notatione dignum succurrat, silere cogimur, aliquos tantum hoc ms. Reginæ Sueciæ fragmento confirmamus. *Apud Nicomediam S. Crispoli. In Cæsarea Cappodocia Cyrilli. In Africa Natalis SS. Primi, Bassimonij, & aliorum cliij. In Spanys natalis Sancti Genij.* Animaduertimus hìc tamen, non in Nicomedia S. Crispolum esse reponendum, sed in Numidia iuxta fidem M. Antuerpiēsis, & codicum nostrorum.

III. Kal. Iunij.

IN Antiochia Natalis Sici. Palatini, qui multa tormenta passi sunt. Turribus Sardiniæ Natalis Sanctorum Gabini: Crispuli. In Nicomedia natalis multorum Sanctorum.

Non

NON alibi Aquileienſes martyres veneratos hac die eſſe inueni, quã huius laterculi initio in martyrol. Antuerpienſi. *iij. Kal. Iunii. In Aquilea Natalis Cãtiani, Eutici, & Eutimi. Antiochia Scpalatini. In Turribus Sardiniæ Gabini, Criſpoli. Numidia multorum ſanctorum.* Veritus qua propter ſum, ne ex eo quòd Cantianus in Aquileia poſtridie recolitur, librarius feſtinata incuria in preſentem diem repoſuerit, vel potius ex ante habita veneratione Cantianus in martyrologio reponatur, quod eiuſdem commilitones Euticius, & Eutimius hac die iij. Cal. fuerint coronati, poſtridie vero Cantianus, cum illis an repoſitus ſit, ne in tormentis ſocij diſiungerentur in cultu. Si quis vero ex diuerſitate ſociorum alium Cantianum eſſe velit, qui ſequenti die in eadem Vrbe veneratur, ſciat plures Cãtianos Aquileiæ ſuo tempore celebres adnotare Venantium Fortun. lib. 4. vitæ B. Martini his carminibus.

Aut Aquileienſem ſi forte acceſſeris Vrbem
Cantianos Domini nimium venereris amicos.

Neq. ita difficile eſſet, vt Cantianus alter, cum alijs ſocijs Mediolanum translatus fuerit, alter Aquileiæ quieſceret, dum Vrbium illarum vtraq; ſacra Cantiani, & ſociorum pignora poſſidere glorietur. Sed aliqua die ſequenti etiam adnotabimus.

In Antiochia. Neque Corbeienſe M. de Aquileienſibus ſanctis martyribus agit, ſed ab Antiochenis huius diei faſtos ita exorditur. *iii. kal. Iunii. In Antiochia Natalis Sanctorum Sici, Palatini, Turribus Sardinia Natalis Sãctorum Gabini. Chiſpoli. In Nicomedia Natalis multorum Sanctorum.* Legendum igitur eſt diſiunctim Sici, & Palatini, non coniunctim, quaſi Palatinus nomẽ officij, vel dignitatis eſſet, ſed Chriſtiani pugilis, vt habet M. Corbeienſe Dacherij, & Rabanus qui legit, *In Antiochia SS. Martyrum Sicii, & Palatini, qui multa tormenta propter nomen Chriſti paſſi ſunt.* In Antuerpienſi enim editæ laminæ vitio laborant cum *ſci* loco *ſici* ſcriptum ſit. Duos eſſe martyres non modo docent verba iam adducta, & pariter in noſtris codicibus appoſita, *qui multa tormenta paſſi ſunt*, ſed vetuſtius noſtrum D. Hieronymo aſcriptũ idem eſſe cum eo, quo vſus eſt ante octingentos annos Notkerus confirmare videntur; ita enim ille. *In Antiochia Sãctorum Iſichii*, (Sijci ad margines ſcriptum eſt) *& Palatini, qui vt S. Hieronymus ſcribit multa tormenta propter nomen Chriſti ſunt paſſi.* Variat non nihil in nominibus Petrus de Nat. lib. xi. n. 160. dum Sycum, & Platinum eoſdem vocat magis etiam Maurolycus, penes quem Heſichius, & Phalerinus indigitantur. Bellinus eos Ficum, & Palatinum. Syeũ & Palatinum, omnino cum noſtris codicibus conueniens, vocat R. Martyrologium cum Beda, Vſuardo, & Adonis auctario. Galeſinius ijſdem nominibus vtitur, vt ait ex D. Hieronymo, & miſs. libris.

Turribus Sardiniæ. Gabinium, & Criſpulum Turritanos martyres omnia latinorum martyrologia venerantur. De his agũt Fara lib. 1. de rebus Sard. p. 71. Dimas Serpio de SS. Sardiniæ, Ferrarius de SS. Italiæ ad diem 30. Maij, vbi Baroniũ redarguit, quòd S. Gauinũ pro Gabinio acceperit. Sunt qui putent Gabinium fuiſſe Epiſcopum. Sed contra Archiepiſcopum Turritanum id aſſerentem, Rota Romana coram Ghislerio parte 8. recent. dec. 60. docuit Gabinium, non fuiſſe Epiſcopum, ſed martyrem tantũ. Turris vetuſta Sardorũ ciuitas fuit, Turris Libyſſonis, vel Biſſonis Ptolemeo, &

Anto-

Antonino nuncupata est ad orã Sardiniæ Occidentalis, nunc ferè diruta; in cuius locum succeſſit Saſſaris. Inter Sanctos Sardiniæ hos numerauit Ioannes Arca ad calcem lib. 2. de SS. Sardiniæ, ſed doluit Acta fuiſſe deperdita, ſicuti S. Gauini Turritani, à Gabinio diuerſi geſta late deſcripſit initio eiuſdem libri 11.

In Nicomedia. Multorum ſine nomine martyrum memoriam hic etiam agit Notkerus, & M. Corbeienſe, cum Auctario Adonis, quamquam M. Antuerpienſe pro Nicomedia Numidiam præferat.

II. Kal. Iunij.

IN Aquileia Natalis S. Petronillæ. Natalis Sanctorum Canti. Cantiani. Proti. Griſogoni, & Cantianelle. Cartagine Datiane. Turribus Sardiniæ Criſcentiani. In Ciuitate Sytha Donatiani. Romæ Via Aurelia Natalis Sanctorum Proceſſi, & Martiniani. In Ciuitate eorumdẽ Natalis Sanctorum Gaulieni. Germani. Victoris. Siluani. Telisfori. Victorini. Donati. Stialiterti. Rogati. Item Germani. Siluani. Honori. Ciliciæ. Tertule. Leuticæ. Victoriæ. Fortunatæ. Maximæ. Rogate. Paulice. Agapie. Caſtulæ. Amelle. Item Tertuli. Lupi. Iuſti. Teele. In Antiochia Paulini, & Iſici.

MAII 31.

SAnctam Petronillã Virginem omnia ferè latinorum Martyrologia hac die Romæ recolũt. Romanũ præcipuè Bedæ, Rabani, Vſuardi, Adonis, Notkeri, & Vvãdelberti. Inter hos aliqui filiam S. Petri ex vxore ante ipſum martyrem fuiſſe exiſtimant, vt Clemens Alexandrinus teſtatur lib. 7. Strom. & diximus in exerc. de Primitijs martyrũ. Alij, & rectius non natura, ſed ſpirituali adoptione filiam fuiſſe credũt. Inter hos ſunt Baronius anno 66. & Ferrarius de ss. Italiæ, qui validis id rationibus euincunt, præcipuè ex Actis S. Feliculæ collactaneæ, & Nicomedis presbyteri, qui Paulo poſt mortem Petronillæ ambo ſub Domitiano martyrium fecerant, quod tempus improbabile reddit S. Petri filiam ea venuſtatæ tunc fuiſſe, vt à Flacco Comite pulchritudinis cauſa in coniugium expeteretur; ſin vero 10. annis poſt Petrum obijt, quomodo in eius ſepulcrali inſcriptione S. Petrus ſcribere potuiſſet *A. Petronillæ F. dulciſſimæ?* Fuit ergo S. Petronilla Romana Virgo, & ex præcipua in Petrum Apoſtolorum Principem deuotione, & aliqua ad eius ſepulcrum, vel Oratorium præſtita iugi veneratione filia Petri nuncupata fuit, eo prorſus titulo, quo ſe magna Matilda Comitiſſa indigitabat, vt in eiuſdem monumentis, iam à 25. annis à nobis editis, clariſſime patet, vel vt D. Marcus à S. Petro filius dictus fuit, & Pelagia filia Thomæ Apoſtoli in eiuſdem Actis mſs. Ex his librarij error in codicibus noſtris apparet, qui dum à capite laterculi ſcribere debuerat *Romæ S. Petronillæ*, eam cum Aquileienſibus martyribus minus appoſitè immiſceuit, ſicuti librarius alter incurioſus S. Virginẽ Romæ repoſuit in M. Corbeienſi III. Kal. Iunij, & ab hac die quo omnia, vt diximus latinorum Hagiologia eandem recolunt, ità inconſultò remouit. *Pridie kal. Iunii.*

In Aquileia natalis Sanctorum Canti, Cãtiani,

tiani, Proti, Grisogoni, & Cantianellæ. Cartagine Daciane. Turribus Sardiniæ Crescentiani, Memmii. In Ciuitate Sirtha Dacia. Romæ Via Aurelia natalis SS. Processi, Martiniani, Firmini. Natalis SS. Gaullieni, Germani, Victuri, Siluani, Thelesphori, Victurini, Donati, Istiali, Terti, Rogati. Item Germani. Item Siluani, Honori. Cilicia, Tertulæ, Santæ, Victuriæ, Fortunati, Maximæ, Rogatæ, Paulicie, Agapis, Castulæ, Amellæ. Item Tertulæ, Lupi, Iusti, Teclæ, Firmi. In Antiochia Paulini, & Isici. Vetustius quidem nostrũ emẽdandum, vt diximus, initio latercuſi docent præcipuè Rabanus, & Norkerus, qui pridie Kal. Iunij *Romæ* inquiunt *natiuitas S. Petronellæ*, (ita etiam alij vocant,); & quamquam diffusius eiusdem Vitam percurrant, statim deinde Aquileienſes martyres referunt, sicuti etiam Vsuardus, & Ado. Via Aurelia sepultam fuisse non Ardeatina vbi S. Nicomedes Feliculam reposuit, ita habet mſ. Reginæ Sueciæ. *Pridie Kal. Romæ Via Aurelia S. Petronillæ, Processi, Martiniani.* E contra Aringhius Romæ subt. to. 2. lib. 2. cap. 4. ex eiusdem S. Petronillæ cœmeterio Via Ardeatina in Vaticanum Mausoleum illius corpus translatum fuisse ostẽdit, & lib. 3. cap. 18. sepultum fuisse S. Petronillam in sui nominis cœmeterio via Ardeatina, vbi etiũ Ecclesiam habuit, pluribus ostẽdit. Martyrol. Antuerpiense, quasi quid additũ, ad calcem huius diei S. Petronillæ, ita meminit. *Pridie kal. Iunii. In Aquileia Cantiani, Proti, Crissogoni, & Cantinella. Sardinia Crisceniani. In Ciuitate Sirtha Donatiani, Romæ Processi, Martiniani, Gallieni, Germani, Victuris, Siluani, Thalisfori, Victurini, Donati, Istali, Terti, Rogati. Item Germani. Item Siluani, Honori, Cicilię, Tertulę, Laudæ, Victuriæ, Fortunatę, Maximæ, Rogatę, Paulicæ, Appię, Caustulę. Item Tertullę, Lupi, Iustidę. Antiochię Paulini Istici; Sanctę, Petronillæ.*

Natalis S. Canti. Tres in Aquileia martyres, sine alijs socijs Cantium, Cantianum, & Cantianillam fratres, ac nobiles Romanos recensent hac die Rom. martyrologium, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, Vvandelbertus, & recentiores Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 70. eorum Acta exhibet, & cum ijs martyriũ subijsse Prothum eorundem Pedagogũ docet, quemadmodum, & martyrol. Romanum, & hic rectè cũ tribus illis martyribus sociatur. Chrysogonum apud alios scriptores præter adductos iam codices nequaquam memoratum inuenio. Cantianillam Virginem, & martyrem idem Petrus de Natalibus præfert in titulo. Cantinellam vocat M. Antuerpiense pro Cantianilla corrupta voce, vt plurimi codices legunt. De his est sermo S. Maximi inter opera S. Ambrosij n. 75. & apud Surium ad finẽ Tom. 5. & de his locutum fuisse in adductis pridie huius die carminibus Venantiũ Fortunatum arbitrantur in Not. Baronius, & ad hanc diem Ferrarius; fortasse quòd Maximus dixerit in sermone adducto. *Vna est illis apud homines appellatio, quibus apud Deum est vna vocatio.* At supra similes fuisse nomine, non eodem scripserat. Locum agonis, & patriam non exprimit Rabanus, sed Cantium, Cantianũ, & Cantianillam Diocletiano imperante coronatos refert hoc ipso die 11. Kal.

Carthagine Datiani. De hoc cum cæteris editis martyrologijs silet etiã Notkerus. Meminit tamen in latercuſi fine mſ. Reginæ Sueciæ. *Carthagine natalis S. Datiani.* Dacianam legit M. Corbeiense, cum libris nostris.

Turribus Sardiniæ. De hac vrbe diximus superiori die. De Crescentiano agit Rom. martyrologium cum cæteris latinis. Ex Fara libro 1. de Rebus Sardorum Ferrarius in Catal. SS. Italiæ narrat cum SS. Gabinio, & Crispulo Crescentianum Christi religionem suscepisse, & cum prædictis accusatum, & non cõprehensum, paulo post martyrio fuisse coronatũ, & in Ecclesia Turritana summa veneratione habitum. Crispulum, Crescentianum, & Gabinium sub Nero-

ne

ne coronam accepisse Vitalis asserit in Additione ad Annales Sardiniç A. Christi 139. contra Serpiam, qui sub Hadriano tradit martyrium fecisse. Ioannes Arca de Sanctis Sardiniæ in fine lib. 2. hos sanctos inter eos refert quorum vitæ, & martyrij series, non nisi breuissimo cõpendio innotescat ex Beda, Adone, & Vsuardo, vt diximus iij. Kal.

In Ciuitate Sytha. Ita nomen Vrbis scribitur in vtroq. codice nostro; Syrta vero in M. Antuerpiensi, & Corbeiensi. Sitha Mesopotamiæ Opidum est Zosimo lib. 3. Dacianum in hac Vrbe coronatũ aut veneratum habet idẽ M. Corbeiensi, sed Donatianum Vetustius nostrum, & Antuerpiense Sythensem martyrem vocat. Forte Cirthae legendum esset, quæ Metropolis Africæ vrbs erat, & ibi frequens nomen Donatiani.

Romæ Via Aurelia. De Processo, & Martiniano agit Rom. martyrologium ad diem secundam Iulij ex Beda, Vsuardo, & Adone, qua die Acta eorum apud Surium agonem compleuisse docent, & in Vetustiori nostro etiam martyrol. eorum memoria repetitur, sicuti in Antuerpiensi, & Corbeiensi. Cum vero hìc addatur *Via Aurelia* illic verò ex Adone adnotemus in cœmeterio Damasi, subijt dubitari, ne aliqua translatio in alterutro loco recolatur, deductis ex vno in alterum cœmeterium sacris corporibus. Sanè tam in Actis apud Surium, quam in vetusto membranaceo Passionali nostro sepultos sanctos hos milites docetur via Aurelia 6. Nonas Iulij. Nulli in codicibus nostris hic adduntur socij Processo, & Martiniano. In M. Corbeiensi ijsdem iungitur Firminus. In Antuerpiense lõga series martyrum subnectitur vtriusq: sexus, vt ad numerum xxij. extendatur. Alterius ordinis sunt in Corbeiensi, quo post Firminum numerantur, quamuis locus ab Vrbe Roma distinctus illis non constituatur. In codicibus nostris, vt mox apparebit, hi omnino à Romanis martyribus loco passionis distinguntur.

In Ciuitate eorundem. Librarij oscitãtia satis hic apparet, & vitiatum Vrbis nomen facile ex Notkero restitui potest, penes quem in fine huius diei ita legitur. *In Hispania Ciuitate Gerunda Germani, Victori, Syluani, Telesphori, Victorini, & aliorum multorum.* Decurtat plurima martyrum nomina idem Notkerus, nè dum aliquorum sanctorum vitã de more illius sæculi ad maiorem audiẽtium prouenctum percurrit, tædium legentibus pariat: emendandum ergo vetustus M. nostrum, & pro eo quod scriptum est. *In Ciuitate eorundem* legendum est *in Ciuitate Gerunda*, quæ Vrbs citerioris Hispaniæ est sub Archiepiscopatu Tarraconensi in Catalaunia. Ad tot tantosq. martyres Prudentium facile est alluisse, dum in Peristephano, & Hymno de martyribus Cæsaraugustanis eãdem sacris pignoribus diuitem vocauit.

Arctubus sacris locuples Gerunda. Germanum sacri chori ducem signat Notkerus, sed ante illum codices nostri, & martyrol. Corbeiense Gaulienum præferunt, vel Gallienum, quemadmodũ in Antuerpiensi legitur. In quo non modo deficit vrbis Gerundensis designatio, sed quæcumq. alterius loci differentia. Desideratur etiã in Corbeiẽsi vrbis nomen, vbi martyres passi sunt, & tantumodo à Romanis distingũtur, repetitione *Natalis*, quæ vox iterata alium nouorum martyrũ cętũ videtur designare, eũq; ex xxix. populosũ. Viginti, & octo numerat Gerundenses martyres vetustius nostrũ si *Stiali tertius* in duos diuidatur hoc est Istialum, & Tertium, vt exhibẽt MM. Antuerpiense, & Corbeiense, in quorũ primo tres martyres deficiunt, vt facile erit conferenti colligere. Dubitare in horum martyrũ serie quis posset, an nomen Ciliciæ sanctę mulieris esset, an regionis, nisi M. Antuerpiense fortasse aptius legeret *Cæcilia* non *Cilicia*.

In Antiochia. Paulinũ, & Isicũ Antiochenos referunt cũ M. Corbeiensi codices nostri, Isticum pro Isico habet Antuerpiense. Hos silet Notkerus, cum alijs latinorum martyrologijs.

KALENDIS IVNII

Letanias Indicendas.

Iunius habet dies XXX.

IN Thessalonica Octaui. In Antiochia Zosimi, & Teclę. In Africa Crispini. Romæ. Iouenti. Cyriaci. Exuperanti. Eraclię. Item in Thessalonica Lvcię Virginis, & Acucij Regis Barbarum. Rogati. Germani Siluani. Bullodi. Ciciliæ. Tertuli. Laute. Victoriæ. Gagi. Fortunati. Maximę. Rogatę. Pauline. Agapie. Castule. Cotcusi. Nouelle. Agapę. Casse. Vruriæ. Bublasę. Fortunati. Martini. Baiani. Rogatiani. Honorati. Donati Martiani Saturnini. Pontini. Pauli. Petruni. Rutiliæ. Flauij Quietiæ. Ianuariæ. Nouellę. Item Ianuarij. Gosiæ. Fedosę. Victorinæ. Matronę. Gastulæ. Rogatiane. Quinti. Marci. Gemine. Martialis. Mituni. Item Pauli. Verici. Casi. Saturnini. Felicis. Martiani. Donati. Rogate! Fortunate. Donatiani. Item Martiani. Sailis. Casti. Ianuarij. Item Donati. Horninsi. Item Saturnini. Melchi. Siluani. Quintini. Feliciæ. Sillesę. Item Ianuarie. Fortunate. Victorie. Mariæ. Prime. Gemelline: Faustine. Item Gemelle. Nouellæ. Donate. Getullæ. Barici. Vrbane. Romane. Primiæ Tertullæ. Item Caste. Maximę. Vrbane. Optate. Matrone. Melosę. Metuni. Molosi. Secundice. Item Vrbane. Item Vrbane. Gemelline. Saturnine. Proculi. Surdide. Siluane. Rufine. Niue. Lepaci. Vincenti. Prisce. Hylarij. Felicis. Castule. Arabi. Publi, cum alijs cxx. Lupi cum alijs xiij. Castulini. Publasi. Martini. Gaiani. Marcelliani. Fledi. Item Marcelliani. Casti. Marci. Maiori. Proculi. Pagati. Tertij. Sillere. Tertulle. Maiore. Tymothei. Marcellini. Rotili. Germani. Iohanis. Maximi cum alijs lxxv. In Vienna Claudij Episcopi.

IVNII 1.

VBerrimam hanc martyrũ segetem ita etiã signat martyrol. Antuerpiense Vetustissimum. *Iunius dies xxx. Kal. Iunij. In Thessalonica Octaui. In Antiochia Zosimi, & Teclæ Virginis. In Africa Crispini. Romæ Iouenti, Cirici, & Superanti, Heraclię. Thessalonicæ Luciæ Virginis, & Aucię Regis, Rogati, Germani, Siluani, Bulodi, Caecilię, Tertuli, Lautæ, Victuri, Egati, Fortunatæ, Maximæ, Rogatæ, Paulinę, Appiæ, Cotcursi, Nouellæ, Agapę, Cassę, Vruriæ, Bublassę, Fur-*

Furtunati, Marciani, Saturnini, Baiani, Rogatianę, Honorati, Donati, Marciani, Saturnini, Potini, Pruli, Petruni, Notilię, Flani, Quintę, Ianuariæ, Nouelię, Ianuari, Gososię, Fedosæ, Victurinæ, Matronæ, Castuli, Rogatianæ, Quinti, Marci, Geminæ, Marcialis, Mituni. Pauli, Verrici, Cassi. Item Saturnini. Item Martini, Donati. Item Rogati, Iohannis. Item Furtunati, Donatiani. Item Marciani, Sailis. Casti. Item Ianuari. Item Donati, Ortinsis, Item Saturninæ, Malchi, Siluani. Item Quinti, Felicię, Sillesę. Item Ianuariæ, Furtunatæ, Victuriæ, Matriæ, Primæ, Gemellinæ, Faustinę. Item Nouellę, Donatę, Zetulæ, Barici, Vrbanæ, Romanæ, Primiæ. Item Fertulę, Castæ, Maximę. Item Vrbanæ, Obtatę. Item Manę, Melosę, Mituni, Maiori, Secundę. Item Vrbanę, Gemellinę, Saturninę, Proculę, Gordidę, Siluanę, Rufinæ, Ninę, Sepaci, Vincenti, Prisci, Hilari, Felicis, Castolæ, Asabi cum aliis cxx. Lupi cũ alijs xiij. Catulini, Publassi, Martini, Gaiani, Marcellini, Fledi, Marti, Cisti, Maiori, Proculi, Epagati, Terci, Sillirę, Fertulæ, Maiosę, Timothei, Marcellini, Rogati, Manĩ, Ioannis, Maximę cum alijs clx ij. Vienna Dati Episcopi. Nec minorem sanctorum pugilum censum refert martyrol. Corbeiense his uerbis. *Kal. Iunij. In Thessalonica Octaui. In Antiochia Zosimi, & Teclæ Virginis. In Africa Crispini. Roma Iuuenci, Cyriaci, Nicomedis martyris. Exuperanti, Eraclię. In Thessalonica Lucię virginis, & Auceię Regis, Barbari, Regati, Germani, Siluani, Bullodi, Cecilię, Tertuli, Lãtę, Victuriæ, Gai, Fortunati, Maximi, Rogatæ, Paulinæ, Agapię, Castulæ, Coteusæ, Nouellæ, Agapæ, Cassæ, Vruriæ, Bublasæ, Fortunati, Martini, Saturnini, Baiani, Rogatiani, Honorati. Itẽ Martiani, Saturnini, Põtini, Pauli, Petronij, Rutiliæ, Quietię, Ianuarię, Nonelli, itẽ Ianuarię, Sosię, Fedosæ, Victurinæ, Matronæ, Castulæ, Rogatiani, Quinti, Marci, Geminæ. Item Pauli, Martialis, Mituni, Verici, Cassi. Item Saturnini, Felicis. Item Martiani. Item ..... Rogati, Iannis. Item Fortunati, Martiani, Saulis, Casti. Item Ianuarij, Donati, Hortensi. Item Saturnini, Martini, Malchi, Siluani, Quinti, Felicię, Sillesę. Item Ianuariæ, Fortunatę, Victuriæ, Mariæ, Primæ, Gemellinæ, Faustini. Item Nouellæ, Donatellæ, Cetuli, Barici, Vrbani, Romani, Primiæ, Tertullæ. Item Castæ. Maximæ. Item Orbani, Optatæ, Matronæ, Melosæ, Metuni, Melosi, Secundi, Gemelliuę. Item Vrbani, Saturniai, Iuli. Surdidę, Siluanę, Rufinæ, Ninæ, Sepaci, Vincenti, Prisci, Hilari, Felicis, Castulæ, Arabi. Publi, cum alijs centum viginti. Lupi, cum alijs duodecim, Catulini, ... blosi Martiani, Gaiani, Marcelliani, Fledi. Item Marcelliani, Casti, Marci, Maiuri, Prouili, Pagati, Tertii, Silissę, Festulę, Maiosæ, Timothei, Marcellinę, Rutili, Germanæ, Ioannis cum alijs nonaginta. Vienna Claudii Episcopi.* Quamuis vero aliquos ex sacris pugnatoribus mutilet ms. Reginæ Sueciæ, ità tamen in pluribus, cum iam adductis codicibus consonat. *Kal. Iunii Natalis S. Nicomedis Martyris, Antiochiæ Natalis sanctorum Zosimi, Thecla. In Africa Natalis S. Crispini. Roma Cyriaci, cum aliis iii. In Thessalonica Lucię virginis, & Euceię, Regis, & aliorum multorum. Vienna depositio Helladii Episcopi.* Variat ordinem Vetustioris nostri martyrologij Notkerus, & primo loco celebritatem dedicationis Ecclesiæ S. Nicomedis presbyteri, & martyris Romani exhibet, quam in pluribus mss. martyrologijs antiquis memorari testatur Fronto ad hanc diem, quamuis in eiusdẽ Calendario desideretur. Exhibent tamen Beda, Vsuardus, & Ado, Notkerus, & Rabanus, ex quibus Maurolycum accepisse constat. Is tamen non Basilicam, sed Altare S. Nicomedis Romæ fuisse dedicatum addit. Huius S. Presbyteri Natalem, non hac die celebrari, sed xvij. kal. Octobris monet cum alijs idẽ Notkerus. Vnde mirandũ nõ est, si Vetustius nostrũ cum M. Romano hic S. Nicomedis non meminerit.

In Thessalonica Octaui. Vrbs, & Emporium Macedoniæ Thessalonica du-

plicem ſanctorũ pugilũ claſſem exhibet, vberior tamen ſecunda comparet In prima Octauius tãtum numeratur, diuerſo, vt par eſt credere, anno à reliquis coronatus. Eius memoria (quod mirandum eſt) in Romano martyrologio non proſtat, quamquam Beda eius meminerit, ſicuti in noſtro Vetuſtiori, Corbeienſi, & Antuerpienſi MM. Martyris Pamphili Cæſarienſis, in omnibus latinorum martyrologijs memorati, nomen præteriri non eſt mirandum, quòd de eo potius ſequenti die cum alijs noſtrum agat, vbi Lectorem remittimus.

In Antiochia Zoſimi. Hunc tantum martyrem ſine Tecla recolit Beda. Vtrumq. Notkerus, reliqua me latent.

In Africa Criſpini. Præter adductos iam mſs. codices nullibi Criſpini memoriam inuenio.

Romę. Nicomedem martyrem alijs Romanis martyribus tertio loco miſcet M. Corbeienſe, tam in edito Dacherij, quam in fragmento ex eodem codice à Menardo adducto in notationibus ad ſacramentarium Gregorij. In codicibus noſtris, & Antuerpienſe deeſt S. Nicomedis memoria, quòd eius hac die, vt diximus Natalis non ſit, ſed vel Baſilicæ, vel Altaris dedicatio. In Romanorum quatuor martyrum nominibus omnes adducti libri conueniunt, nec alios etiam præter quatuor adducit, qui mſ. martyrologium Reginæ Sueciæ compilauit. Ex his Romanum martyrologium Iuuẽtium tantum recolit, vt habet Baronius in Adnotationibus ex Molano ad Vſuardum, & veteribus mſs. à Galeſino etiam adductis, qui addit in his vocari pariter Viuentium, & Vincentium. Varianum martyrem hac die incerto loco exhibet M. Bellini de Padua, quem presbyterum in Gallia fuiſſe teſtatur Maurolycus.

In Theſſalonica. Rabanus ſecundam Theſſalonicenſium martyrum centuriam non indicat contentus tantum Octauium numerare, & in Antiochia Zoſimum. Notkerus hos Theſſalonicenſes martyres, Lyciam, ſiue Luciam, ſiue Luceiam Virginem, & Acuciũ, ſiue Auciam, ſiue Aucciam, ſiue Aucciam Regem, quibus vberrimus ſacrorum pugillũ cætus ſubnectitur, non Macedoniæ, & illius prouinciæ vrbi Theſſalonicæ, ſed Romæ tribuat, quemadmodũ etiã codices noſtri ad diem 18. Decẽbris, vbi aliqua addimus. In ſociorũ nominibus exprimendis non laborauit Notkerus, neq. auctor mſ. Reginæ Sueciæ; pluſquam tercentos fuiſſe ille affirmat: hic indefinitè multos. Centum quinquaginta quatuor in codicibus noſtris numeraui nominatim expreſſos: Anonymos vero in tres claſſes diuiſos, ducẽti & octo, quorum Acta perijſſe dolendum eſt. Exuberat numerus anonymorũ in M. Antuerpiẽſi, deficit in nominatis; tres enim vtriuſq. ſexus glorioſi chori nominibus ſignati ad cxlvi. tantum extenduntur. Anonymi autem ad cclxxv. In Corbeienſi minor eſt etiã nominatorũ numerus, maior anonymorũ; illi centũ quinquaginta, & vnus, hi ducẽti viginti duo. Cum vero in his omnibus codicibus in tres turmas partiantur, facili negotio in qua claſſe exceſſus, aut defectus conſiſtat, diſcerni poteſt. In codi noſtris primus chorus centum, & ſexdecim nominibus conflatur, anonymorum vero manipulus eſt ex centũ, & viginti, quemadmodum etiam in M. Antuerpiẽſi, & Corbeienſi. Lupus qui ſecundã turmam ducit, idem eſt in omnibus, ſocij vero anonymi xij. tantum ſunt in Martyrol. Corbeienſi, vnius numeralis notæ iactura; xiij. vero concorditer in vetuſtiori noſtro, & vetuſtiſſimo Antuerpiẽſi. Tertia claſſis in Corbeienſi, & Antuerpienſi xxi. ſignatos martyres continet, xxij. in vetuſtiori noſtro M. ſed variant ſinguli codices in anonymis tertiæ huius ſectionis. Noſtrum lxxv. tãtum exhibet. Corbeienſe lxxxx. Antuerpienſe cxlij. Nominum differentiam præterire ſatius duximus, quam minutim diſcernere, cum id vnuicuiq. ſedulo conferenti, facile ſit.

In Vienna Claudii. Non Claudium sed Datum Episcopũ Viennensem signat in fine laterculi M. Antuerpiense. Helladium Episcopum pariter Viennensem recolit ms. Reginæ Sueciæ. Claudium cum codicibus nostris retinet M. Corbeiense, & Ado. Apud Sammarthanos Claudius, sine sanctitatis titulo vndecimus est Viennensis Episcopus. Nil de eo habet M. Romanum, & Hagiologium FraucoGalliæ Lebbei, pro Claudio *In Ciuitate Latorn*, seu potius *Lectorensi agro* recolit *Natalem Sancti Cleri Archiepiscopi, & martyris*. De hoc diffusius agit Saussayus in supplemento ad Kal. Iunij, sub Metropoli Auscensi in agro Lectorensi. Et de Claro, & Helladio hac die in Gallicano Martyrologio agitur.

IV. Nonas Iunij.

MArcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ. Thomoci. In Campania Erasmi martyris. Rogati cum alijs xlij. Secundi. Maximi. Marciniani. Siluini. Flauiani. Pauli. Petri. Victorie. Matrone. Fauste. Extricate. Antonine. Saturnine. Donate. Reducte. Maxime. Item Saturnine. Pauli. Rauli. Iulie. Elorentine. Fortunati. Maxime. Vrbane. Felicissime. Iuste. Flauie. Matrone. Marciose. Valentie. Fortunati. Venuste. Donate. Marie. Gallice. Tertulle. Vitalice. Euanci. Item Iuliæ. Samnatre. Posine. Item Saturnine. Concordiæ. Donate. Felicis. Valentine. Ianuarie. Mascule. Lvci. Item Marie. Marcelle. Perci. Datuli. Victorie. Iouiani. Item Maxime. Castuline. Gauduli. Modiani. Iusti. Saturi. Dontole. Samine. Item Iuliæ. Nine. Honoriæ. Donate. Victorię. Marciæ. Item Donate. Calponie. Extricate. Item Saturnine. Cenone. Primose. Secunde. Ianuariæ. Rogati. Fausti. Frõtei. Item Tertulle. Paule. Martialis. Felicis. Ianuarij. Adiutoris. Fortunate. Nominatie. Rogate. Victoriæ. Donate. Mauori. Posine. Prime. Vrbane. Tunnini. Ianuarij. Senicionis. Iuliæ. Marciane. Nondinari. Casti. Dati. Florentine. Victorie. Piscine. Castuli. Saturnini. Victoriani. Fortunate. Nine. Nundini. Saturnini. Cecilie. Marine. Lvciose. Feliciæ, Maxime. Prime. Formine! Euasi. Sildini. Terij. Fusci. Marcelline. Euasiæ. Sarmaciæ. Rodiliæ. Item Marie. Salpornie. Castole. Casti. Item Saturnini cum alijs lxxvj. Marie. Iouiniane. Fortunati. Orati. Latinæ. Sabine. Depositio Marcelli Episcopi. In Ciuitate Cesarea Thamati. Honorati. Seleuci. Porfiri. Paphili. Palestini. Rogate. Lugduni Galliæ xlviij. martyrum, hoc est Rogatiani Episcopi. Zachariæ presbyteri. Vetthi. Macarij. Asclepiadis. Siluij. Primi. Vlpij. Vitalis. Cõminis. Octobris. Filomini. Gemini. Iuliæ. Albini. Grate. Milia. Potamie. Pompeie. Rodiane Biblis. Quartię. Materne. Hilpis S. Diaconi. Maturi. Attili. Alexandri. Ponteci. Blandini. Hij sunt, qui in Cesarea sp̃m reddiderunt. Aristei. Cornilij. Zosimi. Titi.

Iulij.

Iulij. Zotici. Apollonij. Geminiani. Iuliæ. Auſonæ: Item Emilię. Sāniæ. Pompeie. Domnæ. Amiliæ. Iuſte. Trofine. Antoniæ. Lugduni. Vincentij. Nine. Priſce. Sepace. Hylari. Felicis. Caſtule. Epagati. Emiliæ. Donate. Alibi depoſitio Barbarini Presbyteri. Humati. Euaſi. Honorate. Rogate. Romæ martyrum xlviij.

IVNII 2.

ALiquam inter vetuſtos quibus innitimur codices, & noſtros intercedere differentiam agnoſco. M. Corbeienſe bis repetit ſcriptoris vitio Marcellinum Presbyterum longiſſimāq; martyrum ſeriem Romanæ vrbi aſſignat, in duas turmus diuiſam, hoc ordine. *iv. Nonas Iunias Rome Marcellini Preſbyteri, & Petri exorciſtæ, & Marcellini presbyteri, Tomati, Rogati cum aliis quadraginta duobus, Secundi, Maximæ, Martiani, Siluini, Flauiani, Pauli, Petri, Victurię, Matronæ, Fauſtæ, Extricatæ, Antoninæ, Satnrinæ, Donatæ, Ereductæ, Maximę. Item Saturnini, Pauli, Iuliæ, Florentini, Fortunati, Maximæ, Vrbanæ, Felicisſimæ, Iuſtæ, Flauiæ, Matronæ, Martiæ, Valentinæ, Fortunati, Venuſtę, Donatæ, Mariæ, Gallicæ, Tertuli, Vataliçę, Euantii. Item Iuliæ, Sammatæ, Poſſinnæ. Itim Saturninæ, Concordię. Item Donatæ, Felicis, Valentenii, Ianuariæ, Maſtillę, Lvci. Item Martę, Marcellæ, Proci, Datulæ, Victurię, Iouiani. Item Manimæ, Felicis, Tertulæ, Caſtulinæ, Gaudoli, Modiani, Iuſti, Saturi. Item Saturi, Felicis, Donatæ, Ianuari, Fortunati, Saturnini. Item Iuliæ, Ninæ, Honoriæ, Donatæ, Calponiæ, Extricatæ, Felicis, Saturnini, Donatæ, Ceponi, Primoſi, Secundi, Ianuariæ, Rogatæ, Fauſti, Frontei, Tertuli, Paulæ, Rogatæ. Item Secundæ, Ianuariæ, Martialis, Felicis. Item Felicis, Fortunatæ, Ianuariæ, Adiutori, Fortunati, Nomitiæ, Paulæ, Rogatæ, Victuriæ. Donati, Mauori, Puſſi, Primæ, Vrbani, Tuuini, Ianuarii, Sintionis, Iulię, Martianæ, Nondinari, Caſti, Dati, Florentinę, Victurię, Piſcinę, Caſtulę, Saturnini, Victuriani, Fortunati, Ninæ, Nundinæ, Saturninę, Caciliæ, Marinæ, Lucioſæ, Feliciæ, Maximæ, Primæ, Forminę, Euaſi, Saldini, Tertii, Fuſci, Marcellinæ, Iuſtę, Euaſi, Sarmicię, Rudiliæ, Mariæ, Salpurniæ, Caſtulæ, Caſtuli. Item Saturnini cum aliis ſexaginta ſeptem, Iuuiniani, Saturnini, Oratij, Latinę, Sabinę, & depoſitio Marcellini, Iocundi, Iulij. In Ciuitate Cæſaria Tamati, Honorati, Seleuci, Porfiri, Phamfili, Paleſtini, Rogatæ. In Campania Eraſmi Epiſcopi. Lugduno Gallię, Quadraginta, & ſex martyrū. hoc eſt Rogatiani Epiſcopi, Zachariæ preſbyteri, Vethi, Macharij, Aſclipiaditi, Siluti, Primi, Vlpii, Vitalis, Commini, Octebeis, Philomini, Gemini, Iuliæ, Albinæ, Gratæ, Miliani, Potamiæ, Pompeię, Rodiani, Bliſſi, Quartæ, Maternæ, Hilpis, Diaconi, Maturi, Atbi, Alexandri, Potici, Blandini, Inſti: Hi ſunt qui in carcere ſpiritum reddiderunt: Ariſtei, Cornili, Zoſimi, Titi, Iulij, Zotici; Apolloni, Geminiani, Iuliæ, Auſoniæ. Item Emeliæ, Iamnicæ, Pompeię, Domnæ, Amiliæ, Iuſtę, Trophimæ, Antoniæ, Ninę. Lugduno Vincentij, Ninæ, Priſci, Sapace, Hilari, Felicis, Caſtulæ, Epagati, Ameliæ, Donati. Et alibi depoſitio Barbaruni presbyteri, Humati, Euaſi, Honoratæ, Vincentiæ. Romæ martyrum quadraginta octo.* Noſtri codices Eraſmū Epiſcopū Cāpaniæ ita inter primū, & ſecundū Romanorū martyrū agmen interponit, vt qui ſecundo loco numerātur milites Chriſti nō Rom. vrbi martyrum feraciſſimæ, ſed Campanię eſſent tribuendi. Ex M. tamen Antuerpienſi, quod in hoc conſonat Corbeienſi Romanos eſſe ſuadeor, & ex vtroque codice poſt Cæſarienſes martyres Eraſmo Campanienſe Epiſcopo locum aſſigno. Ita etiam Notkerum ex Hieronymiano, cui ſæpè ad-

adheret martyrologio, obſeruare video, qui poſt Marcellini, & Petri memoriam centum octuaginta martyres Romanos indicat cum plurimorum multitudine; ſed Vetuſtiſſimum Antuerpienſe apponendum hic de more eſt. *iiij. Non. Iun. Romæ Natalis Petri Exorciſtæ, & Marcellini presbyteri, Thomati, Rogati, cum alijs xlij. Secundi, Maximę, Martiniani, Siluini, Flauiani, Pauli, Petri, Victorinæ, Matronæ, Fauſtæ, Extricati, Antoninæ, Saturninæ, Donatæ, Neduciæ, Maximæ. Item Saturninæ, Paulæ, Iuliæ, Florentini, Furtunati, Maximi, Orbani, Feliciſſimæ, Iuſtæ, Flauiæ, Matronæ, Marcioſæ, Valentinæ, Fortunatæ, Venuſtæ, Donatæ, Mariæ, Gallicæ, Tertulæ, Vitalicæ, Euancię. Item Iuliæ, Sammatæ, Poſinnæ. Item Saturninæ, Concordię. Item Donatæ, Felicis, Valentini, Ianuari, Lucii, Mariæ, Muſtillæ, Marcillæ, Perci, Datulæ, Victuriæ, Funiani; Item Maximi. Item Felicis, Tertulæ, Caſtulinæ, Tullæ, .. atuli, Modiani, Iuſti, Saturi. Item Felicis, Dontulæ, Ianuariæ, Furtunati, Saturninæ, Iuliæ, Ninæ, Honoriæ, Donatæ, Victoriæ. Marciæ, Donatæ, Calponiæ, Extricati, Felicis, Saturnini, Donati, Zenoui, Primoſæ, Secundæ, Ianuariæ, Rogati. Fauſci, Fontaci, Tertuli. Item Paulæ. Item Rogati. Item Secundæ, Ianuariæ, Marcialis, Felicis, Fortunati, Ianuari, Adiutoris, Fortunatæ, Nomentiæ, Paulæ, Rogatæ, Victoriæ, Donatæ, Maiori, Poſinnę, Primæ, Vrbanæ, Tunnini, Ianuari, Senectionis, Iuliæ, Marcianæ, Nondinari, Caſti dati Florentinæ, Victuriæ, Piſcinæ, Catuli, Saturnini, Victoriani, Fortunati, Nicæ, Nonnidi, Saturninæ, Cæciliæ, Marinæ, Luciosæ, Felicię, Maximę, Primæ, Firminæ, Euaſi, Sildinæ, Tertij, Tuſci, Marcellinæ, Rotę, Euaſiæ, Sarmatię, Rotillę. Item Mariæ, Calpurnię, Caſtulæ. Item Saturninę cum alijs lxxvi. Mari, Iouiani, Fortunati, Orati, Latinæ, Sabinæ, Depoſitio Marcellini Epiſcopi. Ciuitate Ceſsar. Natalis Thamati, Honorati, Seleuci, Porfiri, Paſili, Eſtini, Rogatæ, In Campania Heraſmi. Lugduno Galliæ, xlviij. martyrum, hoc eſt Potini Epiſcopi, Zachariæ presbyteri, Vetti, Macchari, Aſclepiadis, Silui, Primi, Vlpi, Vitalis, Cummini, Octobris, Filomini, Gemini, Iuliæ, Albinę, Gratæ, Emiliæ, Potamiæ, Pompeię, Rodanæ, Biblis, Quartiæ, Maternæ, Hilpis. Mauri Diaconi, Attali, Alexandri, Ponteci, Blandinæ, Atriſtei Cornili, Zoſimi, Titi, Iuli, Zotici, Apolloni, Geminiani, Iuliæ, Auſonæ. Item Emiliæ, Nicæ, Pompeiæ, Dominæ, Amiliæ, Iuſtę, Tropimæ, Antoniæ. Item alij in Lugduno Vincenti, Nicæ, Priſci, Lepace, Hilari, Felicis, Caſtolæ. Item in eodem loco Epagati, Amelię, Donatæ. Alibi depoſitio Barbaruni presbyteri, Numati, Euaſi, Honorati, Rogatæ. Romæ xlviii.*

Marcellini presbyteri. Ad vſum Romanæ vrbis Vetuſtius M. primò conſtructũ fuiſſe dicerẽ, quòd in huius diei limine non indicato paſſionis loco Marcellinus presbyter, & Petrus Exorciſta Romani martyres producantur. Rabanus Romæ Marcellini presbyteri, & Petri exorciſtæ acta per compendia recitat. *Natalem Marcellini, & Petri Via Lauicana* habet Fronti Calendarium, & de his, eorumque Baſilica inter duas Lauros, via Labicana, plura eruditè congerit Aringhius lib. 4. Romæ ſubt. cap. 9. vbi etiam ex pluribus mſs. codicibus aliqua de his SS. martyribus exhibet, & præſertim, quæ locum Natalis, & diem paſſionis pro rè noſtra hoc pacto demonſtrent. *Quorum corpora Beatorum Marcellini Presbyteri, & Petri exorciſtæ martyrum collegit Lucilla, & pòſuit in vehiculo nocte, & adduxit via Labicana miliario ab Vrbe iij. & ſepeliuit ſub die iiij Nonas Iunij in pace.* Vnde dies ab Adone notatus in calce contractæ hiſtoriæ SS. Marcellini, & Petri videtur emendandus, & pro *v. Kal. Settembris* reponendum iv. Non. Iunij, quo die ſepultos eſſe plures codices confirmant, & ex veteri inſtituto natalẽ eorum celebrari conſueuiſſe conſtat ex Sacramẽtario Gregorij. Poſtremæ perſecutionis ſub Diocletiano martyres hos fuiſſe ex Epitaphio à Damaſo cõfecto patet, quod legi-

legitur in fine martyrij eorundem ſanctorum apud Surium. Teſtatur enim Damaſus Pontifex, ſe eorum agonem didiciſſe dum puer eſſet à Spiculatore ipſo, qui eorum capita in Silua Candida abſciderat. Rabanus ſpiculatorem vocat Dorotheũ, & ſub Iulio Papa baptizatũ in ſenectute bona quieuiſſe addit, qui Acta eorũdem SS. Damaſo Lectori dictauerit, vt alij addunt. Extat etiã apud Surium eorundem Sanctorum martyrum translatio ad Gallias, diffuſiſsime ſcripta ab Eginartho, in qua cap. 6. locum ſepulturæ dicitur fuiſſe in crypta prope ſepulcrum S. Tiburtij Via Lauicana tribus paſſuũ millibus ab Vrbe diſtans. Sãctorum Marcellini, & Petri vetuſtiſsimas imagines ex cœmeterio Pontiani Via Portuenſi exhibet idem qui ſupra Aringhius lib. 2. cap. 22. Sub Diocletiano agonem compleuiſſe expreſsè docent Ado, & Notkerus, & aliqua de his Sanctis etiam Baronius colligit in Adnotationibus. Thomathius, ſiue Thomaius, ſiue Thomatius, & Rogatus cum alijs anonymis xlij. in MM. Antuerpienſi, Corbeienſi, & noſtro memorati, an ſocij fuerint Marcellini, & Petri, quibus ſuccenturiantur, ex horum Actis non educitur. Plures adfuiſſe Chriſtianos, qui Arthemium, Candidam vxorẽ, & Paulinã filiã militibus, ſeu Lictoribus abſtulerũt, donec Diuinis miſterijs peractis à S. Marco præsbytero, eos illis redderent, narrat hiſtoria, tam apud Surium, quam Petrum de Natalibus lib. 5. cap. 74. Et ſicuti tunc milites Marcellinum, & Petrũ detinuerunt, ita non eſt difficile plures Chriſtianos, qui ſacris illis interfuerunt, iram indicis incurriſſe, & in fide præſtantes eadem cauſa, & eodem die fuiſſe coronatos: non tamen vbi S. Presbyter, & exorciſta martyrium fecerunt.

Secundi. Alia hæc eſt ſacrorum pugilum vtriuſq. ſexus numeroſa cohors Romanæ vrbis indigena. Vberior eſt in MM. Corbeienſe, & Antuerpienſe, quã in noſtro; in vtroque enim centum quadraginta quatuor martyres nominatim afferuntur; in hoc non niſi centum triginta tres. Minori numero anonymi exprimuntur in Corbeienſi. quam in Antuerpienſi, & noſtro; in quibus ſeptuaginta ſex ſignantur, in illo vero ſexaginta ſeptem. Qui nam martyres in codicibus noſtris deficiant facile eſt agnoscere, & ex alijs ſupplere.

Maria. Marius non Maria dux eſt aliorum ſex in martyrol. Antuerpienſi; & quia penitus hoc nomen in Corbeienſi deficit emendari per me ex alijs mſs. codicibus non licet.

Depoſitio Marcelli. Non Marcellum, ſed Marcellinum Epiſcopum habet martyrol. Antuerpienſe. Marcellinum cum Iocundo, & Iulio martyrol. Corbeienſe. Depoſitionis nomen raro in Vetuſtiori martyrol. martyribus tribuitur, ſed ferè Confeſſoribus. An Romanus Pontifex Marcellus, vel Marcellinus ſub nomine Epiſcopi, inter Romanos, vel ſub Romanis martyribus memoretur, anſam præbet dubitandi idem in omnibus adductis codicibus ſeruatus ordo. Si Marcellus eſſet, nequaquam cum Pontificali Hiſtoria, Luitprando, & Abbone Floriacenſi conueniret; qui illum ſepultum eſſe narrãt 17. Kal. Febr. Sin vero Marcellinus eſſet, neque eius die natalis iij. Nonas Iunij conueniret cum iiſdem, qui vj. kal. Maij ſepultum affirmant, quamuis vi. Kal. eius vitam breui compendio percurrat Notkerus, & cum Romano M. cæteri Latini, præſertim Baronius, tam in Notationibus, quam in Annalibus ad annum 304. n. 23. Verum Marcellinum non Marcellum hìc venerari exiſtimo, tum quia ita aperte habet M. Antuerpienſe, & nonnihil deprauatum M. Corbeienſe, tum quia in noſtro eius memoria non recolatur vj. Kal. Maij, quando facilè eſt agonem compleuiſſe, ſed poſt triginta ſex dies, quando ſepultus fuit. Siquidem liber Pontificalis Marcellinum capite truncatum refert cum Claudio, Cyrino, & Antonio, atque iacuiſſe Sanctorũ corpora iuſſu Diocletiani dies xxxvi., vt

in

in codice, quo vſus eſt Baronius, & in collectione Conciliorum legitur, quamuis alij 30. alij 25. retineant. Capite abſciſſo coronam accepiſſe vi. kal. Maij diſerte ſcribit auctor ſub Luitprandi nomine; à quo die ſi xxxvi. numerentur, cõſtat depoſitum ſiue ſepultũ fuiſſe 2. Iunij; tot enim à 26. Aprilis dies intercurrunt; & hinc facile accidit, vt Auctor Vetuſtioris noſtri martyrol. dum ad ſepulturam, tam longe à die paſſionis, reſpexit, nomine depoſitionis diem eius commemorationis vocauerit.

In Ciuitate Caeſarea. Pamphilus Paleſtinus, qui pridie huius diei in Romano aliiſque latinorum martyrologijs veneratur, quomodo in huius menſis primis diebus memoretur dubitari poteſt, cum ille duodecim aſſignatis ab Euſebio ſocijs, recolatur 14. Cal. Martias, vt ibi adnotauimus. Ex comitibus, qui eidem ab Euſebio lib. 2. de Martyr. Paleſtinis cap. xi. aſſignantur, poſtremi tantum Seleucus, & Porphirius hìc numerantur, dum alij, ab Euſebio præteriti, adduntur Thamatus, Honoratus, & Rogata. Primò dicerem ſignatum ab Euſebio diem xvi. menſis Peritij, hoc eſt iuxta Romanos xiv. Kal. Martias non fuiſſe cõſummati certaminis, ſed initium pugnæ, cum ſacri athletæ Iudici fuerunt exhibiti; potuit enim in aliud tempus ſupplicium poſtremum differri, & celeberrimi martyris Pamphili presbyteri, & doctoris initium iudicij in ſacris tabulis ex Euſebio adnotari. Secundò, cum tanti martyris veneratio indicetur in pluribus latinorum martyrologijs, & Romano præcipuè Kalendis Iunii, non eſſet etiam improbabilis, eiuſdem & ſociorum veneratio ſecũda die eiuſdẽ menſis. Cum verò ex ſocijs Valens, & Paulus tantum, cum nouem anonymis in Romano martyrol. recenſeantur, hìc vero tantum Seleucius, & Porphirius ipſius Pamphili famulus, aliquam ſacrorum corporum translationem indicari non eſſet abſurdum, additis alijs tribus ſacris pignoribus. In ſepulta ad quatuor dies iacuiſſe ſanctorum Pamphili comitum corpora habet Euſebius. Metaphraſtes verò apud Surium tom. 6. addit non vno loco fuiſſe ſepulta, ſed repoſita in pulcris templorum ædibus, & ſacris tradita Oratorijs ad perpetuam memoriam. Vnde mirandum non ſit de omnibus hìc memoriam non agi; ſed de his fortaſſe, qui ſimul vel in eodem templo ſepulti ſunt. Nec ſilenda eſt differentia, quæ inter codices noſtros intercedit. Alter nempe Canonicorum Lucenſium pro Pamphilo legit Philorominum, & Phamfilum martyrol. Corbeienſe Dacherij: Paleſtinum deinde, & Rogatam, pro diuerſis martyribus interpunctione ſeiungens. Pafilium habet martyrol. Antuerpienſe, & pro Paleſtino Eſtiuum. At ſi de Pamphilo, Seleucio, & Porphirio Paleſtinis hic cõmemoratio peragitur, non vtique eſt Natalis dies agonis conſummati, cum is in menſem Februarij, inciderit. Euſebius enim loco adducto in editione Valeſij, vel lib. 8. Hiſt. cap. 17. Chriſtoforſonij refert, dum adhuc ſæuitia Præſidis pro ſupplicio Pamphili, & ſociorum in ore omniũ verſaretur, Adrianum, & Euſebium Cæſareæ ſub eodẽ indice Firmiliano martyrium feciſſe: illum quidem quinto die menſis Dyſtri hoc eſt iij. Nonas Martias: hunc vero ipſis nonis Martij, ac proinde ante hos dies Pamphilum cum ſocijs coronatum fuiſſe certiſſimum ſit. Vnde peculiarem aliquam venerationem, ſiue prima die Iunij, ſiue ſecunda celebretur ex Baſilicæ dedicatione, vel reliquiarum translatione indictam fuiſſe dicendam exiſtimarem.

In Campania Eraſmi. Poſt Cæſarienſes martyres hìc Eraſmum Epiſcopum Antiochenum in Campania repoſuimus, ex fide MM. Antuerpienſis, & & Corbeienſis, de quo videndus eſt Ferrarius in Catal. SS. Ital. qui putat. Acta Antiocheni Eraſmi cum Formiano fuiſſe confuſa. Heremitam in Libano antea fuiſſe habet Rabanus cum aliis. Aliqua de eo retegit Baronius in Adnotat. Vitam Sancti Eraſmi Antiocheni eſt apud Surium poſtremæ editionis tomo 6. ex Mombritio. At vbe-

riorem ex vetustis codicibus aliam auctore Gelasio secundo Romano Pontifice edidit Constantinus Abbas Gaietanus ad ipsius Gelasij vitam, in qua Sanctum Episcopum diris tormentis antea vexatum Formijs in Campania in pace quieuisse narratur, & Caietam deinde translatum. In tempestate à Nautis inuocari, quoniam in eius passione tonitrua, & corruscationes effulsere, quibus multi territi, & perempti sunt, addit Maurolycus.

Lugduni Gallia. In martyrol. Corbeiensi Lugdunenses martyres quadraginta sex initio proponuntur, sed nominibus signati sunt quadraginta nouem. Numerum non decernit R. martyrologium, sed numeratis Photino, Sancte, Vetio, Maturo, Pontico, Biblide, Attalo, Alexandro, & Blādina subdit cum alijs multis ex epistola Lugdunensium apud Eusebium, vt notat Baronius. Octo nominatim recenset non nihil à Romano martyrologio differens Vsuardus, alioque quadraginta subdit. Bellinus de Padua Blandinam tātum refert cum xlvii. martyribus; xlviii. numerat Notkerus, qui & nomina exprimit, ad amussim indicato numero respondentia, quemadmodū iisdem penè verbis omnia prosequitur Ado. Quadraginta pariter, & octo martyres, & proponit, & nominibus appellat martyrol. Antuerpiense, sed non nisi quadraginta septem inuenio. Deficit enim post Maturum numero 26. Sācte, siue Sanctus, cui Diaconi dignitas, non Maturo in omnibus codicibus apponitur. Exuberat vero in Corbeiensi Nina, quæ nullibi comparet, & numerū xlviii. excedit, fortasse quod scriptum prius esset Antonina, ex qua duæ martyres emerserint Antonia, & Nina, vel potius librarij errore, qui sequentis ordinis martyrem Ninam in antecedenti repetinerit. Parū interse in omnibus codicibus nomina variāt, sed quæ facili negocio ex consentientibus libris emendari possint. Sanè in limine primi cœtus Lugdunēsiū martyrum miramur, tam diuersum nomen produci Episcopi antesignani, Photinum, siue Potinum reddunt Episcopū ex editis martyrologiū Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, Hagiologiū Franco Galliæ Lebbei, Petrus de Natal. & alij recentiores ex Eusebio, & epistola Lugdunensium. Consentit martyrol. Vetustissimum, & tamen martyrol. Corbeiense, tam ex schedijs Dufresnii, quam apud Dacherium, & bini codices Lucēses Rogatianum Episcopum pro Potino præferuut nulla nominis similitudine, vt mendum suspicari debeat. Nisi dicamus Rogatianum martyrem fuisse inter quadraginta octo, alijs ab incurioso librario præpositum ablato Pothino, qui apud aliquos seiunctim à xlviii. palestritis numeratur, vt apud Petrum de Nat. lib. 5. cap. 76. penes quem alii xlviii. cum Blādina sociantur. Nulla Pothini memoria extat etiam apud Bellinum de Padua, penes quem eodē numero martyres inclusa Blandina producuntur. Sed cum nullus in relictis apud Adonem, & Notkerum nominibus, quibus tamen fidit Vallesius in Notat. ad Eusebium lib. v. cap. 1. p. 87., prostet martyr, Rogatiani nomine donatus, licet suspicari, ne pro Reueriano Episcopo Augustodunēsi, Rogatianus Episcopus appositus fuerit ex vetustiori codice, tam in martyrologio Corbeiensi, quam nostro. Reuerianus enim cum decem socijs martyrio coronatus fuit sub Aureliano Principe Kal. Iunii, vt testatur Petrus de Nat. lib. 5. c. 73. quod accepisse addit ab Adone ex *Hieronymi Martyrologio*. Cum vero in Hieronymiano nostro die pridiano Kal. Iunii nulla compareat Reueriani memoria, facilè in hanc diem secundam transponi à librario potuit, & pro Reueriano Rogatianum duplici errore reponi. Dubitat etiam Henricus Vallesius, qui nuper Græcam Eusebii historiam fecit, & Notis illustrauit, an nomina Lugdunensium martyrum genuina sint apud Adonem Viennensem, Vsuardum, & Notkerum, quòd à Rufini interpretatione decepti Zachariam præsbyterum Lugdunensem

nensem fecerint, cum de Zacharia Sacerdote patre S. Ioānis Baptistæ auctor epistolæ apud Eusebium loquatur; quem præsbyterum, hoc est seniorem, respectu Vesti Epaghati, qui iunior erat, nuncupauit. At cum omnes tam editi, quam mss. codices Martyrologi cum Gregorio Turonense lib. 5. de mirac. martyr. cap. 5. Zachariam inter quadraginta octo martyres numerent, & plurimi presbyterum vocent, ac multorū nomina martyrum exhibeant, quæ in epistola illa nō recensentur, non ita facile in suspicionē esse vocanda crederem, præsertim, quòd designatio certi supplicij, omnem eli dat suspicionē. Apud Adonem siquidem, & Gregorium Turonensem securi percussum Zachariam narratur, vt etiam adnotauit Raynaudus in Indiculo sanctorum Lugdunensium. In hoc quidem cū Vallesio conuenio, vt Lugdunenses martyres, quamquam vnica hac die recolātur, non vnica die fuerint coronati, neque fortasse eodem anno. Ex omni Gallia Lugdun. conuentus ludorum fieri consueuisse ad aram Augusti ex Suetonio in Claudio educit idem Vallesius, ac ad suam vsq. ætatem perduraviſſe testatur Dion. Inde colligit Lugdunenses martyres mense Augusto passos esse, & eorum natalem diem quarto Nonas Iunij, diu post illorum necem, cum inuenctæ reliquiæ fuerunt, constitutum esse, quo omnium simul celebraretur memoria, cum tamen non omnes vno, eodemque die passi sint. Quod indubium etiā penes me est, cum huius diei celebritas ab antiquo tempore Lugduni *Dies miraculorum* vocaretur, vt notant Ado, & Notkerus ex prodigio cinerum in Rhodanum à gentilium rabie proiectarum, & ad pietatem fidelium solandam simul conglobatarum. Ex inuētis enim sacris reliquijs tantoq. miraculo dies festus institutus est martyrum Athenocensium; ita nempe vocatis sacris athletis ex loco Athenaco prope Lugdunum, in quo passi sunt. Ex his aliqui ingentibus prius tormentis affecti in carcere quieuerunt, vt omnes adducti codices fatentur. Vnde emendandus supinus Vetustioris librarij error *in Caesarea* pro *in carceribus* scribentis. Nomina etiam aliqua ex Eusebio, siue Epistola Lugdunensium, & Viennensium emendanda sunt. Vettio addendum est cognomen Epagathi, ne pro alio martyre eum accipiamus, sicuti Alcibiades idem est, ac Asclepiades, & Helpis idem, ac Amnas. Alia curiosus Lector conferre poterit cum alijs martyrologijs, & Gregorio Turronensi, apud quem deficiunt Apollonius, & Geminianus. Blandinus in Blandinam omnino immutandus est.

Lugduni Vincentij. Aliam hanc esse SS. Lugdunēsium classem aptius his verbis distinguit M. Antuerpiense *Item alij in Lugduno*, & in duos choros diuidit, siue interuallo temporis, siue alia conditione distinctos. Hos cum Vincentio antesignano non referunt Ado, aut Notkerus. Septem primi sunt in M. Antuerpiensi, tres secundi ordinis, qui simul in vnica turma, tam codicibus nostris, quā Corbeiensi numerantur. In illa Lugdunensi carnificina plures ex diuersis locis martyres, Viennensi præcipue Ecclesia trimphasse, patet ex Epistola apud Eusebium, & alios in carceribus spiritum reddidisse, alios ad bestias damnatos, alios capite abscisso, & iugulatos triumphales animas Deo reddidisse certissimum est.

Alibi Depositio Barbarini. Barbaranū pesbyterum vocant MM. Antuerpiense, & Corbeiense, quem ex depositionis nomine Confessor potius, quam Martyr credi potest. An qui sequuntur martyres sint, vel ipsius Barbarini Comites, sicuti & reliqua ignorare me fateor.

Romae martyrum xlviij. Præcisus numerus anonymorū Romæ martyrū cum hoc conueniens alibi non comparet, præterquam in adductis Antuerpiensi, & Corbeiensi MM. Quadraginta sex milites sub Claudio ad diem 21. Octobris: xlvij. sub Nerone 14. Martij: xlviij. sub Diocletiano 26. Septembris: xl. in Portu Romano sub Aureliano 8. Cal. Iulij re-

colit Romanum martyrologium. Facilius in eam sententiam proponederem, hos esse Sanctos illos milites, qui baptizati fuerunt à S. Petro Apostolo in custodia Mamertina, & quos 14. Martij cũ alijs martyrologijs recolit Romanum; quoniam ad illam diem, nullus ex mss. à nobis frequenter adductis codicibus, eorũ meminerit, & re vera ex Actis SS. Proceſſi, & Martiniani, dies agonis in obscuro remaneat. Quamquam enim numerus ad amussim non reponendus sit, antiquarios non latet, quã frequenter in antiquis numerales notæ deprauatæ sint. Bellinus de Padua noñ xlvij., sed xlix. ad illam diem retinet, sicuti Maiolycus, & Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 199. & lib. 6. cap. 40. Vtrobique enim legit xlviiij. Calendarium Græcorum 6. die Martij quadraginta duo martyres recolit incertum mihi, an idem sint, qui latinis die 14. venerentur. Sanè in Actis SS. Proceſſi, & Martiniani veteris Hagiologij noſtri mſs. xlviij. dicuntur, dum tamen fatemur has coniecturas nó valde vrgere, & Romani martyrol. auctoritatem maioris ponderis esse. Videatur quæ diximus in exercit. de Primitijs martyrum.

III. Nonas Iunij.

IN Africa Quirini. Abidiani. Gagi. Donati. Nepori. Papo. Zinei. Ianuariæ. Demetrie. & aliorum cxlij. S. Iulianæ Virginis. Apud Aritium Ciuitate Thuſciæ Laurenti. Natalis S. Thomæ Apoſtoli. Romæ Marcelli. Auidi. Gagi. Donati. Vrbani. Felicis. Meſoni. Paſſonii. Saturni. Ianuarij. Victoriæ. Viriani. Donati. Vrbani. Felicis. Veneriæ. Rogatiane. Fortunati. Extricati. Victorini. Gorgonie. Doge. Felicitatis. Valerie. Priſce. Paulæ. Fortunatæ. Donate. Victoriæ. Synerei. Caſſiani. Quinti. Zetulæ. Victorinæ. Siluani. Gagie. Rogatiani. Aurili. Aproni. Papori. Quinti. Metuane. Liboſi. Emeriti. Fructi. Seueri. Secundi. Flori. Tytonij. Donati. Ianuarij. Seueri. Honorati. Saturnini. Victoriæ. Maturi. Lveiæ. Neptunalis. Criſcentis. Pompoñi. Cypri. Tertule. Lvce. Siluane. Publi. Oberce. Iuſti. Domiti. Procule. Rufine. Valerie. Siluani. Venerie. Victoris. Fortunate. Exupie. Flauie. Iuſti. Matrone. Fauſtine. Galliciæ. Ianuariæ. Fortunate. Publi. Romani. Petri Veranti. Aproni cum alijs vij. Siluani cum alijs xciij. Emeritæ. Septimini. Saturnini. Amaſi. Oraſi. *Aurelianis Ciuitate depoſitio S. Leiſardi presbyteri.*

IVNII 3.

OVia in aliquibus mutili cõparent Lvcenſes codices, Antuerpienſis M. integrũ huius diei ſegmẽtum exhebimus primo loco. *III. Nonas Iunij. In Africa Quirini. Abidiani, Gati, Donati, Neporis, Papi, Demetrię, & aliorum cxlvij. Iulianae, Virginis, apud Aretium Tuſciae Laurenti, & aliorum ccc. Natalis Sancti Thomae Apoſtoli. Romae Marcelli, Anini, Cati, Donati, Meſoni, Paſſoni,*

Passemi, Saturni, Ianuari, Victuris, Viriani, Donati, Vrbani, Felicis, Venerię, Rogatiani, Furtunati, Extricati, Victurina, Gorgoninę, Tosę, Felicitatis, Valerię, Prisca, Paulę, Fortunata, Donata, Victurię, Sinerci, Cassiani, Quinti, Zetulę, Victurini, Siluani, Gagię, Rogatiani, Aureli, Aproni, Nabori, Quinti. Mettenani, Liboſi, Emeriti, Sexti, Fructi, Seueri, Secũdi, Ianuari, Flori, Titorię, Donatę, Ianuariſsę, Seuerę, Ianuarię, Honorata, Saturnini, Victoria, Maturę, Lucię, Neptunalis, Criſcentis, Pompani, Cipri, Tertullę, Luci, Siluanę, Pupli, Obraci, Iuſtę, Domiti, Procula, Rufinę, Valeria, Ianuaria, Siluani, Felicis, Veneria, Victoris, Furtunatę, Exuperię, Elanię, Iuſti, Matrona, Fauſtina, Gallicia, Ianuaria, Fortunati, Pupli, Romani, Petri, Verani, Aproni, & aliorum cii. Siluani, & aliorum lxxxiii. Emerita, Septimini, Saturnini, Saturnina, Amaſi, Oraſi, Aurelianis Depoſitio Leifardi presbyteri. Mutilum tamen magis, quam Vetuſtius noſtrum in vtroque codice agnoſcimus M. Corbeienſe, cum in eo plures Romani martyres deſiderentur. Ita vero proſtat, *iii. Nonas Iunii. In Africa Quirini, Abidiani, Gai, Donati, Neperi, Papozinci, Ianuarię, Demetria, & aliorum centum quadraginta ſeptem, Sancta Iuliana Virginis, & martyris. Apud Areçium Ciuitatem Tuſcię Laurentii. Natalis Sancti Thoma Apoſtoli. Roma Marcelli, Anidi, Gai, Donati, Meſomi, Paſsemi, Saturni, Ianuari, Victuria, Viriani, Donati, Vrbani, Felicis, Veneria, Rogatiana, Fortunati, Extricati, Victuria, Gorgonia, Taga, Felicitatis, Valeria, Priſca, Paula, Fortunati, Donati, Victuria, Seuerei, Caſsiani, Quinti, Zetulę, Victurini, Siluani, Gagia, Rogatiani, Aurili, Aproni, Nabori, Quinti, Metuana, Liboſi, Emeriti, Sexuti, Fructi, Seueri, Secundi. Item Ianuari, Flori, Tyturii, Donata, Ianuaria, Seuerę, Honorata, Saturnini, Victuria, Fortunata, Publi, Romani, Petri, Veriani, Apronii cũ aliis octoginta quatuor. Eemerita Septimini, Saturnini, Amaſii, Oraſi, Luciani. Aurelianis Ciuitate Depoſitio Sancti Leifardi Epiſcopi.* Mſ. Reginæ Sueciæ inuerſo ordine, & in fine hodierni laterculi, ita, aliquos cælites ex adnotatis in Vetuſtiori noſtro exhibet. *In Africa, Natalis Sancti Quirini, Gaii, & aliorum liiii. Romæ Natalis S. Marcelli, & aliorum multorum. Et alibi depoſitio S. Iuliæ ſacrae puellę. Et in territorio Aurelianenſi Vico Maiduno Depoſitio S. Lifardi prasbyteri, & Confeſſoris.*

In Africa. Ex codice mſ. in Africa recolit Galeſinius Quirinum, Abdianum, Toticum, Iulium, Saturninum, & Iulianam Virginem. Rabanus Quirini tantum natalem in Africa hoc die reddit. Notkerus, qui ſecundo loco Africanos pugiles recenſet, ita de eis ſcribit. *In Africa Quirini, Abidiani, Neophori, Pambo, Ianuarię, Demetrię, & aliorũ centum quinquaginta nouem.* Deſunt in Notkero Gaius, Donatus, & Zincius, qui ſi ab anonymis detrahantur ſunt clvi., qui numerus excedit expreſſum ab Antuerpienſi, & Corbeienſi MM., hoc eſt cxlviij. Vnde in codicibus noſtris deficere numeralem notam V. agnoſcimus, cum non niſi xlij. exprimantur. Aliqua eſt etiam in nominibus differẽtia. Gaius Gratus eſt in Antuerpienſi, Nicophorus Notkeri, alijs eſt Nicoporus. Papo, ſiue Pambo, & Zincius, in vnum nomen facile diuiſibile conflantur Papozinci in M. Dacherij, in quo Iuliana Virgo, & martyr dicitur. Sed quia alio non diſtincto loco anonymis Africanis connectitur, alterius vel chori, vel temporis martyrem Africæ, cum codice Galeſini relinquimus, nullo ex adductis repugnante.

Apud Aretium. Non modo codices noſtri, ſed Antuerpienſe vetuſtiſſimum, & Corbeienſe Aretinum Tuſciæ martyrem Laurentium, non Laurentinum vocant, cui quadringentos anonymos ſubnectit idem Antuerpienſe, in noſtro, & Corbeienſi deſideratos. Rabanus ita eos retegit iij. Nonas. In Tuſcia Laurentij, & aliorum quadringentorum. Notkerus

tkerus, qui Acta SS. Pergentini, & Laurentij, non Laurentini in compendium redegit in quadringentos eiusdem Vrbis martyres, ita consonat, *& aliorum plurimorum quadringentorum*. Ducentos tamen semiviuos relictos à furore paganorum numerat tantum Petrus de Natalibus, dum SS. Pergentini, & Laurentini acta producit lib. 5. cap. 80. Laurentium etiam vocat Beda, qui fratrem socium addit Pergentinum, vt reliqua ferè latinorum Hagiologia. Valentinum pro Pergentino legit Bellinus de Padua, & alij à Galesino adducti, & relecti; in his tamen de quadringentis socijs nulla exhibetur memoria, sicut neque apud Ferrarium ex ms. Ecclesiæ Aretinæ in Catalogo SS. Italiæ, neque apud Siluanum Razzium de SS. Etruriæ. Quinimo quæ Petrus de Natalibus refert de ducentis ad fidem conuersis, & à Paganis male habitis, aliter in Actis apud Surium sonant, & potius ad Pergentium, & Laurentinum, quam ad multitudinem illam referuntur, quemadmodum etiam continetur in Actis Italicè scriptis apud eundem Razzium.

Natalis S. Thomæ Apostoli. Nihil hìc addimus ad ea, quæ in Indiculo Apostolorum congessimus.

Romæ Marcelli. Romanos Christi pugiles in duas acies diuidunt sæpe adducti codices. Priorem ducit Marcellus, cui sexaginta nominibus signatos commilitones ascribit M. Corbeiense, anonymos vero octuaginta quatuor. Sed vberiori censu primam turbam exhibet Vetustius nostrum; expressè namque signatorum numerum octuaginta nouem esse notat, anonymorum vero vij. Adhuc autem vberius tabulas primæ cohortis implet M. Antuerpiense, nominatim enim describit nonaginta, & vnum Romanos martyres: siue nomine autem cij. Secunda acies sub Siluano signifero omnino deest in M. Corbeiensi; in Veruſtiori nostro est ignotorum nomine cælitum numerus nonaginta trium; in vetustissimo Antuerpiensi octuaginta trium; possent in anonymus facile codices nostri, cum Antuerpiensi componi, & in illis pro vij. restitui cij., in hoc pro lxxxij. reponi lxxxxiij. Ex his, qui nominibus exprimuntur, in primo ordine desunt in M. Corbeiensi xxvij. martyres, qui in nostro numerantur post Saturninum, & Victoriam vsque ad Fortunatum, & Publiũ. Aliquam in nominibus paruam differẽtiam vnusquisque adnotare potest; sub quo vero Imperatore coronati, & quo sacro cœmeterio sepulti sancti, sanctæq; martyres fuerint, nullibi mihi constat.

Emeritæ. An pro Vrbis Lusitaniæ nomine, quæ Augusta Emerita Ptolomeo, alijsq. Geographis, an pro nomine martyris Emerita accipienda sit, hæsitaui plurimùm. At cum neq. in Corbeiensi, neque codicibus nostris, neque Antuerpiensi in locis assignandis accuratiore, nulla Vrbis nota præponatur; aliam potius quinque martyrum classem quorum Emerita princeps fuerit designari existimaui, donec clarior fax affulgeat.

Aurelianis Ciuitate. Leofardum appellat Rabanus. Laifardum Notkerus; Lisfardum Vsuardus, Rom. martyrologium, Hagiologium Franco Gallię & Petrus de Natalib. lib. 5. cap. 80. Surius, qui vitam eius largius describit Liphardum præsbyterum, & Abbatem appellat sepultũ in Ecclesia oppiduli montis Magduni. De eo agit Sausayus in Annal. Aurelian. lib. 3. c. 29. & in Martyrologio Gallicano, & Licphardum vocat. Floruit tempore S. Remigij, & Clodonei Regis.

II. Nonas Iunij.

NIuiduno Ciuitate Zotici. Attali. Eutici. Camasi. Quirini. Iuliæ. Saturnine. Galduni. Ninnite. Fortunionis. & aliorum xx. Cirini Episcopi. Ebusti. Rustici Episcopi. In Sabaria Ciuitate Quirini. Romæ Natalis Pieti. Arecij. Daciani. In Cilicia Natalis Sanctorum Expergenti. Chiste. Italij. Philippi. Eustici. Rustuli. Iuliæ. Saturnini. Iei. Aconi. Mones. Fortuni. Criscentiæ. In Sabaria Rustuli cum alijs ij.

IVNII 4.

NIniuem Vrbem Assyriæ pro Niuernio, seu Neuioduno contra aliorũ librorum fidem M. Antuerpiense in fronte laterculi profert. *Pridie Non. Iunÿ. In Niniue Natalis Dinoci, Zotici, Attali, Eutici, Camasi, Quirina, Iulia, Saturna, Galduni, Ninnita, Furtunionis, & aliorum xxv. Cyrini Episcopi, Ebusti, Rustici Episcopi. In Saba Ciuitate Pannoniæ Quirini. Roma Pieti, Areci, Datiani. In Cilicia Expergenti, Crista, Istali, Philippi, Eustici, Rustuli. Camas. Iulia, Saturnini, Eiagoni, Momna, Furtuni, Eriscentia. In Sabar Ciuitate Rutuli cum aliis duobus.* M. Antuerpiensi ita consonat Rabanus. *ii. Nonas. In Ninive Natalis Dinoci, Cameri, Tyrina, Iulia, Saracina, Cyprini.* Sed Neuiduno Ciuitati, cum nostris codicibus, ita plures martyres tribuit M. Corbeiense. *Pridie Nonas Iunii. Neuiduno Ciuitate Zotici, Attali, Eutici, Amasi, Quirini, Iulia, Saturnini, Gadduni, Ninitę, Fortunionis, & aliorum viginti octo, Cypriani Episcopi, Fausti, Rustici, Siluii. In Sabaria Ciuitate Quirini. Romę Natalis Sancti Pieti, Arecii, Daciani. In Sicilia Natalis Sãctorum Expergenti, Christę, Italis, Philippi, Eustici, Rustici, Rustuli, Iulię, Saturnina. Ieiaconi, Manę, Fortuni, Crescentię, Iocundiani. In Sabaria Ciuitate Rustuli cum aliis duobus.* Consonat Notkerus cõtractis de more martyrum nominibus ij. Non. Iunij *Neuiduno ciuitate Zotici, Attali, Eutichii cum aliis multis.* Hi multi in Antuerpiensi nominatim expresse xi. sunt, anonymi vero xxv. In nostro, & Corbeiensi non nisi decem proprijs vocabulis indicantur; deficit, enim dux turmæ Dinocius. In anonymis alter deficit, & xx. tantum profert, alter abundat, & xxviij. producit. Alterius classis sunt Cyrinus Episcopus, qui Cyprianus Corbeiẽsi minus apte dicitur, Ebustus, & Rusticus pariter Episcopus. Siluius enim in Corbeiẽsi corruptissimè additur pro voce *Episcopi.* Ex his non nisi Zoticum, Attalam, & Eutichium Nouioduni Heduorum (hoc est Niuernis) produxit Saussayus cum aliis multis, vt puto ex Notkero, qui non Attalam, sed Attaium legit; ex ms. enim martyrologio S. Sabini de Leuitania, quod veluti additamentum in fragmentis producit ad calcem M. Gallicani, Attalus, vel Attala non exhibetur, sed tantum die iiij. *Niuiduno Natale S. Saturnini, Zotici, & Eutici.* Duos tantum ex horum martyrum choro indicat ms. Kalendarium Hieronymianum Lvcense, Zosimum, pro Zotico, & Camusium. Geminos Episcopos Cyrinum, & Rusticum cum socio Ebusto ab ijsdem non disiunsimus, quia in adductis codicibus, à Neuiduno alterius loci assignatione non disiunguntur. Cætera me latent.

In Sabaria Ciuitate. S. Quirinum Episcopum Siscientem hac die recolunt cũ M. Romano, reliqua latinorum. Acta cõtracta habet Petrus de Natalib. lib. 5. cap. 85. diffusiora Mombritius T. 2. Antiqua pariter, & graui stylo conscripta

Surius T.6. recentioris editionis. Plura de eo suo more colligit Baronius. Siscię in Illyrico eius memoriam venerantur, cum sacris Romanis tabulis scriptores plures. Fisciam prō Siscia habet Notkerus. Siscię in Pannonia emendatius ms. Reginæ Sueciæ. In Saba Ciuitate M. Antuerpienſe. *In Sabaria* optimè M. Corbeiense cum codicibus nostris. Sabariam Plinius Norico annumerat, & Coloniam D. Claudij cognominat. Austriæ nonnullis opidum, vel Ciuitas est, quā præter lambit Sabarium Flauuium, D. Martini natalibus magis clara, quam Ouidij ibi inuento testudinato sepulcro. Vrbs Pannoniæ superioris est, in qua, vt Acta S. Quirini Siscienſis Episcopi apud Surium docent, Sanctus martyr ductus, & in fluuium appensa mola præceps datus, agonem compleuit *Pridie Nonarum Iuniarum* vt ibi legitur, variæq. deinde trāslationes Romam, & alibi indicantur. De eius triumpho hymnum Prudentius cecinit in Peristephano, qui sepultum Siscię videtur innuere, reducētibus ad Ecclesiam suam peremptum pastorem fidelibus populis. Ortelius Eusebium in chronico emendat, quod Quirinum Episcopum Scesianum dixerit, pro quo Seiscianum legendum animaduertit. Huius martyrium Eusebius refert ad annum 314. vel potius 310. editionis Scaligerianæ, vbi summatim eius certamen describitur. De S. hoc Episcopo aliqua diximus ad diem 30. Aprilis. Plura habet T.1. Annal. Eccl. Vngariæ Inchofer ad annum Christi 302. in Prœuio Chronico.

Romæ. Non modo Vrbem, sed locū, vbi venerati sunt martyres adducti, indicat ms. Reginæ Sueciæ. *Pridie Non. Romæ Via Appia SS. Martyrum Recti, Arethei, & Daciani*. Pictum, & Arecium primos vocant M. Corbeiense, Antuerpiense, & Vetustius nostrum. Aretium, & Dacianum tantum refert M. Romanum cum Bellino; Plautum, Anetium, & Dacianum Maurolycus. Arecium scribendum esse nō Aretium monet Galesinius, auctoritate antiqui, & rectè ms. Martyrologij, dum tamen de hoc martyre cum Daciano, Camario, & alijs ex Beda, & martyrol. ms. agit: aliquos legere pro Camario Camasium animaduertit, & reliqua non dum habere explorata fatetur. An Camarius, seu Camasius sit Camas inter Ciliciæ martyres à M. Antuerpiensi numeratus hæreo.

In Cilicia. In Sicilia legit Notkerus *SS. Expergentii, & Christæ martyrum*. Ita, & ms. Reginæ Sueciæ, quamquam valde in nominibus Beatorum variet. *In Sicilia Natalis SS. Itali, Philippi, Eutichij, cum aliis x*. Vnde tredecim illi fuisse signatos martyres apparet. Totidemque numerat M. Antuerpiense: Nostrum vero non nisi xij. quòd post Rustulum deficiat Camas, in eodem Antuerpiensi memoratus, qui quidem martyr desideratur etiam in M. Corbeiensi, licet duo superaddantur Rusticus, & Iocundianus, qui numerum quartumdecimum implent *in Sicilia*. Ita enim legit pro Cilicia cōtra nostros codices, atque M. Antuerpiense; quibus inde magis fidendum existimo, quòd Maurolycus Abbas Siculus, & qui genti suæ Sanctorum decus auferre voluisse non est credendum, ita in suo martyrologio retineat. *In Cilicia Sanctorum Pergentii, Philippi, Eutychi, Saturnini, & Iuliæ martyrum*. Ferrarius, qui Sanctos hos martyres omisit in Catalogo Sanctorum Italiæ Expergentium tantum, & Chrestam retulit *In Sicilia* ad quartam diem Iunij in Catalogo Generali, ex martyrologio Noegeri, (Notkeri puto), & Siculo ab Octauio Caietano adducto. *Nullibi tamen* (addit) *in Sicilia celebrantur. Passi sunt sub Diocletiano circa annum Domini* 304., potius ex coniecturis. Nos eos in Cilicia cum melioris notæ codicibus retinemus.

In Sabaria Ciuitate. Ciuitatem hanc esse Pannoniæ superioris iam diximus in Hungariæ, Austriæ, Styriæq. confinibus. Vnde nil mirum à Romano martyrologio Rutilum cum socijs in Pannonia recoli. *Sabaria Ciuitate S. Rutili cum aliis duo-*

duobus habet Molanus in Additionibus ad Vsuardum prioris editionis. Rustulus, non Rutulus cum alijs duobus dicitur in martyrologio Corbeiensi, & nostro, sed Rutulus in Antuerpiensi cum alijs pariter duobus.

Nonas Iunij.

IN Egipto Marciani. Nigrandij, & Apolloni, quorum gesta habentur. In Africa Euasi, & Priuati. Romæ miliario vij. Filocule. Felicitatis. Iappe. Gregorij. Gagi. Rustiani. Saturnini. Rogate. Helari. Victori. Mustuli. Ingenui. Secundi. Mauri. Orbici. Secundiani. Castulę. Candidæ. Primi. Feliciani. Fortunati. Martialis. Iuliane. Niander. Sacrini. In Istria Zoeli. Saturi. Seruili. Felicis. *In Austria passio S. Bonifatij Episcopi, & martyris*. Siluani. Fortunati.

IVNII 5.

ÆGyptios martyres Marcianum, Nicandrum, & Apolloniū producit pariter Notkerus; sed Nicanorem pro Nicandro habet Romanū Martyrologium, & vt ibi innuit Baronius ex Vsuardo, & Adone, quos tamen in codicibus editis, & mss. Nicandrum retinere video, Bellinum vero de Padua, & Maurolycum tantum Nicanorem legere, & cū nostris codicibus addere *quorū gesta habentur*, nobis adhuc incomperta. Nisi forte ea sint, quæ strictim per compendia indicantur in Menologio Sirleti, alijs ignotis commilitonibus ita additis eadem hac *die v. Sanctorum Martyrum Martiani, Nicandri, Apollinÿ, Leonidis, Arÿ, Gorgÿ, Hyperechÿ, Selleniadis, Irenes, & Pambonis. Hi omnes Sancti sub Ægypti Præside, eo quòd Christum ipsum abnegare noluerint fame, siti, & æstu vexati, martyrii certamen sustinentes animas suas Domino tradiderunt*. Quapropter emendandum video M. Corbeiense, & Nostrum, quæ pro Nicandro Nigrandium exhibent. Illud Corbeiense, cuius integrum laterculum proferimus, Feliculam, & Iocium addit, Græcis ignoratos. *Non. Iunÿ. In Ægypto Martiani, Nigrandi, & Apollonÿ, Felicula, Ioci. In Africa Euasi, Priuati. Romæ miliario septimo, Filoculæ, Felicitatis, Pappiæ, Gregorÿ, Gai, Rutiani, Saturnini, Rogatæ, Helari, Victuri, Mustuli, Ingeni, Secundi, Mauri, Vrbici, Secundiani, Castulæ, Candidę, Primę, Felicianæ, Fortunatæ, Martiali, Iuliani, Nicandri, Sacri. In Istria Zoli, Saturi, Timini, Saturni, Seruilÿ, Felicis, Siluani, Fortunati, Mammeri. Corbeiæ Translatio corporis Sancti Præcordÿ Confessoris. Et depositio Sancti Bonifacÿ Archiepiscopi*. Hos etiam martyres Ægyptios Feliculam, & Iocium filet M. Vetustissimum Antuerpiense, in Appollinis nomine Græcis magis consonū, quod hoc ordine huius diei cælites veneratur. *Nonas Iunÿ. In Ægypto Marciani, Nicandri, & Apollini. In Affrica Euasi, & Priuatę. Romæ, Felicolę, Felicitatis, Fappæ, Grigorię, Gagi, Rutiani, Saturnini, Rogatę, Hilari, Victuri, Mustili, Ingenui, Secundi, Mauri, Vrbici, Secūdiani, Castulæ, Candidę, Primę, Feliciani, Fortunati, Marcialis, Iulianæ, Nicādri, Sacri. In Istria Zoili, Sateri, Tymini, Saturnini, Seruili, Felicis, Siluani, Furtunati*. Galesinius qui eosdem tres martyres Ægyptios producit ex Beda, Vsuardo, Adone, & Græcis, & eorundem res actas fortiter in Maximiani persecutione legi asserit, putat Nicandrum

illum esse, qui cum Germano in Menologio Græcorum memoratur sexto Idus, vel 8. Iunij. Sed alius ille Nicander est, cum alius eidem comes ascribatur: Græci vero hac eadem die non modo tres iã adductos, sed plures alios, vt diximus venerantur, & M. Romanum confirmat. An verò ijdem sint, quorum memoriam agunt Vsuardus, Ado, & alij recentiores ad Nonas Aprilis, affirmat eruditissimus Baronius. Sed in vetustiori nostro ibi Marciana est, non Martianus, Nicanor, non Nicandrus, & Apollonius, non Apollines, vt diuersos etiam reputare non sit incongruum. Diuersos pariter Nicandrum, & Martinianum in agro Venefrano propè Atinam, sub Maximiano martyres hac ipsa die refert Maurolycus, qui Ferrarium in vtroq. Catalogo prætericrunt.

In Africa Euasium. Binos hosce sacros in Africa Athletas præter MM. Antuerpiense, Corbeiense, Nostrum, & ms. Reginæ Sueciæ alibi memoratos non inuenio, in quorum postremo nihil super illa additur. *In Africa Euasi, Priuati.* Priuatam tamen legit Antuerpiense.

Romę milliario vij. Plures Feliculas, & Felicitates, vel seiunctim, vel alijs sociatas martyres, & sub alijs diebus Rom. martyrologium exhibet, nullam vero coniunctim, vt in MM. Antuerpiense, Nostro, & apud Notkerum, qui suo more socios amputando, ijsdem consentit. *Romæ milliario vij. Feliculę, & Felicitatis cum alijs multis.* Excipio M. Corbeiense, & ms. Reginæ Sueciæ, quorum primũ Filoculam pro Felicula cum nostris codicibus legit, secundum quod dum Feliculam omnino silet pressius signat locum vel sepulturæ, vel venerationis. *Nonis Iunij. Romæ via Ardeatina milliario vij. Natalis SS. Felicitatis, Gregorii, Saturnini, & aliorum xxii.* Gregoriam mauult mulierem M. Antuerpiense, & numerum eundem signatorum martyrum præfert, cum omnes nominibus recensiti, tam in illo, quam in codicibus nostris, & Corbeiensi xxv. non excedant, quamuis nõ nihil inter se varient in nominibus virorum, vel Beatarum mulierum. Si enim legendum esset inter hos martyres Primi, & Feliciani, non Primæ, & Feliciani, vel Felicianæ dubitari posset, an celebres sub hoc nomine cælites essent, qui Viã Nomentana in cœmeterio ijsdem dicato, ac propria Ecclesia Romæ recolebantur, vt ex antiquis documentis elicit Aringhius lib. 4. cap. 23. Rom. subt. sed longè ab Vrbe cœmeterium hoc distabat, qui per milliaria vij. Erat n. xiiij. ab Vrbe lapide, & insuper Via Nomentana non Ardeatina, vt de his docet ms. Reginæ Sueciæ; vnde diuersos credere expedit, sicuti etiam ab alio choro martyrum, in quo Primus, & Felicianus indicantur infra v. Idus Iunij.

In Istria. Repetuntur fortasse aliqui ex martyribus Istriæ die 24. Maij adnotati, quòd alij commilitones hac die v. Iunij agonem compleuerint, & primorum memoria iteratur, ne ab ijsdem in tormentis socij disiungerentur. Zoilus, & Seruulus adnotatur in MM. nostro Vetustiori, & Antuerpiensi: In Corbeiensi vero Zoilus dicitur Zebellus, & additur Iocũdianus, ita à martyribus huius diei varius, vt non nisi Seruulus consentiat. Certum autem est codices nostros hìc esse decurtatos, cum non nisi sex cælites Istrianos recolat Zoelum, Saturum, Seruilium, & Felicem, deinde & interpolato S. Bonifacij additamento Siluanũ & Fortunatum, dum M. Antuerpiense addit etiam Timinium, ac Saturninum, & supra hos omnes M. Corbeiense adijciat Mammerium.

In Austria S. Bonifacii. Caret hoc additamento M. Vetustissimum Antuerpiense. De sancto tamen Bonifacio Episcopo Moguntino viro Apostolico agũt cum M. Romano Vsuardus, Ado, Notkerus, & alij recentiores. Bedam excipio à Baronio eruditissimo adductum, cum vix tempus potuerit attingere, quo S. Episcopus, & martyr Bonifacius coronam accepit, vnde licet cognoscere sub ipsius nomine editum martyrologium illius

illius genuinum, vel saltem sine additionibus non esse. Obijt S.Bonifacius martyrio coronatus, vt in eius vita à S.Vvillibaldo discipulo exarata, aliaq.diffusiori Othlionis Presbyteri apud Surium To.6. anno 755. Plura de eo Baronius habet T.9. Annalium, quæ vti notiora prætermittimus. Ms. Reginæ Sueciæ, ita de eo, & socijs: *In Frisia Germania passio S. Bonifacii Archiepiscopi, & Eobami eius Episcopi cum aliis servis Dei.* Quæ ms. illud post hoc tempus contectum ostendunt, sicuti & Hagiologium Franco-Gallicum Lebbei, quod ijsdem fere verbis de S.Bonifacio meminit.Pro Austria, in codicibus nostris legerem potius in Austrasia in qua & Palatinatus continetur, pro vasta superioris Germaniæ regione, in qua prædicauit, & passus est S.Bonifacius. Socios cum eodem in Frisia passos numerat, & nominibus exprimit Rabanus.

VIII. Idus Iunij.

Nuiduno Amanti. Lvci. Alexandri. Donati. Peregri. In Affrica Itali. Zotici. Camasi. Philippi. Attali. Et alibi depositio Beati Claudi Episcopi.

IVNII 6.

NOstrorum codicũ librarius repetitum putauit Alexandri, vel Alexãdriæ nomen, & amputauit in Alexãdriæ vrbe memoriam Donati, & Peregrini, Nouiodunensi ciuitati præter Amantium,Lucium, & Alexandrum eosdem tribuens. Non ita Notkerus,qui disertè eos distinguit ad finem laterculi. *Nouiduno Amantii, Lucii, & B.Alexandri. Alexandriæ Donati, & Peregrini.* Amantium pariter Alexandrum, & socios Nouioduni in Gallijs recolit M.Romanum, cum Vsuardo, Maurolyco, & Galesinio,qui sociorum non meminerũt. Oculatissimus Baronius putat in Beda edito, qui sequenti die Amantium recolit Alexandriæ,luxationẽ inesse pro Alexandro Nouiodunense. Bellinus de Padua hac die ciuitate Lugduno Amantij, & Alexandri meminit, Lugdunum pro Nouioduno scribens. Galesinius in notationibus ad hanc diem monet, aliquos his martyribus socium addere Lucium Italum,& de his relatum esse in Actis SS. martyrum Marcelli, & Petri, vnde Beda acceperit. *Lucii cum aliis tribus* memoriam addit post Alexandrum, & socios ms. Reginæ Sueciæ. Italus nomen martyris seiunctim est Africani chori,vt mox constabit. Magis à plurimorum codicũ lectione distat M. Antuerpiense, qui hodiernos martyres omnes in Africa reposuit, & pro Alexandria Andreã exhibet, quod suspicionem inducit, ne Alexandriæ nomen martyris mulieris sit non vrbis. Re vera enim in nullo codice quem viderim excepto Rabano additur Alexandriæ nota ciuitatis, vel loci. Durum tamen videtur in M. eodem Antuerpiẽsi, tam initio diarij, quam paulo post, Africæ repetitum nomen,sacrosq; testes eidẽ tributos, iterum sub Africa consignari. Sed accuratiora desiderare potius in rudibus horum librorum sæculis, quam inuenire licet. Ita autem illud signatur. *viii. Idus. In Affrica Amansi, Lucii, Alexandri, Andreæ, Donati, Peregrinę. In Africa Itali, Zotici, Camari, Philippi, Attali. Et alibi depositio Caudi Episcopi, Glacinopoli depos. Cerasi Episcopi.* Pro Alexandro, Donato, & Peregrino (nisi Alexandria nomen vrbis sit) M. Corbeiense sanctas martyres hoc ordine Neueduno tribuit. *viii. Idus Iunii. Neueduno*

uedune, Amantij, Lucij, Alexandri, Alexandriæ, Donatæ, Peregrinæ. Passio SS. Martyrum Vincenty Episcopi, & Benigni Diaconi. In Africa Italii, Zotici, Camasi, Philippi, Attali. Gratianopoli Depositio Cerati Episcopi, & alibi depos. B. Claudi Episcopi. Rabanus ita diem viij. Idus in memoriam reuocat. *In Africa S. Amantii, Lucii. In Alexandria Andreæ, Donati, & Peregrini. Depositio B. Claudi Episcopi.* Rabanus ita diem viij. Idus in memoriam reuocat. *In Africa S. Amantij, Lucij. In Alexandria Andreæ, Donati & Peregrini. Depositio B. Claudi Episcopi.* Beda editus, non modo die sequenti, vt notauit Baronius, Amantium refert, sed Alexandriæ Andream, Donatum, & Peregrinum recolit; confirmat tamen, Andream in nostris codicibus, & Corbeiensi, vel deficere, vel in Alexandriam fuisse immutatum. Galesinius eadem repetit ex Beda', & mss. sequenti die. Africanos martyres quinque agnoscit ms. Reginæ Sueciæ, quamquam non nisi tres singillatim exprimat. *In Africa Natale SS. Zotici, Philippi, Camasi, cum aliis duobus. Gratianopoli depositio Cerati Episcopi.* Primos ergo in capite sacri diarij adnotatos martyres, plurimorum codicum fide, Nouioduni tribuendos esse consentio suffragante etiam vetusto S. Sabini de Leuitania ms. martyrologio in quo legitur die 6. Iunij. *Niuiduno natale SS. Amantii, Lucii, & Alexandri*, cui pro Amantio, & Alexandro concinit Hagiologium Franco Galliæ. Saussayus vberiores cælites Nouioduni, seu Niuernij in Heduis tribuit, Amantium scilicet, Alexandrum, Lucium, Andræam, & Peregrinum. Alij Amantius, & Lucius hac eadem die recoluntur in oppido Cornelij, ditionis Parmensis. De quibus videndus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ.

Vincentii Episcopi. Quamquam SS. Vincentium, & Benignum prætereat Vetustius nostrum, & M. Antuerpiense, cũ tamen diserte eos referat M. Corbeiense, & omnes fere codices in hoc anniuersario segmento, vel deprauatos, vel mutilos videam, eorum memoriam fraudare piaculum duxi; cum præcipue eorundem sacra pignora in Patriæ meæ Lucensis Vrbis maioris Ecclesiæ Ara religiosissimè venerentur. Qui de Sãcto Vincentio Episcopo scripserunt, Benignum Diaconum eius fratrem ab eo seiungunt, quoniam Benignus coronam accepit ante diem Cal. Maij, quo die sepultus fuit. Acta S. Vincentij percurrit Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 93. sed diffusiora habemus mss. in codice hædino Passionali Cathedralis Lucensis. Conantur Vmbriæ scriptores eius martyrium ad tempora Neronis referre, & plures cumulat T. 1. de Beatis Vmbriæ Ludouicus Iacobellius p. 613. At alij, vt Ferrarius, Diocletiano, & Maximiano Imperantibus, agonem compleuisse docent, & magis quidem ad mss. nostrorum fidem accomodati. In quibus non vnius principis persecutione, sed plurium passos esse SS. Vincentium, & Benignum docetur. Ita enim incipiunt. *Cum iussu principum impiissimorum persecutio Christianorum per totum orbem deseuiret*, quæ verba Neronem videntur excludere, qui primus, & solus persequi Christianos cæpit, & ante illum nemo legem contra Christianos vulgauit. Adnotatur tempus, quando post multa tormenta, & prodigia S. Vincentius in Sacrificio Missæ tradidit spiritum, hoc est *sub die 8. Idus Iunii Coss. Rufo, & Gallo.* Iacobillus, qui eosdem Consules notat, putat id accidisse anno Dominicæ Natiu. septuagesimo, imperante Nerone, & sedente Lino. Hoc est, vel Nerone vita functo, vel postremis eius vitæ periodis, quando alij Consules erant, nempe Siluanus, & Ottho, iuxta Cassiodorum à Cuspiniano explicatum, vel iuxta Fastos siculos Italico, & Trachano, siue Tracallo, vel quod aptius videtur Nerone, Cæsare, & Vetere Consulibus. Ruffus, & Gallus sub Nerone nusquam Consules comparent, sed triennio ante illius mortem I. Fonteius Capito, & C. Iulius Rufus Consules fuere. Neque idem Rufus

&

& Gallus reſpondẽt ad amuſſim temporibus Diocletiani, ſed optimè Fauſtus, & Gallus, eo nempe anno, quo Dioclẽtianus iuſſit adorari ſe vt Deum, quemadmodum notat Caſſiodorus ex Eutropio; quo initio ſæuiri in Chriſtianos renuentes cæptũ eſſe nõ dubito; quamquã quinquẽnio poſt perſecutionẽ motã eſſe notent Chronographi, ſeu potius crudeliſſimè inſtauratam. Sed hæc in libro noſtro de Etruſcæ pietatis originibus diligentius diſcutimus. S. Vincentium Epiſcopum hac eadem die Maurolycus his verbis refert. *S. Vincentii Epiſcopi Meuiæ ciuitatis iuxta Leuaniam ſepulti, qui ſuperatis cruciatibus, ferisq; manſuefactis deceſſit.* Meuiæ etiam legit Galeſinius, qui potius lẽgendum putat Mædiæ pro Vrbe Traciæ, & S. Vincentium Epiſcopum recenſet ex mſs. Calendario Bergomenſi, & martyrologio vetuſto. Meniæ legit etiam Petrus de Natalibus pro Meuania Vmbrię opido Ptolomæo, Straboni, Suetonio, & Tacito memorata, & corruptiſſimè etiam dicitur ſepultum eſſe iuxta Leuaniã, cum in Actis noſtris vetuſtioribus mſs. ſepultũ eſſe inter Portũlionem, & Meuaniam miliario ab Vrbe Roma plus minus xciiij. Erat ſanè Meuania Via Flaminia, vt notat Philander ad Vitruuiũ. In Hiſtoria de Sanctis Lvcenſibus ſanctos Vincentium, & Benignum illuſtrat Cæſar Frãciottus noſter, & quo tempore Lvcam fuerint eorum corpora translata docet, ſicuti aliqua etiam Iacobillus adducit à Franciotto diuerſa. In Calendario Breuiarij noſtri hædini legitur viij. Kal. Iunij. *Vincentii, & Benigni MM. duplex.*

Depoſitio B. Claudii Epiſcopi. Caudiũ pro Claudio minimo librarij lapſu habet M. Antuerpienſe. Veſontione in Gallijs fuiſſe Epiſcopum notat M. Romanum, & ibi Baronius aliqua de eo cumulat ſicuti T. 6. Annal. vbi anno 509. obijſſe docet. De eo Beda meminit die ſequenti, Biſuntinenſem Epiſcopum vocat Molanus in Additionibus, & Confeſſorem, ſicuti Maurolycus, & Galeſinius, & pluribus Sauſſayus in Gallicano martyrologio eius vitam proſequitur. Ceratum Grationopolitanum Epiſcopum, quem inſtaurant M. Corbeienſe, & mſ. Reginæ Sueciæ apud Sammarthanos in ſerie Epiſcoporum illius Eccleſiæ deſideratur, & in M. noſtro librarij errore poſtridie excolitur.

VII. Kal. Iunij.

Gratianopoli Depoſitio Cerati Epiſcopi. Pauli. Fortunati. Maeri. Primoſi. Achaci Monachi. In Africa Victori. Euaſi. Priuate. Ianuariæ. Donate. Spiſine. Quirilli. In Ceſarea Cappadocic Lvciani martyris.

IVNII 7.

LAcinia, quæ vetuſtiores huius diei faſtos non nihil interturbat pertinere ad heſternã diem omnino exiſtimo, ex fide præſertim mſ. Reginæ Sueciæ ibi adducto, & MM. Corbeienſe, & Antuerpienſe, quamquã in hoc corruptè *Glacianopoli* ſcriptũ ſit. Depoſitionis nomen S. Epiſcopum Ceratum Confeſſorem ſuaderet, niſi Sauſſayus in ſupplemento ad Gallicanum martyrologium martyrem diceret, pluresq; ſocios adnumeraret. De martyrio ducem habet Molanum, qui ad præteritã diem paſſionem S. Cerati Epiſcopi ſub Gratiano principe retulit; ex alio martyrol. eiuſdẽ meminit etiam Vvãdelbertus.

Ne

Ne vero suspicionem meam sileam veritus sum, ne inscius aliquis antiquarius initiũ huius diariæ tabulæ pro Constantinopoli, Gratianopoli legerit, & ex superiori die S. Ceratum in hunc ideo transtulerit, & Bysantinos martyres, qui sequuntur in codicibus nostris, eidem S. Episcopo succẽturiauerit. Paulus enim qui nõ indicato passionis loco in ijsdem antesignanus est, Notkero Constantinopoli S. Paulus Episcopus dicitur, & Bizantio his verbis in M. Corbeiensi tribuitur. *vii. Idus Iunii. In Bizantio Ciuitate. Pauli, Fortunati, Maiori, Primosi, Acaci Monachi. In Africa Victuri, Enasi, Priuati, Ianuarii, Donate, Spissine, Quirilli. In Cæsarea Cappadocia Luciani martyris.* Paulum silet, & Episcopum Fortunatum ita profert ms. Reginæ Sueciæ. *vii. Idus Constantinopoli SS. Fortunati Episcopi cum aliis iv. In Africa natalis SS. Victuri, Enasii, Quintilli cum aliis iiii. Cæsarea Cappodocia nat. S. Luciani.* Sed Paulum Episcopum, & martyrem Constantinopolitanum commemorant martyrol. Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, & cæteri latini, & plura de eo cumulat eruditissimus Baronius. Socios, quos Fortunato Episcopo tribuit ms. Reginæ Sueciæ, sub alio choro ita Byzantio à Notkero tribuuntur. *In Bizãtio natiuitas S. Primosi, Fortunati, Macri, & Macharii Monachi.* Ex his aliqui in ms. martyrologio S. Sabini de Leuitania ita etiam Byzantio ascribũtur. *In Bysantio natalis SS. Fortunati. & Achaici Monachi.* Achaicum cum Vetustiori nostro legit, non Macharium. An vero Monachus nomen sit martyris, vel instituti hæreo; siquidem in martyrol. Antuerpiensi non Monachus, sed Mochius dicatur, quod valde ab aliorum codicum fide distare video; sacri enim pugiles Bysãtini in illo Africani sunt, & in duplici nominatim classe signantur. *vii. Idus Iunii. In Africa Pauli, Fortunati, Macari, Primosi, Accadi, Mochi. In Africa Victuri, Enasi, Priuatę, Ianuariæ, Donatæ, Spissinæ, Quirilli. Cæsareę Cappadociæ Luciani martyris.*

In Africa. In Vetustiori nostro, Antuerpiensi, & Corbeiensi martyrologiis sacri septem Africani pugiles sine vlla controuersia recensentur; totidemque esse vidit, qui ms. Reginæ Sueciæ compilauit. Singillatim eosdem quoque nominibus exprimit Notkerus.

In Cæsarea Cappadociæ. Idem Notkerus S. Lvcianũ Cæsariensem in Cappadocia martyrem initio laterculi veneratur: in fine Vetustius nostrum cum Corbeiensi, & Antuerpiensi. Meminit Ado, & ex eo Maurolycus. Romanum martyrol. cum Vsuardo de eo hac die prorsus silet. Rabanus sacros hodiernos fastos sub vnica S. Lvciani assertione hoc pacto describit. *vii. Idus. In Cæsarea Cappadociæ Natiuitas Luciani martyris.*

VI. Idus Iunij.

IN Aegypto Natalis Marciani. In Cesarea Palestine Natalis Cristis. In Ciuitate Doreſtoro Natalis S. Marci. In Nicomedia Natalis Sancti Victici. Nestoris. Carolapis, & Marine. In Sardinia Natalis Salustiani. Romæ Nabori. Nazari. In Cæsarea Dorostoli. Marciæ. Mutiane. Lvciani. Zotici. In Africa Ianuariæ. Donate. Spine. In Nicomedia Eustuli Episcopi. *In Gall. Sessionis Ciuitate depositio S. Medardi Episcopi.*

Plures

IVNII 8.

PLures in huius diei albo repositi sancti martyres in latinorum editis martyrologiis desiderantur. Notkerus tamen plurimùm consentit, dum plures varijs in locis veneratos recenset cum Vetustiori nostro, Corbeiense, & Antuerpiense MM. quæ de more proferimus. Antuerpiense. *vi. Idus Iunii. In Ægypto Marciani, Cessarea Palestina Natalis Euristis. Dorostoro Ciuitate Natalis Sancti Marci. Nicomedia Vitici, Nestoris, Cari, Lampitis, & Marcina, Actaci. Sardinia. Salustiani. Romæ Nabori, & Nazari. Cessarea Cappodociæ Dorostoli, Cresti, Marcia, Muciani, Helij, Luciani, Zotici. In Africa Ianuariæ, Muci, Donata, Spisinna. Nicomedia Eustoli Episcopi. Gallia Sessionis Ciuitate Medardi Episcopi.* Corbeiense vero, nonnihil vberius sacras tabulas implet. *vi. Idus Iunii. In Ægypto Natalis Martiani, Iocundi. In Cæsarea Palestina Natalis Eristi. In Ciuitate Dorostero Natalis Sancti Marci, Lucij. In Nicomedia natalis Vitici, Nestori, Carolapidis, & Marina, Foci. In Sardinia Natalis Sancti Salustiani, Siluanini. In Cæsaria Dorostoli, Martia, Mutiane, Heliane, Luciani, Zotici. In Africa Ianuariæ, Donatæ, Spesinæ, Iulii. In Nicomedia Eustili Episcopi. In Gallia Ciuitate Suessionis depositio Sancti Medardi Episcopi, & Confessoris. Rotomago Ciuitate depositio S. Geldardi Episcopi, & Confessoris.* Ad Ægyptios martyres Iocundum, Marciano, siue Martiano socium addit M. Corbeiense, quem aliis præteritum video.

In Cæsarea Palestinæ. Christem, seu potius Euristē martyrē Cæsariensē Palestinū, in his quos retulit Eusebius Cæsariensis proprio libro numeratū non inuenio; meminit tamen ms. Reginæ Sueciæ 6. *Idus Iunii. Cæsarea Palestina Nat. S. Chresti.* Eristium vocat martyrol. Corbeiense. Christū maluit dicere Notkerus. Tam multiplex in vno nomine varietas.

In Ciuitate Dorostoro. Alii malunt dicere Durostolon Vrbem Mysiæ inferioris, quæ nunc pagus est Bulgariæ. Dorostorus Ammiano etiam dicitur, vt alibi adnotauimus. In hac Vrbe S. Marcus, vel agonem compleuit, vel natus, vel veneratus fuit. Nec aliam illi lucem addere possumus, quam Lucium Comitem illi à martyrol. Corbeiense adiunctum. Solitarium tamen hac die Marcum referunt in Dorostoris Ciuitate martyrol. Antuerpiense, & cum Notkero ms. Reginæ Sueciæ. *In Dorostoro natale S. Marci.*

In Nicomedia. Non nisi tres Nicomedienses martyres refert Notkerus Eutichium, Nestorem, & Marinam. Viticium pro Euticio retinent codices nostri cum Corbeiensi, & Antuerpiensi martyrologijs. Illud addit Focium, & pro Carolape Carolapidem profert. Antuerpiense vero in duo nomina diuidit Carum, & Lampitem, pro Marina Marcinam, & pro Focio Acaicium reddit. Vnde in codicibus nostris postremus desideratur.

In Sardinia. Pro Salustiano Iustinianum in Sardinia habet Maurolycus. Sed Salustianum reddit Vsuardus, & R. martyrologium, in quo Confessor dicitur, sicuti apud Galesinium. In omnibus tamen quibus innitimur mss. libris nulla ab aliis martyribus differentia signatur. Inter martyres sub Hadriano coronatos Salustianum etiā numerat Saluator Vitalis in Additionibus ad Annales Sardiniæ p. 46. vti confessorem, & patria Calaritanum agnoscunt ad hanc diem Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ex Fara, & Dimas, & ad calcem lib. 3. de sanctis Sardiniæ Ioannes Arca. M. Corbeiēse addit Salustiano socium Saluianianum, Sardiniæ, quos viderim, scriptoribus ignotū.

Romæ Nabori, & Nazarii. In Corbeiensi martyrol. Romani pugiles Nabor, & Nazarius prætermittuntur. Rabanus

nus Naborem ita Confessorem dicit post S. Medardi memoriam. *S. Naboris Confessoris*. Vtrumq. tamen cum nostro, hac etiam die veneratur M. Antuerpiēse, quinimò ms. Reginæ Succiæ præcipuum in Vrbe celebritatis locum ita designat 6. Idus. *Romæ Via Aurelia natalis S. Naboris, & Nazarij*. De SS. hisce militibus sub Aurelio Præfecto martyrio coronatis agit martyrologium Romanum cum Beda, Vsuardo, & Adone infra die 12. Iunij, vbi doctissimus Baronius diuersos hos esse animaduertit à Nabore, & Nazario Mediolanensibus. Via Aurelia coronatos cum alijs socijs infra adnotabimus, tum iiij. tum ij., tum ij. Idus Iunij.

In Cæsarea Doroſtoli. Quod Vrbis nomen supra est, hìc martyris esse dignoscimus. Quæ nam Cæsarea ex multis intelligi debeat silent codices nostri, & M. Corbeiēse. Distinguit tamen Antuerpiēse in quo expresè *Cæsarea Cappodociæ* legitur, & vno amplius martyre Cresto ditatur. Heliana, quę supra nostrum abundat in Corbeiensi, Helius est in Antuerpiensi. An Crestus in hoc libro addatur errore antiquarij pro eo, qui supra in Cæsareæ Palestinæ recolitur, non esset mihi facile distinguere; nisi nomen, vt diximus, Palestini martyris varium prostaret in pluribus codicibus; Euristus enim non Crestus dicitur in eodem Antuerpiense, vt diuersum esse suadeat.

In Africa. An ijdem martyres sint, cũ ijs, qui superiori die venerantur, ansam præbet dubitandi M. Antuerpiense; adducit quippe Ianuariam, Mucium, Donatum, & Spisinnam, nulla alia differentia, nisi quod illic alios plures socios addit, & pro Mucio Mochiũ refert. Iulium pro Mucio reddit M. Corbeiense, & Vetustius nostrum, in postremo pugile Mucio, vel Iulio deficiens, Spinam pro Spesinna retinet. Eosdem suaderet etiam esse Notkerus, dum eorum memoriã hac die non repetit; potuerunt enim cum integro choro superiori die numerari, qui seiunctim deinde agonem præsenti die compleuerint.

Nicomediæ. S. Episcopus Eustulus diuerso, vel anno, vel certamine ab alijs iam adductis Nicomediensibus martyribus separatim in nostris libris Antuerpiensi, ac Corbeiense MM. signatur, dum in alijs editis Hagiologijs præteritum obseruo.

In Gallia Sessione. Mendum librarij est pro Suessore. De S. Medardo cum Romano martyrologio agunt latini omnes, & de eo plura cumulat Baronius, tum in notationibus, tum in Annalibus T. 7. ad annum 517. & 564. Suessone recolitur, qui primum Episcopus fuit Viromãdensis, & post illius Vrbis à Barbaris excidium Nouiomensis cathedrę institutor, deinde Tornacensi, vel inuitus custos effectus, post felicem obitum, Suessonem Clotarij Regis opera sepeliendus defertur. Vitam eleganti stylo Fortunatus Presbyter, ab alijs etiã adauctam scripsit quæ apud Surium extat T. 6. postremæ editionis, penes quem legitur etiam carmen Audoeni Archiepiscopi Rhotomagensis de SS. Medardo, & Gildardo eius fratre Episcopo Rothomagensi. Ex his hausit Saussayus, qui ad hanc diem gesta S. Medardi prosequitur. Meminit etiam Hagiologium Franco Galliæ Lebnei, & vitam strictim habet etiam Petrus de Natal. lib. 5. cap. 97. qui diem hunc felicis obitus fuisse testatur. Pro Suessonense Episcopo Sanctum Medardum non agnoscunt Sammarthani in Gallia Christiana, sed Nouiomensem, & Tornacensem. Apud Suessonem vrbem sepultum refert Gregor. Turonensis lib. 4. cap. 19.

In

V. Idus Iunij.

IN Alexandria Maximi Presbyteri. Diomedis. Amandi. Modiani. Alexandri. Ianuari. Romæ mil. xv. *Et in Gallia Popeiae*. Primi, & Feliciani.

IVNII 9.

SAnctos martyres Primum, & Felicianum, quos initio hodierni syllabi proferunt M. Romanum, Rabanus, & cum eo Notkerus, qui vel ex ipso, vel Viennensi Adone, omnia ferè in Hagiologium suum transtulit, Vsuardus, Beda, & alij latini in postremũ locum seponunt codices nostri, à Gallico antiquario interpolati. Initio tamen ita veneratur M. Antuerpiense. *v. Idus. Romæ Primi, & Feliciani. In Alexandria Maximi Presbyteri. In Nicea Ciuitate Diomedis, Amantij, Mutiani, Alexandri.* In ordine magis cum nostris conuenit, & ab Antuerpiensi magis hoc pacto dissidet, M. Corbeiense. *V. Idus Iunij. In Alexandria Maximi presbyteri, Diomedij, Amantij, Muciani, Alexandri, Ianuari. Romæ militum tredecim. In Gallia Pompeiaci, passio Sancti Vincentij martyris. Nomentana Ciuitate passio Sanctorum Primi, & Feliciani martyrum.* Nostrorum nos codicum ordinem sequimur, quamvis hìc depravatos agnoscamus, de more nonnulla adnotantes.

In Alexandria. Non nisi Maximum præsbyterum Alexandriæ tribuit martyrol. Antuerpiense. Notkerus, qui sæpè nobis facem præfert de Maximo, alijsque connexis martyribus silet. Vetustissimũ quapropter illud, in distinguendis locis sẽper magis accuratũ, & ms. Reginæ Sueciæ sequenda esse duximus, in quibus Diomedes cum alijs tribus, vel iiij. non Alexandriæ, sed Niceæ Vrbi disertè tribuitur prætermisso Ianuario, tam in libris nostris, quam in Corbeiẽsi memorato: idque libentius, quòd integrè etiã *Nicea* Maurolycus. *Diomedij Amarãthi, Mutiani, & Ianuarii martyrum* memoriam nono hoc die recolat, & Galesinius pariter Niceæ in Bythinia eosdem martyres reponat. Fragmentum ms. Reginæ Sueciæ de more instauramus. *Alexãdriæ nàtalis S. Maximi presbyteri. In Nicea Ciuitate Nat. Sancti Diomedis cum aliis iv.*

Romæ. Breuiatum nomen *Mĩl.* in binis codicibus nostris dubium reddit animũ, an legendum sit milites xv., vel milliario xv. Milites quindecim in Vetustiori martyrologio Notkerus, ita vidit, & retinuit. *Item Romæ militum quindecim, & Milites.* xiij. agnoscit pariter martyrol. Corbeiense. In hoc cum memoria S. Vincentij Galliæ martyris ante Primũ, & Felicianum interponatur, emergit hæsitatio, ne apud Adonem, & Notkerum Sanctorum martyrum Primi, & Feliciani Romæ longius adnotata certamina indicentur. Et si enim in Romano martyrol. Bedę, Vsuardi, & aliorum recentiorum instauretur memoria, apud illos tamen narratur ex vrbe Roma ductos esse ad passionem in viam Numentanam miliario iij. & de sepultura eorum additur, *sepulti sunt ad arcus Nomẽtanos intra Arenarium v. Idus Iunij ab vrbe Romana miliario xiii.* Facilis vtique lapsus fuisset antiquarij nostri ex numero xiij. in xv. Ferrarius in Geographico lexico Nomentanum, vulgò Lamentana distinguit à Nomento Vrbe, illum pagum Sabinorum esse adstruens, ab vrbe Roma duodecim millia passuum dissitum: hãc vero ciuitatem excisam supra Tibur ad decẽ milliaria, & ab Vrbe Roma distantẽ milliaria 26. At plures scriptores Vetusti à

Cluuerio adducti lib.2.Ital. antiquæ c.9. & Tabulæ itinerariæ non niſi xiiij. milia paſſum ex Vrbe ad Nomentum via Nomentana ſignāt. Nomentanum quidem opidum nō longe ab Vrbe Roma ſtatuit Stephani Epitomator. Nomentanū agrū decimo ab Vrbe lapide pingit Plinius lib.14. cap.4. Regino inter Romam, & Nomentum non niſi xij. milliaria conſtituit, quæ potius xiii. eſſe Cluuerius teſtatur. Opidulum tamen vocat Nomentum, Strabo lib.5. vt mirandū ſit ſub Diocletiano non modo Promotum Præſidē ciuitatis Nomentanæ fuiſſe, ſed in ea etiā Amphiteatrum fuiſſe ad munera beſtiarum quemadmodum apud Adonem, & Notkerum legitur. Niſi potius dicendum ſit Romam ab eodē Præſide ſanctos martyres miſſos eſſe ad beſtias, & iterum in Nomentanis carceribus retruſos gladio peremptos fuiſſe. Sed Aphiteatrum ad forum vrbis Nomentanæ fuiſſe, & ex vicinis vrbibus ad ſpectaculum plures cōfluxiſſe narrant Acta nonnihil diffuſiora apud Surium T. 6. & extra Amphiteatrum à beſtijs illeſos ſacros martyres gladio truncatis ceruicibus agonem cōpleuiſſe docent. In iiſdem etiam legitur Nomentanam Vrbem eſſe xiii. milliario à Romana. Et cœmeteriū ibidem SS. Primi, & Feliciani extitiſſe xiiii. milliario, notat Aringhius lib.4. Rom.ſubt. cap.23. ex variis mſ. codicibus: ex quibus etiam poſt ſilentem tyrannorum procellam conſtructam fuiſſe in eodem loco Eccleſiam educit *ab Vrbe Roma milliario quarto decimo*. Idem etiam teſtatur vetuſtum Hagiologium noſtrum eum editis Actis, & mſs. fragmentis ab Aringhio adductis conſonans. Translata hinc eorundem SS. Martyrum corpora ad S. Stephani Eccleſiā in Cœlio monte à Theodoro Pontifice, qui ſedit ab anno 640. ad 647. narrat liber Pontificalis. Vnde Ado, Notkerus, & reliqui latini qui eos recolunt Romæ in Cœlio monte cū alijs non pugnant, qui *Via Nomentana* coſdē repoſuerunt, vt mſ. Reginæ Sueciæ. Alios huius nominis ſacros athletas notat ocu. latiſſimus Baronius ex Actis S. Fidei memoratos apud Surium 6. die Octobris. Vnde difficultas quam tanti fecit ad hāc diem Ferrarius, de multiplici eorundem corporum in variis locis veneratione facile tollitur. De S. Primo in Inſubriam translato videatur Bonauentura Caſſillionæus lib. de antiq. Inſubrium ſedibus Italiæ illuſtratæ p.373. qui inſcriptionem affert S. Primi in oppidum Luuini prope lacum Verbanum ſub Sergio PP. Iuniore translati.

In Gallia Popeię. Pompeiaco aptius legit martyrol. Corbeienſe, & adhuc diſtinctius Notkerus. *In Galliis Ciuitate Agenno loco Pompeiaco paſſio S. Vincentii Leuitæ, & martyris*. Cœtera cupientes ad Gregorium Turonenſem de Gloria martyrum ablegat cap. 105. & Hiſtoriæ lib.7. cap.35. De S. martyre Aginnenſi Vincentio agit martyrol. Romanum cum cœteris latinis, mſ. Reginę Sueciæ, & M. Corbeienſe Epiſcopum Agenni Nitiobrogum in Aquitania ſecunda. S. Vincentium refert Sauſſayus poſt S. Capraſium primum illius ſedis Antiſtitem, & agonem eius paucis deſcribit. At minus illud Sammarthanis arridet, qui in S. Capraſij elogio inter Epiſcopos Aginnenſes primi, plura de S. Vincentio cumulāt, & cuius ibi celeberrimum feſtum recoli teſtantur die 9. Iunii. Leuitam pariter eſſe tantum affirmat non Epiſcopum mſ. martyrologiū S. Sabini de Leuitania ab eodem Sauſſayo in fine per fragmenta adducto vbi legitur die 6. *Aginno Pompeiaco paſſio S. Vincentii martyris, qui Leuitæ ſtolæ candore.... pro amore Chriſti martyrium adeptus magnis ſæpiſſimè virtutibus fulget*. cuius *poſt longo tempore..... translatum*. Corrigendi ſunt ergo, & ſupplendi codices noſtri, & legendū *In Gallia Pompeiaco S. Vincentii martyris*. Quod tamen Gallici antiquarii eſſe additamentum interpolatum agnoſco, in M. Antuerpienſe præteritū. Elegans carmen ſcripſit de hoc S. Vincentio Fortunatus lib.1. vbi videndæ ſunt eruditæ obſeruationes P. Brouueri.

Romæ

IIII. Idus Iunij.

ROmæ mil.... Basilidis. Auriſi. Rogati. Ianuarij. Caſſiani. Victori. Martini, & aliorum xx. In Hiſpanijs Criſpoli. In Nicomedia Natalis Sancti Zachariæ. In Autiſioduro depoſitio Cenſuri Epiſcopi.

IVNII 10.

TRequẽs martyrum Carnificina, & eiuſdem nominis ſine alia additione frequẽtiſſimus vſus ancipitem in antiquis monumentis non ſemel me reddidit. Hìc etiam fluctuo, an Baſilides, qui Romæ Via Aurelia cum ſocijs à R. martyrologio indicatur is ſit, qui cum Nabore, & Nazario Romæ itidem agonem compleuit, quorum memoriam in Vetuſtiori noſtro egimus 6. Idus Iunij. Si Petri de Natalibus Acta ſequamur lib. 5. cap. 103. eſſent hi martyres Aurelianenſes, vel potius Confeſſores, nempe Baſilides, Tripodes, & Mandales; quos ex Oriente in Italiam transfretaſſe narratur, & diuina ope implorata *ad portũ Ciuitatis Aureliæ, quę eſt in finibus Italię*, peruenìſſe, ac ibi vigente Aureliani perſecutione orantes in litore animã efflauiſſe. In Territorio Romano in Etruria, & via Aurelia oppidum fuiſſe Aureliæ nomine teſtatur Ferrarius. Aureliam vocat partem Tuſciæ verſus Circiũ Paulus Diaconus 2. Hiſt. long. 16. & Aurelij, agri meminit Rutilius, vbi Ioſephus Caſtalio maluit legere Aurelium Aggerẽ. Forum Aureliani ab eodem in Oſtienſe mare fundatum, vbi poſtea Pretorium publicum conſtitutum fuit, Vopiſcus in vita Aureliani Imperatoris docet, & locum eundem eſſe vbi primùm Æneas Caſtra poſuit ex Dyoniſio exiſtimat Cluuerius lib. 3. p. 882. Sed Forum Aurelij, cuius meminerunt Tabulæ, Itinerariæ apud cũdem Cluuerium lib. 2. p. 481. & fragmentum Antonini, proprius videtur accedere ad Ciuitatem Aureliam, nõ lõgeà Centũ Cellas, ſeu Ciuitate veteri. Hæc vrbs Aurelia, ſiue forum Aurelij, vbicũq; fuerit in territorio Romano, & ſicut vero proximius eſt, via Aurelia ad inferum mare, non male in R. martyrol. diceretur, & benè ſcriptum eſſet SS. illos martyres Romæ via Aurelia veneratos. Moris enim fuit etiam martyres in Romanis vijs, per plura miliaria ab vrbe diſtantibus, coronatos Romæ tribuere. Ita etiam Notkerus habet, qui varia in varijs codicibus perlegens, & corruptos libros vetuſtiori ſuo æuo cognoſcens ita hos martyres commemorat, *vi. Idus Iunij. Romæ Via Aurelia Miliario xiij. nat. S. Baſilidis martyris, Tripodis, & Mandalis ſub Aureliano Imperatore Præſide Platone, & aliorum xx. martyrũ. Pro Tripode tamen, & Mandale in quibuſdam codicibus in Tripoli Magdaletis ſcriptum reperitur*. Prima verba Notkerus ex Adone accepit, vel Vſuardo, non quidem ex Beda qui 4. Idus Iunij Baſilidem ſocium Cyrini Naboris, & Nazarij ita recolit. *Romæ via Aurelia milliario xiii. Sanctorum Baſilidis Cyrini Naboris, & Nazarii*. Mſ. Reginæ Sueciæ ſub Baſilide Anteſignano collectim plures martyres ita refert. *Item Romę Via Aurelia milliario xii. Natalis SS. Baſilidis cum aliis xxviii.* Hoc quidem magis cũ codicibus noſtris conſonat, in quibus Romæ milliario.... cum Baſilide ſex martyres nominatim diſtinguit, & xx. anonymos addit. Totidem ita numerat Corbeienſe M. licet anonymorum numerum nõ proferat. *iv. Idus Iunii. Romæ Natalis Baſilidis, Auris, Rogati, Ianuarii, Caſſiani, Victuri, Martini, & aliorum. In*

Hiſpaniis Criſpoli. In Nicomedia Natalis Sancti Zacheriæ martyris. Autiſiodoro depoſitio Cenſuri Epiſcopi. Dauallum addit martyrol. Antuerpienſe; quod ita cum xx. anonymis numerum xxviij. in mſ. Reginæ Sueciæ expreſſum implet. *iiii. Idus Iunii. Romæ Baſilidis, Araſi, Rogati, Iannari, Caſſiani, Victuri, Martini, Daualli, & aliorum xx. In Spanis Criſpoli. Nicomedia Natalis Zachariæ. Autiſiodoro Cenſuri Epiſcopi.* Araſium pro Auraſio, ſiue Aris exibet martyrol. illud nulla in reliquis differentia. Hos ſacros agoniſtas ſub duce Baſilide recenſitos diuerſos eſſe ab his, qui in R. martyrologio cum Tripode, & Mandalo venerantur facile exiſtimo, tum diuerſorum ſociorum ratione, tum quòd illi martyres, non fuerint, niſi voto, & expreſsè Confeſſores, ſi Actis fides habenda ſit; neque etiam Baſilidem ſocium eſſe Nazarij, & Naboris admicterem, vt Beda editus habet, quod ijdem apud ipſum Bedam iterum recolantur pridie Idus. Verum neq; Romani ſunt poſt Baſilidem ſacri adducti pugiles, ſed Afri, vt Rabanus ita diſtinguit, *iv. Idus. In Africa Arelii, Rogati, & aliorum xii.* Quapropter vereri etiam licet, ne perperam xx. martyres Anonymi in choro Baſilidis, Tripodis, & Mandalis miſceantur, cum in Actis apud Petrum de Natalibus nulla anonymorũ martyrum memoria extet. Et quãquam martyrologio Romano non aduerſantia diuerſa Acta ſequatur Ferrarius, ex mſ. codice S. Mariæ Maioris, & in his de Aurelia vrbe, & reditu ex Oriente Baſilidis, deque eiuſdem non itineris, ſed carceris ſocijs, Tripode, & Mandale nõ diſſimilia narrentur, & martyrio ſimul coronatos via Aurelia 4. Idus Iunij ſub Platone vrbis Præfecto addatur; ſocij tamen xx. martyres Anonymi non indicãtur, & apud Rabanum corruptis numeralibus notis non xii. ſed xx. ſunt anonymi Africani, non Baſilidis ſocij.

In Hiſpaniis, S. Criſpolum in Hiſpania martyrem eodem modo indicat præſenti die Vetuſtius noſtrum, Antuerpienſe, & Corbeienſe MM. Reliqua ignorare me fateor. Diuerſum hunc eſſe à S. Criſpolo poſtridie memorato exiſtimarem. De eo tamen ità Rabanus hoc ipſo die *In Hiſpanis Criſpoli, Reſtituti.*

Nicomediæ. Omnia cum Romano latinorum martyrologia S. Zachariam hodie venerantur. Conſentiunt mſs. iam adducta, & liber Reginæ Sueciæ. *Nicomediæ natalis S. Zachariæ*, quæ verba etiã Rabani ſunt.

In Autiſſiodoro. S. Cenſurium, vel Céſorium Epiſcopum, & Confeſſorem habet etiam martyrol. Romanum cum Beda, Rabano, Vſuardo, & alijs. De eo aliqua retegit Baronius T. 5. ad annum 429. nu. 45. & in Notationibus. Meminerunt Notkerus, & Hagiologiũ Franco Galliæ ex vetuſtis. Quibus adnumerari poteſt Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorẽſium cap. 10. obitum eius deſignans 4. Idus Iunij. De eo pluries agit Hericius Monachus de miraculis S. Germani, & præcipuè cap. 15. Decimum inter Epiſcopos Autiſiodorenſes referunt Sammarthani, & à ſæculo migraſſe ſcribunt 4. Idus Iunij. Cenſorium appellat Sidonius lib. 6. ep. 10. Cæſarium vocat Maurolycus. Sed antiquarii Gallici additamentum hic agnoſcimus.

III. Idus Iunij.

ROmæ Natalis S. Baſillæ. Sanctorum Criſpoli. Reſtituti, & translatio Corporis Fortunati Epiſcopi, & martyris. In Aquileia Emerit. Acreti. Victoriani. Victoris, & Sanctorum Naboris, & Felicis.

IVNII 11.

PRo Basilla Asellam Romæ via Salaria indicat ms. Reginæ Sueciæ. *iij. Idus Romę Via Salaria natalis S. Asellæ, & via Nomentana natalis SS. Restituti, Crispoli. Aquileię Emeriti cum alijs iij.* Sed Basillam habet Auctarium Adonis. *Romæ Natalis SS. Basillæ, & Basilissæ, & SS. Crispoli, & Restituti*. Basillam Romæ via Salaria aliqua martyrologia notant die 20. Maij, vt ibi diximus, an eadem Basilla sit difficile est asserere. x. Kal. Octobris Basillam via Salaria recolit fragmentum antiquissimi martyrologij apud Bucherium ad Victorij canonem p. 269. in quo cum tempus martyrij adnotetur, *Diocletiano ix. & Maximiano viii. Coss.* secundo nempe persecutionis anno, nequit accomodari alteri Basillæ, quæ nomen dedit cœmeterio Hermetis via Salaria, & sub Valeriano, & Gallieno coronata fuit xij. Kal. Iunij, quinquaginta ferè annis ante Basillam tempore Diocletiani iuniorem. Vnde duas saltem Romæ martyres Basillæ nomine fuisse constaret. Cœmeterium Basillæ erat via Salaria veteri versus Pontem Miluium, in quo sepulti fuerunt SS. martyres Protus, & Hiacinthus, vt in Rom. martyrol. iij. Idus Septembris. Basilissa, neque in Vetustioris nostri binis libris, neque in martyrol. Corbeiensi, aut Antuerpiensi hac die memoratur; Alter enim ita scriptum reddit. *iii. Idus Iunii. Romę natalis S. Basillæ, & SS. Crispoli, Restituti. & alibi translatio corporis Fortunati Episcopi. In Aquileia Emeriti, Acreti, Victoriani, Victoris.* Alter verũ Antuerpiense nonnihil vberius legit. *iii. Idus. Romæ natalis Basilæ. Item Romæ Crispoli, & Restituti. Translatio in Aquileia Fortunati Episcopi. Item in Aquileia Emeriti, Ereti, Victuriani, Victoris. Et alibi Naboris, & Felicis.*

SS. Crispuli. His quidem Romæ pariter martyres cum Basilla numerari debent; sed alterius classis, vt expressè docet adductum M. Corbeiense. Alius Restitutus videtur ab eo, quẽ via Aurelia veneratum vidimus ad diem 29. Maii; via enim Nomentana in ms. Reginæ Suecię reponitur cum Crispulo, qui ibi non memoratur: De his egit Rabanus pridie huius diei.

Translatio corporis Fortunati Epis. S. Fortunati Episcopi, & martyris translationem in Aquileia apertè intelligit M. Antuerpiense. Felicem, & Fortunatum fratres martyres hac eadẽ die Aquileiæ veneratur martyrol. Romanum cũ Beda, Vsuardo, Adone, & Notkero, & apud Ferrarium in Catalogo SS. Italiæ ad diẽ xiiij. Augusti. Sed hi non Episcopi dicuntur, sed tantum martyres, & eorum certamen describitur sub Diocletiano, & Maximiano consummatum hac die xi. Iunij, in quo ex adductis codicibus celebritas translationis, non palmæ apertè describitur. Apud Venantium Fortunatũ S. Fortunati Aquileiẽsis repetita memoria legitur, sed nihil de Episcopalib⁹ infulis dicitur. Vsuardus de S. Fortunato Archidiacono martyre socio S. Hermagorę Aquileiensis Episcopi agit iiij. Idus Iulij. Neque nobis aliud addere licuit: videãtur aliqua ad diem 14. Augusti.

Aquileiæ. Præter Felicem, & Fortunatum Aquileienses nullum ex editis martyrologijs alios quatuor martyres adnotare video, & tamen ms. Reginæ Sueciæ, M. Antuerpiẽse, Corbeiẽse, & nostrum, iam superius adducta in illis enumerandis concordant.

Naboris, & Felicis. Sacro Aquileiensiũ martyrũ choro Naborẽ, & Felicem addidissem, nisi M. Antuerpiense *alibi* illos venerari docuisset. Alium Naborem ex Felice socio putarẽ ab eo, quẽ cũ Nazario Romę celebrẽ diximus ad diẽ 8. Iunij, & in Rom. M. die sequenti, sicuti in alijs ms. recolitur. Mediolanenses Naborẽ, & Felicem Romanum idem martyrologiũ 4. Idus Iulij in memoriam reuocat.

Romæ

II. Idus Iunij.

ROmæ Aurcli. Baſeledis. Tripoli. Macidaletis. Zabini. Aurili. Donatellę. Secunde,

IVNII 12.

NOn minimum inter ſe diſtant manuſcripta, quibus noſtrum Vetuſtius roboramus. Antuerpiẽſe martyrol. ſacram hodiernam nomenclaturã hoc ordine refert. *Pridie Idus Iunii. Tripoli Magdaletis. Romæ Baſilis, Diſtri, Polimatici, Zebuli, Aureli, Donatellæ, Secundæ.* Inverſo ordine martyrol. Corbeienſe primos martyres Romæ tribuit, & fortaſſe omnes, ſi *Tripoli* nomen martyris eſſet. *Pridie Idus Iunÿ. Romę natalis Aurili, Lvci, militum v. Cyrini, Naboris, & Nazarÿ. Tripoli Macidaleſis Zaboni, Aurili, Donatellę, Secundę.* Tripoli nomen eſſe vrbis omnino videtur in M. Antuerpienſi, cui martyr Magdaletes tantum aſſignatur, licet in mſ. Reginæ Sueciæ alij eidem vrbi tribuantur; illi nẽpe qui eidem Antuerpienſi Romani cælites ſunt. Magdaletes, ſiue Macidaletes deficit in mſ. illo, ad cuius latercŭli finẽ ita ſcribitur. *Tripoli. Natalis SS. Zabini, Aurelię, Donatellæ, Secundæ cum aliis iv.* Cõſonat tamen cum Romano M., quod Romæ via Aurelia memoriam redintegrat Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij, nihil aliud addens præter quam quod horum martyrum cœmeterium, vel Baſilicam eſſe via Aurelia *milliario viii.* Qui verò ſint anonymi iiij. ab eodem mſ. memorati in tanta librorum diſſonantia affirmare diffiteor, ſicuti an Tripolis ſit, quæ Syriæ dicitur, vel quæ Barbarię recentioribus, hoc eſt vel vrbs Phœniciæ emporium, vel Africę litoralis apud Syrtim. Magdaletem Tripoli in aliquibus vetuſtis martyrologiis aſcriptũ iam vidimus, vt in Notkero ad diem huius menſis x. Cyrinum vero Romę hac die idem Notkerus aſſignat. Sed dum ſub Claudio ſecundo abſciſſo capite, & in Tyberim proiecto coronatum, ac in Lycaonia Inſula ſepultum docet, fatetur ſe ignorare quomodo inde Romam fuerit aſportatus, deceptus nomine Lycaoniæ inſulæ Tyberinæ, quam marittimam, & longinquam putauit. Conſonat etiam cum martyrol. Corbeienſi in memoria Romanorum martyrum Naboris, & Nazari in Galliam translatorum. Baſilidis ille non meminit, ſicuti neq. M. Corbeiẽſe, cum tamen Vetuſtius noſtrum, & Antuerpienſe illum recenſeant. Natalem S. Baſilidis inſtaurat hac die vetus Calẽdarium Fronti. Addunt alij codices SS. Cyrinum, Naborem, & Nazarium. Mſ. S. Genouefæ Pariſinum, & alius Vſuardus editus Pariſijs 1536. habẽt *Mediolani S. Nazarÿ Martyris*, quibus conſentit Notkerus. Antiphonarius Paſchalij refert natalem S. Baſilidis martyris, & eadem die Natalem SS. Cyrini Naboris, & Nazarij, an Romæ, an Mediolani non exprimit. In Sacramentario Gregorij editionis Menardi p. 106. *Pridie Idus Iunii nat. SS. Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii*, qui in orationibus ſemper repetũtur. Romanos hos eſſe martyres non dubito, & Notkero, Petro de Natalibus c. 109. Maurolyco, alijſque aſſentior, dum interim etiam Mediolani S. Nazarium recoli hac die non negauerim. Mediolanenſis Nazarius Romanus fuit, vnde nil mirum aliquando ſimul confundi: alterius Nazari, & Celſi Ebredunenſiũ meminit hac die Ado. Videnda hìc eſt diſſertatio Nazariana Petri Puricelli ſolidæ eruditionis, & nobis dum adviueret amiciſſimi viri, pœnes quem de varijs in Eccleſia S. martyris Nazarij celebritatibus diſſe-

ritur

ritur, præsertim c.58. An sub Aurelij nomine in Vetustiori nostro ante Basilidem numerati, error irrepserit, suspicari posset pro *Via Aurelia*; sed cum in omnibus codicibus, martyribus Romanis Aurelius, siue Aurilius societur, nihil mutandum duxi, & Tripoli cum nostro, Corbeiense, & M. Reginæ Sueciæ post Magdaletem, vel Macidaletem reliquos tribuendos esse putarem. De varijs horũ Sanctorum translationibus audiendus hic est Rabanus qui eas ita ab obliuione redemit. 11. *Idus Romæ Via Aurelia milliario v. passio Martyris Cyrini, Naboris, & Nazarij quorum Naborem, & Nazarium simul cum Gorgone martyre transtulit à Roma in Galliã Hruoegangus Metensis Episcopus permittente Paulo Papa Romano anno D. Incarnationis DCCLXV. & collocauit prædictus Episcopus S. Gorgonem in Monasterio quod dicitur Gorgia. Sanctum vero Naborem in Monasterio alio, quod dicitur Nouacella. Sanctũ quoq. Nazarium in Monasterio, quod dicitur Laurescha, vbi signa, & miracula in sanitate infirmorum, & debilium sapius fiunt.* Quæ de reliquijs non de integris corporibus acciperem, quemadmodum de alijs translationibus, quorum in operibus suis Rabanus meminit idem esse accipiendum existimarem.

Idus Iunij.

IN Africa Lvciani. Fortunati. Crescentiani, & Teclæ. In Persida Natalis Sancti Bartholomęi Apostoli. Romæ Feliculi.

IVNII 13.

FOrtunatum, & Lvcianum in Africa Beatos martyres veneratur etiam hac die Romanũ M. cum Rabano, Beda, mss. veteribus à Baronio indicatis, & Petro de Natalibus lib. 11. nu. 170. Galesinius ex Beda pariter, & mss. memoriam renouat. Maurolycus addit Crescẽtianum, ex quo Molanus in Addit. Mſ. verò Reginæ Sueciæ Crescẽtianũ, & Theclã reddidit, quẽadmodum hac serie M. Antuerpiense. *Idus. In Africa Luciani, Furtunati, Crescentiani, Teclę. In Persida* (lacunæ spacium hic adest in laminis) *Romæ Felicula.* Hiatus suppleri potest ex vberiori M. Corbeiense. *Idus Iunii. In Africa Luciani, Fortunati, Crescentiani, & Tecla Virginis. In Persida Natalis S. Bartolomei Apostoli. Romę milliario septimo Felicili, Ianuarii, Siluani.* Virginitatis titulum in S. Tecla Afra hũic M. debemus, neque enim in Antuerpiẽsi, & Vetustiori nostro id exprimitur.

In Persida. Translationem ab India reliquiarum S. Bartolomei in Liparam insulam refert hac die Maurolycus. Infines Persidas ad Vrbem Daras antiquitus sacra Bartholomei Lipsana translata fuisse docet Theodorus Lector lib. 2. Collectan. & Nicephorus lib. 16. cap. 37. Tu vide quæ diximus ad Indiculum Apostolorum. Die xi. superiori Bartholomei, & Barnabæ Apostolorum memoriã agunt Græci in Menologio.

Romę Feliculi. Feliculum, non Feliculam minimo errore retinent libri nostri, & Corbeiensis. Feliculam aptius martyrol. Antuerpiense, cui reliqua latinorum martyrologia consonant. Eius quæ collactanea S. Petronillæ dicitur, Acta producit per compendia Petrus de Natalibus lib. 5. c. 112. Diffusius nonnihil Rabanus, & Ado, qui sepultam à Nicomede presbytero via Ardeatina milliario vij. testãtur. Sunt etiam Acta apud Su-

rium

rium T.5. in Hist. SS.Nerei, & Achillei, quæ prælibat martyrol. Romanum. Ianuarius, & Siluanus, quos addit martyrol. Corbeiense, seiunctos à Felicula, martyres esse, eadem fortasse via, & Cassella Nicomedi sepultos credere par est, cum in eiusdem sanctæ martyris Actis nõ memorentur, neq; apud Surium, neque in Hagiologio Vetusto nostro, in quo seorsim Acta S.Petronillæ prostant. De S. Felicula meminit sequenti die Calendarium Vetustum Fronti, qui animaduertit mendum fortasse irrepsisse in numero, & legendum die xiij.

XVIII. Kal. Iunij.

IN Pagacia Ciuitate Natalis S. Antoni. Afre. In Africa Quintiani. Theuduli. Festiue. Cantianellæ. In Aquileia Natalis S. Proti. *In Ciuitate Aurelianis Translatio Corporis S. Aniani Episcopi, & Confessoris. Sessionis ciuitate passio Sanctorum Valeri, & Rufini Martiris.*

IVNII 15.

NOminum similitudo minus scitos antiquarios confudit. Ita in nostris libris, & Corbeiensi eueniisse vereor; magis enim accuratum alibi M. Antuerpiense agnosco, ac proinde magis hic sequendum. *xviii. Kal. Iulii. In Frigia Lauda Antheonis. Et in Epheso Miggenis, Galliani, Iuuini, & in Africa Quintiani, Tecla, Theodoli, & Festiue. In Specia Antoni, Afræ, Cantianellę. In Aquileia Proti. Ciuitate Aureliani translatio S. Aniani Episcopi. Sessionis ciuitate passio Valeri, Rufini.* Breuiato nomini *lauda* facem præfert ms. Reginæ Sueciæ, legit enim *xviii. Kal. In Phrygia Ciuitate Laodicea Natalis S. Antiuni, & Afræ. In Africa nat. SS. Quintini, Theodoli, cum aliis duobus. Aquileiæ natalis S. Proti.* Mirum quam hic Antiquarius nostrorum codicum delusus sit. Legerat fortasse in Prototypo. In Phrygia Pacatiana Laodicea ciuitate, quæ illius regionis vrbs est, in qua Concilium Laodicenum peractum fuit, & amputatis alijs vocibus, Pagacia, vel in Pagia retinuit, & eundem esse Antonium cum Antheone existimans mire ea confudit, quæ in M. Antuerpiensi, non tamen sine aliquo næuo, aptius distinguntur. Pacatianæ Phrygiæ meminit Notitia Imperij Orietalis in Vicario Diocesæos Asianæ, vbi videnda sunt Commentaria Panciroli cap.25. Quamquam enim Laodicea Metropolis minoris eiusdem Phrigiæ, Nerone imperante terremotu quassata perierit, à locupletibus tamen ciuibus facile fuit restituta. In Paga quidem, siue Pagia ciuitate non Antonium, & Afram, sed Antigonum, & Afram, ita retinet martyrol. Corbeiense. *xviii. Kal. Iunias. In Pagia Ciuitate Natalis S. Antigoni, Afri. In Africa Quintiani, Theodoli, Festinę, Cancianillæ, & Canciani, In Aquileia nat. S. Proti, Iacinthi. Suessonis ciuitate passio SS. Valeri, & Rufini martyrum. In Ciuitate Aurelianis Translatio corporis S. Aniani Episcopi.* Pagia, siue Pagas Eusebio vrbs est Lyciæ non obscura in lib. de martyribus Palestinæ ca.4. vnde Amphianus martyr oriundus dicitur. Specia ignota mihi vrbs est in qua Antonius, & Afra M. Antuerpiensi memorãtur, nisi forte Sphecia sit Euboeæ ciuitas. In Phrigia enim Laodicena, seu Pacatiana Antheonem repoſuerat, quem simul cum Antonio, & Afra alij codices confuderunt, & Vrbem Pagam cum Pacatiana Prygia locum agonis, seu

vene-

venerationis fecerunt, tam Antheonis, quam Antonij,& Afræ.Cantianella,quæ noſtris codicibus, & Corbeienſi inter Africanos pugiles reponitur, eidem vrbi Speciæ, ſiue Spheciæ tribuitur.

In Africa. Quintinum pro Quintiano legit mſ. Reginæ Sueciæ, & Theodolum pro Theudolo, & cum duos anonymos tantùm ſignet Vetuſtioris noſtri numerum adequat. Cantianum quinto loco reddit M. Corbeienſe. Teclam pro Cantianella alterius loci martyrem habet M.Antuerpienſe, in quo, dum tres Epheſini martyres indicantur,æquè editis martyrologijs ignoti,ac Afreiani,mutilos eſſe codices noſtros, ac Corbeienſem conuincit.

In Aquileia Proti. Quamquam Petrus de Natalibus lib.5. cap. 7. in paſſione Cantij, Cantiani,& Cantianellæ doceat, Prothum Aquileienſem SS. martyrum præceptorem cum ijſdem capitalem ſententiam ſubijſſe, & eorum ſimul memoriã recoli, die 31. Maij,vt diximus, Prothum tamen ſeiunctim Aquileiæ commemorari hac die 14. Iunij ex Tabulis illius Eccleſiæ docet Ferrarius in Catalogo Generali. Iacinthus qui exuperat in M. Corbeienſe fortaſſe ab antiquario additus ex celebriori fama SS. Prothi, & Iacinti, qui alio tempore, & loco recoluntur nempe xi. Septembris.

In Ciuitate Aurelianis. Primam S.Anciani Epiſcopi Aurelianenſis translationem incidiſſe notat Sauſſayus in ſequentem dié 17. Cal. Iulij. Sed redarguitur, non modo ex adductis codicibus Antuerpienſi, Corbeienſi,& noſtris,ſed etiam ex Hagiologio FrancoGalliæ Lebbei, vbi xviij. Kal. legitur. *Aurelianis Ciuitate Translatiò corporis S.Antiani Epiſcopi & Confeſſoris, & liberatio ipſius Ciuitatis*. Quam liberationem in preſentem diem refuderat idem Sauſſayus in rebus geſtis S.Aniani. Hunc ſeptimum in ordine Aurelianenſium Epiſcoporum numerant Sammarthani, & quieuiſſe in Domino affirmant die 17. Nouembris an. 453.

Seſſionis Ciuit. Sueſſonis legendum eſſe ſupervacaneum eſt adnotare. Horum SS. Martyrum meminit idem Hagiologium nõ quidem in ipſa vrbe, ſed *in Territorio Sueſſonis ciuitatis SS. Martyrum Rufini, & Valerii*. Acta eorum per compendia refert Petrus de Natalibus lib. 5. cap.116. De ijſdem agunt Beda, Rabanus, Vſuardus, Ado,& cum R.martyrologio cæteri recentiores,Bellinus, Maurolycus, Galeſinius, &Sauſſayus.

XVII. Kal. Iunij.

IN Doroſtori Natalis S.Iſici. In Aquileia Cantiani. Potiti. Clementis, Cantiane. Conſtantinopoli Natalis Sanctorum Nuci. Migitiæ. Mingin. In Ciuitate Barbariæ Gaiani. Iouiani. Philippi. In Lvcana Natalis Niuiti. Candedi. Cantiani. Cantianelli. Proti. Griſogoni. Arteon. Quintiani. Theodoli. In Sicilia Natalis Sanctorum Viti. Modeſti, & Creſcentiani.

IVNII 15.

DE Doroſtoro Vrbe Myſiæ inferioris, ſeu Bulgariæ alias dictum eſt. Huius ciuitatis Iſicium martyrem, Iſichium vocat martyrol. Romanũ, Beda Eſicium, Eſichium Vſuardus, & Ado. Commilito fuit S. Iulij martyris cuius memoria agitur vi. Kal. Iunii, & poſt xx. dies paſſus eſt xvii. Kal. Iunii, vt refert Petrus de Nat. lib. 5. cap. 56. & cap. 119. Vſiciñ vocat martyrolog.

Antuerpiense in hoc integro quotidiano laterculo. *xvii. Kal. Iulii. Doroſtoro Ciuitate Sancti Vſici, Aquileia Cantiani, Iuuini, Muci, Proditi, Clementis, Cantianę. Conſtantinopoli Muci, Megetia, Mingini, Ciuitate Barbaria Gagiani, Iouiani, Philippi. In Lucania Viti, Candidi, Cantiani, Cantianellę, Proti, Criſogoni, Arteonis, Quintiani, Theodoli. In Sicilia Viti, Modeſti, & Criſcentiæ.* Sancto martyri Vſicio, ſeu Yſicio Felicem, & Lupum, alijs Hagiologijs ignotos, & qui in Actis S. Iulij, & Hiſichij non memorentur, ſocios addit hoc ordine martyrol. Corbeiense, *xvii. Kal. Iulii. In Doroſtoro Natalis Sancti Yſici, Felicis, Lupi. In Aquileia Cantiani, Proti, Clementis. In Conſtantinopoli Natalis Sanctorum Nuci, Migetiæ, Mingini. In Ciuitate Barbaria, Caiani, Iouiani, Philippi. In Lucania Viti, Candidi, Cantiani, Cantianillæ, Proti, Griſoni, Arteon, Quintiani, Theodoli, Iocundi, Siluii. In Lucania Natalis Sanctorum Viti, Modeſtę, Creſcentię.*

In Aquileia. In ordine, ac aliquantulum etiam in nominibus inter ſe variant iam adducta mſs. martyrologia. vj. martyres Aquileiēſes numerat Vetuſtiſſimū, quorum ducem ſignat Cantianum, & ſupra Vetuſtius noſtrum Iuuinum, & Mucianum addit. Tres tantum in Corbeiēſi producuntur Cantianus, Protus, & Clemens; ſed Protus ſuperiori die ſignatus, in noſtro Poticius eſt, ſeu Proditius in Antuerpienſi, in quo Cantiana agmen claudit, vt in noſtro. Cantiani nomine plures fuiſſe martyres Aquileienſes ex Venantio Fortunato pridie Kal. Iunij diximus. Mſ. Reginæ Sueciæ cum noſtro conſonat; & quatuor tantum Aquileiæ tribuit, nominibus aliquibus amputatis *xvii. Kal. Aquileię Nat. SS. Clementis Cantiani cum aliis duobus.*

Conſtantinopoli. Tres tantum Cœlites numerant libri noſtri cum Corbeienſi in Byſantina Vrbe. Nucium, qui Antuerpienſi Mucius eſt, Migitiam, ſeu Megetiam, Minginum ſeu Mingitium, vt alter ex codicibus noſtris legit. Reliqua me latent.

In Ciuitate Barbaria. Ità Barbaram Vrbem conſtanter hìc etiam exhibent aducta MM. Corbeienſe, & Antuerpienſe. Barbani Vrbs eſt Ptolomeo, & Arriano in Aſia ad Indi Fluuij Oſtia, quam Berber, vel Meti hodie dictam notat Ortelius. Eſt etiam Prouincia Thraciæ Barbaria, ſicut Gellius lib. 19. c. 19. dixit hominem quendam eſſe Thracium *ex vltima Barbaria*, & Barbaricæ regionis meminit Lampridius in vita Seueri, vt niſi vrbs Barbari in Inſula poſita fuerit, aliqua eſſe poſſit regionis Thraciæ, in qua vel paſſi, vel venerati ſint Gaianus, Iouianus, & Philippus, cum noſtro pariter Vetuſtiori in alijs adductis MM. indicati.

In Lucania. Nouem in Lucania martyres numerant M. Antuerpienſe, & noſtrum; vndecim M. Corbeienſe, in quo adduntur Iocundus, & Siluius, reliqua conſentiunt. Plura nomina in hoc martyrum choro ſunt, quæ inter ſocios Cātianorum pridie Kal. Iunij memorantur Aquileiæ, vt Cantianus, Cantianella, Protus, & Chriſogonus. Horum aliquos ex mſ. Vetuſtis martyrologijs Siculis Ferrarius in Generale Catalogo ad hanc diem in Sicilia, & ſub Diocletiano paſſos refert; hoc eſt Artheonem, Niniuitum (pro Vito) Candidum, Quintianum, & Theodolum, cum alijs ſepultos quidem Siciliæ, ſed ignoto loco; eorum tamen in Catalogo SS. Italiæ, in quo etiam Siculos martyres refert, non meminit, ſicuti neq. Maurolycus Siculus. Lucania latius antiquitus extendebatur continens quidquid inter Silarum Fluuium, & Laum continebatur, cuius pars hodie Baſilicata eſt. Potuit aliqua pars SS. martyrū Aquileienſiū, & Siculorū in Lucaniam transferri, & ex duplici martyrum claſſe vnius venerationem cōfici, ſed diuinandum non eſt. In Calendario Hieronymiano mſ. Lucenſi Siculorum martyrū claſſi Candidus adiūgitur, *xvii. Kal. Viti, Modeſti, Candidi, Creſcentiș.*

In Sicilia. Sicuti martyres aliquos Siculos vidimus in Lucania venerari, ita

Luca-

Lucani Vitus, Modestus, & Crescentia in Vetustiori nostro, Antuerpiensi, Corbeiensi, & mſ. Reginæ Sueciæ Siciliæ constanter tribuuntur, quemadmodum Vsuardi, Bedæ, & Adonis libri cõfirmant. Martyrologium quidem Romanũ Lucaniæ eos assignat prope Fluuium Silarum, sed nulla est repugnatia. S. Vitus enim Puer in Sicilia nobilibus ortus parentibus, fugiens patris impij iram, in Lucaniam, cum Modesto, & Crescentia nutritoribus suis abijt: plurima vtrobique tormenta passus, postremò cum socijs in Lucania coronam accepit. Extãt Acta diffusiora apud Surium, & apud Petrum de Natalibus contractiora, sed inter se quodãmodo pugnantia, & leuioribus erroribus aspersa. Quæ habet per cõpendia Ado nullis erroribus maculari videtur; & si enim à Diocletiano, vel corã illo passim in Actis martyrũ Italiæ aliqua esse gesta narrẽtur: attamen interpretãda sunt à præsidibus suis, & Diocletiani mandata exequentibus fuisse perpetrata. Rabanus hoc die S. Vitum narrat multas virtutes operatum esse sub Diocletiano, & Antonino Imper. apposito nempe perperam Antonini nomine ab inscio librario. Petrus de Natalibus refert S. Vitum fuisse origine nobili Lucanum, sed in Sicilia martyrio cum Modesto, & Crescentia nutritoribus claruisse. At cum ex Patria per nauiculam ad Fluuium Silarum perducti Sanctorũ martyres essent, ex Sicilia potius in Lucaniam transfretasse dicendum est; quòd Silarus Fluuius ab Occidente Lucaniæ terminus sit. Primũm ad territoriũ Conogritanum peruenisse habent eadem Acta: aptius vero Ado ad Tanagritanũ territorium. non modo in edito à Mosandro, & Rosuueydo, sed in mſ. nostro hædino peruetusto. Est autem Tanager, vnde Tanagritanum territorium Lucaniæ ex Alburno fonte Fluuium, haud Procul à Potentia decurrens. Nec pugnat, quod passus sit in Sicilia, nam & ibi pugnauit S. Vitus, quamquã tormenta illũ in mortem non adegerint. Vnde in Lucania ex consummato agone, in Sicilia, vt Vetustioribus martyrologiis placet, ex origine, & martyrij exordio venerari Vitus cum socijs potuit. Præter adductos enim codices, ita etiam mſ. Reginæ Sueciæ. *In Prouincia Sicilia passio SS. Viti, Modesti, & Crescentiæ.* Maurolycus Siculus non modo eos Siciliæ tribuit, sed vt omnino è Lucania abstraheret, nõ ad Silarum Fluuiũ, sed contra omniũ quos viderim codicum fidem Silarum Fluuiũ, in Selinuntem conuertit. Crescentiæ corpus Mazzaræ in Sicilia asseruari aliqui affirmant, tametsi apud Polinianum Vrbem Apuliæ, reliquias horum martyrum quiescere Augustissimo tẽplo testis sit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Quæ de trãslatione S. Viti ad Corbeiam adduntur à doctissimo Baronio, & alijs vix huic S. Vito accomodari possunt, cũ S. Viti corpus translatum in Galliã ex vrbe Roma acceptũ fuisse disertè dicatur. Corrigendi quapropter sunt codices nostri, & in eis ad fidem omnium fere mſs. & editorum codicum pro Crescentiano Crescentia reponenda est. Extant in Hagiologio nostro mſ. Acta horum SS. martyrum eleganti stylo in Homeliæ modum exarata, sed vna deficiente pagina mutila sunt, alioquin cordati scriptoris opus. Incipiunt *Magnitudinem Dei.*

XVI. Kal. Iulij.

IN Africa Natalis Sanctorum Diogenis. Micæ. Valeriæ. Martiæ. In Sicilia Saturnini. Cendeni. In Antiochia Quirici, & Iulitte Matris eius. & cum eis ccccliij. Martirum. *In Ciuitate Namnetis Natalis S. Similini.*

QVantum martyribus in Vetustiori nostro diues est Africa, tanto magis in R. martyrologio ferè semper Africani cœlites desiderantur, vt in hodierno segmento. Exhibet ilios tamen in fronte M. Antuerpiēse. *xvi. Kal. In Africa Ciriaci, Valeriæ, Marciæ, Diogenis, Micæ. Sicilia Ciuitate Misana Saturnini, Cendini. Antiochia Cirici, & Iulittæ Matris eius, & aliorum ccccliij. Natalis Namnetis, Similiani.* Quatuor tantum Africanos agonistas exhibet M. Corbeiense. *xvi. Kal. Iulij. In Africa Natalis Sanctorum Diogenis, Micę, Valeriæ, Martię. In Sicilia Ciuitate Saturnini, Cendei. In Antiochia Cyrici, Iulittæ matris eius, & cum eis quadringentorum martyrum. In Ciuitate Namnetis Natalis Sancti Similiani.* Totidēq. enumerat Vetustius nostrum Corbeiēsi M. consonum, in quibus Ciriacus prætermittitur. A Notkero auxiliares tabulas non experimus, lacunam enim patitur eiusdem M. apud Canisium editum vsque ad xiiij. Kal. Iulij. Hos etiam præterijt ms. Reginæ Sueciæ. Duos ex his in Hieronymiano Calendario Lvcensi ita indicantur *xvi. Kal. Diogeni, Cirini*, vt puto pro Ciriaco.

In Sicilia. Saturninum, & Cendeum, Maurolycus, & Ferrarius ignorarunt, neque in ms. Reginæ Sueciæ, neque in Romano M. alijsq. latinorū memorātur; eos tamen MM. Antuerpiense, & Corbeiense recolunt.

In Antiochia. Erratum putat Baronius in latinorum omniū martyrologijs irrepsisse, dum Quiricum, & Iulittam Antiochiæ tribuunt, cum ab eorundem martyrum Actis, & Græcorum Menologio pateat martyrium subijsse in Vrbe Tarso Ciciliæ. Eorum certè historiam à Manicheis deprauatam Baronius eruditè ab alijs discernit. Ciuitate Iconij in Lycaonia ortos Acta germana tradunt, & primum ex Diocletiani edicto fugisse Seleuciam, quæ Antiochia Ciliciæ est; hinc Tarsum peruenisse. Tarsus ipsa Dioni lib. 27. Antiochia vocata fuit, vt notat Ortelius. In hac Tarsensi Vrbe persequente eos Alexandro Præside Sanctam Iulittam, filiumq. triēnem, Quiriacū triumphales animas Deo reddidisse addūt. Cum vero Tarsus proxima, Seleuciæ ciuitas in ijsdem Actis dicatur, neque an Tarso, aut vicina Antiochia sepulta, vel translata sint sacra pignora narretur, ex pluribus mss. & editis martyrologijs nequaquam absonum videtur in proxima Vrbe Antiochia, vel Seleucia fuisse translata, aut saltem ibidem eorundem Natale veneratum, cum ab vna ex ancillis, quæ capta domina fugerat, cōdita facile sacra corpora fuerint, non Tarso vbi Alexander carnificinam exercebat, sed verosimilius in proxima Vrbe, vel agro vbi ex anteacto domicilio fugisse ancillas credi potest; occultè enim sepulturæ mandatos SS. martyres constat, cum paulo post reddita pace Ecclesiæ vna ex ancillis adhuc viuens sub Constantino ea reuelauerit. In Tarsi vrbis agro sepulta habet postridie ab eorundem passione Theodorus Episcopus Iconiensis, qui passos esse disertè docet xvi. kal. Iulij, quamquā Græci eorum memoriā recolāt Idibus Iulij, quando improbabile non esset ex agro Tarsensi in vrbem Antiochenam fuisse translatos. Quadringēti quatuor martyres in Actis apud Surium non memorātur, vel quòd hac die coronati non fuerint, vt diximus ad diem xiv. Maij, vel quòd Acta illa in Homeliam redacta, aliqua prætereant minus ad diei celebritatem spectantia. Hic autem illa martyrum phalanx de more Vetustioris martyrologij, à Iulitta, & Quiriaco non disiunguntur, quia ab ijsdem conuersi eodem triumphali curru portari debuerint. *Antiochiæ Cyrici martyris, & Iulittæ matris eius cū aliis ccccliij.* 16.

Cal.

Cal. repetit ms. Reginæ Sueciæ, quos simul passos apertè scribit Ado: in hoc tamen ab adductis Actis discedēs, quòd Cyriacus non ex tribunali ab irato iudice in præceps datus palmam acquisierit, sed vna cum matre, clauis confixus, erutis oculis, excoriatus, decalvatus, vstus, lingua decurtatus, gladio tandem abscisso capite coronam promeruerit: addit enim Ado *Passi sunt cum eis, & alii ccccciij*. quem numerum etiam Maurolycus consentit, & Galesinius ex Beda, & libris mss. dum verò Galesinius animaduertit, Quirici pueri, & Iulitte Matris Romæ memoriam celebrari Idibus Iulij, quemadmodum acta apud Petrum de Natalibus docent, diuersos esse martyres suspicatur ab Antiochenis, qui in Iconij vrbe prognati, in ciuitate Tarsensi certamen compleuerunt. Addi posset, quod in Actis illis trienné Cyriacum, vel Quiriacum dicitur à Iudice in gradus tribunalis allisum cerebro ipsum tribunal aspersisse, in actis vero, quæ Ado prælibat, plurima tormenta sustinuisse, & amputatis cum matre ceruicibus triumphasse perhibetur. Aliam certè Iulittam veneratur S. Basilius Homelia v. & potius Cæsarienſem in Cappadocia sine filio coronatam; & de alijs Cyrico, & Iulitta dubitat etiã Combefisius in notis ad Theodori Episcopi Iconcensis Epistolam supra adductam, quam nuper idem vir eruditissimus vulgauit in actis à Manicheis corruptis, & à Gelasio proscriptis. In eis quędā absurda Cōbefisius notat, & germana esse quæ in epistola illa continētur nō dissimilia à Metaphraste existimat. Nescio vero cur in Latina interpretatione horū SS. martyrum consummatio signetur *Cal. Augusti* cum in Græca è regione posita Historia Iulij non Augusti calendis adnotetur.

In Ciuitate Nannetis. S. Similianum Episcopum, & Confessorem recolunt hac die in ciuitate Namnetis Vsuardus, & Ado. Meminit etiam R. martyrologium, & Gregorius Turonensis de Glor. martyr. cap. 50. Is fuit qui sacra martyrum corpora Donati, & Rogatiani sepulturæ sub Diocletiano mandauit, & pace Ecclesiæ reddita Nanneti in Armorica sancto fine quieuit, de quo plura Saussayus. Tertius est inter Nannetenses Episcopos apud Sammarthanos, qui pauciſſima de eo congerunt.

XV. Kal. Iunij.

QViriaci. Blasti. Nicandri. Aene. Doroſtoli. Isicij. Aquile. Canti. Cātiani, & Cantianæ. In Alexandria Dioscori, & Marini Martiris. Romæ Diogenis. In Aquileia Cyriæ. Muscæ. Valeriane. Mariæ. *In Aurelia Ciuitate Auiti Presbyteri*.

IVNII 17.

MArtyrologium Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, alijq; recentiores via Salaria veteri ducentos sexaginta duos martyres Anonymos in huius diei limine præferunt. Antuerpiense, & Corbeiense MM., quos sine loci nota martyres signat Vetustius noſtrum, ita Romæ tribuunt. *xv. Kal. Iulij. Romæ Cyriaci, Blasti, Diogenis, Nicandri, Doroſtoli, Iusici, Aquilæ, Cantiani, Alexander. Dioscori, & Marini. Aquileiæ Geriæ, Muscæ, Valeriana, Mariæ. Aurelianis Auiti presbyteri*. Seorsim Romæ Diogenem tribuit M. Corbeiense, & cum codicibus noſtris in prima Romanorum martyrum

martyrum classe, ita non numerat. *xv. Kal. Iulij. Romæ Quiriaci, Blasti, Nicãdri. Enedorostoli Isici, Aquila, Canti, Cãtiani, Cantianellę, Proti. Alexãdrię Dioscori, & Marini martyrũ. Romę....ogeni. Aquileia Cyrię, Musęæ, Valeriani, Mariæ. In Aurelianis Ciuitate Auiti presbyteri.* Vvillielmus Malmesb. lib. 4. de Gestis Anglorum ad Salaria in loco, qui dicitur Cucumeris requiescere Romæ tradit plures cælites, inter quos Diogenem, & Blastum numerat, & in vno sepulcro ducentos sexaginta martyres. De Blasto Tribuno Claudij sepulto ad Cliuum cucumeris meminit Surius in Actis cclx. martyrum, seu SS. Valentini presbyteri, Marij, & Marthæ, T. 2. edit. recent. Ciriacum, Blastum, Diogenem, & Nicandrum vnica serie includit M. Antuerpiẽse; quod enim sequitur nomen Dorostori, an vrbis, vel martyris sit dubitari iure potest; subsequitur siquidem Iusicius, qui in codicibus nostris, & Corbeiensi Isicius dicitur, & repetitus videtur Isijcius socius S. Iulij martyris Dorostorensis ex die xv. huius mensis. Nomen tamen martyris esse suaderet M. Corbeiense, quod non Dorostori, sed Enedorostori legit, nisi in nostris codicibus Aena martyr, ante vocem Dorostori seorsim legeretur, vnde coniunctim vox Enedorostori conflari in Corbeiensi potuerit; Deficit etiam Æna in Antuerpiẽsi; sed eam retinuisse prototypum ms. Reginæ Sueciæ conijcio, quia in eo cum Quirico, vel Cyriaco alij viij. martyres ita numerantur. *xv. Kal. Romæ Via Salaria veteri natalis S. Quirici cum alijs. Alexãdriæ Dioscori, Marini. Aquileiæ Natalis S. Ciriæ, cum alijs duobus.* Qui igitur Aquila martyr sequitur (ita enim constãter vocant omnes codices alij, nõ Aquileiæ) in octonario numero reponendus est, vt nouem martyres Romani euadãt, nempe Quiriacus, Blastus, Diogenes, Nicander, Aena, Isicius, Dorostolus, Aquila, Cantianus. Adduntur, eam in libris nostris, quam Corbeiensi, Cantius, & Cantiana in Antuerpiensi præteriti. Conjectari qua propter licèt vetustiorem antiquarium pro Aquila legisse Aquileiæ, vbi Cantius, Cantianus, & Cantianella veneratos vidimus repetita celebritate, idq; elicuit ex die 31. Maij; sed Aquilam retinemus, & hos omittere magis placuit, tum ex fide martyrol. Antuerpiensis, & ms. Reginæ Sueciæ, tũ quòd alij deinceps, & seperati martyres Aquileiæ tribuantur.

Alexandrię. Dioscorum, & Marinum recolunt pariter in vrbe Alexandria adducti codices mss. & ex editis Maurolycus.

Romæ Diogenis. Truncatum est nomen Diogenis in M. Corbeiensi, quod aperte in libris nostris legitur. Romanis alijs martyribus in Antuerpiensi, vt vidimus, accensetur, quoniam eodem loco ad Cliuum Cucumeris sepultus fuerit, sed alterius conturbernij est.

In Aquileia. Geriam pro Cyria legit M. Antuerpiense, & ex Aquileiensibus Cyriam, vel Cyriacam tantum, & Musçam Virgines sorores ex antiquo Breuiario Ecclesiæ illius profert Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, vbi quiescere, & venerari affirmat xv. kal. Iunij. In Tabulis Ecclesiasticis addit antesignanum vocari Cyriacum, in Breuiarijs autem, & Lectionarijs Cyriam, siue Ciriam dici; Valeriana, & Maria, vel sociæ, vel sorores Ferrario non memorantur. Valerianam dixi, non Valerianum, vt legitur in martyrol. Corbeiensi, ex fide Vetustioris nostri, & Antuerpiensis M.

In Aurelia Ciuitate. Aureliam etiam vocat Glaber lib. 2. Hist. c. 6. cũ alijs vetustioribus. Ciuitas Aurelianorũ Notitijs Prouinciarum dicitur, & Aurelianis ciuitate legunt adducta Antuerpiense, & Corbeiense MM. cum editis Romano, Vsuardo, & Adonis Auctario, & reliquis latinis recentioribus. Aliqua de eo cumulat Baronius. Vita apud Surium prostat diffusius scripta, in qua Abbas Micialensis, siue Dunensis dicitur; vnde idem videtur, qui presbyter, & Abbas apud Gregorium Turonensem.

De

De eo plura Sauſſayus, tum in Hiſtor. Aurelianenſi, tum in martyrologio Gallicano ad hanc diem, in qua pariter Hagiologio Franco Gallico memoratur. Rabanus S. Auiti geſta longius proſequitur hoc ipſo die xv. Kal.

XIV. Kal. Iulij.

IN Africa Marciæ. Emili. Felicis. Romæ Marci, & Marcelliani. Thomi. Pauli. Cyriaci. Rauenna Natalis Sanctorum Marthari. Felicis. Emili. Criſpini. In Alexandria Natalis S. Marij.

IVNII 18.

NOn raro Africa in ſacris hiſce faſtis noui aliquid profert, quod editis martyrologijs non eſt commune. Tres cũ noſtris codicibus Africanos pugiles in veſtibulo refert M. Antuerpienſe. *xiiij. kal. In Africa Marciæ, Emili, Felicis. Romę Marcellini, & Marci, Thomi, Pauli, Cyriaci. Rauennæ Ciuitate Martyrij, Felicis, Emilij, Criſpini. Alexandria Ciuitate Marinę.* Conſonat M. Corbeienſe *xiiij. Kal. Iulij. In Africa Martiæ, Emeli, Felicis. Romæ Marci, Marcelliani, ... Pauli, Cyriaci. Rauennæ Natalis Sanctorum Martheri, Felicis, Emeli, Criſpini. In Alexandria natalis Sanctæ Marinæ, Theoni.*

Romæ Marci. Via Ardeatina Romæ hos ſanctos martyres fuiſſe celebres, & hac die veneratos, habẽt R. martyrolog. Beda, Rabanus, Vſuardus, Ado, & cæteri latini. Acta eorum cum S. Sebaſtiani geſtis apud Surium viſuntur T. 1. Seiunctim habet Petrus de Natalibus lib. 8. cap. lxxiiij. in quibus ſanctos fratres ſtipitibus confixos, & lanceis transfixos coronam accepiſſe dicitur, ac ſepultos via Ardeatina x iv. kal. Iunij, tempore Diocletiani. Vide quæ infra ad diem 7. Octobris de ijſdem adnotantur.

Thomi. Cyriacum, & Paulum non Thomis, ſed Malacæ in Hiſpania reponit M. Romanum cum Vſuardo, & Petro de Natalibus lib. v. cap. cxxv., qui Malicam non Malacam dicit, *vt habetur*, inquit, *in Martyrologio Adonis ex Datario Hieronymi*. In Hieronymiano quidem Martyrol. Cyriacus, & Paulus non Paula proſtant, tam in Vetuſtioris noſtri codicibus, quam Antuerpienſe, & Corbeienſe, non verò apud Adonem, ſiue editum, ſiue mſ. ſed neque in Hiſpania Bethica Bellino, aut Malacæ, ſed Thomis. Vnde vereor ne diuerſi martyres ſint, præſertim quod Syriacus, & Paula Virgo dicuntur apud Maurolycum, & Galeſinium. Tomis Straboni, & Ptolomæo, Tomeus Stephano, Tomos Plinio Vrbs in Ponto eſt non in Hiſpania, & Ouidij Poetæ exilio clara, vt alibi diximus. Facile vero eſt Paulum, & Cyriacum Tomitanos martyres hac die agonem compleuiſſe, ſed cum alijs commilitonibus, qui alia die coronati ſint, iterum recoli infra xij. kal., ne ab alijs ſocijs diſiungerentur.

Rauennæ. Primum ex Rauennatibus cælitibus Martyrium nuncupatum vereri facit, ne triumphi nomen ſit, non ſingularis martyris. Suſpicioni locum præbuit mſ. Reginæ Sueciæ in quo legitur. *xiiij. Kal. Rauennæ Natalis SS. martyrum Felicis, Emilij, Criſpini.* At re vera proprium eſſe nomen docet M. Antuerpienſe, & apertius Corbeienſe, ac noſtrum, in quibus inflexum nonnihil ſcribitur nomen Marthari, vel Marteri; longius etiam à Martyris voce deflectit Notkerus, iam à lacuna codicis liberatus.

Ra-

Rauennę Macharij, Felicis, Æmilij, Crispini, quę neq. in latinis martyrologijs, neque apud Ferrarium, vel alios memorari scio.

In Alexandria. Natalem S. Marij deprauato, vt suspicor, nomine, libri nostri recolunt. Sed cum Romano omnia fere edita martyrologia Marinam exhibent, aliqua virginem addunt, vt Vsuardus, penes quem legitur *Alexandriæ Passio S. Marinæ Virginis*; cui à Molano fortasse ad oram libri additur *Hanc nos Margaritã nominamus*. Minus placet hoc oculatissimo Baronio, qui Adoni tribuit, quod Marina martyr dicatur, contra vetera mss. quæ de Marina virili habitu Monasticam vitam sub Marini titulo amplexata loquuntur. Sed in additamento Adonis, (Vsuardus enim non Ado eius passionis meminit) Maria legitur, & Balbina additur. *xiiij. Cal. Iulij. In Alexandria S. Mariæ Virginis, & Martyris, & Balbinæ*. Rabanus, & Notkerus non Alexandriæ, sed Antiochiæ certamen S. Marinæ exhibent, quod passioni S. Margheritæ communiter nuncupatæ prorsus conuenit, de qua plura Baronius ad diē 20. Iulij, qua die nihil de Margherita, aut Marina Vetustius nostrum profert. Ex dictis tamen, in codicibus nostris legendum videtur Marinæ, non Marij, quēadmodum legunt M. Antuerpiense, & Corbeiense, dum in hoc additur etiam Theon alijs præteritus.

XIII. Kal. Iunij.

IN Med. Natalis Sanctorum Nazari. Geruasi. Protasi, & Celsi Pueri. Romæ Ypoliti. Honori. Euoti. Petri. Valeriæ. Marcelli. Vitalis. Vrsicini. *Et in Fiscamno Monasterio depositio Childeomaree Abbatissæ.*

IVNII 19.

QVamquam diuersi ordinis fuerint, qui hac die Mediolani recoluntur martyres, sub vna tamen celebritate cōsueuisse in eadem vrbe venerari docent, tam Vetustius nostrum martyrol., quam Corbeiense, & Vetustissimum Antuerpiense, hac serie. *xiij. Kal. Iulij Mediolani Gerbasi, & Protasi, Nazari, & Celsi pueri. Romæ Honori, Euodi, Petri, alibi Marcelli, Vitalis, Vrsicini*. Reliquos verò martyres Romæ omnes tribuit, vt primos Mediolani martyrol. Corbeiense, *xiij. kal. Iulii. In Mediolano Ciuitate Natalis Sanctorum Nazarij, Geruasij, Protasi, & Celsi pueri martyrum. Romæ Hyppolyti, Honorij, Euodi, Petri, Valeriæ, Marcelli, Vitalis, Vrsicini*. Eadem in martyribus Romanis confusio etiam agnoscitur in libris nostris. Distinguendi qua propter sunt ad normam Antuerpiensis martyrol. quod in assignandis locis natalium magis accuratum esse pluries diximus. In tres ibi ordines hodierni cælites partiuntur. Mediolanensi, Romano, & incerti loci *alibi*. De primis in Insubriæ, seu Liguriæ Metropoli videndus est Petrus Puricellus supra adductus in dissertatione Nazariana paulo ante mortem doctissimi, & amicissimi viri, editam Mediolani anno 1656. præsertim cap. 22. n. 7. Solemnis enim hic dies fuit horū SS. martyrum translationi, & repositioni factæ à D. Ambrosio Archiepiscopo, in Basilica sanctorum Naboris, & Felicis vt idem auctor docet eodem libro cap. 73. & in alio antea edito, in monumentis scilicet Ecclesiæ Ambrosianæ. Beda ad hanc diem tantum meminit Natalis SS. Geruasij, & Protasij,

sicuti

ſicuti Galeſinius, Maurolycus, Bellinus de Padua, Ado, Vſuardus, & martyrol. Romanum; putant enim diem hunc natalem eorum in cœlis fuiſſe, in quo nec incongruum eſt D. Ambroſium ſolemnem translationem etiam Nazarij, & Celſi inſtituiſſe. Omnium ſimul pariter memoriam agunt Græci in Menologio Sirleti, & Baſilij die xiv. Octobris. Eccleſia certè latina Geruaſium, & Protaſium hac die venerata eſt, vt apparet in Sacramẽtario Gregorii, & vetere Fronti Calendario. Notat vero ad ſacramentarium Menardus p. 166. in codicibus antiquis, & Miſſa Ambroſiana Prothaſium præponi Geruaſio cõtra recentiorem vſum, quod tamẽ in Vetuſtiſſimo Antuerpiẽſi, noſtriſq; codicibus obſeruatum non video, ſicuti neque apud Rabanum, qui acta percurrit. Notkerus poſt adductam SS. Geruaſij, & Protaſij in vrbe Mediolanẽſi memoriam addit. *Ibidem iuxta martyrologium S. Hieronymi Natiuitas S. Nazarii, & Celſi pueri.*

Romæ. Plures Hypoliti nomine cælites Romæ fuerunt venerati: cum Honorio tamen Euodio, & Petro ſociis, alibi non ſuccurrit. Eos tantum, & nõ alios Romæ xiii. Kal. in fine recolit etiam mſ. Reginæ Sueciæ; hac tamen differentia, vt non Hippolitum, ſed in eius cœmeterio Honorium, Euodium, & Petrum reddat, quod magis placet. *Romæ in Cœmeterio Hippolyti SS. Honorii, Euodi, & Petri.* Totidemq; & iiſdẽ nominibus martyres in vetuſtiſſimo Antuerpienſi, Corbeienſi, & noſtro martyrol. ſcripti ſunt. Emẽdanda quapropter in poſtremis lacuna, & legendum *Romæ in cœmeterio Hyppoliti.* Erat D. Hyppoliti cœmeteriũ in agro Verano via Tiburtina, vel idem, vel propè cœmeteriũ B. Cyriacæ, quòd ità deſignat liber Pontificalis in Hadriani primi vita. *Simul, & cœmeterium B. Hyppoliti iuxta S. Laurentium, quod à priſcis marcuerat temporibus, à nouo renouauit: pari modo, & Eccleſiam B. Chriſti martyris Stephani, ſitam iuxta prædictum cœmeterium S. Hyppoliti ſimiliter reſtauranit.*

Valeriæ. Marcellum, Vitalem, Vrſicinum refert quidem ſeiunctim à Romanis martyribus martyrol. Antuerpienſe, & *alibi* non Romæ recoli monſtrat: de Valeria tamen non meminit, quæ alioquin Vitali, & Vrſicino iuncta Rauennates cælites eſſe ſatis apertè demonſtrat, ſtylo huius Vetuſtioris martyrologii, in quo Sancti ſimul venerati non diſiunguntur, quamquam dies Natalis in cœlis non idem omnibus fuerit. Vrſicini Medici Liguris natiuitas hodie recolitur à R. martyrologio, Beda, Vſuardo, Adone, & aliis præcipuè Rabano, qui Romæ fuiſſe celebrem affirmat; Verum quia dum in tormentis animo deficeret à Vitale animatus ad pugnam in Vitale ipſo certaminis, & palmæ origo fuit, & Vitalem vxor Valeria ſequta eſt in triumpho, hìc non diſiunguntur. Beatorum horum martyrum Acta libat S. Petrus Damiani in Homelia de SS. Vitale, & Valeria, quæ extat etiam apud Surium T. 4. Petrus de Natalibus lib. 4. cap. 95. Vitalis, & cũ eo Valeriæ, res geſtas percurrit; Vrſicini vero lib. 5. cap. 127. Fuerunt autem SS. Vitalis, & Valeria SS. Geruaſi, & Prothaſii martyrum glorioſiſſimi genitores, vt apud Surium apparet, tum ex ſermone, & epiſtola D. Ambroſii, tum ex Rubeo lib. 1. Hiſtoriæ Rauenatum. De Marcello horum SS. ſocio, aliunde mihi memoria non ſuppetit.

In Fiſcamno Monaſterio. Fiſcãno Monaſterio in territorio Rhotomagenſi præfuit tempore S. Andoeni Rhotomagenſis Archiepiſcopi S. Childemarcha, alijs Childomara, pluribus Hildemarcha. Abbatiſſa ſpectatæ ſanctitatis virgo, quæ depoſita in Fontanellenſi cœnobio, à Fõtanellenſi antiquario addita Veruſtiori martyrol. ſecus, ac alii velint, diem hũc depoſitionis habuit. De ea agunt Sauſſayus in ſupplemento martyr. Gallicani ad diẽ 25. Octobris, Vvion in Martyrol. Benedectino, & nuper P. Arturius à Mõnaſterio in martyrologio SS. Mulierũ, qui plura de ea in notationibus indicat.

XII. Kal. Iunij.

IN Thomis Ciuitate Pauli. Ciriaci. Paule. Feliciane. *In Fontanella Monasteriodepositio Baini Episcopi*. Thome. Felicis. Emili. Vitalis. Crispinæ. Martiriæ.

IVNII 20.

ANtiquarius Fontanellesis sacros huius diei fastos appositione S. Baini Episcopi interpolauit, & ablata particula *alibi* postremos tres martyres Thomitanis adiunsit. In duas classes sacros Athletas diuidit M. Antuerpiense, quod initio mutilum est; silet enim in primi ordinis martyribus locum certaminis. *xii. kal. Iulij. Pauli, Cyriaci, Paula, Felicianę, Thomæ, Felicis, Emili. Alibi Vitalis, Crispini, Martyrię.* Cum libris nostris M. Corbeiense, non modo Thomis Ciuitati, primi ordinis cælites tribuit, sed tres etiam postremos nulla addita disiunctiua nota. *xii. kal. Iulii. In Thomis Ciuitate Pauli, Cyriaci, Paula, Feliciani, Thomæ, Felicis, Emeli, Vitalis, Crispini, Martyriæ.* Ex Thomitanis martyribus non nisi Paulum, & Cyriacum profert Romanum M. ex Vsuardo, & alijs recentioribus. vt ibi notat Baronius. Pro Paulo Paulinum habet Petrus de Natalibus ex M. Hieronymiano lib. 11. n. 176. & pro Cyriaco Cyprianũ, Felicem vero, ac Felicianam gloriæ virginitatis hoc pacto exornat. *Paulinus, Cyprianus, Felix, & Feliciana Virgines, & martyres apud ciuitatem Thomis martyrio coronãtur xii. kal. Iulii*. Felicẽ, & Felicianam addũt etiam Maurolycus, & Galesinius ex mss.; qui Galesinius dũ Adonem adducit, alio codice, quã vulgato vsum esse conuincitur, vel pro Vsuardo Adonem reddidisse. Bellinus de Padua, Paulum, & Cyriacum tantum in Romano martyrol. adducit. Norkerus eodem forte prototypo quo & Vetustioris nostri, & Corbeiensis M. librarius vsus est, in Thomis ciuitate nouem omnes martyres ab obliuione redimit; sed tres postremos cum Antuerpiensi, ita ab alijs distinguit ms. Reginæ Sueciæ. *Et alibi Vitalis, Crispini, Martyrię.*

In Fontanella Monasterio. S. Bainus Episcopus Taruanensis, & Fontanellensis cœnobij quintus post S. Vvandragesilum Rector, ad annum Dccvi. & xv. Hildeberti Regis Francorum regimen, & vitã protraxit. Plura de eo habet Chronicon Fontanellense cap. 2. vbi eiusdem obitus notatur. *xii. kal. Iulii*. Aliqua de eo cumulat Saussayus ad hanc diem, & inter cæteras laudes hanc eidem tribuit, vt de SS. historijs elucidandis cupidus maximopere fuerit, ac præcipuè Ionam Fontanellensem Monachum ad vitam S. Valfranni Archiepiscopi Senonensis grauiter scribendam impulerit. An Iona idem sit harum additionũ auctor Baino ipso suadente? Aliqua à Monacho Fontanellense addita non dubito, sed omnia ab vno defluxisse non existimo, præsertim quæ recentius tempus post Ionam respiciunt.

XI. Kal Iulij.

SAturnini. Quiriaci. Apollenaris. Pellici. Persei. Crisimi. Primi. Ianuarij. In Sicilia Rufini, & Marciæ. In Cesarea depositio S. Eusebij Episcopi. Hiperidi. Saturnine. Stertie. Hieric.

Quos

IVNII 21.

QVos sine agonis loco signant sacros pugiles, tam libri nostri, quam martyrol. Corbeiense, Africanos esse testantur, tum martyrol. Antuerpiense, tum ms. Reginæ Sueciæ; quamquam in eisdem numerandis dissentiat Vetustissimum illud, ita quotidianum indiculum renouans. *xi. kal. Iulii. In Africa natalis Cyriaci, Saturnini, Bellici, Persei, Appollinaris, Cresini. Primi, Ianuarii. Sicilia ciuitate Siracusa Rufini, & Marcia. Cæsarea Palestinæ Eusebi Episcopi Historiographi. Item Hipereli. Saturninæ, Stertii, Hieremiæ.* Hæc, & quæ deinceps dabimus erunt ex codice Antuerpiensi extra laminas ectypas à Moreto Antuerpię editas, & penès paucos ex eruditis vulgatas, quæ in xii. Kal. Iulij desinunt. Huius vetustissimum martyrologij Apographum humanissimè mihi communicauit Clarissimus vir Gothefridus Henschenius à Clarissimo item viro Ioanne Bollando impetratum, sine quo, fateor, difficillimum mihi fuisset, in Vetustiore nostro maculas plures abstergere. Martyres ergo in limine laterculi recēsiti octo sunt, Saturnino chorum ducente, quorum ms. Reginæ Sueciæ concinnator nonnisi quinque inuenit, ita enim scriptum exhibet. *xi. kal. In Africa Nat. SS. Martyrum Saturnini, & Apollinaris cum aliis tribus.* Septem nominibus signat M. Corbeiense; octauum siquidem ita vetustas rapuit, vt lacunam nominis Persei relinqueret *xi. kal. Iulii. Saturnini, Quiriaci, Apollinaris, Bellici ..... Crisoni, Primi, Ianuariæ. In Sicilia Rufini, & Martiæ. In Cæsarea Cappadociæ depositio S. Eusebi Episcopi Hipericli, Saturninæ, Stutię, Ineriæ.* Ex his tres tantum producuntur in Richenouiēse M. apud Bollandum ad diem 1. Febr. p. 47. *Cyriacus, Bellicus, Chrisimus in Africa.* Primi chori martyres Africanos esse confirmant M. Romanum, & Vsuardus, quamquam Cyriacum tantum, & Apollinarem præferāt. Bellinus de Padua elogium ita addit. *In Africa SS. Cyriaci, & Apollinaris virorum mirę Sanctitatis.* Ex M. Hieronymiano vel alio vetustiori ita etiam habet Petrus de Natalibus lib. xi. n. 178. *Quiriacus, & Apollinaris martyres eodem die in Aphrica palmam suscipiunt*, hoc est xi. Kal. Iulij. Rabanus, Notkerus de Africanis omnibus martyribus hac die silent. Cum vero ad primam Februarij diem inter alios incerti loci cælites Apollinaris, & Cyriacus memorētur ansam præbuit dubitādi viro doctissimo Ioanni Bollādo, an ijdē esse potuerint cū Cyriaco, & Apollinari huius diei. Ac sicuti Vir ille Clarissimus ex diuersitate sociorum diuersos esse existimauit, ita & nos pro nostro modulo credimus, hos etiam lauream in Africa accepisse: illorum vero incertum esse agonis locum.

In Sicilia. Rufinum, & Martiam Syracusanos in Sicilia martyres omnia ferè hac die martyrologia latinorum venerantur: Romanum, Bedæ, Vsuardi, Adonis, Notkeri, Vvandelberti, & recentiorum; nemo tamen Acta exprimit. Petrus de Natalibus lib. xi. n. 178. dum nomina tantum, & certaminis stadium ex Hieronymiano M. producit, virginitatis titulo ita Martiam ornat. *Rufinus, & Martia virgo martyres passi sunt in Sicilia Ciuitate Siracusana xi. Kal. Iulii.* Quod tamen virginale decus, alijs in obscuro remanet, præsertim siculo Maurolyco, & Ferrario in catalogo SS. Italiæ, quos in Tabulis Ecclesiæ Syracusanę signatos esse testatur.

In Cæsarea. In aliquibus antiquis martyrologijs, seu Calendarijs, vel nudum Eusebij nomen legitur, vel locus Cæsareæ tantum, sine alia additione signatur. In Hieronymiano Lvcensium Canonicorum octaui sæculi Kalendario

tantum legitur, *xi. Kal. Euſebij Epiſcopi.* Notkerus omnino cum noſtris codicibus conſonat his verbis. *In Cæſarea depoſitio S.Euſebij Epiſcopi.* & totidem ad amuſſim verbis S.Euſebij memoriam recolitur in Appendice Adonis: è contra alia mſs. & edita MM. non modo Euſebium proferunt, ſed & Cæſaream, & Epiſcopale munus, ita diſtingunt, vt omnino Euſebium Cæſarienſem Paleſtinũ chronographũ de Arriana hæreſi à pluribus Patribus inſimulatum deſignent. Chorum ducit Vſuardus, quem recentiores ſequti ſunt, malè Adonem in hãc ſententiam trahentes. Bellinus de Padua, Maurolycus, Ferrarius in Generali Catalogo, Sauſſayus, & ex pluribus Eccleſiæ Gallicanæ monumentis Valeſius innupera Euſebianæ hiſtoriæ editione. Fateor equidem errorem hunc (ita libet appellare) vetuſtum eſſe, & ex octauo, vel nono ſæculo defluxiſſe, cum in gratiam piorum Imperatorum ex Martyrol. ſeu ſacrorum nominum catalogo ſanctorum geſta compendioſiùs addi in ipſis martyrum codicibus cæperunt; dum enim pij illi martyrologiorum adornatores præter Euſebium Paleſtinum, multiplici librorũ editione, & Hiſtoriæ præſertim Eccleſiaſticæ celebrem, nullum alium Cæſariẽſem, & Epiſcopum agnoſcerent, in illum plures conſenſerunt, & præcipuas laudes illius addiderunt. Vetuſtus error ex Antuerpienſi M. conuincitur, quod cum ſcriptum fuerit octaui ſæculi initio tempore S. Villibrordi, nõ modo ex Galliæ SS. auctum eſſe aliàs monuimus, ſed ad nomen Euſebij additum fuiſſe duplex gloſſema, vix dubitarẽ, nempe *Paleſtinæ*, & *Hiſtoriagraphi*. De Euſebio Paleſtino Cæſarienſi latè egimus tum in prævijs ad Martyrologium Vetuſtius admonitionibus, tum in exercitatione ad Epiſtolam Chromatij, & Heliodori, vbi quam male de eius fide, ac Arianiſmo S.Hieronymus, alijq; patres ſenſerint, deque dubiæ ſanctitatis illi tributo titulo longiùs diſputauimus, vt hic eadem repetere ocioſi hominis eſſet. Videndum hìc tantum addimus Leonẽ Allatium eruditum noſtri ſæculi ornamentum in Notis ad initium Commentarij S.Euſtathij Antiocheni in exameron p.12., vbi confirmat, ſanctitatis titulum, de illius ſæculi more, non modo Euſebio Paleſtino Arianæ hæreſis vindici tributum, ſed perniciоſiſſimis alijs hominibus, dignitatis Epiſcopalis ratione. Hinc doctiſſimus Baronius, cui Cæſarienſis Hiſtoriographus male audit, putauit, in martyrologijs remonendum eſſe Euſebij Paleſtini nomen, & reponendum Euſebium Samoſetanum illuſtrem confeſſorem, & martyrem, præcipuè, quòd eius memoriam Græci in Menologio Sirleti die proximo ſequenti venerantur. At quam quam cum viro eminentiſſimo conueniam vt ſuſpectæ fidei Euſebius Cæſariẽſis Paleſtinus, nequaquam ſit in Romano Martyrologio retinendus, non facile tamen, propter vbiq. expreſſum Cæſarienſis vrbis nomen aſſentiri me fateor, vt Euſebij Samoſetani memoria in hiſce vetuſtioribus faſtis peragatur, & quantumuis S. ille Epiſcopus ſumma catholicorum veneratione dignus ſit, cum tamen non Cæſareæ, ſed Dolichæ, quæ vrbs eſt Syriæ apud Euphratem, palmam promeruerit vt Theodoretus auctor eſt lib. 5. Hiſt. cap.4., vel in propria Samoſatæ Vrbis ad Euphratem poſitæ Eccleſia venerationem receperit, nimis tamen diſtat Cæſareæ nomen à Dolichæ, ſiue Sarmoſatæ appellatione. Cum ergo plures eſſe Cæſareas vocatas vrbes ſuccurrerit, atque inter eas præcipuè fuerit, quæ Cappadociæ Metropolis Mazaca etiam dicta ſit, ſubijt dubitare, an aliquis huius ciuitatis Epiſcopus, in album Sanctorum antiquis relatum hac die recoli potuerit, qui in Cæſarienſem, & Paleſtinum propter ſacræ eruditionis famam, facili, ſed non leui errore mutatus fuerit. Obuerſabatur Euſebius ille Cæſarienſis Cappadociæ Epiſcopus, qui Baſilij magni prædeceſſor, à Nazianzeno vir ſanctus vocatus, & tanquam catholicæ veritatis propugnator

gnator aduersus Arianos non minimis laudibus cumulatur. Sed sũmi viri Baronij auctoritas retrahebat, penes quem in Annalibus Eusebius idem non optimè propter simultatem cum Basilio audit. Hærebam quapropter in Vetustioris nostri Martyrologij lectione, in quo Cæsarea tantùm, sine vlla additione scribitur, & interim ex coæuis scriptoribus, quæcumque de Eusebio Cappadociæ inuenire licuit, in vnum congerebam. Dum verò ita hæsitarem allata ad me fuerunt Parisijs exempla, & variæ ac optatissimę lectiones ex Codice Corbeiẽsi pluries iam adducto, opera, & humanitate doctissimorum virorũ Rafaellis Dufresnij, & Petri de Faultrij, vidiq; statim in laudato illo codice, scriptũ esse, quod coniectaueram, *Cæsarea Cappadociæ Eusebij Episcopi*, vnde resumptis pro Eusebio Cappadoce viribus, placuit eundem à summi viri suspicione, quantũ tenuitati meæ licuit, purgare; vel saltem vnica sequẽti Exercitatione ea complecti, quæ pro eiusdem asserenda sanctitate, possint aliquando ad trutinam reuocari, & Romanæ Ecclesiæ iudicio, si ita ijs, quibus emendationis prouincia demandata fuerit, probari, vel infirmari valeant. Ne quis autẽ miretur in codicibus nostris minùs accuratè Cæsareæ nomen suppressa prouincia Cappadociæ repõni, idem inter cætera obseruare poterit 17. Kal. Augusti. Ab Eusebio Episcopo confessore quatuor reliquos martyres, quos distinguit tempore, non loco M. Antuerpiense, nullo modo seiungunt cõdices nostri, & M. Corbeiense. In hoc tamen pro Hiperide Hipericlum, & pro Stertia Stutiam, & pro Ieria Iaeriam, quam Hieremiam dicit **M. Antuerpiẽse**, & pro Stercia Sterciũ legere quis potest.

De Eusebio Cappadociæ Cæsariensi Episcopo, eiusque apud coæuos Patres Sanctitatis opinione.

EXERCITATIO X.

VT Basilium Magnum, vniuersæ Ecclesiæ lumen laudibus extolleret Nazianzenus, & Gregorium Patrem suum, cui oratorio stylo parẽtabat, appositè laudaret, perfunctoriè quidem de Eusebio Cæsariensis Ecclesiæ ante Basilium Episcopo egit: verũ non ita obscurè, vt beati illius viri merita, & characteres non exprimeret. Acerrimi Vir iudicij Cardinalis Baronius in sanctos Ecclesiæ Doctores omni iure propensus, animaduertens inter hunc Eusebium, & D. Basiliũ simultates aliquas intercessisse, dum ominem dissidij causam in Eusebium retorquet, non modo in Sanctorum Episcoporum classem eundẽm non retulit, neq; proprio calamo laudibus de more ornauit, sed potius, ne posteri ipsum quodammodo magni facerent, ad annum 362. num. 63. monita Nazianzeni in deteriorẽ partẽ accepisse monstrauit. Nostræ exigujtatis nõ est cum tanto Viro pũgnare, neq; sanctitatẽ alicui asserere. Verùm cũ alius Cæsariensis Cappadociæ Episcopus nobis non occurrerit nomine Eusebius, non alienum ab instituto nostro putauimus, pro Eusebio Magni Basilij decessore ea fideliter adducere, quæ in Vetustiori Martyrologio locum illi fuisse aliquando assignatum suadere potuerunt. Igitur cum tempore Iuliani Apostatæ, & Valentis Arriani Eusebium Cæsariensem eximiæ pietatis virum à S. Gregorio Theologo, & synchrono scriptore nuncupatũ viderim, & in persecutione atrocissima Iuliani, & Valentis impolluta fidẽ Orthodoxam tenuisse, pluraq; fortiter sustinuisse, apud eundem sanctum Doctorem animaduerterem, Confessoris strictissimè vocati titulo decorandũ apud eundem

etiam

etiam colligi posse succurrebat. Dum tamen Eusebij, eiusq; vitæ spicilegium contexo, sanctitatis iudicium non assumo, sed id omnino S. Romanæ Ecclesiæ me relinquere profiteor. Eusebius Vir Illustris, & sæcularis doctrinæ ornamento decoratus, ac ex orationibus D. Gregorij Nazianzeni eximia probitate præditus, non dum Baptismo salutari ablutus, renuens, & coactus Cappadociæ summam cathedram ascendit, & quamquam per populi tumultuantis voces, & vim, eo modo, quo etiam Magnus Basilius eiusdem successor sedem illam deinde accepit, catholicum tamen, verèq; electum Episcopum fuisse Nazianzenus non dubitauit affirmare; sicuti mordicùs existimauit Gregorius senior, & Gregorij Theologi pater. Is tanquam sanctus à Græcis veneratus Kal. Ianuarij, non modo præsens in Eusebij electione consensit, sed pro viribus aduersus Iuliani Apostatæ Præfectum, illius nomine persecutorem, & cõtra illos, qui titulo religionis Eusebium de sede deturbare conabantur, strenuè dimicauit. Rem omnem prosequitur D. Gregorius Naziãzenus filius, tũ in oratione de Patris funere, tũ in funebri D. Basilij laudatio-27. in qua ita ingressum Eusebij ad Cæsarienſem cathedram, Iacobo Bilio interprete exorditur. *Cæsarea Cues de Archiepiscopi creatione factiosè inter se contendebant (nam alter clanculùm se abduxerat, alter requirebatur) acrisque seditio erat compressuq; ac sublatu nequaquam facilis. Præter idem enim quòd in hac re præsertim ob fidei feruorem natura sua ad tumultus excitandos proclinis est ea ciuitas, cathedra insuper illius splendor* (quinquaginta enim sub Cæsarienſi Metropoli vrbes idem Nazianzenus alibi annotauit) *& gloria contentionis acrioris causam afferebat.* Aderant nonnulli Episcopi pro noui Præsulis electione, sed in diuersa studia populi scindebantur: se enim subduxerat, vt coniectare licet, Basilius iam illius Ecclesiæ presbyter, & qui plurimis placeret requirebatur, nec inueniebatur; vt interpretatur Baronius doctissimus ad annum 362. num. 54. De Basilio tamen & Eusebio hæc intelligi, quorum alter clanculùm secessisset, alter verò etiam se abscondisset, extra dubium videtur. *Tandem*, subdit Theologus, *Plebs tota vno consensu primarij ordinis virum* (Eusebium nempe) *virum, eximia illum quidem vita probitate præditum, non dum tamen diuino Baptismo consignatum, inuitum, & repugnantem corripientes, simulque militaribus copijs, qua tum in vrbem venerat, opem afferentibus, in sublimi sede collocarunt.* Temporũ necessitate cogente, & furentibus præcipuè Tyrannorum gladijs mos quidem priscis temporibus aliquando inoleuit, vt tam Presbyteri, quam Episcopi, nullo seruato clericali instituto, aceruatim in presbyteros, vel Episcopos sacrarentur, vt de Origene, & Paulino Nolano, inter presbyteros palam est, & de SS. Hilario Pictauiensi, ac Ambrosio Mediolanensi inter Episcopos ita constat; vt id Baronius in Paulino exeusauerit ad annũ 394. n. 90. & in Ambrosio probatum esse ab omnibus Episcopis decuerit ad annum 375. num. 21. Sed quid in Eusebij Cappadocis electione similius Ambrosianæ accidere poterat? Erat Eusebius primaria nobilitate clarus, eximia morum probitate præditus, literis secularibus imbutus, oblatum pariter munus detrectabat, latebat, inuitus, & non dum Baptismate ablutus, in cathedra sedere coactus est. Quid inde? non vtiq; erat tam violẽter intrusus, vt sine Episcoporũ præsentiũ consensu, vel conniuentia res perficeretur. Neque vera Nazianzenus, vel impietatis, aut omnimodæ violentiæ popularem conatum insimulat, Ita enim narrare pergit populi ardorem. *Eusebium Episcopis obtulerunt, atque ab his petere, vt eum salutari aqua tingerent, atque Archiepiscopum nominarent, suasioni interim vim admiscentes, non id quidem admodum grauiter, & modestè, admodum tamen piè, atque ardenter; nec enim cuiusquam virtus, aut pietas oblata occasione clarius emicuit.* Laudat igitur potius, quam damnet plebis conatum Nazianzenus, & eandem vim infra appellat egregiam, & honestam, præsentes potius atq;

simus

ſimulantes, & conniuentes aliquos Epiſcopos redarguens, atque ita Euſebij electionem proſequitur. *Coacti Epiſcopi rore purifico hominem perfuderunt, antiſtitem pronunciauerunt, in throno collocauerunt, manibus tamen potius, quam volũtate ſinceroq. animi affectu.* Minus quidam in hoc laudandi Epiſcopi, quia id neque detrectantes, neque ſincere pertecerũt, potuiſſent namq. vt idem Nazianzenus ſubdit, & diſcedere, & liberè decernere. *Vt enim volentes lubenteſq; diſceſſerunt, acqua vellent libere decernere potuerunt, conſilium inter ſe ineunt, haud ſcio an ſpirituale, ſed ineunt, atq. omnia, quę geſta fuerant abrogare ſtatuunt, eamq. inſtitutionem, vt minus legiptimè factam pro irrita habere.* Per vim ſe intruſiſſe dicebant Euſebium, cum tamen ipſe raptus ad thronum, illatam vim ſubſtinuiſſet, vt expreſsè ſubdit Nazianzenus, *Vim ei, cui non minor vis illata fuerat, obijcientes, ac ſermones quoſdam, petulanter magis, quam ſapienter, eo tempore iactatos vrgentes.* Non omnes Epiſcopi hi erant, ſed nonnulli, quos Gregorius ſenior, & Theologi pater *aquus rerum eſtimator* damnabat, *nec cum ijs. qui huiuſmodi conſilium ineibant adductus eſt, nec eorum ſententiam comprobauit: ſed conſtans, atq. inuictus permanſit, haud minus quam ſi nullam omnino vim perpeſſus fuiſſet.* Non ita repugnauerant Epiſcopi quaſi vim paſſi, vnde Gregorius ſenior potius eos culpandos obijcièbat, quod periculum noluiſſent ſubire. Quapropter iunior Theologus eorum conſilia, quòd à ſpirituali zelo profecta non exiſtimauerat, modeſte ſe ſupra dixerat ignorare. Senior igitur *cum vtriſq; vis allata fuiſſet, vel viciſſim accuſandos eos eſſe dicebat ſi ipſum accuſarent, vel culpa ſoluendos, ſi ipſum culpa ſolueret, vel quod iuſtus erat, ne abſoluendos quidem tametſi ipſe crimine ſolueretur.* Putauerat Gregorius in turbulentiſſimo tempore, & quando ex Iuliani Apoſtatæ ira Cæſarienſibus ingentia mala imminebant, non eſſe hæc repaſtinanda. *Longe enim ipſis honeſtius tum futurum fuiſſe periculum ſubire, atq. omni ratione obſiſtere, quam inſidias poſtea moliri, eo præſertim tempore, quo veteres inimicitiæ potius eſſent deponendæ, quam nouæ excogitandæ. Sic enim ſe res habebat. Aderat quippe Imperator aduerſus Chriſtianos fremens, atque hanc electionem irato, infeſtoq. animo ferens, graueſque in eum, qui Archiepiſcopus inſtitutus fuerat, minæ iactabãtur.* Nil magis Euſebij ſanctitatem exprimere poterat, quam eiuſdem electionem Iuliano Imperatori diſplicuiſſe in Orthodoxos omnes, & ſummæ pietatis viros infenſiſſimo, & fortaſſe inter illos fuerat Euſebius de pietate à Nazianzeno non ſemel laudatus, qui reliquum adhuc Ceſareæ ex gentilitate fortunæ fanum euerti, curauerat, dum ſub impio, & idolis addicto Imperatore, gentilitati fortuna arrideret, vt idem Nazianzenus innuit oratione prima in Iulianum. Minabatur enĩ non modo propter facinus illud Cæſarienſibus Apoſtata, quam quod Epiſcopũ elegiſſent. *In nouacula acie ſita res ciuitatis erant, ab eo ne die in rerum natura eſſe deberet, an ſeruaretur, ac clemẽtia, humanitatiſq. nonnihil impetraret. Ad eum enim dolorem, quem ob Fortunam ſecundioris fortunæ tempore ſolutam, euerſamque capiebat, noua hæc atque inſolens Præſulis electio accedebat, quam publici iuris conuulſionem, atq. oppreſſionem interpretabatur.* Exarſerat etiam in Euſebium electum, qui partes ſibi commiſſæ plebis tuebatur Præfectus Prouiniciæ, *& eos à quibus electus fuerat, vel ut accuſatores illius futuros per litteras accerſebat, non iam leniter, & remiſſe, ſed minis etiam quibuſdam additis, tanquam hoc Imperator flagitaret.* Reſtitit Præfecto Gregorius ſenior à iuniore laudatus, & ad acceptam epiſtolam reſcripſit. *Nos optime Præfecte rerum omnium, quæ geruntur, cenſorem vnum, & regem habemus, qui nunc armis oppugnatur. Is & præſentem electionem expendet, quàm nos ritè, ac legiptimè, atq. ex ipſius voluntate fecimus.* Gregorius igitur Theologus dum Patrem laudat, quòd Præfecto, alijſque Epiſcopis electio-

nem

nem Eusebij minus canonicè factam ex probantibus reluctaretur, quoniam non electi renuentis, & detrectantis culpa, sed plebis pie, & ardenter virum eximiæ vitæ probitate præditum, aliqua admissa violentia expostulantis electio facta fuisset, iam rite, ac legiptime electum fuisse Eusebium consentit, quòd à non reluctãtibus Episcopis ordinatus *ex Dei voluntate* fuerit. Qualis postea Episcopus euaserit Eusebius, quamq; illustris Confessor, nec Gregorius Theologus, neque alius, quẽ viderim scriptũ, per acta aut studio confectas laudes reliquit, sed cum nõ longo tempore in Episcopu advixerit, dum cõsimilem in electione Basilij tumultum excitatum idem Gregorius narrat, breuissimum quidem, sed illustre, ac perspicuum de Eusebio epithaphium conscripsit in eadem orat. 27. de funere patris. *Rursus eadem ciuitas* (nempe Cæsariensis) *eandem ob causam seditione laborabat, eo nimirum, qui honesta, & egregia vi ad Episcopatum pertractus fuerat* (Eusebius profecto) *celeri morte arrepto, atq; ad Deũ cuius causa in persecutionibus fortiter, strenueq. decertauerat profecto*. Hoc vtiq. de Eusebio elogium audaciorẽ me fecit vt ipsum Cæsariensem Cappadocem, non incongrue inter Sanctos veneratum esse existimarem. Nec minimi faciendas has Theologi laudes putabam in funere Patris, quòd presente Basilio eas dixerit, qui de omnibus plenissimè conscius falli non poterat, vt pondus hinc etiam non minus, quã à Gregorij sanctitate mendacium respuente recipiant. Nec dissimilia de eo habere Nicephorum videbam, quippe qui lib. 11. cap. 18. illius virtutem his verbis per interpretem ornabat. *Fuit autem Eusebius in alys rebus* (excipit dissidiũ cũ Basilio de quo infra) *Vir magnus, tum certaminibus, & periculis pro pietate subeundis maxime spectatus, & quod eius temporis persecutio declarauit*. Irato igitur contra Eusebium Iuliano in ea persecutione, quam idem Nazianzenus pluries omnium teterrimã vocauit, & ideo atrociorẽ, quòd dolosè perduellis odium in Christianos celãs, & martyrij gloriam inuidens carnificinam interim exerceret, quanta passus fuerit Eusebius, dum strenuè pro Deo decertasse S. Gregorius idem testatur, coniectari quidem licet, affirmare in omnium silentio non licet. Non vna illi fuit persecutio, quòd in *persecutionibus* fortiter pugnauerit; Nam & ad Valentis Imperatoris Arriani tempus peruenit, qui arrepta occasione dissidij inter Eusebium Archiepiscopum, & Basilium Presbyterum, aduersus Catholicam Eusebij gregem expeditionẽ suscepit, non vrbem, sed animas disiecturus. In hac non minori procella quomodo se gesserit Eusebius, & quam strenuè repugnauerit, idem Nazianzenus in laudes Basilij intentus innuit potius, quam narret orat. 30. Secesserat propter dissidium in Pontum Basilius, *cum institit repente nubes grandinis plena, & perniciose stridens, quæ Ecclesias omnes, in quas incidit, prostrauit, & quascumq. inuasit. Imperator* (Valens inquam Arrianus pervicacissimus) *auri amantissimus, & Christi hostis infensissimus, ac duobus his grauissimis morbis laborãs, inesplebilis nimirum auaritia, & blasphemia, post persecutorem persecutor, non quidem Apostata, sed nihilo tamen meliorem se Christianis prebens*. Hunc pergit narrare Nazianzenus expeditionem aduersus Ecclesiam Cæsariẽsem suscepisse, non vrbem, non domos, qui iterum extrui possent, expugnaturus, sed animas ipsas immortales distracturus. Impetum cum eo faciebat exercitus eo dignus *Nefarij Ecclesiarum Antistites, sani orbis illius Tetrarcha, qui ipsius imperio, & ditioni subiacebat*. Venerũt hi Cæsareã, vt Ecclesiã illã in dedictionẽ acciperent. In tanta rerũ perturbatione explicanda Nazianzenus, vt Basiliũ illius deinde Ecclesiæ propugnatorẽ, in Eusebij auxiliũ accurentẽ enixius, vt par erat, laudaret, quædam quæ in Eusebio desiderari tunc videbantur, attingit. Horũ nonnulla ex rei ecclesiasticæ imperitia, aliqua quod administrum non haberet Basilium accidisse existimant.

Inquit

Inquit enim *Magnum ergo certamen propositum erat, non ignaua etiam multorum alacritas, sed infirma erat acies, vt pote propugnatore carens, ac perito artifice, tam in doctrinę, quam in spiritus facultate*. Vocatũ proinde Basilium, amore Dei inflammatum aduenisse statim addit, in cuius laudes declamabat. Dum verò quantum aduentus eius Cæsaream opportunus fuerit narrare Theologus aggreditur, & hæc addidit de Eusebio ac Basilio. *Ille plebem ducebat* (nempe Eusebius,) *hic* (nempe Basilius) *ductorem; atq. instar cuiusdam leonum curatoris, prapotentem scitè cicurabat. Namq. vt nuper in sublimi cathedra constitutus, ac terreni nonnihil adhuc spirans, nondumq. in his, quæ spiritus erant, numeris omnibus absolutus, magnisq. fluctibus inferuescentibus, atque ingruentibus Ecclesiæ hostibus opus habebat homine, qui eum manu ductaret, atq. fulciret*. Ex his verbis puto Baronium doctissimum ansam accepisse de Eusebio non ita bene sentiendi. At vt candidè loquar meminisse etiam oportebat, non animi virtutem in nupero Episcopo Eusebio Nazianzenum desiderauisse, sed Ecclesiasticam doctrinã, & rerum spiritualium notitiam. Cum hæreticis enim, non cum gentilibus pugna tunc inualescebat, & quamuis generosus in propugnando, & in sæcularibus doctrinis Eusebius esset instructus, & naturali candore, & præspicacia præditus, mendacijsq. aduersissimus, vt ep 20. eundẽ pingit Nazianzenus, repente tamen raptus ad insulas, non dum spiritualis armaturæ, ac doctrinæ peritiam habebat, vt in tanto Ecclesiarum turbine omnia adamussim componere posset, ac propugnare. Duo igitur per Episcopatus initia in Eusebio desiderari posse videbantur, quæ reprehensione digna animaduerterat Gregorius. Dissidium nempe cum Basilio, in quo fortasse culpa non caruit, deinde maior in rebus diuinis peritia, sed à plebe nimis ardẽter cathedram ascendere coactus, & ab Episcopis non reluctantibus consecratus excusari in hoc poterat, non ita de concepta, & enutrita simultate cum Basilio, quem scientia, ad hæreticorum laqueos dissoluendos aptissimum, longius abesse sustinebat, & non reuocabat; & in hoc aliquid humani passum esse Eusebium Nazianzenus affirmat. Sanè in hoc paululum esse immorandum video, & explicandum, an in eo aliquid culpabile apparuerit, & quomodo in reconciliatione se gesserit, quibusue modis agnita veritate se purgauerit, ac pœnitentiam non distulerit: deinde quantis postea exantlatis laboribus in breui vitæ, quod superfuit curriculo, secundæ persecutionis agonem fortissimè expleuerit. Ita ergo Basilij laudes percurrens Nazianzenus de hoc dissidio differit. *Cum Basilio simultatem quandam is, qui proximus ante eum Ecclesię præerat, exercebat: quibus autem de causis, aut quo modo præterire satius est; cæterum exercebat: Vir cætera quidem non ingenerosus atq. eximia pietate præditus, vt persecutio tum temporis exorta, & acris aduersus eum suscepta contentio perspicuè declarauit; sed tamen in Basilio humani aliquid passus. Neq. enim viles tantum, & plebeios, sed etiam præstantissimos quosque viros Momus attingit: vt solius Dei sit omni peccato atque animi perturbatione vacare*. Eruperat contra Eusebium Episcoporum aliquorum, vt vidimus turbo, qui &si ipsũ adhuc cathecumenũ Baptismo abluissent, & in Episcopũ ordinassent, pœnituerat tamen; incertũ vt diximus, an zelo diuino vel humano. Hinc in clero, ac plebe orta est diuisio, præsertim scissurã fouẽtibus Arrianis. Pro orthodoxis Eusebiũ stetisse dubitari nequit toties à Naziãzeno in persecutione laudatus, & qui Sozomeno teste lib. 6. c. 12. sub Iouiano catholico principe Antiochiæ cum alijs omousion tenendum esse statuerat, & in concilio Tyanensi sub Valentiniano, & Valente cum Occidentalibus, & Romano Pontifice senserat, & tamen scissura magna erat; nam quamuis fuga lapsus Basilius esset, cum tamen

eodem tempore, quo Euſebius ordinatus eſt,& ipſe quæſitus fuiſſet ad infulas innocenter, quodammodo turbas fouebat. Nazaræi ſi quidem, ita Monacos vocat Gregorius,quorum princeps ipſe Baſilius iam Presbyter, & doctrina clarus reputabatur, tumultuabant, quippe qui *turpe, & indignum eſſe arbitrati ſunt principis ſui contumeliam, repulſæque iniuriam diſſimulanter ferre*, vel quod in electione reiectus Baſilius ab Euſebio minoris fieri videretur, & à Synodis alijſq. Eccleſiæ conuentibus reijceretur, forraſſe etiã, quod Baſilius ipſe Cæſarienſi præsbyterio, ac doctrina clarus, dum non ita demiſsè ſe erga nouum Epiſcopum gereret, alicuius peruicaciæ inſimularetur, vt Nazianzenus ipſe obſcure indicauit, cum à ſe recuſatum honorem innuens, de ipſo ait, *atque à nonnullis, qui rationum illius ignari erant, faſtus inſimulari maluit quam aliquid facere, quod rationibus conſiliſque ſuis aduerſaretur*. Vnde Abbas Vipergenſis in chronico, vt mos ſchiſmaticis eſt, apertius in Sanctos oblatrandi, anſam arripuit dicendi, Baſilium ex nonnullorum ſententia ſuperbiæ vitio laboraſſe, quemadmodum notat etiam Bilius in huius orationis ſchotio: In idem etiam collimare videtur Sozomenus, non ita ſincerus ſcriptor, qui lib.6. cap.15. per interpretem inquit. *Baſilius non alia de cauſa in Monaſterio Ponti vita quietæ ſe dederat, quam vti Eccleſia, quę cæteroqui rebellione Arianorum grauiter exagitabatur, etiam ſua cauſa aliquid damni acciperet.* Narrauerat antę inter Baſilium, & Euſebium ſuſceptas fuiſſe inimicitias, & ex illius ſeceſſione in Pontum populum, & maxime eos, qui animi magnitudine,& ſapientia excellebant Euſebium ſuſpectum habuiſſe, *veluti cauſam, cui Baſilius, vir ob piam vitam, & eloquentiam ſingularem ab omnibus pleno ore laudatus inde fugeret.* Qui autem eſſent in Euſebium concitati, & qui ciuilem contentionem fouerent ita eadem orat.30, notat Nazianzenus. *Et aduerſum eum* (Euſebium nempe) *concitatur Eccleſię pars ſelectior, & ſapientior; ſi modo ſapientiores y habendi ſunt, quam reliquum mortalium vulgus, qui ſeipſos à mundi conſortio ſegregarunt, ac vitam ſuam Deo conſecrarunt, Nazareos noſtrates dico, atq. in huiuſmodi res præſertim maxima animi contentione incumbentes, qui turpe & indignum eſſe arbitrati principis ſui contumeliam, repulſæq iniuriam diſſimulanter ferre, periculoſiſſimum facinus aggrediuntur. A magno, & ſeditionis experte Eccleſiæ corpore deficere, ſeſeq. abrumpere conſtituunt.* Ne vero quis dubitaret eorundem Monachorum principem alium quempiam eſſe ex primo clericorum ordine præter Baſilium, qui repulſam paſſus fuerit,audiendus eſt idem Nazianzenus, dum momenta rationum de ſchiſmate illo adducturus Baſilium deinceps non tacuit,& de Nazareis ſeu Monacis ita narrare pergit poſt adducta poſtremo loco poſtrema verba, *non exiguam quoq. multitudinem in ipſius partem amputantes, tam eorum qui plebeio ordine cenſebantur, quam eorum qui magiſtratus gerebant. Idq. autem ob tres cauſas eaſq. firmiſſimas per facile erat. Primum enim Baſilius tanta apud omnes veneratione erat, quanta haud ſcio, an quiſquam noſtrę ætatis philoſophorum, eamq. vim habebat, vt cohorti ſuæ ſi voluiſſet animum, & fiduciam afferre poſſet.* Id certè Baſilius non præſtitit,ſed potius fugam meditauit, & ſeceſſit in Pontum. At quia turbæ iam erãt excitatæ,& ex ipſius repulſa, ac magna apud omnes exiſtimatione neq uaquam difficile erat in Euſebio ſuſpiciones excitare, ne Baſilius eaſdem foueret, præſertim dum illius æmuli, (plures enim fuiſſe etiam poſt Epiſcopi mortem dilucidè alibi narrat Nazianzenus) falſis rumoribus, & calumnijs apud Euſebium iam in ſuſpicionem verſum eum traducere conarentur. Spirabat adhuc Euſebius,vt ex eodem Nazianzeno diximus, nonnihil ſæcularis generoſi-

tatis,

tatis, & natura magnanimus, iraſq. non facile, vt leo comprimens, in Baſilium ferebatur, quem contra ipſum diſſentiones nutrire, ex ipſius vt vocat Nazianzenus, cohorte non prorſus temere ſuſpicabatur. Poterat quidē Baſiliū virū irreprehenſibilē, & Eccleſiaſtica doctrina calamitoſis illis tēporibus apprimè clarum ac opportunum maioris exiſtimare, ad ſe allicere, ad Synodos vocare, vt Arrianis maiori potentia obſiſteret: ſed humani aliquid paſſus nonnihil tardius è Ponto reuocauit. Reuocauit tamen generosè, vel potius inſigni Chriſtianæ humilitatis exemplo, non modo primus, & tantò dignitate ſuperior ad Baſilium ſcribens, ſed legationem adornans, dum interim titulo defenſoris Eccleſiæ Cæſarienſis vnà cum Gregorio Nazianzeno ipſum decorauerit. Sed pergamus primū turbas excitatas referre, mox glorioſum tam ipſi, quam Euſebio, Baſilij reditum abſoluemus. Potuiſſet Baſilius, vt iam ex verbis Theologi vidimus, ſuas cohortes in ſchiſmate contra Euſebium firmare, ſed noluit, nec tamen difficile fuiſſet, nam qui negocium Epiſcopo faciebant, hoc iactabant, quòd Euſebius *propter tumultum in ipſius electione coortum ciuitati ſuſpectus erat, vt non magis ritè, ac legittimè, quā tyrannicè præfecturā conſequutus eſſet*. Aliam etiam attingit Nazazienus diſſidij illius, ſeu ſchiſmatis cauſam, nempè occidentales quoſdam Epiſcopos, *qui orthodoxos omnes ad ſuas partes pertrahebant*. Hos putat Billius in ſcholio nu. 53. Luciferum Calaritanum, & Euſebium Vercellenſem fuiſſe Roma Cæſaream miſſos ad Eccleſiam illam trāquillandam. Equidem hi iam inter ſe diuiſi adinuicē erant: Lucifer enim, quæcūq. diſſidij cum Euſebio Vercellēſi cauſa fuerit, iam ſe ab eius communione, & Eccleſiæ ſegregauerat imperante Iuliano, & quamquam Luciferiani ſe pro Catholicis venditarent, pars re vera Catholica cum S. Euſebio Vercellēſi conſentiebat, quemadmodum Baronius ad annum 362. latius diſſerit. Non dum tamen detecta Luceferianorum ſecta, dum vterq. pro Catholico haberetur, & vnuſquiſque orthodoxos ad ſe trahere conaretur, etiam Cæſarienſis ſciſſura fouebatur. Neq. difficile putarem S. Euſebium Vercellenſem pro Euſebio Cæſarienſi dimicaſſe, quòd omnino Cæſarienſis pro Catholico haberetur, non modo quia in pluribus Synodis contra Arianos ſteterit, vt ex Sozomeno diximus, ſed quia catholicus ſemper tam à Baſilio redeunte, quā à Gregorio ſeniori, & Theologo habitus fuerit; facile proinde eſt credere Apoſtolicum legatum Euſebium Vercellēſem ratam Cæſarienſis electionem habuiſſe, cum de eius legittima electione, neque Nazianzenus, neque Baſilius ex infra dicendis vnquam dubitauerint. Dum ergo Eccleſia illa inteſtino malo laboraret, & pars Euſebium iam Epiſcopum, pars Baſilium repulſam paſſum reſpiceret, enituit Baſilij virtus ex his, quæ pergit ad ſuperiora verba attexere Nazianzenus. *Quid igitur præclarus ille, & Pacifici diſcipulus, (nec enim his qui conſimilia ipſi inferebant, aut qui ipſius partibus ſtudebant obluctari poterat: nec illius erat dimicare, aut Eccleſiæ corpus lacerare, alioquin etiam bello vexata, atq. ab hæreticis penes quos, tum ſumma rerum erat in periculum adducta: ſimul etiam conſultoribus nobis ſinceriſq. monitoribus in ea re uſus) nobiſcum hinc præfectus in Pontum ſecedit*. Laudabili quidem exemplo, ne Euſebij ſuſpiciones augeret, aut ſchiſma quoquo modo foueret, ſeceſſit Baſilius; at Gregorius Nazianzenus, qui neceſſitudinis familiariſſimæ vinculo eidem connectebatur, & Euſebio inuiſus non erat, poteratq. imminenti iam Valentis procellæ ſe murum opponere, ac mediatorem cum Euſebio agere, à Gregorio ſeniore, & Patre longius immorari non permictitur, ſed tam difficile reuocatur, vt vix ſe abſtrahi paſſum fateatur oratione eadē 27. in funere Patris: & tamen efflagitante plebe Nazianzena à Patre ordinatum ſacerdotem, vt Arianis opponeretur, narrat, quos repreſſiſſe patrem addit. *Tum*

per ſe ipſe, tum per nos etiam fortaſſe, quos veluti non ignauos, ac degeneres catulos in illos tanquam in ſauiſſimas beſtias immittebat. Cæſareæ quæ Metropolis paterni etiã Epiſcopatus erat, nil ante cum Euſebio egiſſe mediatorem Gregorium Theologum, dum Baſilio adhuc ille infenſus erat, ex infra dicendis conſtabit. Interim demus Euſebium noſtrum aliquid humani paſſum contra Baſilium, & erraſſe, vel nimis ſuſpicioni addictũ, vel aliorum detractionibus nimium innixũ, (quod videtur per Momũ inuidiæ, vel detractionis numẽ à Naziãzeno adductũ ſignificari,) ſiue non ita magni faciendo Baſilium, vt æquè erat in tam difficili tempeſtate, quin etiam, vt elicitur ex epiſtola Gregorij Theologi ad ipſum Euſebium, quæ editionis Pariſinę vigeſima nona in ordine eſt, non vocando ad Synodos contumelia quadã affecerit, erroremẽ equidẽ deinde agnouit, ac ita emẽdauit, vt Chriſtianæ virtutis non minimum exemplum reliquerit. Putat Nicephorus lib. 11. Hiſtoriæ iam adducto, ſponte Baſilium redijſſe, ac auxiliares manus non tantum Euſebio, quam fluctuanti Cæſarienſi Eccleſiæ vltroneas prębuiſſe, dum omnem reconciliationis laudem Baſilio tribuit, & ante ipſum Sozomenus lib. 6. cap. 15. qui de reditu Baſilij ſcribit *ſua ſponte venit Cæſaream*. Nec aliter videtur Naziãzenũ affirmare, vt puto ex orationis abundantia in Baſilij laudes defluentis. *Quid igitur inquit de Baſilio generoſa illa mentisque magnitudine preſtans anima, Chriſtiq. amore vere inflammata. Ne longa quidem adhoc oratio comparãda fuit, vt ad nos ſe conferret, nobisq. adiumento eſſet. Vere ſimul atq. legatione me fungentem aſpexit (erat enim vtriq. noſtrum commune hoc certamen, vt qui fidei defenſores, atq. patroni deſignati eſſemus) ſtatim legationi ceſſit: atque ſpiritualibus rationibus ſecum optimè ſapientiſſimeq. diſtinguens, aliud ſimultatis tempus eſſe (ſi quid etiam huic affectui indulgendum eſſet) nempe pacis, ac tranquillitatis, aliud æquanimitatis, nempe neceſſitatis, ac periculorum tempus, hoc inquam ſecũ reputans confeſtim è Ponto nobiſcũ excedit, atq. erga periclitantẽ veritatẽ zelo exiſtuat, vltroq. ſuppetias nobis affert totũq. ſe Matri Eccleſiæ tradit.* Ex qua de reditu Baſilij narratione nonnulla elici poſſe videtur: primum & ſi non multam, orationem tamen, ſiue epiſtolam ſuaſoriam præceſſiſſe, qua motus Baſilius in manſuetudinẽ alioquin pronus reditui acquieſceret: deinde ad eum legatione Euſebij nomine functũ fuiſſe Gregorium, ad cuius aſpectum ſtatim Baſilius ceſſerit, & reditui aſſenſum prebuerit. Tertio ita alacrem, prontumque in patriam fuiſſe reditum, ita facilem cum Euſebio reconciliationem Baſilij, vt quaſi ſponte facta videretur, illũq; vltro ſuppetias periclitanti fidei attuliſſe dici poſſet. Hoc ſenſu Nicephorus ſcripſit Valentem, & cum eo Epiſcopos Arianos, vt Cæſarienſem Eccleſiam peſſundaret opportunum tempus nactos Cæſaream adueniſſe, *vt recta ſentientes Eccleſijs exigerent*, puta Euſebium, *propterea quod Baſilius ſeceſſiſſet, & populus Euſebij odio ad diſceſſionem ſpectaret. Caterum conſilium id fruſtra fuit. Quã primum enim hos Cæſaream perueniſſe nũciatum eſt. Baſilius monaſticis in Ponto ſcholis vale dicto Cæſaream, & ipſe redit, & Euſebio rebus omnibus alijs poſthabitis conciliatur, quo quidem facto animi ſui beneuolentiam maximè oſtendit.* Sed res alio modo quo ad ſpontaneum reditum Baſilij euenit, quam Nicephorus videatur narrare, & ex Epiſtolis Nazianzeni quid ipſe pro reconciliatione egerit, & quid antea Euſebius perfecerit luculenter apparet. Sunt enim epiſtolę, quæ ſine oratoria amplificatione ſcribuntur, magnum apud eruditos hiſtoriæ lumen. Igitur ex epiſtola, quæ mopere Baſilij 29. eſt, in Nazianzeni 20. conſtat Gregorium ad Euſebiũ Epiſcopũ Cæſarienſem reſcribentem prima de reducendo Baſilio ſemina iecisſe, dum cidẽ gratias agendo, quod ipſum laudaſſet, & ad Synodos, & conuentus ſpirituales vocaſſet, arrepta occaſione, quod Baſilium ſuum paruipẽderet, nec ad huiuſmodi

con-

conuentus vocaret, modestè increpat, & orat vt vocet, spondens Basilium ad officia responsurũ, & ambos eũ sequuturos, tanquã vmbra corpus. Quid hæc epistola, aliaq. officia per amicos exhibita prestiterint, habetur ex epistola alia nempe 19. Nazianzeni ad Basilium scripta, quam ideo ex interpretatione Bilij apponere libuit, vt inde appareat non minus Basilium opera Gregorij, quam Eusebij ipsius mansuetudine Cesaræam euocatum fuisse.

Tempus iam est, vt prudens consilium ineamus, tolerantięque laude floreamus; nos itaque comparemus, vt nec quisquam animi magnitudine præstantior nobis appareat, nec multi nostri labores, & sudores temporis puncto collabantur, & euanescant. Cur hęc scribam quæris? Deo charissimus Episcopus noster Eusebius (sic enim de eo nobis deinceps sentiendum, & scribendum est) animo erga nos est admodum amico, & simultates componendas propenso, ac tempore velut igni ferrum emollitus. Litteras q. etiam deprecatrices, & euocatrices ad te missurus est, quemadmodum & ipse mihi significauit, & multi ipsius animum perspicuè cognitum habentes nobis fidem faciunt. Qua antevertamus quæso, vel ad eum venientes, vel scribentes, vel quod erit rectius prius scribentes, ac deinde ad eum nos conferentes, ne forte nos pudeat, si victi fuerimus, cum vincere licuerit præclare videlicet, & philosophicè cedendo: id quod plerique à nobis expoſcũt. Mihi itaq. obsequere, & veni, tum ob hanc causam, tum etiam propter tempus. Quandoquidem hæretici coniuratis animis Ecclesiam percurrant, partimq. iam adsunt, ac turbas mouent, partim, vt fama iactatur, affuturi sunt. Ac periculum est, ne veritatis doctrina conuulsa distrahatur, nisi prima quoque tempore Beseleelis spiritus excitetur hoc est sapientis huiusmodi disputationum, & dogmatum Architecti: Quòd si tibi operæ pretium esse videtur, vt ipse adsim, atq. hæc administrem, tibiq. itineris comitem me adiungam, ne hoc quidem munus defugiemus.

Clarissimè vt puto ex hac epistola apparet quanta mansuetudine Eusebius cum Basilio præteritorum pœnitẽtia ductus egerit. Quid enim magis poterat Metropolita cum suæ Ecclesiæ presbytero ad Christianæ perfectionis libellam agere post simultates enutritas, easque ex suspicionibus non ita temerè natas, quam ad humilitatẽ primũ se cõponere, & in officijs illis, quæ ipso fatente Gregorio Basilij amicissimo, multi putabãt magis Basilio conuenire, ita Archiepiscopũ descẽdisset, vt cederet, vt litteras ipse ad presbyterum deprecatrices, & euocatrices daret. Vtique si humani aliquod passus aduersus Basilium errauit Eusebius, ita resipuit, vt ex sequenti in eundem mansuetudine iure merito à Gregorio vocatus fuerit *Deo carissimus Episcopus*, quod nimirum se ad amussim Euangelicæ legis accomodauerit. Neque enim litteras tantum officij plenas dedisse ad Basilium credere pars est, quod id non modo Gregorio pollicitus erat, & multi fidem interponebant, sed quòd legatum Gregorium ipsum ad Basilium miserit, vt ex super adductis in orat. de laudibus Basilij idem Gregorius apertissimè docet. E Ponto igitur secum excedentem Basilium ita pingit Gregorius, vt veteris simultatis in illius animo fomites quosdam nequaquam remansisse ostendat. *Inimicitias*, inquit *ponit*, quasi nonnihil antea, & ipse humani passus esset, *consulto aciem instruit, scandala, & offendicula intermedia submouet*; deinde quomodo cum Eusebio se gesserit addit, *Proximum autem Basilio negocium, ac studiũ hoc fuit Antistitem obseruare, suspicionẽ extinguere* (ex suspicionibus .n. in Eusebio dissidiũ ortum fuisse diximus) *mortalibus omnibus persuadere, mœrorem illum, quo affectus fuerat, tentationem quandam, collu&tationemq. peruersi spiritus extitisse, honesta, ac laudabili concordię inuidentis: cæterum non ignarum se esse, quid obedientia, ordiniq. spiritualis leges postularent*, & post plura officiosè sanctèq. erga Eusebium à Basilio

filio præstita, ac narrata vno verbo colligit tantã illius beneuolentiam hunc consecutum esse *quantum prius apud eum odio flagrare putabatur*, vel vt post Billiũ vertit Bilibaldus Pirckeymerus. *Talis erga illum* (Eusebium nempe) *erat beneuolentia, qualis prius ad inimicitias proclinis fuisse putabatur*, nonnihil etiam denutrita cum Eusebio dissentione Basilium male apud aliquos audiuisse non silẽs. Sed ablatis simultatum nebulis, & Eusebij insigni pietate cognita, cum iam Basilius *sub lege esset obedientiæ ac ordine spiritali*, explanaturus Eusebij ipsius iussu librum Prouerbiorum, nil mirum si ab his verbis inceperit. *Obediamus igitur bono Patri, certaminum præmia nobis ex spiritus oraculis proponenti, qui nos instar venatorum in locis inuijs quasi catuli cuiusdam venatici indicio cursus nostri experimentum vult capere*. Homel. 12. init. Prou. Quam vero his ministrantibus, Gregorio inquam Theologo, atq. Basilio, Eusebius profecerit, quantaue virtutum hauserit incrementa, vtinam aliquis scripsisset, sed plurima, quæ Basilio Eusebij cooperatori tribuit Gregorius, dum in illius laudes data opera decurrit, Eusebio cõmunia fuisse vix dubitarem, saltem quod permictẽdo adiuuaret, siue in sustinenda, siue in depellenda hæreticorũ procella, siue in subsecuta fame demulcenda opus vterq. impẽderet. Nõ diu deinde advixisse Eusebiũ Theologus narrat, & dum ob tanta præclarè sub illo gesta Basilium in eius locum subrogatum fuisse docet, his vtitur verbis orat. eadem de laudibus Basilij. *Ob hæc igitur, ac tanta (quid enim omnibus recensedis, longiorem moram trahere necesse est) cum is qui nomen à pietate appositè ducebat* (Eusebius nempe latinè pius) *ex hac vita migrasset, atque in ipsius manibus animam suauiter exhalasset, ad excelsam Episcopatus sedem euehitur*. Obitum pariter Eusebij in orat. de funere Patris Gregorius refert tanquam optimi Confessoris, & celerem fuisse innuit, dum iterum in electione Basilij Vrbs illa tumultuaret. *Rursus eadem ciuitas eandem ob causam seditione laborabat, eo nimirum, qui honesta, & egregia vi ad Episcopatum pertractus fuerat, celeri morte arrepto, atq. ad Deum, cuius causa in persecutionibus fortiter, strenueq. decertauerat, profecto*. Ex celeri autẽ à Gregorio vocata morte Eusebij putat doctissimus Baronius ad annum 369. nu. 46. eum repentino, violentoq; morbo confectum ex hac vita sublatum esse, sed quòd *suauissime* animam in manibus Basilij exhalauarit, vel non ita violentam mortem oppetijsse significaret, vel somno Sanctorũ suauiter in Dño quieuisse: in Deo inquam cuius causa in persecutionibus fortiter decertauerat. Quæ verba fortasse doctissimus Baronius tacuit, quod ei displicuisset per quandam violentiam Eusebium Cæsariensem fuisse in cathedrã illam intrusum, cũ de eo & Nectario intelligenda esse velit, quæ Nazianzenus alibi in sui temporis violentas Episcoporum electiones declamauerat. At cum de hac honesta in Eusebium, & egregia vi aliqua infra refricare opus sit, nunc dixisse sufficiat de eius Beato obitu, ac orthodoxia cum Nazianzeno Basilium ipsum consentire, dum eidem scribens ep. 21. timere se fatetur, ne *à morte Beati Episcopi Eusebij*, Ecclesiam Cæsariensem catholicam aliqui ex hæreticis zizanijs impleant, *& pietatem in hominum animis multo labore sparsam perniciosis suis doctrinis, radicitus euellant*. Nec alibi veritus est Basilius ipse pientissimum Episcopum Eusebium appellare, dum ad Meletium scribens inter ipsius epistolas n. 78. ita loquitur. *Litteras accepi à pientissimo Episcopo Eusebio, quibus mandatur, vt occidentalibus iterum de quibusdam Ecclesijs scribatur*. Sed quæ post mortem laudes adijciuntur cum maioris existimandæ sint, quamuis à sanctis viris semper inducta laudatio suspicienda sit, præter ea quæ de eius obitu, strenuaque fortitudine tempore persecutionum addit post eius mortem Nazianzenus, & nos supra retulimus, videtur

etiam

etiam aliud accedere testimonium ipsius Nazianzeni scribentis ep. 33. ad Sanctum Eusebium Samosatensem. Qui cum post mortem Eusebij nostri Cæsaream profectus in noui, & catholici Episcopi electione nouiter incumberet, ita expectare se nouum pastorem inquit Nazianzenus *antecessoribus Episcopis dignum*, vt à classe Sanctorum virorum Leontij, Hermogenis, & aliorũ Eusebium non excepe-rit. Post reconciliatum vero sibi Basilium non diu Eusebium advixisse confirmat etiã Gregorius Presbyter Græcus scriptor vitæ Nazianzeni à Bilio interpretatus, qui eiusdem Theologi opera reuocatum è Ponto Basilium narrat, *sedente ad clauum metropolis eius adhuc viro religioso Eusebio*, de quo parum infra ad reditum Basilij addit. *Neque multo interiecto tempore præses Ecclesiæ, quem diximus, meliorem ad vitam translatus est*. Non minus ita mortis celeritatẽ ad reditum Basilij conferens, quam ex morum integritate meliorem vitam defuncto Episcopo tribuens. Antequam vero colophonem huic exercitationi imponamus scrupulus remouendus est, quo fortasse motus vir summus Baronius Eusebium numquam laudibus extulit, vt potius violenta morte multatum videatur suboscure sentire; est enim offendiculũ, quod Naziãzenus eadẽ oratione de laudibus Basilij, dũ in Ecclesiasticis præfecturis ordinẽ seruandũ exẽplo eiusdẽ Basilij docet, qui per sacros ordines paulatim ad præsbyteralẽ, & Episcopalẽ gradum peruenit, violentam quoadmodo Eusebij electionẽ videatur damnare, cum hæc de Diuina in Basilium prouidentia subdit. *In quo hanc rationem tenuit, vt minimè repente eum ad huiusmodi gradum subueheret, nec eodem temporis momento salutari aqua tingeret, ac sapientia instrueret, quemadmodum plerisq. eorum accidit, qui nunc ad præfecturas inflammati cupiditate rapiuntur, verum ordine ac spiritualis progressionis lege hoc eum honore afficeret. Nec enim mihi perturbatio illa, temeritasq. probatur, quę apud nos interdum, & in nonnullis primarias Ecclesia sedes tenentibus oboritur*, & infra. *Vno die Sanctos fingimus, eosq; sapientes, & eruditos esse iubemus qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quicquam ante contulerunt præterquã velle*. Prosequitur, in hæc absurda oratorio stylo declamare, vt in laudes Basilij diuerso modo electum deflecteret, putatq. Baronius eruditissimus ad annum 362. n. 60. Nazianzenum alludere *ad Eusebium, de quo nuper, & ad Nectarium, qui item ex cathecumeno ad Episcopatum sedis Constantinopolitanę postea euectus est*. Sed quidquid de Nectario, alijsq. sit per calamitosa illa tẽpora repẽtè ad Episcopalem sedem euectos volentes, & optantes, hæc certè de Eusebio intelligere nequaquã Nazianzenus poterat quẽ renuentẽ, fugientẽ, reluctantem, & *egregia, & honesta vi* raptum fuisse ad Sedem episcopalem in funere patris coram ipso Basilio docuerat. Tãtum enim abest, vt Eusebius cathedram optauerit, & ambitu quæsiuerit, vt omni studio declinauerit; & quamquam ingruẽte Arianorum procella maiorem Basilio absente experientiam, ac spiritualem doctrinam in Eusebio optauerit, eundem semper de modestia, pietate, ac fortitudine in persecutione laudauit, nec vnquam gradum illum ambisse, vel obscurè protulit: quinimo statim post ea, quæ contra abusum illius sæculi, & vrbis declamauerat, de Eusebio sermonem instituens de dissentione tantũ cũ Basilio, ac minori peritia non ambitu, nonnihil virum alioquin *eximia pietate prædictũ* insimulauit, quòd Hæreticorum ausibus inde animus accreuerit, ac via aperta fuerit ad Ecclesiam Cæsarienſem deuastandam *nulla re perinde, vt prædictorum hominum simultate*, (Ecclesiasticorum Cæsariensium nempe, vt iam dixerat) *atq. illius, qui tunc nobis præerat imperitia*. Sed de hac potius culpandi erant, qui elegerant, & ordinauerant, quam qui coactus impar onus susceperat. Neque Nazianzenus tãtum contra laicos, & Episcopos, qui statim extra ecclesiasticum ordinem assumerentur

tur declamauit, sed & alij Patres passim, & Hieronymus præcipuè ep. 83. ad Oceanum, D. Gregorius ad Bunichildam Reginam, Leo primus ep. 85. & tamen vbi temporũ necessitas exigeret, & magna in laico elucerẽt merita, tollerauit, & probauit Ecclesia, vt in Ambrosio, alijsq. accidit. Hæc quidem ex coæuo, & in eadem Cæsarienſi Ecclesia versato Gregorio Theologo collegimus. Sunt, & alia de Eusebij sanctitate testimonia, quæ etiam libet afferre. Extat D. Basilij vita per Amphilochium scripta, tùm inter vitas Patrum Rosuueydi, tum in postrema Surii Colonienſe editione ad primum Ianuarij diem, in qua aliqua elucent de Eusebij sanctitate lumina. Huius scriptorem &si Amphilochium Basilio coæuum neget esse doctissimus Baronius, & aliqua continere velit, quæ corrigenda sint, vera tamen etiam narrare non inficiatur ad annũ 378. n.x. Is igitur siue Amphilochius, siue alius scriptum reliquit, quod Basilio cum Eutulo socio ingressuris Cæsarienſium Ciuitatem *in visione noctis reuelatus est tũc Episcopo ipsius Vrbis Eusebio nomine horum aduentus, & quòd Basilius eius esset futurus successor.* Addit vero quòd missis Archidiacono, alijsq. honestioribus clericis in occursum Basilij, ac eius socij, *Cum intrarent intuitus eos Sanctissimus Episcopus, & stupefactus in similitudine visionis Deo gratias egit.* Honorificè igitur susceptis hospitibus, ac vniuerso Clero participata visione, Episcopo Eusebio Clerici *vna voce dixerunt. Veraciter & hoc digna est munda vita tua, vt diuinitus reuelaretur is qui post te futurus est pontificale thronum ornare*, & subdit consentientia scriptori vitæ S. Gregorij Nazianzeni, Eusebium ad aduentum Basilij *non post multũ temporis* obijsse. Et quamquam in hac narratione, quam integram non apposui videatur, illud fortasse veritati minus congruum, quod Eusebius Basilium non nisi per visionem agnouerit, quod de tanto viro Cæsareæ notissimo, & cum quo aliqua simultas intercesserat videatur difficillimum, vnum tamen me haurire tuto posse existimaui apud Græcos, & Cæsarienses Eusebium fama sanctitatis, & morum innocentia fuisse celebrem. Nihil ergo videtur Eusebio Confessori (hoc enim nomen illis temporibus vsitatum, etiam strictissimè acceptum, propter inuictũ animi robur in persecutionibus Eusebio tribuere audeo) voluntarij næui inhæsisse, præter simultatem cum Basilio, nec alterius criminis insimulari posse. Hoc autem in tumultuosa vrbe ex suspicionibus natum S. Gregorius de facinore non damnauit, tantummodo contentus post eius mortem ipso Basilio amicissimo, & Archiepiscopo presente, humanã passionem appellare. Neq. enim quis credere debet, aduersa omnia quæcũq. D. Basilius dolet in libris suis ab Eusebio Sancto, pioque viro profluxisse, sed multa in scissura illius Ecclesiæ à factiosis, plurima ab Hæreticis, quibus semper reluctauerit, accidisse ex eius scriptis conuincitur, præsertim ex epistola 58. ad Meletium Episcopum, in qua iam Eusebio *pientissimo*, vt ibi dicitur, coniunctus, insidias contra ipsum Antiochiæ structas dolet, & insidiosè contra eum multa adhuc fingi, quæ orat præueniri. Neque enim si quid calumniæ in eum spargeretur, tacuit Basilius, quòd presbyter esset, & princeps Monacorum, sed toleranda quidem forti animo docuit, non silenda, & de eo orat. x. de odio, & inuidia inquit. *Ad calumnias autem conticescere non oportet, non vt contradicendo nos ipsos defendamus, sed ne mendacio progressũ permittamus, circumventosq. damno affici patiamur.* Dum vero Eusebium humana passione tactum in Basilij simultate, ac nouitium in spirituali doctrina in Ecclesia disciplina versatum, dum in moribus inuictoq. in persecutionibus robore laudat, id videtur in Eusebio Gregorium seruare, quod in orat. 29. de S. Cipriano mago scriptum reliquit. Sanctos viros nimirum, dum ex aliquo errore *ad Salubriora consilia animum appellunt se se veluti signum quoddam ad bene sperandum*

atto-

ta tollere, & admodum ignaui sordidiq. animi esse eos *qui rerum minus laudandarũ commemoratione sancto alicui contumeliam inferri censent*. Nazianzenus quidem in Eusebio reprehendit epist. 29. inter Basilianas, quòd non vocando Basilium Cæsariensem præsbyterum ad concilia, & Synodos spiratales eidem contumeliam intulerit, sed cœterum ipsum Eusebium; ita laudat, vt optimum omnium quos cognouerit affirmare non erubuerit, hoc est, *Virum, & Sacerdotem, & tantum, quem cùm vita, tùm doctrina, canicie quoque, omnium quos cognouimus, optimum esse scimus*. Quæ per adulationem dicta esse, nefas est de Nazianzeno scribente suspicari. Billius qui ex Græcis Nonni, & Nicetæ scholijs sua confeciſſe profitetur, bis affirmat Eusebium Cæsariensem Cappodocem Episcopum pro fide exulasse. Sed quod ad ipsum in exilio agentem, tres epistolas Nazianzenus scripserit, vereor ne hallucinetur non aduertens eas non ad Eusebium Cæsariensem, sed Samosetanum scriptas esse, quem pro fide exulasse palam est. Negare tamẽ non velim, antiquos scholiastas aliunde excerpere potuisse, exilium pro fide Eusebium Cæsariensem pertulisse, quòd ex Nazianzeno certum sit sub persecutoribus Iuliano, & Valente pro Christi fide strenuè decertasse. Videãtur Billij scholia, tùm ad orat. de laudibus Basilij n. 51. tum ad orat. de funere Patris n. 34.

Hæc pro Eusebio Cæsariensi Episcopo Cappadoce non Palestino libuit cumulare, non ad eius sanctitatem certiùs asserendam, sed ad emendatam simultatem cum D. Basilio emaculandam, nostrumq. Vetustius Martyrologium dilucidandum, Corbeiense confirmandũ, & vt reliqua Hagiologia, quæ hac die Eusebium Palestinum venerantur à minus pia interpolatione vindicentur.

X. Kal. Iulij.

IN Antiochia Sanctorum Gandalici. Iuliani. Graphi. & Sanctorum Martirum dcccxiij. quorum nomina Devs habet in libro viuentium. In Persida Natalis S. Iacobi Alphei Apostoli. In Alexandria Ciuitate Natalis S. Rufini Martiris. In Britannia Albini martyris cum alijs dcccIxxxix. In Ciuitate Nola Paulini Episcopi, & Confessoris. Depositio Sanctæ memoriæ Nicei Episcopi.

IVNII 22.

TAntam Antiochensium Martyrum segetem Romanum M. non exhibet, neque Beda, Rabanus, Vsuardus, Ado, aut alius quem viderim ex recentioribus. Notkerus tantum ita in ordinem redegit. *Antiochia Natiuitas SS. Martyrum Agathalice Iuliani, Graphi, & aliorum dcccxiiij. quorum nomina Deus habet in libro viuentium*. Antiochiam Syriæ esse locum multiplicis agonis accuratè notat M. Antuerpiense in anonymorum numero supra Notkerum redundans, deficiẽs in aliquibus ex nomine signatis. *x. Kal. Iulij. In Antiochia Syriæ Gamgali, Iuliani, & aliorum dcccIxxviiij. in Persida S. Iacobi Alphei Apostoli. In Alexandria Rufini, & aliorum dcccIxviiij. In Ciuitate Nola Paulini Episcopi. Alibi depositio S. Memoria Niceti*. Exvberat anonymorũ Antiochensium numerus in M. Corbeiẽsi supra codices nostros integro centenario

hoc pacto. *x. Kal. Iulij. In Antiochia SS. Gandalici, Iuliani, Grapi, & Sanctorũ martyrum nongentorum tredecim, quorum nomina habentur in libro vitæ. In Perſida Natalis Sancti Iacobi Alfæi Apoſtoli. In Alexandria Natalis Sancti Rufi martyris. In Britannia Albani martyris cum alijs nongentis ſeptuaginta, & octo. In Nola Ciuitate natalis Sancti Paulini Epiſcopi, & Confeſſoris. Et alibi depoſitio Sanctæ memoriæ Niceti Epiſcopi.* Nomina horũ codicum aliquo pacto inter ſe differunt; pro Agathalica enim Notkeri Gandalicium libri noſtri, & Corbeienſe M. legunt, Gamgalium M. Antuerpienſe, in quo Graphius, ſeu Grapius deſideratur. Iulianum martyrem Græci recoluut die præcedenti 21. Iunij, non autem Antiochiæ, ſed Antinopoli vrbe Ægypti. De pluribus ſub Iuliani nomine martyribus videantur, quæ notat eruditiſſimus Bollandus ad diem ix. Ianuarij, penes quem in adductis Actis Iulianum, & Baſilium Antiochiæ Ægypto Metropoli veneratos videre licet; alium vero Iulianum eſſe ab illis, qui per alios dies apud eundem recoluntur, non dubitarem, tum quia Antiochiæ Syriæ in M. Antuerpiẽſi Sanctũ huius diei Iulianũ certamen cõpleuiſſe dignoſcitur, tũ quia nec Baſiliſſæ coniugis, vel ſociorũ memoria hic agitur, tum quia diuerſi commilitones aſſignantur. Quia vero cum Aegyptio Iuliano plures anonymos paſſos eſſe in eiuſdem hiſtoria narratur, & valde multi in hodierno etiam indiculo ſignantur, facile fuit vnum cum altero Iuliano miſcere, & non valde diuerſi nominis vrbes Antinoum, & Antiochiam confundere. Nec etiam ſine nomine ſociorum numerus in adductis codicibus Iuliano Antiochenſi idem ſtatuitur. Octingenti tredecim noſtrorum codicum propè ad Notkeri octingentos quatuordecim accedunt: nongenti tredecim ſunt Martyrol. Corbeienſi: Antuerpienſi vero octingenti ſeptuaginta nouem. De Iuliano qui paſſus ſit Flauiade, ſiue Flaniopoli vrbe Ciliciæ ix. Kal. Iulij, agit Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 141., & Ariminienſibus patronum aſcribit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ die 22. Iunij, ſed quæ de S. Iuliano Cilice à D. Ioãne Chryſoſtomo, & alijs traduntur, Antiochenſi tribui poſſe non videntur, cui celebrem dicatam fuiſſe Eccleſiam, educitur ex Procopio lib. 2. de Bello Perſico.

In Perſida. Vetuſtioris martyrologij Auctor, tam in Antuerpienſi, & Corbeienſi, quam libris noſtris S. Iacobum Alphei, ab alijs huius nominis duobus nuncupatis Apoſtolis, videtur etiam ex loco, ſiue agonis, ſiue venerationis ſeiũgere. Videnda quapropter ſunt, quæ ad Indiculum Apoſtolorum adnotauimus. Kalendarium Copticum apud Bollandũ T. 3. in prætermiſſis diei quarti Februarij ad illum diem martyrium eius ita ſignat. *S. Iacobus Apoſtolus Filius Alphei hodie patitur.* An in Ægypto? An in Perſeo illius Prouinciæ opido? diuinandum mihi non eſt. Kalendarium Hieronymianum pervetuſtum Canonicorum Lvcẽſium Iacobum ita hac die veneratur. *x. Kal. Iacobi Apoſtoli idem Alphei*, quemadmodum, & Rabanus.

In Alexandria. Metropolis Ægypti Alexandria, vberrima plurimorum martyrum mater fuit, inter quos Rufinum, alijs Martyrologijs prætericũ, Vetuſtius noſtrum, & M. Antuerpienſe indicant: in hoc ſupra aliorum fidem octingenti ſexaginta nouem ſuppreſſis nominibus adduntur ſocij, vt ſuſpicio inde oriatur librarij vitio bis numerum illum ex Antiochenſibus fuiſſe repetitum, vel potius interiecta lacuna, ex Brittanicis athletis ſuppletum. Rufum non Rufinum vocat M. Corbeienſe.

In Brittannia. Albanum plurimi Sãctum martyrum vocant, quem codices noſtri cum Adone Albinum dicunt. De Albano martyre Brittanno agunt hac die Beda, Rabanus, Vſuardus, Vvandelbertus Notkerus, & omnes ferè Britanniæ ſcriptores cum Gilda ſapiente, & Beda lib. 1. Hiſt. cap. 6. & 7. ſocium ſine

nomine

nomine militem Albano tribuunt Romanum M. Vſuardus, & Bellinus. Surius T.6. eius martyrium ex Beda refert, & cur ex Albano Albinus recentius vocari cæperit apud Colonienſes animaduertit. Et quamquam ingentem Sanctorum martyrum multitudinem ea tempeſtate, qua Albanus paſſus eſt, coronatam fuiſſe idem Beda addat, non tamen numerum definit; ſed inquit. *Paſſi ſunt ea tempeſtate Aaron, Iulius, Legionum vrbis ciues* (gemina huius nominis vrbs eſt Albionis in Vvallia) *aliiſque vtriuſq. ſexus diuerſis in locis perplures*. Numerum tamen debemus Vetuſtiori noſtro M. & Corbeiēſi, in quo ſupra noſtrum, ſacrorum anonymorum pugilum fere centuria additur; cum S. Albano enim paſſos eſſe narratur Dccccl xxviij., qui in noſtro tantū ſunt Dcccl xxxviiij. in Antuerpienſi mutilo Dcccl xviiij. Maiorem numerum hac die exprimit Kalendarium hedinum noſtri Breuiarij. *x. Kal. Paulini Epiſcopi, & Confeſſoris, & x. millium martyrum.*

In Ciuitate Nola. De S. Paulino Nolano omnia nota ſunt, & plura doctiſſimè collegit ſuo more Baronius ad Romanū M. & qui notas ad opera S. Paulini ediderunt. Aliqua etiam habent Rabanus, & Notkerus, quæ Baronius non vidit. Vitam auctore Vranio Presbytero ex mſ. codice exhibet Surius T.6.

Depoſitio S. Memoria Nicei Epiſcopi. Nicetam, non Niceam S. Epiſcopum dicendum eſſe ex admirando codice Gēnadij ad S. Andream de Valle animaduertit Holſtenius in poſthumis notis ad Romanum Martyrologium. Eſſe autem Nicetam hunc celeberrimum S. Paulini Nolani hoſpitem, cuius Baronius meminit 7. Ianuarij non dubitat, vnde ex Paulini ſocietate facile eſt, memoriam depoſitionis hac die in ſacris hiſce faſtis ſignari. Putat idem piæ memoriæ Holſtenius, quæcumq. habet Baronius ad 7. diē Ianuarij de Niceta in hunc x. Kal. Iulij, diem eſſe transferenda, cum nullum martyrologium editum, vel mſ. eo loco Nicetam Romatianum in Dacia Epiſcopū agnoſcat. Romatiana ciuitas ſub Sardicenſi Metropoli aliquibus Remeſiana, vel Romeſiana dicitur, vnde facilis fuit in Notkero lapſus, dum Nicetam pro Romatiano Romanum Epiſcopum fecit. Quia vero apud Bedam, Vſuardum, & Adonem, Baronius hac die vidit Niceā non Nicetam ſcriptum eſſe, alium Epiſcopum à Daco Romatiano exiſtimauit eſſe, & Aquileienſem, quòd Aquileia, Romana aliquando diceretur. At cum conſtanter etiam edita aliqua martyrologia Romatianum Epiſcopum Niceam hac die veneratum dicant, facilior, & planior emendatio eſt in Niceta, vt habet, & codex ille Gennadij vetuſtiſſimus, & vetuſtiſſimū pariter M. Antuerpienſe, cum Notkero.

VIII. Kal. Iulij.

INventio corporis Sancti Quintini Martiris. In Nicomedia Auiti. Aritionis. Emeriti. Aliti. Capitonis. & aliorum lxxviij.

IVNII 23.

GAllicus antiquarius, quod ad calcem notare debuerat in fronte laterculi minus appoſitè repoſuit, nempè S. Quintini martyris Inuentionem, quam ad 8. Idus Iulij Auguſtæ Viromanduorum repoſuit Sauſſayus, & ad 31. Octobris B. Eligio Nouiomenſi eius corpus diuino indicio patefactum refert. Vnde mirum non eſt purum additamentum à Martyrologio Antuerpienſi ita

exulare. *VIIII. kal. Iulij. In Nicomedia Auiti, & Cinnami lectoris, & aliorum Artonis, Emeriti, Alici, Cartonis, & aliorum lxviiij.* sicuti pariter in M. Corbeiensi non legitur. *ix. Kal. Iulii. In Nicomedia Auiti, Cinzami, Lectoris, Aritionis, Amirati, Alici, Capitonis, & aliorũ ... xxvij.* Deficit in nostris codicibus inter Nicomedienses martyres Cinnamus, vel Cinzamus, vnde aliquam lacunam fateri cogimur, quæ ex mſ. Reginæ Sueciæ, & adductis codicibus repleri potest. *ix. Kal. Nicomediæ natalis SS. Auiti, Cinzami & alibi Orionis lectoris, & aliorum.* Variant hìc codices, nam aliqui Lectoris titulum assignant Cinzamo Nicomediensi, vt Antuerpiensis, & Corbeiensis; alij Orioni incerti, & alterius loci martyri; vt M. Reginæ Sueciæ, in hoc magis accuratum. De his nihil habet hac die Notkerus, sed Nicomediæ SS. Virgines Pistim, Elpim, & Agapẽ, seu cũ matre eorũ Sophia, Fidẽ, Spẽ, & Charitatẽ recolit. R. Martyrologiũ Baronij plurimorum Nicomediensium martyrum memoriã agit, qui sub Diocletiano agonem compleuerunt, & quorum Eusebius meminit lib. 8. & Metaphrastes ad diem 26. Decembris: qui nempe ex falso rumore de incendio insimulati, hac pluſquam Nerionana persecutione, veri Dei cultores per summam alacritatem Nicomediæ coronam acceperunt. Sed vix hi Mense Iunio coronari potuerunt, cum idem Eusebius cap. 6. recentioris Valesianæ editionis horum certamen initio persecutionis hoc colophone consignet. *Et hæc quidem in ipso persecutionis exordio Nicomediæ gesta sunt.* Initium vero persecutionis constituit, idẽ Eusebius statim à vulgato in Ecclesias edicto, quod mense Martio, & circa Paschæ solẽnia accidisse alibi adnotauimus. Neque nomina ab Eusebio ibi indicata cum Auito, & Cinnamo, seu Cinzamo conueniunt.

Aritionis. Artonem habet M. Antuerpiense, Orionem vero mſ. Reginæ Sueciæ, cui magis adhæreo, quòd etiam horum cælitum turmam à Nicomediensibus apertè distinguat vt subobscure M. Antuerpiense. Pro Emerito Amiratum profert M. Corbeiense, sed Emeritum etiam retinet Antuerpiense, in quo præter quatuor nominibus signatos lxxviij. anonymi adnotantur, qui lxxxi. sunt mſ. Reginę Sueciæ, tribus nempe Orionis socijs inter anonymos relatis. Vnde nulla dissonantia lxxviij. in codicibus nostris Vetustissimo illi æquales scribuntur.

VIII. Kal. Iulij.

IN Prouintia Palestina Ciuitate Sebastia Natalis S. Iohanis Baptistæ. Et in Epheso Natalis S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ. Romæ Filli. Luceiæ cum alijs xxij. In Ciuitate Augustiduno depositio S. Simplicij.

IVNII 24.

NAtalem non Natiuitatẽ S. Ioannis Baptistæ in Palestina ciuitate Sebastæ Martyrologij nostri hodiernæ tabulæ proponũt. Quamquam enim omnia ferè Latinorum, & Græcorum Hagiologia hac die Natiuitatem S. Ioannis recolant, nõ est ex antiquis, qui affirmet natum esse Sebastæ ciuitate Samariæ. Tempus quidem congruit cum Euangelica historia. Nam cum annunciata est B. Virgo iam Elisabeth sextus mensis erat grauidationis, nonusq. circa vigesi-

vigesimum quartum Iunij diem complebatur ad partus maturitatem. Cum autẽ satis probabile sit. Sanctũ Præcursorẽ ibi natum esse, vbi Euangelica historia docet grauidam Elisabeth à Virgine salutatam, hoc est in domo viri Zaccheriæ; & cum hæc sita esset in montanis Iudeæ satis etiam certum reddunt S. Ioannem Baptistam non potuisse nasci in Samaria. Sunt qui putant, vt ex antiquis Notkerus Sichem Sameriæ vrbem eandem fuisse cum Sebasta: sed aliquo spacio hæ vrbes inter se distant, & inter alios nuperus scriptor Petrus à Valle in itineribus suis epistola ab Aleppo, satis accurate distinguit. Antiqua Sichem nunc Naplis, seu Nauplus, & Palestinæ Neapolis vocatur, prope quam adhuc Redemptoris, & Samaritanæ puteus ostẽditur; sed ab hac ad Samariam, quæ hodie etiam Arabica lingua nuncupata Sebastia, ita ab Herode dicta fuit in Augusti honorem, vt D. Hieronymus notas epist. 27. & Strab. lib. 16. dimidij diei iter est. Vrbs quidem diruta nunc visitur, & rusticorũ tugurijs, ac anquorum edificiorum ruderibus vix conspicua, sed in qua plurimum adhuc integra seruetur Ecclesia Græco ritu à Christianis venerata, in qua non modo, subterraneum sacellum, quod S. Ioannis præcursoris carceres esse affirmant, ostẽditur, verum Regis Herodis iussu ibidem asserunt fuisse capite minutum. At cum plures in Oriente vrbes sint Sebastes, siue Sebastapoles nuncupatæ, non mirum est in hac aliquos fuisse deceptos, vt de Bellonio notat idem Petrus à Valle. An ibi re vera fuerint carceres Ioannis Præcursoris, vel potius in subterraneo specu S. Ioannis Baptistæ corpus à discipulis sepultum fuerit, & inde erepto, & alio trãslato, sacra crypta in veneratione remanserit, magis veritati consonum videtur, & cum eo concordat, quod D. Hieronymus scriptum reliquit pluribus in locis, epistola præcipuè 17. & 27. & de locis Hæbraicis. Clarum est enim ex Iosepho Hębreo S. Præcursorem in Macherunte castello capite fuisse truncatum, vt alibi ostendimus ad diem 8. & 4. Cal. Septembris. Non tamen pugnarem, quòd in Sebaste Regia vrbe aliquando D. Ioannes fuisset in vinculis, & inde cum Herode ad Macheruntis arcem transvectus sub maiori custodia fuerit, ita vt in Macherunte non in Sebaste coronam acceperit. In marmore excisum sepulcrũ S. Ioannis Baptistæ, & in præcipua Sebastes Ecclesia à Saracenis in Mahumeam commutata, se vidisse testatur anno 1283. Brocardus, ac sepultum inter Heliseum, & Abdiam prophetas. Locum vero carceris in alia Ecclesia monstrari in supercilio montis, sed falso ibi esse obtruncatum adhuc iactari addit. Natalem S. Præcursoris hoc est solemnem diem proinde Sebaste celebrari consueuisse non inficior, & testantur Ado in libello de festiuitatibus Apost. IIII. Kal. Septembris, & Notkerus, iam adductus cum Beda, & alijs, quos 4. Kal. Septembris adnotamus: quamquam impius Iulianus ex vrbe Sebaste sacras reliquias extraxerit, & dissipare conatus sit. Notkerus quidem ostendere prosequitur D. Ioannem Baptistam natum esse in Hebron ciuitate Iuda, quòd hæc ad asylũ filijs Aaron, & sacerdotibus data fuerit, vt palam sit, alijs etiam Martyrologijs celebrem in Sebasta fuisse Præcursoris natiuitatem, quoniam ibi eiusdem reliquiæ venerarentur, non quòd ibi re vera natus fuerit. Vndè rectè M. Antuerpiense natalem S. Ioannis Baptistæ hìc vocat geminatum, si in apographo rectè scriptum est. Diem natiuitatis S. Ioannis Festum fuisse antiquitus in Ecclesia patet ex SS. Patrum Homelijs, qui præcipuè animaduertunt nullius hominis Natiuitatem ab Ecclesia celebrari, præterquam Christi Domini, eiusq. Præcursoris, vt ex D. etiam Ambrosio educit Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 3. Vocabatur festum hoc apud Græcos *lampada*, vt in Homelia S. Ioannis Chrysostomi T. 2. edit Par. p. 1001.

In Epheso. Idem Petrus Episcopus Equilinus loco proximè adducto notat S. Ioannem Euangelistam hac ipsa die translatum

translatum fuisse, sed Ecclesiam diē eius festum in tertiam diem à Dominica Natiuitate, vt magis congruè celebraretur, transposuisse. Fortasse ne cum D. Ioannis Præcursoris solemni die confunderetur, aliquando sequenti die memoria Euangelistæ peragi consueuit, vt retinet Beda editus. Græci enim vt in Calendarijs,& Menologio ad diem 8.Maij Sanctū Apostolum recolebant. Hac tamen eadem diem 8. Cal.in Epheso dormitionem B.Ioannis Apostoli retinent Rabanus, & Notkerus, ac ex recentioribus Maurolycus: ex mss. vero, vt vidimus, Vetustissimum Antuerpiense, & Corbeiense. Videnda hìc sunt, quæ diximus ad Indiculum Apostolorum, & notanda pro D.Ioannis corporali post mortem Assumptione non modo,quæ ex antiquis Historijs addit Notkerus, immunem S. Apostolum fuisse à dolore mortis, & vt creditur, à contagio corruptionis, sed loquendi modum quod ita retinet Vetustissimum illud Antuerpiense. *VIII.Kal. Iulij. In Palestina Sebasti Natalis Ioannis Baptistæ Geminatus, & in Epheso receptio Ioannis Euangelistæ. Romæ Festi, Luciæ, cum alijs xxij. Austiduno Depositio Simplicii Episcopi.* Receptio enim aliquid amplius significare videtur quam obdormitio. Nihil tamen habet ad Assumptionem signandam M. Corbeiense. *viij. Kal.Iulij. In Prouincia Palestina natalis Sancti Ioannis Baptistæ,& Prophetæ. In Epheso S.Ioannis Apostoli,& Euangelistæ. Romæ Festi, Luceiæ cum alijs xxij. Augustoduno depositio S. Simplicij Episcopi.*

Romæ Festi. Male apud Notkerum Augustoduno cum Simplicio Episcopo Festus, & Lucecius legitur, cum Festus, & Luceia Romani martyres sint cum socijs xxij. tam codicibus nostris, quam MM. Antuerpiensi, & Corbeiensi: vnde etiam pro Lucecio legendum est *Luceia.* Hæc tamen sancta martyr,in Appendice ad Adonem prætermittitur, & *Romæ S. Fausti cum alijs xxij.*memoria recolitur, ita inter anonymos relegata Luceia. M. Romanum pariter non Festum, sed Faustum legit,& mēdose Beda Fiscum, quēadmodum ibi notat Baronius. Aliqui fortasse ab hodiernis fastis Luceiam remouerunt, quod sequenti die recensetur; sed ex alio socio, aliam postridianam Luceiam esse putarem. Maurolycus ordinem interturbat,& postponendam inuerso ordine anteponit. Rabanus Fuscum non Festum, ita retinet. *Romæ Fusci, Luceæ cum alijs xxij.*

In Augustoduno. De S.Simplicio Augustodunensi Episcopo agunt hac die Beda, Vsuardus, Rabanus, Notkerus, Bellinus de Padua, Molanus,& emendatum R. Martyrologium. De eo plura habet Gregorius Turonensis etiam monēte Baronio. Saussayus fortasse, vt vnum ab altero distingueret in hanc diem Simplicium Autisiodorensem reposuit, in sequenti Augustodunensem. Sed in Historia Episcoporū Autisiodorensiū S. illum Simplicium inuenire nō licuit apud Lebbeum, penes quem tamen in Hagiologio FrancoGalliæ Augustodunensis Simplicius hac ipsa die memoratur. Inter Æduenses Episcopos sextus numeratur à Sammarthanis,& Sardicensi, ac Agrippinensi Concilijs interfuisse docetur circa annum 346.

VII. Kal. Iulij.

THessalonica Lunitani. Thessalonicæ. Bigati. Lamtani fratris,& in eadem ciuitate Lucelæ virginis, & Aceiæ Virginis.

Corruptos

IVNII 25.

CORruptas nonnihil sacras huius diei tabulas suspicari licet, tam variæ lectiones vbique occurrunt. Alter ex codicibus nostris primo loco videtur potius legere *Lanitani*, quã *Lamtani*, & alter pro *Lucela* retinent Luciæ, & pro *Aceie*, exhibet *Acie*. De Lanitano, siue Lamtano nihil habet Notkerus. Mſ. Reginæ Sueciæ vij. Kal. *Thessalonicæ S. Lambanitis, & aliorum trium.* Lanitanum vocat etiam antesignanum martyrem Thessalonicensem Corbeiense M. & pro Thessalonica Tesaulonicam hoc pacto habet, non Vrbis, sed martyris nomen. *vij. Kal. Iulii. Thessalonica Lanitani, Thessaulonica, Bagati germanorum Luceiæ Virginis, & Aurciæ Regis. Eodem die Natalis Vigilii martyris, & sociorum eius.* Abundat in Africanis, & Alexandrino martyribus M. Vetustissimum, quorum nullam alibi memoriam inuenio, & in reliquis etiam nonnihil ita differt. *vii. Kal. Iulii. In Africa Natalis Gaudenti, Felicis. In Alexandria Agateonis. Thessalonica Salonitę, Bigati, Lamtani, & Luceiæ virginis.* An vero, & hoc Vetustissimum M. incorruptum sit ansam præbet suspicandi, quod ex Africa, & Alexandria superadditi martyres, tam in nostris codicibus, quam Corbeiensi ad sequentem diem pertinent, & aliqui ex his etiam in Antuerpiensi illo repetuntur. Notkerus in diem sequentem Bigatum reicit, & inter Alexandrinos martyres refert, ad quem diem Africanos martyres ascribendos esse confirmat. Hoc certum esse existimarem ad hodiernos fastos pertinere Thessalonicenses martyres Lamtanum, Bigatum, Tessalonicam, siue Theusalonicam, siue Salonitem dixeris, qui omnes Lamtani fratres germani fuerint, Meminit Beda editus hac die. *Thessalonicę SS. Bigati Lantani*, & Rabanus vij. Kal. *Thessalonica Bigati, Lantani. Romę Luciæ Virginis, & Aceię Regis.*

Lucela Virginis. Hanc & Aceiam, quæ Virgines Thessalonicenses sunt in codicibus nostris, & alijs, Romani sũt Athletæ, Rabano, & Notkero, qui Aceiam nõ virginem sed Regem signãt hac ipsa die. Notkerus vero ita vberius. *Romæ Luceiæ Virginis, & Auceię Regis, qui cum aliis xxii. pariter martyrio coronati sunt.* Luciam non Luceiam virginem Romanam cum alijs xxij. recolit etiam hac die M. Romanum. Eandem esse Luciam cum Luceia fatetur Baronius, & eandem esse profitetur cum ea, quæ à Beda, Vsuardo, Adone, & Petro de Natalibus memoratur; eandem quoque esse, siue Lucelam siue Luceiam, cui xxiij. sine nomine commilitones sociantur, pridie huius diei in codicibus nostris, facile consentirem. Non facile tamen Tessalonicenses Lucelam, & Aceiam cum Romanis martyribus Luceia virginem, & Aceia Rege confunderem: cùm quod expresè ambo virgines in codicibus nostris asserantur; tùm quòd signatis verbis eidem ciuitati Thessalonicensi ascribuntur, non Romæ: tum quòd de Luceia Virgine, & Aceia Rege memoria expresè recolitur Calẽdis Iulij, & infra xv. Kal. Ianuarij, M. Vetustissimum Thessalonicæ non nisi Luceiam Virginem tribuit: vnde quis dicere posset Lucelam, siue Luceiam virginem, quæ Regem Barbarum, siue Persarum ad Christi fidem adduxit, origine fuisse Thessalonicensem, in qua vrbe eius hac die recoleretur Natalis, cum Rege martyrij comite, quamquam ambo agonem Romæ consummauerint. Sed inactis apud Petrum de Natalibus lib. vj. cap. 111. Luceia Romana origine dicitur non Thessalonicensis. Fateor Aceiã Regem non virginem etiam vocari in M. Corbeiensi, non expresè indicato certaminis loco, sed ijsdẽ ad Thessalonicenses succenturiatis, quos tamen etiam Romæ tribuit Vvandelbertus. Sed nominum similitudo quantas ambages parere potuit, & peperit? Vigilium cum

socijs

ſocijs martyrem incerti loci ab eodem Corbeienſi ſuper additum nullibi memoratum hac die inuenire licuit; niſi Vigilius Epiſcopus, & Martyr Autiſiodorenſis ſit, cuius trãslationem recolit Sauſſayus in ſupplemento Gallicani Martyrologij die ſequenti vj. Calend. Iulij. De S. Vigilio agitur in Hiſt. Autiſſiodorenſiũ Epiſcoporum cap. 22. in Bibliotheca Lebbei.

VI. Kal. Iulij.

IN Africa Gaudenti. Felicis. Agapiti. Emeriti. Romæ Ioannis, & Pauli. In Alexandria Agathoni. Luceiæ Virginis, & Diogenis.

IVNII 26.

AFricanos athletas Romanum Martyrologiũ, aliaque hucvſque edita, pariter cũ Alexandrinis prætereunt. Eos tamen non prætermiſit Notkerus, ſed inverſo à noſtris codicibus ordine recenſuit. *In Alexandria Agathonis, Diogenis, & Bigati. In Africa Gaudentii, Felicis Agapiti, & Emerita.* At cum de Bigato cum Lamtano M. noſtrum egerit pridie huius diei, ſicuti, & MM. Antuerpienſe, & Corbeienſe, quando de ijſdem Notkerus ſiluit, dubitari poteſt ex corrupto codice, in hanc diem Bigatum deſcendiſſe inter Alexandrinos martyres, cum fuerit aliorum mſs. teſtimonio Teſſalonicenſis. An vero nominis ſimilitudo Lamtani, & Latini librario Antuerpienſi impoſuerit, & Gaudentius, & Felix Africani minus hìc conſultè repetãtur, aliorum eſto iudiciũ. Emeritam quidem nõ Emeritum alij codices cum Notkero agnoſcunt, ad quorũ normam M. noſtrum videtur emendandum, præſertim quòd, tam in Antuerpienſi, quam Corbeienſi Emeritæ ſcriptum ſit. In primo. *VI. Kal. Iulii. Romæ Ioannis, & Pauli, & in Teſſalonica Latini. In Africa Gaudenti, Felicis, Agapiti, Emeritæ. In Alexandria Lvciæ, & Gigni.* Pro Gigno Diogenem cum noſtro retinet M. Corbeienſe hoc pacto. *vi. Kal. Iulii. Romæ Ioannis, & Pauli. In Africa Gaudenti, Felicis, Agapiti, Emeritæ. In Alexandria Agathoni . . . iceiæ Virginis, & Diogenis.* Diogenes etiam Notkero dicitur, penes quem Luceia virgo inter Alexandrinos martyres non numeratur; ſed plures ſunt codices, qui Luciam, vel Luceiam virginem Ægyptiam hodiernis faſtis adnumerant, & aliam à Romana externi diei fuiſſe doceant, de qua ibi aliqua adnotauimus.

Romæ Ioannis, & Pauli. Omnia ferè Latinorum Martyrologia nõ modo hodierna die ſanctos fratres Ioannem, & Paulum Romæ ſub Iuliano coronatos recolunt, ſed eorundem Acta prælibant, Notkerus præcipuè Ado, Vſuardus, & Rabanus, quorum aliqui etiam Terentianum campi ductorem memorant, qui primum eos martyrio coronauit, deinde per ipſos ad Chriſtianã fidem conuerſus eorũ geſta deſcripſit. Hæc diffuſiora proſtrant apud Surium T. 6. editionis nouiſſimæ, & apud Petrũ de Nat. lib. 6. cap. 9. nonnihil cõtracta; eorundẽ martyrũ memoriam recolit etiam Calendarium Antiquum Romanum Fronti, & Sacramentarium Gregorij, vbi notat Menardus, in vetuſto mſ. codice etiam Vigiliam adnotari, quemadmodum indicat pariter mſ. Hieronymianũ Canonicorum Lvcenſiũ in pridiana Vigilia. Baronius ad Romanum Martyrologium plura à nobis non repetenda cumulat.

Romæ

V. Kal. Iulij.

ROmæ mil. viiij. Crispini. Crispiniani. Felicis. Spinellæ. vij. Germanorum. In Hispania Crescentis. Miliani. Nemesi. Primitiui. Iustini. Stathei. Eugeni. Nouantiani. Clementis. Marcellini. Ziddini. Hinnustici. Zoili. Marcelli. Italicæ. Leli. Capitonis. Tinni. Tusci. *Et in Insula Oia translatio corporisis S. Florenti..*

IVNII 27.

DIfficillimæ solutionis nodus occurrit. An in septem germanorũ memoria, quæ hìc hodie recolitur septem Sanctæ Symphorosæ filij, aut sanctæ Felicitatis indicentur. Vtraque sancta martyr septem filiorum sanguine decorata in sacris nostris tabulis celebratur. Septem germani fratres signatis nominibus cum S. Felicitate infra recoluntur vj. Idus Iulij, septem vero filij S. Simphorosæ nominatim expressi habẽtur xv. Kal. Augusti. In Romano Martyrologio Sanctæ Felicitatis filij vj. Idus Iulij pariter venerantur, sicuti & Symphorosæ xv. Kal. Augusti. At horum nomina non conueniunt, videntur enim ex his martyribus conflata, qui hac die Hispaniæ tribuuntur, nempe Crescentis, Iuliani, Nemesij, Primitiui, Iustini, Stactei, & Eugenij. Vsuardus, & Ado hac eadem die v. Kal. Iulij apud Tiburtinam Italiæ ciuitatem memoriam recolunt S. Symphorosæ cum septem illis filijs nominatim indicatis, & disertè Ado testatur locum vbi sepulti sunt à Pontificibus sacrorum nuncupatum fuisse ad septem Biothanatos, & *Natale* illorum esse *v. Kal. Iulii*. Miror vero doctissimum Baronium ad diem 18. Iulij in Adnotationibus Vsuardum adducere, quasi die illa de S. Symphorosa, septemq. filijs egerit, cum ad illam diem purum additamentũ appareat Molani ex Bellini Martyrolog. & Vsuardus illos recolat cum Beda, & Adone ad diem v. Kal. Iulij his verbis *Apud Tiburtinam Vrbem Italiæ S. Symphorosę cum septem filijs Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitiuo, Fustino, Stacteo, Eugenia*. Aliqua addit idem Vsuardus de eorumdem agone, quæ latius Notkerus prosequitur, dum eorum corpora requiescere notat *via Tiburtina milliario ix.* Dubitari quàpropter posset in vetusto aliquo codice mendum irrepsisse & Hispanorum martyrum nomina mutilato passionis loco septem germanis accomodata fuisse, & ita, nisi maxima mihi esset Romani Martyrologij auctoritas, suaderent, præter codices nostros, Vetustissimum Antuerpiense, & Corbeiense MM., quorum primum ita hodiernos fastos recensct. *V. Kal. Iulij. Romę Natalis vij. germanorum, Crispi, Felicis, Crispiani, Spinellæ. Cordobæ in Spanis Crescentis, Iuliani, Remisi, Fratriæ, Iustinæ, Stattei, Nouatiani, Clementis, Marcellini, Zeddini, Felicis, Venusti, Zoili, Marcelli, Italicæ, Lali, Capitonis, Tinni, Timarei,* sacræ vero Tabulæ in Corbeiense hoc ordine recensentur. *V. kal. Iulii. Romæ milliario nono, Crispi, Crispiniani, Felicis, Spinellę, & septem Germanorum. In Hispania Crescentis, Iuliani, ... mesi, Primitiui, Iustini, Tacthei, Eugenij, Nonatiani, Clementis, Marcellini, Zebdini, Felicis, Hinusti, Zoeni, Marcelli, Italicę, Lelii, Capitonis, ...ini, Tuechii, Siluani. Eodem die Natalis Sanctorum martyrum Iusti, & Clementis, atque Octauiani Pontificis. Ambianis inuentio Sanctorum cor-*

porum Fusciani, Victorici, atque Gentiani Martyrum. Oia Insula translatio corporis Sancti Florētii. Accedit mſ. Reginæ Sueciæ, in quo ſeiunctim adnotatur *V. Kal. Romæ Natalis ſeptem Germanorum*. deinde Cordubæ *SS. Martyrum Zoili, Creſcentis, Iuliani, Nemeſii, & aliorum xviii.* ſubijt etiam dubitare, an *ſeptem dormiētium* memoria, quæ apud Adonem hoc ipſo die recolitur, ſub titulo ſeptem Germanorum includeretur, quod apud Notkerum *feſtinitas ſeptem dormientium fratrum* nuncupetur. At præterquam quòd eorundem, ſiue prodigium, ſiue martyrium, non Romæ in Cœlio monte, ſed in cognominis montis ſpelunca prope Epheſinam vrbem accidit, vt tam latinorum, quam Græcorum Hagiologia ſub diuerſis tamen diebus affirmant, accedit quòd nequaquam germani fratres fuerunt, ſed vt ex Hiſtoria apud Metaphraſtem patet Chriſtiani nominis ſocij, & conſueto Chriſtianorum nomine, & charitate fratres erant. Quamobrem in eam facile ſententiam veni, vt ſeptem hic Symphoroſæ filij cum Beda, Vſuardo, Adone, & Notkero recolantur, quoniã eorum re vera Natalis dies eſſet, vt affirmat Ado; ſed iterum eorundem per agi memoriam xv. Kal. Auguſti, ex aliqua ſolemni translatione, cuius ex vetuſta inſcriptione meminit ad illam diem Emin. Baronius, & Aringhius lib. 4. Romæ ſubterr. cap. 17. vt ibi adnotamus.

Criſpini. Præcedit in codicibus noſtris Criſpi, ſiue Criſpini, & ſociorum Romanorũ martyrum memoria ad Natalem vij. germanorum, vt etiam in M. Corbeienſi; in Antuerpienſe vero ſubſequitur, & non modo Criſpus dicitur, ſed pro Criſpino Criſpianus legitur. Emendandum ergo putarem Criſpini nomen, & reponendum *Criſpi*, quod ita etiam habeat M. Corbeienſe, & Calendarium Hieronymianum mſ. Canonicorum Lvcenſium in quo legitur. *V. Kal. Criſpi*. An Criſpinus, & Criſpinianus hi Sancti martyres ſint, quos in Gallia, & Sveſſione paſſos referũt Chriſtianę Galliæ ſcriptores cum Romano M. ad diem 25. Octobris, & Roma eſſe translatos legitur? At cum eorundem etiam M. Vetuſtius noſtrum ea die memoriam recolat, & nonnihil nomina, omnino vero ſocij Felix, & Spinella, differant, alios eſſe putarem.

In Hiſpania. Locum Hiſpaniæ ſingularem pro ſanctorum Martyrum, ſiue agone, ſiue celebritate non ſignant codices noſtri, quemadmodum neque M. Corbeienſe. Preſſius tamen Cordubam notat Vetuſtiſſimum Antuerpienſe, cui conſonant pro Zoilo, & anonymis decẽ, & nouem latinorum Martyrologia. At quamuis Prudentius in Hymno de martyribus Cæſarauguſtanis meminerit Zoelli, & Aſciſchi martyrum Cordubenſiũ, cum tamen ſequentes decem, & octo, diuerſis omnino nominibus nuncupatos ab his, qui hic Hiſpaniæ, vel Cordubæ tribuuntur, Cæſarauguſtæ aſſignet, nõ Cordubæ, patet illos non eſſe de quibus Prudentius cecinit. Sin vero Zoellus Cordubenſis anteſignanus eſt, & dux anonymorum nonemdecim, quos indicant cum Romano M. Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, Petrus de Natalibus, & alij, vnus martyr deficiet, præſertim quoniam in codicibus noſtris, & MM. Antuerpienſi, & Corbeienſi decem tantum, & octo nominibus cum Zoeno, ſiue Zoilo, (ita enim conſtanter legunt Vetuſtiſſimum illud, & Vetuſtius noſtrum) recenſentur. At cum non Zoilus, ſed Creſcens ſiue Creſcentius anteſignanus ſcribatur in codicibus adductis, alios hos eſſe martyres Hiſpanos ſuſpicionem ingerunt, præcipuè enim ſi ſupra quatuor nominibus ſignatos iuxtà mſ. Reginæ Sueciæ alij xviii. anonymi adderentur. Verum ſicuti in hoc codice numerum emendandum exiſtimarem, ita in noſtris libris pro Niliano ex aliorum concordi fide Iulianum reſtituerem. Siluanum addit M. Corbeienſe codicibus noſtris, & Eptarnacenſi ignotum.

In Inſula Oia. Gallicum hoc recentioris ſæculi additamentum à Vetuſtiſſimo M. exulat; retinet tamen cum aliis

Cor-

Corbeiense, & ad Vsuardum addit Molanus, ex quo fortasse ad hanc diem Saussayus S. Florentii Abbatis translationem hausit. Oyam Insulam sunt, qui confundant cum Hero Insula, vti nos etiam, & ingenuè fatemur, confudimus ad diem 30. Decembris, cum Hoy Insula Scotiæ, sed re vera Oya insula Aquitãtici Oceani Hero australior est, & adiacet Reaco, siue Reæ insulæ è regione Rupellæ. Antiquum ibi fuisse Monasteriũ etiam nunc rudera docent, vt notat Henschenius ad S. Amandi vitam §. 1. n. 4. Sanctũ Florentium, cuius translatio celebratur die 27. Iunii eundem esse putat Ferrarius cũ S. Florentio Abbate Lerinensi die 22. Septembris, apud eundem memorato in Catalogo generali sanctorum, in quem errorem etiam Saussayus videtur impegisse. Molanus in additionibus ad Vsuardum S. Florentii Confessoris natalem dić reposuit trigesimo Decembris, quemadmodum in codicibus nostris 7. Kal. Ianuarii in eadem Oyo insula S. Florentij memoria agitur, vt ibi adnotauimus.

IV. Kal. Iulij.

IN Africa Fabiani. Elaphi. Venusti. Eunuchi. Crescenti. Alexandri. Theoni. Arionis. Ploesi. Astecij. Apolloni. Amphamon. Phisoci. Melui. Dionisi. Hynus. Pannus. Pheuicus. Dioscori. Turbini. Capitulini. Nicæ. Gurdini. In Alexandria Sanctorum Seneri. Theodori. Pastesi. Tytiri. Dionisiniæ. Pasimi. Phesci. Diste. Ambeniari. Dioscori. Orion. Turbanni. Capitulini. Item Orion. Simiri. Plutarci. Herenei. Heracli. Herothi. Potamini. Marcelle. Baselidi. Leonidi. Pamboni. Orioſi. Panuberi. Tiline. Nonnicie. Sinidi. Lugduno Herenei Episcopi cum alijs vi. Leonidis. Plutarthi. Sereni. Potamiene. Marcelle.

IVNII 28.

SAnctorum Africæ pugilum numerosã classem vidit Notkerus, & suo more hac die in nominibus decurtatam, ita producit. *In Africa Fabiani, & Felicis cum aliis multis martyribus.* Signato tamen pressius anonymorum numero non dissimilia profert ms. Reginæ Sueciæ iv. Kal. *In Africa Fabiani. Felicis, & aliorum xxv. Alexidria Natalis SS. Theodori cũ aliis xxvii. Lugduni Galliæ S. Irenæi Episcopi.* Non nisi x iv. etiam Fabiano, & Felice adnumeratis, ita exhibet M. Corbeiense. *IV. kal. Iul. In Africa Sabiani, Felicis. Elaphi, Venusti, Eunuchi, Crescenti, Alexandri, Theoni, Arionis, Ploenis, Astefri, Apolloni, Amphimonii, Philosisi, Meluis, Dionysii, ... unus, Pannus, Plebrius, Dioscori, Tribani, Capitulini, Nicæ, Gurdini. In Alexandria Sanctorum Sereni, Theodori, Pastusi, Titiri, Donisinia, Passimi, Plesci... sia, Ambeniani, Disscori, Orion, Treban, Capitulini, Orion, Seneri, Plutarchi, Herenei Episcopi, Heracli, Heroti, Potamini, Marcelli, Basilidi, Leonidi, Pamboni, Orioſi, Panuberi, Tilina, Nonnice, Sinidi, Memmii, Iuli. Lugduno Galliæ Herenei Episcopi, cũ aliis sex, Leonidis, Plutarci, Sereni, Potamina, Marcelli, siue Vrena. Romæ Leonis papæ.* Cum hoc M. prætermisso librarij incuria S. martyre Felice, conueniunt codices nostri. Decem

tantum & octo, vel decem, & septem ita numerat M. Vetustissimum. dum ex illis aliquos Hispaniæ tribuit. *IV. kal. Iul. In Africa Fabiani, Felicis, Arionis, Capitolini, & Nisiæ, Elaphi, Venusti, Eunuchi, Crescentis, Alexandri, Theonis, Pleosi, Astheti, Appollonis, Ampamompis, Ostisi. Melei, Dionisi. In spanis Penitis, Benneri. Panubri, Dioscori, Turboni, Capitusi, Biccæ, Gurdini. Alexandria ciuitate Sereni, Trardori, Postaphi, Tyri, Dosiniæ, Pasimi, Sici, Distae, Ambeni, Ariusi, Dioscori, Orionis, Turbani, Capitulini. Itē Orionis, Gimiri, Plutarci, Hirenei, Heracli, Heroni, Potomini, Marcellæ, Basilidi, Leonodi, Panosi, Pece, Sidisti, Pambuni, Orosi, Panuberi, Tilini. In Niceæ Sinidi. Lugduno Galliæ Hirenei Episcopi cum aliis vii. Leonidis, Plutarci, Sereni, Potamiæ, Marcellæ.* Differt etiam Vetustissimū hoc Antuerpiense à Corbeiensi, & nostro MM. in Capitulino, & Nica, qui in his postremæ classis sunt; in illo verò prioris. Insuper & suspicionem illud ingerit, an *Niciæ* nomen vrbis sit, vel martyris, cum addatur disiunctiua nota *& Niciæ*, & pro Nica posterioris classis Biccam præferat, & Capitulum pro Capitulino. Qua propter vereri licet librarium, tam nostrorum codicum, quam Corbeiensis initium laterculi decurtasse, quòd Capitulini, & Nicię nomen repetitum esse postremo loco crediderit. Iam pluries diximus Vetustissimum illud M. in assignandis martyrum locis, accuratius scriptum esse; & quamquam in adductis codicibus sub generico Africæ nomine plures martyres includantur, quam in illo, & id etiam in vetustioribus libris à Notkero obseruatum appareat, prætereundum tamen non esse crederem alios ex Africanis martyribus ad Africæ vniuersam regionem spectare, alios ad Nicem Africæ Tripolitanæ vrbem, cuius Victor Vticensis meminit in Crescentio Nicense Episcopo, facileq. accidisse, vt sine alia minutiori distinctione omnes martyres in alijs codicibus vniuersim Africæ tribuerentur.

Hynns Pannus. Ex eodem Vetustissimo codice hic etiam mendum suspicari licet, & pro Hyno, & Panno legendum esse *In Hispania*, siue antiquo more *In spanys*, vt in illo prostat. At cum cōtra reliquorum codicum numerus Africanorum martyrum minuatur, dum horum aliqua insignis portio Hispaniæ tribuitur, nihil muto. Nominum differentia ab vnoquoque facile adnotari potest.

In Alexandria. Viginti nouem Sacros Alexandrinos martyres exhibent nominatim expressos codices nostri. Triginta & vnum M. Corbeiense, & Antuerpiēse. Cum Theodoro xxvij. ms. Reginæ Sueciæ, sed anonymos, & decurtato, vt suspicor, ante Theodorum Sereno, siue Senero antesignano. Memmium, & Iulium Corbeiensi M. debemus; nam neq. nostrum, neque Antuerpiense, in aliquibus nominibus exprimendis nonnihil interse dissonantia, illos recolunt, & fortasse cum Sinido ad Niceam spectant iuxta Antuerpiensis accuratiorem distinctionē. Nec alienum est in codicibus nostris, & Corbeiēse nomen antecedētis martyris Nonniciæ, vel Nonnicæ legendū esse *In Nicea* iuxta vetustissimum illud. Pariter, qui Ambeniarius vnicum nomen est in nostro, & Corbeiensi MM. apud Vetustissimum in duo diuiditur, hoc est Ambeniū, & Ariusium, sicuti illorum Pambonum & Oriosum, in tres martyres partitur Panosum, Pecem, & Sidim, ita vt si ritè cōponantur codices nostri cū Antuerpiensi in numero sacrorum Alexandrinorum pugilum conueniant. Durius est discernere, an Plutarchus, & subsequentes eidem primo loco martyres, ijdem sint Origenis discipuli Alexandrini, quorum agones prælibat Eusebius lib. 6. Ecclesiasticæ Historiæ à cap. 3. & deinceps, & ex ipso Nicephorus lib. 5. Quædam quidem nomina conueniunt Plutarchus, Heraclas eiusdem Plutarchi frater, qui post Demetrium Alexādrinæ Ecclesiæ Episcopus fuit, Serenus qui per ignem agonem perfecit. Tertius Heraclides, quartus Neron ambo securi percussi. Alter

deinde

deinde Serenus post multa tormenta capite truncatus; Ex mulierum cœtu Herair, siue Rais, vt eam vocat Nicephorus, adhuc cathecumena per ignem baptismũ, & palmam adepta. Septimus apud Eusebium numeratur Basilides, qui celeberrimam Potamiænam ad supplicium ducens, ex aliquo pietatis officio Sanctæ Viragini præstito, per ipsam impetrato martyrio, meruit capite truncato coronari. Potamiæna tandem ipsa, non tam Virginitatis, quam fidei nobilis agonista, quamuis ante Basilidem apparitorẽ agonem compleuerit, & postremo loco ab Eusebio recẽseatur, post horribiles cruciatus tamen feruenti pice circumfusa constantissimè obiens, non minori gloria triumphauit, cum Marcella Matre viui comburio coronata. Et quam quam plures hic martyres Alexandrini, quã apud Eusebium recensentur, nihilominus nõ officeret, quin alij sub eadem Aquilæ Præfecti Ægyptia carnificina agonem perfecerint, cum Eusebij institutum ibi sit, non omnes Alexandrinos martyres illius persecutionis numerare, sed tantũ Origenis discipulos: subdatq; ad calcem capitis tertij, plures alios, qui fidem etiã ab ipso Origene acceperant, persecutionis illius tempore inclaruisse, & ad calcẽ cap. 5. per Potamiænam ex Alexandrinis ciuibus plures alios ad Christi fidẽ transijsse: quorum aliquos tunc pro fide animã dedisse non est incongruum, quamuis diuerso tempore, & die id accidisse, certum sit, quemadmodum palam est in ipsis etiam ab Eusebio recensitis. Hos omnes ex antiquo instituto hac ipsa die iiij. Kal. Iulij veneratos in Occidẽtali Ecclesia præter Romanum M. & adducti iã codices testes sunt Vsuardus, Ado, Notkerus, Bellinus, & alij latinorum recentiores, qui omnes ex Eusebio elicientes de his manifestè loquuntur. Vsuardus numerat Plutarchum, Serenum, Heraclidẽ, Heroim, Potamienam, Marcellam cum alijs tribus nominibus indicatis. Septẽ tantùm habet Romanum M. Plutarchum, duos Serenos, Heraclidẽ, Heronem, Raidem, Potamienam, & Marcellam. Basilidem recolit pridie Cal. Iulij. Pro Rhaide legendum putat Valesius ad cap. 4. lib. 5. Hiraidem ex fide codicis Regij, & Fukeriani, siue potius Heraidem, cuius memoriam Græci celebrant 4. Mensis Martij, vt in Menologio Canisij, quãuis in Græco Menæo Venetijs edito recolatur die 5. Dubitat idem vir doctus, an Irais virgo Alexandrina, quæ cum alijs apud Antinoum ciuitatem martyrium passa esse dicitur die 22. Septembris in R. Martyrologio, eadem cum illa sit. At nõ videtur ambigẽdum eandem cũ Rhaide, quæ hic recolitur esse, quæ in Menologio Sirleti die 5. Septembris his verbis veneratur. *Natalis B. Martyris Rhaidis, quæ igne consumpta est.* Cõuenit hæc cum Heraide ab Eusebio memorata, quam vis de ea nullam agat memoriam Menologium Basilij ad illam diem. Alia profectò videtur Herais, cuius meminerunt Menologia ad quartam, vel quintam diem Martij, quoniam eidem alij socii assignantur Archelaus, Cyrillus, & Photius: alia quæ cathecumina viuicomburio assumpta est, & memoratur apud Eusebium, & Græcorum Menæa ad 5. Septembris; alia Herais Ægyptia virgo, siue Irais de qua tam Romanum M. ad diem 22. Septembris, quam Græcorum Menologia ad diem 23. mentionem habent, & si Ierais nuncupetur non Herais. Dum tamen tantam nominum diuersitatẽ in vna martyre agnoscimus, non miremur ex varia librariorum transcribentium incuria in plurimis etiam id accidisse martyribus, vt inter adductos huius diei fastõs ex variis codicibus licet agnoscere. De Theodolo sub hac die meminit M. Sancti Sabini de Leuitania apud Sausayum in Appendice, vnde etiam apparet in Vetustis, & mss. Martyrologiis Theodorũ, siue Theodolum esse non Serenum Alexandrinorum martyrum ducem, vel antesignanum. Remanet dubium, an quinque sacri pugiles, qui post interpolatam S. Irenæi memoriam recoluntur, iidem sint, quorum nomina inter Alexandrinos

numerari vidimus, nempe Leonides Plutarchus, Serenus, Potamina, & Marcella. Iam diximus pluries Vetustissimũ Antuerpiense M. quamquam cæteros codices vetustate antecellat ab antiquario aliquo in Gallia fuisse auctum, & interpolatum. Vnde mirum non esset, celeberrimũ Irenæum inter celebres martyres fuisse repositum, quamuis extra ordinem, vt alibi de alijs adnotauimus. Sed fortasse Herenus Alexandrinus, qui Episcopus dicitur in M. Corbeiensi nominis similitudine ansam dedit, vt Irenæus Lugdunensis deinde adijceretur. At Hereneus ille Alexãdrinus nequaquã in aliis codicibus Episcopus dicitur, & Corbeiẽsis Antiquarius malè ex Eusebio notam episcopatus à sequenti Heracla remouit, & antecedẽti Hereneo tribuit. Fuit enim re vera Heraclas episcopus Alexandrinus. Vix autem licet dubitari cum Leonide Origenis patre repetitos martyres ex ijs esse, quos sub Seueri persecutione numerauit Eusebius libro sexto, Origenis ipsius vt diximus discipulos. Fortasse vero D. Hieronymus, aut quisquis Vetustius martyrologium concinnauit, hos ab enumeratis diuersos putauit, quòd illi cum pluribus aliis sociis recolerẽtur, nec Potamina, sed Potamius, siue Potaminus in prima Alexandrinorum classe scriberetur; in postrema vero Potamia, vel vt nostri codices aptius legunt, *Potamiene, & Marcella* filiæ, ac matris ageretur memoria. Differt hæc ab alia S. Potamiena martyre iuniore, cuius meminit Palladius cap. 1. de vit. SS.

Lugduno Herenei Episcopi. Celebris est apud latinos hac die memoria S. Irenæi Episcopi Lugdunensis, & cum Romano M. Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, & alii eiusdem celebritatem recolũt. Græci verò in Menologio Sirleti apud Canisiũ S. Episcopi, & Apostolici viri natalẽ agunt die 23. Augusti. SS. Patrũ de eo Testimonia cumulauit Galesinius, & ex eo, & Feuardentio Eminentiss. Baronius, quæ retexere non est animus. Plura si quis desiderat adeat Theophilum Raynaudum in Indiculo SS. Lugdunensium nouissimæ editionis p. 69. & reliquos sacræ Galliæ scriptores, quorum nullus, quem viderim, de sociis martyribus meminit, nisi vniuersim plurimos ex ciuibus sub eadẽ persecutione Seueri fuisse cum Irenæo coronatos: quinimmo Notkerus ex Adone addit *cum omni ferè ciuitatis suæ populo*. Sex tantùm anonymos commilitones exhibent cum Corbeiensi codices nostri, septem habet ms. Vetustissimum Antuerpiense. Inter Epipodium, & Alexandrum martyres sepultum fuisse ex Gregorio Turonensi educunt Sammarthani, qui de S. Irenæo plura cumulant in Gallia Christiana, & Episcopis Lugdunensibus.

III. Kal. Iulij.

ROmæ Natalis Petri, & Pauli Apostolorum. Petri in Vaticano, Pauli vero Via Hostiensi. Nauatiani, & aliorum Dcccclxxx. Martyrum, & dedicatio Baptisterij antiqui Romæ. In Perisida Natalis Apostolorum Simonis, & Iudæ.

De

IVNII 29.

DE Apostolorum Principibus plura dedimus ad Indiculum Apostolorum. Petrum in Vaticano, & Paulum via Ostiensi certamen cõpleuisse, ex veteri traditione docet Eusebius lib. 2. cap. 25. ibiq. eorum fuisse Trophea ex Caio viro catholico, & aduersus Proculum vetustissimo scriptore confirmat. An vero eodem die martyrium fecerint, disputat Baronius clarissimus in Annalibus, vbi etiam eos refellit, qui eadem quidem die passos SS. Apostolos existimant, sed non eodem anno. Verùm Valesius ad cap. 25. lib. 2. Eccles. Hist. Eusebij putat, ex Dionysio Corinthiorum Episcopo apud eundem Eusebium non ita certè educi, eodem die triũphum egisse, cum tantum *eodem tempore* dixerit, quòd de plurium dierum interuallo explicari potest. Prudentius in Hymno de Passione Apostolorum Petri, & Pauli apertè docuit vno die, sed non eodem anno certamen compleuisse

Vnus vtrumque dies, pleno tamen
innouatus anno,
Vidit superba morte laureatum.

Et inter vtriusq. necem anni spacium intercessisse haurit etiam Valesius idem ex D. Augustini sermone 28. de Sanctis, ac ex Aratore lib. 2. Hist. Apostolicæ. Neq; hunc diem fuisse certaminis, sed translationis, siue natalis pro celebritate accepti, videtur ex epistola Cornelij Papæ posse deduci, vel potius ex libro Pontificali in vita Cornelij; vnde Sancti Pontificis epistolam, alioquin sinceram, interpolatam fuisse viri docti putant. In ea quidem narratur ex Catacumbis SS. Apostolorum corpora, Pauli ad viam Ostiensem, vbi decollatus fuerat, Petri iuxta locum vbi Cruci affixus in Vaticano, reposita esse 3. Kal. Iulij. At licet hæc narratio improbabilis non esset, vti euincit Baronius ad annum 215. n. 3.: non pugnaret tamen translationem eodem die celebratam, quo etiam eorum martyriũ completum esset; imò id verisimile admodum videtur, vt eorum solemnitas duplici titulo celebrior euaderet. Hoc vtique die tam Latini, quam Græci SS. Petri, & Pauli celebritatem signant. In laterculo Polemei Syluij, qui scripsit circa annum 448. & cuius aliqua fragmenta edidit Bollandus, Natalis SS. Apostolorũ non 3. Cal. Iulij notatur, sed 8. Cal. Martij, his verbis *Depositio SS. Petri, & Pauli. Cara cognatio ideo dicta, quia tunc & si fuerint viuorum parentum odia, tempore obitus deponuntur*. Ille tamen dies in omnibus latinorum Martyrologijs, vt ibi adnotauimus, Natali Antiochenæ cathedræ tribuitur, sicuti apud omnes, qui de SS. Petri, & Pauli certamine agunt, dies obitus signatur 3. Cal. Iulij. Etsi verò in Ecclesia die sequenti D. Pauli memoria præcipuè recolatur, id non ex antiquo more, sed ex instituto S. Gregorij euenisse, notat Micrologus cap. 4., & in Sacramentario eiusdem plane constat; forte quòd in aliquib⁹ Ecclesijs mos inoleuisset, vt dies 3. Calendas propriè D. Petri cultui manciparetur. Vnde Menardus animaduertit in vetusto codice sacramentarij Rodradi tantum hac die scriptum esse. *Natale S. Petri*, & in codice Remensi *Natalis S. Petri propriè*. Verùmtamen, tam in editis Sacramentarijs iij. Kal. signatur Natalis S. Petri, & Pauli, quam in codicibus nostris, Antuerpiense, & Corbeiense sacri huius diei fasti hoc ordine proferuntur. Antuerpiense nimirum *iij. Kal. Iulij. Romę Natalis Apostolorum Petri, & Pauli, & aliorum Dcccclxxviiij. Item Roma Nouatiani. In Perfida Simonis, & Iuda Apostolorum*. Corbeiense verò M. ita retinet, *iij. Kal. Iulij. Roma Natalis Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorũ, & aliorũ Dcccclxxxvij. martyrum, & dedicatio Baptisterii antiqui*. Rabanus iij. Kal. passionẽ SS. Apost. Petri, & Pauli, *vno eodemq. die* sub Nerone martyrio coronatorum, memoriam

vene-

veneratur. Notkerus quamquam vtriusq. Apostoli longius gesta prosequatur, pressius tamen sequenti die, non modo Romæ, sed per vniuersum orbem ita D. Pauli festum diem recolit. *II. kal. Iulii. Romæ imo per totum orbem Christi, Festinitas S. Pauli Apostoli*, quæ Vsuardo cõmemoratio dicitur, & Adoni *celebratio iterum*. Hanc duplicis celebritatis memoriam hic libuit adnotare, quòd codices nostri, Antuerpiensis, & Corbeiensis die crastino illam prætereant.

Nouatiani. Nouatianum reliqui ferè latinorum vocant. Additio ad Adonem habet *Romæ Natalis S. Nouatiani cũ aliis Dccccl xxvii.* Silent hæc Romanum martyrologium, Vsuardus, & Bellinus de Padua. Nouatiani etiam non meminit Notkerus, sed tantum habet *Romæ passio nongentorum septuaginta sex martyrum*, sicuti & M. Corbeiẽse. Expressè tamen mſ. Reginæ Sueciæ ad hanc diem. *Et in eadem Vrbe* (Roma) *natalis S. Nouatiani, & Dccccl xxviiii. martyrum.* quod non tam à nostris codicibus, quam à Vetustissimo Antuerpiensi adducto confirmatur. Forte aliqui à Nouatiano timuerunt, quoniam schisma primum aduersus Cornelium Pontificem in Ecclesia Dei, & Romana intulerit, & hæresiarcha euaserit; sed præcipuè quòd à sectarijs suis martyrio coronatum fuisse prædicaretur, vt habet Baronius doctissimus T. 2. Annalium ad annum 261. n. 2., vbi solidè de martyrio opinionem refellit. In numero Confessorum fuisse negari nequit ante schisma, id docente, vel Eusebio, vel D. Hieronymo in Chronico, & à Nouato hæresiarca, seductum fuisse. Sed quid vetat alium fuisse Nouatianum, vel Nauatianum in tanta Romanorum martyrum Segete, cum quo tanta anonymorũ classis coronata fuerit? Audiendus hic est Prudentius in Peristephano de passione Hippolyti, dum sepulcra martyrum Romæ perlustrans anonyma vidit, plurima numerum tantum indicantia, ita vt sub vna sepulcri mole, sexaginta depositos fuisse animaduerterit,

Sũt, & muta tamen tacitas clandẽtia tũbas,
Marmora quæ solũ significãt numerũ.
Quanta virum iactant coniectis corpora acervis
Nosse licet, quorũ nomina nulla legas.

Ne quis vero miretur in Vetustiori Martyrologio nostro sæpe anonymos multos martyres numerari,

Quorum solus habet comperta vocabula Christus.

hæc libuit adnotare: atque etiam, si quis contenderet Nouatianum resipuisse, & martyrẽ euasisse, sciat Hippolitum martyrem, qui quondam Nouati sectator fuerat, aduersus eundem Nouatum stetisse, & illustri confessione expurgatum, insignem martyrem fuisse. Nouatũ æquè, ac Nouatianum tanquam schismaticum, & hæreticos plurimi ex patribus auersantur, non tamen Nonatus, & Nouatianus idem nomen fuit, vt Theodoretus alijque ex Græcis putarunt. Hoc aperte constat tùm ex Chronico Eusebij, & Hieronym. tùm magis ex epist. D. Cypriani. At sicuti Nouati nomen, satis Romanis vsitatum fuit, ita & Nouatiani frequens esse poterat. Nouatus confessor frater Timothei, & filius Pudentis Senatoris in M. Romano recolitur die 20. Iunij, & ad Nouatum libros suos de Ira dicauit Seneca, vt proinde necesse non sit Nouatianum hac die memoratum schismaticum illum esse Nouatianorũ antesignanum. Variant in anonymorum numero scripti codices, exuberant nostri supra alios dum nongenti octuaginta numerant: alij verò, vt mſ. Reginæ Sueciæ nongentos septuaginta octo: nongentos septuaginta nouem Vetustissimum Martyrol. Antuerpiense. Magis autem redũdat Corbeiense, in quo supra nongentos, octuaginta, & septem martyres recensẽtur. Cum Apostolo Paulo tres milites martyrium fecisse docet M. Romanum vj. Non. Iulij. sed xxxv. cum milite percussore ex prodigio lactis effluentis è vulnere ad Christum conuersos narrat Chrysostomus orat. de Principib. Apostol. qui coronam acceperunt. Incertum tamen

tamen mihi est, an hi in adducto nongentorum octuaginta septem numero computentur.

Dedicatio Baptisterii. Nulla solemnis huius dedicationis memoria extat in M. Antuerpiensi; meminit tamen Corbeiēse. Cum verò nullum Romæ, neq. in Christiano orbe magis celebre Baptisterium fuerit, quam quod Constantinus cōstruxit, multisq. donarijs ornauit in Laterano palatio, eiusdem hìc dedicationem recoli putarem. Huius adhuc memoria estat & Anastasius Bibliothecarius in libello de munificentia Constantini *Fontem Sanctum, vbi Baptizatus est Augustus Constantinus*, vocat; ideoq; sanctū fontem nuncupauit, quia vt fama est, non modo ibi pius Imperator à S. Syluestro mundatus fuerit à lepra, sed fortasse, quòd per dedicationem ab eodem Pontifice fuerit sanctificatus, seiunctim à reliqua Ecclesia Lateranensi, cuius encenias recolit Romanum M. quinto Idus Nouembris: Basilicā sub nomine S. Ioannis Baptistæ, in loco sui Baptismi à Constantino ædificatam, narrat Petrus de Natalibus lib. 10. cap. 38., quam B. Syluester publicè consecrauerit. De Constantini vocato Baptisterio passim agunt, qui de sacris vrbis ædificijs scribunt, quos videre licet. Panuinum, & Seuerianum de septē Ecclesiis. Sed præcipuè Cæsarem Rasponium de Basilica, & Patriarchio Later. lib. 3. qui, dum hęc cuduntur ad sacram purpuram meritò euectus est.

In Perside. De Natali SS. Apostolorum Simonis, & Iudæ aliqua ad Indiculū Apostolorum cōgessimus. Notkerus eadem cum adductis codicibus habet. *In Perside natiuitas sanctorum Simonis, & Iudæ Apostolorum.* Sed hæc eadem memoria totidem penè verbis habetur infra Kalendis Iulij. Græci sequenti die omnium Apostolorum celebritatē recolūt.

II. Kal. Iulij.

IN Africa Natalis SS. Timothei. Zotici. Italiæ. Cursici Presbyteri. Leonis Subdiaconi. In Agrippina Aschini. Paphili. & *Lemodicas depositio S. Martialis Episcopi, & Confessoris.*

IVNII 30.

LIbrariorum vitio Martyrolog. Corbeiense, Africanos sāctos martyres ita Romæ tribuit. *Prid. Kal. Iulii. Romæ Natalis Sanctorum Timothei, Italiæ, Gelati, Zoili, Italicę, Cursici Presbyteri, Leonis Subdiaconi. In Agrippinæ Asclini, Pamphili, Lemouicas depositio S. Martialis Episcopi.* Constāter primam martyrū classem codices nostri in Africa coronam accepisse dignoscūt, & Vetustissimum Antuerpiense confirmat. *II. kal. Iulii. In Africa Sanctorum Timothei, Zotici, Italicæ, Zoili, Gelati, Cursici præsbyteri, Leonis Subdiaconi, In Agripina Asclini, Pampili. Lemodicas depositio S. Martialis Episcopi, & Confessoris.* Notkerus quamquam Timotcum tantum, & Zoticum recensеat, locum tamen agonis non Romam, sed Africam ita signat. *In Africa Timothei, & Zotici.* Ex his nonnullos etiam refert ms. Reginæ Sueciæ in fine laterculi prid. Kal. Iulij. *In Africa Natalis Sanctorum Timothei, Zotici, Italiæ, Galati. In Agrippina natal. SS. Aschini, Paphili.* ita vt dubitari nequeat, reliquorum codicum fide sub Timotheo antesignano sacros pugiles Africanos fuisse. Ex his binos incerto loco tribuit hodierna die M. Romanum nempe Caium præsbyterum, &

Leonem ſubdiaconum. Addit ibi Baronis de his agere Vſuardum, & recentiores omnes. Sed nullibi Caium Presbyterum inuenio. Vſuardus Molani, ita legit. *Ipſa die S. Corſici Presbyteri, & Leonis Subdiaconi*. Bellinus de Padua pro Corſico Biſicum retinet. *Ipſo die S. Biſici Presbyteri, & Leonis Diaconi*. Varietatem librorum antiquorum ità hìc agnouit Maurolycus. *Ipſe die S. Diſici Presbyteri, ſiue Corſici, & Leonis Subdiaconi martyrũ*. Petrus de Natalibus lib. xi. n. 182. de ijſdem ita meminit *Corſicus Presbyter, & Leo Subdiaconus, paſſi sũt martyrium prid. Kal. Iulii*. Corſicum etiã retinet Galeſinius, & quamquã alias Biſicum dictum fateatur, paſſim tamen in mſs. legi teſtatur *Corſici*, vel etiam *Corſiti*, & monet Leonem non Diaconum, ſed Subdiaconum dicendum eſſe omniũ Martyrologiorum fide, cui adducti iam codices conſonant. Cum vero eos Romæ martyres fuiſſe addat, neque in Notis auctorem proferat, veritus eſſem, ne propria coniectura (quod alibi de incerti loci martyribus aſſerere non dubitauit) id affirmaret, niſi ex aliquo antiquo mſ. accepiſſe ſuaderet M. Corbeienſe, in quo pariter dubitari poteſt, ne *Italiæ*, vel *Italicæ* nomen repetitum ſit.

In Agrippina. Coloniam Vbiorum vrbem, Agrippinæ Neronis Matris patriam, ad Rhenum hìc agnoſco. Martyres vero in eadẽ vrbe coronatos in editis MM., præter Rabanum, & Notkerum nullibi inuenio. Adducta quidem mſs. Aſclinium, vel Aſcliuium, Pamphilium, vel Pampilũ, vel Paphilum conſtanter Agrippinæ aſſignant. Ille II. Cal. inquit. *In Agrippina Aſclepii, Pamphilii*.

Lemodicas. Ita pro Lemouicis vetera ferè omnia mſs. retinent. An S. Martialis fuerit Apoſtolis coæuus apud Galliæ ſcriptores non dũ cõſtat. Serius nẽpe ex Seuero Sulpicio educentibus alijs, Chriſtianam religionem in Gallia fuiſſe ſuſceptã, & ex Gregorio Turonenſi ſub Decio Martialem Lemouicum veniſſe. Inter hos Cordeſius, & ex eo Franciſcus Boſquetus T. 1. Hiſt. Eccleſiæ Gallicanæ, & nuper Ioãnes de Launoy chorum ducunt. Epiſcopus tantum, & Confeſſor hìc S. Martialis dicitur non Apoſtolus, vt alij contenduut eſſe vocandum; neq. additur particula *de Antiquis*, vt in Vetuſtiori noſtro mos eſt aliquando ſuperaddi; quinimmo Confeſſoris titulus appendicem, & recentiora ſæcula ſapit. Confeſſorem pariter vocant M. Antuerpienſe mſ. Reginæ Sueciæ, Notkerus, & alij. In Corbeienſi tantum dicitur depoſitio S. Martialis Epiſcopi. In Hagiologio Frãco Galliæ Lebbei adduntur duo presbyteri Alpinianus, & Stratodinianus, quem in Auſtriclinianum emendat idem Lebbeus. Anteacto ſæculo prodijt S. Martialis vita, quæ ab Aureliano eiuſdẽ cathedræ ſucceſſore ſcripta perhibetur, & Abdiæ Babilonio in editione Pariſina ſuccenturiatur, eiuſdem farinę cum Apocripho illo ſcriptore. Ioannes Heſſels in Cenſura de vita quorundam ſanctorum. S. Martialis editã hiſtoriã in multis ſibi diſplicere affirmat. Conſimilis tamen ſeruatur in mſſ. libris Paſſionalibus Bibliothecæ Canonicorũ Lucẽſium. De S. Martiale eiusq; Apoſtolatu plura habet Lebbeus adductus tomo 2. Bibliothecæ mſ. præſertim in Concilijs Bituricenſe, & Lemouicenſe; ſicuti & plures ſacræ Galliæ ſcriptores, præter Sammarthanos qui ſub Decio S. Martialem floruiſſe veritati magis conſentaneum exiſtimare videntur in Epiſcopis Lemouicenſibus T. 2. Galliæ Chriſtianæ.

KALENDIS IVLII

Litanias indicendas

Iulius habet dies XXXI.

IN Nicomedia Zoeli. Gagi Papæ. Et Natalis Sanctorum Luciæ Virginis, & Acciæ Regis cum alijs viiij. In eadem Vrbe Esici. Processi. Martiniani. Marine. Antoni. Sereni. Victoris. In Mesopotamia Zeli cum alijs vj. & aliorum cclxiiij. In Antiochia Seueriani. Zoęli. Epasi. In Monte Or depositio Aaron Sacerdotis. Et depositio Primi. Idonij cum aiijs. Et Augustiduno depositio Leoni Episcopi. In Persida passio Sanctorum Apostolorum Simonis Chananei, & Iude Zelotis. Egolisina Ciuitate depositio Separci Episcopi.

IVLII 1.

MVltis cęlitibus abundat Vetustius M. supra Romanum emendatũ. Primumq. Nicomediæ habet Zoilum, cuius etiam ita meminit. M. Vetustissimũ Antuerpiense: *Kal. Iulij. In Nicomedia Zoili. Romæ depositio Gai Episcopi. Natalis Luciæ Virginis, & Auceia Regis cũ aliis viii. Item Romæ Isici, Processi, Marinæ, Antonini, Sereni, Victoris, Zeli, cum aliis octo. Orionis, & aliorum cclxii. In Antiochia Seueriani, Zoeli, Pasi. Depositio Idonei cũ filiis. Augustoduno depositio Leontii Episcopi. In Persida SS. Apostolorum Simonis Cananei, & Iudæ fratris Iacobi.* De Zoilo Nicomediensi meminit etiã ms. Reginæ Suecix: *Kal. Iulii. Nicomediæ S. Zoili. Romæ depositio Gaii Papæ.* Et quamquam de Nicomediensi Zoilo nihil habeat Notkerus, eiusdem tamen cum alijs in nostro indicatis, memoriam, integro de more adducto laterculo, agit Corbeiense. *Kal. Litanis indicitur. In Nicomedia Zoili Martyris. Romę Gaii Papę, & Natalis Sanctorum Luceię Virginis, & Auceię Regis cum aliis octo. In eadẽ Vrbe Esici, Processi, Marina, Antoni, Sereni, Victoris. In Mesopotamia Zoeli cum aliis sex: Orion cum aliis octo. Et aliorum ducentorum sexaginta octo. In Antiochia Seueriani, Zoeli, Epasi. In Monte Or depositio Aaron Pontificis. Et depositio Primi, Idoni cum aliis. Augustiduno depositio Beati Leontii Episcopi. In Persida passio Sanctorum Apostolorum Simonis Cananai, & Iudæ Zelotis. Egolisma Ciuitate depositio Beati Eparci Episcopi. Cinomannico Anisola Monasterio, depositio S. P. Kari Iesi Presbyteri, & Confessoris.*

Romę Gagi. Pro Caio siue Gaio nostrorum codicum scriptor vbique Gagiũ profert. Notkerus plures Romanos, qui sequuntur martyres per compendia trãsigens, ita de Gaio meminit. *Romæ natiuitas Sancti Gaii Papæ, & aliorum nõ paucorum martyrum.* Nec valdè diuersa habet Auctarium Adonis. *Romę Gaii Papæ & aliorum.* Depositionem non natalem

dicunt M. Vetuſtiſſimum,& mſ. Reginæ Sueciæ, ad celebritatem, ſeu translationem aliquam deſignandam; rarò enim agonis diem in martyribus depoſitionẽ vocãt vetera martyrologia. Cum verò vnus tantum Gaius, ſiue Caius penès Pontificalis hiſtoriæ ſcriptores legatur, eumq. conſtanter hùnc referant martyrio ſub Diocletiano coronatum x. Kal. Maii,ac in Calliſti cœmeterio ſepultum, mirum cur toties in Vetuſtiori noſtro M. eiuſdem memoria repetatur, vt 20. die Februarii, & 22. Aprilis, vbi de eo egimus. Vix enim vetuſta aliqua depoſitio recoli poteſt,cum in ipſo Calliſti cœmeterio, vbi antiquitus S.Gaij exuuiæ repoſitæ fuerant, noſtrorum patrum ætate inuentę ſint, vt ex Aringhio lib.4. ca.29. ibi adnotauimus. At cũ S.Pontifex annis nouẽ in cryptis ad fideliũ ſolamen latuerit,fortaſſe in ijſdẽ cœmeterijs pluries à fidelibus eiuſdẽ memoria recolebatur.

Et Natalis S.Luciæ Virginis. Romanã Virginem, ſiue Luciam, ſiue Luceiam cũ Anceia Rege Barbaro eius temporali domino,& recolit & eius Acta ſignat Petrus de Natalibus lib.6. cap.4. ad diẽ 25. Iunij, vbi aliqua ad aliarum huius nominis ſanctarum Virginum diſtinctionem adduximus, ibiq. Luceiam, & Aceiam ambas virgines Theſſalonicenſes exhibuimus. Similitudine nominum deceptos aliquos ex recentioribus non dubito & magnas nubes diſtinctis aliàs martyribus offudiſſe. In Vetuſtiori M. noſtro nulla eſt repetitio, nulla confuſio. Fiſtus,& Luceia cũ alijs xxij. aut xxiij. recolitur viij. Kal.Iulii. Deinde vij. Kal.Iulij Lucela,& Aceia Virgines Theſſalonicæ.Nũc Kal.Iulii Lucia virgo,& Aceias Rex cũ *filiis nouẽ*, vel vt alter ex codicibus noſtris legit *cũ alijs nouẽ*,cui reliqua iam adducta mſs. conſentiunt: Notkerus qui ad diem vij. Kal. Iulii videtur confudiſſe Luceiam, & Auceiam virgines, in Vetuſtiori noſtro indicatas vnà cũ Lucia, & Aceia Rege, ibi etiam xxii. ſociorum meminit, quemadmodum Vvandelbertus ſuppreſſo in Aceia Regis titulo. Vſuardus, & Ado Aceiam ibi penitus ſilent, ſed Luciæ Romanæ virgini xxii. pariter addunt commilitones, nec aliam, ſiue Luciam,ſiue Luceiam agnoſcunt in hodiernis faſtis. Rabanus eandem hic recoli Luceiam putat, cuius ita meminit viii. Kal. Iulii. *Romæ Fuſci Luceæ cũ aliis xxii.* & ſolemnem celebritatẽ Romę fuiſſe docet, dum in hodiernis faſtis illius ita octauam diem notat Cal.Iulii. *Eadem die Romæ octaua Luceia virginis ſanctimonialis cum Anceia Rege ſponſo ſuo*.Sanctimonialem Virginem Luceiam fuiſſe alibi non legi,ſicuti Aceiam Regem eiuſdem ſponſum fuiſſe, quem dominum alii dicunt. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad diem 25.Iunii ex Petro de Natalibus Acta SS. Lucię, ſiue Luceiæ, & Anceiæ Regis prælibat,eadem tamen vti minus probabilia notat. Dum verò ſocios addit xxii., ab eodem Petro diſcedit, qui nullos martyres illis aſſociat, ſed in perſecutione Diocletiani inquit, *ambo ipſi pro nominis Chriſti confeſſione detenti gladio martyrium impleuerunt vii. Kal. Iulii*. Variant quidem in numero commilitonum Luceiæ virginis, & Auceiæ Regis codices noſtri, qui viiii. omnino ſocios agnoſcunt à M. Corbeienſi. Hoc enim non modo apud Dacherium editũ, ſed in ſchediis noſtris viii. tantum retinet, & pro Luceia Luciam hoc pacto legit Kal. Iulii. *Et natalis SS. Luciæ Virginis, & Auceiæ Regis cum aliis octo*, cui vt vidimus concinit martyrol.Vetuſtiſſimum Antuerpienſe.

In eadem Vrbe Eſici. Sub titulo *non paucorum martyrũ* hos Romanos athletas collectiue ſignat Notkerus.An inter triginta quinque milites reponendi ſunt, qui per prodigiũ lactis de ceruice Apoſtoli Pauli emanantis emolliti, gladio & ipſi ceruibus amputatis Chriſtum Dominum confeſſi ſunt,nõ affirmo. Tres eorum tantum recolit hac eadem die Romanum martyrol. ſed nomina Longini, Aceſti, & Megiſti, quæ ex veteribus mſſ. addit Baronius in Notis, cum noſtris nõ conſonant. D. quidem Chryſoſtomus

in

in Homel. de Princip. Apoſt. eodē gladio cum Paulo triginta quinque ſumma alacritate Deo fuiſſe mancipatos adnotauit. Iſicium pro Eſicio Antuerpienſe martyrol. legit, ſed Eſicium Corbeienſe cum codicibus noſtris, in quibus emēdandum puto librarii errorem, qui cum Proceſſo huius diei martyre, & alio à Proceſſo ſequentis laterculi, Martinianū pro Marina repoſuit, deceptus ſimilitudine, & fama nominis. Ex Corbeienſi igitur, & Antuerpienſi MM. reſtituendū omninò pro Martiniano Marinam putarem. Antonium Vetuſtius noſtrum, & Corbeienſe præ ſeferunt minima mutatione, non Antoninum, vt illud Vetuſtiſſimum, quod hic mutilum eſſe fatendum eſt, dum Zelum, & alios ſequentes martyres Romæ aſsignat, qui Meſopotamiæ debentur.

In Meſopotamia. Zoelum ſex Anonymorum anteſignanum in Meſopotamia martyrem vocat martyrol. Corbeiēſe: Zelum codices noſtri cum Antuerpienſi martyrol., quod in loco certaminis, vel venerationis deficiens, abundat in numero ſociorum ſupra ſex, alios binos addens. Orion in omnibus mſs. ſuccenturiatur Aſiæ martyribus, aliiſq. ſine nomine ſocii adduntur in duas claſſes codicibus noſtris, & Corbeienſi diuiſi, nempe viii. in prima, & cclxiiii. vel cclxviii. in ſecunda. Vetuſtiſsimum Antuerpienſe primam turmam præterit, & Orioni iungit ſine nomine tantum cclxii., quos alterius eſſe claſsis ex adductis mſs. palam eſt. Hos omnes etiam Meſopotamiæ decurtatis nominibus ita tribuit Notkerus. *In Meſopotamia Zoelli cum aliis plurimis.* Auctarium Adonis deficit in poſtrema claſſe, in aliis conuenit. *In Meſopotamia Zeli cum aliis vi. Orion cum aliis viii.*

In Antiochia. Vetuſtiſſimū martyrol. Antuerpiēſe, dum tres martyres Antiochenos refert, pro Epaſo noſtrorum codicum, & Corbeienſis Paſum ſcribit parui momenti differētia. Hi tamen reliquis editis hucvſque martyrolog. ignorantur.

In Monte Or. Omnibus latinorum martyrologiis celebris eſt Aaron Sacerdotis memoria: hac die memoratur Corbeienſi, ſed in Antuerpienſe deficit. Vidēdus de Aaronis obitu Ioſephus lib. 4. c. 4. Hor mons Arabiæ Petreiæ in finibus eiuſdē, aliquibus cū aſpiratione, aliis vt Corbeienſi, & codicibus noſtris ſine aſpiratione ſcribitur, aliis etiam Horeb dicitur.

Et depoſitio Primi. Non indicato loco, vbi hæc depoſitio veneretur, fruſtra, vt aliquam hic lucem adderem, laboraui. Bini codices noſtri Depoſitionē ſignant Primi, Idonii, cum alijs, totidemq. verbis Corbeienſe M. In Vetuſtiſſimo Antuerpienſi Primus tantum memoratur cum filijs, eiuſq; depoſitio recolitur. Hic loquendi modus omnibus mſs. communiter Sanctos, vel Sanctū aliquem Confeſſorem potius innuere videtur, quam martyrem. Veritus aliquando ſum, ne vnicum nomen eſſet Primidonij. At nihil immutandum duxi; præſertim quòd non modo in edito Corbeienſi M. Dacherij, ſed in ſchedijs Dufreſnij penes me ex illius codicis Prototypo legitur, *& depoſitio Primi, Idoni cum aliis*, ijſdē penè verbis, quibus in noſtris codicibus exprimitur. Vetuſtiſſimum Antuerpienſe M. Primum ſilet, & Idoneum tantum profert cum filijs. Sed de mutilatione in hodiernis faſtis ſuſpicari iam licuit.

Auguſtoduno. Pro Leone noſtrorum codicum reponendum eſſe Leontiū monent mſs. Antuerpienſe, Corbeienſe, & Reginæ Sueciæ, in cuius laterculi fine legitur. *In Monte Hor depoſitio Aaron Sacerdotis. Auguſtoduno depoſitio Leontij Epiſcopi.* Confirmat idem Adonis Auctarium hac ipſa die, quamuis in martyrologio S. Sabini de Leuitania in Pireneis eius memoria recolatur die 7. Iulij, his verbis. *Auguſtoduno depoſitio S. Leonicii Epiſcopi.* Leonorium hunc appellare videtur Molanus in Appendice ad Vſuardum, Maurolycus Leonem vocat cū codicibus noſtris. Cum vero neq. huius, neq. Idonei, aut Primidoni depoſitio ab

alijs

alijs latinorum martyrologijs indicetur, Gallici antiquarij additamentū puto, à quibus neque Vetustissimū Antuerpiense videtur immune.

In Persida. Eadem SS. Simonis, & Iudæ commemoratio habetur etiam in Persida ad diem 29. Iunij. Hæc autem translationis, seu dedicationis memoria non consummati certaminis fuisse videtur, vt diximus ad Indiculum Apostolorum. In Hagiologio nostro ms. perantiquo ex Abdia Babilonio scribitur translationem ad Basilicam miro ordine constructam à Rege Persiæ post tres annos ab eorundem Passione peractam fuisse Kal. Iulij. Si quæ vero fides habenda est Apocripho scriptori, eadem esset natalis dies certaminis consummati; scribitur enim de Templo, & Rege. *Per tres autem annos fabrica incessanter excreuit, & consummans eam die Natalis eorundem, ideſt Kal. Iulias meruit perdedicare loca Sanctorum*. At sub Natalis voce celebritatem, siue translationis, seu alicuius Basilicæ dedicationis intelligi posse alibi monuimus.

Egolisma, seu potius Engolisma deposition Sepatci Episcopi referūt codices nostri. Eparcum legit M. Corbeiēse, & pariter Episcopum, quamquam Abbatem, seu Monachum, & Confessorem tantum astruant Vsuardus, & Romanum martyrologium. De eo plura Greg. Turonensis lib. 8. Hist. Francorum cap. 8. & eius vita apud Surium T. 7. in quibus Monachus Engolismæ reclusus nūcupatur, & Presbyterū non Episcopū obijsse Kal. Iulij. Abbas vocatur etiam in Romano, & aliorum recentiorū MM. sicuti in antiquo Hagiologio Lebbei. *Ciuitate Angolisma S. Eparchii Monachi, & Confessoris*. Cum vero constanter, tam in binis codicibus nostris, quam in Corbeiensi Episcopus nuncupetur, & Siparcus in illis dicatur, veritus sum ne alius esset ab Eparco Abbate. Videant, qui res Galliæ sacras tractant, à quibus superadditum fuisse sanctum virum Gregorio Turonensi coæuum vix dubito. De eo silet martyrol. Antuerpiense, neque inter Engolismenses Episcopos à Sammarthanis numeratur, sed S. Eparchij Ord. Benedictini Abbatia Engolismensis memoratur.

VI. Nonas Iulij.

ROmæ Damasi. Processi, & Martiniani. Calesti, & depositio Melciadæ PP. Turonis Sanctæ Monegundis.

IVLII 2.

IN Apographo Vetustissimi M. Antuerpiensis hodierni fasti ita prostant. *vi. Nonas Iulij. Rome Processi, Martiniani. Item Rome Entici, Gradini, Aiaxi, Amideani. Depositio.* Quos mutilos esse postremum nomen *Depositio* cui nihil additur satis docere potest. In eodem infortunio & codices nostri versantur, in quibus & hi suppleri potest, quod in Vetustissimo ad nomen depositionis deficit, nempe Melciadis Papæ, Romani tamen martyres desiderantur. Integrum magis videtur in Corbeiensi martyrol. hodiernus sanctorum Indiculus hoc ordine. *vi. Nonas Iulias. Damasi, & militum duorum Processi, & Martiniani, Calepi, & natale Enfici, & depositio Miltiadis Papæ, Hifici, Amidæ, Amigradiæ, Arixi, Iocundianillę. Turonis ciuitate Sanctæ Monegundæ*. Vereri tamen potest, ne aliquo vitio & vetus Corbeiensis codex laboret. Quamquam enim cōsonent codices nostri in verbis illis. *Rome Damasi*, vixq. ad Damasum Pontificem

cem

cem referri possint, qui 2. vel 3. Idus Decembris sepultus fuit via Ardeatina ex historiæ Pontificalis scriptoribus, vel quarto Idus Decembris, quando in Vetustiori nostro martyrol. sancti Pontificis memoria agitur, ancipitem lectorem relinquunt, ad quem re vera Damasum referri possint; præsertim quòd neque in ms. Reginæ Sueciæ, neq. in Vetustissimo Antuerpiensi vlla Damasi memoria peragatur. Supplendum quapropter tam in Corbeiensi, quam in codicibus nostris videretur ex Adone laterculum, & legendum *Romæ in Cœmeterio Damasi Processi, & Martiniani*. De cœmeterio Damasi Via Ardeatina latè differit Aringhius T. 1. Romæ subterr. lib. 3. cap. 12. Verùm cum Processus, & Martinianus ex eorundem Actis apud Surium T. 7. sepulti fuerint à Lucina Matrona Via Aurelia in Arenario, quomodo eorum memoria celebris esset in cœmeterio Damasi, seu SS. Marcelliani, & Marci ad Catacumbas Via Ardeatina tanta viarũ distantia, fateor me ignorare; cum SS. martyrum corpora ibi in proprio cæmeterio antiquitus quieuerint, propriamq; Ecclesiam ibidem habuerint, vt idem Aringhius ostendit l. 2. cap. 14. Præterea idem Ado in festiuitatibus Apostolorũ martyrologio præfixis apertè docet sanctos martyres Processum, & Martinianũ gladio fuisse cæsos *foras muros Vrbis Romæ in Via, quæ Aurelia nuncupatur* sepultosque à Lucina Matrona *in prædio suo in Arenario iuxta locum vbi decollati sũt*. & quod maius nobis est Vetustius etiam martyrol. nostrũ idem docet ad diẽ 31. Maij. In tanta sæculorum caligine plura quidem latere possunt, pluresq; sanctorum martyrum translationes, vel corporum integrorum, vel alicuius partis, atq; Ecclesiarum dedicationes accidere potuerunt; præsertim in antiquissimis martyribus, & ab Apostolorum sæculo. Si quis vero se ab hisce tricis expedire maluerit nostrum codicum, & Corbeiensis fidem sequutus affirmabit, alium Damasum martyrem Romanum fuisse eodẽ die Romæ veneratum, quo Processi, & Martiniani Natalis celebratur, quemadmodum, & Calistum, qui post sanctos milites in Vetustiori M. recolitur. Alios etiam martyres numeratos fuisse in veteri Hieronymi M. vereri posset ex Petro Equilino lib. 6. cap. 4. dum Aristonem, & socios numerat ex Hieronymi M. apud Adonem.

Processi, & Martiniani. Videnda hìc quæ diximus ad diem 31. Maij de SS. Processo, & Martiniano, vbi eorundem etiam memoria agitur, quæ forte alicuius solemnis translationis, aut Basilicæ dedicationis est. Secundum Iulij diem sanctis his martyribus dicatum antiquitus fuisse præter omnia latinorum martyrol. docet Sacramẽtarium Gregorij, & vetus Calendarium Fronti, in quo legitur Iulij *die 2. Natalis Processi, & Martiniani*. Eadem habentur in calendario Hieronymiano perantiquo Lucensi. Reliqua de sanctis militibus, ita etiam in M. Corbeiensi vocatis, nota sunt, additumq. illud *& militum duorum* esse videtur, vt distinguantur à Damaso, & Calisto, alijs martyribus ab ijsdem, saltem officio, seiunctis. Minùs etiam hac die vitiatum codicem hunc putamus, quòd de Euticio martyre fidem astruat hoc pacto ms. Reginæ Sueciæ. *Et in eadem Vrbe via Appia Natalis S. Eutycii*. De reliquis verò martyribus, aliquantulum in nominibus à Vetustissimo Antuerpiensi diuersis nihil nobis addendum succurrit.

Et depositio Melciadæ. De S. Milciadis Papæ depositione egimus ad diem x. Ianuarij, quæ cur hìc repetatur ignorare fatemur, nisi idem addamus, quod ante de SS. Processi, & Martiniani iterata veneratione diximus. Forte incertus S. Pontificis dies obitus in varias venera tiones traduxit fideles. Anastasio, & Luitprando S. Melciadis obitus signatur 4. Idus Decembris: Abboni Floriacensi 4. Idus Ianuarij: vetus Pontificalis historia ms. in Bibliotheca Canonicorum Lvcensium cum primis concordat *iiii. Idus Decembris*. sed iiij. Idus Ianuarij antiquissimus

simum fragmentum apud Bucherium in Victorij Canonem cap. 15. & iij. Idus Catalogus Romanorum Pōtificum, quo vtitur Cuspinianus. Errorem hic agnoscimus librarij in Vetustissimo Antuerpiensi, qui Meltiadem martyribus sequētis diei commiscuit.

Turonis S. Monegundæ. Sanctæ huius Virginis ex Gregorio Turonensi vitam habet Surius T. 7. Deq; ea agit Romanum martyrologium, & reliqui ferè latinorū. Notkerus eius memoriam in precedentem diem retulit; quia verò de eadem silet Vetustissimum M. Antuerpiense facile credimus Gallici antiquarij de more additamentum esse.

V. Nonas Iulij.

IN Edessa Mesopotamie translatio corporis S. Thomę Apostoli, qui passus est in India. In Alexandria Trifonis, Menelai. Cyrilli. Porforis. Aprici. Cristi. Iuliani. Eracli. Eologi. Emerionis. Cyrionis. Honestis. In Tharso Serene. Hilionis. Strategi. Montani. Atriani. Efici. Germani. Pafeni. Pauli. In Constantinopoli Eufemiæ. Acaci. Ammoni. Thomæ. Triphoni. Menelai. Cerealis. Heracli. Eologi. Item Eologi. Cyonie. Iuliane. Demetri. Horestis. Heliodori. Strategi. Amminiti. Iocundi. Martiniani. Sustrati. Timothei. Cyoni. Cyriani.

IVLII 3.

DE Thomę Apostoli celebritate, seu Trāslationis natali die, nihil addendum occurrit ad ea, quę in Indiculo Apostolorū dicta sunt, præterquam apud Rabanum eadem ita confirmari. *V. Nonas. Translatio Thomæ Apostoli in Edessam. Passus in vero India.* Vetustissimum S. Villibrordi martyrologium incuriosi librarij vitio laborat in Apographo nostro; pro eo enim quod scribi deberet *Thomæ Apostoli* legitur *Romæ Apostolorum hoc ordine. V. Nonas Iulii. In Alexandria Trifonis, Menelai, Cirionis, Eulogi, & Translatio Romę Apostolorum, in Edessa Miltiadis, Eutici, Porforis, Apricis, Chusti, Iuliani, Eradi. Item Trifonis, Norestis. In Tarso Cappadociæ Seueri, Helionis, Trategi, Montani, Atrani, Eusuci, Germani, Partheni, Pauli. Constantinopolis Eufemię, Acaci, Ammoni, Thomę, Trephoni, Menęlai, Celialis, Eracli, Eulogi, Cionię, Iuliani, Demetri, Horestis, Heliodori, Strategi, Amedini, Iocundi martyri, Ammi, Sustrati, Timothei, Cioni, Ciriaci.* Celebrem hac die fuisse S. Thomæ translationem confirmat ms. Calendarium Hieronymianum Lucense in quo Iulij. *V. Nonas Translatio S. Thomæ Apostoli* scribitur, & omnia latinorum martyrologia conspirant. Petrus de Natalibus Historiam Translationis prosequitur, & prodigia aliqua recensēt lib. 6. cap. 44.

In Alexandria. Triphonem cum alijs xij. anonymis exhibet Alexandriæ Romanum martyrologium, & vt notat ibi Baronius ex Vsuardo, & libris ms. Galesinius addit Triphoni socios Seuerinū, Iulianūm, Euphemiam virginem. Sed deprauatis codicibus vsus, aliarum regionum martyres palam cum Ægyptijs confundit. Rectius post Triphonem Menelāum cum x. anonymis iungit ms. Reginæ Sueciæ. *Alexandriæ SS. martyrum*

Tripho-

Triphonis, Menelai, & aliorum x. In Tarſo Cilicia natalis SS. Elionis, Montani Germani cum aliis vi. Conſtantinopoli natalis S. Euphemiæ, Acacii, & aliorum xxii. Quos tamen de more mſ. illud per anonymorum compendia colligit, vberius eos explicat M. Corbeienſe. *V. Non. Iulii in Ediſſa Meſopotamiæ Natalis, & translatio corporis S. Thomæ Apoſtoli, qui paſſus eſt in India. In Alexandria Triſonis, Menelai, Cirionis, Cyrilli, ...forferis, Aprici, Iuli, Chiſti, Iuliani, Geracli, Eologi, Emerionis, Horeſtis. In Tarſo Seueri Helionis, Stracei, Montani, Adriani, ...ſici. Germani, Partheni, Pauli. Conſtantinopoli, Euſemiæ, Acaci, Ammonis, Thomæ, Tripon, Menelai, Cerialis, Baraclæ, Eologi, Cionia, Iuliani, Demetri, Horeſtis, Heliodori, Strategi, Aminidi, Iocundi, Martyri, Ammi, Suſtrati, Timothei, Chionii, Cyriani.* At non duodecim ſed tredecim Triphonis ſocios nominatim exprimit, quos duodecim tantum numerat Vetuſtiſsimum martyrol. Antuerpienſe, ſi interpoſita Lacinia Edeſſanæ translationis ex incongruo loco auferatur, quemadmodum remouendam decreuit Bollandus, dum Tomo 1. in Præfatione Generali ad Acta ſanctorũ cap. 4. §. 4. illius ſpecimẽ, ita in hodiernis faſtis reſtituit, vt etiam Melchiadis nomen, quod præteritæ diei conueniret, auferret, & decem tantum reliquos Triphoni ſocios aſſignaret. Abundat Corbeienſe in Cyrillo, Iulio, & Emerione. Iulius in noſtris etiam deficit, & primo loco Cirion. Pro Emerione Vetuſtiſſimum legit Triphonem. Petrus de Natalibus lib. 11. n. 88. ex veteribus martyrologiis anonymos Triſonis ſocios ad ducentos extendit. *Triphon, & alii ducenti martyres Alexandriæ paſſi ſunt V. Nonas Iulii.*

In Tarſo. Mirum quod M. Vetuſtiſsimum pro Tarſo Ciliciæ, vt exprimit iam adductum mſ. Reginæ Sueciæ, Tarſum Cappadociæ retineat, ignotam Geographis vrbem in Cappadocia, ſeu quam hucvſque inuenire non licuerit. Maioris famæ fuiſſe Tarſum Ciliciæ vrbem palam eſt, ſed cum & Tharſis opidum fuerit Syriæ, ſeu Comagenes non longe à Samoſatis diſtans, an pro Comagenæ Cappadociam repoſuerit antiquarius imperitus, ignoro. Sine alia additione, vt in codicibus noſtris, ita & in Corbeienſi ſcribitur Tarſus Ciliciæ. Huic Vrbi cum SS. Helione, Montano, & Germano vi. anonimos iungit mſ. Reginæ Sueciæ, totidemq. ſunt, qui in libris noſtris exprimuntur nominibus Tarſenſes martyres, quorum chorum ducit non Helim, ſed vel Serena, vel Senera, vt in altervtro ex noſtris codicibus legitur. Pro Serena Seuerum retinent M. Vetuſtiſſimum, & Corbeienſe, quæ in numero nouem martyrum nominibus ſignatorum cum Vetuſtiore noſtro conueniunt, nec à mſ. Reginæ Sueciæ diſcrepant. Nihil de his habetur in Romano M. alijſq. recentiori bus.

Conſtãtinopoli Euphemiæ. Ex his Chriſti Athletis Eulogium tantùm cum ſocijs indicat Romanum M.: ſed Maurolycius addit Acarium, Demetrium, & Euphemiam. Galeſinius tantum Eulogiũ, & Demetrium protulit, quos paſſos narrat ſub Valente Ariano, & in Adnotationibus id excerpſiſse profitetur ex Annalibus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & mſs. codicibus, vnde Em. Baron. fortaſſe accepit, cum in Adnotationibus addit de Eulogio, & ſocijs hac die Græcos agere in Menologio. Euphemiam magnæ venerationis martyrem ex vrbe Chalcedone Byſantio minus milliario oppoſita, recolunt Græci in Menologio Sirleti non. 3. Iulij die, ſed xi. Eulogius vero nuſquam mihi comparuit, niſi apud Petrum de Nat. hoc ordine lib. 11. n. 189. *Eulogius, & Ochaicus, & Demetrius martyres. Conſtantinopoli eodem die obtinuerunt triumphũ*, hoc eſt v. Nonas Iulij, ex martyrol. Hieronym. Viginti quatuor Byſantini cum Euphemia anteſignana martyres numerantur in codicibus noſtris, qui numero anonymorum in mſ. Reginæ Sueciæ reſpondent. Viginti tres tantum ſub Euphemia recenſet Conſtantinopoli

Beatos martyres Martyrol. Corbeiense, sed xxiiij. cum codicibus nostris Vetustissimum Antuerpiense. Deficit ergo in illo alter Eulogius librarij oscitantia; quæ ex adductorum fide conuincitur.

IIII. Nonas Iulij.

SAncti Iocundiani. In Syria Sabbatiæ Innocentij cum alijs xxv. *In Gallia Turonis ciuitate ordinatio Episcopatus, & Translatio corporis S. Martini Episcopi, & Dedicatio Basilicæ ipsius. Biturica ciuitate Natalis Luciani Episcopi.*

IVLII 4.

DEficit in codicibus nostris locus Passionis S. Iocũdiani. Africam tamen esse docent Romanum M. cum reliquis ferè latinorum Beda, Vsuardo, Adone, Bellino de Padua, Maurolyco, Galesinio, & Petro de Natalibus præcipuè, qui ex Hieronymi, & Adonis martyrologio Iocundianum in Africa per aquæ summersionem martyrium fecisse refert. Sed purum Hieronymianũ M. nõ habuisse Petrum de Natalibus alibia dnotauimus. Vetustissimũ Antuerpiẽse de martyrij genere non meminit, & si locum de more ita indicauerit. *IV. Nonas Iulij. In Africa Iocundiani, Sereni, Sabbatiæ, & Innocentium. Translatio S. Martini in Turnis, Lauriani martyris.* Genus tamen agonis in Iocundiano non filet M. Corbeiense. *IV. Non. Iulij. In Africa Iocundiani in altum missi, & Martyris. In Syrmia Sabbatiæ Innocentij cum alijs xxx. In Gallia Turonis ordinatio Episcopatus, & Translatio corporis S. Martini Episcopi, & Confessoris, & dedicatio Basilicæ ipsius. Beturino Natalis S. Lauriani Episcopi, & Confessoris.* Iocundiani meminit ad calcem huius diei ms. Reginæ Sueciæ. *In Africa S. Iocundiani martyris.*

In Syrmia. Vetustissimum Antuerpiẽse non Syrmij, seu Sirmiæ Pannonicæ vrbi Sabbatiam, & Innocentium cum socijs tribuit, sed Africæ, mutato tamen Sirmij nomine in martyrem Serenam. At reliqui codices, & omnia latinorum martyrologia cum Romano Sirmium non Serenum legunt, ac xxx. illis socios addũt; pro Sabbatia tamen nostrorum codicum legunt Sebastam, & corruptè Galesinius Sebastianã. Bellinus de Padua pro Syrmio legit Apud Smirnam SS. martyrum Innocentij, & Sebastiæ cum aliis xxx. At præter Bedam, qui Sabbatiam retinet, de mss. idem testatur Galesinius, & codicibus nostris consonat Corbeiensis. In quo tamen anonymorum numerus xcx. in xxx. mutandus est, quemadmodum, & xxv. Vetustioris nostri ex omnium aliorum fide.

In Gallia Turonis. Hæc de S. Martini translatione, ac Basilicæ dedicatione ad Gallicum additamentum pertinent: omnia tamen martyrologia latinorum tanti Confessoris celebritatem indicant. Sausayus hic dolet sanctarum reliquiarum à Caluinianis dissipationem, sed aliqua ex sacris ossibus restituta non perijsse certum est, & nuper Regio iussu Lucensis Patriæ meę Cathedralis Ecclesia D. Martino dicata os vnum obtinuit, igne probatum ad confirmandam perduellium rabiem, & cleri Turonensis pietatem. Celebrem fuisse magnorum Episcoporũ acceptæ Cathedræ diem alibi diximus.

Biturica. Sunt qui Laurianum Episcopum, & confessorem dicant vt M. Corbeiense. Sed contra aliorum ms. & editorum librorum fidem, qui martyrem expresè vocant. De eo ita legitur in antiquo

quo FrancoGalliæ Hagiologio Lebbei. *In territorio Biturice ciuitatis Vico Vastinæ natalis S. Lauriani Episcopi, & martyris, cuius caput Hispalim ad Hispanias deportatum est*. Vasseus apud Baronium putat martyrium feciſſe ſub Totila Rege ad annum 544., & Archiepiſcopum Hiſpalenſem fuiſſe. His conſona lib. 3. miraculorum S. Auſtregiſili cap. poſtremo in Bibliotheca Lebbei de S. Lauriani ſolemni die, ac eius cathedra leguntur. *Adueniente itaq. B. Lauriani martyris Hiſpalenſis Epiſcopi ſolemnitate, quæ colitur 4. Nonas Iulij, &c.* ſed omnia diffuſius, & apertius patent in eiuſdem Lebbei Bibliotheca inter vitas, & elogia SS. Bituricenſium, vbi legitur integra Paſſio ſancti Lauriani Hiſpalenſis Epiſcopi ex codice mſ. Eccleſiæ de Caſtro Bituricenſi.

III. Idus Iulij.

IN Sicilia Agathonis. Triphonis, & in Thomis Stratoris. Theodoti. Meroni. Rodoſie. Secundini. Thomi. Macrini. In Alexandria Natalis Sancti Arpotis.

IVLII 5.

MArtyres, Siculi Agaton, & Triphon in codicibus noſtris, Agaton, & Triſina ſunt Romano M. Bedæ, & recentioribus apud Baroniũ. Triphina pariter eſt in Veruſtiſſimo S. Villibrordi libro. *III. Nonas Iulij. In Sicilia Agatonis, & Triſiniæ. Et in Tomis Marinæ, Theodotæ, & Soderæ, Staris, Meronæ, Rodiniæ, Secundini, Theoni, Mafrimi. Item Rodopiæ. In Alexandria Natalis Apotis*. Triphonem tamen non Triſinam retinet M. Corbeienſe, in quo ita Siculis martyribus Iuſtus additur. *iij. Non. Iulij. In Sicilia Agathoni, Triphonis, Iuſti. Et in Thomis Stratonis, Theodoti, Meronæ, Rodeſiæ, Secundi, Themi, Magrini, item Theodoti. In Alexandria natalis S. Arpotis Cõfeſſoris*. S. Agatonis meminit hac die Calendarium per antiquum Hieronymianum Canonicorũ Lucenſium penes quos in fragmẽto Martyrologij Bedæ aſcripti additur *Agathonis Diaconi*. Rabanus non Triſinam, ſed Triphenam cum Agathone in Sicilia recolit.

Thomis. Tres tantum Thomis in Scythia martyres hodierni faſti exhibent in Romano martyrologio, & Bedæ, nempè Marinum, Theodotũ, & Sedophã. *Tomis Marini, Theodoti, & Sodephę* legit Rabanus, & teſtes libros ſcriptos adducit Galeſinius. Plures exhibet Veruſtius noſtrum M. in quo ſeptem Thomitani martyres numerantur, quorum chorum ducit Strator ſiue Straton, vt in Corbeienſi, in quo alter Theodotus additur, ſed nullus Theodotus comparet in Veruſtiſſimo. Verum cum Marina anteſignana, Theodota, & Sodera, alij etiam octo martyres numerantur, ea nominum varietate à codicibus noſtris, & Corbeienſi; quã quiſque obſeruare poteſt.

In Alexandria. Qui in Veruſtiſsimo Apotis dicitur, in Corbeienſi, & Veruſtiori noſtro M. Arpotis vocatur, quemadmodum vocat hoc pacto mſ. Reginæ Sueciæ 3. non. *Alexandriæ natalis Sancti Arpotis*.

II. Nonas Iulij.

IN Alexandria Arithonis. Zeti. Palati. Philippi. Octaua Apostolorum Petri, & Pauli. Seueri. In Syria. Neueduno Zotici. Amandi. Sichetis. In Augustiduno Depositio S. Legontiti Episcopi.

IVLII 6.

MVtilos, & ab alijs mss. varios nõnihil fateri hic expedit codices nostros. Arithonem vel potius Artotim tantum Alexandriæ tribuit hoc pacto Vetustissimum M. S. Villibrordi. *Pridie Nonas Iulij. In Alexandria Artotis, & in Syria Zotici, Palladij, & Seueri, Zeti, Philippi, Oratoris, Neueduno Amantij Artetis. Augustoduno Passio Leontij Episcopi.* Abundat aliquibus martyribus Corbeiense Martyrologiũ, & cum nostro magis conuenit. *Pridie Nonas Iulij. In Alexandria Artoti, Zeti, Pallati, Philippi, Seueri, Iuliani. In Syrica Neueduno Zotici, Amandi, Artetis. Augustoduno Depositio Legontij Episcopi, & Confessoris. Depositio S. Goary presbyteri, & Confessoris. Et octaua Apostolorum Petri, & Pauli.* Concinit mss. Reginæ Sueciæ. *Pridie non. Alexandria Natalis SS. Palladij, Philippi. In Syria Natalis S. Arateris. Nouiduno natalis SS. Zotici, Aretis. Lugduno depositio B. Leontij Episcopi.* Quamquam verò in vno quolibet adducto fragmento sui næui videantur inesse, hoc vnum constanter elicio octauam Apostolorũ ab antiquario nostrorum codicum in loco non suo fuisse interpositam, cum Seuerus martyr, qui sequitur, socius omnino sit Pallati, & Philippi, siue martyres Alexandrini sint siue Syri. Cum autem in assignãdis martyrum locis, vt plurimum accuratiùs sit, M. Vetustissimum facilius consentirem, vt Syriæ Zoticus, & socij tribuantur, quã Syricæ Neuiduno, vt legit M. Corbeiense, nisi alicui magis arrideret, vt Arator, siue Orator, qui in codicibus nostris desideratur, post vocem illam in Siria adderetur. Quemadmodum in ms. Reginæ Sueciæ legitur. Niuedunũ in Syria apud Geographos inuenire non licuit, quamquã Nouidunũ triplicẽ in Gallijs indicẽt, & in Moesia ad Danubium. De Amantio martyre Nouioduni in Æduis meminit Saussayus ad diem 6. Iunij, sed alij eidem assignantur socij ab his diuersi, sicut pariter Zotici meminit ad diem quartam eiusdem mẽsis ex antiquo martyrologio, vt puto S. Sauini de Leuitania.

Octaua Apostolorum. Antiquissimam esse octaua die celebritatem repetitam SS. Apostolorum Petri, & Pauli patet ex Actis S. Tranquillini martyris in Passione S. Sebastiani. In eam extat sermo S. Leonis Papæ. Meminit antiquum calendarium Fronti, & Sacramentarium Gregorij. Tanquam à S. Patribus traditam celebritatem octauæ S. Mariæ, & S. Petri non obscurè laudat Micrologus de Eccles. obseruationibus cap. 44., vnde non iniuria additam in Vetustiori M. existimãmus.

Augustoduno. Pro Legontito Leontij habent tam Vetustissimum Antuerpiense M. quam Corbeiense, & ms. Reginæ Sueciæ. In hoc tamen non Augustodunensis, sed Lugdunensis Episcopus dicitur. Nec tamen in Indiculo SS. Lugdunẽsium Raynaudi inuenire licuit Episcopũ illius vrbis fuisse. An idem qui supra memoratur Kal. Iulij Episcopus Augustodunensis? plures aliarum vrbium, vel incerti loci præsules Leoncios siue Leontios refert Saussayus in martyrol. Gallico, nullum hac die.

In

Nonas Iulij.

IN Alexandria Partheni. Eraclei. Codomuni. Helai. Apollonij. Anoui. Publi. cum alijs xviij. & alibi Pathemi. Parmi. Ammias Pidinij cum alijs vij. Alexandri. Parmini.

IVLII 7.

PAnthenum virum Apostolicum Clemẽtis Alexandrini præceptorem, quem Apem Siculam idem vocat, & de quo præclara scripsit Eusebius, & confirmat Rom. M. in Ægypto Christianam Philosophiã docuisse, & Alexandriæ in pace quieuisse notum est, & recolunt cum eodem Rom. M. hac ipsa die Vsuardus, Ado, Notkerus, Maurolycius, & Galesinius. An verò is sit, qui in Vetustiori nostro Parthenus vocatur, & alijs martyribus iungitur, sicuti vnius, & simillimæ literulæ mutatio suaderet, ita aliorũ martyrũ sine vlla tituli distinctione numeratio id credere nõ permittit, cũ Panthenus ille in pace, nõ martyr quieuerit. Parmeniũ, nõ Parthenium, ita huius diei martyrem vocat Antuerpiense M. *Nonis Iulij. In Alexandria Parmeni, Eracli, Helie, Appolloni, Rodi, & aliorum xviiii. Eudomi, Anoni, Pupli. & alibi Partheni, Animati, Prundi, cum aliis xviii. & alibi Alexandri Partinimi.* Nec longè abit M. Corbeiense. *Nonis Iulii. In Alexandria Parthenii, Eraclii, Eudomoni, Helei, Apollonia, Noni, Publii cũ aliis xviiii. & alibi Parthemi, Animasi, Pyndai cum aliis septem. Et alibi Alexandri, Parthini.* Nec dissidet ms. Reginæ Sueciæ & si nonnihil mutilum. *Nonis Iulii. Alexandriæ Parthenii, Apollonii, Publii cum aliis numero xix.* Galesinius Parnienũ, Heraclium, Heliam, & alios xviiij. Alexãdrinos martyres exhibet ex Beda, & Græcorum Tabulis. A Partheno quẽ Pantherium vocat Maurolycus, Alexandrinos martyres seiungit Notkerus, quorum tantũ numerat Heraclium, Heleum, Apolloniũ, Publium, & anonymos xx. cũ tamen Eodomunium, & Anouium fileat, in anonymorum numero cum nostro M. conuenit. An in Vetustissimo Rodi nomen Apollonio additum nomen Patriæ sit, vel cognomen ex aliorum silentio licet suspicari. Apollonius quidẽ Rhodius Poeta, qui Argonautica scripsit Alexandrinus patria fuit, sed vetustior est, quam martyr in persecutionibus esse potuerit. Nonis Iulij in calendario Hieronymiano Lucensi perantiquo legitur *Apollonii, Pupli.* Septem Christi athletæ nominibus exprimuntur in Vetustiori nostri M. quinque tantum in vetustiori; tres in ms. Reginæ Sueciæ. Corbeiense in numero expressorum martyrum conuenit, in anonymis vno abũdat.

Et alibi. Aliorum extra Alexandriam martyrum memoria in duas classes diuiditur. Prima in aliqua nominum differentia parum variat in codicibus nostris, & Corbeiensi: ab Antuerpiensi multum in Anonimorum numero, cum illis septem tantum numerentur, huic xviij. In illis potest desiderari decimi numeri nota, & ex ms. etiam Reginæ Suecię suppleri. De est etiam post anonymorum numerum in codicibus nostris particula, non modo classis, sed loci disiuntiua, *& alibi*, quæ Alexandrum, & Parminum siue Parthiniũ à superioribus licet incerto loco disiũgit. De his neque Notkerus, neq; alia olim edita Martyrolog. meminerũt

In

VIII. Idus Iulij.

IN Nicea Sustrati. Speri. Eracli. In Austria passio S. Kyliani. In Syrminia Sanctorum Perenti. Cecyrie. In Cesarea Procopi. Quarti. In Sicilia Pramiati. In Tauromini Seperi. Corniliani, cum alijs lx. In Nicea Eladij. Emmij. Senatoris. Alphi. Seueri. Honorati. Eucoli. Eleti. Straton. Artemi. Eudemon. Elie. Nouasi. Apolupius cum alijs xviij. In Eraclea Iohanis. Apri. Antheologi. Glitherij. Perenthi. Stratonis. Et alibi Agreti. Primoli.

IVLII 8.

NIceni martyres in duas classes seorsim positi, & tacita particula item, nonnihil suspicari permictũt de aliqua in huius diei sacris fastis cõfusione. Vidit eam fortasse Notkerus, & sub vnius Nicæ titulo vtramque classem inclusit. *In Nicea Sostrati, Senatoris, Seueri, & Honorati cum aliis multis.* Patet enim Sostratum ad primum Nicenorum martyrum ordinem pertinere, Senatorem, Seuerum, & Honoratum ad secundam. At Sostratus cum alijs duobus Spero, et Eraclio nostrorum codicum, ita Sirmio tribuuntur non Niceæ in Vetustissimo Antuerpiensi M. *viii. Idus Iulii. In Sirmio Natalis Ostrati, Spiri, Eracli, & Eperenti, Cecilia. Cæsarea Cappadocia Procopi, Quarti. In Sicilia Pramani. In Tauromini Seueri, Corniliani, & aliorum xl. In Nicea Eladi, Emini, Senatoris, Alethi, Seueri, Honorati, Eucolli, Eleuti, Fratoni, Arteni, Eudeminis, Helia, Nouasi, Alopi cũ aliis xviii. In Heraclea Iohannis, Aprianti, Theoloci, Gliteria, Parenti, Stratonis; Alibi Agresti.* Nicenos martyres non exhibet ms. Reginæ Sueciæ, sed tamen videtur cum nostris codicibus consentire dum Perentiũ, & Ceciliã Sirmio alijs non premissis immediatè tribuit, ad calcem laterculi. *In Sirmia Natalis SS. Perentii, & Ceciliæ. In Heraclea SS. Ioannis, Apri.* Calendarium Hieronymianum aliàs adductũ viij. Idus nõ indicato loco passionis legit *Sustrati, Eracli.* Cũ autẽ apertiùs nostris libris ita cõsentiat M. Corbeiẽse nihil immutamus. *viii. Idus Iulii. In Sirmio natalis Ostrati, Spiri, Oracli, & Epirenti, Ceciliæ. Cesarea Cappadocia Procopi, Quarti. In Sicilia Pramani. In Tauromini Seueri, Corniliani, & aliorum xl. In Nicea Eladi, Emini, Senatoris, Alethi. Seueri, Honorati, Encelli, Eleuti, Fratoni, Artemi, Eudeminis, Helia, Nouasi, Alopi, cũ aliis xviii. In Heraclea Ioannis, Aprianti, Theoloci, Gliteria, Parenti, Stratonis, alibi Agresti.* Emendandum tamen putamus in codicibus nostris illud *In Sirmiaia*, & reponẽdum. *In Sirmi Natalis.* Sirmis à Iornãde dicitur vrbs Pannoniæ, quæ Straboni, & Zosimo Sirmiũ est. Galesinius Niceæ in Bithinia non modo Sostratum, & Heraclium, sed Primolum, Quartum, & Cillianum, ex alijs regionibus confundit.

In Austria. Laciniam ex nota marginali interpositam à Gallico antiquario esse Passionem S. Kiliani in codicibus nostris suadet aliorum adductorum silentiũ. Pro Austria non esse hìc accipiendam Germaniæ regionem ad Danubium, sed vt monet Notkerus Nouæ Franciæ castrum, seu ciuitatem Teutonico nomine Vvirzburg iuxta Mosam fluuium, palam est, tum apud eũdem Notkerum, qui eius acta strictim percurrit, tum in diffusiori S. Kiliani Episcopi Vvirtzburgensis, seu Herbipolensis vita apud Surium T. 7. De eo agit Romanũ M. Beda, & alij latinorũ.

Plura

Plura habet Baronius in Notis, & vitam eius per compendia scribit Petrus de Natal. lib.6. cap.66.

In Cæsarea Procopi. An is Procopius sit primus Martyr Palestinæ, qui ad Præsidis tribunal raptus abscisso capite triũphauit 8. Mensis Desij, hoc est iuxta Romanos ante diem septimum Idus Iunias, quemadmodum narrat Eusebius libro de martyribus Palestinç in nouissima Valesij editione cap. 1. an alius, cuius Acta diffusiora, & admirabilia ex Simone Metaphraste retulit Surius ad hanc octauam Iulij diem, ignorare me fateor. Diuersum hunc esse à Palestino Protomartyre existimat Valesius in Notis ad Eusebium p. 172. qui etiam acta latina ex mss. codicibus integra exhibet. In his narratur Procopũ Scythopoli Cæsaream ad Præsidem ductum, priusquam carceris experiretur angustias, capite cæsum die septimo Iulij mensis. Alter verò quamuis Palestinus apud Metaphrastem difficillimo, ac diuturno martyrio perfunctus diuersus ab illo videatur, idẽ tamen est cũ Procopio à Græcis celebrato hac die 8. Iulij. Neuter ex his socium habuit Quartum, vel etiam Felicem, vt re vera idem esse possit cum Procopio Vetustioris M. nostri. Accedat quòd non in Cæsarea Palestinæ, sed Cappadociæ certamen compleuisse, aut veneratione accepisse constanter asserunt, tùm M. Vetustissimum Antuerpiense, tùm Corbeiense. Nõ nisi Quartum commilitonem addunt Cæsarienſi Procopio Vetustius nostrum, & Vetustissimum; additur verò à Corbeiensi *Felicis* memoria. Proconium vocat Bellinus.

In Sicilia Pramensi. Pancratium legi debere suaderent, tum appositum nomen Siciliæ, in qua insula celebris est S. Pancratij memoria, tum sequens Taurominij, cuius Vrbis Episcopalem cathedram tenuit ab Apostolorum æuo. Sed è contra suadent Romanum, ac cætera latinorum MM. quæ S. Pancratij Episcopi Natalem diem recolunt die 3. Aprilis, quando etiã in Vetustiori nostro celebris est eiusdem memoria apud Taurominium in Sicilia. Confirmat Vetustissimum Antuerpiense, quod hac die non Pancratium, sed Pramanium in Sicilia exhibet, & seiunctim pariter in Tauromínio Seuerũ, & socios. Pancratium tamen Episcopum Taurominij in Sicilia die proxime sequenti recolunt Græci, & martyribus à Montanis adiunctum narrant. Prancatium pariter legit M. Corbeiense propius ad Pancratium, quamuis eum distinguat à martyribus Tauromini. In his exprimendis adducta mss. conueniunt: In numero anonymorũ discrepat, quòd Vetustissimũ xl. tantum enumeret, dum alij ad lx. estendunt, decumanæ numeralis notæ manifesta prælatione, vel transpositione. Notkerus quãuis Pramcatiũ sileat, & pro Seuero, aut Sepero Sperũ habeat, in alijs tamen Taurominij martyribus enumerãdis Vetustiori nostro cõsentit. *In Tauromínio Speri, & Corneliani cum alijs sexaginta.*

In Nicea. Quatuordecim Niceni martyres, tã exprimũtur in codicibus nostris, quam Antuerpiensi, & Corbeiensi, & octodecim Anonymi. Aliqua nominum differentia vnicuiq. obuia comparet, sed quæ sine multorum codicum consonantia emendari nequeat.

In Heraclea. Sex martyres Heracleticos exhibent libri nostri, totidemq. M. Corbeiense, & Antuerpiense, parua nominum differentia: binos tantum ms. Reginæ Sueciæ, Ioannem nimirum, & Aprũ, quos nõ martyres, sed cõfessores pronũciant vnde vnde Maurolycius acceperit.

Et alibi. Vnicum tantum Agrestium profert M. Antuerpiense inter incerti loci martyres. Sed Primolũ addunt tùm codices nostri, tùm Corbeiensis, & quos vidit non optimæ notæ Galesinius.

In

VII. Idus Iulij.

IN Mediolano Mochi, & in Thomis Sanctorum Fenoni. Mine. Vitalis. Rufini. Euangelij. Agniti. Cyrilli Episcopi igni traditi. In Sicilia Feliciani. Romæ Natalis Virginum Floriani. Faustini. Anatholie. Felicitatis. cum Presbyteris vi. Felicis. Philippi. Martialis. Vitatilis. Alexandri cum alijs vj. & Fraterni Episcopi.

IVLII 9.

VEreor ne aliqua trāspositionis labe laboret M. Vetustissimum Antuerpiēse, dum Tomitanos martyres seiūgens Mediolanensē Mocam in fronte fastorum apponendam Mimæ, vel Miniæ Tomitanæ ita subnectit, vt Vitalem, Rufinam, & socios cum Cyrillo Episcopo Mediolani videatur tribuere. Italiæ nostræ sāctos hos martyres auferre non est animus, sed aliorū codicū fidē obijcere. Corbeiense quidē M. in fine mutilum cū Vetustiori nostro alioqui n conuenit hoc pacto. *vii. Idus. Mediolani Mochi. In Tomis SS. Zenoni, Minæ, Vitalis, Rufinæ, Euangeli Vrisi, Agnetis, Cyrilli Episcopi igni traditi. In Sicilia Feliciani. Romę natalis virginū Florianæ, Faustinæ, Anatholiæ, & Fraterni Episcopi.* Notkerus etiā videtur quodamodo consentire, dum nullos Tomitanos martyres recensens, Mediolani tantum Mochimum, & nullos socios iungit. *Mediolani natinitas Mochimi*, vbi ad oram Canisius notat an forte legendum esset sancti Monæ. Galesinius alioquin Mediolanensis neq. S. Mochi meminit. Mochium, vel Mocum lego ex fide codicum nostrorum, & Corbeiensis, nam M. Vetustissimum legit, vel Mecum vel Mecium hoc ordine. *vij. Idus Iulii. In Thomis Natalis Zenonis, Mimia. Et Mediolano Meci, Vitalis. Rufini, Euangeli, Vris, Annitis, Cyrilli Episcopi. In Sicilia Feliciani. Roma Natalis Virginum Floriane, Faustine, Anatholiæ, Felicitatis cum presbyteris vii. Felicis, Philippi, Martialis, Alexandri, & aliorum trium.* Pro Fenone reponendum video in Vetustiori nostro Zenonem, & post Euāgelium addendum esse Vrisium ex fide M. Antuerpiensis, & Corbeiensis.

Cyrilli Episcopi. A Tomitanis martyribus seiungendus videtur Cyrillus Episcopus Gortye in Creta omnibus martyrologijs latinorum, & in Menologio Græcorum hac die memoratus. Nomen, & Episcopale munus suadent esse Gortynensem, magisq. cōfirmat passionis, quod exprimitur, genus, hoc est *Igni traditi*, signatum, tam in Actis apud Surium Tomo 7. quam in Menologio Canisij. Cum verò Notkerus Cyrillum Episcopū sub Lucio duce flammis iniectum, non in Creta, sed *in Ægypto* agonē consummauisse doceat, ansam prebet dubitandi, an martyres, qui Tomis in Mysia maioris famæ vrbe tribuēdi videntur, fuerint potius Ægyptij, cuius ciuitas est Antonino Thomum circa Chenobasciam. Nihil de loco passionis habet Vsuardus in Cyrillo Episcopo, nihil Ado, & quod magis est, Acta ex mss. voluminibus apud Surium, neque locum pasionis, neq. Episcopalem Vrbem designant, quamuis idem Surius Cyrilli Gortinæ in Creta Episcopi titulum apposuerit, vel ex Menologio Græcorum, vel ex Romano M. Petrus de Natalibus, qui eadem die vij. Idus Iulij Cyrillum Diaconum, & Cyrillum Episcopum veneratur, inquit, *Cyrillus Episcopus, & Martyr Romæ passus est* flammis primum iniectus, mox abscisso capite. In tanta varietate mirum non est pasionis locum in adductis mss. &

Ve-

Vetustiori nostro martyrol. non indicari.

In Sicilia Feliciani. In editis hucusq; martyrologijs Siculus martyr Felicianus non legitur, neque apud Siculum Maurolicium.

Romæ. Cum celebritas sanctarum virginum proponitur pro Floriano, & Faustino legendum esse Florianam, & Faustinam non dubito, præsertim quod ita MM. Antuerpiense, & Corbeiense retineant. Eodem cum nostris codicibus vitio laborat Notkerus, qui legit Romæ Item *Floriani, & Fausti.* Calendarium Hieronymianum vetus Florianum pariter non sine labe legit. *vij. Idus Floriani, Anatoliæ Virginis.*

Anatoliæ. Diuersam hanc S. Virginem putarem ab Anatholia Thorensi, cuius sub hac die meminit Romanum martyrologium, & cum eo Vsuardus, Ado, Notkerus, alijq. latini, tùm quòd alijs sanctis virginibus sociatur, tùm quòd sequenti die in Vetustiori nostro M. expressius recolitur. Mſ. Reginæ Suecix in hodiernis fastis Anatholiæ pariter meminit cum Audace, & Martio socijs; vereor tamen ne segmentum septimi Idus, cum sexto sequentis diei confusum sit. *7. Idus. Romæ Nat. SS. Felicis, Philippi, & in Cœmeterio Pratestati Natalis S. Ianuarij. Et in eadem Vrbe natalis SS. Rufinæ, & Secundæ. Senonas S. Eradi Episcopi. In ciuitate Thora apud lacum Velinum passio SS. Anatholiæ, & Audacis, Marsi sub Decio Imperatore.* Felicē quidem, & Philippum inter Romanos martyres numerat Vetustius etiam nostrum M. cum Antuerpiensi. Silet tamen Corbeiense, quòd fortasse antiquarius illius putauerit repetitos esse ex Tabulis sequentis diei inter filios S. Felicitatis, quod minus verisimile est.

Cum Presbyteris sex. Neque sanctarū Romanarum Virginum sanctos socios Presbyteros numerat M. Corbeiense, in hoc expresse mutilum. Septem tamen Presbyteros illis adiungit M. Vetustissimum, quorum quatuor tantum nominibus exprimit, nempe Felicem, Philippū, Martialem, & Alexandrum, subdit vero anonymos tres, vt septennarium numerus expleat. In nostris quoq; libris additur Vitalis, & anonymorum numerus ad sex extenditur: quod hos ex numero presbyterorum non esse cōuinceret, etiamsi septem primo loco numerarentur, nisi postrema numeralis nota in duas vnitates conuerteretur.

Et Fraterni Episcopi. A Romanis martyribus Fraternum Episcopum seiungerem, quemadmodum ita diuisit M. Vetustissimum, vt illius non meminerit. Meminit Corbeiense, sed non indicata Episcopali Vrbe. Ex additis ab Antiquario Gallico facile putarem, præsertim quòd in Antisiodorensibus Beatis addendis frequens est. Illius vrbis Fraternus Episcopus inter cœlites reponitur 3. Cal. Octobris ab Hagiologio Franco Gallico Lebbei, in quo Episcopus, & cōfessor dicitur, quam quā eadē die apud Saussayū inter martyres ascribatur, sicuti in supplemento ad 3. Kal. Nouembris, quem diem ordinationis, & martyrij cōstituit. Sed ephemerum S. Episcopum 3. cal. Octobris recolit Hist. Episcoporum Autisiodorensium in Bibliotheca Lebbei, quod repetit Hericius Monachus de Miraculis S. Germani cap. 15. & fortasse dies hodiernis fastis ascriptus translationis est.

VI. Idus Iulij.

NAtalis vij. Germanorum, idest Felicis. Felippi. Maximi. Siluani. Pretextati. Proculi, & mil. iiij. Rofine. Secunde filiorum eius. Felicitatis. In Sauinis. Anatholiæ. Victoriæ. In Ciuitate Thomis. Marciani. Domni. Fromedi. Iohanis. Sesuni. Aurcliani. Emiliani, & alio-

rum nũo xxxvi. In Alexandria Leonti. Maurici. Melliti. Acellei. Daneli. Corioni. Antonini. Zeſoni. Euſtaſi. Octaui. Aniceti. Theudori. Chriſi. Candedi. Gorgoni. Archellai. Cyrini. Euphrodiſi. Galani. Autici. Ateri. Athenei. Gagi. Siſione. Auſenti. Valenti. Droditi. Fauſtaſi. Aurelij. Gorgodiani. Cyrioni. Curroli. Noſtini. Seſinne. Caſtri. Creta. Pollani. In Antiochia Maximi. Rudigi. Nironici. Domnine. Maxime. Diogenis. Macharij. Tymothei. Zachei. Yſici. In Africa Natalis Sanctorum Ianuarij. Marini. Naboris. & Felicis, & militũ xij. In Arminia Ciuitate Nicopoli. Milionis. Iofomodis. Antoroni. Theodoli. Ceſſi. Gagiani. Clerici. Siſinne. Necdoni. Theodoti. Cyrilli.

IVLII 10.

ROmanę Eccleſię vſui deſtinatum Vetuſtius noſtrum martyrologium aliàs exiſtimauimus, hinc vero apertius ſuaderi poſſe videtur, cum ſeptẽ fratres, S. Felicitatis filios, quos Romanos eſſe, & Romæ coronatos nemo inficiatur, & tamen non indicato Paſſionis loco, tanquam ſuperfluo recenſentur, quemadmodum etiam accidit in Calendario Fronti Romano vetuſto, in quo legitur. Die *x. Menſis Iulij. Natale ſeptem fratrum Apŭ, & Salarię.* Septem fratres omnes putat Via Salaria paſſos idem Fronto: diuerſis vero locis Seueranus Romæ ſubt. lib. 3. c. 53. At maiori diſtinctione opus eſt. Quamquam enim vnica die ſeptem fratres cũ matre Felicitate recolantur, ne quos martyrij gloria, & ſanguinis vinculum coniunxit, in celebritate diſiungerentur; attamen diſiunctim agonem compleuiſſe his rationibus ſuadeor. Antiquiſſimum fragmentum Romani, ſiue martyrologij, ſiue calendarij apud Bucherium hæc habet, *Menſe Iulio. vi. Idus Felicis, & Philippi in Priſcillæ: & in Iordanorũ Martialis, Vitalis, Alexandri: & in Maximi Silani (hunc Silanum martyrem Nouati furati ſũt) & in Prętextati Ianuarij.* Neminem negaturũ arbitror martyres recenſitos eſſe S. Felicitatis filios, & de more illius fragmenti conſtat ſubintelligendum eſſe cœmeterium vbi ſeiunctim inquit, In Priſcillæ, in Ioardanorum, in Maximi, in Prætextati, hoc eſt in illorũ nominum cœmeterijs. Fragmentum hoc à temporibus Liberij Papæ eſſe non iniuria idem Bucherius exiſtimauit in libro de doctrina temporum, & facile ex huius auctoritate adducor, vt credam tã in Vetuſtiori noſtro, quam Corbeienſi, cuius hodiernum ſpecimen de more exhibemus, ab antiquarijs vitiata eſſe nomina aliquot, vt quæ cœmeteriorum eſſent, martyrum propria euaſerint. Septẽ hos fratres ſub diuerſis iudicibus agonẽ compleuiſſe omnia ferè Acta confirmãt, tam edita apud Surium T. 7. & Petrum de Natal. lib. 6. cap. 77. quam mſ. in vetuſto Hagiologio noſtro. Vix autem veriſimile eſt ſub diuerſis iudicibus vno omnes in loco coronatos, cum etiam diuerſis pœnis vexati coronã acceperint. Nec admodũ difficile eſt credere tẽpore perſecutionis in proximis, ijſq. diuerſis criptis, ſeu cœmeterijs fuiſſe ſepultos. Nihil ergo vetat Felicem, & Philippum ſepultos fuiſſe in cœmeterio Priſcillæ, Martialem, Vitalem, & Alexandrum in cœmeterio Iordanorum, Siluanum in cœmeterio Maximi, & Ianuarium in cœmeterio Prætextati, vt fragmentum adductum docet. Cœmeterium Prætextati, & Maximi parum inter ſe diſtabant Via Appia, & vtrumque erat portio cœmeterij maioris, quod Calliſti dicebatur. Cœmeterium Iordanorum erat via Salaria, quod S. Felicitatis nuncupatum fuit, & Alexandri, Vitalis, ac Martialis eius filiorum, qui ibi

ſepulti

sepulti sunt, vt habet Aringhius Romæ subt. lib.4. cap.29. Et pars erat celebrioris, & amplioris cœmeterij, eadem via Salaria nuncupati Priscillæ. Vnde facile intelligitur in Vetere Fronti Calendario quid verba illa significent *Apij, & Salaria*. Septem enim fratrum exuviæ partim via Appia venerabantur, partim via Salaria; non enim dubitarem emendandam esse vocem *Apii*, & restituendũ *Apia* hoc est Via, quod aufugisse Frontum video. Quamquam vero septem filijs Felicitas mater societur in codicibus nostris, palam tamen est eodem tempore capitalem cum filijs non subijsse sententiam: tum quod in Actis apud Surium in carcere macerata dicatur: tũ quod apud Petrum de Natalibus loco adducto expressè narretur, post mẽses quatuor à filijs mortem subijsse nono cal. Decẽbris, quod repetit lib. 10. cap. 99. Aliqua proinde emendanda occurrunt in libris nostris. Septem fratrum nomina eo ordine, quo in Actis apud Surium, & Petrum de Natal. & in Hagiologio nostro numerantur, videlicet Ianuarius, Felix, Philippus, Silanus, seu Siluanus, Alexander, Vitalis, & Martialis. Ita etiam martyrologium R. recenset, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus. Hæc quia non integrè respondent videntur emendanda, & quà mutila sunt supplenda, partim ex martyrol. Corbeiensi, partim ex fragmento Bucherij. *Romę in cœmeterio Priscillæ vii. Germanorum Felicis, & Filippi. In Maximi, Silnani. Ianuarÿ, & Martialis, in Præsestati, Vitalis, Alexandri filiorum S. Felicitatis. Rufine, & Secundæ, Proculi, & militum quatuor.* Proculum non alibi inuenio, sed milites quatuor hoc pacto in martyrol. Corbeiensi, quod aliqua etiam indiget emendatione. *vi. Idus Iulij. Romę Priscillæ, & Natalis Sãctorum septem Germanorum, ideſt, Felicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silani, Ianuarii, & millium quatuor. Rufinæ, Secundæ, Lucini. In Sabinis, Anatholię, Victoriæ. In Ciuitate Tomis Martiani, Domni, Tromedi, Ioannis, Sesini, Aurelianidis, Emiliani, & aliorum triginta sex. In Alexandria Leontii, Mauricii, Melliti, Achillei, Daneli, Corioni, Attoni, Lesoni, Eustasi, Octaui, Aniceti, Theodori, Cristi, Candidi, Gorgonii, Arcelai, Cyrini, Eofrodisi, Gelani, Antici, Azeli, Attenei, Gagi, Sisionę, Anxenti, Valentini, Droditi, Faustasi, Aureli, Gorgodiani, Cyrion, Coroli, Nostini, Sisinna, Castrici, Apolloni. In Antiochia Maximi, Rodogi, Vironici, Domninæ, Maximæ, Diogenis, Machari, Timothei, Zorchei, Isici, Moenis. In Africa Sanctorum Ianuarii, Marinæ, Naboris, & Felicis. Et alibi militũ duodecim. In Armenia Ciuitate Nicopoli, Milionis, Diomedis, Antonii, Anitici, Theodoli, Cessi, Gaiani, Clerici, Sisinna, Nigdoni, Theodoti, Cyrilli.* Nec minori videtur emendatione indigere in septem fratribus enumerandis martyrol. Antuerpiense, quod Rufinam, & Secundam inter septem Germanos filios S. Felicitatis ita recenseat. *vi. Idus Iulii. Romæ Natalis Sanctorum vii. Germanorum, ideſt, Philipi, Felicis, Maximi, Silani, Ianuari, Rufinę, Secundæ, & filiorum eius. Felicitatis, Safini, Anatholiæ, Victoriæ, Ciuitate Thomis Marciani, Domni, Diomedi, Ioannis, Sisinni, Aureliani, Emiliani, & aliorum xxxviii. In Alexandria Leonti, Mauricii, Melliti, Helici, Orioni, Antonini, Zasomi, Eustaci. In Antiochia Maximi, Rodigi, Veronię, Domninæ, Maximæ, Diogenis, Machari, Timothei, Zacchei, Isuci. In Africa Ianuariæ, Marini, Naboris, & Felicis, & Primitigani, Vincentis, Penistri milia xii. In Armenia minore Ciuitate Nicopoli, Milionis, Decomedis, Anthoni, Theoli, Cessi, Gagiani, Clirici. Item Sisannæ, Negdani, Theoti, Cirilli.* Præter Antuerpiense adductum martyrol. & nostrum sunt etiam alij codices, qui septem germanos cum Rufina, & Secunda cumulant. Ita Menardus ad Sacramentarium Gregorij p. 169. testatur in Missale Romano ms. septem fratribus addi S. Rufinam, & Secundam, sorores quæ non habeantur in excusis, neq. apud Pamelium, neq. in alijs codicibus mss.

In Calendario vtiq. Hieronymiano peruetusto Canonic. Lucensium vj. Idus nihil aliud adnotatur præter *septem fratrũ filiorum Felicitatis*. In alio vero hedino nostro mſ. ita legitur, *vi. Idus. Ruffina, & Secunda martyrum, & vii. fratrum martyrum*. De mſ. Reginæ Sueciæ iam in proximis præteritis fastis adnotauimus aliqua esse transpositа ex presenti die vt illa *In Cęmeterio Prætestati natalis S. Ianuarii*, qui vnum est ex filijs S. Felicitatis. Aptius tamen subditur *In eadem vrbe Natalis SS. Rufinæ, & Secundę*. Has seiunctim à septem fratribus ita recenset hac eadem die Notkerus, vt Romæ miliario decimo fundo Plautillæ, quæ dicitur Buxo sorores, & filias Asteriç, & Aureliæ capite cæsas esse referat ex diffusiori historia apud Adonem, qui addit agonem compleuisse in Silua via Cornelia, & à Plautilla in fundo proprio ibidem esse sepultas. Locus vbi SS. Virgines passæ sunt Episcopali cardinea sede decoratur, & Syluæ Candidæ nomine, sæpius in antiquis monumentis nuncupatum inuenio, quod etiam doctissimus Baronius adnotauit. Corpora autęm Romam translata in Basilica Lateranensi prope Baptisterium debito honore seruantur.

In Sauinis Anatholiæ. In Sabinis legendum non Sefini, vt martyrol. Vetustissimum habet. Tollerabile autem est etiam in Sauinis, quando Pelagius Papa decret. 2. cauſ. 16. Bono scribit Episcopo Sauinati pro Sabinati, aut Sabino. De Anatholia superiori die agunt cum martyrologio R. Vsuardus, Ado, Nokerus, ac cœteri latinorum. Nos aliam putauimus à Thorensi, seu Sabina. Si quis vero eandem esse velit non pugnabo, cum in eius Passione apud Surium T. 7., hæc verba prostent. *Percussa est autem Virgo Sacratissima Anatholia 7. Idus Iulias, obiit autem sexto idus Mensis eiusdem*, vt vterque dies sacer illi esse potuerit. Audax Sancta Virginis socius additur in Romano, alijsq. martyrologijs, sed cum incertum ex Actis sit an eadem die palmam acceperit fortasse à Vetustiori nostro prætermittitur. In mſ. Reginæ Sueciæ die præterita cum Anatholia nũ modo Audax, sed & Marsius videtur addi tanquam martyr diuersus in editione Romana fragmentorum Holstenij, sed nomen hoc est Gẽtis, & officij, & Audax Marsus dicitur in Actis iam adductis ex Marsorum finitimis Populis, qui serpentes saliua dicebantur vel occidere, vel cicurare, vt ibi palam est. Thoram Vrbem aptius exprimit mſ. Reginæ Sueciæ, quam alij codices Thuriam, vel Thyrum. Erat hæc in ea Sabinorũ parte, quæ Equicolis, Marsisq. coniungitur, vt ibi notat, vel Possinius, vel Holstenius, & adhuc eius rudera multa supersunt ad leuam fluminis Zorani, & S. Anatoliæ Ecclesiа in eius ruinis etiam nunc extat à vicinis populis frequentata. Sanctæ Virgini sociam videntur tribuere Victoriam, seu Victuriã, tam libri nostri, quam Corbeiensis, cuius nulla estat memoria in Actis S. Anatholiæ. Iungitur fortasse, quia soror erat. Distat Torana ciuitas à Trebula Mutusca 6. passuum millibus. In hac Vrbe die 23. Decembris Anatoliæ germana soror Victoria gladio in corde transuerberata migrauit ad sponsum, cuius corpus inde in Picenum trãslatum in Oppido sui nominis conditum est, vt Ferrarius ex Petro de Natalibus habet in Catalogo SS. Italiæ. Videnda hic sunt, quæ notat Holstenius in Animaduersis ad Rom. martyrologij diem 23. Decembris.

Ciuitate Thomis, seu potius sine aspiratione Tomis Vrbe inferioris Mœsiæ ad Pontum Euxinum exilio Ouidij celebre. Cur ibi frequens sit martyrũ carnificina, & sæpe Tomitani martyres occurrant, putarem quòd in terram illam exportarentur fontes, vt vitam agerent infelicem. Erat ibi vt Ouidius pingit primo de Ponto summa omnium bonorum inopia, maximũ frigus, gens inhumana. Quemadmodum vero apud Eusebium videre est ad metalla in Palestina damnatos Christianos sæpe persecutione ingruente

ingruente, etiam crumnosè viuentes per rabiem occidi, ita esse poterat, vt Christiani in Pontum deportati, & relegati, in noua persecutione etiam trucidarentur, & ex verè Confessoribus martyres fierent. Tomitanorum equidem martyrum frequens occurrit memoria, & hìc septem sub primipilo Marciano nominibus exprimuntur, triginta vero, & sex anonymi numerantur in voluminibus nostris, & Corbeiensi vel potius triginta octo, vt signat Vetustissimum M. Antuerpiense.

In Alexandria. Nec minus carnificina comparet Alexandria Ægypti Metropolis, in qua codices nostri vnico cætu triginta septem martyres exhibent, dum Corbeiense M. triginta sex tantum numerat, quoniam postremi duo martyres Castricius, & Apollonius tres sũt in libris nostris Castrus, Cirta, & Pollanus, qui ex M. Antiquissimo emendari, vel concordari nequeunt; Mutilum enim hìc est, & ad Custasium vsque non nisi nouem primos martyres recenset.

In Antiochia. Sub Maximo antesignano libri nostri decem vtriusq. sexus sacros pugiles proferunt, parum in nominibus à Vetustissimo M. deflectentes. Vndecim exprimit M. Corbeiense, quod post Ilicium addat Mœnim.

In Africa. Notkerus qui adductas Tomitanas, Alexandrinas, & Antiochenas martyrum turmas in hodiernis Tabulis silet, ex Africa quatuor recolit truncatis ceruicibus martyres Christi cum Romano martyrol. cæteris q; latinis, inter quos Naborem, & Felicem Mediolanum transuectos, vt infra ad diem iiij. idus adnotamus; milites vero sine nomine duodecim silentio prorsus inuoluit. Hos tamen codices nostri recolũt, & Africanis accensere videntur; Alibi vero extra Africam M. Corbeiense reposuit. An librariorum vitio scriptum sit in libris mutilis pro militibus xij. Milliarijs xij. Ansam præbet dubitandi Vetustissimum S. Villibrordi M. in quo post quatuor Africanos martyres legitur, *& Primitigani Via Penistri milia xii.* corrupta hæc verba ita restituerem. *Primitini, Gaui, Via Prænestina milliario xij.* De via Prænestina, quæ cum Labicana à Porta Exquilina incipiebat videndus est Aringhius Romæ subt. lib. 4. cap. 8. & 13. vbi fragmentum ex Actis SS. Zotici, & Amantij affert, in quo ita de S. Primitiuo *Primitiuum verò tenentes duxerunt in viam Prænestinam ad inuidiam Christianorum iuxta Ciuitatem Gauis, & in ea capite truncauerunt.* Erat ciuitas Gaui Gabis, seu Gabij ad viam Prænestinam milliario xi. vel xij. vt patet ex Tabulis itinerarijs. Ferrarius in lexico Geographico xij. habet.

In Armenia minore. Cum plures sint Vrbes Nicopolis nuncupatæ rectè additur in Armenia minore; est enim ibi Ciuitas Episcopalis sub Archiepiscopatu Sebastensi à Pompeio condita, vt refert Dio. Vndecim apud eam martyres recoluntur in altero ex codicibus nostris, dum alter septem tantùm indicat librarij incuria. Consentit in vndenario numero nonnihil in nominibus varium M. Vetustissimum. Corbeiense vero addit Aniticium, vt duodenarium numerũ impleat, qui martyr etiam deficit in Vetustissimo illo, accuratiùs sacros athletas in duos choros diuidente, quorum primum ducit Milion, secundum vero Susanna. Menologium Græcorum ad Nicopolim Armeniæ pertinere docet sub Lycinio Rege, & Lysia Præside, Leontium, Mauritium, Danielem, & Antonium, quos potius cum alijs Alexandriæ tribuũt codices nostri cum alijs adductis. An ijdẽ sint non decerno.

In

V. Idus Iulij.

IN Africa Mariani, & Ianuarij. In Arminia Ciuitate Nicopoli Item Ianuarij. Pelagiæ. Romæ Sanctorũ Stephani. Leonti. Maurici. Domni. Militonis. Acellei. Danie. Diomedis. Cyrici. Anthoni. Galſimi. Iohanis. Euſtaſi. Octaui. Emiliani. Siſinni. Anici. Theudoli. Ceſſi. Candidi. Gurgoni. Archelai. *In Gallia Floriaco Monaſterio Aduent. & exceptio corporis S. Benedicti Abbatis.* Cyrici. Afrodiſi. Gaiani. Clerici. Anthoni. Gagi. Auſenti. Valentini. Flaui. Nicaoni. Theodoti. Fauſtaſi. Aurili. Gordiani. Cyrioni. Cyrilli. Caſtri. Eutici. In Syria Marciani. In Antiochia Perdicie. Veronicæ, & Specioſæ. In Mauritania Ciuitate Marciani. In Alexandria Eutici. *Et Pictauis Ciuitate depoſitio Baſini Abbatis.*

IVLII 11.

FErax martyrum Africa hodiernos faſtos auſpicatur. Vnicum Marianum ſeiunctum à Ianuario, dum libri noſtri, & Corbeienſis Ianuarium ſimul addunt, exhibet hoc ordine M. Veruſtiſſimum. *V. Idus Iulii. In Africa Mariani. In Alexandria Eutici, Euſemię, & in Africa Ianuarii. In Armenia minori, Ciuitate Nocopoli. Item Ianuarii, Pelagi, Turmorij. Romæ Stefani, Leonti, Pelagiæ, Maurici, Domni, Militonis, Depoſitio Idonei cum filiis. Auguſtuduno depoſitio Achellei, Danihel. Romæ Diomedis, Cirici, Anthoni, Iaſoni, Ioannai, Siſinni, Euſtaſię, Octaui, Emiliani, Auiteti, Theodoli, Ceſſi, Candidi, Gorgoni, Arcelai. Item Archelai, Cirini, Aprodiſi, Gogiani, Clerici, Antoni, Gagi, Auxenti, Valentini, Flaui, Nicaoni, Teudoti, Fauſtaſi, Aureli, Gordiani, Cirioni, Cirilli, Caſtrici, Sancti, Eutici. In Siricia Marciani. In Antiochia Prodocia. In Mauritania Ciuitate Cæſarea Marciani.* Solitarium etiam Marcianum in Africa exhibet mſ. Reginæ Sueciæ in fine laterculi. *In Africa S. Marciani.* Marianum conſtanter vocant bini codices noſtri cum Corbeienſi, & Antuerpienſi. Alium ſanctum hunc martyrem à S. Marciano Icoienſi putarem, cuius hac die meminit Rom. martyrologium, & certamen ſtrictim percurrit Menologium Græcorum. Adoloſcens fuit à Perino Præſide per ignem, linguæ punctionem, & capitis abſciſſionem probatus, & coronatus. Iulianum addit M. Corbeienſe Africanis martyribus.

Nicopoli. Modus loquendi *item Ianuarii* certiores nos facit Ianuarium alterum Africanum præceſſiſſe. De Nicopoli minoris Armeniæ Vrbe egimus die præcedenti. Ianuarium, & Pelagium illius Vrbis cælites recolunt Rom. martyrol. Beda, Vſuardus, Vvandelbertus, & Ado, ex quo Notkerus, Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 85. & Maurolycus. Pelagium, pro Pelagia habet Veruſtiſſimũ Antuerpienſe martyrol. & eidem ſubnectit Turmorium noſtris codicibus, & Corbeienſi ignotum; illud Pelagiam infra inter Romanos martyres repoſuit, & interim Alexãdriæ Euticium, & Euphemiam recenſuit, quos tam libri noſtri, quam Corbeienſis prætereunt.

Romæ Sanctorum Stephani, &c. De more Notkerus ſacros Romanos pugiles aliquibus tantum indicatis in compendium redigit, *V. Idus Iulii. Romę*

paſſio

Passio SS. Stephani, Leontii, Mauritii, & aliorum multorum. De his nihil hac die Romanum martyrol. Numerum pressius exprimit ms. Reginæ Sueciæ sed iiij. nō v. *Idus Romæ Natalis SS. Stephani, Leontij, Mauritij cum alijs numero xxxviiii*. Populosam hanc turmam libri nostri nominatim exprimunt, sed bini videntur deficere. M. Corbeiense tribus vt sequitur abundat. *V. Idus in Africa Mariani, & Ianuarij, Iuliani. In Armenia Ciuitate Nicopoli Ianuariæ, Pelagiæ, Romæ Sanctorum Stephani, Leontij, Mauricij, Domni, Militonis, Achillei, Danilæ, Diomedis, Cyrici, Antoni, Iasonis, Ioannis, Eustasij, Octani, Emiliani, Sisinni, Anici. Theodoli, Cessi, Candidiani. Item Archelai, Gurgonii, Cyrini, Afrodisij, Gaiani, Clerici, Antoni, Gagi, Auxenti, Valentini, Flauij, Nicaoni, Theodoti, Faustasij, Aureli, Gordiani, Cyrioni, Cyrilli, Castri, Sanctij, Eutichij, Maiuli, Siluij. In Syrmia sancti Martiani. Antiochia, Prodixæ, Veronicæ, Speciosæ. In Mauritania Martiani. In Alexandria Eutici. Et beatæ memoriæ Benedicti Abbatis*. Deficiunt in codicibus nostris librariorum incuria Iason, Sanctius, Eutichius, Maiulus, & Siluius, sed in Corbeiensi Gassimius prætermittitur. Non enim dubitamus Laciniam translationis S. Benedicti Floriaccum, de qua omnia ferè latinorum martyrologia agunt, ex ora marginali inter Romanos martyres minus aptè fuisse trāspositam, quemadmodum eodem vitio laborat vetustissimum S. Villobrodi, in quo minus opportunè in sacra Romana turba tale additamentum insuit Gallicus antiquarius. *Depositio Idonei cum filiis Augustodano Depositio Achellei Daniel*, quæ duo postrema nomina ad Romanos martyres pertinent. An pro Idoneo Sydronius reponendus est martyr Senoucēsis, cuius meminerunt cum Romano M. Vsuardus, Bellinus, Maurolycius, & Hagiologium Franco Galliæ Lebbei hac ipsa die quāquam Saussayus eius memoriam recolat potius die 3. Iulij? Nihil sancto huic Sydronio cum Vrbe Augustoduno. Numerus Romanorum martyrum in Vetustissimo M. expressus cum Corbeiensi coincidit, videntur tamen, nisi inducta Lacinia fallat, in duas classes diuisi.

In Siria Marciani. In Siricia legit Antuerpiense martyrol. adductum. In Syrmia Corbeiense, vtra lectio melior sit alij codices docebunt.

In Antiochia. Vnicam tantum Prodociam Antiochenam signat idem martyrol. Vetustissimum. Perdiciam vocant libri nostri, Prodixam martyrol. Corbeiense. At ms. Reginæ Sueciæ, quamquā iiij. Idus, cum Vetustiori nostro in Antiochensium numero conuenit. In Antiochia natalis *SS. Prosdociæ, Veronicæ, & Speciosæ. Alexādria S. Eutici*. Ita in Prosdociæ nomine Vetustissimum sequitur.

In Mauritania. Et hunc Marcianū diuersū ab alijs existimarē, nimirū Iconiēsi & Africano, cum is potius Marianus sit non Marcianus. An forte Mariana cuius Acta adfert Bollandus ad diem 9. Ianuarij ex ms. Duchesnij? Equidē hac ipsa die 11. Iulij coronatam docēt Cæsarea Mauritaniæ Metropoli. Sed Marcianam constanter retinent omnes adducti codices.

In Alexandria. Euticium cum Euphemia initio laterculi profert martyrolog. Vetustissimū. Sed de Euphemia nihil codices nostri, aut M. Corbeiense. De Euphemia Calcedonensi agunt hac die Græci in Menologio. Est apud Metaphrastem oratio Constantini Episcopi Tij. de Inuētione reliquiarum S. Euphemiæ in hunc diem 11. Iulij reposita, sicuti apud Surium Tomo 7. quæ tamen celebritas est translationis Constātinopoli ad Insulam Lemnos, & inde tursus Constantinopolim.

Pictauis Ciuitate. Qui Basinus in nostris libris dicitur & Abbas, Saussayo, Sabinus est Anachoreta, & Confessor in territorio Pictauiensi, cuius aduentum non depositionem recolit hac die; natalem enim pluribus prosequitur 7. Idus Octobris, sine Abbatis titulo. Sabinum Confessorem etiam hoc ipso die profert in Diœcesi Pictauiensi Galesinius. Ex

Adone

Adone, Vſuardo, & mſ. codicibus. Maurolycus alios addit in agro Pictauienſi Confeſſores cum Sabino, nempe Albinum, & Syſiam. Qua propter cum Baſinus nullibi compareat, niſi martyr Trúcinnis ad Gandauum apud Sauſſayum infra pridie Idus Iulij, ſuſpicari licet pro Sabino Baſinum ab Antiquario Gallico ſcriptum eſſe.

IIII. Idus.

IN Aquileia Sanctorum Fortunati, & Armigeri. In Sicilia Natalis S. Agathæ Virginis. Nabori, & Felicis. In Mediolano Namoris, & Primitiui. In Cæſarea Sancti Diui, Carniliſi. *Lugduno in Gallia Depoſitio Viuentioli Epiſcopi.*

IVLII 12.

QVm omnia ferè latinorum martyrologia in hodiernis Tabulis de Nabore, & Felice Mediolanẽſibus cœlitibus agant, diuerſimode tamen, vel in nominibus, vel ordine huius diei memorias proſequuntur codices noſtri, ac reliqui quibus innitimur. Vetuſtiſſimum S. Villibrordi ita texitur. *IV. Idus Iulii. Mediolano Naboris, & Felicis. Romæ Primitiui. In Aquileia Fortunati, & Armigiri. Siciliæ ciuitate Cathena Agathæ. Cæſareæ Cappadociæ Diui, Corni, Lauenti. Lugduno Galliæ Viuentioli.* Corbeienſe noſtris voluminibus magis conſonum ita proſtat. *iv. Idus. In Aquileia Fortunati, Armageri. In Sicilia Natalis Naboris, Felicis, Primitiui, Iulii. In Cæſarea Sancti Diui, Corninſi. Lugduno Galliæ depoſitio Viuentioli Epiſcopi.* Mſ. Reginæ Sueciæ ad calcem laterculi. *Mediolani SS. Nemoris, Felicis. Cæſareæ Cappadociæ Natalis SS. Diui, Cornelii.* Nihil in hodiernis faſtis magis aptè ſcribitur, quã Aquileiæ memoria Fortunati Diaconi, & Hermagore Epiſcopi. Nihil fortaſſe ineptius quã Hermagoram in Armigerum, ſiue Armagerum fuiſſe commutatum. Et tamen Armigerum cum Vetuſtiſſimo retinent codices noſtri. Hermagoram D. Marci Euangeliſtæ diſcipulum antiquitus non ita fuiſſe nuncupatum dubitandi locum concedit Notkerus, qui ita iv. Idus Iulij ſcriptum reliquit. *Apud Aquileiam Natiuitas S. Hermagoræ, vel ſicut in antiquis codicibus inuenitur Hermechoræ primi eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi, Diſcipuli S. Marci Euangeliſtæ.* Hermacharam vocat Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 86. & Hermacorem. Sed nõ ita longius hæc abſunt à nomine Armigeri, quin liceat ſupicari in antiquiſſimis libris nomẽ aliquantulum eſſe corruptum. Fortunatus Diaconus, ſiue Archidiaconus cũ S. Hermagora eodem die coronatus, ſimul etiã dignè recolitur. Adducit de eo teſtimonium Fortunati Epiſcopi Pictauiẽſis Notkerus. Martyrologium tamen R. non niſi Hermagoræ meminit. Sicuti neq. Vſuardus, neq. Ado, neque Vvandelbertus. Acta tamen SS. Epiſcopi, & Diaconi coniunctim habent Mombritius, ac Petrus de Natal. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ſummatim.

In Sicilia S. Agathæ. De S. Agata Virgine agit Vetuſtius noſtrum martyrol. ad diem Nonas Februarij, vbi Bollandus plura colligit. Fluctuat ibi vir doctiſſimus, an quę 12. Iulij etiam in eius Vetuſtiſſimo. S. Villibrordi codice Siciliæ ciuitate Cathena ſeu Cathania aſcribitur, ſit alia fortaſſe iunior Agatha, vel reliquiarum translatio. In noſtra Cathaniæ ciuitas non exprimitur. In Corbeienſi

beiensi, neq. Agata, sed tantum in Sicilia Nabor, Felix, Eustasius, Antonius, quorum primos Agatæ iungens martyrol. nostrum non improbabilem reddit Bollandi coniecturam, aliam esse Agatham Catanensem iuniorem, quæ vetustioris nomen accipiens, & imitatione proficiens, acceperit etiam coronam. Siue ergo Agathæ succenturientur, siue nō Nabor, & Felix Siculi, tam in codicibus nostris, quam Corbeiensi memorantur, & diuersi ab Africanis, vel Mediolanensibus Nabore, & Felice esse videntur. Non me latet, binos horum nominum martyres in omnibus ferè latinorum sacris tabulis recoli, Romanis præcipue, & omnes ferè scriptores Mediolanensibus illos asserere. Ante horum sacros cancellos S. Ambrosium ep. 85. ad sororem inuenisse corpora Sāctorum Geruasi, & Prothasij. Ex Africa SS. hos martyres Naborem, & Felicem translatos Mediolanum esse ad diem vi. Idus Iulij refert Notkerus his verbis. *In Africa SS. Ianuarii, Marini, Naboris, & Felicis ab constantiam Christianę fidei decollatur. Quorum corpora postea Mediolanum sunt trāslata*, quem diem Natalis, seu consummati certaminis esse testatur, translationis vero diem hunc ipsum quarto Idus signat hoc pacto. *Mediolani translatio sanctorum martyrum Naboris, & Felicis qui sexto Idus Iulij cum Ianuario, & Marino in Africa decollati hac die Mediolanū sunt deportati. De quibus B. Victorem in passione sua credo supplicasse, ne separes me Domine à ciuibus meis martyribus tuis Nabore, & Felice.* Translationis festum esse, non coronæ etiam Ado testatur. At Nabor, & Felix in Africa coronati ijdem esse non possunt cum eius nominis martyribus, qui in eorundem Actis apud Mombritium, & Petrum de Natalibus extra Vrbem Laudēsem prope Fluuium, Celeram, seu potius Silarum, post multa tormenta capite truncati, ibidem sepulti sunt 4. Idus Iulij. Adhuc enim rudura Pontis, & Portæ veteris Laudepompeiæ guttulis sanguinis illorum martyrum vt creditur, respersa testantur, & antiqua traditio, cum noua epigraphe renouata, docet septima dissertatione Italica de Ciuitate Laudenti Defendētis Lodij p. 351. Naborem, & Felicem milites, qui Mediolani coluntur, eos non esse, qui in Africa agonem persecerunt. Mediolani ab antiquo tempore sanctorum eorundem corpora iacuisse docet Paulinus in vita S. Ambrosij, & ante inuentionem SS. Geruasij, & Protasij apprime nota, & venerata esse testatur. Hinc Maurolycius hæsitans incertum in martyrologio reliquit, an Nabor, & Felix hodie memorati, illi essent, qui in Africa vitā pro Christo dederūt, vel iuxta portam Laudensis vrbis securi percussi sunt iv. Idus Iulij. *Mediolani SS. Naboris, & Felicis, & sociorum ex Africa transuectorum, vel qui Mediolani inbente Maximiano in Equuleo flagris, vngulis, & facibus cruciati iuxta portam Laudensis vrbis similiter decollati, ac tumulati sunt.* Ita Maurolycius, qui cum Siculus sit, & plura antiqua martyrologia viderit, vt in Epistola ad Cardinalem Emilium profitetur, non est credendum prætermisisse etiam adnotare, Naborem, & Felicem inter Siculos martyres socios S. Agathæ numeratos fuisse. Vnde, quamquam in binis nostris codicibus, & Corbeiensi ascripti sint Siciliæ SS. Nabor, & Felix, fortasse emendanda esset transpositio Prototypi ad normam Vetustissimi Antuerpiensis. *In Aquileia SS. Fortunati, & Armigeri. In Sicilia Natalis S. Agatæ Virginis. In Mediolano Naboris, & Felicis. Romæ Primitini. In Cęsarea, &c.* Fauet emēdationi M. Reginę Sueciæ 2. Idus Iulij. *Mediolani SS. Nemoris, Felicis. Cęsarea Cappadociæ Nat. SS. Diui, Cornelij.* Nemoris etiam meminit martyrol. nostrum pro Nabore, vitio, vt puto, librarij. De Primitiuo martyre Romano via Prænestina vi. Idus Iulij iam dictum aliquid est: de Iulio tantum meminit martyrol. Corbeiense.

In Cæsarea. Nonnulli codices Dium vt Ado. alij Diuum legunt. Cornilisius, qui Corninsius in Corbeiensi dicitur, &

Cornelius in mſ. Reginæ Sueciæ, duos martyres conſtituit in martyrol. Antuerpienſi, nempe Cornium, & Lauenſium. Vtra melior lectio ſit ignoro. In vnicum martyrem plures codices conſpirãt. Dius Epiſcopus Hieroſolymitanus Narciſſo ſuffectus eſt apud Euſebium lib. 6. c. 10. & alter Dius martyr Alexãdrinus apud eundem lib. 8. c. 13. Vnde legendum tanquam vſitatius nomen putarem Dium potius quam Dium

Lugduno. Viuentiolum Lugdunẽſem Epiſcopum recolunt hac die Romanum M. Beda, Notkerus, Molanus, & alij recentiores. Videndus Theophilus Raynaudus in Indiculo SS. Lugdunenſium nouiſſimæ editionis p. 86. vbi de eo plura habet. Nonnulli Iuuentiolum dicunt, vt Beda, alij Viuentiolum vt codices noſtri, & aptius.

III. Idus Iulij.

IN Alexandria Serapionis. Tropimei. Melei. Euangeli, & Propoli. Actali. Zenonis. Propili. Meneo Presbyteri. Trofinæ Virginis.

IVLII 13.

HOrum martyrum chorus Alexandrinus parũ diſtat in M. Corbeienſi à Vetuſtiori noſtro; decem in vtroque numerantur, ſed in illo Propili ante Actalum memoria agitur, minime vero Propili ante Meneum. Additur etiam in fine Macrobius poſt Tropimiam, ſiue Trofiniam, qui in noſtro deſideratur Celonẽ, quoq; pro Zenone reponit; ſed Zenonis nomini fauet Notkerus, qui etiam Trophimam Virginem non Tropimiam vocat, ſuo more aliquos martyres ſummatim, ita colligens. III. Idus. *In Alexandria Serapionis, Euangeli, Zenonis, & aliorum, & Trophimę Virginis.* Sed conferẽda ſunt etiam reliqua mſs. Corbeienſe hoc pacto laterculum ſignat. iij. Idus Iulij. *In Alexandria Serapionis. Tropomei, Melei, Enangelii, & Propoli, Attali, Gelonis, Menei Presbyteri, Tropimia Virginis, Macrobii.* Nec tãtum Trophimam Virginem recenſet M. Vetuſtiſſimum, ſed aliam Serapionis ſociam, Propilum, & Macrobium ita ſilet *iij. Idus Iulii. In Alexandria Serapionis, & Trofima, Mellei, Euangeli, Atali, Zenonis, Propoli, Menei Presbyteri Trophimę Virginis.* De Serapione Ægyptio, & Actalo meminit hac die Vvandelbertus. Variat Maurolycius in nominibus, Alexandriæ Serapionem, Meleum, Trophoniũ pro Trophima, Martialem, & Alexandrum, & ſocios accenſet. Galeſinius longius in nominibus abijt, & Serapionem, Agathonem, & Arſeniũ in martyrologio repoſuit; in Notationibus verò ex martyrologio ſcripto Serapionem, Agatheonem, & Serapium pro Arſenio recenſet, ac eorum martyrium pluribus ſcriptum eſſe ab Artimanno Monacho teſtatur. Fallitur eos eſſe martyres Decianæ perſecutionis, ſi Serapion Alexandrinus idẽ ſit cum eo, qui in Menologio Græcorum ſub Seuero paſſus dicitur, cuius in Romano martyrol. tantum natalis recolitur, non indicato paſſionis loco, aut ſocijs.

II. Idus Iulij.

IN Africa Donati. In Alexandria Anthioci. Mari. Dagioni. Meneſidei. Namoris. Mammari. Petri. Gumni. & S. Foci Epiſcopi. *Lugduno in Gallia Natalis S. Iuſti Epiſcopi.*

Ab

IVLII 14.

AB Alexandrinis martyribus, quos omnes nō numerat, ſacras huius diei Tabulas auſpicatur Notkerus. Pro Donato tamen in Africa Donatatā recolit, & Donatum cū Petro in Africa Maurolycus. Sed Donatū omnino retinent codices noſtri, quibus ita concinit M. Corbeienſe. *Pridie Idus Iunii. In Africa Donati. In Alexandria Anthioti, Marÿ, Dagiona, Meneſidei, Numoris, Petrigummi. Et alibi S. Foci Epiſcopi, & Confeſſoris. Lugduno Galliæ natalis S. Iuſti Epiſcopi, & Confeſſoris, Amici Epiſcopi, & Confeſſoris.* Præter Donatum ſociam addit Papillam martyrol. Antuerpienſe, quod in Apographo noſtro locum paſſionis ſilet. *Pridie Iulii. Papilla, Donati. In Alexandria Antioci, Mari, Dagioni, Meneſidie, Namoris, & Mamaris, Petri, Gummi, & alibi Foca Epiſcopi.* Ante Donatum etiam in Africa Papiā martyrē indicat mſ. Reginæ Sueciæ. *Pridie Idus. In Africa Natalis SS. Papiæ, Donati. Et alibi depoſitio B. Amici Presbyteri.* Pro Papia Petrū fortaſſe legit Maurolycius, & Pro Donato Donatam Notkerus. Sed plures teſtes sūt pro Donato.

In Alexandria. Duos tantum ex Athletis Alexandrinis indicat idem Notkerus. *In Alexandria Natiuitas SS. martyrum Mammarÿ, Petri, & aliorum.* Reliquos ergo debemus Vetuſtiori noſtro, & conſonis mſſ. In Corbeienſi ſeiungendus eſt Petrus à Gummo, & ſupplendus Mammarus ex fide noſtrorum codicum, & Antuerpienſis.

Et S. Foci Epiſcopi. Alibi extra claſſem Alexandrinorum ſeponunt S. Phocam M. Antuerpienſe, & Corbeienſe. Romanum martyrolog. Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, ac reliqui latini hac die S. Phocam Epiſcopum Sinopenſem recolunt in Ponto ſub Traiano martyrio coronatum. Duos tamen Phocas in Adnotationibus agnoſcit etiam eruditiſſimus Baronius, alterum ex Nauta Epiſcopum, alterum Hortorum cultorem. Huius feſtum apud latinos 3. Nonas Martij, illius pridie Idus Iulij peragi addit; ambos tamen apud Græcos die 22. Septēbris venerari. Traducit hic Combefiſius virum ſummum Baronium, & negat in Notis ad Aſterij encomium de S. martyre Phoca, hoc nomine martyrem à latinis celebratum 3. Nonas Martij, & Gregorio Turonenſi cap. 99. de Glor. martyrū, alterum eſſe ex ijs, qui apud Græcos coluntur. Quoniam S. Phoca venena pellens Sirus & Antiochię paſſus ſit: ex alijs vero Græcis memoratis, alter filius Pamphili in regione Synopis ſub Traiano gladio, & igne conſummatus fuerit, alter Hortulanus ex Vrbe pariter Synope capite ab hoſpitibus ſuis truncatus triumphauerit, neque à Græcis Epiſcopus nuncupetur. Ex Sinopenſibus alterum, ſi duo revera ſint, in hodiernis faſtis à latinis venerari, tum Rom. martyrol. docet, tum Notkerus, qui Acta ſtrictim percurrit. *In Ponto S. Phocæ, ſine Phocatis Epiſcopi, Synopis, qui ſub Traiano Imperatore, Præfecto Africano carcerem, vincula, ferrum, ignē pro Chriſto ſuperauit.* Græcis qui ſub Traiano paſſus eſt primus in ordine recenſetur, & re vera Græcis eſt Epiſcopus Synopenſis, clarèq. docetur in Menologio Baſilij, nō die 22. Septembris, ſed 21. celebritatem habuiſſe. Antiochenſem Vetuſtius martyrol. noſtrum recolit die 5. Martij, vbi videnda, quæ diffuſius diximus. Vnum cum altero confudiſſe D. Aſterium veretur Baronius, & iurè. De Foca Epiſcopo diffuſiora Acta habet Mombritius, anguſtiora Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 98., & ſupreſſo Epiſcopatus titulo eius agonem percurrunt Græci in Menologio Caniſij ad diē 23. Iulij, quem eundem eſſe cum alio Synopenſi ſub Traiano paſſo ad diem 22. Septembris nihil vetat. Emendandum qua-

propter est in martyrol. Corbeiense, librarij oscitantia, qui Phocę titulum Confessoris addidit, cum is verè martyrio fuerit coronatus.

Lugduno. Natalem S. Iusti, quem Gallicus antiquarius addidit, celebrat etiã Notkerus, qui subdit reliquisse insignia commentaria in Cantica Canticorũ, deceptus ex nomine Iusti Orgelitani; vt suspicatur Raynaudus in Indiculo SS. Lugdunensium, vbi plura de S. Episcopo colligit, & epitaphium adducit. Alium Iustum Episcopum, qui in pace Lugduni quieuerit die 14. Iulij ex Maurolycio, & Petro de Natalibus adducit idem Raynaudus. Verùm de Vetustiori hic agit Notkerus vt palam est. Viderint Galliæ Christianæ scriptores. De Amyco pariter Lugdunensi Episcopo cuius idẽ Notkerus meminit, & Corbeiense martyrolog. nostri codices silent. Mſ. Reginæ Sueciæ vocat tantum Presbyterum. Agũt de eo Raynaudus, & Saussayus.

Idus Iulij.

IN Alexandria Natalis Sanctorum Philippi. Zenonis. Nasei. & x. infantium. In Syrmia Natalis Sanctorum Arippini. Secundi. Maximi. Fortunati. Martialis, & Iacobi Episcopi Nisiuis, *qui in corpore multa signa fecit, & Arcam Noe solus vidit in Monte, nullus alius de his, qui cum eo perrexerant videre est permissum.* In Porto Romano, hoc est inhisclea Natalis Sanctorum Etropi. Zosome, & Bonose sororum. In Africa Ciuitate Cartagine Natalis Sanctorum Catulini Diaconi, & reliquorum Martirum, qui requiescunt in Basilica S. Fauste. Ianuarij. Forenti. Pollutane. Iuliæ similiter, & Iuste.

IVLII 15.

ALexandrinos martyres recolunt hac die ijsdem nominibus, & numero cum Romano martyrol. Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus. Naseus dicitur in libris nostris, & Corbeiensi, qui Narseus alijs est, & Maurolycio Narcissus, siue Narsetes. Tenorem pro Zenone legit Galesinius, sed Zenonem retinent MM. Corbeiense, & Antuerpiẽse, quorum primum hoc ordine sacros fastos exhibet. *Idus Iulij. In Alexãdria Natalis Sanctorum Philippi, Zenonis, Nasei, & decem infantium. In Syrmia Natalis Sanctorum Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis; Iacobi Episcopi Nisibini, qui in corpore multa passus est, & multa signa fecit; & Arca Noe solus vidit in monte; nullus alius vidit, qui cum eo erant, nec permissum est videre. In Portu Romano hoc est in Hisclea Natalis Sanctorum Eutropij, Zosimi, & Bonosæ sororis eius. In Africa Ciuitate Carthagine Natalis Sãctorum Catholini Diaconi, & reliquorum martyrum, qui requiescunt in Basilica Sanctæ Faustæ: Ianuarie, Florentii, Pollutane, Iuliæ, simul, & Iustæ. Corbeiæ Monasterio Exceptio reliquiarũ S. Dionysii, & sociorũ eius.* Vetustissimũ Antuerpiẽse hìc confusũ agnoscimus, vel nos confundẽs. Præter Philippum enim, & Zenonem Alexandriæ addit Sisinnium, Eutropium, Zosimum, & Bonosam, quorum tres postremi Romani in Portu martyres sunt tam codicibus nostris, quam Corbeiensi, Romano, & aliorũ latinorũ martyrologijs.

Iufan-

Infantes decem Alexandrini apud eosdē omnes prostāt, & ex antiquis martyrologijs apud Petrū de Nat. lib. 11. n. 195. Agnouit quidē illius martyrologij scriptor Romanos in Portu martyres præter Alexandrinos, & culpari non potest, ex duobus turmis vnam conflasse. Nec esset inconueniens Eutropium inueniri, tā inter Alexandrinos, quam Romanos, cū nomen frequēter vsitatū fuerit. Zozimus nō repetitur, quia inter Portuēses Zozima esse debet non Zosimus vt ibi aptius legitur. Maius negociū facit Bonosæ nomen inter Alexandrinos, cum constāter omnes Romanam Portuēsem esse velint. Si quis vero Honorosam, Alexandrinis, & Bonosam Romanis restitueret, iam omnia pacata essent, & Vetustissimo illi martyrologio deberemus Alexandrinos illos cælites, qui neque in nostris, neque in Corbeiensi voluminibus indicantur. Ita illud habet. *Idus Iulii. In Alexandria Natalis Philippi, Zenonis, Sisinni, Eutropi, Zosimi, Bonosæ, & infantum x. Et in Sirmi Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Marcialis. Et Iacobi Episcopi Nizibæ. Romę in Portu Eutropi, Zosimæ, & Honeratæ sororum. In Africa ciuitate Cartaginis Catholini Diaconi, Ianuari, Florenti, Polentanæ, Iuliæ, & Iustæ.*

In Sirmia. Sirmij aptius legit ms. Reginæ Sueciæ. *Sirmii Natalis SS. Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis.* Totidem beati pugiles numerantur in libris nostris, & iam adductis Antuerpiensi, & Corbeiensi. His pariter consentiunt Notkerus, & Beda, qui tamen pro Maximo Maximinum exhibet.

Et Iacobi Episcopi. Nisibi pro Nisiuis legi debere non dubito. Iacobus Nisibis in Mesopotamia Episcopus sanctitatis fama clarus in omnibus Hagiologijs recolitur, Siris, Græcis, & Latinis inquit Baronius ad annum 382. At quamuis in Menologio Sirleti, seu Canisij ad diē postremum Octobris ornetur elogio, quòd Episcopus Antiochiæ Mygdoniæ, quæ & Nesibe dicta, mirabilium operum patrator fuerit, eundem tamen celebratum non inuenio in Syrorum, aut Græcorum calendario apud Genebrardum, neq. in Menologio Basilij. Maximus fuit Arij antagonista in Cōcilio Niceno, etiā libris plurimis scriptis, vt auctor est Gennadius. Eius vitam Theodoretus retēsuit in Philotheo, vel SS. Patrum historia apud Surium T. 7. & lib. 1. hist. Ecc. c. 7. Ex his accepit Petrus de Nat. lib. 5. cap. 102. qui Iacobū vulgo dictum sapiētem testatur. Nihil autem in his de Noemi Arca inspecta narratur, sicuti neque in M. Vetustissimo. Vnde tam in codicibus nostris, quam Corbeiensi ab antiquo tempore, & in eorundem prototypo, episodium præter morem additū vix dubitarem. Ab antiquo quidem tempore, nam & Notkerus Vetustioris martyrol. nostri vestigia premens, postquam aliqua de Sancti Iacobi Nisibitæ gestis prælibauit, ijsdem ferè verbis subdit. *Adhuc in corpore multa signa fecit, & Arcam Noe solus in Mōte Armeniæ Tauro videre promeruit, quod nulli alii de his qui cum eo perrexerūt videre permissum est.* Quod autem de seruatis in monte Tauro Arcæ reliquis narratur fabula nō est. Eusebius siue D. Hieronymus de locis hæbraicis ex antiquioribus chronologis, à Iosepho primo Antiquitatū Iudaicarum libro adductis, Berosо Chaldeo, Hieronymo Ægyptio, Cansia, Nicolao Damasceno, docet in montibus Ararat, siue Armeniæ, quos Berosus montes Carduenorum vocat, vel in monte nomine Beatis super Muniadem resedisse Arcam, vel Noemum diluuio superestitem, & ad multas ætates eius signa monstrari solita, imò quosdam bitumen ex ea euellentes circumferre, quo vterentur, maxime hi qui lustrarentur, & se expiarent. Sed recentius tempore Constantis, & Constantini, quo S. Episcus Nisibites obiit, adhuc reliquias Arcæ perdurauisse Philostorgius ex vulgari fama testis est in epitome Photij lib. 3. n. 8., quinimmo ad suam ipsius ætatem sub Theodosio iuniore perdurare, his verbis interprete Gottifredo addit. *Euphrates*

phrates vero Fluuius ex Armeniis, secundum quod quidem apparet, oritur vbi mons est Araret, qui etiam num apud Armenios vocatur, vbi Arcam conquieuisse, ait scriptura, in quo etiam num esse aiunt haud parua lignorum, ac clauorum fragmenta, quæ ibi reliqua facta sunt. Perdurarunt hæ Arcæ fragmenta ad Beniamini Tudelensis ætatem, qui in Itinerario suo interprete Aria Montano, narrat Nisibin, seu Nesibin vrbem duobus itineribus non amplius distare à radicibus montiũ Ararat, siue Tauri, vbi vrbs est Gezir-BenGhamar, nec amplius quatuor milliaribus abesse à loco, inquo Noè Arca quieuerat. *Ille autem Arcam* inquit *Ghamar-Ben-Alchefeh ex Montis dorso sublatam in Ismalcitarum Moschea vsum translatam adeptauit.* Ex proxima igitur Nisibe S. Episcopum ad Arcæ reliquias videndas perrexisse non est inconguum, & fortasse ex infidelitate, eius ieneris socios easdem videre non meruerunt, cum alioquin scriptores adducti nequaquam quibusdam inuisibilia esse narrent.

In Portu Romano. Sanctos hos Portuenses martyres iam diximus in Romano martyrol. & apud Bedam, Vsuardum, Adonem, Notkerum, aliosq. recentiores memorari, ac Zosimam, & Bonosam sorores asserere. Quid vero ad Romani Portus nomen additum *Hisclea* significet fluctuo. *In Nisela* legit martyrolog. Corbeiense. Alia à me visa, tam mis. quam edita MM. silent. Cum vero nomen huiusmodi in Geographis hucusq; non inuenerim subijt dubitare, an pro *Hisclea* restituendum esset *in Insula*. Inter Portum Romanum, & Ostiam interceßisse Insulam, quæ à sacrificijs ibi peragi consuetis sacra nuncuparetur, docet Cluuerius in Italia Antiqua, & ex Æthico, alijsq; scriptoribus hausit. At pro re nostra id ex Actis S. Hippoliti Portuensis Episcopi, & martyris deducere malumus. In his narratur sacrum corpus à fidelibus humatum fuisse non longe à Puteo in quem fuerat proiectus *pedes plus minus sexaginta in insula, quæ vno latere littore maris, & à duobus diuisione alvei Tyberis cingitur.* Ibi erectã deinde fuisse Ecclesiam, à Leone III. exornatam, quæ in ipsa Portuensi vrbe recenseretur ex Bibliothecario habetur in eiusdẽ Pontificis vita. In Romano Portu S. Bonosã, & quinquaginta milites ad fidem adductos, ac martyrio consecratos habet Romanum martyrol. 8. Idus Iulij ex Actis. S. Bonosæ, vt ibi notat Baronius, & repetit in Annalibus; atque ex codice Vaticano profert Arighius lib. 2. Romæ subt. cap. 25. Acta hæc Romæ asseruari vna cum corpore S. Bonosæ in eius nomine dicata Ecclesia addit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Præcesserũt L. milites ad coronam, & sequti sunt Bonosã, Eutropius eius frater, & Zosimæ soror. Ex vetustis martyrologijs, & Hieronymiano eadẽ eduxit Petrus in Catalogo lib. xi. n. 194. quæ ita signauit. *Eutropius Zosima, & Bonosa sorores martyres Romæ in Portu passæ sunt Idibus Iulii.*

In Africa. Africanos hos insignes martyres etiam Romanum martyrol. recolit, quorum antesignanum Catulinum Diaconum laudauit D. Augustinus ex Possidij Indiculo, cap. 9. Catulinum, Ianuarium, Florentium, non Forentium, Iuliam, & Iustam exhibent etiam Vsuardus, Ado, & Notkerus, qui omnes sepultos addunt Carthagine in Basilica Fausti, quæ celebris est in Concilijs, & Victori Vticensi memorata. Pollutanam martyrem ante Iuliam silent edita alia adducta MM. in codicibus tamen nostris, Corbeiensi, & Antuerpiensi diserte reponitur inter Carthaginenses martyres in Basilica illa quiescentes.

In

XVII. Kal. Augusti.

IN Civitate Hostia Natalis Sanctorũ Cyrici. Hilarini. In Mediolano Natalis Sanctorum Mochari. Migetiæ. In Antiochia Sanctorum Theodisi. Eustasi. Dionisi, & Theodoti. In Cesarea Natalis S. Pauli, cuius gesta habentur, & Sancti Mammetis, & Natalis Sanctorum Valentini. Theoni. Deocletis.

IVLII 16.

EXterna die Maurolycius Romæ SS. Cyriaci, & Eutropij meminit, sicuti ante eũ Vvãdelbertus, qui non indicato certaminis loco, incertus est, an de Cyriaco carnifice mox martyre Sebasteno intelligat, & cuius in Antioco Medico meminit Rom. M. At eodẽ die antiquũ Fronti calendariũ Rom. Natalẽ S. Cyriaci exhibet, & hinc coniectari licet illum esse, qui in libris nostris Hilarino, siue Hilario sociatur. Non nisi Hilarinum ex ciuitate Ostia retulit in hodiernos fastos martyrol. Corbeiense. *xvii. Kal. Augusti. In Ciuitate Hostia natalis S. Hilarini. Mediolano natalis SS. Theodosa, Eustasi, Dionysi, Theodati, Maximi. In Cesarea natalis SS Pauli, & S. Mametis, Florida. Et alibi Natalis SS. Valentini, Theonis, Diocleti.* Deficit in aliquibus ex adductis martyribus Vetustissimum S. Villibrordi martyrol. hac serie. *xvii. Kal. Augusti. In Ostea Natalis Hilari, & Antiochia Theodoti, Eustati, Dionysi. Mediolano Mocci, & Mogitia. In Cesarea Pauli, & S. Mãmetis, & alibi Valenti, Nithoni, Coclei.*

Ciuitate Ostia. Hilarinum hìc omnia ferè latina MM. recolunt, pauperum, & infirmorum hilarissimum susceptorem ad Ostia Tiberina; nullum tamen ei socium addunt Cyriacum. Hilarini agonẽ summatim percurrit Notkerus, & ante eum Beda, Vsuardus, & Ado, qui in persecutione Iuliani martyrium fecisse testantur; locum tamen agonis nõ signant. Petrus de Nat., qui Hilarium cum Vetustissimo martyrolog. vocat, non Hilarinum in Ciuitate Ostia passum refert, & Aretinum ciuem fuisse S. Donati Episcopi aliquando contubernalem. Romanũ martyrol. è contra docet cum S. Donato Aretij in Thusciæ martyrium subijsse, corpus verò ad Ostia Tiberina fuisse translatum, ac illius meminisse Acta SS. martyrum Ioannis, & Pauli, & Acta S. Donati, quæ admodum deprauata fatetur. An Cyriacus, qui Ostiæ tribuitur sit Episcopus ille Ostiensis, qui cum Maximo Presbytero, & Archelao Diacono apud Ostia Tiberina passus est, non cum illis, sed in carcere capite minutus, cum illis verò sepultus in Portu Romano, plura suaderent, nisi potius eorum Natalis dies esset 6. Idus Augusti in ms. Bibliothecæ Vallicellanæ apud Aringhiũ Romæ subt. lib. 3. c. 8. qua die re vera in Vetustiori nostro martyrol. recolitur. At S. Cyriacus quicumque ille fuerit in veteri Fronti calendario die 15. Iulij ita recolitur. *Natalis S. Cyriaci.* Hilarinus quibusdam monachus dicitur, sed in adductis mss. & in codice Reginæ Sueciæ hoc titulo non ornatur.

Mediolani. Neque Notkeri martyrologium, neque aliud ex vulgatis horum Mediolanensium cælitum memoriã venerantur. Moecium, & Mogitiam vocat Antuerpiense; codices nostri Mocharium, & Migetiam. Corbeiense martyrolog. Macharium tantùm exhibet. Galesinius Mediolanenses binos hos martyres ignorat, & Marcellinam D. Ambrosij

brosij sororem hac die recolit.

In Antiochia. Quatuor Antiochenos martyres hìc indicat Vetustius martyrol. nostrum: Tres tantùm Vetustissimũ Antuerpiense: quinque Corbeiense. Addit enim Maximum, & Theodosium in Theodosam vertit. Galesinius vitiatis codicibus vsus, & Cæsarienses cum Antiochenis martyribus miscens, Paulum, Dionysium, & Theodolum Romæ assignat, Eustachium tantum Antiochiæ relinquens, quem Antiochiæ Syriæ Episcopum, & Confessorem etiam exhibet martyrol. Romanum cum Beda, Vsuardo, Adone, ac cæteris latinis hac ipsa die. An verò Eustasius is sit post Theodosium in codicibus nostris numeratus, non facile affirmarem. Eustasius Antuerpiensi dicitur propinquiori ad Eustathiũ nomine, sed cum inter martyres alios Antiochenses sine alia additione numeretur, vix Episcopus, & Confessor accipiendus videretur, nisi Petrus de Natal. lib. 6. cap. 104. S. Eustachium Antiochenum Episcopum martyris titulo ex Adone ornaret, quoniam ob Catholicam Fidem à Constantio Imperatore Ariano in Traianopolim Thraciæ ciuitatem pulsus ibidẽ exul. obierit vii. Kal. Aug. Quamquam enim strictius Confessor dicendus sit, martyr etiam antiquo Ecclesiæ stylo, vt alibi monuimus nuncupari potest. Confessorem in martyrol. Vsuardus exinde vocat, & Notkerus, qui non modo eũ in exilio Traianopoli defunctũ cõfirmat, sed ab alijs tribus martyribus Theodosio, Dionysio, & Theodoto seiungit. Confessorem pariter dictum apud Adonem inuenio, & si aliter legerit Petrus de Natalibus. Nec vrget, quod S. Episcopus Traianopoli mortalẽ vitam absoluerit, vt inter Antiochenos numerari nõ debeat; nã in Antiochena Ecclesia rectè illum tanquam proprium Episcopum venerari æquũ esset, nec semper in vetustiori nostro Ecclesiasticis viris, officii, vel dignitatis nota additur.

In Cæsarea. Supplet Notkerus quod librario nostro exciderat, nempe *In Cæsarea Cappadociæ*. Ita enim de Paulo scribit ex Hieronymi nuncupato martyrol. seu Vetustiori nostro. *In Cæsarea Cappadociæ S. Pauli, cuius gesta S. Hieronymo vt ipse confitetur, agnita, nostræ tarditati sunt ignota*. quæ verba optimè respondent ijs, quæ in codicibus nostris leguntur. *In Cæsarea natalis S. Pauli cuius gesta habentur*. Inde patet de Vetustiori hoc sub Hieronymo nomine martyrolog. loquutum esse Notkerum, quod alibi non constet D. Hieronymum alicuius sancti Pauli Cæsarienses Cappadocis acta indicasse. Profecto nisi ante septingentos annos Notkerus scriptum in suo codice inuenisset Cæsareæ *Cappadociæ*, & idem etiam suaderet S. Mammetis, aut Mammæ Cappadocis Cæsarienses subsequens sine alterius loci distinctione, aut adiectione memoria, facile putauissem, hunc Paulum esse, cuius Eusebius Acta prosequitur de martyribus Palestinis cap. 8. Is eodem tẽporis spacio cum alio anonymo Gazensi, & altera Valentina Cæsarensi, capitali supplicio Cæsareæ Palestinæ damnatus fuit die 25. mensis Panemi, hoc est non longe ab hodiernis fastis 8. Kal. Augusti. Cum enim in Vetustiori nostro 25. Iulij nulla peragatur Pauli Cæsarensis memoria, suspicari licuisset eiusdem antepositam fuisse celebritatem. At cum Notkerus *apud eandẽ Vrbem* Cæsareã Cappadociæ statim subnectat prodigiosa, & præter morem prolixiora S. Mammetis Acta, eiusdẽ auctoritati acquieui. Subticere tamen non debui Græcos in Menologio Canisij hoc ipso die cum Valentiana, & Thexa alijsq. tam viris quam mulieribus Diocæsareę B. martyrem Paulum gladio percussum venerari, quoniam facilis fuisset nominis Diocæsareæ in Cæsaream vrbẽ mutatio; præsertim si Valentinus Valentina esset, & Theon Thea, quos alibi incerto loco indicant celebres fuisse omnes adducti codices, Corbeiensis, Antuerpiensis, & Lvcenses nostri. Ægyptiæ martyres erant, quæ in Menologio exhibentur Diocæsaream deductæ, sed ibi

Diocletes

Diocletes, vel Cocleus prætermictitur. Vetuſtiſſimum Antuerpienſe pro Valentino Valentem legit, & pro Theone Nithonem, ſed poſtremæ literæ Valentini, Theoni accomodatæ vtrumq. nomen vitiare potuerunt, & legendum putarẽ *Valentini Thoni, vel Theoni*. De S. Mama, ſiue Mamente illuſtri in Cæſarea Cappadociæ martyre extat Homilia S. Baſilij, in qua eius miracula ſtrictim percurruntur. An idem ſit cum S. Mamante, ſiue Mammete, qui die ſequenti, & rurſus die 17. Auguſti, tam in latinorum MM., quam noſtro memoratur, fluctuo. Plurium Baſilicarum dedicationes celeberrimo martyri, & reliquiarum translationes (de quibus videndus eſt Baronius ad illam diem 17. Auguſti,) plures celebritates parere potuerunt. Natalem S. Mammetis, præter Antuerpienſe, & Corbeienſe martyrol., quod Floridam, alijs ignotam martyrem addit habet hac ipſa die. Additamentum Adonis. *Item alibi S. Mammæ.*

XVI. Kal. Auguſti.

IN Africa Sanctorum Aquilini. Sperate. Chindini. Biturí. Azardi. In Mediolano Natalis Sancti Marcelli. In Carthagine Natalis Sanctorum Generoſe. Ianuarie. Et Sicilitanorum, & alibi Natalis Sancti Mamme. In Aſia Nazarij. Ianuarij. Secunde. Donate. Beiſiæ. Maximę. Pauli. Aquilini. Felicis. Cautate. Titiane. Beſſæ. Maxime. Perſyriane. Entati. *Autiſiodoro depoſitio Beati Theodoſi Epiſcopi.*

IVLII 17.

VEreor ne Acta Proconſularia, quę tanquam venerandę antiquitatis Thæſaurum ſapientiſſimus Baronius profert T. 2. Annal. ad annum 202. n. ij. re vera Scyllitanorum martyrum non ſint, vel ſaltem nomina aliqua referant, quæ ſeiunctim à Scyllitanis, tam in M. Vetuſtiſſimo S. Villibrordi, quam in Corbeienſe, & libris noſtris proſtant. Acta quidem illa Carthaginenſium martyrum ſunt coram Saturnino Proconſule, ſed Scyllitanorũ dici non video, nulla enim in eis de Scyllitana Patria memoria agitur, ſed in primo forenſi conuentu adſtare præcipiũtur Speratus, Narzales, Citrinus, Donata, Secunda, & Veſtina, in capitali vero ſẽtentia additos video ad numerum duodenarium perficiendum Veturium, Felicem, Acyllinum, Lætantium, Ianuariũ, & Generoſam. Variant quidem nomina aliquantulũ, ſed ex ijſdẽ eſſe, quæ in prima Africanorũ claſſe Vetuſtioris noſtri recenſentur, nõ dubito hoc eſt. Speratus pro Sperata, Narzales pro Azardio, Citinus pro Chindino, Veturius pro Beturio, Acyllinus pro Aquilino. Deficiũt ex Africanorum choro in codicibus noſtris Donata, Secunda, & Veſtina; Ianuaria enim, & Generoſa in alia Cartaginẽſium claſſe reponuntur, quibus Scyllitanorum memoria collectiuè ſubnectitur. Mirum autem quomodo reliqua nomina, quæ in Actis illis Proconſularibus proſtant inter martyres Aſiæ, non Africę exinde notata inueniantur, tam in libris noſtris, quam in Corbeienſe hoc ordine ſignato. *xvi. Kal. Aug. In Africa Natalis SS. Aquilini, Sperata, Chindini, Bituri. Azardi, Menclampi, Zoſimi. Mediolano Natalis S. Marcelli, Iuſtini, Nonni; Carthagine Natalis SS. Generoſæ, Ianuariæ, & Scillitanorum. Et alibi natalis Sanctæ Mammæ. In Aſia Nazarii, Veturij, Ianuarij*

nuarÿ, Secunda, Donatæ, Beſſæ, Maximi, Pauli, Aquilini, Felicitatis, Cuatæ, Titianæ, Beſſæ, Sirianæ, Entati, Iuſtini. Antiſiodoro, depoſitio B. Theodoſÿ Epiſcopi. Aſianos martyres nequaquam exhibet martyrol. Vetuſtiſsimum, & pro in Aſia ita legit Emaſiæ: *xvi. Kal. Auguſti. In Africa Aquilini, Sperati, Quindinis, Bisuri, Agardi. Mediolano Marcelli. Kartagine Generoſæ, Ianuariæ, & Scilitanorum. Et alibi Mammę, Emaſiæ, Nazarii, Veturi, Ianuari, Secundæ, Donatæ, Boſſiæ, Maximi, Pauli, item Aquilini, Felicis, Cuatæ, Titianæ, Neſię, Siriani, Entati; Antiſiodoro Theodori Epiſcopi.* Rom. martyrol. nō recēſet martyres aliquos in Africa, neq; Scillitanos ſeiunctim, ſed Carthagine natalis SS. martyrum Scillitanorum, quos deinde nominatim enumerat, & confirmat mſ. Reginæ Sueciæ. *Carthagine Natalis SS. martyrum Scillitanorum. Sperati, Martialis, Cithini, Veturÿ, Felicis, Aquilini, Lactantÿ, Ianuarÿ, Generoſi, Veſtinæ, Donatæ, Secundæ.* Conſimilia habent varijs nonnihil nominibus, Vſuardus, Ado, & Notkerus, qui varias etiam nominum lectiones ſignant vnicuique facile conferendas. At ſiue omnes enumerati martyres Scillitani ſint, vel ex Plebe Scillitenſi in Africa, cuius memoria eſtat in Collat. Carthag., vel ex huius nominis inſula, vt placet Petro de Natal. lib. 6. c. 210. ſiue eorundem tantū pars aliqua, vt ex adductis mſſ. potius colligitur, Acta Proconſularia à Baronio adducta ēmēdatione aliqua indigēt, quò ad dies adnotatos. Aſtare iubētur martyres in iudicio forenſi xiv. Kal. Auguſti, hoc eſt 19. Iulij *ſequenti die* vigeſimo ante Proconſulem ſiſtuntur, qui licet ſpatium trium dierum ad reſipiſcendum illis conceſſerit, viſa tamen eorum conſtantia, in eos ſtatim capitalem ſententiā promulgauit, & additur. *Conſummati ſunt Chriſti martyres mēſe Iulio die ſeptimodecimo*, qui dies cum omnibus, tam mſſ., quam editis Hagiologijs commune ſit, nulla indiget emendatione; ſed facilis lapſus in numerali prima nota reſtitui etiam facile poteſt.

In Mediolano. Marcellinam S. Ambroſij ſororem hac die cum Romano M. plures recolunt: Marcellum martyrem mſſ. omnes adducti codices, cui etiam M. Corbeienſe ſocios alijs ignotos addit Iuſtinum, & Nonnum. Notkerus cum libris noſtris, & Antuerpienſi ita conſonat *Mediolani S. Marcelli.*

Alibi natalis S. Mamæ. An S. Mama idem ſit cum Cæſarienſi Cappadoce, cuius heſterna die memoriam fecimus, non decerno. De celeberrimo martyre plures pluribus in locis celebritates peragi potuiſſe, idq. varijs diebus, non difficile eſt credere. Inter incerti loci martyres ſub particula *alibi* Sanctā Mamam retulit martyrologium Vetuſtiſſimum, cui magis accedo. Nuper caput Sanctæ Mamæ argentea Theca incluſum vidi in Vrbe Luca apud ſacras Sanctæ Iuſtinæ virgines, & integrè ſeruatum cum vetuſtiſſima in Membrana inſcriptione, in qua præter Sanctæ Mamæ nomen nihil aliud præ vetuſtate, legere licuit. Caro adhuc ſuper oſſa exiccata conſpicitur: capilli, barbęque cirri rufi adhuc cuti hærent. Parthenopæum illud antiquiſſimum eſt, & de eius vetuſtate, ac Imperialibus, Regijſq. indultibus plura diximus ad vitam. S. Silai typis Lucenſibus editam. Dubitauit nuper Fronto ad Vetus Romanum calendariū die xj. Nouembris, an S. Mama Eccleſiā Romæ habuerit, in qua Homeliam dixerit S. Gregorius, vt libri editi præferunt, an potius legendum ibi ſit S. Mennæ, vt in tribus mſs. codicibus ſe legiſſe teſtatur.

In Aſia. Tāta penes me eſt Vetuſtiſſimi Antuerpiēſis M. auctoritas, præcipuè in locis pro veneratione martyrū ſignādis, vt licet illi ſua vetuſtatis vitia nō deſint, minus tamen in hoc eſſe corruptum exiſtimauerim. Minus certè pugnat cū Actis S. martyrum Scillitanorum, quod aliqui ex aſſignatis Aſię in codicibus noſtris, & Corbeienſi incerto loco *alibi* tribuantur, quando nō excluſis alijs Africæ regio-

regionibus, nihil vetat ex his aliquos Scillitanos esse potuisse, vetaret autem si Asiæ tribuerentur. Confirmare tamen hoc aliorum nisi auctoritate nequimus iam adducti Vetustissimi M. sancti Villibrordi.

Antisiodoro. Theodosium Episcopum Autisiodorensem recolunt hac die Rom. martyrol. Notkerus, Additamentum Adonis, Galesinius ex Tabulis Ecclesiæ Autisiodorensis, & Demochare. Aliqua de eo notat Baronius ad hanc diem, & T.6. Annal. quē sub Clodoueo interfuisse Concilio primo Aurelianēsi testatur. Eadem fere habet Saussayus. Gallici antiquarij additamentum agnosco, tam in libris nostris quam Corbeiensi, & Antuerpiensi.

XV. Kal. Augusti.

ROmæ Via Tiburtina miliario Natalis Sancte Sempheroſe Matris. vij. Germanorum, quæ cum ipsis est posita Nomina vero vij Germanorum sunt hæc Petri. Marcelliani. Ianuarij. Dionisij. Simproni. Clementis. Germani. Herenei, quorum gesta habentur. In Doroſtoro Natalis Sanctorum Emiliani. Bassi. Maximi. Pauli. Secunde. Donate. In Africa Natalis Sanctorum Aquilini. Sperati. Ciuini. Crestini. Lutati. Nazari. Vetuſe. Generoſe. Ianuariæ. Titianc. Hesse. & Faltei Episcopi.

IVLII 18.

SAnctæ Semphoroſæ, & filiorum eius septē germanorum memoriam omnia latinorum fere martyrologia cum Romano celebrāt. Sed nō eadem die. Beda, Vsuardus, & Ado v. Kal. Iulij. Reliqui ad hāc diem 18. Iulij. His consentit M. Vetustissimum. S. Villibrordi, quamquam in laterculi fronte alios martyres præferat. *XV. Kal. Augusti. In Doroſtoro Natalis Emiliani, Secundæ, Donate, Bossi, Maximi, Pauli. Romæ Senphorensiæ martyris, vij. germanorum Petri, Marcelliani, Ianuari, Dionisi, Simproni, Clementis, Germani, & Herenei. In Africa Aquilini, Sperati, Caluini, Felicis, Crestini, Lutati. Nazari, Vetuſæ, Generoſæ, Ianuarÿ, item Ianuarÿ, Titiani, Neſſæ.* Simphoroſam cum filijs primo loco recenſet, & libris nostris ita magis consonum prostat martyrol. Corbeiense *XV. Kal. Augusti. Romę Via Tiburtina milliario nano, Natalis S. Simphoroſæ matris septem Germanorum, quæ cum ipsis est passa, quorum nomina hæc sunt, Petrus, Marcellianus, Ianuarius, Dionyſius, Simphronius, Clemens, Germanus, Hirenei, Magni. In Doroſtoro Natalis Sanctorum Emiliani, Bassi, Maximi, Pauli, Secundę, Donatę, Marini, Iusti. In Africa Natalis Sanctorum Aquilini, Sperati, Cinini, Felicis, Creſcentiani, Lactati, Mazarii, Vetuſæ, Generoſę. Item Ianuarii, Titiani, Heſiæ, & Faluei Episcopi, Iocundi.* Librarius nostrorum codicū siluit quantū à Rom. Vrbe distaret locus venerationis S. Symphoroſæ, ac filiorum via Tiburtina. In Corbeiensi exprimitur milliario nono: octauo dicitur in Passione SS. Symphorosæ, & septem filiorum edita Romæ ex bonæ fidei codicibus anno 1588. & rursus tomo 7. Surij postremæ editionis Colonienſis. Nonum tamen retinent ferè omnes, atque ita legit Petrus de Natal. qui lib. 6. cap. 111. eadem Acta summatim refert. In die completi certaminis septem germanorum

consonãt Acta illa xv. Kal. Augusti, sed ante acto die Symphorosã filios ad palpræcessisse narrant. Vnde quis quis Vetustius M. disposuit matrem à filijs disiungere noluit. Fuit S. Symphorosa vxor Getulij, siue Zotici martyris, cuius frater Amatius coronam quoque promeruit, sed ò quantum distant inter se nomina septem germanorum in Romano M. Adone, Vsuardo, siue hac die, siue v. Kal. Iulij, & quantum variant à codicibus nostris? Numerantur in illis Cressens, Iulianus, Nemesius, Primitiuus, Iustinus, Stacteus, Eugenius, quæ nomina eodem ordine recensita v. Kal. Iulij, vbi Vsuardus, & Ado de illis agunt, sunt Cordubensium Hispanorum martyrum, vt ibi adnotauimus. Equidem Vetustius S. Villibrordi martyrologium ante ætatem Vsuardi, & Adonis scriptum diuersimode filios S. Symphorosæ, siue S. Simphorensiæ exponit, eidemque consonant bini codices nostri M. Corbeiẽse, & Notkerus, qui & si pluries fateatur ab Adone aliqua accipere, & acta S. Symphorosæ, & filiorum percurrat die v. Kal. Iulij eisdem nominibus signans, quibus & Ado, hac tamen die Vetustioris M. cui passim innititur, auctoritate ductus ita scribit *xv. Kal. Aug. Romæ Via Tiburtina milliario octauo Nat. SS. Symphorosæ martyris, matrisq. septem germanorum, quæ cum ipsis est posita. Nomina vero Germanorum hęc sunt Petri, Marcellini, Ianuarii, Dionysii, Symproni, Clementis, Hirenei.* Germani nomen abstulit Notkerus, ne pro septem, octo martyres videretur exhibere. Octo tamen numerantur tam in libris nostris, quam in Vetustissimo M. Antuerpiensi: in Corbeiensi verò additur nonus, hoc est Magnus. At vel Hereneus à reliquo germanorum choro disiungẽdus esset, sicuti & Magnus, qui socij quidem passionis fuerint, quo ad locum certaminis, fortasse etiam quo ad tempus, vel cum Notkero dicendum potens, Germani nomen non esse martyris singulare, sed arctioris sanguinis coniunctionis, quemadmodum Plautus geminum germanum pluries dixit, qui eodem patre, & matre, eodemq. die natus esset, quasi Hereneus germanus geminus fuisset cum Clemente. Hæc interpretatio magis libris nostris cõgrueret, qui sequentibus verbis Hereneum reliquis fratribus videntur connectere, *quorum gesta habentur*. Dici etiam posset quinque primo loco numeratos martyres filios fuisse Symphorosæ, non tamen ex eodem marito, Clementem vero & Hereneum verè germanos, & ex eodẽ patre; Magnus enim, qui in Corbeiensi M. additur, in reliquis libris non extat, nisi Magnus pro Hereneo maiori ætatis acciperetur, quãuis Hereneus postremus in passione fuerit, sicuti Petrus vbiq. antesignanus legitur. An verò quæ in codicibus nostris gesta, siue acta enunciãtur, eadẽ fuerint cũ ijs, quæ edita hucusq. sunt, & tantũ nomina diuersa sint, omnino me latet. Equidem vetustatem illam, quam promictunt, sapere non videntur, cum in ijsdem memoria agatur translationis factæ sub Stefano Papa, qui vix primus esse potuit temporibus persecutionis, sed secundus, vel tertius ad octauum ferè seculũ. Nec vtiq. asserere omnes signatos fratres binomios fuisse, sicuti S. Getulius martyr S. Symphorosæ maritus, qui & Zotius dicebatur, neq; id sine alicuius vetustioris libri auctoritate affirmarem. De sanctorum martyrum translatione Tiburę Romam agit Baronius ad hanc diem. Extant adhuc vestigia dirutæ Ecclesiæ via Tiburtina milliario nono ad locum, qui dicitur corrupto vocabulo *A sette fratte* pro *ad septem fratres*, vt notat Aringhius Romæ subt. lib. 4. cap. 17. quẽ locum consummati agonis edita Acta testãtur à Põtificibus sacrorũ nuncupatũ fuisse *ad septẽ Biothanatos*, hoc est nõ naturali morte extinctos, de cuius vocis interpretatione si quis plura desiderat videat Adnotationes Rosueydi ad vetus Romanum, & Adonis M. a se editũ, Lvdouicum dela Cerda in sacris Animaduersio-

aduersionibus, & nouissimè Petrum Puricellum nostri dum adviueret amantissimum in dissertatione doctissima Nazariana cap. 27.

In Doroſtoro. Doroſtorus, siue Doroſtorũ, aut potius Doroſtolon Vrbs olim Episcopalis Mysiæ inferioris, nunc pagus in Bulgaria plurimorum martyrum ferax in anniuersarijs huius diei Tabulis plures cælites exhibet, nõ tamen eodem numero in codicibus nostris, ac alijs mſſ. libris; illi sex tantùm numerant Emilianum, Bassum, Maximum, Paulum, Secundani, & Donatam. Concinit mſ. Reginæ Sueciæ, in quo tamen postremum locum tenentes anonymi ita sunt xv. Kal. Aug. *Doroſtori in Mysia natalis SS. Æmiliani, Bassi, Maximi, Pauli cum aliis duobus*. Nec in numero diffidet Vetustissimũ Antuerpiense M. pro Donata tantũ mutato ordine Donatum retinens. In Corbeiensi adduntur Marinus, & Iustus, quos illi omnino debemus. Ex his antesignanum tantùm indicat Romanum M. cum Vsuardo, & recentioribus latinis, nempe Emilianum, cuius glorioſum certamen celebrant Græci in Menologio etiam à Baronio hac die relato, penes quem alia de celeberrimo martyre legi possunt.

In Affrica. Vndecim cœlestes athletas proferũt ex Africanæ Ecclesiæ vbertate codices nostri, in quorum serie cũ plurium martyrum nomina cũ his conueniant, qui anteacta die celebrãtur, siue Scillitani fuerint, siue Carthaginenses de repetita eorundem veneratione suspicionem mouent. Exuberat M. Sancti Villibrordi, & tredecim nominatim exprimit, addit enim Felicem, & alterum Ianuarium. Vnde mutilos hìc duobus martyribus codices nostros fateri cogimur, & pro Ianuaria Ianuariũ esse restituendum. Deficit etiam in Corbeiensi M. alter Ianuarius, sed librarij omissionẽ notat particula *item* Ianuario præposita: dum vero Felicem confirmat Crescentiani nomen emendandum videtur. & Cristinum ex fide aliorum librorum esse reponendum.

Et Fulbei Episcopi. Cum S. Episcopus Fulbeus deficiat in M. Antuerpiensi, an martyribus Africanis iungendus sit fluctuo. Præsertim cum alijs martyrologijs ignotum videam. Corbeiense Falueula vocat, & Iocundum socium addit, quod sanctos martyres esse suadet. Mirũ quod inter Africanos S. Guddenes Carthaginensis in Vetustiori nostro non memoretur, in alijs Hagiologijs celeberrima, nisi Guddinis sit xiij. Kal. Martij venerata.

XIIII. Kal. Augusti.

IN Alexandria Natalis Sanctorum Sisinni. In Antiochia Sanctorum Machidori. Lampadi. Luciani. Philippi. Petri. Torquati. In Constantinopoli Natalis S Darię. In Spania Natalis Sancti Iusti. Lugduno Galliæ Natalis Sancti Rustici Presbyteri, & Confessoris.

IVLII 19.

VM Alexãdriæ S. Sisinni memoriam recolentes codices nostri retineãt pluralem numerũ *Sanctorum* quamquam S. Sisinnium tantùm exprimant, spem fecerunt socios aliquos in alijs libris designari. Spes tamen nos fefellit. Nam præter Sisinnium, neq. Antuerpiense, neque Corbeiense M. alios commilitones exhibent. Illud quidem xiiij. Kal. Augusti. *In Alexandria Sisinni. Et Antiochia Mace-*

Macedonis, & Lampadi, Constantinopoli Daretiæ, Luciani, Philippi, Petri, Torquati. In Spanis Iustæ. Lugduno Galliæ Rustici Episcopi. Corbeiense nostris magis cõsonum est, & nonnihil vberius, non tamen in Alexandrinis martyribus. *xiv. Kal. Aug. In Alexandria Natalis sanctæ Sisinnæ. In Antiochia sanctorum Macharij, Lampadis, Luciani, Philippi, Petri, Torquati, Tinnini, Iuci. Constantinopoli Natalis sanctæ Dariæ. In Hispaniis Natalis sanctæ Iustæ. Lugduno Galliæ Natalis sancti Rustici Presbyteri, & Cõfessoris.* Notkerus quoque in Alexãdria S. Sisinnij tantum memoriam recolit, & Hieronymiano M. ferè semper innixus reliquos Vetustioris nostri cælites, vel producit, vel innuit, quando reliqua latinorum MM. cum Romano illos prætercũt.

In Antiochia. Macedonem, & Lampadium tantùm Anthiochenos martyres refert. M. Vetustissimum. Addunt libri nostri Lucianum, Philippum, Petrum, & Torquatum, & pro Macedone Machadorum exhibent. Corbeiense pro Machadoro vel Macedone Macharium legit, & supra sex enumeratos adijcit Tinninium, & Iocium, quos omnino illi debemus. Notkerus Antiochiæ Lucianum cùm socijs hac die producit. De Luciano Antiocheno, qui passus est Nicomediæ agunt Græci die 15. Octobris, & nos iam de eo aliqua adnotauimus ad diem 7. Ianuarij. Diuersum tamen ex sociorũ serie hũc esse putarẽ, sicuti à pluribus alijs qui hoc nomine in martyrol. Vetustiori memorantur.

S. Dariæ. Nullam apud Græcos in Menologijs de Daria Constantinopolitana memoriam inuenire contigit. Meminit tamen Notkerus, Maurolycius, & ms. Reginæ Sueciæ *Constantinopoli Natalis S. Dariæ. Lugduni in Gallia S. Rustici presbyteri, & Confessoris.* Verum non modo Daretiam pro Daria hìc exhibet martyrol. Vetustissimum, sed eidem Byzantinæ Vrbi tribuit, & Daretiæ succenturiat Lucianum, Philippum, & Torquatum, quos libri nostri cum Corbeiensi, & Notkero Antiochiæ omnino tribuunt, quibus vt plurimis magis videtur fidendum.

In Spania. De more aliquorum antiquorum Spania pro Hispania legitur. Anceps tamen hæsitaui an libri nostri hìc aliquantulum vitiati essent, & mutili; pro Iusta nempe matrona Hispalensi verebar, ne Iustus scriberetur, ac Ruffina socia deficeret, quòd in omnibus latinorum martyrologijs Hispaniẽses hæ duæ martyres hodiernis fastis consignentur; præsertim etiam, quòd in Antuerpiensi, & Corbeiensi non Iustum, sed Iustam adnotatam viderim. Hanc tamen Hispalensem martyrem ab Hispaniensi Iusto omnino Notkerus, ita distinguit *xiv. Cal. Augusti. In Hispaniis Natalis sancti Iusti, & in Ciuitate Hispalensi SS. Iustæ, & Rufinæ*, quarum acta deinde strictim prosequitur. Vnde ab eodem Notkero comprobatos codices nostros non mutamus.

Lugduno. S. Rusticum Lugdunensem Episcopum refert martyrol. Vetustissimum, ex quo vel consimili Maurolycius accepit, qui pariter Episcopum dicit, dũ alij Presbyterum tantùm, & Confessorem prædicant. Paruũ pariter martyrol. seu calendarium Hieronymianum ms. Lucense habet *xiiii. Kal. Rustici Episcopi.* Est quidẽ inter sanctos Episcopos Lugdunenses Rusticus, siue Rustreius, & Rusticus presbyter, & Confessor inter illius vrbis cælites, & vtriusq. meminit Theophilus Raynaudus in Indiculo SS. Lugdunẽsium, qui illius memoriã agere Ecclesiæ Lugd. calendariũ 7. cal. Maij affirmat, huius die 19. Iulij obitum notat ex Appendice ad MM. Adonis. De primo plura refert. De secundo altum in aliis silentium testatur. De Episcopo martyrolog. nostrum egit eadem die 7. cal. Maij. Decimonono tamen Iulij obijsse habẽt Sammarthani, & inter Episcopos Lugdunenses decimumquartum numerant T. 1. Gall. Christ.

In

XIII. Kal. Auguſti.

IN Africa Natalis Sanctorum Sabini. Lvciani. Petri. Amabilis. Nonnine. Saudi. Agripiani. Medaduli. Reſpectati cum alijs nũo xxiij. In Thebaida Natalis Sancti Victoris. In Damaſco Natalis Sanctorum Sabini. Maximi. Iuliani. Caſsi. Macrobi. Paule. cum alijs x. In Chorento natalis Sanctorum Cyriaci. Donati. Tertij. Appie. Felicis. Neracie. Fructi. Celſi. Theodoli. Caloceri. Partimi. Spreti. Victoris. Maximi. Paſtori. Neſtite. Pauli. Romani. Valeriani. Emili. Caſsi. Romæ Paſſeriæ. Macrini. Neſtite. Satyri. Amarini. Emili. & alibi. Secundi.

IVLII 20.

NOn niſi quatuor martyres Africæ tribuit in limine Vetuſtiſſimum S. Villibrordi M. nempe Lucianum, Petrum, Amabilẽ, & Nunninam: reliqui in noſtris, & Corbeienſi codicibus numerati, nõ modo alterius claſſis, & loci ſunt, ſed Victor Thebanus, & Sabinus Damaſcenus ita interponuntur. *xiij. Kal. Auguſti. In Africa Luciani, Petri, Amabilis, Nunninę. Et in Thebaida Victoris. In Damaſco Sauini. In Caſino Seueri, Saudi, Acripiani, Medaduli, Reſpectę, & aliorum xxii. Paſſeris, Maximi, Iuliani, Macrobi, Caſſi, Paulæ, cum alijs x. In Corintho Cyriaci, Donati, Tertii, Appiæ, Felicis, Neratea, Fructi, Celſi, Theodoli, Calori, Partini, Spreti; Item Victoris, Maximi, Marthori, Neſtita, Pauli, Romani, Valeriani, Ameli, Caſsi. Roma Paſſeri, Macrina, Veſtita, Saturi, Ametini, Secundi, Emeli.* Africanorum pugilum anteſignanus hic eſt Lucianus, ſicuti apud Bedam, & Galeſinium ex libris ſcriptis: in codicibus verò noſtris Sabinus, qui pariter in Corbeienſi hoc ordine ſuperadditur. *xiii. kal. Aug. In Africa natalis SS. Sabini, Luciani, Petri, Amabilis, Nonna, Sauoi, Agrippiani, Medaduli, Reſpectati, cum alys viginti tribus. In Thebaida Natalis Sancti Victoris, Siluani. In Damaſco Natalis Sanctorum Sabini, ... Maximi, Iuliani, Magrobij, Caſſi, Pauli, cum aliis decem. In Corintho Natalis Sanctorum Cyriaci, Donati, Tertii, Appiæ, Felicis, Neratiæ, Fructi, Celſi, Theodoli, Calori, Parthemi, Spectati, Victoris, Maximi, Paſtori, Neſtitæ, Pauli, Romani, Valeriani, Emili, Caſſi, Magni. Romæ Paſſeriæ, Macrinæ, Neſtitæ, Saturi, Amirini, Emili. Et alibi Secundi. Corbeiæ Monaſterio dedicatio Baſilicæ B. Stephani Protomartyris.* Sabinus pariter recolitur tanquam aliorum dux inter Africanos in mſ. Reginæ Sueciæ. *xiii. kal. In Africa Natalis SS. Sabin, Duciani* (pro Luciano) *Petri cum aliis numero xxviiii. In Thebaide natalis S. Victoris Corinthi natalis SS. Cyriaci, Donati cum aliis xviiii.* Ex anonymorum autem numero, qui Petro ſuccenturiantur in hoc alioquin decurtato mſ. apparet in illius authographo totidem numeratos fuiſſe in Africa martyres, quantos in noſtris: ſex nempe poſt Petrum receñſitos, & anonymos xxiij., quam numeralem notam retinent, tam libri noſtri, quam adductum M. Corbeienſe.

Saudi Agripiani. Quatuor qui ſequuntur martyres in codicibus noſtris, & Corbeienſi non Africæ, ſed peculiari loco tribuuntur in M. Vetuſtiſſimo, nempe. *In Caſino* cum anonymis xxij., ſeu vt ſupra adducti libri retinent xxiij. quinimo ante Saudum Seuerus dux præponitur, & pro Reſpectato Reſpecta legitur. Pluries diximus M. illud Vetuſtiſſimum in

aſſi-

assignandis locis accuratius videri ; in alijs enim nihil de Casino apparet. Vrbs olim erat Episcopalis Casinum, siue Casinum non ignobilis Samnij, ex cuius excisæ ruinis oppidum S. Germani emersit in Latij, Campaniæq; confinibus: memoratur Liuio, Plinio, Silio Italico, & Straboni, neq; aliam huius nominis vrbem apud Geographos inuenio. In hac passos esse adductos martyres ex illius codicis fide habemus, nec aliud addere licuit, nisi Ecclesiam, siue ædiculã S. Seueri prope monasteriũ Casinense adhuc extare. Sed licet Seuero Episcopo Casinensi dicata credatur, qui sanctitate conspicuus confessor obijt 8. Kal. Augusti, attamen Casinenses Monachi hac die xx. illius natalem celebrãt. Vnde subijt dubitare, an Seuerus in Casino alijs præpositus S. Episcopus fuerit, de quo Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ nonnulla ad hãc diẽ adducit, & rursus in Catalogo Generali ex Tabulis cœnobij Casinẽsis. Sed de martyribus agi in adducto martyrol. Vetustissimo vix dubitarem, præsertim cum post anonymos xxij. sex nominibus expressi recensentur, cum aliis anonymis x. qui tamen in libris nostris, & alijs Damasceni sunt, non Casinenses.

In Thebaide. Victorem tantum in Thebaide recolunt idem Vetustissimum M. libri nostri, & ms. Reginæ Sueciæ. Confessorem non martyrem fuisse addit Maurolycius. Siluanum socium Victori subdit M. Corbeiense alijs præteritum.

In Damasco. Cum R. martyrologio latinorum ferè reliqui Damasco martyres tribuũt, qui interpositis Casinẽsibus, siue Africanis, ijsdem annumerat, vt vidimus, martyrol. Antuerpiense; cuius vetustatem quamquam veneremur, maculis tamen, & librarorum vitijs scatere nõ dubitamus, & sicut in hoc transpositionis vitio laborare timemus, cum aliorum consona fides xvi. martyres Damasco assignet. Ita Romanum martyrol. Vsuardus, Ado, Notkerus, Petrus de Natalibus ex Vetustis Hagiologijs lib. 11. n. 197. Bellinus de Padua, Maurolycius, & ex libris scriptis Galesinius. Omnia hæc martyrologia sex martyres nominibus signant, decem absque nominibus cumulant. Nonnulla Iulianum, alia Sebinum Ducem constituunt. M. Corbeiense pro Paula Paulum exhibet, & in detrito codice spacium pro alio martyris nomine præfert, supra senarium numerum, qui in libris nostris, alijsq; editis MM. præteritus esse facile potest Passer, siue Passerius in Vetustissimo, vt suspicari licet interpolato, ante Maximum nominatim expressus.

In Corintho. Corinthiacos viginti duos martyres vnica classe includit M. Corbeinse: viginti tantùm & vnum sub eodem Cyriaco Duce numerãt libri nostri, totidemq; martyrol. Vetustissimũ. In hoc tamen duodecim sub Antesignano Cyriaco explicantur, nouem in altera turma sub Victore producuntur. Notkerus de more breuitati studens tãtum habet. *In Corynthe Cyriaci cũ alijs multis*. Magnus, qui ad viginti vnum additur in martyrol. Corbeiensi, deest tam in libris nostris, quam Antuerpiensi, sicuti in ms. Reginæ Sueciæ iam adducto. Cyriacus enim exprimitur, & Donatus cum aliis xviij. qui simul complent numerum xxi. Hi omnes in aliis quæ viderim editis MM. desiderantur.

Romæ Passeria. Quatuor tantum ex Romanis martyribus exprimit Notkerus Passeriam, Macrinum, Saturum, & Emilium. Addunt libri nostri Nestitam, & Amarinum, siue Amerinum, vt legit M. Corbeiense iisdem consonum. Sed pro Amerino Ametinũ habet martyrol. Antuerpiense, in quo ante Emilium Secundus additur, qui in Vetustiori nostro & Corbeiensi, non Romæ, sed *alibi* incerto loco tribuitur. Differentia hæc ex aliorum mss. codicum dissensu, vel consensu discerni potest, & conciliari: ex editis, qui omnino de his silent emendari nequit.

In

XII. Kal. Augusti.

IN Africa Natalis Sanctorum Victoris. Stercoris. Emiliani. Hugal. Sophiæ. Montani. In Ciuitate Cesana Natalis Sanctorum Adriani. Heli. Victoris. Patrocli. Cesariane. Adrianitis. Dimesi. Felicis. Aurili. Thymogratis. Fausti. Et in Gallia Massilia Natalis Sanctorum Victoris. Alexandri. Dotheri. Feliciani, & Longini.

IVLII 21.

QVàm valdè distat à libris nostris; alijsq. adducendis codicibus M. Vetustissimum S. Villibrordi in hodiernis fastis? Africæ non nisi binos sacros palestritas tribuit: Massiliæ totidem: Romæ plures: multos Cesenæ. Producere illud ad collationẽ de more libet. *xij. Kal. Augusti. In Africa natalis Poliæ, Stercori: In Massilia Victoris, Coronæ. Et Romę Praxedis, Emiliani, Hugalis, Saphi, Montani. Ciuitate Cesena Adriani, Heli, Victoris, Patrocli, Taesianæ, Adrianitis. Diomedis, Felicis, Aureli, Timoratis, Fausti, Alexãdri, Deuterij.* Ex his qui Romæ tribuũtur Emilianus, Hugalis, Saphus, seu Suphus, & Montanus Africani cælites sunt in libris nostris, sicuti pariter in M. Corbeiensi, tali seruato ordine. *xij. Kal. Aug. Sanctorum Victoris, Stercorij, Emiliani, Hugali, Saphi, Montani. In Ciuitate Cesena natalis sanctorum Adriani, Heli, Victoris, Patrocli, Cęsarianæ, Adrianitis, Dimeli, Felicis, Auribi, Typogratis, Fausti, Theodoti, Iuliani. In Gallia Marsilia Ciuitate natalis sanctorum Victoris, Alexandri, Deoteri, Feliciani, & Longini. Et natalis sanctæ Praxedis Virginis.* Suppetias hìc non aliunde accipere licet, cum præter S. Praxedem Romæ veneratam à M. Vetustissimo nullus ex Africanis, aut Romanis martyribus in alijs editis MM. indicetur. Cum verò bini codices nostri, & Corbeiensis in idem conueniant suspicari licet in Vetustissimo illo inter Stercorium & Emilianum interpositam ab antiquario insscio fuisse celebritatem SS. Victoris & Coronæ Massiliæ, S. Praxedis Romæ, cuius S. Virginis celebris memoria apud reliqua latinorum MM. cum in nostro, & Corbeiensi desijt, non sinit omnino acquiescere, ne Lacunam hi codices passi sint. Victorẽ Massiliensẽ martyrẽ cum socijs militibus nõ Corona infra recolũt.

In Ciuitate Cesana. Notkerus Cesenam legit, quemadmodum M. Corbeiẽse & Antuerpiense scriptum in Apographo nostro. Cæsan Ægypti vrbs est, & regio Gossen etiam vocata. Cæsana Ptolomeo est vrbs in India intra Gangẽ alijs Carnasa, & Cæsani Arabiæ Felicis populi apud Plinium. Maioris famæ Cæsena est Italiæ vrbs in Gallia Togata, siue Æmilia, Ptolemeo, & Plinio etiã vti recentioribus vocata, & ita restituẽdum puto in libris nostris. Tredecim in M. Corbeiensi Cesenates martyres sũt: adduntur enim à librario nostro præteriti Theodotus, & Iulianus. Tredecim pariter numerãtur in M. Vetustissimo; sed inter hos Alexãder, & Deuterius, qui ex aliorum omniũ fide martyres Massiliẽses sunt, Victoris, vt mox apparebit, socij. Notkerus aliquos tantùm ex his enumerat: reliqua de more generatim exprimit *In Vrbe Cæsena nat. SS. Adriani, Helij, Victoris, Patrocli, & aliorum.* Apud alios altum silentium inuenio.

In Gallia Massilia. Latius Notkerus ex Adone Acta S. Victoris prosequitur, quæ pariter apud Petrum de Natalibus prostant lib. 6. cap. 122. S. Victori militi

ſocij adduntur tres alij milites, Alexander, Longinus,& Felicianus. Dotherius alijs Deutherius puer eſt,qui ad ſepulcrum martyrum orans emiſit ſpiritum. Eleutherius Petro de Natalibus dicitur: Adoni, Notkero, & alijs Deutherius. De S.Victore Epiſcopo Maſſilienſi hac die agit Beda editus, quem alium à Victore milite dicere cogeremur, niſi facilis librarij error potius appareret. De his plura Sauſſayus habet, & Em.Baronius ad Romanum martyrol. An Coronæ nomen, quod additur Victori in martyrol. Antuerpienſi collectiuum eſt ſociorum?

XI. Kal. Auguſti.

IN Galliâ Fontanella Monaſterio depoſitio Beati Vandregiſeli Abbatis, & in eodem loco Dedicatio Baſilicæ Sancti Petri Apoſtoli, vbi ipſe venerabilis pater requieſcit in corpore. In Antiochia Natalis Sanctorum Cyrilli. Andrec. Tebelle. Auri. Sterthei. Et in Anquira Gallaciæ natalis Sancti Platonis,cuius geſta habentur. Et Militanarum Andreæ. Eliani. Aiaboſi.

IVLII 22.

ADditamẽtum Fontanellenſis Monaci ad ſegmenti diurni frontem hic agnouimus dum ſacri ſui cœnobij cælites adnotatos, in Vetuſtiori martyrol. martyribus ſuperaddit. Vvandregiſili Abbatis vitam longiori ſtilo contextam exhibet Surius T.7. poſtremæ Colonienſis editionis. Habet & Lebbeus T. 1. Bibliothecæ mſ. in qua dies obitus notatur pariter xi.Kal. Auguſti. Meminit Vvandelbertus, Romanum M.Maurolycus, & Sauſſayus. Sæculum, quo vixit, & obijt ad calcem eius vitæ notatur, anno nempe nono Vitaliani Papæ, vel vt Baronio placet vndecimo, & ſalutis noſtræ 665. Translatio itẽ ad Eccleſiam S.Petri anno 729. Plura de S.Vvandregiſilo habentur initio Chronici Fontanellenſis T.3. Spicilegij Lucæ Dacherij,vbi cap 1. n.7. agitur de ædificatione Baſilicæ S.Petri ab eodem S.Abbate conſtructæ,in quam anno 704. fuit tranſlatum, & conditum illius corpus à Baino Epiſcopo, vt habetur in eodem Chronico cap.2. cui magis videtur fidẽ dum,quam adnotatis ad calcem vitę iam adductæ S.Vvandregiſili.

In Antiochia. Et hic de tranſpoſitione, ſeu interpolatione martyrol. Vetuſtiſſimi vereri licet;non enim Antiochiæ alium martyrem præter Andream aſſignat, dum reliquos Auriciæ Ciuitate Gallitiæ cum Platone tribuit hac ſerie *xi. kal.Auguſti. Rauennæ Appollinaris. Antiochiæ Andreæ martyris. Auritia Ciuitate Gallitiæ Platonis, Cyrilli, Tebeli, Auli, Sterici, & Maxilitatorum Andreæ, Eliani, Coboſæ.* At corruptum hic eſſe vetuſtiſſimum codicem librariorum vitio pluribus conſtare poteſt. De S.Apollinare agitur ab omnibus MM. die ſequenti. Cyrillus Antiochenſium martyrum anteſignanus non modo in libris noſtris, ſed in mſ. Reginæ Succiæ ita adnotatur. *Antiochię S.Cyrilli Epiſcopi doctrina, & ſanctitate conſpicui cum alijs itij.* totidemq; adduntur nominatim in ijſdem codicibus noſtris Andreas, Tebellius, Aurius, & Sterthius. Conſonat martyrol.Corbeienſe,quam quam vitio detriti codicis deficiat Stertheus, quinimo duobus Antiochenis commilitonibus abundat.Syluano nempe, & Donato interim ſuppreſſo librarij oſcitãtia nomine

ne loci vbi passi sunt. De Cyrillo Antiocheno Episcopo plura colligit ad hãc ipsam diem Baronius, quæ repetere supervacaneũ. Cyrilli, Andreæ,& Sabelli meminit Antiochiæ Maurolycius. Notkerus addit quod in libris nostris, & & Corbeiensi desideratur, Cyrillũ fuisse Epm sanctitate,& doctrina clarum, cuius Eusebius, & Nicephorus meminerit. *In Antiochia Cyrilli Episcopi, Andreæ, & Aethebelli.* Cyrillum Episcopum martyrẽ fuisse non docet Eusebius. Sed dum persecutionis tempore cathedram tenuisse docet, verisimile reddit martyrio coronatum; neq; enim eodem capite 32.lib.7. Eutichianũ, & Caium Pontifices Romanos docet martyrium fecisse, & tamen certum est martyres fuisse. Baronius ex Actis SS. Claudij, & Nicostrati refert Cyrillum ob Xpi fidem passum in carcere Deo spiritum reddidisse.

Anquira Gallatia. Anciræ Galatiæ legendum esse non dubito, & palam est, non modo ex omnibus ferè latinorum martyrologijs,sed ex diffusis Actis apud Surium T.7.in quibus aperte dicitur Platonem martyrem nobilem ciuem in Ancyra Galatiæ fuisse, & post multa tormẽta capite cæsum, ac sepultum extra vrbem in loco,qui vocatur Campus. Hæc ea esse acta putarem, quæ in Vetustiori nostro martyrolog.extare dicuntur, vel potius ea, quæ apud Petrum de Natalibus habentur nonnihil varia, & contractiora. In illis diffusioribus habetur agonem compleuisse *Mensis Nouembris xviii.* in his affirmatur *à fidelibus magna reuerentia tumulatum xi. Kal.Augusti*. In Menologio Græcorum eius memoria celebratur pariter cum Metaphraste die 18. Nouembris, & additur, non modo ex vrbe Ancyra Galatiæ ortum duxisse, sed fratrem fuisse martyris Antiochi. De miraculis S. Platonis est S.Nili historia in septima Synodo Actione 4. Vnde quantũm emendatione indigeat Vetustissimum martyrol.hinc & ex sequentibus patet.

Et Militanorum. Maxilitatorum librarij vitio legit martyrolog. S. Villibrordi Vetustissimum. Corbeiense cum nostro ita conuenit. *xi. Kal. Aug. Natalis SS. Cyrilli, Andreę, Tebellis, Auri ..... Syluani, Donati. Et in Ancyra Galatia natalis S. Platonis, & Militanorum Andreæ, Eliani, Aioboſi. Depositio Vuandragesili Abbatis, & Confessoris.* Hos tres sacros pugiles ex Cappadocia Melitana vrbe, vel regione fuisse putarem,vbi frequens martyrum carnificina.

X. Kal. Augusti.

ROmæ Via Tyburtina mil. xviij. Natalis Sancti Vincenti. Rauenna Natalis S. Apollenaris. In Laudocia Frigiæ Natalis Sancti Minisei. Tysici. Via Acula Natalis Sancte Primitiue.

IVLII 23.

VIncentium Romanum martyrẽ via Tiburtina die sequenti recolit Romanum martyrol. cum Beda, Vsuardo, Adone, & alijs, vt ibi notat Baronius doctissimus, qui addit huic S.Vincentio dicatam Tiburi Ecclesiam fuisse. Miliario xviii. longius quam Tibur vrbs distet à Romana, passos esse libri nostri docent, quod spaciũ signat etiam Ado. Nõtkerus, qui in die celebritatis S. Vincentij Tiburtini cum Vetustiori nostro conuenit,legit *miliario xviii.* Vetustissimum martyrol. Antuerpiense, non via Tiburtina, sed Romæ tãtum Vincentium indicat. *x.Kal. Augusti Romæ Vincentii. In Phrigia Moenisi, & Sicei. Natalis Primitiuæ, Tisici, Appolli-*

naris. Nouum non est, martyres, qui in vijs Romanis ad incutiendum populis terrorem coronabantur, Romæ in antiquis martyrologijs tribui, & exempla passim occurrunt. Vnde Romæ tantum Vincentius tribui poterat, sed exactius magis additur. *Romæ Via Tiburtina*.

Rauennæ Natalis S. Apollinaris. De eo die precedēti egit martyrol. vetustissimum, in quo sine loci nota inter martyres, vel Phrigiæ, vel incerti loci etiam hac die numeratur. De S. Apollinare Episcopo Rauennate S. Petri discipulo agit in hodiernis fastis Romanum martyrol. & cum eo Beda, Vsuardus, Ado, & Notkerus. Ad diem pariter 23. Iulij. S. Apollinaris natalem refert Vetus Calendarium Fronti, & aliud Hieronymianum Lvcense ms. Acta eius extāt apud Surium Tomo 7. & cum Abdia Babilonio edita sunt Parisijs. Contracta etiam prostant apud Petrum de Natalibus, & Ferrarium, vt in notioribus immorandū nobis non sit.

In Laodicea. Prefsius vrbem Phrigiæ notant Laodiceam codices nostri, & ijsdem penè verbis martyrol. Corbeiense. *x. Kal. Augusti. Romæ via Tiburtina miliario nono decimo natalis S. Vincētij martyris. Rauennæ natalis S. Apollinaris. In Laodicia Phrigiæ natalis SS. Minisci, Tisici. Via Accula natalis S. Primitiæ. Alexādrini*. Variant nonnihil Notkerus, sed binos Laodicenos martyres confirmat. *In Laodicia Phrigiæ Minisci, & Isichij*. Siccum vocat M. Vetustissimum.

Via Acula. Via Accula duplici cc. scribit martyrol. Corbeiense, sed vt in nostro Notkerus. *Via Acula S. Primitiæ*. ita sanctam martyrem vocat non Primitiuam, vt libri nostri retinent cum Romano martyrol., & Petro de Natalibus, qui libro xj. n. 200. ex vetustis MM. non via Acula, sed Romæ hac die x. Kal. Augusti, Primitiuam virginem quieuisse docet. Aliter legit martyrol. adductum Corbeiense, in quo Priuata pro Primitiua legitur, & socius additur Alexandrinus, extra aliorum codicum fidem. Vetustissimum M. Primitiuam nullo indicato loco passionis producit, eique socios addit Tisicium, & Apollinarem. Non enim inter Phrigiæ martyres Tisicium numerat, sed Siceum, ita altero martyre abundans. An via Acula Aqula est nunc vulgo *Aqua pendente*?

VIIII. Kal. Augusti.

IN Amiternina Ciuitate miliario lxxxiij. ab Vrbe Romana via Salutaria Natalis Sancti Victorini. In Arminia Ciuitate Natalis Sanctorum Sabatie. Theozoni. Victoris militaris, qui multa tormenta passus est Emirita cum fratribus 11. Statiani. Capitonis. Siluani. Stercati. Athenogine. Caritonis. In Tyro Ciuitate Natalis Sancte Christine Virginis.

IVLII 24.

IN altero ex nostris codicibus ad calcem precedentis laterculi ita scribitur. *In Amiternina ciuitate mil. lxxxiij.* In altero verò Martiniano legitur initio hodierni segmenti. *viij. kal. Augusti. In Amiternina Ciuitate mil. lxxxiij. ab Vrbe Romana via Salutaria S. Victurini*. Hinc ambages natæ sunt; breuiatum enim nomē mil. pro militibus, & pro miliario legi potuit. Ex martyrologio Beneuentano adnotauit Holstenius in animaduersis ad martyrol. Romanum scriptum esse *Apud Amiternam ciuitatem SS. militum lxxxiii. & S. Victorini martyris*. Pluribus pro militibus acceptum breuiatum illud nomen testa-

teſtatur Notkerus, qui ait, *ix. Kal. Auguſti. Romæ natiuitas S. Victorini. In Amiternina ciuitate militum octoginta triũ.* Petrus de Natalibus ex vetuſtis MM. lib. xi. n. 201. *Octoginta tres milites paſſi ſunt in ciuitate Amiternina ix. Kal. Auguſti*. Idem repetit Ado, & ex eo Mauroly. cius, Galeſinius pariter ex mſ. martyrol. & quod maius eſt idem habet Rom. martyrol. vbi notat Baronius ex proximo Amiterni loco Aquila, tranſmiſſis monumentis, horum SS. martyrum præcipuos fuiſſe Florentium, & Felicem, quorum memoriam agit martyrol. Romanũ ſequenti die. Octuaginta tres ſacros cælites exhibet etiam martyrol. Vetuſtiſſimum, at non Amiterninos milites, ſed Armenos his verbis. *viiii. kal. Auguſti Armeniæ minore Sebaſti, Theogenis, Victoris, & aliorum lxxxiii. Romę Victorini Militaris, Aciani, Capitonis, Siluani, Stercati, Athenogeni, Cartonis. In Tyro Criſtina Virginis*. At è contra alter ex codicibus noſtris nõ niſi Amiterno Victorinum tribuit, & vrbis illius in Sabinis, ſeu Veſtinis poſitæ via Salaria, diſtantiã exprimit per numeralem notã milliariorum octuaginta. Ita ex me, libroq. meo accepit clariſſimus Holſtenius dum viueret, & adnotauit in Animaduerſis ad martyrol. Romanum ex mſ. Lvcenſi, in quo vir doctus craſſum librarij errorem emendauit *Via Salutaria*, & ſcripſit *Via Salaria*. Ita mſ. Reginæ Sueciæ retinet. *In Amiternina ciuitate mill. lxxxiii. ab vrbe Roma S. Victorini*, & omnino etiam martyrol. Corbeienſe. *ix. Kal. Aug. In Amiternina Ciuitate miliario octogeſimo tertio ab Vrbe Roma, Via Salaria, Natalis Sancti Victorini martyris. In Armenia Ciuitate natalis Sãctorum Sabbaia, Theozoni, Victoris, Militaris, Emerita cum fratribus duobus Statiani, Capitonis, Siluani, Stercati, Athenogina, Carttonis. In Tiro Ciuitate Natalis Sanctæ Chriſtinæ Virginis*. Vereor tamen ne Vetuſtior antiquarius ex Prototypo, vnde librarij, tam noſtrorum codicum, quam Corbeienſis acceperunt, ab Armenia in Amiternum, & a Victorino in Victorium errauerit partim martyres Armenos lxxxiij. in Vetuſtiſſimo M. expreſſos milites Amiterninos efficiens, partim recogitans ab vrbe Amiterno Romam per Salariã viã conſimilem milliariorum diſtantiam, ex Armenis lxxxiij. martyribus, tres tanquã erratum detraxerit, & ineſtricabile nodũ reliquerit. Si locus autem conſimili coniecturæ daretur, relinquendum eſſet, vt iacet in altero ex codicibus noſtris, & Corbeienſi, laterculi initum, & addendum ex Antuerpienſi Armenis martyribus, poſt Victorẽ militarem anonymos lxxxiij. Amiternum iam ſolo equatum tantùm S. Victorini nomen, & Eccleſiam retinet, translata in proximam vrbem Aquilam Epiſcopali ſede. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ 24. Iulij milites lxxxiij. Sipontinos fuiſſe refert ex Paſſ. SS. Florentij, Felicis, & S. Iuſtæ virginis. De S. Victorino tamen martyre, & Epiſcopo Amiternino agit die 5. Septembris cũ martyrol. Romano, Vſuardo, & alijs, ex aliqua fortaſſe translatione cum ad Aquas Cutilias paſſus ſit, & in Eccleſiam ſuam deinde ab Amiterninis fuerit trãſpoſitus. Meminit etiam idem Ferrarius, tam de militibus, quam Victorini in Noua Topographia martyrologij Romani. Amiternum fuiſſe via Salaria ex Antonino, & Tabulis Itinerarijs patet. Vetuſtius noſtrum ad diem 5. Septembris de S. Victorino ſilet.

In Armenia Ciuitate. Ita etiam legit martyrolog. Corbeienſe, niſi antiquus librarius errauerit, vrbem pro Aſiæ regione ſupponendo, vel nomen vrbis proprium detruncando. Armina Plinio Pomponio, & Solino ciuitas eſt Paphlagoniæ circa Sinopem, quam alij Armenam dicunt, alij Almenam. Arminenſes, ſiue Armeni martyres tres ſunt in libris noſtris, Sabaſtia, Theozoſius, & Victor militaris. An Sabatia nomen vrbis eſt Armeniæ, tranſpoſitum à librario inſcio, & pro martyre acceptum? Sabatha Zoſimo lib. 3. Vrbs eſt Armeniæ 30. ſtadijs à Seleucia Mediæ diſtans, forte Sabata Plinij. Sed cum vetuſtius martyrol. legat *Armenia Minore Sebaſti*. Armeniæ, &

Sebaſti

Sebasti nomen relinquendum putarem, Militarem hic pro nomine martyris accepit Dacherius in interpunctione martyrol. Corbeiensis. In codicibus nostris titulus videtur Victori appositus, qui multa passus sit. Cum verò vitiati sint, vt mox dicemus, tam libri nostri, quã Corbeiensis Victor non Romæ, sed Emeritæ Hispaniæ vrbi videtur tribuẽdus, & Victorianus Romæ, non Victor (nisi geminus Victor sit, vt in M. Vetustissimo) relinquendus. Quoniã quantauis distantia ab Vrbe, in Romanis vijs passi sint martyres, Romæ tribuuntur, vetustioris martyrol. stylo.

Emerita. Transposuit librarius ex antiquissimo codice, tam in libris nostris, quam Corbeiensi nomen Emeritæ, quod Victorem militarem virum antecedere debuerat, & nubem peperit, quam remouent martyrol. Romanum cum Vsuardo, Adone, & Notkero, qui Emeritæ in Hispania S. Victorem recolunt virum militarem, qui cum duobus germanis fratribus Stercatio, & Antinogene nobile certamen compleuerũt. Nomina tam vrbis, quam martyrum corrumpit Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 132. ex vitiato Adonis codice, & Stercatius alijs Estortius est, alijs vt Maurolycio Tercatius. Videndus Baronius in Notis, qui scriptores Hispanos adducit. Nihil autẽ vetat cum Victore militari viro preter binos germanos fratres, alios etiam incertamine commilitones adfuisse, Capitonem, Siluanum, & Caritonem à Corbeiensi, & libris nostris expressos. Menologium Græcorum ad hanc diem refert certamen *SS. martyrum Menei, & Capitonis* nullo tamen indicato agonis loco.

In Tyro Ciuitate. Nisi aliud maioris ponderis monumentum adducatur pro Tyro Thusciæ vrbe, prope lacum Vulsinum, quam edictum Desiderij Regis Longobardorum, purum Amnij frigmentum, vix Tyri nomen admicti posset in Thuscia. Fabulam anilem proinde putat Cluuerius Italiæ antiquæ lib. 2. p. 559. quã tamen fabulam admisit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Et hanc Vulsinienses suadent, vrbem Tyrum sibi quondam conterminam lacus exvndatione fuisse absortam. Ex veteri Romano M. idẽ Cluuerius affert. *ix. Cal. Aug. lacum circa Vulsinium in Italia Christinæ virginis* memoriã recolere. Insulam potius Tyri nomine in Lacu Vulsino, seu Martano admictit Ortelius ex Celso Cirtadinio. Nõ vrbem, sed locũ dixit Ado, circa lacum Vulsinium, dum Acta sanctæ Christinæ percurrit *Apud Italiam in Tyro, quæ est circa lacum Vulsinium natale S. Christinæ Virginis*. Castellum in parua insula fuisse munitissimum habet Procopius, in quo sicut Amalesuntham compulsam Theudatus Rex detinuit, ita & S. Cristinæ pater, alijque eius carnificinæ præfecti potuerunt detinere, & sagittis postremo cõfodere. Vocari insulã Bisentinã à Bisento illius oppido affirmat Ferrarius in lexico Geograhico, & in ea martyriũ S. Christinã fecisse, quod tacuit in Topographia martyrologij. Hinc potuit sacrũ virginis corpus Vulsiniũ transferri, ac ibidem venerari. Neque vrgeret Cluverij coniectura Vulsinium aliquãdo dictum fuisse Tyrum, quod ibi adhuc corpus S. Virginis seruetur, nec alia huius nominis vrbs alibi compareat, nisi Vsuardus, & Notkerus ciuitatem ita vocatam fuisse affirmarent, quibus non modo nostri codices, & Corbeiense M. consonat, sed Menologium Græcorum hac ipsa die addens Christinam fuisse *ex vrbe Tyro Vrbani cuiusdam Ducis exercitus filiam*. Cum verò eadem narrentur de alia Christina virgine Panormitana, vt idem Ferrarius animaduertit, hanc cum illa eandem esse suaderent, nisi Acta vnius alteri tributa per errorem fuerint. Tyrensem asseruari Venetijs in corpore asserit Petrus de Natalibus ad calcem Historiæ S. Christinæ lib. 6. c. 13. Sed vel pars corporis dicenda est, vel alia à Tyrensi: sicuti quæ Panormi asseruatur, & eadem putatur, vt testatur vir summus Baronius, cuius Adnotationes non adducimus. Maurolycius Siculus de Panormitana tanquam diuersa agit 6. Idus Maij.

In

VIII. Kal. Augusti.

IN Porto Vrbis Romæ Natalis Sancti Aconiti. Nonni. Passio Sancti Iacobi Apostoli Agathenis de Natiuitate sua. Et alibi Natalis Sancti Stercori. Clementis. Iuliani. Caritonis. Emeriti. Sterce. Sticiani. Et in Licia ciuitate Salmon natalis Sancti Xpofari.

IVLII 25.

AD Ostia Tiberina, vel in Portu Romano Acontium, & Nonnum tantum recolere videntur codices nostri, sed vt vereor improprio loco celebritate S. Iacobi Apostolo interpolati. Ita me dõcet martyrol. Corbeiense, in quo primo loco S. Iacobi memoria ita legitur. viij. Kal. Augusti. *Natalis S. Iacobi Apostoli. In Porta vrbis Romæ natalis S. Aconti, Nonni, Iacobi, Agathoni, Donatiui, Suanis. Et alibi natalis Stercorij, Clementis, Iuliani, Caristhonis, Emeriti, Steeei, Suiciani. In Sicilia Ciuitate Samon Cristofori martyris. In Hispania Barcellona ciuitate passio S. Cucutatis martyris.* Noluit nostros codices duobus Iacobis ornare antiquarius, & nõ nisi Apostolũ agnoscens sãctorum fastos interpolauit, & nonnihil mutilauit. Eodẽ interpositionis vitio laborare vetustissimũ M. S. Villibrordi ex adducẽdo latercvlo suspicari licet. *viij. kal. Augusti. Roma Portu natalis Canti, & Nonni. Hierosolymis Iacobi Apostoli fratres Ioãnis Euangelistæ. Iacobi Agathonis. Et alibi Stercori, Clementis, Iuliani, Caritonis, Emeriti. Senori Suiciani. In Licia ciuitate Samo natalis Christophori.* Contium pro Cantio legendum esse credere parua ab Acontio differentia sicuti alij codices retinent, & ms. Reginæ Sueciæ ad calcem huius laterculi. *In Portu vrbis Romæ natalis S. Acontii, Nonni.* Acẽtius martyr alius est ab Acontio confessore Romano, cuius vitam Petrus de Natalibus lib. xj. cap. 103. litteris consignauit. An verõ Nonnus is sit, qui S. Aurcam condidit, vt in eius actis legitur, & Hippolytus, etiam dicebatur vix crederem; quoniam alia die nempe 23. Augusti in Vetustiori nostro eius memoria agitur. Nonnus agnomen Hyppolyti pariter Portuẽsis fuit, & vt animaduertit Baronius ad diem v. Augusti Monachum significat. Vnde dubitari posset an Acontij Nonni, hoc est Monachi hìc ageretur memoria. At in antiquissimo Bucherij fragmento martyrologij. Acontius, & Nonnus distingũtur, quamvis alijs binis enumeratis socijs, forte ne ab illis disiungerentur, in alio die venerentur. Hoc est *Nonis Septembris Aconti in Porto, & Nonni, & Herculani, & Taurini.*

Passio S. Iacobi Apostoli. De tribus sub Iacobi nomine Apostolis egimus ad Indiculum Apostolorum. Iacobum Zebedei fratrem Ioãnis Euangelistæ hic omnia MM. venerantur. Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 133. eiusdem Passionis diem fuisse docet 8. cal. Aprilis, sed propter festum Annunciationis, & Passionis Dominicæ Ecclesiam statuisse, vt eius triumphi dies idem esset, ac translationis Compostellam 8. Kal. Augusti.

Agathonis. De est in libris nostris alter Iacobus, & ex fide Corbeiensis martyrologio Donatiuus, & Suauius, quos omnes cum Agathone, sine Agathene recolit in Portu Romano. Quid autem sibi velint verba illa superaddita in libris nostris *de natiuitate sua* Oedipo mihi opus est.

Et alibi. Incerti loci martyres septem sub Stercorio Duce non alibi indicatos inuenio, nisi in codicibus nostris, & Corbeiensi

beiensi, minima nominum diferentia. Et quamquam aliqua ex his martyribus cum adductis præterita die in Hispania, ex reliquorum sociorũ diuersitate alios esse putarem.

In Lycia. Romanum martyrol. cum Beda, Vsuardo, Adone, Notkero, Sãctũ Christophorum Lyciæ tribuit, sed ex his aliqui Ciuitatem Samo addunt, vt Vsuardus, & Notkerus, qui Samonem vocat. Samos legit Ortelius, & vrbem Lyciæ fuisse agnoscit. Acta S. Christophori in aliquibus castiganda profert. Petrus de Natalibus lib. 6. c. 135. de Gigantea statura eius ad xij. pedes extensa meminit, de Christo puero super homeros gestato quemadmodum pingi solet in pluribus Ecclesiis disertè egit. Alia Acta penes Surium sunt minùs improbabilia Tomo 7. ad cuius calcé ex Missali Ambrosiano Præfatio adducitur eius agoné ferè complectens, & in qua quadraginta octo millia hominum ex Gentilitate ad Christum Dominum adduxisse narratur. Contractiorem vitam habet Vicelius de SS. Ecclesiæ Dei ex Ruggero Fuldensi in cuius fine hoc addit. *De transitione per mare, & alia, quæ pinguntur, nullam Syllabam legi*. De eius tamen pictura vide Molanum aduersus Melanthonem eam irridentem lib. 2. de Hist. SS. Imaginum cap. 27. Sunt qui putent pro Hercule Alexicaco ad tollenda gentilitatis vestigia S. Christophori imaginem in templorum vestibulis appingi cæpisse. Pluribus quidem in locis ante Ecclesiarum valvas gigantea forma depictum humeris Christum infantem gestare magno baculo innixum S. Christophorum videre contingit, & vnicuiq. adhuc in diœcesi præsertim Lvcensi licebit. Sub Decio Imperatore baptizatum Anthiochiæ à S. Babila simul cum Callinice, & Aquilia, quam ad fidem conuerterat, capite truncatum docent Græci in Menologio die 9. Maii. Videnda etiam quæ adhanc diem notat Baronius.

VII. Kal. Augusti.

IN Laudiciæ Frigiæ Natalis Sancti Iouiani. Iuliani. Pantaleonis. Emili. Felicis. Marciani. Maximæ. Saturninæ. Glorioſæ. Item Emili. Et alibi Natalis Sanctorum Mutianæ, & Laudaci.

IVLII 27.

IN Phrigiæ Pacatianæ, seu magnæ Laodicea Metropolis est multorum martyrum ferax. In hac vrbe sacrorum pugilum decumanum chorum indicant codices nostri, Corbeiense verò martyrol. non nisi nouem producit, præterito nimirum Pantaleone. *vii. Kal. In Laodoecia Frigiæ natalis SS. Iouiani, Iuliani, Emili, Felicis, Martiniani, Maximę, Saturninæ, Glorioſæ, Emili, & natalis SS. Mutiani, Laudatiæ*. Deficiunt etiam Pãtaleo, & Saturnina in martyrol. Vetustissimo, sicuti & nomen vrbis Phrigiæ ita desideratur. *vii kal. Augusti. In Frigia Iouiani, & Iuliani, Emeli, Felicis, Martiani, Maxime, Glorioſę. Item Emeli. Alibi Mutianæ, & Laudaſiæ*. Duos Emilios, siue Emelios fuisse confirmat particula *item* etiam in libris nostris appositа, sicuti alterius, sed incerti loci martyres esse Mutianam, & Laudaiam, siue Laudatiam clarè docet ad verbum *alibi*, quod in Corbeiensi deest. Adrianum videtur addere Vvandelbertus, dum Emilium, & Martianum ex Phrigibus cælitibus eidẽ copulat.

copulat. Non tamen meminit Notkerus, qui etiam alterum Emilium præterit. *In Laodicia Phrigiæ Iouiani, Iuliani, Æmili, Felicis, Martiani, Maximæ, Saturnini, Glorioſę.* Confirmat aliquos ex adductis cœlitibus mſ. Reginæ Sueciæ *7. Kal. In Laodicea Phrigiæ natalis SS. Iouiani, Æmilij, Felicis, Marciani, & aliorum trium.* Addit in Animaduerſis ad martyr. Rom. Holſtenius, in alio mſ. exprimi nomina trium poſteriorum *Maximę, Saturninæ, Glorioſæ.* Pantaleonem in libris noſtris memoratum Nicomedienſem maioris famæ non eſſe, quem cum M. Romano plurimi latinorum craſtina die venerãtur, ex patria Laodicena, & ſocijs clarè pateret, niſi quis vitium librarij timeret, ex ſequenti die minus appoſitè in hunc S. martyrem transferentis. Secũdæ claſſis binos martyres neq. Notkerus, neq. alij ex vulgatis exhibent, ſicuti omnes tàm primæ, quàm ſecundæ in R. emendato martyrologio deſiderantur.

VI. Kal. Auguſti.

IN Nola Ciuitate Natalis Sancti Felicis. In Nicomedia Natalis Sanctorũ Iuliæ. Iocunde. Ianuariæ. In Sicilia Natalis Sancti Simeonis. In Ciuitate Autiſiodoro depoſitio Sancti Etheri Epiſcopi.

IVLII 27.

DE tribus ſub Felicis nomine cælitibus Nolanis egimus ad diem 14. Ianuarij Romanum M. cum Beda, & Veteribus mſſ. vt ibi notat Baronius S. Felicem Nolæ memorat cum Iulia, & ſecunda martyribus. Addit Ferrarius, in Nolana Eccleſia nihil de his inuenire potuiſſe. Notkerus putat hunc 27. Iulij eſſe diem natalem cathedræ, ſeu ordinationis S. Felicis. *In ciuitate Nola S. Felicis de ordinatione Epiſcopatus, vbi multa mirabilia fiunt.* Quod totidem verbis repetit mſ. Reginæ Sueciæ, & fortaſſe melius legit *die ordinationis*, quam *de ordinatione*. In Sacramentario S. Gregorij eſt Miſſa S. Felicis martyris, atq. Pontificis, ſed iv. Kal. Auguſti, quem Menardus putat eſſe S. Felicem Romanum Põtificem, & martyrẽ. Veritus fuiſſem, ne numeralis nota eſſet immutata in fronte celebritatis illius dici, ac legendum nõ iv., ſed vi. Kal. Auguſti, niſi Menardus alios codices adduxiſſet, qui iv. nõ vi. Kal. retineant. Suſperſedeo igitur, reliqua de S. Felice martyre dicturus infra iv. Kal. Certum hic autem eſt celebritatem indicari S. Felicis Nolani; ita enim martyrol. Vetuſtiſſimum. *vi. kal. Auguſti. Campaniæ Nola natalis Felicis. Alibi Iuſtæ, Iocundæ, & in Syria Symeonis Monachi, Ianuarii. Antiſiodoro ciuitate depoſitio Hetherei Epiſcopi.* Natalem ex plurimorũ codicum fide accipio pro celebritate ordinationis, vt alibi animaduertimus, & confirmat martyrol. Corbeienſe. *iv. Kal. Aug. In Nola ciuitate natalis S. Felicis de ordinatione Epiſcopatus. In Nicomedia natalis SS. Iuliæ, Iocundæ, Ianuariæ. In Sicilia natalis S. Simonis. In Autiſiodoro ciuitate depoſitio S. Etherii Epiſcopi, & Confeſſoris.* Abundat Simon in codicibus noſtris S. Felici ſubrogatus, & Nolæ aſcriptus, cuius cum altum apud omnes ſilentium, inueniam, ſubijt dubitare, an Simeon Syrus ſit, cuius meminit martyrol. Vetuſtiſsimum à Siculo diuerſum, vel vitio librarij repetitum ſit loco non ſuo. Multi Simones Monachi venerãtur, quorum alter iunior Armenus eſt, cuius memoriam egit martyrol. Romanum die

precedéti, & Mãtuæ quieuit anno 1018. Sed recentior quocumq. Vetuſtioris noſtri martyrol. additaméto is eſt, ſicuti & alter Treuerentis, cuius meminit Sigibertus in chronico anno D. 1015. De primo nonnulla indicauimus in Monumentis noſtris Matildæ Comitiſſæ, De reliquis infra agemus,

In Nicomedia. Vereor ne Iulia, & ſecunda, quæ in vulgatis MM. Nolæ cum S. Felice aſcribũtur, licet Secunda Iocunda dicatur, Nicomediẽſes ſint. Vetuſtiſſimum M. locũ paſſionis non indicat, & incertum *alibi* relinquit. Noſtrum, & Corbeienſe M. apertè Nicomediam dicunt, quibus ſuffragatur Notkerus, qui Ianuarium addit, & mſ. Reginæ Sueciæ his verbis. *vi. Kal. Nocomedia natalis SS. Iulia, Iucundæ, Ianuarij*. Romanum M. Nicomedienſes aliquos martyres hac die profert cum S. Pantaleone Medico, nempe Hermolaum, Hermippum, & Hermocratem, additq. Baronius Bedam hac die de S. Pantaleone Nicomedienſe agere, Græcoſq. in Menologio. At Vſuardus, Ado, & Notkerus die ſequẽti S. Pãtaleonem cũ Vetuſtiori noſtro recolunt. Codices noſtri cum Corbeiẽſi Ianuariã, etiam cum ſanctis binis mulieribus legunt, non Ianuarium, quem Syro Simeoni iungit martyrol. Vetuſtiſſimum.

In Sicilia S. Symeonis. Ita etiam retinet mſ. Reginæ Sueciæ. *In Sicilia Natalis SS. Monachi, Simonis*, vt dubiũ videatur, an Monachus nomen martyris proprium ſit, vel inſtituti. Notkerus ſeponit Monachi nomen. *In Sicilia Simeonis Monachi*, Corbeienſe M. cum libris noſtris omnino ſilet Monachum, retinet tamen etiam mſ. calendarium Hieronymianum Lucenſe *vi. Kal. Simeonis Monachi*. Cõſonant Vſuardus, Petrus de Natalibus lib. xi. n. 203. *Symeon Monachus ipſa die* (nempe vi. Kal. Auguſti) in Sicilia claruit; nec aliud addit Maurolycius alioquin Siculus. Hunc à Syro cognomento Salo, ſeu ſtulto diuerſum putarem. In Syria quidem, non Sicilia (niſi error librarij ſit) Symeonem Monachum cum Ianuario veneratur M. Vetuſtiſſimũ hac die. De Symeone Salo Romanum martyrol. meminit ad diem 1. Iulij, vbi notat Baronius, eius quoq; celebritatẽ agere eadẽ die Græcos in Menologio. At niſi ſummus vir alio Menologio vſus ſit, cõſtat ex eo, quod ex recẽſione Sirleti edidit Caniſius, eius acta, & memoriã Græcos attexere ad diem xxi. Iulij. Syrus hic fuit ex vrbe Edeſſa, & Emeſæ Syriæ pariter vrbe, in Domino quieuiſſe narratur, vt Confeſſor, non martyr dicendus ſit. Socium habuit Ioannem, non Ianuarium vt in eodem Menologio legitur, & in R. martyrologio veneratur die 21. Iulij.

Antiſiodoro. Etherium Epiſcopũ Autiſſiodorẽſem omnia ferè latinorum martyrologia hac die recolunt. De eo aliqua Baronius habet in notis, vnde floruiſſe colligitur circa annum 573. Meminit & vetus Hagiologium Franco Gallicum Lebbei, mſ. Reginæ Sueciæ, & cum libris noſtris Corbeienſe, ac vetuſtiſſimũ M. Antuerpienſe, ex quibus antiquum fuiſſe additamentum agnoſcimus.

V. Kal. Auguſti.

LAudiciæ Frigie Natalis Sanctorum Theophili. Auxentij. *In Dolo Monaſterio Depoſitio Sãſon Abbatis*. Prudenti. Philippi. Alexandri. Zotici. Beſſie. Secunde. Machari. Et alibi natalis Sanctorum Septimiæ. Auguſte Virginis. Nazariæ. Celſæ. In Nicomedia Natalis Sancti Pantaleonis. In Italia Ciuitate Mediolani Sanctorum Geruaſi, & Protaſi. Nazari, & Celſi Pueri.

Et

IVLII 28.

ET hic de more malè cautus librarius auctarium, ad oram vetustioris libri positum in latereulum intrusit, hoc est Sansonem Abbatem Dolensem, & Episcopum. Notkerus tamen, qui sæpe ex Vetustiori nostro, aut consimili venerandos martyres mutuatur, ita laciniam remouet. *v. kal. Aug. In Laodicea Phrigiæ nat. SS. Auxentii, Prudentii, Theophili, Philippi, Alexandri, Zotici, Byssiæ, Secundæ, & Macharii.* Certiores etiam nos de eadem martyrū serie reddit martyrol. Corbeiense *v. Kal. Aug. In Laodecia ciuitate Frigiæ nat. SS. Theophili, Auxentii, Prudentii, Philippi, Alexandri, Zotici, Bissiæ, Secundę, Macharii. Et alibi natale SS. Septimiæ, Augustæ virginis, Celsæ, Nazari. In Nicomedia natalis SS. Iuliæ, Secundæ, Ianuariæ, & Natalis Pantaleonis, & Sansonis Episcopi, Siluani. Mediolano natalis SS. Gerualii, Protasii, Nazarii, & Celsi pueri. Corbeiæ Monasterio dedicatio Basilicę S. Petri Apostoli.* Non tamen suis maculis caret: repetitur enim memoria trium sanctarum martyrum Nicomediensium die precedenti adnotata, quæ in libris nostris non iteratur, & Sanson Episcopus etiam minus proprio loco reponitur inter martyres. Variat martyrol. Vetustissimum à Corbeiensi, & à nostro non minimum. *v. kal. Augusti. In Frigia natalis Teofili, Eusebi, Auxenti, Septimæ, Augustę Virginis, Nicopolis, Pantaleonis. In Sicilia Consconani, Prudenti, Philippi, Alexandri, Zotici, Bissiæ, Secundæ, Machari, Nazariæ, Celsæ. Mediolano Nazari, & Celsi.* Transponuntur hic nomina martyrum, & qui Laodicenses, alijs MM. sunt, siue Phriges, Siciliæ videtur assignari, & alij incerti loci Laodicenis associari. Plurimorum codicum consensus nostris fauet, & confusa aliqua esse in Vetustissimo martyrol. suadnet, præter iam adductos, bini Reginæ Sueciæ mss. libri. Alter v. Kal. in fine, *Laodicea Phrygia natalis SS. Titi* (pro Theophilo) *Philippi, Alexandri.* Alter vberior. *In Laudicia ciuitate Phrigia natalis sanctorum Theophili, Angentii, Prudentii, Philippi, Alexandri, Zotici, Bessię, Secundi, Macarii. Et alibi Natalis sanctarum Settimiæ, Augustæ Virginis.* In Phrygia igitur, & vrbe Laodicea nouem martyres rectè in vetustiori nostro martyrol. numerātur: & alibi incerto loco quatuor, nēpe Septimia, & Augusta virgo, Nazaria, & Celsa. Harum postremas Siciliæ tribuit martyrol. Vetustissimum cum S. Coscomano, siue vt alter ms. Reginæ Sueciæ legit, Cosconiano in nostris præterito.

In Dolo Monastero. S. Samsonis Monaci, siue Abbatis, & Episcopi diffusa vita legitur apud Surium T. 7. in qua obitus eius v. Kal. Augusti signatur, & sepulcrum in Dolo Monasterio, & Episcopali ciuitate Brittanniæ minoris, vt habet etiā Vsuardus. De eo agunt omnia ferè latinorum edita martyrologia. Meminit Hagiologium Francogalliæ Lebbei, & Baronius circa annum sexcentesimum floruisse addit Sammarthani 800. signāt.

In Nicomedia. De S. Pantaleone medico, ac martyre Nicomediensi agit Romanum martyrol. cum Beda, & Græcis supra die 27. Iulij. Vbi summus vir Baronius multa de eo, eiusq. scriptoribus colligit hic non repetenda, sed Beda editionis Basilicnsis, cum Vsuardo, Adone, & Notkero, ac Vetustiori nostro martyrol. hac vigesima octaua die recolunt, & breuibus acta eius indicant. Diffusiora habet ex Metaphraste Surius Tomo 7. in quibus *Nicomediæ admirabilis, & magnus inter martyres Panteelemon* dicitur, quamuis Pantaleon vocaretur. Diuersi nominis causa redditur cap. 27. nempe vox de cœlo, quæ in fine vitæ eidem mandauit non amplius vocandum esse

Pantoleonem, sed Pantaleonem, quia plurimi per eum erant misericordiam consequuturi. Estat Hymnus Fulberti Carnotensis de S. Pantaleone tomo 3. Bibliothecæ magnæ Patrum, in quo aliqua de eius actis inseruntur, cumq. omnes Nicomediensé fuisse affirment, tam origine, quam certamine, videretur in M. vetustissimo emendandum illud Nicopoli Pantaleonis, & Nicomediæ reponendum. Plures tamen huius nominis sanctos martyres fuisse, præter eos, qui diuersis diebus vetustiori nostro martyrol. memorantur 26. Iulij, & 23. Aprilis, sacrum eius corpus plurimis in locis veneratum suadere posset. In vrbe Lvca Thusciæ Patria mea iam olim corpus in Basilica SS. Ioannis, & Reparatæ quiescere multorum sæculorum opinio fuit. Caput quidem argentea Thæca inclusum cum integri cranij conspicua parte obsculandum pijs fidelibus exhibetur die 27. Iulij, & eiusdem sanguinis ampullam inter sacra cimerlia seruant in eadem vrbe Religiosi Patres Matris Dei in Ecclesia S. Mariæ Curtis Orlandingorum. Quantis verò locis caput S. martyris veneretur clarissimis viris Henschenio, & Papembrochio adnotandum relinquo in vasto operæ de Actis sanctorum, à piæ memoriæ Bollando magnis ausibus cæpto.

Mediolani. Nazarij, & Celsi frequés inter martyres nomen est. Nazaria, & Celsa hac eadem die recoluntur. Ad diē 13. cal. Iulij aliqua de his diximus quādo Nazarij, & Celsi natalem recolit Romanum martyrol. Ibi Baronius plura exhibet, & nonnulla Molanus ad Vsuardum cum Maurolycio, & Galesinio. Hanc esse diem Passionis habetur in Actis apud Petrum de Natalibus, & Surium die 19. Iunij. Aliqua in his Ferrarius emendat in Catalogo SS. Italiæ. Nazarium, & Celsum simul venerari à Mediolanensis testis est Ado, & nos ad diem illā animaduertimus. Notkerus bis hac ipsa die v. cal. sāctos simul martyres profert, primò sub natiuitatis titulo, deinde commemorationis voce vsus. Si quis de his plurima eruditè collecta videre cupit adeat doctissimi, & dum veneret amicissimi viri Ioannis Petri Puricelli Historicam dissertationem Nazarianam Mediolani fol. editam 1656. vbi quidquid de SS. Geruasio, Protasio, Nazario, & Celso difficile occurrit, solidè discutitur.

IIII. kal. Augusti.

ROmæ Via Pueriensé Natalis sanctorum Absedi. Rufi. Felicis. Abdi. Pontiani. Niceti. Et via Portuensé inibi, eiusdem mil. vi. Natalis Sanctorum Simplici. Faustini. Beatricis. In Africa Natalis Sancti Felicis. Nicete. Postinanie. Philippi. *Trecas Ciuitate depositio Sancti Lupi Episcopi, & Confessoris*; Et alibi Natalis Sanctorum Anastasiæ. Philippi. Saturnini. Cęlesti. Patrume. Pelagie. Aurilianis Ciuitate depositio Beati Prosperi. *In Fontanella Monasterio dedicatio Basilicæ Beati Petri Apostoli*.

Portuensium

IVLII 29.

PORtuensium martyrum chorum, in duos cætus libris nostris, & Corbeiensi diuisum, vnica serie ita complectitur martyrolog. Vetustissimum S. Villibrordi. *IIII. Kal. Augusti. Romæ Philippi, Simplici, Faustini, Biatricis, Abscodi, Abdi, Pontiani, Niceti. In Africa Felicis, & alibi Niceæ. Postunaniæ, Patrunæ, Philippi. Trecas Ciuitate Sancti Lupi, Anastasi, & Philipi, Saturnini, Calesti, Pelagiæ. Aurelianis depositio Prosperi Episcopi.* Cum verò inter Athletas via Portuensi coronatos in libris nostris, & Corbeiensi nullus Philippus chorum ducat, aut inter eos numeretur, subijt dubitari an pro Philippo legendum esset ad *sextũ Philippi* via Portuensi, pro loco scilicet vbi corpora sanctorum martyrum Simplici, Faustini, & Beatricis sepulta esse refert Notkerus ex Adone IIII. kal. Augusti. Quod confirmat vetus inscriptio Lapidea ab Emin. Baronio allata. *Martyres Simplicius, & Faustinus, qui passi sunt in flumen Tibere, & positi sunt in Cœmeterium Generosi super Philippi.* De loco sexti Philippi meminerunt etiã Acta apud Petrum de Natalibus, & mss. apud Holstenium, siue Possinium in Animad. ad martyrol. Romanũ, in quibus semel dicitur *in sexto Philippici.* De cœmeterio Generosæ ad sextum Philippi diffusè agit Aringhius lib. 2. cap. 20. Romæ subterr. & meminit Æthicus, vt facile prãmo nomine mutilitato Philippum pro martyre, non cœmeterio acceperit, qui martyrol. vetustissimum scripsit. Corbeiense verò ita prostat. *iv. Kal. Aug. Romæ via Portuensi natalis sanctorum Abscodi, Rufi, Abdi, Pontiani, Diceti. Via Portuensi inibi eiusdem miliario septimo, natalis sanctorum Simplicij, Faustini, Beatricis, Magni, Donatæ. In Africa natalis Felicis, Niticæ, Postiniana, Philippi. Et alibi natalis sanctorum Anastasiæ, Philippi, Saturnini, Calesti, Patrunæ, Iocundini. Aurelianis Ciuitate depositio Beati Prosperi Episcopi, Trecas Ciuitate depositio sancti Lupi Episcopi, & Confessoris,*

Romæ via Puerense. Nil magis puerile inscius librarius scribere poterat, quam *Puerense* pro *Portuense* in adductis MM. expresso. Ms. Reginæ Sueciæ primam sanctorum martyrem classem non via Portuense, sed Prænestina ita repositi iiij. Kal. *Via Prænestina Abscodi, Rufi, Abdi, Pontiani, Nicoti. Et via Portuense inibi eiusdem milliario vi. Natalis SS. Simplicij, Faustini, & Beatricis.* Error librarij via Prænestina, pro Portuensi scribentis colligitur ex verbis illis *inibi eiusdem*, quæ Portuẽsem viam iam memoratam innuunt. Sex via Portuensi primo loco martyres numerant libri nostri; addunt enim post Abscodium, & Rufum, alium nomine Felicẽ prẽteritum à Corbeiensi, & Antuerpiẽsi mss. in quibus, vel quatuor scilicet Abscodius, Abdius, Pontianus, & Nicetius numerãtur, vel quinque cum Rufo. At vetus calẽdarium Fronti die 29. ita scriptum habet *nat. SS. Felicis PP. Simplicii, Faustini, & Beatricis.* Felicem secundum Papam depositum incoluisse prædiolum suum via Portuensi, indeq; abstractũ ab hæreticis capite in vrbe truncatum, vt refert Notkerus, facile redderet ibidem fuisse sepultum, quamquam enim acta S. Felicis in pervetusto nostro Hagiologio narrẽt illum dum adhuc esset presbyter cõstruxisse Basilicam via Aurelia, ibiq. sepultũ Anastasius etiam confirmet, in Actis tamen Liberij illum via Portuensi in suo prædio depositũ fuisse perhibetur, quod Ado, & Beda confirmant ad diem 22. Decembris in martyrol. Hadrianus, & Nicolaus Pontifices S. Felicem honore prosequti sunt, eiusq. Ecclesiam via Portuensi instaurauisse Anastasius idem testis

ſtis eſt, vt ſaltem aliquod poſt tempus ad illam Eccleſiam ſuam fuiſſe translatum hinc appareat. Facileq; eſſe potuit, vt dies natalis tranſlationis in hunc 29. Iulij incideret, cum dies obitus fuerit, vel 3. Idus Nouembris, vt Luitprandus habet, vel 4. Kal. Decembris, vt in libello præcum Marcellini, & Fauſtini à Sirmundo editi continetur, vel iiij. Idus Nouembris vt ſcriptũ eſt in adducto Hagiologio noſtro: quamquam eiuſdem Paſſio ſcriptum in fronte retineat diem *iiii. kal. Auguſti*. Ita etiam ex pluribus codicibus ad Sacramentarium Gregorij notat Menardus iv. Kal. Auguſti, ſolemnem fuiſſe diem Natalis ſancti Felicis, & hunc S. Felicem Papam ſecũdum eſſe à Conſtãtio, ex propria ſede depulſum, & martyrio coronatũ, quidquid Photius ſchiſmaticus contra omnium fidem aſſerat in excerptis ex vita S. Athanaſij n. 258.: nimirum cæcitate percuſſum, & peſte ſublatum, non martyrem occubuiſſe. Idẽ Menardus ex Bibliothecæ Corbeiẽſi mſ. martyrol. teſtatur ſcriptum eſſe. *Romæ via Aurelia S. Felicis Epiſcopi, & Martyris ſub Conſtantino* (lege Conſtantio) *filij Conſtantini*. Sed in martyrol. sãcti Hieronymi nullam fieri illius mentionẽ, ſed tantum S. Felicis in Africa, quod edito à Dacherio reſpondet, nõ noſtro. Viã Portuẽſem eãdem fuiſſe cum via S. Felicis martyris docet Æthicus pervetuſtus auctor in Coſmographia. De cœmeterio & Eccleſia S. Felicis via Portuenſi agit Aringhius lib. 2. cap. 18. Romæ ſubt. qui fluctuans, an nomen acceperit à S. Felice S. Hippolyti Portuenſis ſocio, in id tamẽ propendet, vt à S. Felice PP. ſecundo, & martyre denominationẽ acceperit. An Pontianus, qui Portuenſibus hiſce martyribus ſociatur, is ſit, qui via Portuenſi cœmeterio Pontiani nomen dederit, incertus cum eodẽ Aringhio hæreo. Equidem Pontianus Pontifex, & martyr non fuit, qui in Sardiniam deportatus in eadẽ Inſula fuſtibus maceratus defunctus eſt 3. Kal. Nouembris, vt notant Luitprandus, & Hiſt. Pontificalis. Hunc S. Fabbianus Romam adduxit cum clericis per nauẽ, & ſepeliuit in cœmeterio Calliſti via Appia, non via Portuenſi. Veriſimile putat Aringhius Romæ ſubt. lib. 2. cap. 19. cœmeterium Pontiani dictum fuiſſe à Pontiano nobili Romano, qui hoſpes fuit S. Calliſti, & aliorum pluriũ tempore perſecutionis ſub Alexandro Seuero.

Via Portuenſi inibi. In eadem via Portuenſi, ſiue S. Felicis, ſed alio loco, nempè *mil liario ſexto* Natalis SS. Simplicij, Fauſtini, & Beatricis celebratur in martyrol. noſtro, & Corbeienſi. Adnotare autẽ libet, quòd ſicuti ex veteribus monumentis ſupra diximus, locũ vbi SS. hi martyres ſepulti sũt, vocatũ eſſe ad ſextũ Philippi, vnde nomen illud Philippi accreuiſſe M. Antuerpiẽſi dubitauimus, ita milliario ſexto idẽ ſignificare, ac ad ſextũ lapidẽ Philippi ſuſpicamur. Iã vetuſtã inſcriptionẽ, quæ extat in ſacrario S. Mariæ Maioris cũ marmorea arca, vbi primum corpora SS. Simplicij, & Fauſtini iacuerunt, adduximus, addere hìc libet fragmẽtum, quod ex mſs. Bibliothecæ Vaticanæ, & Vallicellenſis attulit Aringhius lib. 2. cap. xx. noſq; pro re noſtra ex vetuſtiſſimo noſtro hædino Hagiologio deſumpſimus, vbi Paſſionẽ SS. Simplicij, Fauſtini, & Beatricis narratur, ſub finem accidiſſe perſecutionis Diocletiani, & Maximiani. Preceſſerunt ad coronam Simplicius, & Fauſtinus in Tiberi Fluuio demerſi. *Quorum corpora Dei nutu inuenta ſunt iuxta locum, qui appellatur ſextum Philippi via Portuẽſe. Tunc B. Beatrix vna cum BB. Criſpo, & Ioanne Presbyteris, & cum aliis Chriſtianis leuauerunt corpora SS. martyrum Simplicij, & Fauſtini de Fluuio, ſepelierũt ea in ſexto Philippi IV. Kal. Auguſti*. In eodem loco ſepultum etiam fuiſſe dicitur S. Beatricem, quæ fuit *eorum germana ſoror* à B. Lucina *vna cum ſuis Sanctiſſimis fratribus ibi in ſexto Philippi iv. Kal. Auguſti*. Quod anniuerſario die recurrente accidiſſe certum eſt, cum poſt coronam SS. fratrum per ſeptem menſes

S. Bea-

S.Beatrix manserit apud S.Lucinam, deinde à Lucretio carceribus inclusa fuerit, quousq; de ea cogitaret, hoc est donec sanctam à seruis præfocari idem Lucretius in carceribus iusserit, quod spacium facilè annum potuit implere. De Sanctis hisce martyribus cum Romano M. omnia ferè latinorum Hagiologia agunt hac die, quibus ita Felicem iungit Vvandelbertus iiij. Kal. Aug.

Felix, Simplicius, Faustinus, & alma Beatrix.

Præterito verò Felice, M. Corbeiēse, tribus fama claris martyribus alios binos addit, nempe Magnum, & Donatam, quos nullibi indicatos inuenio.

In Africa. Natalem S. Felicis Africani tantum exhibent hac die M. Antuerpiense, & Hieronymianum Corbeiense, in quo miratur Menardus iam adductus de S. Felice Romano nihil signatum legi. Plures in Africa sub Felicis nomine venerantur in Rom. martyrologio, & bini hoc mense Iulio, nullus hac die; præsertim cum socijs Niceta, siue Nitica, Postinania, & Philippo: quos tamen alibi assignat incerto loco martyrol. Antuerpiēse, cum reliquis infra adnotandis.

Trecas. Lacinia hæc ex ora codicis in laterculum intrusa fuit à librario, quod ex martyrol. Corbeiensi patet, in cuius fine tanquam additamentum legitur. S. Lupus fama clarus in Historijs, quod Attilam immanissimum Hungarum regē placauerit. Trecasinius Episcopus fuit, eiusque vitam breuiter percurrit cum Adone, vel ex Adone Notkerus: latiùs antiquus scriptor apud Surium. De eo plura Baronius, & alij Galliæ sacræ scriptores. Inter incerti loci martyres etiam in Martyrol. Antuerpiensi tamquam quid superadditum legitur.

Et alibi SS. Anastasiæ. Alibi seiunctim ab Africa nouem martyrum chorum, interposito S. Lupo Episcopo, refert Vetustissimum martyrol. Antuerpiense, sed ex his, in codicibus nostris, & Corbeiēsi, vt diximus, tres socij sunt S. Felicis Africani. Incerti enim loci antesignana martyr est Anastasia, cui alij quinque succēturiantur in libris nostris, sex in martyrol. Corbeiensi, addito Iocundino. Ex his aliquos ita refert mutilum ms. Reginæ Sueciæ. *Et alibi natalis S. Anastasiæ, Philippi, Saturnini, Callisti, Pelagiæ.*

Aurelianis. Omnia ferè latinorum martyrologia, quæ de proximè adductis martyribus omnino silēt, S. Prosperi memoriam agunt, Romanum imprimis cum Beda, Notkero, & Adonis Appendice, Molano ad Vsuardum, & Galesinio. Aliqua notat Baronius, ac vixisse in Annalibus habet circa annū 463. Additamentum tamen Gallici antiquarij reputo, sicuti Fontanellensis Monaci, quod de dedicatione Basilicę S. Petri illius cœnobij superadditur. Videndi sunt Sammartani T. 2. de S. Prospero 8. Episc. Aurel.

III. Kal. Augusti.

IN Cimiterio Pontiani ad Vrsum Pileatum natalis sanctorum Abdo, & Sennes. In Africa Ciuitate Tuburtulo Cesariæ natalis sanctorum Maximę. Secundę. Donatelle. Rufi. Prisci. Paternicę. Septimiæ. Optionis. Ammonici. Iusti. Iuliæ. Potamiæ. Abdis. Achenei. Item Maximi. Hospis. Donatuli. *Antisiodoro Depositio Beati Vrsi Episcopi.*

Cele-

IVLII 30.

CEleberrimi ſancti martyres Abdon, & Sennen ab antiquiſſimo tempore Romæ venerationem acceperunt, in omnibus occidentalis Eccleſiæ martyrologijs indicati. Fragmentum vetuſtiſſimum apud Bucherium habet 3. *Kal. Aug. Adon, & Sennen in Pontiani* (ſupple cœmeterio) *quod eſt ad Vrſum Pileatum*. Ita & vetus calendarium Fronti, in quo Abbon pro Addon legitur, *Die* 30. *Natalis Abbon, & Sennes*. Horum meminiſſe ingenitiuo caſu Sennis S. Hieronymi, & Rabani MM. notat Menardus ad Sacramentarium Gregorij, in quo 3. Kal. Auguſti *Natalis SS. Abdon, & Sennen* legitur, & eorum Miſſa præſcribitur. Breuiſſimè eorum meminit martyrol. Vetuſtiſſimum S. Villibrordi *iij. kal. Auguſti. Romæ Abdo, & Sennis, In Africa Maximę, Secundæ, Donatillæ, Septimæ, Optionis, Ammoni, Iuſti, Iuliæ, Potameni. Itẽ Maximæ, Hoſpis, Donatulæ. Antiſiodoro Ciuitate depoſitio Vrſi Epiſcopi*. Proximius vero ad libros noſtros martyrol. Corbeienſe. *iij. Kal. Auguſti. In cimiterio Põtiani ad Vrſum Pileatum Natalis ſanctorũ Abdon, & Sennis. In Africa Natalis sãctorum Maximæ, Secũdæ, Donatellę, Rufi, Priſci, Paternicæ, Septimiæ, Optionis, Amoni, Iuſti, Iuliæ, Poetamiæ, Abdis, Acenei. Item Maximæ, Hoſpis, Donatulæ, Siluani, Magnili. Antiſiodoro Ciuitate depoſitio Beati Vrſi Epiſcopi*. Conſonat mſ. Reginæ Sueciæ 3. *Kal. Romę. In cæmeterio Pontiani ad Vrſum Pileatum SS. martyrum Abdon, & Sennẽ ſubregulorũ, &c.* De cœmeterio Pontiani, ſeu SS. Abdon, & Sennen extra vrbẽ Romam via Portuenſe ad Vrſum Pileatum plura ex editis, & mſſ. Auctoribus cumulat Aringhius lib. 2. Romæ ſubt. cap. 19. Vbi etiã Tab. 3. ex vetuſtis illius cœmeterij ſubterrancis cubiculis amborum martyrũ imagines exhibet pileatas, ſeu potius acuto capitio, & curta chlamide, tunicaq; pellicea ornatas. Nomen præferunt à latere capitis ✠ *ſanctus Abdo* ✠ *sãctus Senna* ✠ Notatur etiam *S. Milix* à latere dextro ſæculari habitu, à ſiniſtro S. Bincẽtius, palla Sacerdotali amictus, qui SS. martyres in eodem cœmeterio ſepulti venerabantur. Diſtinguitur cœmeterium Portuenſe ad vrſum Pileatum ab alio, item ad Vrſum Pileatum nuncupatum, quòd hoc intra vrbem in exquilijs eſſet, vt alibi diximus, illud extra. Non ſtatim tamen, ac SS. martyres corpnam ſub Decio acceperũt, ſepulti ſunt in cœmeterio Pontiani, ſed primùm in vrbe, & domo Quirini ſubdiaconi ad Amphiteatrũ, deinde tempore Conſtantini ex eorundem SS. reuelatione via Portuenſi ad Vrſum Pileatum, vt diſertè refert Ado, & ex eo Notkerus. Quæ omnia diffuſiori ſtilo habemus, cum eorundem, & aliorum ſanctorum martyrio, expreſſa in Hagiologio noſtro 3. cal. Auguſti.

In Africa Ciuitate Tuburtulo Cæſariæ Ado legit *Apud Africam Ciuitate Tuburbo Lucernaria*, ex quo accepit Notkerus; qui ambo ſanctarum virginum, & ſororum Maximæ, & Donatellæ, ac illas ſecutæ puellæ Secundę fortiſſimum agonẽ proſequuntur; earundem etiam meminerunt, certamenq; breuius indicauerunt Romanum M. Beda, & Vſuardus, nullumq. alium illis ſocium, vel ſociam addiderunt. Sed in libris noſtris quatuordecim martyres adduntur nominibus explicati, ſicuti anonymi pariter xiv. poſt Maximam, Donatellam, & Secundam numerantur in mſ. Reginæ Sueciæ, vbi clariſſimus olim Holſtenius, etiã Lucenſem noſtrum codicem in teſtem adduxit. Totidem numero nominatim etiã exprimuntur in adducto martyrol. Corbeienſi. In mſ. verò Antuerpienſi Vetuſtiſſimo, non niſi nouem referuntur, deficientibus Rufo, Priſco, Paternica, Abdijs,

dis, & Atheneo, siue potius Aceneo. Pro Potamia etiã, in eo Potamienus legitur. Notkerus in duas classes Africanos martyres partitur, & post Maximæ, Donatellæ, & Secundæ recensitos agones subdit. *Item in Africa Rufi, Prisci, Paterne, Septime, Optionis, Ammonii, Iusti, Iulie, Potamia, item Maxime.* In quorum manipulo &si quatuor martyrum nomina desiderentur, discimus tamen Potamiã, non Potamienum retinere. An hi tribuendi sint Tuburbio, cum nulla distinctionis nota compareat, non negarem. Tuburbi Lucernariæ legit martyrol. Romanum ex Adone, Vsuardus enim Lucernariætantum legit, sicuti Bellinus de Padua. Hæc ciuitas apud Geographos non comparet, sicuti neq; Tuburbis, siue Tuburbum in Africa, seu Mauritania Cæsariensi; sed in Africa Mediterranea sub Archiepiscopatu Carthaginensi. Ortelius Lucernariam regionem, & Tuburbum Lucernariæ non nisi ex Adone agnoscit, & Lucernariam nonnisi ex Vsuardo. Vtrum in Mauritania Cæsariẽsi Tubscum Taciti, vel Tubusuptas Ptolomei? Ita non male scriptum esset in libris nostris *Tubusco Cæsariensi*, quod restitui posset. Nihil autem decerno.

Autisiodoro. De Vrso Episcopo meminit etiã Romanum M., Adonis Auctarium, Notkerus, & alij. In Historia Episcoporum Autisiodorensium in Bibliotheca Lebbei vndecimus numeratur, & eius vita cap. xi. strictim exhibetur, ac decessisse octuagenario maiorem 3. Kal. Augusti, sepultũ in Basilica S. Germani, floruisse autẽ tẽporibus Ioãnis Papæ, & Felicis, ac Theodorici Regis. Recolit etiam hac die Hagiologium Francogalliæ apud eundem Lebbeum; adiecisse verò S. Episcopum Vetustiori martyrol. Gallicum antiquarium non dubito.

II. Kal. Augusti.

IN Africa Ciuitate Sinnada natalis Sanctorum Democriti. Secũdi. Diunisi. Tyrsi. *Autisiodoro depositio Sancti Germani Episcopi, & Confessoris. Aunachara Episcopi de ordinatione Epãti. Augustiduno dedicatio Ecclesiæ Senioris, & Translatio multorum Sanctorum MM.*

IVLII 31.

MIrũ quantũ in loco agonis SS. MM. assignãdo distẽt inter se M. Corbeiense, codices nostri, ms. Reginæ Sueciæ, & Notkerus ab Vsuardo, Romano M. & vetustissimo S. Villibrordi. In hoc tantũ legitur. *Pridie Kal. Augusti. In Phrigia natalis Democrati, Secundi, Dionysi, Tyrsi. Autisiodoro Depositio Germani Episcopi, & Domni Amnani, vel Anenani Episcopi.* Huius vetustissimi codicis fides emendationem Em. Baronij valde confirmat, qui licet fateatur apud Bedam SS. martyres Demetrium, & socios Africæ tribui, cum apud Vsuardum, & alios legeret Synnadæ passos, restituit Synnadæ in Phrigia Pacatiana, siue Phrygia magna, in qua Synnada ingens Metropolis erat. Maurolycus ex veteribus libris legerat. *Ciuitate Synope SS. Democriti, Secundi, & Dionysi.* Magis etiam corruptè Petrus de Natalibus, pariter ex antiquis martyrologijs lib. 11. n. 206. *Democritus, Secũdus, & Dionysius martyres in Ciuitate Sũmanda passi sunt pridie Cal. Aug.* Synoda habet Bellinus. Sed in Africa Beda cum libris nostris, non modo tres in Romano M. adductos martyres asignat, sed Tyr-

sum etiam addit Notkerus. *In Africa ciuitate Sinnada natiuitas sanctorum Democriti, Secunda, Dionysi, & Tyrsi martyrum*. M. Corbeiense libris nostris cõsonat, & pro Sinnada, Cinnada ita legit *Pridie Kal. Aug. In Africa Ciuitate Cinnada, Natalis sanctorum Democriti, Secundi, Dionysii, Tyrsi. Autisiodero sancti Germani Episcopi, & Confessoris. Aunachori Episcopi natalitium, ordinatio Episcopi. Augustidunno, dedicatio Ecclesiæ senioris: & translatio multorum sanctorum martyrum.* Nec dissonat ms. Reginæ Sueciæ. *Prid. kal. Synnadæ in Africa sanctorum martyrum Democriti, Secundi, & Dionysi, Tyri in Syria Tyrsi*, & contra aliorum fidem Tyrsum diuidit à Phrigibus, vel Africanis martyribus. At sicuti in nõnullis ex adductis scriptoribus nomen vrbis deprauatum est, ita suspicari liceret, & Phrigiam pro Africa scriptũ aliquando fuisse, quòd scriptum esset Sinade pro Sinita. In collatione equidem Carthaginensi, & apud Victorem Vticẽsem Sinitẽsis locus exprimitur in Africa. Synica, & Synicensis Episcopatus in Africa fuit, cuius meminit D. Augustinus lib. 2. cap. 8. & Sinitensis tractus meminit idem Epist. 128. ad Donatum. Eidẽ Augustino Africa sanctorum martyrum corporibus plena est, vt hìc notat Galesinius, & ferè in Vetustiori nostro M. supra reliquos aliarum regionum exuberant, vt nõ difficile esset hos etiam Africæ, non Phrygiæ asserere.

Antisiodoro. Vitam S. Germani Antisiodorensis Episcopi diffusiùs scriptam à Constantino presbytero exhibet Surius tom. 7. postremæ editionis; consimilem edidit Lebbeus T. 1. nouæ Bibliothecæ duobus libris explicatam ab Hẽrico Monaco, quæ potius miracula continet. Obijt fama celebris S. Episcopus Rauennæ, vbi erat Placidia Imperatrix cum Valentiniano filio pridie Cal. Aug. vt ad calcem eius vitæ notatur. Quia verò corpus statim ad Ecclesiam suã reductum fuit, dies eius cõsummatæ peregrinationis Autissiodoro solemnis tribuitur. Septimus fuit in ordine Eps, vt habetur in Historia Episcoporum Autissiorensium cap. 7. apud eundem Lebbeum.

Aunachari. Aunarij Episcopi legendum potius esse non dubito. Anacharium, Aunarium, & Aunacharium vocatum esset notat Baronius ad diem 25. Septembris, quando eius obitus recolitur. Natalis vero Cathedræ ipsa die S. Germani pridie Kal. Augusti, veneratur ex cap. 19. Hist. Episcoporũ Autissiodorensium iam adductę, vbi plura de eo habentur. Vita quoque eius ex veteribus membranis habetur pridie Kal. Augustarũ. Floruit circa ann. 606. vel potius 573. vt Sammartani habent in 19. Autissiod. Epise. Meminit etiã ms. Reginæ Sueciæ ad laterculi finem *Aunari Epi natalitiũ ordinationis Episcopatus. Augustodunensis dedicatio Ecclesiæ Senioris, & trãslatio multorum SS. martyrum*. Quæ omnia sicuti cum libris nostris consonant, ita à Gallicis clericis addita fuisse patet.

---

kal. Augusti.

LITANIAS INDICENDAS.

Augustus habet dies XXXI.

IN Antiochia Passio Sanctorum Machabeorum vj. Fratrum cum Matre sua, qui passi sunt sub Antiochio Rege. Romæ Dedicatio primæ

Ecclesiæ

Ecclesiæ à Beato Petro constructe, & consecrate, & absolutio eius à vinculis. In Arabia Ciuitate Filadelfie Sinodos martyrum celebratur. Natalis Sanctorum Cyrille. Aquilæ. Petri. Domitiani. Rufi. Minandri vno die coronati sunt. Romæ mil. xxx. ab vrbe Natalis Sanctorum Secundine. Donatule. Secundole. Maxime. Iuste. Manandri. Profuni. In Italia Vercellis Ciuitate depositio Sancti Eusebij Episcopi, & Confessoris. In Hispania Gerunda Ciuitate Natalis Sancti Felicis martyris. In Gallia Ciuitate Beturicas Beati Archadi Episcopi.

AVGVSTI 1.

ANtiochiæ celebrem habuisse Ecclesiam sanctos martyres Machabeos cũ matre, docet S. Augustin. ser. 109. de diuersis. Antiochiã Syriæ signat Notkerus, vt ab alijs Antiochijs distinguatur, & ibi eorundem natalem diem celebrem fuisse apparet, siue inodium Antiochi tyranni, & SS. martyrum persecutoris, qui vrbi nomen dedit, siue in honorem coronatorum, vt docet D. Augustinus serm. 109. 110., qui Basilicam ibidem à Christianis excitatã, & cultam fuisse addit: & fortasse ab initio prædicationis Euangelicæ, cum primùm Christiani Anthiochiæ vocari cæperunt, vt videtur elicere Galesinius ex Nazianzeni oratione de Machabæis, festum Machabæorum apud Græcos fuit celebre. Alia martyrologia Sanctos Machabæos Ierosolymis, vbi passi sunt, venerantur, vt Maurolycius. Quia vero omnia fere de sanctis Machabæis nota sunt à multis hìc supersedimus. Antiquos Patres, qui de his scripserint, adnotauerunt Galesinius, & Baronius, qui etiam ex Iosepho Hebræo nomina septem germanorum, & matris indicat, hoc est Machabæus, Aber, Machir, Iudas, Achas, Arath, Iacob, mater verò Salamona. Solomonidem vocant Græci in Menologio Canisij, qui Kalendis Augusti pariter eorum natalem diem celebrant. Celebrisque iam erat eorum natalis non modo Nazianzeni, Chrysostomi, & Ambrosij ætate, vt ex eorũm homelijs conuincitur, sed ex Polemei Syluij laterculo apud Bollandum. Vetustissimũ martyrol. ita ab eorum natali sacros huius mensis fastos auspicatur. *Kal. Augusti. In Antiochia Machabeorum septẽ fratrum cum matre. In Tomis Cyrilli, Aquilæ, Domitiani, Rufi, Menandri, & Romæ Secundi. Et ciuitate Vercellas Natalis Eusebi Episcopi, Petri, Rufini. Item Spanis Gerunda ciuitate Felicis martyris. In Gallijs Ciuitate Biturica depositio Sarsadi Episcopi.*

Romæ dedicatio prima Ecclesiæ. De insigni hac, duplicique Romana celebritate silet M. Vetustissimum. Corbeiense verò ita nostro concinit, vt vnam tãtum, probatuq; difficiliorem indicet. *Kal. Augusti Litania indicenda. In Antiochia Passio sanctorum Machabeorum septẽ fratrum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiochio Rege. Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ, & à Beato Petro Apostolo constructa, & consecrata. In Arabia Ciuitate Philadelphia Synodus martyrum celebratur, & natalis sanctorum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Minandri vna die coronatorum. Romæ miliario trigesimo ab vrbe natalis sanctorum Secundini, Donatulæ, Secundulæ, Maximæ, Iustæ, Menandri, ... funi, Siluani, Donati. In Italia Vercellis Ciuitate, depositio sancti Eusebij Episcopi, & Confessoris. In Hispanijs Gerunda Ciuitate, natalis sancti Felicis martyris. In Gallia Ciuitate Beturicas Beati Arceladi Episcopi. In Territo-*

rio Parisiacensi, in ipso loco qui dicitur Lupera, passio sancti Iustini martyris. Notkerus, qui semper Vetustioris nostri M. vestigia premit, duplicis celebritatis memoriã in vna Ecclesia indicat his verbis. *Romæ statio ad S. Petrum ad Vincula, quã Ecclesiam ipse primus in Europa primam construxit, & consecrauit. In qua postmodum cathenæ, quibus apud Hierosolymã vinctus, & à quibus Angelica visitatione solutus est, fidelium cura positæ expetuntur, & coluntur.* De prima celebritate, hoc est prima primæ Ecclesiæ à Petro fundatæ dedicatione, eiusq; solemni die, testes etiam sunt Beda, & Rabanus in martyrologijs eisdem penè verbis, *Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ à B. Petro Apostolo constructæ, & cõsecratæ.* Quod verò prima Ecclesia à Petro dedicata fuerit, quæ à Notkero dicitur S. Petri ad Vincula, tanta dignum discussione videtur, vt ad calcem huius diei præcipua Exercitatione duxerimus, prosequendũ. Interim de alia celebritate Vinculorum S. Petri, aliquid libuit adnotare præter ea, quæ Baronius eruditissimè suo more congerit. In Sacramentario S. Gregorij *Kal. Augusti* titulus est ad *S. Petrum ad Vincula*, & in oratione prima dicitur. *Deus, qui Beatum Petrum Apostolum à vinculis absolutũ inlesũ abire fecisti, &c.* vt dubitari nequeat S. Petri vincula ea die venerari, eiusq; mirandam liberationem recoli. Addit Menardus ex codice Remensi, *& catenæ eius osculantur ipsa die*, quod repetitum affert ex codice Rodradi. In Græca Ecclesia absolutionem S. Petri à vinculis, eiusq; catenarum venerationem celebrem fuisse habetur ex oratione S. Ioannis Chrisostomi apud Metaphrastem, & Surium T. 8. siue Proc us auctor sit, siue S. Germanus, vt coniectatur Baronius. In Menologio tamen veneratio cathenæ, qua Petrus Herodis iussu vinctus fuit, recolebatur Cõstantinopoli die 16. Ianuarij in Menologio Canisij, quæ etiam 17. cal. Febr. in Menologio Basilij hoc titulo adnotatur. *Adoratio pretiosarum S. Petri Apostoli cathenarum.* Ibi verò narratur non vnã ex cathenis, sed duas, quibus S. Petrus costrictus Herodis iussu fuit, à quibusdã fidelibus repositas, & per manus traditas posteris, tandem Constantinopoli ab Imperatoribus in D. Petri ædem, Sophiæ templo coniunctam, illatas summa esse apud Christianos veneratione. E' contra ex his alteram Romam fuisse translatam, & ab Eudoxia Theodosij iunioris filia, in Ecclesia ob id constructa, repositam notat Baronius adhanc diem ex Sigiberto anno 438., ac propterea Ecclesiam illã dictam fuisse Titulum Eudoxiæ. At parùm hæc Vetustiori nostro M. lucem afferunt, cum in eo de Catenarum veneratione nihil apponatur, sed tantum indicetur celebris dies, quo Petrus absolutus fuit à vinculis, quasi vetustior celebritas in Ecclesia fuerit, quam catenarum veneratio. Sicuti enim ex Apostolicis Actis, dum Petrus in carcere detinebatur, Ecclesia incessanter præces pro eo fundebat, ita ex eius per Angelum à vinculis soluti libertatem, conceptum gaudiũ anniuersaria memoria prosequi voluisse, credere non est arduum; in quã diem postea, & repositionem cathenarum, & earundem venerationem latina Ecclesia consignare voluerit, sicuti pariter festum dedicationis primæ Ecclesiæ à D. Petro dedicatæ. Quòd enim solutio à vinculis Kalendis Augusti euenerit, probabile non est; cum potius ex Actis Apost. c. 12. constet Petrũ missũ in carcerẽ in diebus Azimorum, vt eum Herodes post Pascha produceret populo. Id autẽ à Paschate distulisse in Kalendas Augusti non videtur verisimile, dum cupiens placere Iudæis cogitabat post Pascha eum dare populo: Petrus autẽ cũ liberatus sit eadem nocte, qua productus eum esset Herodes. non longe à Paschate liberationẽ incidisse omninò dicẽdum videtur, quemadmodum docet auctor Epistolæ ad Eustochium inter Spuria D. Hieronymi 35. Vnde etiam patet ex alia causa repreheſentatiuũ hunc diẽ esse Absolutionis à vinculis Kal. Augusti,

Ita

Ita festum illud vocabatur, atque ita in Hieronymiano pervetusto Kalendario Ecclesiæ Lvcensis prænotatur. *Kal. Augusti Machabeorum. Absolutio Petri Apostoli*. Quod clarius etiam exprimitur in fragmento ms. martyrologij Bedæ nomine insignito apud eosdem Canonicos Lvcenses. *K. Augusti. Absolutio B. Petri à Vinculis, & SS. Machabeorum, Felicis.* Petrus tamen de Natalibus refert ex vetustissimo instituto S. Alexandri Papæ I. & martyris, hunc diem in honorem catenarum D. Petri esse sacratum, postquã D. Balbina eiusdem S. Pontificis monitu catenas D. Petri in carcere, vbi Romæ detentus fuerat, à Quirino patre inuentas, ipsis Kalendis Augusti in Ecclesia D. Petro dicata reposuit, & idem S. Pontifex *Festum in memoriam cathenarum Petri Calendis Augusti celebrari instituit*; quod sequenti Exercitatione vnde acceperit indicabimus. Aliter Honorius Augustodunẽsis in Gemma Animæ lib. 4. cap. 164. celebritatem hanc institutã esse refert, nempe diẽ Kalendis Augusti celebrem iam fuisse ob Victoriam Augusti, sed postquam S. Petri vincula collata sunt Romam, & Ecclesia constructa in eius honorem S. Petri ad vincula dicta ideo fuit, quia ab Eudoxia Regina in honorem Principis Apostolorum ipsa die dedicata est, & catenæ ipsius Apostoli ibi collocatæ sunt, alia ratione celebrior ilia dies euasit. In hanc sententiam propendet Baronius, & falso inniti fundamento agnoscit eos, qui hãc sententiam sequuntur. Constat enim profanum illud Romanorum festum non ob Augusti Victoriam solemne fuisse, sed ob æquestria certamina in die natalis Claudij Imperatoris, & præterea *quod ea die Martis ades consecrata fuit*, vt auctor est Dio lib. 60. In honorem quippe Augusti totus Sextilis mensis dicatus erat, non Calendæ. Vetustiorem fuisse vinculorum D. Petri venerationem Romæ, quam fuerit asportatio catenæ, qua vinctus fuit Apostolorum Princeps Hierosolymis per Eudoxiam, videtur ex D. Augustini sermone 29. de Sanctis convinci, quem in addita mox exercitatione adducemus. Sanè Ecclesiam illam ad Vincula ab Eudoxia Augusta instauratam, vel addito Titulo auctam, & ex Catenarum prodigio celebriorem redditam, & nomen ad Vincula S. Petri clarius accepisse, facile admiterem, quòd ex Tabulis Ecclesiasticis idem referat Baronius in Annal. T. 5. an. 439. nu. 7. At prius ibi Ecclesiam non extitisse non ita libenter concederẽ. In eam quippe Ecclesiam non modo catenam Hierosolymis acceptam, inditam esse, sed quę Petrum Romæ sub Nerone cinxit, à Romanis Pontificibus custoditam (prodigijs Deo cultum SS. reliquiarum Apostoli sui cõprobante) fuisse nõ detrecto. Cum enim ambæ catenæ inter se collatæ eiusdem generis, & artis inuẽtæ essent, sibi inuicẽ diuino miraculo copulari, & iũgi cõtigisse, & vnã effici potuisse nõ inficior, *& earum memoria*, vt addit Baronius *Kalendas Augusti fuisse à Romano Pontifice consecratas, in earumq.* nomen Deo Basilicam dedicatam suscipio, & ex Romano Breuiario recolo. Nihil autem vetat primum calendarum Augusti diẽ Absolutionis à Vinculis S. Petri fuisse assignatum, tunc que catenas Apostoli veneratas, & osculo etiam populorum expositas, vt diximus ex mss. codicibus: deinde addito titulo instauratam per Eudoxiam, frequentius S. Petri ad vincula vocari cæpisse, & antiquo nomine Dedicationis retento, festum in Romano M. signari optimè potuisse *Dedicatio S. Petri ad Vincula*.

In Arabia. Notkerus Vetustiori nostro M. & Corbeiensi congruit in Synodo martyrum Phyladelphiensium, *In Arabia Ciuitate Philadelphia Synodus martyrum celebratur*. Ita & ms. Reginæ Suecię *Kal. Augusti. Philadelphiæ in Arabia Synodus SS. MM. celebratur, Cyrilli Aquilæ, Petri, Domatiani, Rufi, Menandri, Posthumi vna die coronatorum. In Italia Vercellis Ciuitate S. Eusebij Episcopi, & Confessoris*. Philadelphia n-

Cæle

Cæle Syriæ vrbem cum Ptolemeo Geographi agnoſcunt. D. tamen Hieronymus, cui M. noſtrum tribuitur, de locis Hebraicis Philadelphiam vrbem in Arabia ſtatuit, & Hæbreis vocari teſtatur Rabba, vel Rabbata, & lib. 7. Cõm. in Ezech. cap. 25. Rabbata filiorũ Amon appellatam eſſe Philadelphiam Arabiæ Metropolim, Rabbath à magnitudine dictam. Quid autem Synodus martyrum ibi celebrata ſignificet adhuc delibero, cum nihil hucvſq. apud eruditos ſcriptores inuenerim. Synodi vocem ſignificare conuentum, ſiue cœtum vulgare eſt. An tanquam in Metropoli Arabiæ martyres coronandi ducebantur cateruatim, vt conuentus martyrum videretur? An feſtum aliquod omnium martyrum illius Metropolis erat, vel Natale alicuius loci, vbi plures martyres conuenire conſueuerint, vel ſimul ſepulti fuerint? Romæ equidem cœmeteria aliqua, vbi plures martyres depoſiti fuerant Concilia martyrum appellabantur. Ita Molanus notat ad diem 23. Iunij, vbi cũ Romano M. addit, Ioannem presbyterũ à B. Cornelio item presbytero ſepultum fuiſſe iuxta Concilia martyrum, ideſt vbi multi martyres ſepulti ſunt; ibi enim eſt Synodus quædam, & congregatio martyrum. Explicationẽ educit ex Gaudẽtio in ſermone dedicationis Baſilicæ Cõcilij ſanctorum, ex libro Pontificali in Damaſo, qui *martyrum concilia verſibus adornauit*, & ex geſtis S. Stephani Papæ, vbi Nemeſius *circuibat cryptas, & concilia martyrum*. Hæc autem videntur accipienda, non tam de ſepultis ibi martyribus, quam de Confeſſoribus, & martyrij candidatis ibidem immorãtibus; ſubdunt enim acta illa, *vt vbicũq. inueniſſet Chriſtianum egentem, de facultatibus ſuis ei miniſtraret*, quibus Baronius ſubſcribit, eliciens eandem vocis ſignificationem ex epiſt. D. Hieronymi ad Heliodorum 3. vbi docet Nepotianum Baſilicas Eccleſiæ, & martyrum concilia diuerſis floribus, ac arborum comis obumbrare piè conſueuiſſe. E ſancta Philadelphienſium congregatione, ſeu Synodo aliqua, qui adduntur martyres vna die coronati, reputari poſſunt, quorum ſex numerat cũ libris noſtris M. Romanũ, & cum Beda, Vſuardo, Adone, & Notkero: qui de eis ſeiunctim agens, poſt celebritatẽ Synodi ſtatim ſubdit. *Item natiuitas SS. martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri vna die ſimul coronatorum*. Poſthumum addit mſ. Reginæ Sueciæ alijs MM. præteritũ. Quid verò dicendum de martyrol. Vetuſtiſſimo in quo Philadelphienſis Synodus ſubticetur, & v. martyres Cyrillus, Aquila, Domitianus, Rufus, Menandrus, non Philadelphiæ, ſed Tomis expreſſe tribuuntur? Reliqui omnes codices repugnant, tam editi, quam mſſ. niſi forte in mſ. Reginæ Sueciæ loco Poſthumi legendum eſſet Tomis. In Badeo regia ciuitate, ſeu Vrbe Regia Arabiæ Felicis, quam cum Philadelphia idem putat Maurolycius, ſub Domitiano Imperatore martyrium feciſſe eoſdem ſex martyres hac ipſa die indicat in martyrologio.

Romę milliario xxx. ab vrbe. Mutilũ & deprauatum ſuſpicari licet hìc Vetuſtiſſimum martyrol., quod Romæ Secũdam tantùm martyrem producit, dum martyrol. Corbeienſe nouem ſacros pugiles Romanos exibet, & ſupra noſtros codices Siluanum, & Donatum addit. Dimidiatum nomen... Funi reſtitui ex noſtris *Poſuni* poteſt. Hos neque Notkerus, neq. alia mſſ., aut edita Hagiologia proferunt.

In Italia. Plana ſunt omnia de S. Euſebio Vercellenſi, & ſacris hiſtoricis notiſſima. Videndus eſt Baronius, qui non modò confeſſorem ſtrictiſſima ſignificatione, ſed martyrem etiam dictum fuiſſe teſtatur. Natalem diẽ eſſe Kal. Auguſti habetur ſerm. 70. inter opera S. Ambroſij, quinimo eidem fuiſſe reuelatum diem illam mortis futuram ex traditione additur. Eius res geſtas compẽdiosè tetigit Notkerus, & exprimit diffuſius Petrus de Nat. lib. 7. cap. 5. Eſtant Tom. 8. Surij

poſtre-

postremæ editionis binæ S. Eusebij Epistolæ de ærumnis suis,& S. Ambrosij epistola ad Vercellēses, vbi de eius vexillo cōfessionis agitur, vt potius D. Ambrosius videatur inter cōfessores, quā inter martyres referre, vt libri nostri scribunt.

In Hispania. De S. Felice ab vrbe Cęsarea Mauritaniæ Gerundam in Hispaniam profecto, vt palmam martyrij consequeretur, plura habet Baronius in Notis. De Scyllitana ciuitate oriundum fuisse narrat Notkerus, qui eius Acta nō ita strictim percurrit, & Gerundæ conditum testatur Nonis Augusti, nisi forte dicere vellet Kalendis Augusti. Differt narratio eius à Petri de Natalibus adducta historia lib. 7. cap. 9. quam cum ex Adonis martyrol. profiteatur excerpere, affirmare nos cogit, illum Adonis diuersum codicem habuisse ab edito, & communi, & emendatius legere, diem consummati agonis fuisse calendas Augusti, non Nonas. Videantur acta S. Emeritæ apud Bollandum die 12. Febr. & quæ nos diximus ad diē 16. eiusdē mensis.

In Gallia Ciuitate. Sunt qui Archadium,& qui Arceladium vocent, vt martyrol. Corbeiense. Sarcadium dicit Vetustissimum,& forte legendum est *S. Arcadi*. Quo nomine signatur in Patriarchio Bituricensi scriptoris anonymi T. 2. Bibl. Lebbei cap. 22. vbi plura de eo cumulantur,& cathedram tenuisse docetur ab anno 540. ad 545. Meminerunt Notkerus, vetus FrancoGalliç Hagiologiū, & recentiores sacræ Galliæ scriptores.

De Prima Romæ à D. Petro dedicata Ecclesia.

EXERCITATIO XI.

PRimam primæ Ecclesiæ in Romana vrbe dedicationem iam vidimus in vetustiori Martyrologij nostri binis codicibus, ac Corbeiensi ms. designatam kal. Augusti, sicuti in editis apud Bedam, & Rabanum. Quæ nam verò fuerit Ecclesia non exprimitur, nisi apud Notkerum, quem ex antiquis traditionibus, aut monumentis excipisse par est credere. Expressè igitur Notkerus asserit Ecclesiam Romæ S. Petri ad vincula nuncupatam, ab eodem in Europa primam fuisse constructam, & consecratam. Et re vera emendatum Romanum M., quam quam non doceat Ecclesiam S. Petri ad vincula primā fuisse à D. Petro in Europa, vel in Vrbe consecratam, eiusdem tamen ita dedicationem recolit *Romę in Exquilijs dedicatio S. Petri ad Vincula*, quæ verba si conferantur cum ijs, quæ habent, tam adducti codices nostri, quam Corbeiensis, & ex æditis Beda, & Rabanus, iam dedicationum S. Petri ad Vinculæ primam fuisse à Petro in Europa, vel in vrbe Roma celebratam educitur; cum in Romano nomē dedicatæ Ecclesiæ exprimatur, in alijs primò à D. Petro consecratæ Ecclesiæ memoria hac ipsa die recolatur. Nec Ado, & Vsuardus ab Em. Baronio adducti lucem pro dedicatione S. Petri ad vincula afferunt, cum vterque tantùm non signata dedicatione memoriam stationis, seu celebritatis illius Ecclesiæ hac die Kal. Augusti innuat. *Roma ad S. Petrum ad Vincula*. Bellinus de Padua, ac Maurolycius eadem penè habent. *Romę Sancti Petri ad Vincula*. Galesinius rationem celebritatis addit, dum miraculum connexionis catenarum ex Sicardo, Beletho, & alijs producit. Sed altiùs hæc repetenda sunt. Temporibus Apostolorū Christianos Ecclesias habuisse dubitandum non est, cum passim, tam in Apostolicis Actis, quā in D. Pauli Epistolis Ecclesiæ memorentur, sub duplici significatione,

nempe

nempe pro fidelium communione, quæ Ecclesia etiam Sanctorum dicebatur, & pro domo, seu Ecclesia manufacta ad instar templi, in qua fidelis populus ad sacrificandum, orandum, prædicandum, baptizandum, conueniret. Vnde in Apostolorum Actis cap. 23. dicitur illos constituisse *per singulas Ecclesias presbyteros*, & D. Paulus 1. ad Corinth. exprobrauit ijsdem contemptum Ecclesiæ Dei, quòd in illis tanquam in proprijs domibus manducarent, & biberent: ac rursus præcepit, vt *mulieres in Ecclesijs taceant*. Ita ad Timotheum cap. 3. scribens monet, quomodo debeat conuersari *in domo Domini, quæ est Ecclesia Dei viui*. Manufactam, seu domesticam aliquam Ecclesiam Romæ fuisse, postquam ibi sedem posuit, & verbum annunciauit Petrus Apostolorum princeps, nemo negaturum esse arbitror. Sanè D. Paulus ad Romanos cap. 16. scribens è Cenchris apud Corinthum iuxtà Baronij computum anno Christi 58. inter plures sanctos Romæ degentes salutari mandat Priscam, & Aquilam illustres confessores, *& domesticã Ecclesiam eorum*. Quamuis autem alias Romanæ vrbis Ecclesias expressè non memoret, videtur tamen in illis verbis alias innuisse. *Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli domo. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & Sororem eius, & Olympiadem & omnes qui cum eis sunt sanctos*, vt præter domesticam Priscix, & Aquilæ Ecclesiam, alias saltem quatuor designare videatur. *Omnes enim*, vt Theodoretus per interpretem docet, *vt est verisimile, suos domesticos summam, & absolutã virtutem docuerant, & diuina mysteria intus promptè, & alacriter peragebant*. Sed idem Paulus Apostolus in Epistola ex vrbe Roma ad Philippenses data cap. 4. aliam innuere videtur Ecclesiam in domo, cuius is hospes erat: inquit enim. *Salutant vos, qui mecum sunt fratres*, ad synaxes nempe sacras de more peragendas. Verba siquidem in Epistola ad Romanos *Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia*, D. Ambrosius, Syrus, & Græcus interpretes cũ Pagnino nostro legũt. *Caius hospes meus, & totius Ecclesiæ*. Facile enim est Apostolos hospitũ suorũ domos in Ecclesias cõuertisse, & Fideles ad Apostolos ibi hospitãtes ità cõuenire cõsueuisse, vt Ecclesiã, siue congregationẽ ibi facerent. Vnde per interpretẽ Theophylatus in epist. ad Romanos de domestica Ecclesia Priscæ, & Aquilæ, inquit. *Horum itaq. domum Ecclesiam dixit, nec solum quia Christi fidem exceperãt, sed quia hospitio credentes admitterent*, vel vt Oecumenius interpretatur, *quia omnes domestici fideles erant, vt iam domus esset Ecclesia*. Ita, & de Aristobolo explicat Sedulius. *Aristobulus iste intelligitur congregator fuisse fratrũ in Christo*. & Primasius D. Augustini discipulus domesticam Ecclesiam ita exponit. *Ostendit in quacumque loco collecti fuerint fratres Ecclesiam esse*. At quid dicendum de domo Cæsaris, cuius D. Paulus meminit in Epistola ad Philippenses ex Vrbe scripta cap. 4. his verbis? *Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti, maximè autem, qui de Cæsaris domo sunt*. An in domo Cæsaris erat Ecclesia? vel Cæsar alius erat à Nerone, sub quo data est Epistola, anno nempe Christi sexagesimo iuxtà Baronij æram? Omnes ferè illius loci expositores palatinos, seu in officio Imperatoris positos fuisse accipiunt. Ita idem Primasius interpretatur *de officio Cæsaris multos fuisse conuersos*, & Imperatoris familiam prædicationẽ attigisse, ac eos qui in Regia diuersabãtur cæteris rebus contemptis Christum Dominũ sectatos esse, ibi docent Theodoretus, & Theophylactus Initio nascentis Romanæ fidei per D. Petrum annunciatæ sub Claudio, & non dum repressæ, facile est toleratas fuisse Ecclesias, seu fidelium congregationes, & de aliquibus domibus Romæ infra patebit, sed in ipso Cæsariano palatio fideles cõue-

nisse

nisse, & Synaxes peregisse durum est credere. Vnde pro domo Cæsaris legit Oecumenius *ex Cæsaris familia*, quemadmodum etiam interpretatur Paguinus noster. Conspicuæ virtutis, & fidei Cæsareanos illos aulicos fuisse, sanctitatis nomen declarat, vt D. Ambrosius animaduertit. Cæsarianis equitibus D. Petrum palam Verbum Dei annunciauisse, ac ab illis susceptum auctor est Clemens Alexandrinus vetus, & grauis scriptor ad calcem Commentarij in primam D. Petri Epistolam T. 1. Bibl. PP. Ibi enim non modo illius prædicationis meminit, sed Petrũ à Cæsarianis rogatum eisdem Euangelium à D. Marco scriptum dedisse, ita testatur. *Marcus Petri sectator, palam prædicante D. Petro Euangelium Romæ coram quibusdam Cæsareanis equitibus, & multa Christi testimonia proferente, petitus ab eis, vt possent, quæ dicebantur memoriæ commendare scripsit ex his Euangelium, quod secundum Marcum vocitatur.* Hos autem Cæsarianos equites, in cuius gratiam Petrus Apostolus Euangelium dictauit, cũ iam fideles, & perfecti valde essẽt probabile etiam valde est propriam, ac non longe à Palatinis ædibus domum, & Ecclesiam habuisse. Iam vero Euangelium illud sub Claudio scriptum, nec diu post aduentum Romam Petri Apostoli, videtur ex Eusebio elici posse, qui in Chronico docet, Marcum Roma Alexandriam profectum, Euangelium à se Romæ confectũ ibi adnuntiare cæpisse tertio Claudij anno. Vnde vel eodem tertio, vel secundo anno Cæsarianos equites Euangelium à Petro accepisse constaret. Hos tamen sanctos Cæsarianos equites, sub initium Claudij imperantis, alios putarem à domesticis Cæsaris, seu fidelibus è domo Cæsaris, quorũ D. Paulus meminit in Epistola ad Philippenses; videtur quippe ad regnantem Cæsarem respicere, cũ inquit *de domo Cæsaris sunt*, immutatis nẽpe de more sub nouo principe domesticis, aut deinde per summam inhumanitatem deletis, vt refert Suetonius cap. 35. Cum vero epistola illa iuxta computum Baronij, ac Cornelij Romæ scripta fuerit anno Christi sexagesimo, seu Neronis anno sesto, Cæsarianorum verò equitum conuersio inciderit in annum tertiũ Claudij, & Christi quadragesimũ tertiũ, vel quartum ex longiori temporis quatuordecim circiter annorũ interuallo, eosdẽ fuisse minus verosimile redditur, sicuti diuersos esse officij diuersitas conuincit, dum illi Cæsariani Equites, hi Palatini, seu è domo Cæsaris familiares designantur. Hos verò ex Lini de S. Paulo historia à Fabroex antiquis codicibus edita à D. Paulo conuersos ita habemus. *Concursus quoq. multus de domo Cæsaris fiebat ad eum credentium in Dominũ Iesum Christum, & augumentabatur quotidie fidelibus gaudium magnum*, inter quos (si vlla fides apocrypho scriptori) Patroclus fuit Neronis pocillotur à D. Paulo suscitatus à mortuis, dũ verbũ salutis, obdormiendo audiens ex alto lapsus interijt. Ecclesiam, seu fidelium conuentũ D. Pauli tunc fuisse ad Horrea, ibiq; fideles cõuenire, vbi Apostolus morabatur, eadem narrat historia. Vbi horrea hæc essent, cum frequentissima indicentur apud sextum Rufum, & P. Victorem in quacumque regione, difficile est coniectare. In via lata, D. Pauli conductam domum, in Actis Apostolicis memoratam fuisse, ex veteri traditione Baronius affirmat T. 1. annalium. Verùm quam quam Petrus, & Paulus vnanimiter Romæ fidem Christi vulgarent; Petrus tamen multo ante Paulum semina verbi Romæ iecerat, & in aduentu Pauli iam ex vrbe fideles in eius occursum processerant, & Romana fides in vniuerso orbe, ipso assistente gentium doctores, celebris erat, vt dubitandum non sit primas Romæ Ecclesias à Petro fuisse fundatas. Cum vero non ex Apocrypho scriptore, sed ex grauissimo Clemente Alexandrino didicerimus, initio suæ prædicationis, & aduentus Romam Apostolorum principem Cæsarianis equitibus non modo Euangelium nunciauisse, sed per Marcum scripsisse, facilius est domum sacram illis etiam ad conuentus, & Synaxes dedicauisse prope illorum excubias, vnde

non facile digredi poterant. Exquilinus collis talis ab initio erat: ab excubijs enim nomen traxisse Ouidius primo fastorum luculentissimus testis est. Incipiebant Exquiliæ ex Pomponio Læto à templo S. Petri ad Vincula, & protẽdebantur vsq. ad Ecclesiam S. Crucis, inde ad Thermas Diocletiani, & circumeundo includebant S. Mariam Maiorem, & S. Praxedem vsque ad S. Petrum eundem ad Vincula, spacium nempe quatuor millium passuum. vt ex Merula notat Panciro-lus in Notitia Imperij Occidentalis p. 169. In hac Quinta regione Exquilina P. Victor reposuit Stationis Cohortis vij. Vigilum, vel Cohortes vij. Vigilum, & Amphiteatrum Castrense sextus Rufus: turrim militiæ alij, qui res Romanas vetustiores rimantur. Cæsarianos equites ibi stationes habuisse facile est credere, dũ sub Claudio cohortes equitibus constabant, id docente Suetonio in Claudio cap. 25. *Equestres militias, ita ordinauit, vt post Cohortem, alam: post alam tribunatum legionis daret.* At cum latior hæc regio esset, duosq; montes includeret, vt ex Varrone educit Blondus lib. 1. locus vbi Ecclesia S. Petri ad Vincula conspicitur, tertiæ potius regioni ascribebatur, & in Carinis fuisse Blondus idem existimat, & cum eo recentiores alij, qui Romana rudera repastinant. Ibi Curiam veterem Blondus agnoscit, in ea nempe Carinarum parte, vbi fornices maximi, inter ruuinarum vastitatem contra Colosseum, apud Ecclesiam sancti Petri ad Vincula conspiciuntur, Thermasq; Titi statuit vbi ruinæ sunt à S. Mariæ Nouæ Monasterio ad Colosseum. Vbi enim Colosseum est, siue amphiteatrum stagna Neronem construxisse infra patebit. Carinas è regione, & ad conspectum Palatij positas fuisse ex Cicerone orat. de Haruſp. habetur, dum Clodium in ipsius Ciceronis, ac Pompeij domo designasse dolet *in Carinis ædificare alteram porticum, quæ Palatio responderet.* Nero antequam ex Turri militiæ incensam vrbem spectaret, domum quæ eodem incendio perijt, habuisse ex Palatino monte ad Carinas extensam, Antiquarij docent, adductus Blondus præcipuè. Iure ergo merito, siue sub Claudio pro Cæsarianorum Equitum commodo, siue sub Nerone pro Cæsaris familiaribus, non difficile fuisset Petrum domũ aliquam ad conuentus, & synaxes in Exquilijs, vel Carinis elegisse, quã etiam in Ecclesiam consecrauerit. Per humanam siquidem prudentiam D Petrum locum quoque elegisse, vbi ex populorum, & nobilium frequentia in plebem Euangelium facilius diffunderetur, facile est credere. Certè D. Paulus ad vrbem accessurus Philemoni scripserat; *Præpara mihi domum.* Ibiq. D. Hieronymus addit. *Venturus ad Romanam ciuitatem, prædicaturus Crucifixum, & inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros, & necesse erat primùm, vt domus esset in celebri Vrbis loco, ad quam facile conuenirent, deinde ab omni importunitate vacua, & ampla, quæ plurimos caperet audientium, nec proxima spectaculorum locis, nec turpi vicinia detestabilis.* Quidni consimilem locum pro prima dedicanda Ecclesia D. Petrus elegerit. In Exquilino colle nobiliorum plurimæ ædes, & ad eius radices ex patricia gente illum inhabitante nuncupatus Patricius vicus in erat. Peregrinos etiam ibi hospitari cõsueuisse, vel proximo Viminali Colle ex Iuuenalis satira 3. educitur, dum nimium exterarum gentium confluxum ad vrbem exagitans ille cecinit,

Exquilias, dictumq. petunt à vimine collem,
Viscera magnarum domuum, dominiq; futuri.

Nil igitur mirum est, si in Exquilijs D. Petrus primam domum elegit, & glisscente Christiana fide ibi primam Ecclesiam dedicauit. Sin vero imperante Claudio id factum sit, sacra domus, siue Ecclesia potuit sub Nerone conflagrare, vel in Auream domum ab eodem deinde constructam computari, quandoquidem testãte Suetonio cap. 3. *Domum à Palatio Esquilias vsque fecit, quam primo Transitoriam,*

fitoriam, mox incendio absumptam Auream nominauit, enormem hanc quidem, ac illa maiorem, vt idem Suetonius describit. At morem fidelium fuisse scimus, Ecclesias, vel primarum persecutionum tempore, vel etiam in Diocletianea vastitate dirutas, semper cum licuit restaurare, quin etiam non dirutas ampliare. Quapropter Eusebius cap. 1. lib. 8. Hist. de antiquis fidelibus, ait, *Priscis aedificijs iam non contenti in singulis vrbibus spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias.* Sed de dirutis, inter quas poterat prima à D. Petro dedicata Ecclesia computari, estat edictum Maximiani Imperatoris, ab eodem Eusebio relatũ ad calcem ipsius libri octaui, in quo ita easdem restaurari conceditur: nimirum libentissimè indulgens, *vt omnes Christiani aedes suas, in quibus conuentus peragebant, denuo instaurare possint, ita vt nihil contrarium disciplinae suae facere cogantur.* Nec dubitandum est cum licuit Ecclesiam ab Apostolorum Principe primùm dicatam, quovis modo diruta esset, restaurare fideles *priscos* curauisse in tanti collati muneris memoriam. Verum non statim, ac probatum est, primam in Exquilijs Ecclesiam à D. Petro constitutam, ac consecratam, sequeretur eam esse, quæ S. Petri ad Vincula nuncupata fuit. Plures in eadem etiam regione Ecclesiæ sunt, quæ huiusmodi decus sibi vindicant. Nec mè latet à Baronio eruditissimo domum Pudentis Senatoris, quæ ad radices Viminalis collis prope Exquilias erat, Apostolis hospitalem fuisse, vnde illis opportunitas eadem esset Cæsarianis equitibus Euangeliũ prædicandi, ac ad Christianos conuentus alios etiã è domo Cæsaris suscipiendos. At cum Pudens Senator non Petri, sed Pauli discipulus dicatur in Actis S. Praxedis filiæ, quæ ex Adone refert Surius ad diem 21. Iulij, & idem repetitur in Actis S. Pudentianæ, seu Potentianæ ad diem 19. Maij, recentius nonnihil Christianam fidem amplexatum esse dicendum videtur, nempe post Pauli aduentum Romam. Clarum autem est ex epistolis Pastoris, & Timothei presbyterorum, ac fratrum earundem SS. Pudentianæ, & Praxadis, Nouatianas, siue Thimotinas Thermas non esse, nisi sub Pio Pontifice ad vsum fidelium dedicatas, hoc est iuxtà Baronij chronologiam anno Christi 162. ipsius Pontificis Quinto. Tunc enim in Ecclesiam mutatas post mortem Nouati, & Pudentianę, apparet ex epistola Pastoris nomine Timotheo fratri directa, & à Baronio ibidem adducta his verbis. *Eodem tempore Virgo Domini Praxedes accepta potestate rogauit Beatum Pium Episcopum, vt in Thermis Nouati, quę iam in vsu non erant, Ecclesiam dedicaret, quia in eis adeficium magnum, & spatiosum videbatur esse, quod & placuit Pio Episcopo, & dedicauit Ecclesiam in Thermis Nouati.* Recentior vtiq; dedicatio hæc fuit, quàm à D. Petro Apostolorum Principe peragi potuerit, nec alioquin dedicationem ab eodem Petro celebratam infringeret. Obstaret quidem Baronij summi viri auctoritas, qui in Notationibus Romani M. ad diem 19. Maij affirmat. *Maiorum firma traditione praescriptum esse, domum Pudentis Romae fuisse primum hospitium S. Petri Principis Apostolorum, illicq; primùm Christianos conuenisse ad Synaxim coactam Ecclesiam, vetustissimumq; omnium Titulum Pudentis nomine apellatum, qui item & Pastoris nomine dictus reperitur, hodie vulgo Ecclesia S. Pudentiana nuncupatur*. Obstaret profecto tãti Viri assertio, nisi contra Ado, & Notkerus starent, qui non Petri, sed Pauli discipulum ex vetustioribus, vt par est credere, Actis, Pudentẽ fuisse diserte testantur. Stat fides etiam per vetusti codicis nostri Passionalis, in quo acta Pudentis, & filiarum à Pastore presbytero, vt elicitur ad alium quendam D. Pauli Apostoli discipulum, scripta hæc inter alia præferunt. *Hic* (Pudens nempe) *in domum suam studio sancto Ecclesiam sanctificauit, & per nos peccatores dedicauit, vbi titulum nostro nomini constituit in Vrbe Roma, quà appellatur in Vico Patricij. Hic Pudens*

doctus à B. Paulo, qui te docuit, & enutriuit. Stant quoque contra Emiuentiſs. Viri ſententiam adducti Notkerus, & alij Vetuſtioris Martyrologij codices, ex quibus primam à D.Petro Eccleſiæ dedicationem S.Petri ad Vincula fuiſſe deducitur. Et quamvis nihil vetaret, Pudentem cum filijs, tam Petri, quam Pauli fuiſſe auditorem, cũ à Paulo doctũ affirment veteres codices, & ſcriptores, ex primis diſcipulis, qui Romæ Petrum audierint, & ſuſceperint iam non fuiſſe videtur dicendum. Nec tamen negarem deinceps Petro Apoſtolorum Principi familiarem ita euaſiſſe, vt ab eo ſacrum illud in Muſiua tabella monumentum acceperit, quod adhuc græcis characteribus nomine Petri Hebrei ſignatum in Eccleſia S. Praxedis ſeruatur. Vidit illud, & graphicè expreſsit celeberrimus Epiſcopus Lindanus in Apologetico libro pro S.Petri Lithurgia cap. 17. his verbis. *Tã erat Pudens iſte D.Petro carus hoſpes, vt ipſi tabellam donauerit, quę Domini IESV effigiem habebat non coloribus depictam, ſed opere Muſaico teſſulatam, cuius fragmentum etiamnum hodie ad D.Praxedis (quæ eiuſdem Pudentis filia fuit) videre eſt. Verum ipſa facies Domini, ſublatis ſpectantium peregrinorum pia cupiditate teſſerulis, eſt conuulſa, imò tota reuulſa, relicto tamen Dominicæ faciei veſtigio, quod Dominum Chriſtum oblonga, non craſſa, ſed macilenta, & tenui fuiſſe facie conteſtatur, vt & veriores paſſim Romæ, alibiq. ipſius loquuntur effigies.* Ex hoc tamen in Eccleſia S.Praxedis inſigni ſeruato monumento dubitare licet, qualis fuerit, & vbi domus Pudentis: nec ita videtur apertum, ſicuti an Titulus Paſtoris idem fuerit cum Eccleſia à S. Pio Epiſcopo in Thermis Nouati dedicata. Acta quidem S Pudentis, & filiarum, ex quibus Adonem, Notkerum, Petrum de Natalibus, & alios accepiſſe, & in compendium redigiſſe apparet, cum Epiſtolis à Baronio ad annum Chriſti 162. ex plurium codicum collatione adductis, in omnibus non conueniunt. In illis ex noſtro pervetuſto codice paſſionali dicitur, domum Pudentis fuiſſe in titulum erectam ab ipſo Paſtore præsbytero, non à Pio Pontifice, idq; viuente adhuc Pudentiana, Praxadis ſorore. In eodem verò loco, vbi Titulus dicatus fuerat, rogantibus ijſdem ſanctis ſororibus à B. Pio Pontifice, additur Baptiſterium eſſe deſignatum, & conſecratum, vbi conuentus plurium Chriſtianorum deinde eſſe cœpit, & vbi nonaginta duo ex familia Pudentianæ, & Praxedis baptiſmum ſuſceperunt. In epiſtolis autem à Baronio adductis diuerſa continentur. Primùm S.Praxedem ſeiunctim à Nouato fratre domum incoluiſſe. Poſt mortem quippe Pundentianæ ſororis Nouatum fratrem ad eam veniſſe narratur, & poſt duos fere menſes Praxedem cum S. Pio ad Nouatum ipſum ægrotantem acceſſiſſe, ac in eius domo ſtetiſſe diebus, ac noctibus octo, donec die 13. ad Dominum ille tranſierit, relictis facultatibus ſuis Timotheo fratri, ac Praxedi ſorori. Nunciata hæc additur Timotheo Praxedis germano, & cohæredi à Paſtore præsbytero, & Timotheum in arbitrio ſanctæ Virginis hæreditatem omnem reliquiſſe. Ex his accidit, vt virgo Domini Praxedes rogauerit Beatum Pium Epiſcopum, vt in Thermis Nouati Eccleſiam dedicaret *in vrbe, in loco qui appellatur Vicus lateritiorum, vbi & conſtituit Titulum Romanum, in quo & baptiſterium conſecrauit iij. Idus Maias*. An vicus lateritiorum idem fuerit cum Vico Patricij me fateor ignore. Domus Pudentis iam pridem in Paſtoris Titulum euaſerat; Thermæ Nouati ædificij amplioris, & ſpacioſi iam obſoletæ erant, ac propterea ibi Eccleſia dedicata eſt à S.Pio Pontifice non presbytero Paſtore, idq; poſt mortem Pudentianæ, non ab ipſa cum ſorore Praxede Pium Pontificem rogantibus, ad vſum ſolemnis in Paſchate Baptiſterij ſacrum fontem excitari, & quidẽ in Titulo Paſtoris, non in Eccleſia ad Thermas Nouati dedicata. Ita enim in Actis illis ſcribitur, quorum hic longius perinde fragmentum

tum attexímus, vt conferre cum literis Paſtoris ad compresbyterum Timotheũ vnuſquiſq; poſſit. Igitur poſt mortem Pudentis patris, qui filius fuerat Punici,& & Priſcillæ, & poſt mortem Sabinellæ matris à patre in omni Chriſtiana virtute nutritæ, ſanctæ ſorores *Praxedis,& Potentiana omnem facultatem diuidentes inter ſe caperunt vendere omne patrimonium, & erogare pauperibus. In eodem vero loco, vbi titulum meo nomini pater earum bonę recordationis Pudens dedicauit. Et hoc conſilium inter me, & famulas Chriſti Praxedem, & Pudentianã filias ſacratas conuenit, vt in die Sancto Paſchæ, quia deſiderium earum nimio ardore fidei vrgebatur propter familiam communem, quæ gentilis erat, in eodem Titulo fontem Baptiſmi conſtruere mereantur. De quo conſilio itidem conſuluimus ſanctum Pium ſedis Apoſtolicæ primum Epiſcopum. Cui tanto deſiderio placuit conſilium, vt plus ille exhortaretur fieri in eodem Titulo Baptiſterium. Et ſummo ſtudio feruoris amore ipſe Beatiſsimus Pius Epiſcopus manu ſua fontem deſignauit, & conſtruxit. Perfectum autem fontem Deo adiuuante omnia, perfectæ famulę Chriſti conuocauerunt familiã ſuam,tam de Vrbe, quam de poſſeſſionibus communibus effecerunt diſcuſſionem. Quoſcumq. inuenerunt Chriſtianos donauerunt vinculum ingenuitatis. Quos autem inuenerunt gentiles applicauerunt ad credulitatem legis ſanctæ Chriſtianæ. Et facto conſilio cum veritatis exemplo cũ B.Pio Epiſcopo, in eodem titulo ſecundum normam antiquitatis manumiſſio celebratur, & in die Sancti Paſchæ baptizati ſunt promiſcui ſexus numero nonaginta ſex in eodem Titulo. Et omnia cum conſummata fuiſſent, factus eſt capit conuentus in eodem titulo, vt diebus, ac noctibus gloria Hymnorum non ceſſaret in eodem Titulo*. Hæc libuit apponere,quia apud Surium non proſtant, nec alibi videre licuit. Ex his apparet Titulum Paſtoris ab Eccleſia in Thermis Nouati diuerſum quid fuiſſe, ſicuti & Titulum Praxedis, eiuſq. domum in Actis apud Baronium memoratos ad annum Chriſti 165. interſe fuiſſe diſiunctos. Ex his etiam conuincitur non vnicam fuiſſe domum, quam filijs Pudens reliquerit, vel poſt eius mortem filij, & filiæ incoluerint, ſed plures. Niſi dicamus Nouatum, & Timotheum presbyteros fuiſſe, & non paternam domum, ſed in aſſignatis regionibus aliam ex diſtributis ab Euariſto Pontifice ad fidelium cuſtodiam. Sanctam quidem ſororem Pudentianam ad Nouati Thermas domum incoluiſſe,nomen adhuc relictum ſuaderet, niſi liber Pontificalis doceret S.Pium Pontificem *ex rogatu B. Praxedis dedicauiſſe Eccleſiam Thermas Nouati in Vico Patritij in honorem ſororis ſuæ S. Pudentianæ*. Vnde ex dedicatione nomen accepiſſe, non ex incolatu pateret. Neque tamen negarem domum Pudentis in Titulum à Paſtore erectam prope Thermas Nouatianas fuiſſe. Sed poſtquam eam Pudens ad vſum fidelium, & pauperum aſſignauit, veriſimile eſt cum virginibus filijs aliam in Exquilijs domum incoluiſſe, quæ S.Praxedis deinde Eccleſia fuerit. Neq; in domo Pudentis à Paulo edocti, durum eſt credere, D. Petrum Apoſtolorum Principem deinde ſacra etiam myſteria peregiſſe, poſt illud ſcilicet tẽpus, quo Paulus ad vrbem accedẽs Pudentem Chriſto lucrauit. Vtraq; certè Eccleſia S.Pudentianæ,& Praxedis,hæc in Exquilijs, & Carinis, illa in Viminalis collis radicibus, de vetuſtate inter ſe penes ſcriptores certant. Titulum Paſtoris ad Thermas Nouati, ſeu S. Pudentianæ templum tamquam vetuſtiorẽ præfert Baronius,tam in Notationibus, quã in Annalibus, & antiquiorem omnibus vrbis Eccleſijs prædicat Panvinius de ſeptem Eccleſijs cap. vlt.: qui etiam teſtatur à maioribus traditum, ibi in ſacello muſiui operis à D.Petro primum Romæ incruentum ſacrificium fuiſſe oblatum. Verùm in Eccleſia S.Praxedis, non modò altare ligneum ad modum Arcæ ad dexterã intrantibus oſtenditur, in quo idem Apoſtolorum Princeps Miſſam celebrauerit,

lebrauerit, ſed ad leuam marmorea proſtat epigraphe, quæ eiuſdem ſupra reliquas Eccleſias vetuſtatem affirmet: *In hac Eccleſiarum vrbis vetuſtiſſima, olim domo S. Pudentis Senatoris, patris SS. Nouati, & Timothei, & SS. Pudentianæ, & Praxedis Virginum, fuit SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli hoſpitium primum ad martyrum, & Chriſtianorum baptiſmum, & admiſſas, ſacramq. Synaxim. Sub altare iacent tria millia corpora SS. Martyrum, & copioſus ſanctorum ſanguis, &c.* Verùntamen difficile admodum eſt in primo ad vrbem Petri Apoſtoli aduentu ſanctas ſorores, ita ætate prouectas fuiſſe, natas, & per baptiſmum renatas, vt primis D. Petri ſacris myſterijs intereſſe potuerint. Si enim Pudens tunc illius hoſpes fuit, anno nempe 43., vel 44., & tunc in eius domo, filijs iam in lucem editis, primum Sacrificium D. Petrus obtulit, & familiæ conuerſæ baptiſmum miniſtrauit, iam cũ Pius factus Pontifex anno Chriſti 162. à S. Virginibus exoratus Nouati Thermas, vel domum Praxedis dedicauit, illæ ſi gemellæ erant decimum octauum ſupra centeſimum annum ſuperabant, & Praxedis dum obijt iuxtà Baronij computum centeſimum, & vigeſimum exceſſiſſe. Quod licet impoſſibile non ſit, tam ſingulare eſt, vt niſi aliqua valida coniectura probetur, admicti non debeat; neq; enim ætate illa tam diu viuere mos erat: imò tanquam valde ſingulare in Auguſti cenſu, ſiue Orbis ab Agrippa deſcriptione, qui centenarium annum excedebant apud Plinium adnotantur. Illarum ergo Eccleſiarum vetuſtas in Pudentem, non in filios, aut filias eſſet referenda, & in poſtremum, non primum D. Petri in Vrbẽ aduentum, cum Pudens D. Pauli, non Petri expreſsè dicatur diſcipulus: Nec corruit, quin ante has Eccleſias aliquod ſaltẽ oratoriũ à D. Petro in eius aduẽtu primo dedicari, aut conſecrari potuerit. Quinimõ in primis naſcentis Romanæ fidei crepundijs ſub Petro, & antequam Pudens Chriſto nomen daret, aliquas ſaltem paruas Eccleſias conſtructas, rationabile admodum eſt, & Petrus Venerabilis, qui Romæ aderat anno Chriſti 1145. & 1150. antiquam traditionem ità teſtatam reliquit in diffuſiori epiſtola contra Petrobruſianos ex Bibliotheca Cluniacenſi p. 1159. *Nũquid per 25. annos, quibus Roma Petrus Apoſtolus ſedit abſq; templo, vel Eccleſia, ideſt orationis domo, vel parua ſaltem oratorio fuit? nonne vt geſtorum veracium ſeries narrat, ſi tamen præter diuinum canonem geſtis aliquibus aſſenſum datis, primus & ipſe princeps Apoſtolorum Petrus in Vrbe orbis capite templum Chriſti inter innumera Gentilium templa conſtruxit?* In primo ipſius Romam aduentu id per leges non vetabatur, & Tiberius ad Senatum nomen Chriſtianum detulerat *cum prærogatiua ſuffragij ſui*, vt teſtatur Tertullianus in Apol. Plura oratoria, plures domeſticas domos, & titulos Cruce ſignatos, vel conſtruxiſſe, vel Chriſtianis ritibus aptaſſe non dubitarem, ampliora quidem ſub Claudio, & antequam Iudæos, vt Suetonius dicit, tumultuantes ex vrbe pelleret, & ſub initium Neroniani Imperij. Tunc enim Petrus, Romam rediens cum reliquis Iudeis Cæſarem fauorabilem inuenit, vt ex Ioſepho educit Baronius ad annum 56. Fortè, & aliqua vetuſtiora gentilium delubra in pios vſus conuertit, quod ſuboſcurè id doleat Iuuenalis ſat. 3.

Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis; quorum cophinus, fœnumq; ſupellex.

In cõducto habitauit Paulus Apoſtolica paupertas nota eſt, & initio naſcẽtis Romanæ Eccleſiæ ſub Iudæorum nomine Chriſtianos eſſe comprehenſos Suetonius docet, & eruditi omnes noſcunt. Iuuenalis quidem ſub Traiano ſcripſit, ſed plurimùm Neroniani temporis geſta perſtringit. Palam etiam eſt Apoſtolorum Principem pluribus in locis Romæ Euangelium prædicare, ac Baptiſmum fidelibus miniſtrare non deſtitiſſe. In Tyberi vniuerſim baptizauit apud Tertullianum,

ſed

sed pressiùs etiam in fontibus Faunorum, qui à Numa Rege sacri putabantur, & ad quos Iuuenalis alludere videtur, sacris verè aquis Christianos lauisse constãs traditio est. In Auentino monte fons erat Faunis dicatus, vbi ex antiqua traditione testatur Seueranus de septẽ Vrbis Ecclesijs p.377.pluries D.Petrum sacris vndis fideles abluisse, idq. carmine adhuc prope S.Priscæ ibi constructam Ecclesiam, propeq; eiusdem aram, testatum ita legit.

Montis Auentini nunc facta est gloria maior
Vnius veri religione Dei.
Præcipuè ob Priscę, quod cernis nobile templum,
Quod priscum meritò pars sibi nomen habet.
Nam Petrus id coluit, populos dum sæpè doceret,
Dum faceret magno sacraq. sæpe Deo.
Dum quos Faunorum Fontis deceperat error
Hìc melius sacra purificaret aqua.

Pars hæc sũt lõgioris inscriptionis à Calisto tertio instauratore ibi repositæ, in qua Ecclesia adhuc sacrum vas, quo in ministrando Baptismo vsus est Apostolus seruari testãtur, qui sacra Vrbis monumenta prosequuntur; Quinimo, & S. Priscam biennem cum Consule Patre ibi à Petro baptizatam addunt, illiusq. Ecclesiæ altare ab eodem Apostolorum Principe fuisse sacratum testatur, qui Romam antiquam, & recentiorem nuper edidit. Cœmeteriũ Via Nomentana vulgo ad S.Petri Nymphas vocatum, vbi D.Petrus eos, qui recens ad Christi fidem accedebãt salutaribus aquis abluebat, in antiquis mss. memoratur, illudq. describit Aringhius lib.4.Rom.subter. cap.20.vbi ex actis mss.Beatorũ Papiæ,& Mauri in codicibus Later. Vaticanis, & Vallicellẽsibus fragmentũ hoc affert. *Quorum corpora collegit Ioannes presbyter noctu, & sepelinit in via Nomentana sub die Kal. Febr, ad Nymphas vbi Petrus baptizabat.* Quæ verba, aut consimilia etiã prostant apud Surium T.1. in Actis S.Marcelli Papæ, & apud Vecelium in Actis S. Cyriaci, & sociorum. Notat autem idem Aringhius in quibusdam Vaticanis, & S. Mariæ ad martyres codicibus pro *baptizabat*, legi *habitabat*, quod non opinatur incongruum; Perantiquum tamen hædinum Passionale nostrum retinet *Baptizabat*. In cœmeterio pariter Ostriano Petrum sacro lauacro fideles initiare consueuisse habetur in Actis Liberij, & Damasi à Panuino editis: in quibus Liberium Via Salaria latitasse milliario tertio ab vrbe perhibetur, & locus ita describitur. *Erat autem non longe à Cameterio Nouella Cemeterium Ostrianum, vbi Petrus Apostolus baptizauerat.* At Neroniana iam ingruente procella, gladioq; Cæsariano in Christianos excerto, iam eorum conuentus, & Sinaxes propalam fieri vetabatur, iamq; per cryptas, & subterranea loca sacra peracta à D. Petro mysteria, ibiq; oratoria, & altaria sacrata, & constructa traditio extat, quam idem qui supra Petrus Venerabilis testatam his verbis suo tempore voluit. *Non ne & nos ipsi Romę positi frequenter vidimus in criptis antiquissimis oratoria, & altaria qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo* (Petro inquam) *constructa, & sanctificata, sicut per successionem fama consentiens, ac celeberrima protestatur, in monumentum tanta sanctitatis fidelibus ostenduntur, & ab ijsdem fidelibus dulcissimè, ac deuotissimè deosculantur.* Hinc partim furẽte persecutione, partim incendio cõflagratis ædificijs, partim quoque in Auream domum, ex Palatino monte ad Exquilinam à Nerone perductam, consumptis, dum Christianos iam pœnis afficeret, potuit in ijsdem Exquilijs prima à D.Petro sacrata domus aboleri, nec statim refici, quemadmodum de Pudentis Praxedis, ac Pudentianæ domibus non ita certum est integras remansisse. Ignis enim Neronianus per septẽ, aut nouem dies in Romanam vrbem debaccatus, *sexto demum die*, vt testatur

Tacitus

Tacitus lib.15. Annal. *apud imas Exquilias finis incendio factus, proruptis in immensum ædificijs, vt continuæ violentiæ campus, & veluti vacuum cælum occurreret.* Continuauerat iã Nero domum ſuam, *quà palatium, & Mœcenatis hortos* extendebantur in Exquilijs, nec tamen ignis ſiſti potuit, *quin, & palatium, & domus, & cuncta circum haurirentur*: quin etiam *Delubra Deum, & porticus amœnitati dicatæ latius procidere*. Cæterum Nero *non alia in re damnoſior, quam in ædificando*, vt ait Suetonius, vſus eſt patriæ ruinis, extruxitq; domum, in qua haut perinde gemmæ, & aurum miraculo eſſent, ſolita pridiem, & luxu vulgata, quam antra, & ſtagna, & in modum ſolitudinum, hinc ſiluæ, inde aperta ſpatia, & proſpectus, vt proximæ quæq. domus, ſi quæ eſſent vaſtitati ſuperſtites, in Neronianas delicias inſumerentur, quemadmodum coæuus Martialis Epigr. 11. proxima Amphitheatro loca deſcribens apertiſſimè cecinit.

Hìc vbi conſpicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles ſtagna Neronis erant.
Hìc vbi miramur velocia munera, Thermas,
Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.

Titianas hìc Thermas, velociſſime conſtructas, & quæ circa Eccleſiã S. Petri ad Vincula ab antiquiarijs agnoſcuntur, Martialem indicare nemo etiam ex vulgaribus philologis ignorat. Quia autem alij recentiores ſunt, qui Titianas, ſeu Domitianas Thermas ad proximum Equitij titulum ſiue Eccleſiam S. Silueſtri, & Martini adhuc conſpici contendunt, non ad Eccleſia Sancti Petri ad Vincula, parum hìc erit pro re noſtra immorandum. Nuper eruditus, & de ſacra Romana antiquitate optimè meritus Aringhius Romæ ſubterr. lib. 4. cap. 44. Titianas, Domitianas, & Traianas Thermas in vnum conflat, eaſque ſupponit non eſſe diuerſas, ſed à Domitiano, & Traiano, Domitianas, & Traianas fuiſſe nuncupatas, quòd eaſdem hi, vel nouis deriuatis riuulis, vel alio modo inſtaurauerint. Nuper proinde à Philippino repurgatas oſtendit ſub Eccleſia Sãcti Silueſtri, & eleganti ſchemate deſignatas exhibet. At quamquam non longè Eccleſia S. Sylueſtri, ab Eccleſia S. Petri ad Vincula diſtet, & Titi Thermarum pars eſſe potuerit, quæ nuper repurgata conſpicitur; cum tamen in viridario, ſeu vinea Canonicorum Regularium S. Saluatoris antiquũ illud eſtet, ac memorandum ædificium vulgo *ſette Sale* nuncupatum, quod plurimi aquarum receptaculum ad vſum Thermarum Titi agnoſcunt, Traianas potius Thermas fuiſſe, quæ ad S. Silueſtrum conſpiciuntur, quam Titianas putarem. Erudito Aringhio concederem Titianas, & Domitianas Thermas eaſdem ſub diuerſo nomine fuiſſe, quod Domitianus quidquid reſtauraſſet ſub *titulo tantum ſuo, ac ſine vlla priſtini auctoris memoria* vocari voluerit, vt teſtatur Suetonius cap. 5. Amphitheatrum, Coloſſeum nuncupatum, Veſpeſianus condidit, Titus dedicauit *Thermis iuxta celeriter extructis*: ſed Martialis, & vulgi in Domitianum aſſentatio, ex multitudine ſpectaculorum ibi editorum, eidem Amphiteathrum, & fratris Titi Thermas tribuit. Has tamen quarto ſæculo, dum ſextus Rufus, & Publius Victor de regionibus Orbis ſcripſerunt, à Traianis Thermis diuerſas fuiſſe, & diuerſo nomine nuncupatas palam eſt. Rufus in Tertia regione Iſidis, & Monetæ poſt Amphitheatrum Flaui, *Thermas Titi Cæſaris, Thermas Traiani Auguſti, & Limphæum Claudij Auguſti*, ita ſeiunctim numerat. Publius vero Victor in eadem regione, & eodem ordine. *Thermas Titi Cæſaris Auguſti, & Thermas Philippi Cæſaris Auguſti* diſtinctiſſimè numerat. Traianas etiam & Titianas Thermas diuidit Auctor Notitiæ vtriuſq; Imperij Theodoſij iunioris ætate. De Titianis Thermis, & Amphiteatro inſtaurando agebatur in curia ſub Maximo, & Balbino Tyrannis, vt auctor eſt in eorum vita Capitolinus, nec aliter quam Titi Thermæ vocantur,

vt

vt iam tertio, quarto, & quinto ſęculo Titianas proprio nomine nuncupatas, non Traianas fuiſſe pateat. Confundit eas cum vulgo ex proximitate loci liber Pōtificalis, in quo legitur Titulum Equitij conſtructum fuiſſe iuxta Thermas Domitianas, ac B. Silueſtrum titulum ſuum conſtruxiſſe in regione tertia *iuxta Thermas Domitianas, quæ cognominantur Traianæ*. Acceperat id ex Actis Cōcilij Romani ſub Silueſtro, quod dicitur paratum *in Vrbe Roma intra Thermas Domitianas, quę nunc cognominantur Traianæ*. Verùm facilè quis cognoſcet poſtrema verba eſſe gloſſema, & quid ſuperadditum iuxta vulgi opinionem ab antiquiario recentiori. Quandoquidem ex adductis ſcriptoribus illius, & ſequentium ſæculorum Titi Thermas, nec Domitianas, nec Traianas fuiſſe dictas, ſed proprio nomine Titianas, appareat. His proximas Traianas fuiſſe non dubito, iuxta quas, vt idem liber Pontificalis auctor eſt, Symmachus *intra ciuitatē Romanā Baſilicam S. Silueſtri, & Martini à fundamentis conſtruxit iuxta Thermas Traianas*. An Thermæ Traianæ dictæ etiam fuerint Domitianæ ambigo. Proſper Aquitanus, & Caſſiodorus ex chronico Euſebij ſub Domitiano narrant *multa opera Romæ facta* in quibus numerant Forū Traiani, Thermas Traianas, & Titianas. Sed de Titi Thermis, & Foro Traiani ab Eulebio, alijſq. poſt eū aſſerta, irridet Scaligerus in animaduerſ. ad Euſebij chronic. pag. 204. fortaſſe minori iniuria, quam alibi. Nobis interim ſcire ſufficiat Thermas à Tito, viuente adhuc Veſpaſiano patre, conſtructas fuiſſe in ipſis Neronianæ Aureæ domus ruinis. Tamquam notiſſimum Martialis aſſumit, Veſpaſianum Titum, & Domitianum, cui blanditur, inſanas Neronis ſubſtructiones deieciſſe, & in publicos vſus couuertiſſe,

Reddita Roma ſibi eſt, & ſunt te præſide Cæſar
Delicię populi, quę fuerant Domini.

An prima in Exquilijs, & ante Neronianā perſecutionem dedicata à D. Petro Eccleſia incendio devaſtata fuerit, vel in nouam Neronianam domum aſſumpta, non affirmarem, ſicuti an ſtatim à fidelibus refici potuerit. Amplum reliquum fuiſſe templum vix crederem; quandoquidem Minutius Felix, qui ſecūdo Chriſtiano ſæculo vixit, Cæcilium inducat, de Chriſtianis in occulto myſteria agentibus Octauium interrogantem, *cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra*: & rurſus Octauium Chriſtianum ea non negantem his verbis. *Putatis autem nos occultare, quod colimus, ſi delubra & aras non habemus?* ſumptuoſa nempe, & populorum oculis expoſita templa, vt gentiles oſtentabant. De paruis enim oratorijs, ſiue Eccleſijs hæc intelligenda non eſſe ſequentia demoſtrabunt. S. Linus Petri ſucceſſor conſtituit, *vt mulier velato capite in Eccleſiam introiret*, ſtultra id Romæ præcipiens, ſi nulla ibi Chriſtianorum Eccleſia extitiſſet. Cletus etiā ex B. Petri præcepto *presbyteros ordinauit in vrbe Roma*, vano itidē labore, ſi Eccleſiæ ſaltē domeſticæ ibi nō fuiſſent. Clemens plura conſtituit ad Eccleſiarum cultū ſpectātia. Anacletus, qui presbyter à D. Petro fuerat ordinatus, *Memoriā* ipſius Apoſtoli *cōſtruxit, & compoſuit*. Memoriā interpretatur S. Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 10. Eccleſiam martyri dicatam. Saltem ergo Anacletus ſuper ſacrum Petri corpus Sacellum, ſiue Oratorium conſtruxit, & inſuper *alia loca* vbi *Epiſcopi reconderentur ſepulturæ*. Quomodo enim de Eccleſijs Anacletus non eſſet ſollicitus, qui ſepulturam ſuccedentium Epiſcoporum curauit? Euariſtus, qui ſub Domitiano martyrium fecit *Titulos in Vrbe Roma diuiſit presbyteris*. Hi erāt domus diuino cultui mancipatæ, vel prope Eccleſiā, vel Eccleſijs adnexæ, vt infra explicabimus. Sub Euariſto Eccleſias cōſecrandi vſus vigebat; Tomo .n. primo Conciliorum illius decretum refertur, in quo ſtatuitur *Omnes Baſilicas cum Miſſa ſemper debere conſecrari*. Vt iam non modo memorias, & titulos, ſed &

Basilicas, hoc est ampliores Ecclesias Christianos habuisse certum esset, si re vera Euaristo, decretum illud tribui, ita certò posset. An Neronis gladio furente vetiti Christianorum conuentus fuerint, & Ecclesiæ solo æquatæ penes scriptores apertè sancitum non inuenio, Sed tantum Christianos exquisitis supplicijs affectos. Post Neronem vero sub Galba, Otthone, Vitellio Vespesiano, ac Tito palam vexatos fuisse Christianos non lego. Vespasiano imperante, vt Suetonius affirmat cap. 15. *Non temere quis punitus insons reperitur, nisi absente eo, & ignaro, aut certe inuito, atq. decepto.* De Tito verò Dio scripsit. *De crimine impietatis nunquam cognouit.* Ita Ethnici Christianam fidem per iniuriam nuncupabant. Potuit ergo his imperantibus, & religione Christiana glisceute reparari, si qui Titulus, Ecclesia, aut Oratorium à D. Petro in Carinis Exquiliarum sacratum prius fuerit, & vel incendio, vel Neronianæ domus vastitæ consumptũ. Domus Aurea sub Ottone non dũ omninò diruta erat, & ipse Neronis memoriæ beneuolus *quingentos Hs. adperagendam Auream domum decreuit*, eodẽ Suetonio teste. At Vespesianus enormitatem illius domus correpsit, & spacium ad priuatas delicias, vel in publicum vsum conuertit, vel priscis Dominis reddidit; nec vastatas incendio Neroniano domus refici vetauit: quinimò Dominis cessantibus, alijs permisit. Verba hæc sunt Suetonij cap. 8. *Deformis vrbs veteribus incendijs, ac ruinis erat; vacuas areas occupare, & adsicare, si possessores cessarent, cuicumque permisit.* Christianos Petro deuotos, eiusque adhuc viuentes discipulos, primam ab ipso consecratam Ecclesiam restaurare neglexisse, si diruta esset, absonum est credere, si tempore furentis persecutionis sub M. Aurelio, & S. Pio Episcopo sedente *Eupreprea Titulum domus suæ pauperibus assignauit, & Presbyter Pastor Titulum condidit*, vt habetur in ipsius Pij epistolis ad Iustum Viennẽsem. Sub Higino Papa, qui sedere cæpit anno Christi 154. iã reficiebantur Ecclesiæ, & decretum ipsius estat apud Gratianum de Consecr. dist. 1. in quo præcipitur, *vt omnes Basilicæ cum Missa debeãt consecrari, & Ecclesiæ destructæ*, quæ si maiores fuissent, *quam ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint* Episcoporũ prouidentiæ relinquantur. Longum nimis esset adducere scriptores, qui priscis temporibus doceant Ecclesias Romæ fuisse. Iam tertio sæculo septima, & Deciana persecutione grassante S. Cornelij ætate ex epistola ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium constat, quadraginta sex præsbyteros Romæ fuisse, quibus totidem Titulos, vel Ecclesias datas esse par est credere, quamquam idem Cornelius ad Lupicinum Episcopum Viennensem scribat, tantam fuisse Decianæ persecutionis atrocitatem, vt Romæ *publicè, neq. in cryptis minoribus missas agere Christianis* liceret. Eodem ferè sæculo Aurelianus, antequã nonã persecutionẽ moueret, Christianorum Ecclesiæ meminit in epist. ad Senatum, apud Vopiscum; cunctantes enim Senatores in aperiendis libris Sybillinis reprehendit. *perinde quasi in Christianorum Ecclesia tractarent*, sed quarto iam sæculo excurrente circa annum 370., & post Constantini Romæ in construendis Basilicis munificentiam, Optatus Mileuitanus quadraginta numerat in Romana Vrbe, siue Tẽpla, siue Basilicas lib. 2. cõtra Parmenianũ. An inter has Basilica S. Petri ad Vincula recenseretur exploratũ mihi non est. Antiquissimam fuisse, & ante Eudoxiæ tempora, quæ Apostolorum Principis cathenas Hierosolymis Romam asportauit, non difficile existimarem. An etiam in communi omnium Ecclesiarum subversione per Diocletiani edictũ ab Eusebio lib. 8. c. 2. & Theodoreto lib. 5. c. 18. relatũ, vastata etiam cum alijs Ecclesia Vinculorum fuerit, non negarem. Vix enim ex antiquis, quæ ampliſſimæ ante Diocletianam ipso referente Eusebio erant, nisi restaurata Ecclesia restat. Iam verò, quam varia de die festo Vinculorum D.

Petri

Petri, eiusq. institutione, & Ecclesiæ constructione, ac dedicatione afferantur, non repetenda dedimus in Notationibus ad hunc ipsum diem Calendarum Augusti. Prævaluit hucvsque opinio ab Eudoxia iuniore Ecclesiam S.Petri ad Vincula constructam fuisse, & præter quæ apud Bedam, & passim habentur, minus Chronographiæ congrua, & à Baronio in pluribus emendata, Florauantes Martinellus in sua Roma, Romæ Etrusca lingua edita anno 1644. fragmentum affert codicis ms. Monasterij S.Cæciliæ in Actis S.Cæsarij, & alterius Vaticanæ Bibliothecæ num. 5696. in quibus hæc verba prostent. *Eudoxia verò, quam supra diximus, Theodosii filia fuit, qua cum Honorio Augustæ memoria B. Pauli Ecclesiam fundauit, atq. perfecit. eiusq. filia Eudoxia tantum in Christi fide, & amore perfecerat, vt B. Petri Apostoli oratorium, quod ad Vincula nuncupatur, in vrbe construeret, quod vsque hodie Eudoxiæ nuncupatur.* Oratorium inquam non Titulum, non Basilicam. Seniorem Eudociam vocat Baronius Eudoxiam Iuliam; Liciniam vero Eudoxiam iuniorem Valetiniani tertij vxorem T. vj. ad annum 461. n. xvj. Hanc iuniorem Augustam Romam Hierosolymis catenam attulisse, vel Romæ recipisse consentit idem vir summus, qui T. v. ad annum 439. non longe ab eadē narratione abit. Consimilia etiam in Romano Breuiario vna cum prodigio catenarum ad inuicem sibi connexarum narrantur, non tamen Ecclesiam illam ab Eudoxia constructam affirmatur, sed tantum eo miraculo honorem sacris illis vinculis haberi cæptum, *vt propterea hoc nomine S.Petri ad Vincula Ecclesia, titulo Eudoxiæ dedicata sit in Exquilijs, eiusq. memoria dies festus institutus Kal. Augusti.* Instaurationē Ecclesiæ, nouāq; recentiorē structurā Titulo Eudoxiæ eiusq; dedicationē sub Sixto Pontifice anno Theodosij 32, & Valentin. 15. cum eodem Baronio suscipio, innouatāq; cum Rom. Breuiario celebritatem, quemadmodū SS. Vinculorū in vrbe religionē propagatā esse nō negarē anno Xpi 969. altero nēpe prodigio expulsi dœmonis, vt ibidē legitur. At neq. affirmarē Ecclesiam illam tunc primo erectam esse, neq; tunc primò S. Petri Vincula venerari cæpta, sed nouum, plurimumq; tunc sanctis vinculis honorem impertitum esse, nomenq. datum Ecclesiæ S.Petri ad Vincula cum additione tituli Eudoxiæ. Quod neq. cum Romano Breuiario pugnat, neque à D.Leonis magni sermone in Natiuitate Machabæorum dissentit. Successit sanctus Leo Magnus sancto Sixto tertio anno Xpi 440. ijsdem Theodosio, ac Valentiniano imperantibus, & inter sermones ad populum, qui extant impressi vnus prostat, qui licet *In Natiuitate Sanctorum septem fratrum martyrum Machabæorum* inscribatur, in dedicatione tamen eiusdē Ecclesiæ, in qua sancti fratres quiescebant dictum esse ex illius proemio, & fine conuincitur. Incipit enim. *Gratias dilectissimi agamus Domino Deo nostro, quòd quanta sit huius diei solemnitas etiamsi ego taceam conuentus vester ostendit. Tam enim conspiranti studio, & deuoto animo conuenistis, vt festiuitatis magnificentiā. & si sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur. Duplex enim causa lætitiæ est, in qua & Natalem Ecclesia colimus, & martyrum passione gaudemus.* Natalem Ecclesiæ, ipsius Dedicationem esse nemo ignorat. S. Petri ad vincula dedicationem his Kal. Augusti docent cum Romano Vetustiora Martyrologia, in quibus etiam SS. Machabæorum eadem die memoria veneratur. Horum corpora in eadem hac Ecclesia adhuc requiescere, adhuc recoli omnibus patet. Quid ergo vetat ex duplici lætitia à S.Leone indicata solemnitatem huius diei ortum duxisse, huiusq; Ecclesiæ S. Petri ad Vincula natalem, simul ac SS.Machabæorum memoriam venerari, ibique à S. Pontifice frequentibus ad solemnitatem populis sermonem dictum esse? Vetat apud aliquos, quòd Ecclesiæ nomen non adiecerit, sed vetaret etiam, quod Eudoxiæ Augustæ viuentis, nuperq. illius Ba-

filicæ instauratricis, ac Sixti prædecessoris eamdem dedicantis, non meminerit. Vtique non meminit, quinimo vetustissimam suo tempore dedicationem illam esse, propalam docet his verbis circa illius sermonis finem. *Solemnem hanc diem celebritatis, & non solum Martyres, ac Martyrum matrem, sed etiam illius memoriam iusto honore veneramini, qui hoc die antiquam festiuitatem huius loci consecratione geminauit.* Eudoxiam fortasse innuere, aliqui dicent, & non Ecclesiæ dedicationem, sed SS. Machabæorum solemnem diem antiquam festiuitatem hic vocare. At vetusta expressa celebritas, magnificum sine nomine ædificij auctorem, nõ SS. Machabæos collimat, vocat enim illum non modo parietum structorem, sed animarum, & qui vltra qui sui terminos, (alterius nempe vetustioris cui auctorem indicans) opera suæ pietatis extenderit. Audiamus verba eloquentissimi Pontificis immediate iam adductis subtensa. *Magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, vltra qui sui terminos opera pietatis extendens, vt vtilitatibus sustitutionum eius etiam in ipso frueretur deuota posteritas, & habitando, quod condidit, & faciendo quod docuit.* Doctorem aliquem Ecclesiæ huius Basilicæ conditorem apertè in postremis verbis designat S. Pontifex, & quia plures animas Deo lucratus fuit, magnificentior ædificator animarum dicitur. Hæc quidem Apostolorum principi congruerent, qui vniuersam instituit Ecclesiam, & documentis Apostolis ditauit. Sed quantumuis rem notissimam præteriens sanctus doctor vix nomen Petri, cui maximè deuotus erat & cuius erat successor, tacuisset. Vnde alium potius magni nominis Sacerdotem, & Ecclesiæ institutorem significare videtur dicendum. Sancto equidem Siluestro huiusmodi laudes conuenirent, cuius tempore alias, etiam ex Constantini Magni diuitijs, sumptuosæ, ac magnificæ structuræ Basilicas ædificatas esse constat, Ecclesiam vinculis Petri dicatam, eiusdem Magni Constantini suasionibus sanctũ Syluestrum construxisse narrat Auctor Epistolæ de Vinculis B. Petri ad Eustochium inter D. Hieronymi Spuria n. 35. Tomo 9. At cum addat ibi carcerem fuisse, quem S. Petrus in Vinculis positus *sacri fontis lauacro pluribus baptizatis dedicauit*, dubiam rem facit. In custodia Mamertini Petrum, ac Paulum detentos per nouem menses, antequam ad necem ducerentur, plures Christi filios per baptismum genuisse, omnes ferè latini docent. Martyrologium in primis Romanũ emendatum, aliud Bellini de Padua, Vsuardus, Ado, Notkerus pridie Idus Martij. Prope Tarpeiam rupem Mamertini custodiam fuisse apertè deducitur ex Actis SS. Processi, & Martiniani, tùm apud Surium æditis, tùm in pervetusto Passionali nostro codice manuscripto. In his narratur Neronem tradidisse Beatissimos Apostolos Petrum, & Paulum, Paulino viro clarissimo magisteriæ potestatis, qui eos mancipauit *in custodia Mamertini*. Prodigium autem fontis in eadẽ custodia ex oratione Apostolorum emanati, eadem acta ita ostendunt. *Cumque orassent, illico B. Petrus Apostolus facto signo Crucis in Monte Tarpeo in custodia Mamertini, eadem hora emanauerunt aquæ de monte. Tunc baptizati sunt Processus, & Martinianus.* Multiplex custodia erat, alia publica, alia priuata, seu fideiussori commissa. Cum sancti Apostoli traditi sunt custodiæ Paulini viri clarissimi, priuata, seu fideiussoria custodia indicari videtur, cui substituta sit custodia Mamertini. Sed hæc etiam priuata videbatur, nam in Actis S. Laurentij Sixtus Pontifex includitur *in priuata custodia Mamertini*. De Quirini custodia agitur in Actis S. Alexandri Papæ, & de alijs priuatis custodijs alibi passim. Sed de Custodia publica etiam Mamertini vocata meminit Historia passionis Hippolyti, Eusebij, & Marcelli die 28. Decembris apud Surium his verbis. *Tunc iussit Iudex in custodia publica poni, & non separari; ductiq. sunt in custodiam Mamertini*

mertini. Reos post confessionem reatus duci solitos in publicam custodiam notant Iuris periti. Sed Palmarius Cõsul in Actis S.Callisti Papæ ante confessionẽ Christianissimi à Torquato Tribuno tentus est, *ac missus in custodia Mamertini*, hoc est in priuato carcere; priuata autem custodia vix cum publico, ac communi carcere Tulliano aptari potest, & SS. Apostolorum custodia Paulino commendata, quam quam ijdem dicantur custodiæ Mamertini mancipati, vix publica custodia dici potest. Nullibi autem adnotare licuit Tullianum carcerem in Tarpeia rupe, eundem cum Mamertino esse, præterquam ab Vgonio, contra quem disputat Baronius ad diem 14. Martij Romani Martyrologij. Recentiores qui antiquæ Vrbis rudera inquirentes recentioribus ædificijs: aptare conantur, distingunt etiam ex nomine Tullianos carceres à Mamertinis: illos in Ecclesia S.Nicolai in carcere Tulliano agnoscunt Mamertinos in Ecclesia S.Petri in Carcere, in quo dudum effigies in marmore prodigiosè impressa à D.Petro scalas descendente conspiciebatur, & fons miraculo item & orationibus Apostolorum è subterraneo saxo erumpens à fidelibus venerabatur, nunc vero remanet plurima congesta humo imperuius. Hanc S.Petri in carcere Ecclesiam, sunt qui doceant à S.Siluestro consecratam monente Constantino Imperatore, & de hac re vera loqutũ esse Auctorem epistolæ ad Eustochium existimarem, quæ licet de Vinculis S. Petri inscribatur, verè de eius carcere loquitur, non de Catenis, & ex hoc capite mendacij non est arguenda, neque inter apocriphas narrationes reicienda. At cum nobis quæstio sit de prima Ecclesiæ à D.Petro dedicatione, parum soliciti de carceribus erimus, quando cathenas, quibus vinctus fuit, antiquissimam venerationem habuisse scimus. De ferreis Vinculis quibus, vel Hierosolymis, vel Cæsareæ in custodia detentus fuit Apostolorum Princeps, eorumq. veneratione plura extant apud Græcos. De Romanis vinculis in Actis S. Alexandri Papæ, qui quintus fuit à B.Petro, constat à fidelibus seruata, & à S. Balbina inuenta tradita fuisse Theodoræ religiosissimæ fœminæ, quæ soror erat sancti Hermes Præfecti nuper martyrio illustri coronati. Addit Beda in sermone de Vinculis inter Varios Tom.7. p.501. edit. Basil. S. Alexandrum Pontificem dedicationem Ecclesiæ S.Petri ad Vincula peregisse. Historiam sanatæ Balbinæ gutturosæ, seu strumosæ contactu catenarum S. eiusdem Alexandri Pontificis, cum eiusdẽ apud Surium Actis consonam Beda refert, in hoc discrepans, quòd catenas, seu S.Petri Vincula ipsius S.Põtificis monitu conquisita, procurante Quirino patre, Hierosolymis aduecta referat, quod edita, & mss. S. Alexandri Acta tacent. Omnes quidẽ latini scriptores ferrea Vincula quibus Romæ in custodia S.Petrus detentus fuit, inuenta à S.Balbina docent, nõ Hierosolymis, sed Romæ, & verba Alexandri ad Balbinã hæc referũt. *Inquire autem Domini mei Petri Apostoli vincula, & ea potius osculare*. Facilẽ innentu, nec lõgius petitam rem suadere hæc verba videntur. *Balbina his auditis cum multo studio, ac desiderio peruenit ad illa vincula, ysq. inuentis gratias egit Domino Nostro Iesu Christo, prosternensque se in orationem dixit. Benedictum sit nomen tuum omnipotens Deus, quod per famulum tuum Alexandrum mihi ancillæ tuæ thesaurum spiritalem indicasti; cœpitq. ea vincula cum multo tremore osculari, & gratias agere regi Cœlorum, deditq. ea Theodora religiosissimæ fœminæ, sorori S. Hermetis Præfecti vrbis, cuius ab Aureliano decollati corpus illa collegerat, &c.* His addit Beda in adducto sermone, S. Alexandrum Papam Vinculorum Festum diem instituisse Cal. Augusti, & in honorem S. Petri Ecclesiam illam dedicauisse. *Sicq. B. Alexandrũ exiens de carcere constituit hanc celebrari festiuitatem Calendis Augusti in honorem S. Petri, & eius nomine adificauit Ecclesiam, quę dicitur ad Vincula, in qua cathena eius deosculantur à populo deuoto.*

deuoto. Congruerent hæc cum ſupra adductis verbis S.Leonis Papæ, & bene de S. Alexandro diceretur, eiuſdem ſacris inſtitutionibus deuotam poſteritatem frui; quandoquidem S.Pontifex in Eccleſia memoriam Chriſti paſſionis in Miſſa, & ſacram aſperſionis aquam pro habitaculis fidelium inſtituerit. Neque ab eius geſtis abhorreret, quòd dedicatæ Eccleſiæ ſtructor magnificus diceretur, quãdo id agere potuerit pecunijs plurium nobiliũ Romanorum, quos ad Chriſtum conuerterat, vt refert Romanum Breuiarum, præcipuè, vero S.Hermetis Præfecti, & eius ſororis Theodoræ, ac Quirini Tribuni. Martyrium fecit Theodora ante Alexandrum, vt habent Acta apud Petrum de Natal. lib.4. cap. 30. & huic à S.Balbina datæ fuerãt D.Petri cathenæ, quando ductis ad mare, vt alligato ſaxo mergerentur, Chriſtianis omnibus in carcere ab Alexandro baptizatis, *abyt cũ illis etiã Chriſti virgo Balbina glorificans Deũ*. At, quod in Actis nõ exprimitur, ſacra Vincula Theodoræ à Balbina ideo data ſunt, vt in Eccleſia ab Alexandro Pontifice, vel eius præcepto conſtructa, & conſecrata ponerentur. Hadriani tẽpora non pugnant, ſub quo hæc accidiſſe in poſtremis annis Alexandri potuerũt, hoc eſt duodecimo, aut decimotertio Hadriani, ſeu Chriſti 131. aut 132. Nam poſt acerbæ perſecutionis initium, non ita in Chriſtianos inhumanum fuiſſe ex Euſebio docemur. Pugnaret fortaſſe, quod poſt Hermetem martyrio coronatum Alexander Vinculis ſolutus Eccleſiam extructam magnificè dedicare potuerit. Quamdiu in Vinculis ſteterit S. Pontifex in eius Actis non exprimitur, ad longius tempus id fuiſſe videntur docere plura ab eo peracta in carceribus, ex quibus liberum deinde exijſſe non conſtat. Quirinus quidem tribunus poſt ſanatam filiam, baptiſmumq. ſuſceptum, carceres aperuit, Pontificem Alexandrum & virum illuſtrem Hermetem rogauit, vt abſcederent, ſed noluerunt. Ab Hermetis conſummato certamine v. Kal. Septembris ad Alexandri felicem obitum v. nonas Maij nouem ſaltem menſes numerantur, in quibus difficile non fuiſſet è carceribus ſanctum Pontificem exijſſe ad breue tempus, vt Eccleſiam ſponte ibi reuerſurus, dedicaret, vel alicui præsbytero, quod idem eſſet, dedicationem demandauerit. Durandus ſane lib.7.Rationalis diuinorum officiorum de feſti S.Petri ad Vincula inſtitutione tertiam cauſam affert, quòd Alexander Papa inuentis à filia Quirini ſancti Petri cathenis *hoc feſtum in Calendis Auguſti celebrandum inſtituit, & in honorem B.Petri Eccleſiam in vrbe fabricauit, vbi Vincula ipſa repoſuit, & ad Vincula nominauit*. Nec improbabilia hæc eſſent, præſertim ſi locus primæ Eccleſiæ à Petro dedicatæ in Æſquilijs fuiſſet. Quamquam enim per incendia Neronis, & inde ſequtas vaſtitates prima Eccleſia diruta eſſet, poterat facile ſub Alexandro, qui tam in ipſius Actis, quam apud Euſebium initio libri quarti Hiſtoriarum quintus à Petro numeratur, in eodem loco priſcorum relatione cognito iterum excitari. Tunc enim, hoc eſt *circa duodecimum annum Imperij Traiani, cum Euariſtus annos octo in Pontificatu exegiſſet Romę Epiſcopatum ſuſcepit Alexander*, paulo celerius, quam Eminentiſs. Baronio placuerit: Tunc inquam *cum ſeruatoris noſtri doctrina, atq. Eccleſia magis, ac magis in dies effloreſcens continuis incrementis augebatur. Anno* ſiquidem *Principatus Hadriani tertio Alexander Romana Vrbis Epiſcopus fato functus eſt*, vt idem Euſebius notat libri quarti cap.2. & 4. illius Eccleſiæ dedicatione iãperacta ſub Alexandro Pontifice, ſi vera ſunt, quæ Beda adnotauit. Vt cumq. tamen ſit, inter vetuſtiſſimas, quorum memoria ad nos peruenerit, Eccleſiam S.Petri ad Vincula numerarem, & Vinculorum S.Petri venerationem vetuſtiorem eſſe, quam ſub Eudoxia iuniore cœperit, luculentiſſimus teſtis eſt D.Auguſtinus in genuino ſermone v. de SS.Petro, & Paulo Apoſtolis, ſeu 39.de ſanctis vbi inquit, *Merito per*

omnes

omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorũ. Quæ de memoria, seu celebritate vinculorum intelligenda proculdubio sunt, nõ de Cathenis ipsis, quæ omnibus Christi Ecclesijs præsentes esse nequierant. Neq. de Hierosolymitanis cathenis ea dicta esse suscipio, sed de Romanis, in quibus S. Petrus diutius vinctus permansit, & ex quibus ad Crucem delatus est; subdit namq. D. Augustinus. *Felices cathenæ, quæ nudatis penè ossibus inhærentes, vinas reliquias de sanguinis sudore iam attrita carne rapuerunt, tactuq. membrorum cruciatus sui sanctificatur instrumẽtum, in quo dum afflictio crescit ad pœnam, causa pœnæ proficit ad gloriam. Felicia Vincula, quæ reum suum vsque ad Christi Crucem non tam condemnatum, quam consecratum miserunt.* Non modo autem Sanctus Doctor prouecta iam ætate erat cum iunior Eudoxia nata est, sed ex Baronij computo, cum Eudoxia anno Christi 439. Vinculorum Titulum Romæ erexit, iam à novennio obierat, vt de celebritate hac occasione inducta nequaquam loqui potuerit. Titulum Eudoxiæ ab Ecclesia Sancti Petri ad Vincula quid fuisse diuersum infra coniectamus. Vnicam tantum, sæculo post Eudoxiam, Ecclesiam illam sub Symmacho binos præsbyteros habuisse, & proprio Vinculorum nomine, non titulo Eudoxiæ vocatam inuenio in libro Pontificali. Dum enim in Vita Symmachi numerantur, qui pro vero Pontifice occisi sunt à schismaticis sectatoribus, legitur. *Et multos Sacerdotes occiderunt, inter quos Dignissimum, & Gordanum presbyteros ad Vincula Sancti Petri.* Sedem tenuit Symmachus ab anno Christi 428. iuxta Baronij computum. Anno verò Christi 543. Arator S. R. Eccl. Subdiaconus Vigilio Papæ Actus Apostolorum carmine heroico scriptos obtulit; qui eiusdem Papæ iussu recitati sunt pluribus vicibus in Ecclesia B. Petri ad Vincula. Docet id Lebbeus Tom. 1. differt. Historicæ descriptor. Eccles. in Aratore ex Trithemio, & Tom. 1. ipsius Bibliothecæ mss. librorum p. 668. vbi ex codice Vaticano, & Remensi adducit ipsam oblationis notationem ab Aratore signatam, Vigilium nempe præcepientem carmina illa publicè recitari. *Quod cũ fieri præcepisset in Ecclesia B. Petri, quæ vocatur ad Vincula, religiosorum turba conuenit, atque eodem Aratore recitante, distinctis diebus ambo libri sunt auditi. Tertio anno*, vt additur, *post Consultatum Basilij V. C. Indict. VII.* hoc est anno Incarn. Dom. 544. In magna tunc venerationem Ecclesiam illam fuisse ipsa Aratoris carmina probant, in quibus iam sub obscurè Vincula Hierosolymitana Romam fuisse translata his verbis innuit ad calcem libri 1. Tom. 8. Bibl. Patr.

——— manet omne per ævum
Pignoris huius apex, & syderis obtinet instar
Corpore quod Petrus sacrauit, & Angelus ore,
His solidata fides, his est tibi Roma cathenis,
Perpetuata salus, harum circundata nexu
Libera semper eris, quid enim non vincula præstent,
Qua tetigit, qui cuncta potest absoluere?

Ne quis verò Ecclesiam S. Petri ad Vincula confundat cum Ecclesia S. Petri in carceribus, de qua sub Vinculorum titulo auctorem epistolæ ad Eusebium iam supra loquutum esse monuimus, libuit hic inscriptionem attexere, quam ad firmandam Epocham Bonifatij II. Romani Pontificis adducit Lucas Holstenius in Notis ad illius Synodum Romanam. Cæpit sedere Ioannes Secundus, qui etiam Mercurius dicebatur, & quem saluũ optat Seuerus presbyter, anno Christi 532. Kal. Ianuarij, ex chronologico ipsius Holstenij diagrammate pag. 238. & vetus inscriptio, quæ hodie etiam extat in Basilica S. Petri ad Vincula, hæc est. *Salbo Papa N. Iohanne cognomento Mercurio ex Scẽ Eccl. Rom. Presbyteris ordinato*

ex

ex Tit. Scĩ Clementis ad gloriam Pontificalem promoto, Beato Petro Aꝑ Patrono ſuo à Vinculis eius Seuerus Pb. Offr. & ĩt PC Lampadi, & Oreſtis VV. CC. &c. Mirum quòd in adductis monumentis non magis, quam vno ſæculo ab Eudoxia diſtãtibus Baſilica S. Petri, nõ Eudoxiæ titulus nũcupetur, ſed ad Vincula, & à Vinculis, retẽto nimirũ vetuſtiori vſitatiori nomine. Quòd licet non euincat ante Eudoxiã, ita Baſilicam illam nuncupatã fuiſſe, Notkero tamen, & alijs ſupra indicatis coniecturis fauet. Poſito igitur, quod Notkerus docet, & aliæ rationes ſuadent Diuum Petrum Eccleſiam hanc ad Vincula primùm, & primam dedicauiſſe, probabile vtique non eſt Apoſtolorum Principem, & Chriſtianæ virtutis exemplũ, eandem proprio nomini conſecratam voluiſſe, ſed Deo potius & Saluator Domino, vt verus apud Petrum Venerabilem iam adducta traditio confirmare videtur. Titulos proprio nomini erectos, tam in veteri, quam in noua lege animadverto, Eccleſias non inuenio: quæ cum inſignis ſit differentia, videtur aliquod inter Titulum, & Eccleſiam diſcrimen ponere, quamquam omnes ferè, qui de ſacris Titulis ſcripſerunt, Titulum cum Eccleſia miſcere videantur, vt doctiſſimi Baronius, & poſt eum Gretzerus: ille in Notationibus ad Martyrolog. & in Annalibus; hic lib. 2. de Cruce cap. 7. Primos vtiq. Apoſtolicos viros, à quibus primi Chriſtiani didicerunt, Tituli nomen eo potiùs ſenſu vſurpauiſſe credendum eſt, quo in ſacris literis expreſſum, & vſitatum viderint, quam quo gentiles, & Ethnici vſi ſunt. Titulum quid fuiſſe in faſtigium erectum, pro ſigno, ſiue falſæ, ſiue veræ Religionis, vel pro monumento ad poſteros alicuius rei geſtæ, vel conſpicuæ perſonæ in ſacris voluminibus inuenio. Pro veræ pietatis ſigno Iacob Patriarcha Geneſis cap. 28. *Tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in Titulum fundens oleum deſuper.* Ita vouens altare Deo, quod alio tempore ædificauit, & domum Dei dixit, vt patet ex eiuſdem Geneſis cap. 31. & 35. Titulum pariter lapideum, quando eum Dominus vocauit Iſrael erexit Iacob *in loco quo locutus fuerat ei Deus.* Sacros duodecim Titulos erexit Moyſes Exodi cap. 24. pro duodecim tribus Iſrael, cum ad radices Montis ædificauit altare, quod ibi palam differt à Titulis. Ethnicos pro falſa religione, Titulos etiam erexiſſe patet ex Numer. cap. 3. mandauit enim Deus Iſraelitis intrantibus terram Chanaã, vt *eorum confringerent Titulos, & Statuas*, & 26. Leuitici eiſdem vetauit, ne ſibi facerent Idolum, & ſculptibile, aut *erigerent Titulos*. Non tamen ſemper fuerũt Tituli ſignũ rei Deo, aut Idolis deuotæ, ſed monumentũ etiãindicabãt alicuius memorabilis facti, aut defuncti hominis. Ita idẽ Iacobus Geneſ. 31. tulit lapidẽ, & erexit titulũ initi fœderis cũ ſocero Labano, & mortua Rachele vxore titulũ ſuper eius ſepulcrũ erexit, de quo his verbis ſacra pagina teſtatur. *Hic eſt Titulus Monumenti Rachel vſque in præſentẽ diem.* Sed Abſolon Dauidis Regis filius 2. Reg. cap. 18. erexit ſibi Titulum monumentum nominis ſui *& vocauit Titulum nomine ſuo.* Quemadmodum verò Abſalon Titulum ſuum vocauit *Manus Abſalon*, ita & Iacob primum quod erexit, *domum Dei* inſcripſit. Erat igitur Titulus in lege veteri lapis, vel tumulus in faſtigium erectus ad indicandum prætereuntibus locum eſſe, vel Deo, vel memoriæ alicuius rei geſtæ, vel illuſtris perſonæ dicatum. Initio naſcentis Chriſtianæ legis, dum Euangelica paupertas, & humilitas vulgabatur, vix Titulos alios erectos exiſtimarem, quam in opus religionis, vel ad Eccleſiam mox conſtruendam, Deoq. dicandam, vel ad conuentum in ſignata domo conuocandum, vel ad alicuius ſancti viri defuncti memoriam. Anacletus ſancto Petro, quemadmodum liber Pontificalis teſtatur memoriam conſtituit, hoc eſt Titulum ſuper monumentum. Ita me docet Pudentius, qui ſepulcrum ſancti Pauli via Oſtienſi Titulum eruditè dixit.

Parte alia Titulum Pauli via ſeruat Oſtienſis,

Atq.

Atq. ita etiam à fidelibus vocatas fuisse martyrum memorias docet apud eundem Prudentium Tyrannus, qui S.Vincentij ossa aboliturum se minatur, ne *plebs garrula excolat, Titulumq. figat martyris*. Sed Tituli furente persecutione domus erant à ditioribus Christianis signatæ ad pauperum fidelium perfugium, & alimoniam, sacrosque conuentus. Vetustius huius rei monumentum non inuenio, quam in epistolis Sancti Pij primi Pontificis ad Iustum Viennensem Episcopum, in quarum prima legitur. *Soror nostra Euprepa Titulum domus suæ pauperibus assignauit, vbi nunc cum pauperibus nostris commorantes Missas agimus*. Cogebantur grassante tyrannorum, gladio fideles, res suas, domusque relinquere, & profugi, ac latitãtes ex ditiorum collectis eleemosynis, & in commune collatis clanculum viuere, quod docuit S.Ambrosius in cap.6. epistolæ ad Romanos de Triphina, & Triphosa laborantibus in Domino. Inquit enim, *labor hic in exhortatione est, & in pressura, & in egestate propter Christum, quia domus suas relinquebant fugati, & opprobrio erant infidis*, Domus istæ pauperibus assignatæ, & hospitales ad fidelium perfugium aliquo signo notari necesse erat, vt à profugis cognoscerentur, nulloq. magis apud eos venerabili, ac facili signo inscribi, vel indicari poterant, quam appicta, vel incisa Cruce. Salutat D. Paulus cap. 4. epist. ad Colossenses *Nympham, & domesticam eius Ecclesiam*. D.Ambrosius domesticam illam interpretatus Ecclesiam addit *Nympha tam deuota videtur fuisse, vt omnis domus eius signo titulata esset Crucis*, ita ad ian tiquũ Titulorum morem respiciens. Huius generis facile est Titulum fuisse à Pastore erectum, cuius idem S.Pius meminit in secunda epistola vbi inquit. *Presbyter Pastor Titulum condidit & dignè in Domino obijt*. An huius Pastoris Titulus idem sit cum Titulo à Pudente erecto nomine Pastoris hæreo. Duos Hermas Pastores nuncupatos agnoscunt Viri docti, vetustiorem alterum Pudentis sub Pauli disciplina condiscipulum, alterum iuniorem S.Pij Pontificis fratrem, de quibus videndus nuper editus Labbeus in dissertatione de scriptoribus Ecclesiasticis in Herma. De iuniore loqui Pium crederem, dum post annum 162. ex computo Baronij obijsse certum est, senior vero vno ferè sæculo anteiret. Hunc tamen vetustiorem Titulo Pastoris domum suam peregrinis, & pauperibus Christianis dedicauisse putarem, quemadmodum legitur in adducto superius fragmento Actorũ S.Pudentis, quæ à Pastore iuniore scripta esse videntur. Quamquam enim Titulum a Pudente nomini suo dicatum fuisse, idem Pastor videatur asserere, ita verba explicarem, vt eidem nomini suo, hoc est Pastoris dedicatum esset, non illi. Neque difficile esset Titulum habuisse nomen Pastoris ex signo priscis Christianis vsitatissimo, quo Christum seruatorem nostrum indicabant figura pastoris ouem in humeris ferentem, & in re nota Lectores ad Aringhium amandamus in Roma subterranea præsertim lib.6. cap.18. Titulum equidem Pudentis, non Pastoris vocat Ecclesiam S.Potentianæ Anastasius Bibliothec.in Vita Hadriani primi. In hoc vetustiori Pastoris Titulo prope Thermas Nouati, vel prope dedicatam in eis Ecclesiam S.Pius Pontifex Baptisterium posuit, in quo etiam S. Stephani Papæ, ac martyris tempore Nemesius, ac Lucilla filia eius cum alijs promiscui sexus 62. baptismum susceperunt, vt in Actis eiusdem S.Stephani legitur. In hoc etiam vel alio proprij nominis Titulo S.Praxedes apud Baronium anno 164. *Multos Christianos occultabat in eodem Titulo, quos cibo pascebat*, vt hinc etiam pateat Titulos veluti hospitales, sacrasq. domos fuisse, & ab Ecclesijs, dum per mitiores persecutiones liceret, officio omnino diuersos. In Ecclesijs quidem Deo dicatis consuetum cibum sumere, etiam Apostolorum æuo vetabatur. Vnde D. Paulus Corinthios prohibuit in Ecclesijs manducare, quod proprijs domibus conuesci

magis honestum esset, sicuti in Ecclesijs mulieres tacere voluit, quod in proprijs domibus non vetauit. Fateor ne dum in Titulis ad pietatem, & religionem signatis, sed etiam in ipsis domibus fidelium, Christianos pauperes tempore persecutionum conuixisse, Synaxes sacras exercuisse, & Missas celebrasse: quin etiam in latibulis, in cryptis, cœmeterijs, ac arenarijs sacra mysteria perfeciſſe. At quãdo licuit, ab Ecclesia Tituli discernebantur, sicuti priuatæ domus ab Ecclesijs. S. Cyriaca, vt ex eius Actis constat, *cum feruor persecutionis instaret domum suam, qua erat in Cælio Monte, militibus Christi*, Sanctis videlicet, *ad conueniendum, & sacramentũ Domini conficiendam obtulit, nullo timore perterrita*. Ita legitur ex ms. codice Vallicellano apud Aringhium lib. 4. cap. 16. quod explicatur apud Surĩ T. 8. in vita S. Laurentij, dum legitur, quod *Cyriaca vidua in domo sua multos habebat Christianos, & presbyteros, & clericos abscõsos*, & ipse S. Laurentius circuibat cryptas, & domus, vt pauperibus Christianis de thesauro Romanæ Ecclesiæ subveniret. In Titulis Missas etiam persecutione furente celebrari consueuisse docet S. Pius in adducta epistola de Euprepiæ Titulo: clarum est etiã ex vita S. Marcelli in Pontificali libro, quod Lucina Matrona vidua suscepit ex catabulo B. Virum Marcellum, *quę, & domum suam nomine Tituli B. Marcelli dedicauit, vbi die, noctuq. hymnis, & orationibus Domino Iesu Christo confitebantur.* Tunc enim, vt D. Chrysostomus affirmat orat. 33. in Matthæum, domus erant Ecclesiæ. *Domus priscis temporibus Ecclesiæ erant, nunc etiam ipsa Ecclesia in domum redacta est; nihil autem in priuata domo carnale loquebantur, nihil nunc in Ecclesia spirituale memoratur*. Quod tamen nonnisi furentibus gladijs concessum erat. Sub Euaristo anno Christi circiter 112. Tituli, hoc est domus religioso vsui mancipatæ, iam multi erant, quos *in Vrbe Roma diuisit presbyteris.* Ita tituli in domos presbyterales, ac veluti parœcias primis etiam Ecclesiæ temporibus euadebant. Id expressius S. Marcellus Papa præstitit, vt in eius vita in libro Pontificali legitur. *Viginti quinque Titulos in Vrbe Roma constituit, quasi Dioeceses propter Baptismum, & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis, & propter sepulturas martyrum*. Hinc videtur constare prope Titulos, vel in ipsis Titulis fuisse fontes Baptismales, quemadmodum S. Pius Papa Baptisterium dedicauit, in Titulo Pastoris, vt vidimus. Ex Titulis etiam aliquos in publicum fidelium vsum erectos, ac dedicatos fuisse existimarem, qui ampliori nomine Tituli Romani vocarentur. Ita Titulum Pastoris nuncupatum S. Pius Pontifex Titulum Romanum vocauit in adductis epistolis Pastoris, & Timothei apud Baronium. Ita recentius quinti sæculi initio Innocentius Papa primus *ex delegatione illustris fœminæ Vestinæ Tit. Romanũ cõstituit*, vt legitur in libro Põtificali, quod suadet minus etiam solemnes alios Titulos in vrbe Roma esse cõstructos. Annexos quidem hos Ecclesijs fuisse putarem, non tamen ipsas Ecclesias. Quis enim crederet viuo alicui Titulum tanquam Ecclesiam inscribi, & dedicari, & tamen legimus Pudentem Pastori viuenti (nisi Christo summo Pastori intelligendum sit) Titulũ dedicauisse. Vidimus etiam S. Lucinã Marcello Pontifici viuenti, & quod maius est ex libro Pontificali constat sanctum Syluestrum sibi ipsi Titulum inscripsisse. *Eisdem temporibus constituit B. Siluester Titulum suum in regione tertia, &c. Titulum scilicet Siluestri*; quem, vt obiter dicam, diuersum fuisse à Titulo Equitij ex eodem libro Pontificali conuincitur, dum diuersa munera ibi referũtur à Constantino tributa Titulo Siluestri, diuersa Titulo Equitij. Salutari Crucis signo Titulos à Christianis fuisse honestatos viris summis Baronio, & Gretsero placuisse video, nosq; etiam supra ex D. Ambrosio indicauimus, sed insuper coniecturam nostram addidimus à fidelibus Titulos signari potuisse, Saluatoris ouem humeris

ferentis

ferentis imagine, quemadmodum sacra vasa, aliaq. Ecclesiastica vtensilia ex Tertulliano, & alijs signari consueuisse educitur. Ecclesias Crucibus erectis, vel pictis vsitatius fuit dedicare, iuxtà illud Ambrosij, seu Maximi serm. 56. *Ecclesia sine Cruce stare non potest*. Quinimo Theodosius Imperator Cod. lib. 16. tit. 1. de Paganis l. vltima mandauit, vt si quæ adhuc gentilium templa restarent *collocato in ijs venerandæ Christianæ religionis signo diuino cultui dicarentur*. Inualuit tamen à prisca Ecclesia apud fideles vsus, vt non modo in Ecclesijs, & Titulis, sed ante priuatas Christianorum domus Cruces pingerētur, & eisdem obijciebat Iulianus Apostata lib. de Imag. inquiens. *Crucis signum adoratis, imagines illius in fronte, & ante domus pingentes*. Vnde appositum tantum Crucis signum Titulos, & Ecclesias à priuatis domibus distinguere satis non poterat, vt necesse fuerit nomen etiam Titulis apponere, nempe Pamachij, Vestinæ, Equitij, &c., & dedicatas Ecclesias etiam suis nominibus nuncupare. Cum ergo Tituli, saltem initio quid diuersum ab Ecclesijs essent, & deinde neq; omnes Ecclesiæ tituli nomine dicerentur, consentaneum magis videtur religiosas propriè domus fuisse, primum quidem ad pauperes alendos, & presbyteros in fide, ac sacris mysterijs roborandos, deinde ad parœcias, siue diœceses distinguendas. Ædes has præsbyterales Ecclesijs contiguas, vel proximas extitisse necesse est, cum in his vnus, aut plures presbyteri manerent, parrochi munus exercentes, prædiaque possidentes ad cultum, & victum assignata. Ita in lib. feudorum T. 6. §. agitur de rebus Ecclesiarum, quæ Episcopis, & Abbatibus subijciuntur, *& Tituli vocãtur*. Ita & Vestinæ Titulus in libro Pontificali iam adducto videtur à Basilica distingui, & domus nuncupari dum additur. *Ex dispositione Vestinæ Tituli supradicti præsbyteris est concessa potestas*. Ecclesiasticus ergo Titulus sine Ecclesia non erat, sed non omnis Ecclesia Titulus dicebatur. Passim enim in Vitis Pontificum occurrunt Ecclesiarum dedicationes, & Basilicarum constructiones, quæ Tituli non vocantur, & plura exempla sunt in vnica Adriani primi Vita apud Anastasium Bibliothecarium, penes quem tamen Ecclesiæ, quæ titulum habebant, cum ipso Titulo confunduntur. Exemplo sit ipsum de quo agimus S. Petri ad Vincula templum, cuius hoc pacto restauratio per Hadrianum notatur. *Pariter, & templum Apostolorum, quod appellatur Eudoxiæ ad Vincula, totam eius à nouo restauranit Ecclesiam*. Vbi succurrit obseruatione dignum, Ecclesiam illã non tantum S. Petri ad Vincula vocari, sed Apostolorum. Quod agnomen non ita acciperem, quasi Apostolis omnibus dicata esset, sed quia ab Apostolis, hoc est Apostolorum coriphæo dedicata, ab ipsis Apostolis originẽ traxerit. Plures iam presbyteri sub vnico Titulo morabantur tempore Symmachi Papæ, & in Concilio Romano primo anno Christi 499. ex pluribus titulis bini præsbyteri subscribunt. Desunt tamen S. Petri ad Vincula Titulares, quòd in schismate Laurentij Symmacho fauentes trucidati essent, vt vidimus: neque ante Symmachum subscribentes presbyteros titulis assignatos inuenire licuit. In recentioribus quidem Pontificium diplomatibus Cardinales præsbyteros ita, manus suas subscribendo, apponere animaduerto, vt ab Ecclesia S. Petri ad Vincula Titulus Eudoxiæ distinctus appareat. In Callisti diplomate pro Ecclesia Catacensi Tomo 9. Italiæ sacræ Vghellij p. 502. subscribit *Benedictus Presbyter. Cardin. Sancti Petri ad Vincula Tit. Eudoxiæ*, & in alio Cælestini tertij pro Ecclesia Theanensi apud eundem Vghellium T. 6. pag. 700. sub anno 1192. subscribit *Bernardus S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Tituli Eudoxiæ*. & T. 8. in Bulla pariter Cœlestini pro Ecclesia Beneventana anno 1159. subscribit pag. 200. *Petrus Presbyt. Cardin. Sancti Petri ad Vincula Tit. Eudoxiæ*. Quæ cum Ecclesiam Sancti Petri ad Vincula à Titulo Eudoxiæ quodãmodo, dum coniungunt,

diuidere videantur, aliæque adductæ rationes, & coniecturæ suadeant Ecclesiam illã ad Vincula, seu Apostolorum ante Eudoxiam steriſſe, nihilque pugnare videatur, quin prima à D.Petro in Vrbe Roma dedicata, aut consecrata esse potuerit, huic tandem prolixæ Exercitationi colophonem addere docent. Vtinam lux aliqua, quantumuis dubia sacris D.Petri cathenis, eiusq; dedicatæ Ecclesiæ in tanta sæculorum caligine affulgeat.

IIII. Nonas Augusti.

ROmæ Sancti Stephani Martyris. In Antiochia Natalis Reliquiarum Protomartiris Stephani, & Diaconi, *qui Ierosolymis est lapidatus, ex reuelatione Luciani presbyteri corpusculus eius Ierosolimis est translatus*. Et in Cesarea Mauritaniæ Theodotæ, & vij. Filiorum eius, quorum gesta habentur, & in Italia Ciuitate Verona Natalis Sancti Felicis, & Sancti Niceti. In Nicomedia Natalis Martyrum nũo vij.

AVGVSTVS 2.

NOnnihil mutilos agnoscimus codices nostros in S.Stephani martyris ac Pontificis indicanda celebritate; tum quòd dignitatem, tum quòd præcipuum locũ venerationis subticeant. Dignitatem cathedræ exprimit M. Vetustissimum, de more tamen non nisi Episcopum vocat. *IIII. Non. Augusti. Romæ Stephani Episcopi. Et in Bitia ciuitate Theodotæ cum tribus filijs suis. Et in Verona Felicis, & alibi Niceta. Nicomediæ martyrum numero viij.* Corbeiense verò M. locum passionis non Pontificium munus exprimit. *iv. Non. Augusti. Romæ in Cimiterio Callisti S.Stephani Martyris. In Antiochia natalis reliquiarum Sancti Stephani Protomartyris, & Diaconi, qui Hierosolmis est translatus ex reuelatione Luciani Presbyteri. In Cæsaria Mauritaniæ Theodotæ, & septem filiorum eius. Et in Italia ciuitate Romana Natalis SS. Felicis, & S.Niceti. Nicomediæ Natalis Martyrum numero septem cum socijs corũ.* S.Stephani Papæ, & martyris Acta habentur à Molano laudata, & plurium SS. martyrum notitijs referta, quæ penes nos etiam sunt mſſ. in vetere Hagiologio, & eadem sunt, quæ ex Cardinalis Baronij Annalibus edita prostant Tomo 8. Surij editionis Colonienſis nouissimæ, vna cũ ijsdem, vel parum diuersis ex Metaphraste. In his omnibus capite truncatum narratur, dum sacrificium Deo offerret in cryptis Via Appia 4. Non. Augusti. *Cuius corpus sepelierunt in eadem crypta cum ipsa sede, vbi astans sanguis eius effusus est, in locum hodie cœmeterium Calisti, vbi requieſcit in pace*, vt Hagiologium nostrum habet. Emendandus qua propter librarij error in calendario Frõti, in quo legitur 2. *Augusti Natalis Sãcti Stephani Via latina*. A' socijs enim, Tertulliano præsertim, Via Latina agonem complente, error antiquarij ex ijsdem Actis manauit, qui lapsus etiam conuincitur ex Vetustissimo fragmento Romani M. apud Bucherium, vbi scriptum legitur. *Quarto nonas Augusti. Stephani in Callisti.* Quia verò hac die celebris est S.Pontificis memoria, tam in Romano emendato M., quam in alijs latinorum, alia addere supervacaneum est. Notkerus Acta per compendium exhibet, sicuti Petrus de Nat. lib.7. cap.xj. & Græcorũ Menologium hac ipsa die.

In Antiochia. Romanum M. cum Beda, Vſuardo, Adone, Vvandelberto, Notkero, & alijs recentioribus latinis inuentionem, ſeu potius translationem corporis Sãcti Stephani prothomartyris reũcit in ſequentem diem, & pluribus ibi Baronius proſequitur. Animadvertendum tamen eſt de reliquijs S. Stephani duplicem in Vetuſtiori M. noſtro celebritatem indicari, alteram iiij. Nonas Antiochiæ, alteram iij. Nonas Ieroſolymis. Primam exprimit apertius Notkerus. *In Antiochia Nat. reliquiarum S. Stephani Prothomartyris Chriſti, & primi in Eccleſia Diaconi; vbi haberi dicitur vnus de lapidibus, quibus in paſſione ſua percuſſus eſt, & multas ſanitates per eum fieri.* De conſimili lapide Anconam translato teſtatur D. Auguſtinus, & inuentas per Lucianum fuiſſe S. Prothomartyris reliquias, ad plures locos diuiſas pẽrueniſſe, patet ex pluribus. In Africa, & Minorica inſula S. Stephani reliquias miraculis illuſtres fuiſſe habetur ex libello de miraculis S. Stephani, qui aſcribitur Euodio Epiſcopo Vzalenſi, & in Epiſtola Seueri Epiſcopi Minoricẽſis, quæ ſcripta creditur anno 423. v. Kal. Martij. Extat etiam Epiſtola Auiti presbyteri ad Balchonium Epiſcopum Bracharenſem circa annum 415. ſcriptam, ad quem pars inuenti corporis tranſmiſſa dicitur, Lucianus verò presbyter, cui reualatũ fuit S. Prothomartyris corpus, teſtatur in translatione eius à Villa Caphargamala Hieruſalem, relictos ſibi fuiſſe *de membris eius paruos articulos, imò maximas reliquias, terram cum puluere, vbi omnis eius caro aſſumpta eſt*; quas reliquias pluribus Eccleſijs communicauit. At ſiue ex relato à Notkero lapide, ſiue ex alijs in translatione communicatis reliquijs, certum eſt hac die Antiochiæ, non agonem, ſed reliquiarũ natalem, ſiue celebritatem recoli cõſueviſſe, quæ tanquam ſolemnis in Vetuſtiori noſtro M. Antiochiæ indicatur. Apud Græcos, non hac die, ſed 15. Septembris in Menologio Sirleti, ſiue Caniſij ita ſignatur, *Commemoratio, nec non inuentio reliquiarũ S. Martyris Stephani.* In mſ. Martyrologio S. Cyriaci Baronius teſtis eſt nullam hac die Inuentionis memoriam extare, ſed S. Prothomartyris feſtum memorari in Anconа, vbi haberi dicitur vnus ex lapidibus, quibus percuſſus eſt. Inde Bedam corrigendum arbitratur, qui legit ſimul cum Notkero. *In Antiochia S. Stephani protomartyris, vbi haberi dicitur vnus de lapidibus, quibus in brachio percuſſus eſt, & multas ex eo virtutes ſanitatum fieri.* Exiſtimat enim Cardinalis Baronius ex his, quæ D. Auguſtinus habet ſerm. 31. & 32. de diuerſis, legendum eſſe Anconæ non Antiochiæ. Et quidem in Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio opportunior videretur natalis reliquiarum Anconæ celebratarum, quã Antiochiæ in Oriente. Sed quia codices noſtri cum Corbeiẽſi, Notkero, & Beda *Antiochiæ* conſtanter retinent, nihil immutandum cenſui. Plures enim lapides pluribus in Eccleſijs cum alijs D. Stephani reliquijs venerari potuiſſe, & miraculis vt Anconæ, refulſiſſe, nullum apparet inconueniens. De Inuentione, ſeu Translatione Hieroſolymam die ſequenti agitur.

In Cæſarea Mauritaniæ. Ita etiam legit cũ M. Corbeienſi mſ. Reginæ Sueciæ, in quibus pariter vij. filij numerantur martyres ſocij his verbis. 4. *Nonas. In Cæſarea Mauritaniæ Theodotæ, & vij. filiorum eius, quorum geſta habentur, & in Italia ciuitate Verona natale SS. Felicis, & S. Nicetij. Nicomediæ martyrum numero vij.* At neq. locus Paſsionis, neq. filiorum numerus cum M. Romano concordat. S. Theodoræ enim certamen recolit Niceæ in Bythinia, & tres illi tantùm filios aſsignat, quorum primogenitus Euodius nuncupatur, quemadmodum etiam apud Vſuardum, & Adonem legitur, quorum poſtremus diffuſiùs Acta proſequitur. Concordant Bellinus de Padua, Maurolycius, & Galeſinius: is tamen eandem putat eſſe Theodotam, quam ex Græcis indicauerat 4.

Cal.

Cal. Augusti. Duplicem in mſ. Reginæ Sueciæ Theodoram, ſiue Theodotam memorari video: Cæſarienſem cum ſeptem filijs unam: Nicenam alteram cum tribus filijs. Huius acta cum S. Anaſtaſiæ iunioris Actis proſtant apud Suriũ T. 12. ad diem 25. Decembris, in quibus narratur ortam fuiſſe Bythiniæ ciuitate Nicea, ſub Diocletiano vero captam cum tribus liberis in Macedonia, ac captiuam cum ijſdem tranſmiſſam in Bythiniam, ibiq. à Proconſule Bythiniæ cum filijs viuicomburio coronatam. Parum ab hac diuerſam S. Theodotæ, & liberorum hiſtoriam ex Regio codice Græco nuper produxit Combefiſius in Illuſtriũ Chriſti martyrum triumphis p. 247. in qua S. Matronam agonem compleuiſſe in Bythinia Niceæ cum liberis docetur, liberorum verò numerus non exprimitur. Huius ſeiunctim à Cæſarienſi Afra, ita meminit mſ. Reginæ Sueciæ. *Nicea in Bythinia paſſio S. Theodotæ cum tribus filijs, qui omnes igne conſumpti ſunt præcipiente Diocletiano Imperatore ſub Comite Leucadio*. Supplendum quapropter putarem in Vetuſtiſſimo M. Antuerpiẽſi nomen vrbis, & emendandum nomen Prouinciæ pro Bitia Bythiniam reſtituẽdo, hoc pacto. *In Bythina ciuitate Nicea Theodota cum tribus filijs*. De altera verò Cæſarienſi in Mauritania Theodota cum ſeptem filijs, præter aſſenſum noſtrorum codicum, M. Corbeienſis, & mſ. Reginæ Sueciæ, nihil addere me poſſe fateor, & quamquam in omnibus ex adductis libris addatur, *Quorum geſta habentur*, non dum hæc mihi manifeſta eſſe doleo.

In Italia. S. Felicem, & Nicetium in Vrbe Italiæ Verona vnanimes exhibent libri omnes mſ. iam adducti, ac inſuper, Notkerus his verbis. *In Ciuitate Verona Nat. SS. Felicis, & Nicetij*. Diſſidet tamẽ M. Vetuſtiſſimũ, quòd Veronæ tantũ Felicis memoriã exhibeat, *alibi* vero incerto loco Nicetiũ. Et re vera Panuinus lib. 4. antiquit. Veronenſiũ cap 4. ſub Ara maxima Eccleſiæ S. Stephani, paulo extra vrbis portam, conditum eſſe teſtatur corpus S. Felicis Epiſcopi, de Nicetio verò ſilet omnino. Sanctum hunc Felicẽ Epiſcopum Confeſſorem, non martyrem deſcribit Ferrarius, ipſiuſq. memoriam agit ex monumentis Eccleſiæ Veronẽſis ad diem xix. Iulij, nihil de Nicetio ſubdens, quem tamen ex vetuſtis, vt profitetur Martyrologijs, vna cum Felice, ita retinet Maurolycius *Veronæ SS. Felicis, & Niceta martyrum*. Nicetam nimirùm non Nicetium retinens, & omnino martyrem ſcribens.

Nicomediæ. Nicomedienſes Anonymos ſeptem mſſ. codicibus omnino debemus, hoc eſt libris noſtris, M. Corbeienſi, Reginæ Sueciæ, & Vetuſtiſſimo Antuerpienſi, in quo non vij. ſed viij. martyres indicantur, niſi error librarij dicendus ſit ex omnium aliorum conſonantia.

III. Nonas Auguſti.

SAncti Matrofili Epiſcopi, & Hermili Martyris. In Conſtantinopoli Natalis Sancti Acellai. Romæ Natalis Sanctorum Diogenis. Stephani. In Ieroſolymis inuentio corporis Beatiſſimi Stephani primi Martyris, & Sanctorum Gamalielis. Nichodemi, & Abibon. *In Auguſtiduno depoſitio Eufroni Epiſcopi*.

AVGVSTI 3.

VEtuſtiſſimi M. Sãcti Villibrordi Diariæ tabulæ à libris noſtris initio præſertim ità variant, *III. Nonas Auguſti. Antiochiæ Stephani. Conſtantinopoli depoſitio Metropoli Epiſcopi, & alibi Hermilæ martyris. Hieroſolymis Inuentio corporis S. Stephani Diaconi Apoſtolorum, & aliorum Gamalielis, Nicodemi. Et alibi Auguſtoduni depoſitio Eufronii Epiſcopi.* Stephanum Antiochenſem non recolunt libri noſtri, ſicuti neq. Notkerus, neq. mſ. Reginæ Sueciæ, in eo tantum ab illis differens, quòd Inuentionem S. Stephani ſileat. 3. *Non. Auguſti S. Matrophili Epiſc. & Hermeti martyris. Conſtantinopoli natalis S. Acillæ. Romæ nat. SS. Diogenis, & Stephani. Auguſtoduno depoſitio Euphronij Epiſcopi.* Vberius omnibus compa. ret M. Corbeienſe. Et ſi enim cum libris noſtris conuenit, quòd initio ſtatim Metrophilum Epiſcopum, & Hermelium martyrem exhibeat, variũ tamen in ordine apparet, pluresq. cælites quam M. noſtrum indicat. De Stephano nihil alicubi comparet præter quam in M. Vetuſtiſſimo. In huius Prototypo vereor, ne Antiochiæ Stephani memoria ad heſternum diem pertinens librarij vitio in hũc tranſpoſita ſit, ſicuti in libris noſtris poſtpoſitum Conſtantinopolis nomen initio laterculi reponendum fateor, quemadmodum etiam in mſ. Reginæ Sueciæ, & Corbeienſi M. in quo diarius indiculus hoc ordine proſtat. *III. Non. Aug. Sancti Metrophili Epiſcopi, & Hermeli martyris. In Conſtantinopoli Natalis Sancti Achillei, Iuſti. Et Natalis Sãctæ ....ddenis martyris. Romæ Natalis Sanctorum Erogenis, & Stephani. Hieroſolymis Inuentio corporis Beatiſſimi Stephani primi martyris, & Sanctorum Gamalielis, Nicodemi. & Abibonis. In Auguſtiduno depoſitio Eufronij Epiſcopi, & Confeſſoris.* Metrophilum, ſiue Matrophilium Epiſcopum, nominis ſimilitudo ſuaderet Cõſtantinopolitanum credere, niſi id Vetuſtiſſimum M. expreſsè doceret, De hoc Metrophane nuncupato agit Romanum die 4. Iunij cum Græcis in Menologio, vbi videnda, quæ notat Baronius. Sancti Epiſcopi vitam ſummatim, ibi Græci recenſent, filiumq. docent Domitij fratris Probi Imperatoris, ac baptizatum, & cum Tito Epiſcopo Byzantino conuerſatum, tandem in eadem cathedra ſuffectum. Inter Patres Nycænæ magnæ ſynodi numeratur, quãvis eundẽ ſenio, & morbo grauatum non niſi per Vicarium Alexãdrum interfuiſſe, ijdem Græci doceant, & ſub magno Cõſtantino requieviſſe in Domino. Hormelium, ſiue Hermilium, ſiue Hermillam, ſiue Hermetem martyrem Conſtantinopoli pariter tribuunt, Martyrol. Romanum, Beda, Vſuardus, Ado, Bellinus de Padua, Maurolycus, & Galeſinius: quorum aliqui Hermellum, alij Hermolium, alij Hermolaum vocant. Libri noſtri cum Corbeienſi, & mſ. Reginæ Sueciæ, dum eum ſimul cum Metrophane recolunt, Conſtantinopoli ſuboſcurè tribuunt. Vetuſtiſſimum tamen M. non Byſantio, ſed alibi incerto loco martyrem agnoſcit. Acillam ſanè, quæ ijdem adducti codices propalam Conſtantinopoli aſſignant, ſubticet idem Vetuſtiſſimum. Achilleum, non Acillum, vel Acellum vocat M. Corbeienſe, & illi Iuſtum ſocium adiungit reliquis ignotum, & ſanctam martyrem, decurtato iniuria tẽporis nomine, tantùm indicatam *.....ddenis*. Achillam recolit Notkerus his verbis. *Conſtantinopoli S. Achillę.*

Romæ. Notkerus, qui Vetuſtiori M. noſtro ad Adonis codicẽ præfixo, plurimum innititur, hos ſanctos ab alijs prætermiſſos Romanos martyres Diogenẽ, & Stephanum pariter recolit. *Romæ natiuitas SS. Diogenis, & Stephani martyrum*, cui non modo concinunt libri noſtri, ſed iam adducti M. Corbeienſe, &

Reginæ

Reginæ Sueciæ, dum reliqui silent.

In Hierosolymis. De Inuentione reliquiarium S. Stephani, eiusq. Hierosolymam translatione extat Epistola Luciani presbyteri omnibus probata, tum apud Surium T. 8. tum apud Baronium ad annum 415. Incidit reuelatio prima in sextam feriam 3. Nonas Decembris. & post tres septimanas inuentio, ac vij. Kal. Ianuarij translatio, vt in eadem epistola adnotatur. Petrus de Natal. lib. 7. cap. 15. traditionem refert, quod dies 3. Nonis Augusti, sit dies passionis, & vij. Kal. Ianuarij dies translationis. Cur verò Ecclesia has festiuitates ita immutauerit, rationem reddit lib. 2. cap. 4. Et hoc fortasse hausit ex Notkero, vel alio cõsimili per antiquo M. Putat enim Notkerus hunc esse diem primæ sepulturæ, quando raptum est sacrum eius corpus de manu Iudæorum, qui illud, ne sepeliretur, custodiebãt, & B. Gamaliel in Villam suam transtulit. At hæc accomodari nequeunt M. nostro, in quo simul inuenta corpora sanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis narratur, qui tempore sepulturæ S. Stephani non adhuc decesserant. Nec aptari possunt, quæ de Translatione Constantinopolim, & Romã meditatur Baronius. Expresse enim legitur, tam in libris nostris, quam Corbeiensi, & Notkero *Hierosolymis inuentio corporis, &c.* & additur etiam inuenta simul fuisse corpora SS. Gamalielis Nicodemi, & Abibi, siue Abibonis: nec de Inuẽtione, in epistola Luciani memorata, Vetustius M. nostrum intelligere dubitandum non est, præsertim quia vij. Kal. Ianuarij, non inuentionem reliquiarum, sed Passionem S. Prothomartyris expresse signat. Vnde videtur dicendũ permutatos ab Ecclesia celebritatis dies, vt solemnius passio cum Natali Domini celebraretur, quem admodum Petrus de Natalibus docuit. Subtricere autem non libet, quod de Nicodemi, & Gamalielis nominibus idem Lucianus perhibet in epistola adducta cap. 9. Scriptum nempe fuisse altissimis literis super lapidem sepulcralem. *Celiel; quod interpretatur seruus Dei, & Apaan, Dardan; quod interpretatur Nicodemus, & Gamaliel.* Nomina hæc propria fuisse vix crederem, cum semper Nicodemus in Euangelio suo nomine nuncupetur, non Apaam, sed significatiua, vt Celiel Stephanum significabat, non proprio nomine, sed appellatiuo serui Dei. Nicodemi, Gamalielis, & Abibon corpora Hierosolymis translata in maiori Pisana Ecclesia peculiari sacello venerantur.

Augustodunо. Euphronium S. Episcopum Augustodunensem exhibet Romanum M. cuius meminit Gregorius Turonensis, & Sidonius. Interfuisse Concilio Lugdunẽsi, & cõtra Pelagianos epistolã Fausti subscripsisse ibi notat Baronius. Meminerunt, præter adductos codices etiam Notkerus, Hagiologium Franco-Gallicum Lebbei, Saussayus, & alij sacræ Galliæ antiquarij, ex quibus olim ad vetustius M. additamentum effluxit. Plura de eo Sammartani, qui nonum Episcopum Æduensem numerant, & floruisse docent anno 461.

II. Nonas Augusti.

ROmæ via Tiburtina in Cimiterio Natalis Sancti Crescentiani, & Iusti. Et Natalis Sancti Sanchinti. In Nicomedia Natalis Sanctorũ Sergi, & Bartholomei. *Lugduno Gallie Aduentus corporis Sancti Iusti Episcopi de Heremo.*

Variat

AVGVSTI 4.

VAriet à libris noſtris Vetuſtiſſimi M. Antuerpienſis quotidianus nomenclator, tàm in ordine, quàm nominibus ipſis, ita explicatis, & diſpoſitis. *Pridie Nonas Auguſti. Nicomediæ Iſali. & Romæ Creſcentiani, Iuſtini, Quinti, Bartholomiæ. Translatio S. Iuſti Epiſcopi.* Vberius, & magis noſtro conſonum M. Corbeienſe, ita loquitur. *Pridie Nonas Auguſti. Romę viâ Tiburtina in Cimiterio natalis SS. martyrum Creſcentianæ, & Iuſtæ. Et natalis S. Secinthi. In Nicomedia natalis SS. Segę, & Bartholomei martyris. Lugduno Gallię, aduentus corporis S. Iuſti de Eremo.* Ex duplici verò mſ. Reginæ Sueciæ apertiùs docemur de loco paſſionis, ſeu ſepulturæ, & venerationis SS. martyrum Romanorum. Alter enim in poſthumis Adnotatis Holſtenij legit. Prid. Non. in fine latereculi. *Romę via Luuicana miliario ab Vrbe xiv. natale Sācti Sachinti. Nicomedię natale SS. Segę, & Bartholomæi. Lugduno Gallię aduentus corporis S. Iuſti Epiſcopi de Eremo.* Exprimit alter ex libris mſ. Reginæ Sueciæ cœmeterium, in noſtris codicibus prętermiſſum. *Romæ Via Tiburtina in cęmeterio S. Laurentij martyris Creſcentiani, & Iuſti, & natalis S. Sachinti. Nicomediæ &c.* vt in primo. Pro Iuſto Iuſtinũ habet M. Vetuſtiſſimum, & pro Sachinto, Quintum. Bartholomiam vero contra reliquorum codicum fidem Romæ tribuit ſuppreſſo, vel mutato in Itali nomine Sergio, qui Nicomediæ eſſet tribuẽdus cum Bartholomæo. Facile per Cœmeteriũ via Tiburtina in codicibus noſtris intellexiſſem cœmeterium Cyriacę in Agro Verano, quod ex S. Laurentij ſepultura clariſſimum eſſet, ſed apertè id confirmat alter mſ. Reginæ Sueciæ, cuius & aliorum adductorum codicũ fide Creſcentianum, & Iuſtum lego, nõ Creſcentianam, & Iuſtam, vt retinet M. Corbeienſe. An Creſcentius potius quam Creſcentianus dicendus ſit, dubitari poteſt, cum Creſcentius Lector apud Bibliothecarium in Siſto II. ſepultus ſit cum B. Laurentio in cœmeterio Via Tiburtina. Ita dubitari poteſt, an Iuſtus Iuſtinus potius ſit ſanctus presbyter, qui quamplura SS. martyrum corpora in eodem cœmeterio Via Tiburtina cõdidit, cuius meminerunt Acta S. Siſti, & Laurentij, & mſſ. codices Lateranenſis, & S. Petri, vt in fragmento apud Arinhium lib. 4. cap. 16. n. 5. Is capite ſub Claudio truncatus à fidelibus ſepultus eſt *in crypta, in agro Verona pridie Nonas Auguſti.* At Notkerus Iuſtinum à Iuſto apertè diſtinguit. *Item Romæ Via Tiburtina Creſcentiani, & Iuſti. Item Iuſtini presbyteri, de quo narratur in paſſione S. Laurentij, &c.*

Et Nat. S. Sāchinti. Præterquã in mſſ. adductis iam codicibus de S. Sanchinto, vel vt legit M, Corbeienſe Secinto, vel Sacintho nullam alibi memoriam inuenio. Sepultum eſſe S. Martyrem via Labicana milliario ab Vrbe xiv. alter ex mſ. codicibus Reginæ Sueciæ apertè docet. Reliqua mihi in obſcuro ſunt, ſicuti etiã Nicomedienſes martyres Sergius, & Bartholomœus, quĩ à Notkero prętériti, aliam lucem non accipiunt, quam ab adductis mſſ. libris. Segem non Sergium dicunt libri Reginæ Sueciæ, & Segam minima differentia M. Corbeienſe. Iſaliam verò hìc tantum Nicomediæ aſſignat M. Vetuſtiſſimus, alijs omnibus ignotam.

Lugduni. S. Iuſtum Epiſcopum Lugdunenſem multis proſequitur Theophilus Raynaudus in Hagiologio Lugdunenſi. Cauſam ſeceſſionis in Eremum Ægyptiam, vbi Eremiticam inter Anachoretas vitam geſſit, & ſanctè obijt, narratur in Actis S. Iuſti apud Surium T. 9.

ad diem 2. Septembris. Synchronus S. Ambrosij fuit, & cum eo Cõcilio Aquileiensi interfuit anno 381. tanquam Galloruun legatus. Dies secessionis ab Episcopatu apud eundem Raynaudum notatur 14. Octobris, natalis, seu felicissimi in Ægypto obitus 2. Septembris; Quarta vero Augusti dies reuectionis sacrorum ossium, vt Ado adnotauit ex Ægypto. De causa secessionis disputat idem Raynaudus contra Paradinum, & Seuertium, & ex vetusto Epitaphiorum codice per Quercetanum euulgato, Titulum memoriæ S. Iusti adfert, in quo eius vita percurritur. Decimus tertius Episcopus Lugdunẽsis numeratur à Sãmartanis, qui plura de eo cumulant ab anno 374. Nihil tamen de diebus celebritatis eius addunt. Quamquam verò trãslatio S. Iusti in omnibus adductis mss. codicibus hac die recolatur, minuta hæc de S. Viro in Vetustissimo M. addita à Gallicis clericis non dubito.

Nonas Augusti.

NAtalis Sanctorum Herenenti. Heracli. Dassi. Acsiopolim Herenni. Dalsi. Heracli. Romæ dedicatio Basilicæ S. MARIAE. In Ciuitate Augusta passio S. Afri. *Augustoduno Natalis S. Cassiani Episcopi. Catalonis ciuitate Natalis S. Mimini Episcopi.* Et alibi natalis Sanctorũ Floriani, & Filistini.

AVGVSTI 5.

SAcros huius diei fastos, alterius ex nostris codicibus malè aptus librarius, malè ex Ectypis suis accepit, & fluctuans, an rectè scriberet, aliquantulum corrupit. Prima ergo laterculi linea, in qua ille dubius hæsitauit, malè apposita, in altero codice apud Canonicos Lvcenses deest, & reliqua nonnihil tamen detruncata leguntur. *Natalis Sanctorum Herenni, Dassi, Heracli.* Deficit in his martyribus locus certaminis, qui corruptè in codice Musei nostri indicatur, dum legitur *Acsiopoli*, quæ Vrbs nimirũ Mysiæ inferioris est Ptolomæo apud quem Danubius ab hac Pontũ vsq. Ister nominatur. Ita partim corrigit, partim corrigẽdum se præbet ms. Vetustissimum Epternacense, seu Antuerpiense. *Nonas Augusti. In Axiliopoli Hirenei, Eracli, Dasi. Natalis Osualdi Regis. Augustoduno Cassiani Episcopi. Cataleonia ciuitate Mimmini Episcopi, & alibi Natalis Floriani, & Filistini.* Pro *Axiliopoli* legendũ esse Axiopoli non dubito, tum fide ms. Reginæ Succiæ, tum Martyrologij Corbeiensis. In illo legitur *Axiopoli Natalis SS. Herenei, Eraclij, & Bassi.* In hoc. *Natalis Sãctorum Herenti, Heracli, Dassi, siue Bassi. Axiopoli Hereni, Heracli, Dassi. Romæ dedicatio Ecclesia S. MARIAE. In Ciuitate Augusta passio S. Afræ. Augustoduno Natalis S. Cassiani Episcopi. Catalaunis ciuitate Natalis S. Memmi Episcopi, & Confessoris. Et alibi Natalis Sanctorum Floriani, & Filistina martyrum.* Ex eodẽ Archetypo accepisse videtur, qui Corbeiense M. exarauit, ac librarius codicis nostri, quandoquidem in prima linea hæreat pariter, an *Dassum*, vel *Bassum* reponeret. Magna hæc trium martyrum in nominibus similitudo, sicuti per incuriam primò esse repetitos suadet, ita in prima eadem linea adductos non iniuria remouendos esse confirmat, & Axiopoli tribuendos, qui incerto loco aliquibus

bus codicibus assignantur. De his cum neque Romanum Martyrologium, neq; Beda, Vsuardus, Ado, aut Notkerus meminerint, ex illis nequit emendari. Si quis verò contenderet, Herenæum ab Herennio, Bassum à Dassio, siue Datio diuersos martyres esse, ac proinde in binas classes distribuendos, alteram incerti loci, alterã Axiopolitanæ vrbis, vt mſ. Reginæ Sueciæ, cum Corbeiensi, & altero codice nostro, præseferre videntur, in tanta martyrum segete, nudis nominibus indicata, neque ipse pervicaciter negarem.

Romæ dedicatio. Non aliter huius dedicationis celebritatẽ exprimit M. Corbeiense. Hanc M. Vetustissimum silet cũ mſſ. Reginæ Sueciæ, Notkero, Vsuardo, & Adone; vt hinc Vetustius nostrum appareat ad vsum fuisse Romanæ Ecclesiæ, cuius proprium festum erat Ecclesiæ S. MARIÆ dedicatio, sicuti Kal. Augusti dedicatio S. Petri in Exquilijs. At sicuti hanc ideo in Martyrologio apponi existimamus, quòd prima esset à Petro Romæ Christo Domino dedicata Ecclesia, ita & illam hodie indicatam esse coniectaui, quæ B. Virgini prima Romæ solẽniter dedicata fuerit, saltem post primas sub Diocletiano dirutas, & sub Constãtino restitutas Ecclesias. Vnde libuit de more ad laterculi finem, in re dubia peculiari dissertatione exerceri.

In Ciuitate Augusta. Pium quendam errorem ex Afro martyre Augustophratensi, in Afrum martyrẽ Augusto-Vindelicam notat pro re nostra ante plures annos in suo Martyrolog. Notkerus his verbis, quæ ideo integra apponere non piguit. *In Augusta Euphratensi natiuitas S. Afri martyris, quorum nominum similitudine, ideſt, & Augusta, & Afri, nostrates inducti hac die apud Augustam Rhetianam, siue Vindelicam passionem S. Afræ consummatam putauerunt. De qua in sequentibus Deo volente dicemus*. Nil ergo corrigendum in nostro est, & contra plura Martyrologia latinorum nomen Afri, retinendũ, non modo Notkeri monitu, sed fide etiã mſ. Reginæ Sueciæ, in quo legitur *In Ciuitate Augusta passio S. Afri*. De Augusta Euphratẽsi in Syriæ regione, quæ & Comagena dicebatur, meminit Marcellinus, & Augustophratẽsis dicitur Aurelio Victori, Theodoreto, & alijs. De Afra martyre Augustana-Vindelica die sequẽti agendum est.

Augustoduno. Martyrologium Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, atq; alij S. Cassianum Episcopum Augustodunensem hac die recolunt. Ita & mſ. Reginæ Sueciæ. Addit Maurolycus à Zenone Episcopo Alexandrino consecratum fuisse, quod ex Petro de Nat. lib. 7. cap. 27. accepit. Erat enim genere Ægyptius, vt pluribus prosequitur Saussayus. Floruit circa annum Domini 400. Aliqua de eo habet Surius in vita S. Germani Autisiodorensis die 31. Iulij. Non fuisse Episcopum Augustodunẽsem primò, sed Ostiẽsis ciuitatis in Ægypto, deinde Augustoduni docet mſ. Martyrol. S. Sabini de Leuitania in Additionibus apud Saussayũ p. 1246. Meminit de eius sepulcro Greg. Tur. de Gl. Cõf. cap. 74. & plura de eo habẽt Sãmarthani.

Catalonis. Mimmium, nõ Mimminum alij legunt. Plures Memmium, vt Romanum Martyrologium, Beda, Vsuardus, Ado, seu potius eiusdem Auctarium, Notkerus, & alij. *Cathalanis S. Mammij Episcopi, & Confessoris* Nonis Augusti memoriam agit Hagiologium Franco Galliæ Labbei, plura refert Saussayus, & alij Galliæ sacræ scriptores, qui discipulum S. Petri fuisse narrant. Notkerus per compendia eius acta decurrit, latiùs Petrus de Nat. lib. 7. c. 25., qui tamen Mennium Episcopum, & Cõfessorem appellat, Mennium Galesinius. Memmium tamen vocat Greg. Turonensis de Gl. Cõf. cap. 66. qui missum fuisse à D. Petro in Gallia omnino silet. Corrigẽdum profectò in nostro Martyrol. est Vrbis nomen & reponendum pro Catalone *Cathalaunũ*, vel *Catalauni* vrbe Galliæ-Belgicæ in Cãpania. A' Gallico scriptore Vetustiori martyrol. SS. hos episcopos Cassia-

nũ, & Memmiũ addictos fuisse non difficile suadeor paucis eo habẽt Sãmarthani. *Et alibi*. De SS. Floriano, & Filistino vulgata martyrologia, quæ viderim, silẽt, præter Nockerum, qui Cœlestinum, nõ Filestinum Floriani socium appellat, incerto pariter loco veneratos. *Alibi Natinitas SS. Floriani, & Cœlestini*. Filistinam, non Filistinũ legit ms. Reginæ Suecix. *Et alibi Floriani, & Filistina*, in quo cum adducto Corbeiensi M. cõuenit. Filistinum cum codicibus nostris retinet Antuerpiense. Reliqua in obscuro nihil prorsus latent.

De Prima Romæ B. V. MARIAE dedicata Ecclesia.

EXERCITATIO XII.

DEIPARAM semper Virginem post Christum Dominum summo semper cultu ab Ecclesia fuisse veneratam, eiusq; venerationem in dies magis magisq; auctã, non est cur hic supervacaneo labore retexam. An in Gallijs Sanctæ Dei Genitricis prima Templa constructa sint, vt recentiores illius Regni scriptores astruunt, & ex illis Benedictus Gononus in Deiparæ chronico, cum seriùs trans Alpes euectam religionem nostram Seuerus Sulpicius antiquus grauis, & Gallus scriptor testatum reliquerit, nec fidem addo, nec detraho. Circa eadem tempora, volante Paulinum Antiochenum, primum Lvcensium à B. Petro Apostolo constitutũm Episcopum, inter Ecclesias Lvcæ in Hetruria excitatas, Acta eius docent, tam mss. in maioris illius Ecclesiæ Tabulario, quam edita apud Razzium, & Franciottum, primam ibi Ecclesiam construxisse in honorem S. Trinitatis, Virginis Gloriosæ, S. Crucis, & B. Stephani Prothomartyris; secundam verò in honorem Saluatoris; & singulariter *tertiam in honorem Virginis Gloriosæ*, præcipua scilicet dedicatione, & cultu; ita vt Itali, & Hetrusci primam Virginis venerationem Gallis non inuideant, quinimo sibi iure asserere possint, vt a nobis dictum est in libro de Hetruscæ Pietatis originibus, si Deus vitam prorogare dignetur, propediem edendo. De primo nunc Romano templo Deiparæ dicato disquisitionem mouemus. Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 21. dum celebritatis S. MARIÆ ad Niues originem à tempore Liberij Pontificis retexuit, primam hanc esse dedicationem Ecclesiæ, sub B. Virginis nomine in Romana vrbe videtur asserere; *Cum*, inquit, *vsq. ad illud tempus nulla intra vrbis ambitum in honorem B. Virginis fuisset Ecclesia fabricata*. Consentit huic assertioni Panuinus de septem Vrbis Ecclesijs, qui auctorem lectionum in vetustiori Romano Breuiario pro hac sententia adducit. Verùm hoc amplius tanquam suspectæ veritatis in Breviario Romano emendato non legitur. De nomine enim huius Ecclesiæ lect. vj. in Festo S. M. ad Niues post narratam à Liberio Pontefice illius Ecclesiæ designationem post Ioannis Patricij constructionem, ac Sixti III. restaurationem hæc docentur. *Variis nominibus primum est appellata Basilica Liberij Sanctæ MARIÆ ad Præsepe. Sed cum multæ iam essent in Vrbe Ecclesiæ sub nomine S. MARIÆ Virg. vt quæ Basilica nomine Miraculi, ac dignitate cæteris eiusdem nominis Basilicis præstaret, vocabuli etiam excellentia significaretur, Ecclesia S. MARIÆ Maioris dicta est*. Hoc peculiari Titulo Maioris in Martyrologio nostro non vocatur, quòd recentioris sæculi additamentum sit. Vetustius quod occurrat nomen est

Liberianæ

Liberianæ Basilicæ, & in vita S.Martini Papæ primi Anno 640. S. MARIÆ ad Præsæpe. Primum,quod illius supersit,monumentum est in libro Pontificali his verbis in vita Liberij, *Hic fecit Basilicam nomini suo iuxta macellum Lybia*, sed siue Marcellinus presbyter,seu Faustinus Diaconus schismatici,quidem,sed eoqui scriptores in libello apud Sirmundam de schismate Vrsicini, eiusdem Basilicæ,sed eodem pariter nomine meminerunt. In vita Sixti III. appellatur Basilica S.MARIÆ Matris Domini,& in vita Hadriani primi Basilica S.Dei Genitricis cognomento Maior, & ad Præsepe nuncupatur. Maiorem ideo dictam esse, quòd vetustate alias in vrbe B.Virgini erectas præcesserit,non contendo. Alias ante hanc constructas, & eidem B.Virgini dicatas fuisse non dubito. S.Callistus primus ex eodem Pontificali libro in eius vita *Fecit Ecclesiam Sanctæ Mariæ Transtyberim* circa annum Domini ccxxvj. Transtyberinam hanc Ecclesiam sunt,qui putent, non modo primam esse, quæ sub Titulo S.MARIÆ Romæ publicè erigeretur, sed quæ prima omnium diuino cultui manciparetur, ex memoria prodigij sponte manantis olei in Christi Domini Natiuitate, verbaq. Lampridij in Alexandro adducunt de eadem Ecclesia in Taberna meritoria excitata,quæ iterare hic libet ad ostendendum tunc viuentium Christianorum feruorem in locis diuino cultui dedicandis. *Cum Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, è contra Popinarij dicerent sibi eum deberi rescripsit: Melius esse,vt quomodocumque illic Deus colatur, quam Popinarijs detur*. Priscis tamen ante Callistũ, & Alexandrum temporibus Christianos Ecclesias habuisse, ita latè à nobis dictũ esse in proxima vndecima Exercitatione credimus, vt frustra in hac sententia refellenda laborandum non sit. Ad hoc autem vt è ruderibus antiquitatis prima Ecclesia in honorem Deiparæ Romæ consecrata, quantum mihi liceat, eruatur, seiungenda mihi esse tempora video, hoc est à D.Petro Apostolo ad ecclesiarum sub Diocletiano deuastationem. Sanè ante motam à Diocletiano persecutionem plures Ecclesias in omnibus vrbibus diuino cultui dicatas fuisse, easq. ampliores Eusebius testis oculatus est lib.8. Hist. cap.1. Inquit enim. *Propter innumerabilem hominum, quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, factum fuisse, vt populi priscis ædificijs iam non contenti, in singulis vrbibus spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias*. Quapropter in ipsa Imperiali, ac Pontificia vrbe facile est credere, amplas plures Ecclesias constitutas, & inter has aliquas etiam Immaculatæ Virgini sacras ædes dicatas fuisse. Plusquam septuaginta numerant ætate nostra, qui Romam antiquam, ac recentiorem graphicè describunt. Inter has aliquas vetustas esse ijdem testantur, vt Transtiberinam; S.MARIÆ in Cosmedie, Liberatricem, aliamq. in Aventino,& quæ nunc S.Luciæ in Silice nuncupatur, de quibus infra. Difficillimum ergo videtur Basilicam S.MARIÆ sub Liberio ex prodigio æstiuæ niuis constructam primam dicere. Verum memoria repetendũ est, statim ac Diocletianus Christianæ religioni bellum indixit, omnes vbiq. Ecclesias solo fuisse equatas, vt latè à nobis dictum est exercit. vij.& xi. ex eodem Eusebio, & Theodoreto. Quod cum in decimumnonum annum imperij Diocletiani inciderit,hoc est Christianæ æræ iuxta communem computũ cccij.& Constantinus deuicto Maxentio non ante annum cccxij. pacem Christianis dare potuerit, neque etiam ante hoc tempus Ecclesiæ potuerunt, vel instaurari, vel nouæ à fundamentis excitari. Imò neque statim. Quamuis enim primas sub Constantino Ecclesias Romæ, vbi Crucis victricia trophæa primùm ille erexit, constructas esse probabile admodum sit,& Eusebius de Vita Cõstantini lib.1. cap.42. ad victoriam contra Maxentium, & gaudia prouinciarum continuo subnectat Ecclesiarum extructiones, & amplificationes; non hæc tamen ita intelligenda

genda sunt, vt eodem anno perfici potuerint, quemadmodum Baronius monet ad annum cccxij. n. lxiiij. Rebellantibus enim in Germania Barbaris, illùc quam celeriter progredi compulsus est Constantinus. Patet autem Eusebiũ cap.47.&48. ea collectim narrare nonnulla distincti tẽporis habita ratione, & Basilicarũ erectiones in Vrbe, nisi sub Siluestro in libro Pontificali recensteri. Cumq. ex auctore libelli de Munificentia Constantini, & vniuersim ex eodem Eusebio lib.9. Hist. cap.xi. editionis Vales. Ecclesiæ non nisi post Maximini obitum restaurari cœperint, serius hæc euenisse dicendum est. *Sublato* quippe, vt ait Eusebius *è vinis Maximino Ecclesiarum quidem adeficia Omnipotentis Dei beneficio ab ipsis fundamentis renouata extruebantur*. Quod in annum primum Siluestri, & nonum Constantini repositi Baronius, hoc est salutis nostræ cccxiiij. siue potius in annũ cccxxiiij. in quem Constantini epistolã ad Eusebium, & omnes Episcopos *de restaurandis, & ampliandis Ecclesiis*, idem Baronius retulit. Hinc Crispo II. & Cõstantino II. Cæs. Coss. hoc est Baronij anno cccxxi. Cuspiniani verò cccxxiij. ad Romanos rescripsisse Constantinum apparet lib.1. cod. tit.2. ac licentiam dedisse, vt vnusquisq. quæ vellet Ecclesijs moriendo relinqueret. Vocantur verò in ea lege non Ecclesiæ, sed Catholica Concilia, forte quia non dum constructæ erant, & per Concilia martyrum, seu Conuentus adhuc fideles ad Synaxes non ita propalam conueniebant. Ab hoc ergo tempore insignes, quæ supersunt Ecclesiæ, vel fundatæ, vel instauratæ sunt. Cum igitur ab anno post reditum Syluestri Romam decimo nono Constantini, vel vigesimo quarto supra tercentesimum Christianæ communis æræ, ad annum primum Liberij cccliij. viginti octo tantùm anno intercurrant, cumq. in hoc interuallo nulla compareat Basilica expresse B. Virgini nuncupata, non ita durum videtur, Liberianam Basilicam post Ecclesiarum restaurationem primam fuisse, quæ solemni aliquo ritu dedicaretur. Neque enim sub Eusebio, aut Melchiade, qui Siluestrum antecesserunt, Basilicæ memorantur, neq. etiam sub Siluestro, nisi post Baptismum Constantini, vt in libro Pontificali legitur, Ecclesiæ, aut Basilicæ erectæ inueniuntur. A' Marco quidem Pontifice Siluestri successore duas esse Basilicas constructas narrat liber Pontificalis. *Vna via Ardeatina, vbi requiescit, aliam in Vrbe Roma iuxta Palestinas.* A' Iulio verò, qui Liberium immediatè præcessit, duas tantum Basilicas ædificatas in eodem libro legitur, *Vnam iuxta forum, & aliam via Flaminia*. Quamuis quinque numerentur in antiquo Opusculo à Bucherio edito, vt infra animadvertimus. Sed nihil in his de Titulo, vel dedicatione exprimitur. Verùm enim vero quamquam Diocletiani edictum omnes Christianorum Ecclesias solo equari mandauerit vnam tamen, aut alteram reliquam fuisse, & sumptuosa aliqua ædificia, vel in publicos, vel priuatos vsus fuisse conuersa, ac profanata, potius quam subuersa ex eodem Eusebio elicitur. De superstitibus Ecclesijs restaurandis hæc verba Cõstantini sunt lib.2. de vita eiusdem cap.46. in epistola ad Episcopos. *Cunctos admonet, vt in opere Ecclesiarum omni studio, ac diligentia incumbant, quo aut reparentur, quæ adhuc manent, aut augeantur in maius, aut sicubi vsus postulauerit noua ædificentur*. De ecclesijs, & rebus ad illam pertinentibus, & in alios vsus conuersis, hæc in edicto Constantini habentur cap.39. & 40. *Omnia ergo quæ ad Ecclesias rectè visa fuerint pertinere, sive domus, ac possessio sit, sive horti, seu quæcumq. alia; nullo iure, quod ad dominium pertinet, imminuto, sed salvis omnibus, atque integris manentibus restitui iubemus*. & rursus de Oratorijs, seu memorijs martyrum. *Sed & loca illa, quæ martyrum reliquiis honorata sunt, & quę glorioſi illorum interitus memoriam seruant, quis ambigat ad Ecclesias pertinere*. Aliqua ergo sacra loca vel à fisco acquisita, vel ab alijs vsurpata fuisse, ac profanata ex alijs etiam illius

edicti

edicti verbis educitur, quæ Ecclesiis restituenda Constantinus mandauit, vt ex his aliqua seruata esse vix liceat dubitare. An Romæ ex his aliquod Oratorium, aut ecclesia B. Virgini dicata, superstes à Diocletiani vastitate permanserit, non mihi liquere fateor. Sacram Basilicam certè superfuisse non inuenio, ac proinde non longo interuallo nequaquam à veritate absonum crederem, post vastata à Diocletiano, socijsq. imperatoribus, celebriora saltem Christianorum templa, primam fuisse Liberianam Basilicam, vel in ea saltem Oratorium à Liberio Deiparæ dedicatum, quod primùm Romæ cõstrueretur. Ita quidẽ præter veteris Romani Breuiarij lectiones in quinta, & sexta Breuiarii nostri membranacei perantiqui scriptum legitur, & infra integram historiam adducemus. Cum verò præter Romanum emendatum Breuiarium non ita apertè ex veteribus hucvsque editis monumentis appareat, dedicationem Liberianæ Basilicæ à Niuis prodigio originem duxisse, & per Liberium celebratam fuisse, quin potius in libro Ponrificali asseratur à Sixto Tertio esse ædificatam, hìc paululum erit immorandum. In Vita quidem Liberij nihil aliud legitur, nisi eum nomini suo Basilicam prope Macellũ Liuię constituisse. In vita verò Sixti hæc habentur. *Hic fecit Basilicam Sanctæ MARIÆ Matris Domini, quæ ab antiquis Liberij cognominabatur*. Duo hic animaduersione digna occurrunt, verbum nempe *fecit, & ab antiquis* eandem Basilicam Liberii fuisse nuncupatam. Seniores pro antiquis his acciperem; cũ enim inter Liberium, & Sixtum nonnisi septuaginta circiter anni intercedant, vix antiquum tempus significari potest: cum ab auis tempore Sixti quisque scire potuisset Basilicam à Liberio constructore, Liberij, vel Liberianam, fuisse nuncupatam. Pugnat autem iam eandem Basilicam Liberij dictam esse, & à Sixto ex integro factam, cum ex Liberij nomine, iam ante Sixtum stetisse conuinceretur. Legendum igitur est, vt aliqui codices habent, non *fecit*, sed *refecit*; ac ita accipienda sunt verba Hadriani epist. 3. ad Carolum Imperatorem. *Sixtus Papa fecit Basilicam Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ cognomento Maiorem, quę & ad Præsepe dicitur*. Eandem verò, prius Liberianam, ita fecisse Sixtum dicendum videtur, vt quampluribus additis quasi ex integro eam fecisse videretur. Ornamenta enumerat liber Pontificalis, & eadem cum imaginibus idem Hadrianus recenset. *Simili modò, & ipse in metallis Aureis quamquam in diuersis historijs, sacris decorauit imaginibus*. Extant adhuc ex his sacræ aliquæ historiæ muliuo opere expressæ, & supra Ecclesiæ maius ostium antiquæ inscriptionis reliquiæ perstant. Integra tamen epigraphe ex Bibliotheca Palatina legitur in Appendice Inscript. Gruteri p. 1170. Ex qua renouatio Basilicæ his verbis discitur.

Virgo MARIA tibi Sixtus noua tecta dicauit.

Supra maiorem arcum, musiuo pariter opere ornatum, testatur etiam Baronius in Notat. ad diem Nonar. Augusti verba hæc scripta perseuerare. *Sixtus Plebi Dei*. Tanta vero esse addita vetustiori Basilicæ à Sixto, vt abolito veteri nomine nouũ à resta uratore acceperit, ex Ioanne Diacono in vita S. Gregorij lib. 4. cap. 68. deducitur, qui eandem Sixtianam Basilicam vocat. Licet vero ante Constantinum nullam Ecclesiam Christianorum Basilicam nuncupatam inuenerim, plures autẽ ad Ethnicorum, & profanum vsum Basilicas extitisse palam sit, nõ tamen videtur dicendum Liberium sanctum Pontificem tempore, quo Arianorum erroribus orbis Christianus concutebatur, ipseq; pluribus afflictionibus tẽtatus fuerat, in sæcularem vsum Basilicam constituisse. D. quidem Hieronymus hoc ipso sæculo dolet, licentiam Basilicas in Vrbe ad vsum priuatum excitandi, in eamq. ita inuehitur ep. 18. ad Marcellam. *Vbi* (Romæ inquam) *instar palatij, priuatorum extructæ Basilicæ, vt vile corpusculum hominis pretiosius inambulet, & quasi mundo*

quicquam

quicquam possit esse ornatius, tecta sua magis velint aspicere, quam cælum. Ipso sedente Liberio iam plures sacrę Basilicæ Romæ numerabantur, hoc est amplæ,& veluti regiæ ædes, siue à Constantino, siue aliis viris principibus constructæ; & Liberius ipse dum Romam redijt *tenuit Basilicas S. Petri, & B. Pauli, & Basilicam Constantinianam*, vt in eius vita legitur. Ansam quidem dubitandi daret liber Pontificalis,Liberium proprio vsui Basilicam cõstruxisse,dum inquit. *Hic Basilicam fecit nomini suo*, nisi ex antiquis illius Ecclesiæ Liberianæ monumentis constaret,Liberium Basilicam à se constructam consecrauisse. Ex libro vetustissimo in Archiuio illius sacri templi seruato fragmentum adducit Seueranus in quo id apertissimè affirmatur. *Quam Basilicam præfatam idem Pontifex (* Liberius *) consecrauit; in qua quidem Præsepium, Cunabula, fœnum, & Pannos nostri Redemptoris in eiusdem Præsepij altare miro ordine reuerenter cum multis aliis Apostolorum Martyrum, Confessorum, atq. Virginum reliquijs, quorum nomina supervacaneum est nominare, collocauit.* Additq; idem Seueranus in descriptione Ecclesiæ Sanctæ MARIÆ Maioris p.712. ex eisdem vetustis monumentis oratorũ illud fuisse à Liberio consecratum, quod nunc sub Ara Sacelli à Sixto V. splendidissimè erecti integrum est repositum. Basilicam à Liberio constructam pro sacro vsu fuisse vix dubitarem. Post Constantinum enim clarum est sacras Basilicas augustiores Ecclesias fuisse dictas, & ad summum, si quid proprio vsui tribuisset Liberius, fortasse ædes Pontificiæ ad inhabitandum fuissent, addito sacello de quo supra. Sed & aliam verba illa libri Pontificalis *nomini suo* ferunt interpretationem.Auctor est Appianus de Bello ciuili Pompeum, vt Cæsari magis auersaretur, mille, & quingentorum talentorum munere Paulum Æmilium præpotentem ciuem benevolum sibi reddere voluisse. Sed addit Gelenio interprete, quòd *Paulus Basilicam valde inclitam suo nomine ex pecunijs huiusmodi publicè constituit.* Hinc inferebam. Eodem modo quo Paulus ex pecunijs sibi à Põpeo largitis Basilicam illam excitauit, quæ deinceps Basilica Pauli dicta est, & in regione quarta à Sex: Rufo, & P.Victore numeratur, potuit etiam Liberius, sumptibus Ioannis Patricij,& ex pia eiusdem largitate, suppresso nomine, vt pijssimis viris mos est, Basilicam in honorem B.Virginis construere, quæ pecunijs quidẽ Ioannis ædificaretur, sed nomine Liberij Pontificis appellaretur. Huius autem Basilicæ aliquam saltem partem in sacrum vsum fuisse, quamuis proprio Liberij nomine vocaretur,alia etiam Basilica Sicinini vocata suadet, quæ &si Deo consecrata non dicatur expressè,attamen Ammianus Marcellinus profanus alioquin historicus lib.27. Hist. scriptum reliquit. *Basilica Sicinini, vbi ritus Christiani est conuenticulum.* Id etiam Ruffinus synchronus scriptor confirmat, qui lib.2.Hist. cap.10., Vrsicini contra Damasum schisma, & illius in Basilica Sicinini electionem narrans addit, seditiosorum hominum opera tantas turbas excitatas esse, *vt replerentur humano sanguine orationum loca.* Quamuis ergo Basilica Siciniana ita priuato nomine nuncuparetur, & tamen Ecclesia esset, siue domus orationis, priuatum Liberij nomen non vrget,Liberianam Basilicã Ecclesiã non fuisse; neq; pugnat quin Deo, & B.Virgini dedicati potuerit. Sunt qui putent Sicinini, vel Sicini Basilicã, eandem cum Liberiana fuisse, quoniam in Exquilijs,& non longe à Liuiæ Macello vtraque distaret.At nuper extructa,& ante Damasum Basilica Liberij, dum adhuc sub Damaso Basilica Siciniana omnino, & rè, & nomine staret, à Liberiana diuersam esse conuincit. Liberius ergo, qui suæ Basilicæ nomen dedit,non modo ex niuis prodigio in Exquilijs, comitante Romano clero modulum Ecclesiæ iuxta Niuis mensuram designauit, sed accepto ligone, dum terram in circuitu effodere propriis manibus cæpit, nouum inde miraculum vidit exurgere.

exurgere. Quod licet in Romano emendato Breuiario non narretur, in duobus tamen hædinis, & vetustis penes me Breuiariis, altero ad vsum iam Parmẽsis Ecclesiæ, altero fratrum Heremitarum S. Augustini ita prostat, vt integram non inelegantem historiam libuerit ad piorum consolationem attexere.

Tempore, quo Liberius Papa Apostolicæ Sedis regnum obtinebat, quidam Iohannes nomine, non solum nobilitate generis, sed Patriciatus dignitate præclarus, cum filium non haberet, quem post mortem diuitiarum suarum relinqueret successorem, vnà cum sua coniuge, qua sibi Diuina prouidentia non solum coniugio, sed etiam piæ mẽtis consortio fuerat sociata, Beatissimam MARIAM Virginem omnium bonorum suorum habere decreuerunt hæredem. Ambo igitur eam deuotis mentibus exorare cæperunt, vt ea iuuante, sic possent ad eius obsequium sua bona disponere, quòd ei posset eorum deuotio esse grata.

Annuit eorum pijs precibus diuina benignitas, qua semper prope est omnibus, qui inuocant nomen eius, & volens, vt in honorem ipsius Virginis ab ipsis construeretur Ecclesia, cum, eo tempore nulla esset in Vrbe ipsius Beatissimæ Virginis vocabulo insignita, locum in quo Ecclesiam ipsam voluit construi, grandi, & magno miraculo designauit. Factum est in terra, in circuitu sicca, & penitus arida remanente, vt locus ipse fusis è Cælo Niuibus tegeretur.

Et vt clarius, & apertius esset ipsum miraculum, Nonis Augusti, quo tempore Niues in calida regione non cadunt, imò quo tempore herbæ solis ardoribus exuruntur factum est huiusce modi signum re mirabili; alio alludente miraculo, quod in præfiguratione eiusdem Virginis, longe antequam mundum illustrasset eius gloriosa natiuitas factum fuit, vellere sic Cælesti rore comprobato in arca Gedeonis, vt eadem arca in circuitu sicca, & arida penitus remaneret.

Denique ne ambigi posset, quid sibi vellet, tam insolitum, stupendumq; miraculum, ipsa Beatissima Virgo præfatis Pontifici, & Patricio eadem nocte in somnis apparuit, quod locum ipsum ad Basilicam sibi construendam elegerat, eisdem, vt mane facto illuc accederent, & iacerent Ecclesiæ fundamenta præcepit.

Ad quem locum cum Populi multitudo excitati nouitate Miraculi vnà cum iam dictis Pontifice, & Patritio accessisset, & ipse Pontifex cepisset propriis manibus terram effodere in circuitu niuium, ad iaciendum construendæ Basilicæ fundamentum, ecce priori miraculo aliud diuina dispositione successit. Fluida terra subito se ipsam aperuit, & vbi iacienda essent fundamenta demonstrans, astantium animos incredibili lætitia, & admiratione repleuit.

Sæpe verò dictus Patricius de Diuina voluntate securus, ab inde egregiæ structuræ fundauit Ecclesiam, eamq. demum feliciter constructam Sixtus (Sixtus) *Romanus Pontifex eadem die reuoluto plurium annorum curriculo dedicauit. In qua quanta coruscauerint sæpe miracula, quanta beneficia parentur, qui ea ibidem cum deuotione exposcunt, quanta populorum frequentia in eadem sancta, & venerabili Basilica ad honorem, & laudem ipsius Beatissimæ Virginis celebrentur, vestra caritas non ignorat.*

Expressius etiam in alio hædino Breuiario nostro secundum ordinẽ Romanæ Ecclesiæ asseritur, Basilicam hanc non primam fuisse, quæ vtcumque Romæ in honorem Deiparæ dedicata, vel erecta fuerit; sed primam post Diocletiani vastationem, & Constantini licentiam, vt Ecclesiæ restaurarentur, vel ampliores construerẽtur. Integra non estat in nostro codice historia, post laudes tamen Virginis quarta, quinta, & sexta Lectio ita componitur.

Verum qualiter intra Romanæ Vrbis mœnia Beatissima Dei Genitrix sibi specialem, ac singularem domum elegerit, atq. patrocinium suæ dignationis almæ Vrbi præstare

voluerit, quia id ratio flagitat dignum duximus ignorantibus referare, sicuti ex gestis, antiquitatibus, & temporum serie legitur, & reperitur.

A temporibus Constantini, qui primus inter Augustos pro construendis Ecclesijs licẽtiam relaxauit, vsq. ad tempora iunioris Papę Liberij in honorem perpetuæ Virginis Dei Genitricis MARIÆ nulla vnquam intra Vrbem fuerat Ecclesia fabricata.

Et quoniam satis videbatur indignum, ne Vrbs, quę totius orbis caput esse dignoscitur, & Christianæ Religionis, omniumq. Ecclesiarum obtinet Principatum, à patrocinio, seu à constitutione Dei Beatissimę Genitricis appareret immunis, placuit Diuinæ prouidentia egregiam hanc Vrbem Matris suæ habitaculo decorare.

Et rè vera diligentius mihi perquirenti nulla hoc tempore Virgini Deiparæ Romæ constructa, aut dedicata Ecclesia expressè comparuit ante Basilicam Liberianã, nisi forte Transtiberina, de qua infra. Quod nonnihil obscurius confirmatur in Breuiario Romano sub Leone X. Typis Iunctarum Venetijs edito 1545. in festo S. M. ad Niues Lect. 4. Ibi enim B. Virgo inducitur Liberio Pontifici per visionẽ præcipiens, Basilicam sibi esse construendam in loco mirandæ Niuis his verbis. *In quo Basilicam nomini meo tibi præcipio construendam.* Id verò hac prius insinuata ratione. *Ita vt quod hactenus erga mei nominis deuotionem ab aliis non fuerit attentatum, per te mihi nunc placuerit consumari:* hoc est quia Ecclesia hactenus illi post dirutas à Diocletiano non fuerit dedicata. Quid autem significare velint adductæ postremo loco mss. lectiones in verbis illis *vsq; ad tempora iunioris Papæ Liberii obscurum est.* An senior alius Liberius Pontifex sedit extra communem Romanorum Pontificum seriem? Id profectò alibi adnotatum non inueni. Fortè qui Lectiones illas concinnauit, Liberium exulem cum Arianis cõmunicantem à Liberio reduce, contra Arianos, & Constantium pugnantem diuisit. Sanè cùm bis Liberius, ante & post Felicem regnauerit, ante lapsum, & post lapsum, quasi duo Liberij videntur posse considerari, & iuniorem Liberium dici, qui post reditum Romam, pacificè post Felicem, quasi rediuiuus cathedram tenuit. Hinc saltem deducitur, postquam Romam Liberius rediit, Basilicam Liberianam construxisse, & eadem die dedicauisse, quo Niuis miraculum acciderat, eodem nempe recurrente, quo à Sixto III. iterum consecrata dicitur. Quando nimirum Dei Genitrix à calumnijs impij Nestorij ex Ephesino Concilio triumphans, voluit Deus, vt vbique maiori cultu veneraretur, & ab eius immensa bonitate, per Sanctissimæ Matris intercessionẽ vberiora manarent omnium gratiarum fluenta. Quamquam enim sub Cœlestino, Ephesinum Concilium contra Nestorij blasphemias celebratum fuerit anno Christi 431.; Sixtus tamen tertius initio Pontificatus sequenti anno idem confirmauit, & Romę tanquam Triumphalem fornicem Basilicam S. MARIÆ, vel in ampliorem formam redegit, vel ornamentis ita auxit, vt veluti iterum ædificata compareret, pluribus interim vbiq. & vt patet credere etiam Romæ, in Deiparæ honorem exurgentibus Templis. Tunc etiam constans traditio est, & testatur Baronius, post Ephesinum Concilium Angelicæ salutationi illud fuisse dulcissimum Epiphonema superadditum *Sancta MARIA Mater Dei ora pro nobis, &c.* Aliud verò prodigium, quod Liberio Pontifice terram iuxta semitas Niuis fodiente comparuit, & in altero ex codicibus mss. nostris narratur, ex Vallicellensis pariter Bibliothecæ mss. libris confirmat iam supra adductus Seueranus p. 960. Is non modo ad primum Liberij ictum terram in accomodatos pro fundamentis hiatus spõte descendisse testatur, sed iuxta niuis modulum designatam Basilicam fuisse triangularem, quod libri nostri silent. Ex duplici ergo eodem die coruscante miraculo mirum non est, tam auctorem Liberium, quam Sixtum restauratorem

pro

pro ſolemni dedicatione recolenda, eundem diem Nonis Auguſti feſtum eſſe decreuiſſe. Ex his tamen omnibus adductis, & explicatis, Liberianam Baſilicã poſt Diocletianeam devaſtationem, primam Romæ fuiſſe B. Virgini dicatam non omnino convincitur; cum difficillimum videatur, Romanorum Pontificum, & ciuiũ Chriſtianorum pietatem tot annis, quot à Diocletiani, & ſociorum perſecutione ad pacificum reditum Liberij, hoc eſt poſt Maxentij cædem iuxta Baronij computum ab anno cccxij. ad ccclvij. ſeu ſextum Liberij, quando Romam redijt, quadraginta ſeptem annis, in aliqua Eccleſia ſine publica Deiparæ veneratione permanſiſſe. Verum licet, ita credere pium ſit, non deſunt attamen validæ ex aduerſo coniecturæ. Meminiſſe igitur oportet, quod ſupra etiam indicauimus, & nunc clarius explicamus, non ſtatim à cæde Maxentij Chriſtianam fidem ita communi voto Romæ floruiſſe, vt quidquid pietas ſuggereret à fidelibus perfici potuerit. Senatus, ac plurimus populus Idolis erat adhuc addictus, & licet Cõſtantinus propalam Chriſtianis faueret, non tamen Baptiſmum ſuſceperat, quinimo refrigeſcente nonnihil ex felicioribus euentis Chriſtianæ fidelitatis ardore Aruſpicinam, qua tunc etiam ipſe vſus eſt, non modo Romanis, ſed omnibus lata lege permiſit, & ex conniuentia ſaltem Ethnicorum aliqualis perſecutio, ita re cruduit in fideles, vt Silueſter adhuc anno cccxxxiiii. in monte Soracte lateret, nec Baſilicæ, quæ in libello de Munificentia Conſtantini leguntur, niſi eodem reſipiſcente, & poſt hoc tempus erectæ ſint. Recogitandum eſt etiam poſt magni Conſtantini mortem, quantum ex Ariana rabie ſub Cõſtantio catholicis difficillima tempora fuerint, quantaq; Liberius, & in eius exilio chorepiſcopus, & martyr Felix paſſi ſint: & quando etiam Liberius ab exilio redux, & reſipiens, pacem ad cõſtituendas Eccleſias habuerit, vigente deinde poſt Conſtantiũ Iuliani perſecutione, qui Idolatriam reſtituere omnibus viribus conatus eſt. Equidem non ante Chriſtianiſſimum Imperatorem Iouianum, qui Iuliano Dei voluntate ſucceſſit, hoc eſt non ante annum ccclxiii. Baſilicam Liberius commodè excitare potuit, hoc eſt quadraginta circiter annis à primis Baſilicarum ſub Conſtantino cõſtructionibus. Ante hoc tempus autem pervicaciter non negarem, imò libenter aſſentior, Conſtantino iuniore imperante cum fratribus, & ſub Iulio Pontifice in honorem Beatiſſimæ Virginis aliquam fuiſſe Eccleſiam, vel erectam, vel reſtitutã. Quinque ab antiquariis Romanæ vetuſtæ memorantur eccleſiæ, nomine Deiparæ inſignitæ, hoc eſt S. M. in Coſmediæ, Sanctæ M. ac Luciæ in Silice, S. M. Liberatricis, ſeu S. Silueſtri in lacu, S. M. in Auentino, & Tranſtiberina. Primam à S. Dionyſio Papa conſtructam narrant: ſecundam inter veteres Diaconias ſub Simmaco recenſitam volunt: tertiam à ſancto Silueſtro Virgini dicatam à fundatore nomen accepiſſe; quartam vetuſtam putant, quòd antea templum Bonæ deæ eſſet. Sed has neque in Pontificum Hiſtoria, neq. aliis antiquis monumentis licuit ante Liberianam Baſilicam indicatas inuenire. Quintam vtiq. S. M. Tranſtiberinã à Calliſto, vt vidimus, erectam antequam Liberiana exiſteret, & poſt Diocletianum reſtauratam non negarem. Iulius Pontifex, qui poſt Siluerium anteiuit Liberium, non modo binas, quas liber Pontificalis recenſet Baſilicas conſtruxit, ſed ex Vetuſto in membranis catalogo Romanorum Pontificum, ſeu antiquo Opuſculo quarto apud Bucherium de doctrina temporum pag. 273., *multas fabricas fecit. Baſilicam via Portuenſi milliario iii. Baſilicam in via Flaminia milliario ii., quæ appellatur Valentini. Baſilicam Iuliam, quæ eſt regione vii. iuxta forum D. Traiani. Baſilicam Tranſtiberim regione xiv. iuxta Calliſtum. Baſilicam via Aurelia milliario iii. ad Calliſtum.* Has in ſacrum vſum à Pontifice nõ dubitarem fuiſſe ædificatas. Eccleſiam in Tranſtiberina regione B. M. Virgini à

S.Calliſto, ibi etiam martyrio coronato, dedicatam eſſe ex libro Pontificali ſupra etiam indicauimus.Hanc eandem ad Tabernam olim meritoriam, oleagini fontis ſcaturigine illuſtrem,ſub Diocletiano, vel antea dirutam, in tanti prodigij,ex puriſſima Virgine naſcentis Domini memoriam, vel rurſus ędificatam, vel reſtauratam conſecraviſſe Iulium Papam, auctoritate illius vetuſti monumenti ductus affirmarem, quando & regio Tranſtiberina,& locus ad Calliſtum eandem prorſus Eccleſiam deſignet, quæ deinde in antiquitatibus ab vndecimo præſertim ſæculo, quæ paſſim occurrunt,vocatur S. M. trans Tiberim Tituli Calliſti. Vetuſtius verò monumentum non occurrit, quam ſub Gregorio II. Romanum Concilium, in quo pro re noſtra apertiſſimus teſtis ſubſcribit *Thalaſſius Presbiter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli Sanctæ Dei Genitricis, quę appellatur Caliſti trans Tiberim ſubſc.* ſicuti ergo antiquiorem Liberiana Baſilica Transſtiberinam agnoſco, ita poſtquam illam in Exquilijs S.MARIAE ad Niues eſſe cæpit, frequētiori populorum concurſu veneratam, ac celebriorem fuiſſe non dubitarem. In hac ad finem eiuſdem ſæculi, quo conſtructa erat,Hilarius Pontificatum ſuſcipiens anno 461. tamquam in loco, vbi ſedere Pontifices conſueuerint, conſtituta ſua nonminus, ac in Lateranenſi ſeruari mandauit, vt legitur in libro Pontificali. *Hæc omnia in Baſilica Conſtantiniana, vel ad Sanctam MARIAM conſtituta recondidit.* Ante huius Baſilicæ fores tanquam celeberimo loco Gelaſius primus, qui ſedem tenuit ab anno 493. inuentos Manichæorum *codices ante fores Baſilicæ Sanctæ MARIAE incendio conſumpſit.* Vſitatiùs proinde Sancta MARIA Maior nuncupata fuit ex ratione, quam Petrus Venerabilis adducit lib.2. de Mirac. cap.30. *Habetur Roma Patriarchalis Eccleſia in honore perpetuæ Virginis Matris Domini conſecrata, quæ vulgari ſermone S. MARIA Maior vocatur. Maior autem idcirco, quia poſt Lateranenſem S.Saluatoris Eccleſiã maior dignitate non ſolum Romanis, ſed & totius orbis Eccleſiis eſt.* Vnde dubitare nequit huius dedicationem in Vetuſtiori M. noſtro Nonis Auguſti recoli, quamvis titulus Maioris non addatur. Id enim expreſsè profitetur Romanum Martyrologium, Bellinus de Padua, Maurolycius, Molanus ad Vſuardum, Galeſinius, & à multo tempore Romanum Breviarium.

VIII. Idus Auguſti.

ROmæ in Cimiterio Caliſti Via Appia Natalis Xiſti Epiſcopi. Felicis. & Agapiti. Donatiani. Fauſtini. Pretextati. Laurenti. Eppoliti. & milites clxv. & paſſio Sancte Afre.

AVGVSTI 6.

NAtalem S. Sixti in diem heſternam quintã Auguſti retulit Calendarium vetus Fronti,qua quidem die cum Rom. martyrol. de Siſto Rõ. Pontifice agunt Beda, Rabanus,Vſuardus, Ado, Notkerus cũ alijs recentioribus Latinis. De nominibus, & numero ſociorum mſſ. codices,& editi ſcriptores variant. Vetuſtiſſimũ S. Villibrordi M., ita hodiernos faſtos implet. *vij. Idus Aug. Romæ Syxti Epiſcopi, & Martyris,Feliciſſimi,& Agapitis,Donatiani,& militũ clxx. Paſſio S.Afræ.* Anonymorũ numerũ minuit M. Corbeienſe, & no-

& nominatorũ ſeriem cum noſtro auget. *viij. Idus Auguſti. Romæ in cœmeterio Caliſti Via Appia Natalis Sixti Epiſcopi, & Feliciſſimi, Agapiti, Donatiani, Fauſti, Præteſtati, Laurentij, Hyppoliti, & militum clxij. & paſſio S. Afræ.* Nec diſſimilia habet mſ. Reginæ Succiæ *oct. Idus Aug. Sixti Epiſcopi, & Feliciſsimi, Agapiti, Donatiani, Fauſtini, Præteſtati, Laurentii, Hippolyti, & milites clxv.* ita in anonymorum militum numero prorſus cum libris noſtris conueniens. Clarum eſt autem, qui ſimul & hodierno die recoluntur, non eodem die agonem compleuiſſe, ſed eodem cenſu relatos, ne in confitendo Domino ſocij, in veneratione diſiungerẽtur. Exemplo ſint Laurentius, & Hippolytus notiores, qui etiam proprio die in Vetuſtiori noſtro iterata veneratione deinceps recoluntur. Liber Pontificalis Damaſo aſcriptus S. Sixtum narrat capite minutũ fuiſſe cum ſex Diaconis, viij. Idus Auguſti, quorum nomina ſunt, Feliciſſimus, Agapitus, Ianuarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus. Et poſt triduum coronam accepiſſe Laurẽtium Archidiaconum, Claudium Subdiaconum, Seuerum Presbyterum, & Creſcentium lectorem. S. Pontificem addit ſepultum via Appia in cœmeterio Calliſti, ſex verò Diaconos eadem via in cœmeterio Præteſtati. In Actis S. Laurentij quæ inſertum habent S. Sixti certamen, apertè legitur, S. Pontificem capite truncatũ ad Cliuum Martis, vna cum Feliciſſimo & Agapito Diaconis viij. Idus Auguſti. Quo die ſepultum narrant S. Sixtum in crypta in cœmeterio Calliſti, SS. Diaconos in cœmeterio Præteſtati. Qui ſubſequuntur martyres, Donatianum, Fauſtum, ſiue Fauſtinum, & Præteſtatũ inter ſocios S. Sixti numeratos non inuenio. Potuerunt eſſe de clero, & in carnificina illa coronari. Equidem Quarti inſignis martyris, & S. Sixti in agone ſocij memoriam Acta illa non recolunt, & tamen ex D. Cypriani Epiſtola 82. ad Succeſſum, vt notauit etiam Notkerus, Quartum illi fuiſſe in corona ſocium apparet; quinimo dubitari poteſt, an Acta S. Sixti legiptima prorſus ſint, quandoquidem non ante templum Martis, & ad eius cliuum in Platea, ſed in ipſa crypta, ſeu cœmeterio, vbi ſacra Chriſtiani perſecutionum tempore celebrabant, palmam accepiſſe ita D. Cyprianus teſtatur *Xiſtum autem in cœmeterio animaduerſum ſciatis octauo Iduum Auguſtarum die, & cum eo Quartum.* Hunc notiſſimum aliquem ex Clero fuiſſe, ex loquendi modo videtur omninò ſanctus Doctor docere, cum tamen, aliunde, quis, quando paſſus ſit ignoretur. Beda enim Vſuardus, Ado, Notkerus, qui hac die Quartum venerantur, ex D. Cypriano accepiſſe fatentur; ſanctum vero Hippolytum, & Laurentium S. Sixto copulari conſueviſſe habetur in Græcorum Menologio ad diem 2. Auguſti, vbi recẽſitis S. Stephani Papæ Actis additur. *Poſt S. Stephanũ ordinatus eſt Pontifex Sixtus, interfectus & ipſe poſtea cum SS. Martyribus Laurentio, & Hippolyto.* & iterum die x. Auguſti S. Laurentio Sixtum, ita *SS. Martyrum Laurentij Archidiaconi, & Sixti, qui fidem Chriſti profeſſi in Vrbe Roma ſub Decio Imperatore martyrium paſſi ſũt.* Cum autem poſt Stephanum Sixtus II. Pontificalem cathedram aſcenderit, & agonem conſummauerit, quod etiã Acta S. Stephani Latina profitentur, iam ſub Decio, qui Valerianum præceſſit intermedijs etiam Gallo, & Voluſiano, martyrium facere non potuit. Veritus etiam ſum, ne Præteſtati nomen ab incurioſo librario ex cœmeterio, in quo Diaconi S. Sixti ſepulti ſunt translatum ſit ad martyrem; quemadmodum dubiè ſcriptum videtur in Vetuſtiſſimo Romani M. fragmento ſæpius adducto apud Bucherium, in quo legitur. *Menſe Auguſti viii. Idus Sixti in Caliſti, & Præteſtati, Agapiti, & Feliciſsimi.* In ſacramentario S. Gregorij *viii. Idus Auguſti Nat. S. Sixti Epiſcopi* tantum memoria recolitur, *& eodem die Nat. SS. Feliciſsimi, & Agapiti.* In Vetuſto, & paruulo M., ſeu Calend.

Hiero-

Hieronymiano Lucensi, ita pariter Prætestatus omittitur, & tãtum legitur. *viii. Idus Sixti Episcopi. Felicissimi, & Agapiti. Et Transfiguratio Domini.* In codicibus ergo nostris pro Felice Felicissimũ reponendum esse videtur, quamquam sicuti in hodiernis fastis S. Laurentius ex Vinculorum pro Christo communione à Sixto, & Felicissimo non disiungitur, ita Felicissimus cum Laurentio etiam iiij. Idus Augusti coniunctim veneretur.

Et militum clxv. An hi milites sint, in Actis S. Laurentij memorati, hoc est 46. cum vxoribus suis, & cum aliis cxx. via Salaria, qui per anticipationem hic recenseantur, quòd non multo post agonẽ Hippolyti, à Iustino eodem Presbytero sepulti sint, affirmare non auderem. Alterius classis videntur apud Notkerum reputari. Post sancti enim Sixti memoriam subdit. *Item Romæ militum centum sexaginta quinque. Et passio Sanctæ Afræ Virginis.*

S. Afræ. Quam Virginem Notkerus dicit S. Afram, Martyrem tantum agnoscunt, non Virginem reliqua iam adducta mss. Si virginitatis gloria floruit iam ab Augustensi diuersam, de qua sequenti die agendum est, fateri omnino necesse esset, cum Augustana Meretrix fuerit: An quia militibus Romanis nullo alio indicato agonis loco succenturiatur Afra Romana martyr dicenda esset? De Afra alia martyre Brixiensi agit Ferrarius ad diem 24. Maij, quæ pariter non Virgo, sed vxor Italici fuit. At si Actis S. Afræ apud Surium standum sit, sequenti quidem die S. Afra Augustana cum pluribus martyrologijs venerari deberet, in hodiernis verò fastis S. Afrus Augustanus, qui pridie, quam S. Afra recolẽdus est, ad illius terrorem coronatus.

VII. Idus Augusti.

IN Antiochia Natalis Sanctorum Simfloni. Venerij. & aliorum vi. & in Thuscia Ciuitate Aretia Natalis Sanctorum Donati Episcopi, & Confessoris. Auxenti, & Garpenfori. Mediol. Natalis Sancti Faustini. Romæ passio Sanctorum Martyrum xxvi. *In Prouintia Retia Ciuitate Augusta Natalis Sanctorum Africæ, & Valeriæ.*

AVGVSTI 7.

ANtiocheni Martyres Simphlonius, & alij sex anonymi, vel vt in M. Corbeiensi septem, minimè alijs hucvsq; editis martyrologijs communes sunt: neq; etiam Notkero, qui Vetustissimi nostri tabulas ferè sectatur. In Corbeiensi legitur. *VII. Idus. In Antiochia Natalis SS. Simpronii, Venerię, & aliorum vii. Germanorum. In Tuscia ciuitate Arecia Natalis S. Donati Episcopi, & Confessoris. Mediolano Natalis S. Faustini Martyris. Romæ passio martyrum numero xxv. In Prouincia Retia, ciuitate Augusta Natalis S. Afri, & Veneriæ.* Parum hæc Corbeiensis sanctorum series ab expressa in libris nostris distat: plurimum, quæ in Vetustissimo M. legitur. *VII. Idus Augusti. Antiochia Suffroni, Veneriæ, & Aritio, Donati, & aliorum vii. Ausenti. Mediolano Faustini. Roma passio xxvi. martyrum Ciuitate Augusta Afræ, Veneriæ.* Anonymi septem ab Antiochenis videntur transpositi, & librarij vitio, post Donatum signati. Huic Auxentius statim connectitur in libris nostris, & Venerius scribitur non Veneria. Anonymos septẽ germanos fuisse Corbeienli Martyrologio debemus. Sophro-

phroneum, siue Symphronium, aut Simplonium Galesinius Romanis martyribus Petro, & Iuliano accensét ex mſ. libro, sed non semel ex codicibus deprauatis excipiens, Romæ martyres tribuit, quorum agonis locus non signatur.

In Thuscia ciuitate. S. Donatus Episcopus Aretinus, in omnibus martyrologijs notissimus Martyr, nescio cur in libris nostris,& Corbeiensi Episcopus, & Confessor nuncupetur, quinimo etiam in mſ. Reginæ Sueciæ *VII. Idus. Donati Episcopi, & Confessoris, Auxētij, & Carpophori*. Duplicem hac die Donatum veneratione exponit Petrus de Natalibus, alterum Aretinum Episcopum, & martyrem, alterum Episcopum Epiri, & Confessorem. Illius Acta non multum à communibus diuersa percurrit lib. 7. cap. 33.: huius insignia prodigia refert cap. sequenti 34., & eundem esse cū Donato Episcopo Euoreæ in Epiro in Romano martyrologio die 30. Aprilis venerato, dignoscitur. Idem apud Græcos in Menologio Episcopus Aureæ dicitur, & apud Petrum de Natalibus in pace quieuisse vij. Idus Augusti, ac Venetijs in S. Maria de Murano nunc trāslatum esse narratur. Vitam, & prodigia eius habet Sozomenus lib. 7. cap. 25. Insigneq; addit videri templum ab ipso denominatum in pago Euoreæ Isoria nuncupato, prope fontem orationibus impetratū. Coæuus D. Ambrosij S. Episcopus fuit, & sub Theodosio floruit. Potuit vnus pro altero Donato accipi, & in aliquibus codicibus Euorensis Episcopus in Aretinum similitudine dignitatis, & nominis immutari: potuit, reiecto Confessoris titulo Aretinus etiam Confessor nuncupari, qui verè martyr fuerit. Huius Acta aliqua correctione indigentia, vt oculatissimus Baronius notat,& post eum Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, prostant apud Surium, & in Hagiologio perantiquo nostro diffusius scripta, quorum initium est. *Erat quidam puer in Ciuitate Romana, &c.* De Hilariano, siue Hilarino Monaco, S. Donati in passione socio egimus ad diem 16. Iulij; cumque ante S. Donatum fustibus cæsus cursum compleuerit, mirum non est in hodiernis fastis non recensseri. Post cædem enim Hilarini in carcerem S. Donatus coniectus, non nisi etiam post aliquos dies capite truncato martyrium fecit. Ad Ostia Tyberina Hilarinum cæsum refert Petrus de Natalibus, vbi fuerat detentus: Donatus vero in Vrbe Aretio: sed post mortem Ostiam relatum Hilarinum probabilius putat Baronius; forte quod ibi Monachus aliquando pietatis opera illa exercuerit, quæ in Actis narrantur, & quæ prostant in Martyrol. Romano die 25. Iunii, vbi de S. Gallicano agitur. Potuit etiam S. Hilarinus sub Iuliano, dum S. Gallicanus inde expulsus Alexandriā perrexit, ipse pariter expulsus Aretium petere, ac deinde, vt Ostiæ olim indigena, vel incola illius vrbis esset, à Christianis Iuliani Apostatæ persecutione silente ibidem transferri. Alius est Donatus Confessor Episcopus Fæsulanus in Tuscia, sed qui in M. Vetustissimo, & Vetustiori nostro locum habere non possit, quòd recentioribus sæculis etiam supra additamēta, floruerit, hoc est ad Episcopatum fuerit assumptus anno circiter 802. Sed mirum, quod S. Donatus Confessoris titulo decoratus Ecclesiam in Lucensi ditione habuerit tempore Desiderij Regis Lōgobard. nono anno, & Adelchis filij septimo, hoc est anno 766. vt in Tabularij Episcopalis hædino, & prototypo monumento scribitur, Reginolfum Abbatem iam construxisse Ecclesiam *in honorem S. Mariæ, & S. Donati Episcopi Cōfessoris*. Sanè in ea Diœcesi plures erant S. Donato dicatæ Ecclesiæ, vnde etiam pagi plures nomen acceperunt. Videtur autem magis probabile in vrbe Thusciæ S. Donatū in Thuscia Episcopum, & martyrem singularem venerationem suscepisse, quam S. Donatum Cōfessorem Asianum in Epiro Episcopum. De prodigio vitrei calicis cōfracti, & per S. Donatum Aretinum integrati

tegrati meminit S. Gregorius: an vero S. Episcopus martyr, vel Cõfessor fuerit non explicat. Beda vetustior ex editis martyrem ita dicit. 7. Idus Aug. *Apud Tusciam Ciuitatem Aretio Nat. S. Donati Episcopi, & Martyris*. Miraculum veritatis à sepulto cadauere per viuam vocem extortæ, non idem profectò, sed simile habetur in vtriusq. Donati Episcopi Actis, apud Petrum Æquilinum.

Auxẽti, & Garpenfori. S. Carpophori cum socijs vij. Idus Augusti Romæ memoriam agit fragmentum Vetustissimum apud Bucherium, vt sequenti die adnotabimus. Galesinus hac die ità refert Nouocomi Carpophorum, & Exanthũ martyres cum socijs, vt suspicionem induxerit, pro Auxentio reponendum esse Exanthium, quos passos esse 7. Idus Augusti etiam testatur Ferrarius. At cum nomina non nihil varient, & plures cum Carpophoro socij nominatim apud hos scriptores numerentur, qui in Vrbe Comensi simul coronã acceperint, & quorum nulla hic extat memoria, alios putarem Auxentium, & Garbenforum, seu vt legit ms. Reginæ Sueciæ Carpophorum in libris nostris memoratos. Auxẽtium tantùm habet M. Vetustissimum. Verùm cum tam is, quam Garbenforus in vtroq; codice S. Donato succenturietur, nullo alio indicato loco, vterque Aretinæ Vrbi tribuendus videretur, si alia aliqua coniectura, quæ nos lateat, assertio roborari posset.

Mediolani. S. Faustinum pariter, cum codicibus nostris, Corbeiensi, Antuerpiensi, & altero ms. Reginæ Sueciæ vocant Mediolanensem martyrem Beda, Vsuardus, Ado, & Notkerus. Faustum verò militem dicit Romanum Martyrol. Ita Galesinius Mediolanensis confirmat in illius Ecclesiæ annalibus, & Tabulis vocari, vnde Faustiniana Basilica nomen acceperit, cuius meminit D. Ambrosius. Hunc Confessorem obijsse non propriè martyrem, addit idem Galesinius contra aliorum fidem. Acta strictim percurrit Ferrarius in Catal. SS. Italiæ hac ipsa die, & Faustum vocat. An Basilica Mediolensis Faustiniana nuncupata nomen acceperit à Fausta, vel à Faustino, videatur dissertatio Nazariana Ioannis Petri Puricelli cap. 25, & eiusdem Monumenta Ambrosianæ Basilicæ à nu. 75. ad 80. Præter institutum enim nostrũ esset de his longius disserere. Faustinum legit pariter, non Faustum Petrus de Natalibus ex antiquis, vt profitetur, MM. lib. xi. nu. 210.

Romæ. Anonymos Romanos martyres xxv. agnoscunt M. Corbeiense, & Vetustissimum Antuerpiense cum Notkero. Vnde in libris nostris auferenda videtur vnius numeralis superaddita nota. Petrum, & Iulianum Romæ passos cum xviij. anonymis refert Romanum M. cum Beda, Vsuardo, Adone, Maurolycio, alijsq. recentioribus; supra quos nihil addit in Notationibus Baronius, quod maiorem lucem afferat. In Actis S. Afræ apud Surium T. 8. in fine dicitur, apud eandẽ Vrbẽ Augustanam ipsa die, passos esse alios xxv. pro nomine Christi capitis obtruncationem, quorum aliqui nominibus exprimũtur. Quiriacus nẽpe, vel ex varietate codicũ Cypriacus, Largio, vel Largus, Crescentianus, Euthychianus, Charito, Philadelphius, vel Fridalphus, Petrus, & mulieres istæ Nimmia, vel Meminia, Iuliana, Dioneden, Leonide, Agape, & alij xiij. quorũ nomina Deus scit. Meister. Chronic. p. 4. c. 4. tres alios addit Emblasiam, Cytiam, & Faustam. Vicelius hos non Augustæ, sed Romæ tribuit, & inquit eodem die, hoc est postridie ad coronam Afræ *passi sunt etiam non longe ab Vrbe Roma, Cyriacus, Largus, Smaragdus, Memnia, Iulia, & multi alij pro nomine Christi decollati sunt*. De quibus aliquid dicendũ est ad diem vi. Idus Augusti.

In Prouincia Rethia. De S. Afra, eiusq; cum S. Afro apud Augustanos confusa celebritate ex Notkero aliqua diximus ad diem Nonis Augusti. Acta S. Afræ meretricis Augustanæ habet Surius ad diem 5. Augusti T. 8. quibus sinceriora

ibi

ibi putat Baronius, ea quæ Vicelius retulit. Sed hæc nonnihil emendata pars tantum eorum sunt, quæ apud Surium leguntur. Estant apud Vicelium de Sãctis Ecclesiæ Dei p. 183. Eodem tamen die, quo Afræ sepultura curabatur, pro Christo etiam passas esse Hilariam eius matrem Dignam, Eunomiam, & Eutropiã ancillas, tam Surius, quam Vicelius narrant. In die passionis, quæ in adductis Actis minimè exprimitur, nequaquam conueniũt Hagiologia. M. Romanum cum Vsuardo, Adone, & alijs in diẽ quintam Augusti referunt. Notkerus vero, in re propria, magis attendendus, S. Afræ, & sociarum Agonem hac ipsa die 7. Idus recolit, & ante ipsum Beda editus. *Apud Prouinciam Rhetiæ Ciuitatem Augustam Natale S. Afræ martyris.* Vnde corrigendi libri nostri essent, qui Africæ non Afræ memoriam agunt, nisi Afer, & Africus idem nomen grammaticis, antiquario nostro permicteret Afrã, & Africam dicere. Corbeiense M. Natalem Afri celebrat, cui Veneriam sociam addit, qui in codicibus nostris Valeria nuncupatur, & quæ siue Valeria, siue Veneria inter S. Afræ conturbernales nõ legitur. Afram, & Veneriam etiam retinet M. Vetustissimum, atq. ita etiam legit ms. Reginæ Sueciæ. *Romę passio SS. Martyrum numero xxij. In Prouincia Rætia ciuitate Augusta Natalis sanctarũ Afræ, & Veneriæ.* De S. Afra Augustana rursus agit M. nostrum vij. Idus Octobris. nulla addita socia. An Veneria agnomen meretricis Afræ est, quę à matre Hilaria Veneri Cypriæ dicata fuit, vt in Actis eius legitur? id non patiuntur mss., quæ distingunt *Sanctarum Afrę, & Veneriæ* memoriam.

VI. Idus Augusti.

ROmæ Natalis Sanctorum Secundini. Severiani. Carpofori. Victorini. Albani. Et in Via Salutaria Hostensi. Cyrici. Largi. Crescentiani. Memmiæ. Iulianæ. Ciriacitis, & Smaragdi. Secundini. Albani. Victoriani. Faustini. Donate. Felicis. Et in Nicomedia Natalis Sanctorum Nazari. Iuliane. Agape Virginis. Euticiani. Corithonis. Diomedis. Metrodore Virginis, & Philadelphiæ Natalis S. Leonidis.

AVGVSTI 8.

EX adducti latercuti inspectione facile quisq; agnoscet, ea quæ ex deprauatis Actis S. Afræ apud Suriũ hesterna die attulimus, ab inscio antiquario consarcinata esse ex vetusto aliquo Martyrologio, & fastis huius diei: quod adnotauit subobscurè Vicelius. Nonnihil verò hodiernum sanctorum Indiculum deprauatum quoque esse suspicamur, tam in libris nostris, quã in alijs mss., quos conferre de more expedit, & primùm cum Vetustissimo Antuerpiense. *VI. Kal. Augusti. Romæ Secũdi, Seueriani, Carpofori, & in Albano Victorini, item Cyriaci, Largi, Crescẽtiani, Memici, Iulianæ, Cyriacitis, Zmaragdi, Secundi, Albani, Victoriani, Faustini, Donatæ, Felicis. Nicomediæ Nazari, Iulianæ, Agapis Virginum, Eutyciani, Cornitonis, Diomedis, Metronæ Virginis. Philadelphiæ Leonidis.* Ex particula *item* Cyriaco addita, videretur in prima martyrum Romanorum classe Cyriacum deficere, vel post Victorinum legendũ esse, *item in Albano Cyriaci, Largi, &c.* At hos in M. Corbeiensi via Salaria passos scribitur, vel eorum aliquos via Ostiensi. Ita enim prostat. *VI. Idus Aug. Romæ Natal.*

SS. Secundini, Seueriani, Carpophori, Victorini, & Albini. Et in via Salaria Ostẽsi, Crescẽtiani, Sergi, Memmię, Iuliana, Cyriacitis, & Smaragdi, Secundini, Albini, Victuriani, Faustini, Donatę. Felicis, Syluani. IN Nicomedia Natalis SS. Nazari, Iuliana, Agape virginum, Enticiani, Corintonis, Diomedis, Metrodora virginis, Iustæ. Philadelphia Natalis S. Leonidis, Agapiti. Locum venerationis Secundi, vel potius, vt etiam codices nostri retinent, Secundini, exhibet ms. Reginæ Sueciæ. *VI. Idus. Romę Via Appia Natalis S. Secundini. Nicomedia Natal. SS. Nazarij, Iuliana, & Agapæ vir.* & vt addit alter ms. *Entichiani, Corintbonis, Diomedis, Metrodosa virginis. Item SS. Martyrum Eleutheri, & Leonidis. Philadelphia Natalis S. Leonidis.*

Secundini. Ex adductis Romanis martyribus aliqui in vetustissimo fragmẽto M. Romani hesterna die 7. Idus recolũtur: aliqui sexto Idus cum nostro. *Septimo Idus Augusti, Sinodi, Carpophori, Victorini, & Seueriani, Albano, & Ostẽse.* Deinde. *Sexto* (Idus) *Ostiẽnse, Cyriaci, Largi, Crescentiani, Memmię, Iuliana, & Smaragdi.* Ex his docemur horum sanctorum martyrum aliquos, vel agonem compleuisse, vel veneratos esse via Appia, quæ ducebat Albanum, aliquos via Ostiense. Secundinum, siue Secundum viæ Appiæ tribuitur in ms. Reginæ Sueciæ: & in vetustissimo Antuerpiensi Seuerianus etiam, & Carpoforus; pressius verò in Albano Victorinus. Erat enim Albanum Oppidum Procopio 2. Goth, stadijs centum quinquaginta ab vrbe in via Appia situm, seu ad 20. milia passuum. Vnde qui codicibus nostris primo loco Albanus minus corruptè, & Albinus Corbeiensi martyrologio dicitur, Albanum opidum est; quia ita expressè habent vetustissimum Bucherij fragmentum, & Vetustissimum Antuerpiense M. A' primo etiam discimus ex martyribus primò loco numeratis aliquos sepultos esse via Ostiensi.

In via Salutaria. Frequens codicibus nostris librarij error, qui viam Salutariam pro Salaria scribit, facile etiã emẽdari ex alijs codicibus potest, præsertim Corbeiensi, sicuti pariter nomen *Ostensi*, pro *Ostiensi*. In Romano M. emendato Cyriacus Diaconus, Largus, & Smaragdus tantùm nominibus indicantur, & alij viginti Anonymi illis adijciũtur, qui coronati 17. Kal. Aprilis sub Diocletiano, & Maximiano à Ioanne Presbytero via Salaria sepulti, & Marcello PP. trãslati sunt ad prædium Lucinæ via Ostiẽsi hoc die vi. Idus Aug.. Hæc eadem confirmant Beda, Vsuardus, Ado, & Notkerus, quorum postremus cum Adone, eorundem Acta percurrit, partim hac die, partim 17. Kal. Aprilis, vbi nominibus exprimuntur Cyriacus, & Sisinnius Diaconi, Smaragdus, Largus, Crescentianus cum alijs xx., quos omnia ex Actis S. Marcelli excerpsisse testantur illa, quæ habemus in vetusto ms. Hagiologio. Iam ergo, quæ in libris nostris, & Corbeiensi M. comparet confusio, facilè tollitur, cum S. martyres, & sepulti, & venerati sint, tũ via Salaria, tum Ostiensi, Cyriacitem, neq. Romanum, neq. alia latinorum MM. exhibent, nec est difficile Memmiam, Iulianam, & reliquos cum ijsdem numero xiij. ex sacra illa turba fuisse, qui vno die viginti simul coronati fuerunt; quorum aliqui cum Cyriaco, Largo, & Smeragdo translati sint in viã Ostiensem, alij via Salaria ad primam venerationem relicti. xxi. habet, non xx. ms. Hagiologium nostrum in numero Anonymorum, vt semel etiam scripsit Ado. Quatuordecim essent nominatim sub vno choro expressi martyres, si ex M. Corbeiensi, in quo Cyriacus deficit Antesignanus, esset addendus postremo loco expressus Siluanus, alijs ignotus. Verùm vt candide dicam, quod sentio veritus aliquando sum, ne illius codicis librarius nobis aliquando illudat; sæpè enim, qui supra codices nostros in illo redundant martyres, aut Siluanus, aut Felix sunt, vt cordatus Lector animadvertere facile potest.

In Nicomedia. Septem purpuratos cœlites Nicomedienses recolit vetu-

stius

stius nostrum M., Iustam addit octauo loco Corbeiense alijs adductis mss. non memoratam, & Notkero etiam præterlitam. Is Nicomedienses pariter athletas adducit, sed mutilatos. Philadelphiam pro nomine martyris librarius accepisse videtur, palam ex adductis mss. codicibus emendandum. *In Nicomedia natalis SS. Nazarij, Iuliani* (pro Iuliana) *& Agapes Virginis, Eutichiani, Philadelfij, Leonidis*. Desunt Carithon, Diomedes, & Metrodora virgo. Alter ex mss. Reginæ Sueciæ, in duas partitur classes Nicomedienses martyres; & quãvis primam decurtatam adducat, in Secũnda Eleutherium, & Leonidem addit. De Leonide suspicari liceret Philadelphiensem esse, nisi Eleutherius adderetur. Hos etiam exhibẽt martyrologium Romanum, & Græci in Menologio, vt ibi notat Baronius, loco passionis non indicato. Addunt tamen propter fidẽ Christi igne consummatos esse. Agapem virginem recolunt Maurolycius, Molanus, & Galesinius, & ante illos Petrus de Natalibus lib. 11. nu. 111.

Et Philadelphiæ. Leonidem tantum cum Notkero, Philadelphiæ vrbi, siue Lydiæ inter Sardes, siue Cœlesyriæ, tribuunt codices nostri, cum M. Vetustissimo, & ms. Reginæ Sueciæ. Agapitum addit M. Corbeiense, alijs omnibus præteritum. Magna nominis dissonantia. Eleutherium Græcorum hunc esse non sinit.

V. Idus Augusti.

NAtalis Sancti Romani. In Oriente Natalis Sanctorum Firmi. Rustici. Permeni. Crescentiani. Largi. Tyburtij. Tyberiani. Anniodori. Nomidiani. Laudici. Iuliani. Policarpi. Primi. Xisti. Agathopi. & aliorum nũo xi. Feliciſſimi. Carpofori. Samaratdi cũ alijs x. In Alexandria Natalis Sanctorum Antonini. Et Onion. Tyburtini. Valeriani. Diuisi. Felicis. Euticiani. Gagi. Melciadis. Stephani. Vrbani. Luci. Mamori. Sastiri. Monidiani. Ladicis. Iuliani. Polycarpi. Romæ in Cimiterio depositio Diuisi Episcopi. Et in Colonia Natalis Sanctorum Faustini. Istriani. Marcellini. Secundiani. Xisti. In Vrbe Lemouis Sancti Martini Priuinsis.

AVGVSTI 9.

ADusum, non modo Occidentalis Ecclesiæ, sed Romanæ Matris, accomodatum olim fuisse vetustius M. nostrum, aliàs diximus, & ex initio huius diarij segmenti confirmatur in libris nostris. In quorum fronte Romanus re, & nomine martyr signatur, non indicato loco passionis. Supplet Romanum M. Bedæ, Adonis, Vvandelberti, Notkeri, qui Romæ Romanum militem, in Laurentij confessione compunctum, fustibus cæsum, & capite multatum referunt; quæ vberius narrantur in Actis S. Laurentij, tam mss. in Hagiologio nostro, quam editis apud Surium. In his de loco sepulturæ, & venerationis, ita legitur. *Extra portam salariam muros decollatus est v. Idus Augusti. Venit autem Iustinus presbyter nocte, collectumq. corpus eius sepelinit in Crypta in Agro Verano*. hoc est via Tiburtina. Huius S. Romani corpus ab antiquissi-

mo tempore Lucæ in Thuſcia veneratur, inſigni eius nomini dicato templo, & in maiori ara depoſito. Romanum hunc non Romanum vocat Galeſinius, & ſub Iuliano coronari Romæ meruiſſe narrat *ex libro ſcripto, Annalibus Hartimani Monachi, & Tabulis Eccleſiæ Lucenſis*, ad quam vrbem poſtea delatum eſſe, in martyrologio affirmat. Ex quibus tabulis hoc acceperit, me fateor ignorare. Hoc vnum ſcio, vt in diptycis Eccleſiæ Lucenſis Deo fauente oſtendemus, ab immemorabili tempora, & ante octingentos annos Romanum militem, Sancti Laurentij præuium in paſſione ſocium, in vrbe illa, & propria Eccleſia veneratum. Plures ſub Romani nomine fuiſſe martyres, qui Romæ agonem perfecerint fatemur, & pluribus in locis etiam eundem Sanctũ Militem veneratum, ſiue ex reliquiarum parte aliqua, ſiue nominis ſimilitudine ſcimus. Romanum aliũ militem cum Claudio, Seuero, Creſcentio recolit Ado 4. Idus Auguſti. Romanum S. Sixti Pontificis Oſtiarum cum eo coronatum teſtantur eiuſdẽ S. Sixti Acta 8. Idus Auguſti apud Petrum de Natal. lib. 7. cap. 3. & liber Pontificalis in Sixto. Alterius Antiocheni martyris geſta refert Euſebius Cæſarienſis de Reſurr. & Aſcenſ. lib. 2. p. 92. apud Sirmundum, cuius memoriam agimus die 17. Nouẽbris, ſed non alius Lucæ præter iam dictum, ab antiquiſſimo tempore veneratur. Hunc ignota mihi ratione prætereũt, tam M. Vetuſtiſsimum, quam Corbeiẽſe hac die. Illud. *V. Idus Auguſti. Sirmij Natalis Ruſtici. Et Pergamo Creſcentionis, Tiburtij. In Tuſcia Veriani, Marcelliani, Secundiani, Romani, Largi, Tiberiani, Theodori, Nomediani, Landici, Iuliani, Pauli, Carpi, Primi, Xyſti, Agatopi, & aliorum xi. Simtlini, Nimidiaci, Ladici, Iuliani, Feliciſſimi, Carpophori, Zmaragdi cum alijs x. In Alexãdria Antonini, & Tonioni, Tiberti, Valeriani, Dionyſi, Felicis, Euticiani, Gagi, Melei, Adeſi, Tebaſi, Vrbani, Luci, Mamini, Roma Caleſti Dionyſi Epiſcopi, Faſtiniani.* Corbeienſe ita ſacras diarias tabulas diſponit. *V. Idus Auguſti. In Oriente Natalis SS. Firmi, Ruſtici, Primi, Creſcentiani, Largi, Tyberiani. Amij, Tiberiani, Theodoti, Nomediani, Laudaci, Iuliani, Polycarpi, Primi, Xiſti, Agatopi, & aliorum numero xi. Feliciſſimi, Carpoſori, Zemaragdi, cum alijs x. & nouem. In Alexandria Natalis SS. Antonini, & Onion, Tiburtini, Valeriani. Dyoniſi, Felicis, Euticiani, Gagi, Melciadis, Stephani, Vrbani, Luci, Mamon, Sactiri, Nimidi, Ladici, Iuliani, Policarpi, Magni, Siluani. Romæ in Cœmeterio depoſitio Dionyſi Epiſcopi. Et in Colonia Natalis Sanctorum Viriani, Marcellini, Secundini, Xiſti. Vrbe Lemonicas S. Martini Brivatenſis.* Ab hoc parum noſtri codices recedunt, quos cũ Corbeienſi eodem in aſſignãdis locis, vbi paſsi ſint, vel venerationem acceperint, ſancti martyres minus accuratos agnoſco, quam Vetuſtiſsimum. In illis *Firmi* pro *Sirmi* aliqua inducta tranſpoſitione legitur, quaſi Firmus pro martyre accipi debeat, non pro Sirmio vrbe Pannoniæ multis martyribus referta. In Sirmij ciuitate non niſi Ruſticũ exhibet M. Vetuſtiſsimũ. Firmum, & Ruſticum, Notkerus producit nequaquã tamen in Oriente, ſed in ciuitate Verona tempore Maximiani, cui ſubſcribit Galeſinius ex Tabulis Eccleſiæ Veronenſis, & Bergomenſis, & Bonino, Mombritio. Ferrarius eorundem Acta refert ſummatim in Catalogo SS. Italiæ, aliqua tamen notat in illis caſtigatione digna, quæ fuſius deſcripta refert Petrus de Nat. lib. 7. cap. xliij. & quod magis eſt Romanum M. emendatum; vbi Baronius, Bedam, & recentiores adducit, inter quos etiam Molanus eſt, qui ex Bellino de Padua, in additionibus ciues Pergamenſes vocat, licet Veronæ fuerint coronati. Bergomenſes ciues fuiſſe omnes fatentur. Vnde facile mendum in M. Vetuſtiſsimo irrepſit poſt Ruſticum, *& Pergamo* pro Bergomi; quæ Cenomanorum in Italia vrbs, Pergamũ etiam Paulo Diacono dicitur.

citur. Verum plurimos cum Firmo, & Ruſtico in Oriente numerant M. Corbeienſe, & noſtrum, quorum præter quã in Firmo, & Ruſtico, veſtigia ſequitur Notkerus, qui longam de more martyrum nomenclaturam decurtans inquit. *In Oriente paſſio multorum Martyrum.* Vereri igitur poſsumus ex Notkero, & alijs adductis legendum eſſe *Pergamo*, ſeu Bergomi, *Firmi, & Ruſtici. In Oriente Primi*, vel vt libri noſtri habent *Permoni, &c.* Niſi forte cum Maurolycio ſatius eſſet legere. *Natalis SS. Ruſtici, & Firmi Pergamenſium. In Oriente SS. Firmini, & Creſcentiani*,

In Oriente. Sicuti ex ſanctis plurimis Orientalis Eccleſiæ in Vetuſtiori M. noſtro indicatis, confirmatur illud Occidentalis Eccleſiæ vſui fuiſſe accomodatum; ità obſcurum eſt, quæ nam regio pro Oriente accipienda ſit. Vniuerſim ea Aſiæ pars ſignificari videtur, quæ nobis verſus Orientem eſt. Parthiam ſunt, qui interpretantur ex verbis illis Plinij. *Oriens murrhina mittit maximè Parthici Regni.* & Tacitus Annal. 11. *Parthus imperium Orientis.* Incerta plurimaq. loca hìc intelligi potius putarem, quæ quindecim Prouincijs contenta ſub Orientis nomine numerat liber Notitiæ Imperij. Harum regionum niſi Primis, vel Permonij nomen vitio ſcriptum putemus, pro Pergomi, Creſcentianus dux erit duodecim, qui ſequuntur commilitonum; maluimus enim plurium codicum fide, Creſcentianum legere, quam Creſcentianam vt libri noſtri retinent; in quibus pro Tyberiano, primo loco in Corbeienſi indicato, Tiburtius legitur, & pro Amio, ſiue Annio, & Theodoto unicum Annitiodori nomẽ exprimitur, quod aptius diuiſum ſonat: In primo Anonimorũ numero libri noſtri cum Corbeienſi conueniunt, ſicuti cũ Vetuſtiſsimo Antuerpienſi, à quo aliquatenus nominibus diſsident, plurimũ vero in Paſsionis, ſeu venerationis loco, Quos vtique in Oriẽte noſtrum, & Corbeienſe M. recolit, illud Tuſcis Colonienſibus ad finem laterculi tribuit, numeratis ſcilicet Viriano, Marcelliano, Secundiano, & reliquis vſq. ad Alexandrinos. Et re vera nomina Italiã, & latinorũ vsũ, quã magis ſapiunt Oriẽtalium. Poſt Smaragdum innominati, in Corbeienſi codice ſunt decem, & nouem, contra Vetuſtiſsimi M. & noſtri fidem, qui decem retinent.

In Alexandria. Antonium tantum nõ Antoninum exhibent hac die Græci in Menologio, nullis ſocijs adnotatis. *Natalis S. Martyris Antonÿ Alexãdrini, quì propter Chriſti confeſſionem in fornacem ignis iniectus ſpiritum Deo commendans coronatus eſt.* Decem, & ſeptem illi aſſignantur ſocij in libris noſtris, decem & nouem in Corbeienſi M. in quo Siluanus, & Magnus adduntur, non ſine aliqua ſuſpicione ſuperadditi Siluani nominis vt præcedenti die adnotauimus.

Romæ depoſitio Dionyſi. Depoſitionis nomen, quamuis aliquando, & ſepulturæ martyrum accomodetur, attamen Confeſſoribus potius à M. noſtro tribuitur. Cum verò S. Dionyſius depoſitus dicatur in cœmeterio, vetuſtiora illa tempora videtur reſpicere ſepeliendi ritus in Cryptis, & cœmeterijs, & pacem Eccleſiæ redditã non dum fuiſſe ſuaderet. Epiſcopi, & vrbis Romæ nomen Dionyſium Pontificem videretur innuere, ſed nullus ex Põtificalis Hiſtoriæ ſcriptoribus martyrio coronatum affirmat, ex eo fortaſſe, quod ſedes eius in Gallieni imperiũ, pace Chriſtianis reddita, inciderit. Verũ cum etiã temporibus perſecutionũ advixerit, difficillimũ eſt, quin ærumnas aliquas pro fide nõ ſuſtinuerit, ſtrictiſſimè confeſſor dici non potuerit. Depoſitum S. Dionyſium Epiſcopũ fuiſſe 7. cal. Ianuarij ibi vidimus, & cum libris Pontificalibus concordare diximus. Sepultum in Calliſti cœmeterio fragmentum Vetuſtiſſimum Bucherij, liber Damaſi, Luitprandus, & alij docent. Quod cœmeterium hìc indicari non dubito, tũ quia antonomaſticè cœmerium illud maximum, & celeberrimum ſine

alia

alia additione vocari potuit. S. Dionysius quidem hac die alijs latinorũ MM. Romanus Episcopus, vel Pontifex non indicatur. Potuit tamen verus Natalis S. Dionysij, & depositionis celebris dies 26. Decembris, in hunc ab Ecclesia Occidentali transponi, propter Sancti Stephani Prothomartyris celebritatem, & proximum Domini Natalem, quemadmodum in alijs festis diebus accidisse aliàs adnotauimus.

Et in Colonia. Faustinum silet M. Corbeiense, & in Colonia tantum quatuor martyres indicat, Virianum, Marcellinũ, Secundinum, & Xystum. Notkerus hos in martyrologio Hieronymi adnotatos inueniens, contribules suos insciciæ redarguit, forte quòd hos Coloniæ Agrippinæ, vel Augustæ potius tribuerent. Verba prò re nostra adducere libet. *In Colonia Faustini, Marcellini, Secundiani, Veriani iuxta Martyrologium B. Hieronymi: cum à nostratibus Apocryphorum deliramenta sectantibus à B. Sixto propter continuationem temporum baptizati, & à Decio dicantur interempti.* Sixti nomen videtur illi negocium fecisse, quasi in martyrologio Hieronymi non inuenerit, vel tanquam malè à suis acceptum reijceret. Sed in Hieronymiano nostro, & Corbeiensi Sixtus adducitur non tamen Pontifex dicitur. Apud Coloniã Thusciæ Vsuardus, Secundianum, Marcellianum, & Verianum veneratur, & per cõpendia passionem eorum refert; vberius vero Petrus de Nat. lib. 7. cap. 42. Ex his Secundianus in Christianos cum Veriano Pictore sæuiebat; Marcellianus erat sapientissimus, & eloquentissimus orator; dumq; inter se conferrent Virgilij carmina *Iam redit Virgo, &c.* lumine superno tacti de Christo explicantes ad illum conuertuntur, & à Valeriano præfecto Centuncellas puniendi mictuntur, vbi agonem abscissione capitis compleuerunt, & in mare demersis corporibus, & ad lictus redeuntibus eodem loco sepulti sunt. Consimilia habet ex antiquis martyrologijs Maurolycus, quem sequitur Galesinius. Acta diffusiora apud Surium Tomo 8. Centũcellas quidem ductos ad supplicium narrant, sed capitis abscissione coronam accepisse in loco quodam lxij. miliario ab vrbe Roma; in mare verò proiecta corpora è litore à Diodato abstracta *Sepulturæ apud eum locum, quo capite cæsi sunt V. Idus Augusti* demandata referũt. Locus alijs martyrol. Colonia est in Thuscia. Ita etiã exprimit ms. Reginæ Sueciæ. *In Colonia Tusciæ SS. martyrũ Secundiani, Marcelliani cum aliis tribus.* Colonia opidum Etruriæ vulgo Colona apud Lacum Prilem, Roseto vrbi finitimum describitur à Ferrario in Geographico onomastico, quam tamen in Topographia martyrologij præterijt. Huius meminit Frontinus lib. 1. cap. 2. & Ortelio locus est in Senensi Territorio circa Prilium lacum versus Occidentem. In Vetustioribus Ecclesiæ Lucensis hædinis monumentis locum obseruaui Colonia dictum in Marittimis regionis Senensis, vel Populonensis. In Tuscanensi vrbe vulgo *Toscanella* celebres hos martyres adhuc esse idem Ferrarius notat in Catalogo SS. Italiæ, sicuti in Conuentana & Centumcellense Ecclesijs; dum tamen acta summatim producit alios socios non addit, Faustinũ videlicet, & Sixtum in codicibus nostris expressos. Idem Acta corrigit de Sixto Põtifice, quod in notis marginalibus ad Surium etiam adnotatur sanctos martyres scilicet non potuisse à Sixto Pontifice confirmari, quoniam sub Decio Cornelius non Sixtus sederit; sed nihil vetat à Sixto adhuc presbytero in fide firmari potuisse, qui per anticipationem posterioris scriptoris Pontifex dictus sit. Equidem in codicibus nostris, & Corbeiensi Sixtus tanquam martyr, & aliorum in passione socius numeratur, non tanquã Pontifex. De reliquis, qui Thuscis martyribus succenturiantur in martyrol. Vetusimo iam dictum est, & in re dubia ex luxatis,

(vt

(vt timeri pot est) codicibus nihil certi affirmare licet.

In Vrbe Lemouicis. Pro sancto Martino Priuense à Gallico antiquario super addito, legendum esse Martinum Briuẽsem, vel Briuatensem, ex Briuas pago in finibus Lemouicum, non dubito, atque ita lego in antiquo Hagiologio Franco-Gallico Lebbei. *In Vrbe Lemouicis sancti Martini Briuensis*. Hic aufugit Saufsayum; martyr dicitur in Miscellaneis historicis Bernardi Guidonis in quibus cap. 12. legitur. *S. Martinus martyr Briuensem Villam decorat, cuius fama signorum, vsque ad aures Valentiniani Imperatoris peruenit. Cuius gesta habentur. Festum eius recolitur V. Idus Augusti.*

IIII. Idus Augusti.

ROmæ via Tyburtina Natalis Sancti Laurenti Archid.. Et in Via Appia Felicissimi, & alibi Crescentionis. Archanarei. Iacenti. Ianuarij. Exuperati. Cyrilli. Quinti. Gemini. Quiriaci. Eugeni. Pastoris. Lucelle. Pontiani. Crispine. Innocentie. Terentiæ. Leocippi. Sidoræ. Agape. Crescenti. Euticie. Cyriacæ. Item Leocyppi. & Mariæ Virginis Dei cum alijs vj. innocentibus, qui vno die coronati sunt. Sessi. Criscentiæ. Archanarei cum alijs xxx. quorum numerus Deus habet in libro vitæ.

AVGVSTI 10.

Romę Via Tiburtina. De S. Laurentio notiora omnia sunt, quam aliquid addere oporteat. Omnia enim martyrologia eiusdem glorioſa certamina venerantur. Ab antiquissimo tempore in Vrbe Roma celebrem eius memoriam fuisse testatur etiam antiquissimum fragmentũ Bucherij aliàs adductum Vetustiori nostro M. consonum *Quarto Idus Laurenty in Tiburtina*. Polemeus pariter Siluius in laterculo apud Bollandum T. 1. *Quarto Idus natalis S. Laurẽty martyris*. Græci etiam S. Martyrem hac die recolunt in Menologio cum Sixto. Plures extãt SS. Patrum Homeliæ de laudibus S. Laurentij, quæ obviæ sunt. Meminit sacramentarium Gregorij cum duplici Missa nocturna, & diurna, vt vigilias habuisse dubitandum non sit. Nos de more mil. libros adducimus, vt reliqui hodierni martyres pateant, & confirmẽtur. In primis Vetustissimum Antuerpiense. *IV. Idus Augusti. Roma Laurenti Diaconi, & martyris, & alio loco virorum xi. & Virginum xiij. Ciriaci, Largi, Crescẽtiani, Memmiæ, Iulianæ, Zmaragdi. In Aretio Afræ, militum vii. Vallis Ostensæ. In Roma Felicissimi, & alibi Crescentionis, Arcanei, Iacinti, Ianuari, Exsuperati, Quirilli, Quinti, Zemmi, Pastoris, Lucellæ, Pontiani, Crispinę, Imorentici, Leocippę, Cerentiæ, Sidonæ, Agapæ, Crescti, Ciriacæ, Leticippi, Eutiliæ, Mariæ Virginis, & aliorum v. Crescentiæ, Seni, Arsuanei cum aliis xxx.* M. Corbeiẽse magis cum nostro conuenit. *IV. Idus Augusti. Roma Via Tiburtina Natalis sancti Laurentii Archidiaconi, & martyris. In via Appia Felicissimi. Et alibi Crescentiani, Nerei, Iacinti, Ianuarii, Exuperati, Cyrilli, Quinti, Germani, Gemini, Quiriaci, Eugenii, Pastori. Lucellæ, Pontiani, Crispinę, Innocentii, Terentiæ, Eleucippi*

cum

cum aliis sex innocentibus, qui vna die coronati sunt. Seni, Crescentię, cum aliis triginta, quorum nomina habentur in libro vitæ. In Epheso Natalis septem dormientium. Non tamen ita consonant, vt in aliquibus non dissideant, & codex ille suas etiam ærumnas, vt libri nostri non patiatur. Deficiũt in nostris post Archanarcum, siue Nereum, Germanus, & repetitus ante Pastorem alter Eugenius, & in fine septem dormientes in Epheso. In illo deest Maria Virgo Dei, quæ etiam in Vetustissimo exprimitur. Cum hoc tamen maior intercedit differentia. Nulla in libris nostris memoria extat virorum xi. & virginum xiij. incerti nominis, & loci. Repetuntur etiam in illo Ciriacus, Largus, & socij in alijs Hagiologijs die præcedẽti recẽsitis. Deest in Vrbe Aretio Afra martyr, quæ ab alijs nõ agnoscitur. Milites vij. obscurũ est, an Afræ socij dici debeant, vel vallis Ostensæ indigenæ. Vallis Ostensa apud Geographos mihi non occurrit. An legendum esset Vallis pro Africæ propriæ loco apud Antoninũ & Ostensæ pro martyris nomine? adhuc alijs codicibus destitutus hæreo.

Via Appia. Felicissimũ hunc esse Diaconum, qui sepultus Via Appia in cœmeterio Prætestati cum S. Sixto Pontifice, & Agapito Diacono coronam accepit, difficile est credere, quòd eorum memoria recolatur 8. Idus Augusti, vt iam vidimus. Quamquam enim codices nostri, tunc Felicem non Felicissimum retineant, omnia fere Hagiologia in Felicissimo concordant, vnde alium Romanum huius nominis martyrem hac die veneratum existimare par est.

Et alibi. Incerti loci martyrum turba à Crescentiano, seu Crescentione, tam in libris nostris, quam MM. Corbeiensi, & Antuerpiensi numerari incipit. Viginti duo nominatim in primo choro recensentur cum quinque Anonymis in M. Vetustissimo: tres deinde alterius chori cum xxx. sine nomine indicatis. Viginti quatuor nominibus expressi, cũ innominatis sex, primam classem constituunt in libris nostris: secundam tres cũ Vetustissimo M. & xxx. Anonymi. Corbeiense vno abundat in expressis, hoc est viginti quinque proprijs nominibus signat, cum vj. innominatis in prima serie; in secunda deficit Archanareus, qui cum Seno, Crescentia, ac anonymis xxx. in codicibus nostris, & Antuerpiensi indicatur. De his omnibus nihil in alijs MM. inuenio. Notkerus totus in Actis S. Laurentij, alios huius diei martyres silet, & tantum Romæ militum centum, & quadraginta quinque memoriam agit. Centum sexaginta quinque milites, sub Aureliano Imperatore Romæ coronatos exhibet Romanum M. Totidem numerant Beda, Vsuardus, & Ado, qui addit, *tunc passi sunt Claudius, Seuerus, Crescentio, & Romanus ipso die quo B. Laurentius, post tertiũ diem passionis S. Sixti*, quæ verba apud Notkerum etiam prostant. Maurolycius addit via Salaria. At cum adducti quatuor martyres ex turma clxv. esse credantur, vt notat Baronius, cumq. nomina cum incerto loco adductis in Vetustiori nostro conueniãt, ex ijsdem illos esse non constat.

Mariæ Virginis Dei. Sancta hæc Virgo in M. Corbeiensi prætermissa, numeratur etiam in Antuerpiensi, in quo tantum Virgo dicitur. In codicibus nostris additur *Virgo Dei*, vt Deo dicatam fuisse, & ex sacrarum aliquarum Virginum cœtu intelligamus. Alibi iam ostẽdimus etiam in primis Ecclesiæ sæculis Ascetaria virginum sacrarum fuisse. Sex qui sequuntur anonymi vna die coronati Innocentes dicuntur, vel quia infantes, vel quia Virginis, & Mariæ sociæ. Nec aliam nobis lucem inuenire, vel addere licuit. Septem dormientes in Epheso, ad calcẽ M. Corbeiẽsis additi, in nostris codicibus desiderantur. Horũ memoria agitur à Græcis 4. die Aug. in Menologio Canisij, vbi etiam eorum nomina producuntur. M. Romanum de his cũ alijs latinis agit die 27. Iulij, vbi videndus est Baronius; alij septem dormientes recolunt die sequenti.

Romæ

III. Idus. Augusti.

ROmæ Natalis Sanctorum Tyburtij. Valeriani. Ceciliæ Virginis, & Natalis Sanctæ Susannæ. Et in Nicopoli passio multorum Martyrum, quorum nomina Deus scit. Et passio Sancti Cassiani. *Et in Gallia Ciuitate Camaracum depositio Sancti Gaurici Episcopi, & Confessoris.*

AVGVSTI 11.

VEreor ne incuriosus aliquis antiquarius nullũ alium Tiburtium agnoscens, quã qui cum Valeriano, & Cecilia celebris in Ecclesia est, illos etiam male consultus addiderit. Nam & Sacramentarium Gregorij, & reliqua latinorũ martyrologia Tiburtium tantum Chromatij filium Romæ miliario iij. venerantur. Ita M. Corbeiense. *III. Idus Augusti. Natalis S. Tiburtii, & Natalis S. Susannæ. In Nicopoli passio multorum Martyrum, quorum nomina Deus scit. Et passio sancti Cassiani. Ebrocas Natalis S. Taurini Episcopi, & Confessoris. Cameraco ciuitate, in Gallia Natalis S. Gaugerici Episcopi, & Confessoris.* Suspicionem auxit Notkerus, qui Vetustioris M. vt plurimum annuens fastis innixus, præter Tiburtij Chromatij filij, & Susannæ, quæ excurrit Acta, & præter Nicopolitanos martyres nil de Valeriano, & Cæcilia addit. At detinuit, ne deprauatos omnino codices nostros decerneremus, Vetustissimi martyrol. S. Villibrodi auctoritas, in quo eadem cum libris nostris, ita leguntur. *iii. Idus Augusti. Roma Natalis Tiburti, Valeriani, Cæcilie, Susanne, & passio S. Cassiani Martyris. Nicopoli passio multorum martyrum.* Tribus hisce martyribus simul, nullam hac die tributam celebritatem licuit inuenire, nisi forte eorundẽ Titulus sub Gregorio instauratus, vt in reuelatione tempore Paschalis PP. primi legitur apud Bosium, hac die dedicatus fuerit, & natalis potius fuerit Ecclesiæ illius, quam martyrum: quorum etiam ex aliqua in hoc die translatione potuit iterata memoria recoli.

Et Natalis S. Susanna. Omnia de S. Susanna nota sunt, & eius Acta apud Surium, aliaq. Hagiologia prostant. Videndus ad hanc diem Baronius. Meminit Calendarium vetus Fronti, & adducti mss. codices. Domum Gabinij Patris in qua gladio trasverberata S. Virgo occubuit, inter Diocletianas repositam, ita ms. Reginæ Sueciæ videtur numerare. *Roma iuxta duas domos Diocletianas S, Susanne, &c.*

Et in Nicopoli. De plurium martyrũ cultu Nicopoli meminit etiam hac die Notkerus. Quæ vero Nicopolis sit inter plures huius nominis vrbes, affirmare difficile est. In Nicopolim Thraciæ, siue Bythiniæ propenderem, quòd ibi maior, temporibus præsertim Diocletiani, fuerit martyrum carnificina.

Et S. Cassiani. An S. Cassianus Nicopoli, inter multos sine nomine martyres indicatos, reponi debeat, an Cassianus Forosempronensis sit, qui cum Hypolyto infra Idibus Augusti indicari videtur, non mihi liquet. Ferrarius geminos Cassiani nomine Episcopos profert in Catalogo SS. Italiæ, eosque martyres ijsdem Augusti Idibus, & pridie Idus Confessorem Episcopum Beneventanũ. Ex duobus martyribus fama clarior est Imolensis, seu fori Syllæ Episcopus, qui antea Sabionensis fuit, & in Rhetia graphijs à proprijs discipulis confossus, sub

Iuliano coronam accepit. Hunc in Peristephano carmine Prudentius prosequitur, & ex eo alius scriptor Prosæ apud Surium T.8. Alter Episcopus Tudertinus fuit, cuius acta idem Ferrarius producit, nonnihil cum gestis S. Cassiani Imolensis confusa. Ab his diuersa de Imolensi scribit Pearus in Catalogo lib. 1. cap. 27, dum martyrē Zingitanum in Africa fuisse narrat, & quem Ado 3. Nonis Decembris ad Imolensem ciuitatem translatū ibi miraculis coruscare scripsit. De aliquo S. Cassiano martyre, cum non addatur Confessoris nota, hìc agi existimarem, & facile de primo, cum S. Cassianus, qui cum Hyppolito in vetustiori M. nostro recolitur Idibus Augusti, eiusdem S. Martyris socius videatur.

Et in Gallia. Gaugericum fere omnes vocant non Gauricum Episcopum Cameracēsem, de quo simul cum Taurino, à M. Corbeiense memorato, agit M. Romanum, cum Beda, Vsuardo, & Adone. Vita eius extat apud Surium T. 8. & floruisse ex Baronio habemus circa an. 615. A Gallico antiquario recentius superadditum suadet M. Vetustissimum Antuerpiense, in quo nulla, neque Gaugerici, neq. Taurini memoria recolitur. Sammarthani, qui T. 1. Galliæ Christianæ S. Gaugericum quintum numerant, Archiepiscopum Cameracensem obijsse affirmant anno 594, & aliqua de eo cumulant. Molanus in Natal. Sanctorum Belgi obijsse notat die xi. Augusti.

II. Idus Augusti.

IN Sicilia Ciuitate Cataniæ Natalis Sanctorum Eupoli. Nericie. Veneric, & in Syria vico Magarato Natalis Sanctorum Macharij. Iuliani. Vbi multa regio conuenit Monachorum. Romæ Natalis Sanctorum Crissantæ, & Dariæ, & qui cum eis passi sunt Claudius. Helaria. Iason. Maurus, & milites lxx. & in Istria Natalis Sancti Iuliani cum socijs eorum.

AVGVSTI 12.

IN Sicilia Catanensem martyrem Euplum, siue Euplium diaconum laudant hac die omnia fere latinorum martyrologia: Græci autem in Menologio, & Metaphrastes in Actis apud Surium vndecima superiori die, quo scribunt agonem perfeciſſe. Sinceriora eiusdem Acta videntur, quæ Baronius producit T. 2. Ann. 303. n. 145. In quibus tamen de socijs martyribus Nericia, & Veneria nihil licuit inuenire. Plures per Euangelij lectionem, ab eo iam iam capite plectendo, veritatis lumen accepisse perhibet Metaphrastes, sed nomina silet. Pridie Idus Septembris Catanæ cū Euplo Serapion etiam Episcopus additur infra in M. nostro. Calendarium vetus Fronti, hac ipsa die Natalē S. Eupli exhibet, sicuti Hieronymianū Lucense Augusti *II. Idus S. Eupli Diaconi.* cuius vetustissimam Ecclesiam in Lucensi ditione prope vrbem indicant monumēta hædina in Episcopali Tabulario circa annū octingentesimū. Ado, Rabanus, & Notkerus eius certamen breuiori stylo prosequuntur, quemadmodū Petrus de Nat. 7. cap. 53. Diffusiora spondet in Nouissima Catanēsis Ecclesiæ notitia Grossius T. 2. p 140. etiamsi S. Eupli socios ignoret, sicuti Ferrarius; hos tamen non prætermittit M. Corbeiense. *II. Idus Aug.*

In

In Sicilia Ciuitate Cathenas Natalis sanctorum Eupli, Verecia, Veneria. Et in Syria, Vico Gamarato Sanctorum Macharij, Iuliani. Roma Natalis Sanctorum Chrysanthi, & Dariæ, & qui cum eis passi sunt, Claudij, Elariæ, Iasonis, Mauri, & militum octoginta sex. Et in Istria Natalis S. Iuliani cum socijs suis. Ex silentio autẽ scriptorum, qui Euplo Diacono Siculo socias non addunt Nericiam, & Veneriã, dubitari posset alterius loci fuisse indigenas, nisi id aperte doceret, M. Vetustissimum Antuerpiense, in quo cũ alijs Veracia, nõ Neracia, Syriæ, non Siciliæ tribuitur, quamquam ex proxima repetita *Syria* voce hæsitatio prorsus non tollatur *II. Idus Augusti. In Sicilia Eupli. In Syria Iuliani, & Marci, Veracis, Veneriæ. In Syria Natalis SS. Macharij, Iuliani. Roma Cristini, & Clarinę, Claudi, Hilari, Iasonis, Mauri, & militum lxx. In Istria Iuliani.* Nullam hìc facem præfert ms. Reginæ Succiæ, nullam Notkerus, qui tantùm secũdæ classis Syros producit. Cum verò neq. Iuliani, aut Marci Syrorũ memoria exstet in libris nostris, aut hodiernis fastis M. Corbeiensis, in eorum prototypo lacunã fuisse suspicamur, vel librariorum incuriam dolemus.

Et in Syria vico Magarato. Ita fere Notkerus. *In Syria vico Magarito Natalis SS. Macharij, & Iuliani vbi multa religio conuenit Monachorum.* Postrema verba, quę in libris nostris etiam prostant, desunt in M. Corbeiensi, in quo Syriæ vicus Gamaratus nuncupatur, aliquarum literarum transpositione. Ex concursu, qui additur, Monachorum, Asceta aliquis Macharius in Syria innui videretur. Baronius ad diem 3. Ianuarij plures Macharios adducit. Vicus Magaros, siue Magaritum deest in martyrol. Vetustissimo, qui si additus esset nugationem tollere videretur, quæ apparet in repetito Syriæ nomine. De Macario, & Iuliano martyribus cum alijs socijs agũt Græci in Menologio ad diem 30. Octobris, sed Alexandrini sunt, non Syri. De Macario, & Iuliano agit Romanum martyrol. in Syria, sed ibi Baronius nihil addit præter Bedæ, Vsuardi, & Adonis testimonia. Vicum Magariassum in Cappadocia, patriam Theodosij Cœnobiarchæ habet eiusdẽ vitæ auctor Cyrillus apud Surium, & Cappadociam LeucoSyriæ Straboni, & alijs assignatam inuenio, & Cappadoces Syros dictos alibi adnotavimus. Sed hæc fortasse nimis longè petita sunt. In celebritate SS. Macharij, & Iuliani in Syria plures Monachos cõuenire consueuisse testãtur, tam libri nostri, quam Notkerus, hac differentia, vt in illis *multa regio*, hoc est ex multis regionibus, in hoc *multa religio* scriptum sit, hoc est valde religiosorum Ascetarum, vel ad religionem multum augendam. Alter ex mss. Reginæ Succiæ ita legit *in Syria Vico Magaroto Natalis SS. Macarii, & Iuliani.* & Petrus de Nat. lib. 11. n. 214. ex vetustis martyrol. Idib. Aug. *Macarius, & Iulianus eodem die in Syria martyrio coronantur.*

Roma Natalis. Pro Chrisanto, & Daria Christinum, & Clarinã exhibet hìc M. Vetustissimum S. Villibrordi, & vt suspicari fas est, scriptoris errore, alia consimilia nomina, pro alijs accipientis; quod suadet reliquorum codicum fides, inter quos ms. Reginæ Sueciæ. Pridie Idus. *Roma Natalis SS. Chrysanti, & Dariæ, & cum eis passi sunt Claudius, Iason, Maurus, & milites septuaginta.* Chrysantum, & Dariam virgines, sanctosque coniuges Acta apud Petrum de Natalibus lib. 9. c. 105. post multas cõfessiones, multaq. certamina viuos in fouea defossos, & terra, saxisq. obrutos ad cælum euolasse narrant vilij. Kal. Nouembris, qua die eorum memoriam recolit Rom. martyrol. Et si verò Claudius Tribunus, & Hilaria vxor eius, Iason, & Maurus filij cum militibus septuaginta ad Chrysanthi prodigia, & doctrinam crediderint, & per eum baptizati palmam martyrij acceperint, nõ tamen id eodem die accidisse eadem gesta docent. Equidem præter Hilariam, gladio illi peremptieadem via Salaria sepulti sunt, sicuti

filij à matre in prędio ſuo. Hilaria vero mater ad filiorum tumulũ orãs, dum ab infidelibus, cladem illi intentatibus, ſpacium orandi obtinuit, ſpiritum emiſit, & cum filijs ſepulta eſt alio die, licet eandem venerationem obtinuerit, iij. Nonas Decembris, vt apud eundem Petrum de Nat. legitur lib. 1. cap. 23. At non inſuetum eſt Vetuſtiori martyrol. vt alibi diximus, ſocios certaminis diuerſo die completi, ſub vna celebritate recolere. Quemadmodum Græci de his martyribus docent, quos tamen certum eſt inadnotatis à Petro Equilino diebus agonem compleuiſſe. Quandoquidem in Actis eorundem SS. eleganter ſcriptis à Verino, & Armenio iuſſu Stephani Papę, ſub ipſo Numeriano paſſionis auctore, docetur *ſolemnẽ martyrij eorum diem ab incredibili virorum, & fœminarum, & puerorum multitudine* celebratum eſſe: nõ tamen qualis fuerit exprimitur, nec alio modo ſignatur. In Romano Martyrol. SS. Chryſanthi, & Dariæ memoria agitur die 25. Oct. Diodori verõ, & Mariani, qui die ſolemni eorundem martyrum cũ alijs multis occiſi ſunt, paſſio recolitur 1. Decembris, vt incertum eſſe diem indeſciamus. Quapropter Græci die 17. Octobris, & 19. Martij Chryſanti, Dariæ, Claudij, Iaſonis, Mauri, & Hilariæ ſimul natalem celebrant. Cœmeterium B. Hilariæ Via Salaria erat in ipſius horto, ſiue prædio, vbi eius ancillæ eam ſepulturæ mandauerunt, & Eccleſiam inſuper conſtruxerunt, cuius meminit Bibliothecarius in Adriano primo, & longius proſequitur Aringhius lib. 4. Romæ ſubt. c. 32. Mauri, & Iaſonis corpora à Paſchale I. ad Eccleſiam S. Praxedis translata fuiſſe, appoſitam ibidem inſcriptionem docere, idem Aringhius teſtatur; ſed deinde cum Hilaria matre ab Alexandro IP. ſecũdo, Lucam fuiſſe delata, & in Eccleſia Cathedrali depoſita, vbi adhuc in ſacello Libertatis nuncupato venerantur, monumenta legentibus fidem faciunt, quibus Baronius in Annalibus conſtanter adſtipulatur, & nos latiùs in Dypticis noſtris oſtẽdemus, atqȩtiã in editis Matildæ Comitiſſæ monumẽtis docuimus, M. Vetuſtiſſimũ in aliquibus nominibus etiã corrigẽdũ patet, & pro Hilario, Hilaria reponẽda. In Corbeienſi etiã militũ numerus ab lxxxvi. ad lxx. eſt aliorũ omniũ fide reducẽdus, ſiue vt legitur in pluribus codicibus lxxij. vt infra videri poteſt die 29. Nouẽbris, Notkerus pro Hilaria Romana Hilariam matrem S. Aræ Auguſtanæ recolit hacdie; ſicuti etiam martyrol. Rom. cum aliis.

In Iſtria. Eadẽ habet ad verbũ Notkerus, & alter ex libris mſſ. Reginæ Sueciæ. Quis autem fuerit Iulianus in Iſtria coronatus, & qui ſocij hucuſq. me fateor ignorare.

Idus Auguſti.

ROmæ Natalis Sanctorum Ypoliti Martyris. Pontiani Epiſcopi. Luciani. Cornilij. Caſſiani. Caleſti cum ſocijs eorum. Sinnada Frigiæ Natalis Sancti Antiocheni Epiſcopi. & Pictauis Ciuitate depoſitio Radegundæ Reginæ.

AVGVSTI 13.

SAncti Hippolyti martyris pręclariſſimi memoriam hac die recolunt cum Romano martyrol. omnes ferè latini, Beda, Vſuardus, Ado, Rabanus, & Notkerus, & cæteri recentiores. Diem Idus Aug. eidem dicatum habet Prudentius in Peri-ſtephano, & ſepultum in Agro Verano via Tiburtina in cœmeterio Hippo-

lyti

lyti etiam dicto, de quo plura Aringhius lib.4. cap 16. Acta seiunctim à S. Laurẽtij agone extant in Hagiologio nostro perantiquo ms., sed quæ parum distent ab ijs, quæ inserta sunt in ijsdem S. Laurentij gestis. Calendarium Antiquum Fronti hac etiam die Natalem S.Hyppolyti exhibet,sicut & Sacramentarium S. Gregorij. Consonat M. Vetustissimũ S. Villibrordi. *Idus Augusti. Romæ Hippolyti, Pontiani Episcopi, Luciani,Coelestis, Cassiani. Frigiæ Antonini. Lugduno Antiochi Episcopi.* Ita,& vberius M. Corbeiense. *Idus Aug. Romæ Natalis SS.Hippolyti martyrii, Pontiani Episcopi,Cornelii,Cassiani, Calesti cum sociis eorum.Synnadæ Frigiæ natalis S.Antonii Episcopi. Lugduno Galliæ natalis S.Anoci Episcopi. Pictauis depositio sanctæ Radegundæ Reginæ. Ebrocas ciuitate natalis S. Landulphi Episcopi, & Confessoris.* Notkerus non modo S.Hippolytum, sed Concordiam nutricem, & nouem de domo eius eadem die veneratur, ità de more ex Adone accipiens, penes quem sicuti etiam apud Rabanum non nouem sed xix. de Hippolyti domo martyres,promiscui sexus gladio perempti eodem die recolũtur. In fragmento Vetustissimo Romani martyr. apud Bucherium non tantum S. Hippolyti nomen legitur via Tiburtina, sed & Pontiani in cœmeterio Callisti *Idibus Augusti.Hippolyti in Tiburtina,& Pontiani in Callisti.* Quæ verba ideo adduximus, vt translationem S. Pontiani Pontificis è Sardinia per Fabianum Papam,hac ipsa die in Vetustiori M. rectè ab antiquissimo tempore appositam fuisse appareat. De S.Pontiano,eiusq.trãslatione agit Romanum M. die 19. Nouembris, qua die defunctum habet liber Pontificalis, cum tamen Luitprandus, & Albo Floriacensis non decimo tertio,sed tertio calend. Nouembris in Insula Sardinia afflictum, & fustibus maceratum defunctum, siue martyrio coronatum affirment. Seiunctim ergo hic translationis est commemoratio, & natalis S.Pontiani non in Sardinia, sed in Callisti cœmeterio. Vnde subiit dubitare, an Calistus, qui cum Cassiano, Cornelio, & Luciano subrogatur Pontiano, nomen cœmeterii esse posset, non martyris.Sed præterquam quod Calestus constanter dicitur, tam in libris nostris, quam Corbeiensi, non Callistus, reliqui adnotati socii dubitare non sinunt, siue tres nominibus expressi, siue qui sine nomine, ac numero indicantur. Cassianus passim Imolensis hìc accipitur, & ex Prudentio eius vitam compendiosè hac die refert Rabanus. De eo iam ad diem xi. Aug. egimus.

Sinnada. Phrygiæ maioris vrbs est Synnada apud Strabonem,siue Synada apud Ptolemeum,& apud Socratẽ scholasticum Phrygiæ Pacatianæ. De Concilio Synnadensi meminit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib.7.cap.6 Dissident in nomine Synnadensis martyris M. Vetustissimum à Corbeiensi, & nostro.Illud in Phrygia vrbem nõ signãs Antoninum, sine vlla Episcopalis dignitatis nota producit, Antiochum autem Episcopum Lugduni. Antonium vero non Antiochum Episcopum Synnadẽsem exhibet M. Corbeiense,& Anocium Lugduni. Sed codices nostri constanter Synnadæ in Phrygia Antiochũ Episcopum retinent, quemadmodem ms.Reginæ Sueciæ. *Idibus Augusti Synnadæ Phrygiæ natalis S.Antiochi Episcopi.Lugduni Galliæ natalis S. Anoceti Episcopi.* Notkerus non meminit, neque alia latinorum martyrologia, siue Antonius dicendus sit, siue Antiochus.

Lugduni. De S.Antiocho, siue Andiocho Episcopo Lugdunensi luculenter agit Raynaudus in Hagiologio Lugdunense p.321. vbi tamen sub annũ Christi 420. die 15. Octobris obijsse narrat ex Romano martyrol. Vsuardo, & Adone. Anocetus, siue Anocius alibi non comparet, de Antiochio meminerunt etiam 15.Octobris Saussayus, & Sammarthani qui xvi. Episcopum Lugdunensem faciunt: nõ autem Vetustius nostrum martyrol. licet in eo frequẽtes Gallici antiquarii

quarij additiones agnoſcamus.

Pictauis. De Radegunde Regina quamquam nota ſint geſta, tam apud Gallicanos ſcriptores, quam in latinorũ martyrologiis tanquam de additamento multa non congerimus. Meminit inter cæteras ad hanc diem vetus Franco Galliæ Hagiologium Lebbei, & vitam diffuſius ſcriptam habet Surius Tomo 8.

XVIIII. Kal. Septembris.

GEndara Syriæ Natalis Sancti Fortunati. In Africa Sancti Demetri cum ſocijs, & alibi Eutici. Pauli. Heracli. Poſſeſſori. Parmi. Diſſei. Hermi. Proſpolmi. Proſalami. Bermiæ. Heracli, cum ſocijs. In Aquileia Natalis Sanctorum Felicis. Fortunate. Vincentiæ. In Venbera Syriæ natalis Sanctorum Euſebij. Tituli. Conditoris. & Proſpolini.

AVGVSTI 14.

Siue vrbem, ſiue regionẽ, quam noſtri codices Gendaram dicunt, Mẽdaré vocat Notkerus in Syria. Sed altervtro nomine dicta, mihi eſt apud Geographos ignota. Gendaram tamen retineo, id comprobante tùm M. Corbeienſe, tùm mſ. Reginæ Sueciæ. Illud ita. *XIX. Kal. Sept. Gendara Syriæ natal. S. Fortunati martyris. In Africa natalis S. Demetri. Et alibi Eutici, Pauli, Heracli, Poſſeſſori, Parmi, Diſſei, Hermæ, Proſpolini, Proſalami, Bermiæ, Heracli cum tribus. In Aquileia natalis SS. Felicis, Fortunata, Vincentia, Vindiraſiri, natalis SS. Euſebij, Siculi, Conditoris, Proſpolami, Caſti, Candidi.* Alterũ verò ex mſſ. Reginæ Sueciæ apud Holſtenium *19. Kal. Septembris. Gendara Syriæ natalis S. Fortunati. In Africa Natalis ſancti Demetri, & alibi Eutichi, Pauli, Heracli, Poſſeſſoris, Parmi, Diſſei, Hermæ, Proſpolmi, Proſalami, Bermea, Baracli cũ tribus.* In Syria tantum non explicata, vel vrbe, vel regione ita Demetrium, nõ Fortunatum martyrem indicat M. vetuſtiſſimum Antuerpienſe. *xviiij. Kal. Septembris. In Syria Demetri. Aquileia Felicis, Fortunate, Eutici, Bervinæ, Pauli, Eracli, Poſſeſſoris, Parmi, Diſſei, Hermæ, Proſpolini. Proſalimi. Item Heracli cum tribus, Felicis, Fortunati, Vincentiæ, & Vinderia Seri, Euſebi, Tituli, Conditoris, item Proſpolini.* Mutilum hìc eſſe codicem non inficior, cum alii Fortunatum Syriæ, Demetrium Africæ omnino tribuant, ſicuti etiam confirmat Notkerus.

In Africa. Demetrium Africanum ex veteri Romano martyrolog. aliiſq. mſſ. reſtituit Baronius, & Molanus addidit ad Vſuardum. Galeſinius ex libris mſſ. & Adone etiã Demetrii meminit; ſed neq; apud Adonem editum, neque in noſtro hedino mſ. licuit inuenire. Cum adductis tamen codicibus conſonant Notkerus, Bellinus de Padua, & Maurolycius. Nemo tamen ſocios habuiſſe addit, quos libris noſtris debemus.

Et alibi. Vetuſtiſsimum martyrolog. Antuerpiẽſe, quod magis dilucidè martyres in eorum locis diſtinguit, hìc à librario malè multatũ, cum Aquileienſibus, numeroſam martyrum turmam, incerto loco ab aliis codicibus tributam, iungit, vel potius confundit. Vndecim nominibus exprimit, martyrol. Corbeienſe cum tribus anonymis ſociis, totidemq. Notkerus cum repetito Heracio. *Alibi Eutychii, Pauli, Eracli, Poſſeſſoris, Parmi, Diſſei, Hermæ, Proſpolini, Proſalami, Hermiæ. Item Heracli cum tribus,*

quem-

quemadmodum minima nominum differentia codices nostri,

In Aquileia. Eadem hic etiam profert Notkerus. *In Aquileia Natalis Sanctorum Felicis, Fortunatę, Vincentiæ*. alter ex ms. Reginæ Sueciæ legit *Aquileiæ natalis SS. Felicis, Fortunati, Ianuarij*. quorum postremum alibi non inuenio memoratum. Fortunatum passim legunt Latinorum martyrol. nō Fortunatam, & de Felice, & Fortunato agit Romanum ad diem 11. Iunij, vbi plura Baronius, & nos aliqua adnotauimus. Ferrarius eorundem Acta hac ipsa die 14. Augusti prosequitur, ex peruetusto Vicentino codice pergameno, & horum corpora, & si Aquileiæ agonem compleuerint, apud Vicentinam vrbem venerari testatur. Franciscus Barbaranius, qui nuper Historiam Ecclesiæ Vicentinæ scripsit lib. 1. fusius per eadem acta excurrit, & quam quam cum Baronio sentiat diem hunc, quo Vicentini, Felicis, & Fortunati festum agunt, non passionis, sed translationis fuisse; attamen in Monasterio S. Coronæ vetustissimum librū Breuiarium seruari testatur, sanctorum fratrum Acta in 9. lectiones diuisa continentem, in quibus fideliter prolatis miror hæc verba non animaduertisse, non translationis, sed passionis diem docentia. *Martyrizati sunt autem SS. martyres Christi sub die xviij. cal. Septēbris*, quæ vel hunc, vel sequentem diem collimant. Cum verò constanter, tam apud Notkerum, quam in libris nostris, alijsq. adductis codicibus Fortunata non Fortunatus martyr dicatur, & insuper Vincentia comes superaddatur, suspicari subijt, an Aquileienses hi cum Vicentinis, nominibus quidem quoque pacto conuenirent, sed rè vera ijsdem non essent. Ambages plurimas, non ita feliciter discussas circa eadem Felicis, & Fortunati corpora adducit idē Barbaranius lib. 1. & adhuc & ab anno 1325. Aquileiæ tumulum lapideum seruari fatetur SS. Felicis, & Fortunati, Sigismundi Regis, & Menæ corpora continentem. At mirum est, quod orto dissidio inter Vicentinos, & Aquileienses de martyrum reliquijs, corpus Sanctis Felicis apud Aquileienses remanserit, sancti Fortunati ad Vicentinos delatum sit, vt Petrus de Natalibus auctor est lib. 4. cap. 147. apud eundem Barbaranium: cum è contrā Venantius Fortunatus in carminibus à Baronio etiam adductis, Felicem, Vicentinis tribuat, & Fortunatum Aquileiensibus, quemadmodum re vera corpus S. Felicis Vicentiæ in Monasterio S. Viti seruari docet vetus monumentum, sub anno 976. ab eodem Barbaranio in fragmento allatum. Cum vero amborum etiam martyrum corpora, hoc est Felicis, & Fortunati Vicentiæ quiescere affirment bina Henrici primi Imperatoris diplomata, ab eodem Barbaranio adducta, alterum ex his dicendum videretur, aut sacris lipsanis diuisis, vtriq. vrbi vtriusq. medietatem tributā esse, & aliorum exemplo ab vtraq. ciuitate affirmari posse penes se sāctos martyres verè requiescere, vel Vicentinos cælites ab Aquileiensibus esse diuersos. Si cui primum magis arridet, ac velit S. Felicis corpus Aquileiēsibus cum Fortunati capite asserere, Vicentinis verò corpus S. Fortunati cum S. Felicis capite assignare, legere illi opus esset in libris nostris, & alijs consimilibus adductis codicibns. *In Aquileia S. Felicis, & Vicentia Fortunati*. Sed raro, vel nusquam locus passionis, aut venerationis in vetustiori M. postponitur.

In Vembera Syriæ. Ignota non minus mihi Vembara est, quam Gendara vrbs, vel regio Syriæ in M. nostro. Forte Bemmara, vel Bemmaris circa Comagenam Syriæ vrbs accipitur. At diuinandum non est, præsertim quòd M. Corbeiense vnico nomine exhibet Vindirasiri, & Notkerus desperans fortasse certum locum in Syria ostendere, in incertum ita relinquit. *Item alibi Eusebij, Tituli, Conditoris*. Syros martyres quatuor, non tres hic nnmerant libri nostri Eusebium, Titulum, Conditorem, &

Pro-

Prospolinum : Prospolimum parua differentia horum postremum vocat martyrol. Corbeiense, & addit ad senarium numerum Castum, & Candidum. Ms. Reginæ Sueciæ Eusebium presbyterum ita profert, vt ad Romanum Eusebium, omnibus ferè latinorum martyrologijs memoratum, videatur respicere, qui nomen Titulo dederit, & conditor illius quodamodo dici potuerit. Titulus enim Eusebij memoratur in Concilio primo Romæ habito sub Symmacho Papa, & cœmeterium Eusebij præsbyteri erat via Appia, vt describit Aringhius lib. 3. c. 20. Romæ subterr. At cum in alijs codicibus Titulus, & Conditor nomina martyrum videantur, & Eusebius presbyter sub Constantio Ariano martyr, qui Titulo Eusebij, non cœmeterio nomen dedit, à Notkero seiunctim ab altero Eusebio recẽseatur, nihil mutandũ esse existimani, & Syrũ Eusebiũ diuersum esse à recẽtiori, & presbytero Eusebio reliquis de quo ad hanc diem agunt cum R. Martyrologio Beda, Vsuardus, Ado, Rabanus, ac latini recentiores.

XVIII. Kal. Septembris.

ASsumptio Sanctæ MARIAE. Stationis. Philippi. Euticiani In Nicomedia Natalis Sanctorum cum socijs.

AVGVSTI 15.

ET si vetustissimis temporibus Deiparæ Virginis, siue depositio, siue obdormitio, siue migratio, nõ hac die celebris in Ecclesia fuerit, sed potius die 18. Ianuarij, vt ibi latius diximus; potuit tamen Assumptionis nomen tunc celebrius euadere, cum eiusdem festum sub Iustiniano cæpit die 15. Augusti vbiq. celebrari; ita vt tempore Nicolai Pontificis in Responsione ad cõsulta Bulgarorum antiqua celebritas iam dici meruerit. Minus Baronio placet obdormitionis titulus, & in Annalibus ad annum 48. Vsuardum, & Adonem reprehendit, quòd minus aptè eodem nomine abutantur, tanquam latinis saeris scriptoribus inusitato. Gretzero tamen emunctæ naris scriptori minus displicet, quæ Græcis vsitata vox est obdormitionis, & Migrationis, & in adnotationibus ad Codinum Rosuueydi martyrologium defendit, quòd antiquis Assumptio Deiparæ cum corpore, & anima non ita liquida fuerit, vt nobis est. Notkerus equidem qui suo tempore adhuc in controuersiam poni Assumptionẽ refert inter doctissimos, post relatam Catholici, & venerabilis Patris Gregorij Turonensis de Virginis Assumptione Historiam, suum non esse fatetur rem tã grauem in breui Martyrologij opusculo definire, ac subdit quale tunc fuerit vniuersalis Ecclesiæ sensus. *Hoc tamen certissimè cum vniuersali Ecclesia, & credimus, & confitemur, quia si reuerentissimũ illud corpus, ex quo Deus est Incarnatus, adhuc alicubi in terra celatur, reuelatio vtiq. ipsius ad destructionem Antichristi reseruatur*, quæ ex Vsuardo videtur hausisse. Rabanus tamen eodem sæculo ita habet xviij. cal. Aug. *Assumptio S. MARIAE, & Nicomedia Natale SS. Stationis, Philippi, & Eutichiani cum socijs eorum*. Acrius hic de more Combefisius in Baronium doctissimum insurgit, quòd non videantur damnandæ tot Græcorũ sanctissimorũ Patrũ Homeliæ de Deiparę obdormitione scriptæ, & quod Ecclesia non minus ad breue tempus obdormitionem, siue Pausationem suscipiat, quã corporis cum anima Assumptionem. Minoris certè ponderis sunt, quæ aduersus

Baro-

Baronium Gretserus affert ex Rosuueydi martyrologio, quod purum est calendarium ex Adone confectum, non vetustissimum Romanum. Nec eidem substituere possumus Antuerpiense vetustissimum, quod Romanum vocant Bollandus, & Henschenius in Actis SS. Mensis Februarij passim; ad diem enim *xviij. Kal. Septembris*, hæc tantum habet. *In Nicomedia Stratonis, Philippi, Euticiani*, nihil de obdormitione, vel Assumptione decernens; quinimo sequenti die Deiparæ natiuitatem recolēs, depositionem S. MARIÆ xv. Kal. Februarij retinet. Calēdarium perantiquum Romanæ Ecclesiæ, quod edidit Fronto, non Assumptionis nomine vtitur, sed Augusti xv. die habet *Solemnia de Pausatione MARIAE*. Et Sergius Papa, qui sedebat anno 630. in libro Pontificali diem Assumptionis vocat *Dormitionem Sanctæ Dei Genitricis*, nisi hæc potius Bibliothecarij phrasis sit, quā Sergij; ita vt negari nequeat etiam Latinis Obdormitionis, seu Migrationis vocē in vsu fuisse, eodē etiā sæculo quo Assuumptionis nomine vtebantur. Vsuardus, quē Baronius doctissimus traducit die 14. Aug. Vigiliam *Assumptionis* Dei *genitricis* exhibet, sicuti Obdormitionē die 15. quod totidē verbis repetit Ado Sacramentariū S. Gregorij, & Antiquos Ordo Romanus Assumptionis voce, tā in vigilia, quam ipsa die vtuntur, sed migrationis, & mortis voce in Missa sacramentarij apertissimè vsa est Ecclesia. *Veneranda nobis Domine huius est diei festiuitas, in qua S. Dei Genitrix mortē subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*. Ita in prima Missæ oratione, & super oblata. *Subueniat Domine Plebi tuæ Dei Genitricis oratio, quam & si pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cœlesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus*, quam orationem etiam nunc Ecclesia in Romano Missali retinet. Videnda hic sunt, quæ doctissimus Baronius cumulat, qui docet iam Assmptionem Deiparæ communi fidelium consensu receptam, & in eam vniuersam Ecclesiam propendere. Quod vero ex S. Antonino addit S. Elisabeth filiæ Regis Vngariæ fuisse reuelatum, die 15. Aug. Sanctissimam Virginem è vita migrasse, & post dies 40, nono Kal. Augusti Assumptam in Cœlum fuisse, minùs probari testatur idem D. Antoninus, & Belethus addit, non esse in Romana Ecclesia comprobatum. Reuelatio hæc non est S. Elisabeth filiæ Regis Vngariæ, sed S. Elisabeth virginis Sconaugiensis, cuius memoria in Romano M. agitur die 18. Iunij, & prostat in lib. 4. Visionum eiusdē S. Virginis cap. 1. p. 139. vbi legitur. *Quoniam in eo die, quo nunc celebratur Assumptio eius, de vita hac migrauit, quadragesimo autem die post illum, hoc est nono Cal. Octobris resurrexit*. At præter D. Antoninum, & Belethū, alij sunt, quibus hæ S. Virginis visiones non probantur. Hoc certum cum Baronio eruditissimo suscipio Tomo 1. anno 48. nu. xij. Catholicam Ecclesiam nullam de obitu Dei Genitricis dubitationem admittere, sed quam nouit humanæ fuisse naturæ consortem, humanam pariter moriendi necessitatem expertam affirmat, & numero 23. *Ex Romanæ Ecclesiæ vsu recepto constanter asserimus, & profitemur ipsam sapientissimam Dei Genitricem MARIAM, vnà cum sacratissimo illo corpore, quo impartita est Deo carnem, in Cœlum esse Assumptam*. Idq. libentius addo, quòd videam à septimo saltem sæculo in Vetustiori nostro M. Depositionē, tanquam naturæ debitam recoli, & Assumptionem hāc die sine vlla hæsitatione notari, quid quid de tempore dubitare liceat, quod nec affirmare idē Baronius voluit. Hæc ad ea, quæ Exercitatione V. diximus addere libuit.

Nicomediæ. Tres sanctos hos Nicomedienses martyres in sacris fastis producunt etiam Beda, Rabanus, & Notkerus, qui supra M. Vetustissimum anonymos etiam socios addunt cum libris nostris, quos silet M. Corbeiēse, & inverso tantùm ab illis ordine ita loquitur. *viij. Kal. Septembris. In Nicomedia Natalis*

SS. Stratonis, Philippi, & Euticiani. Et Assumptio S. MARIAE Matris Domini Nostri. Alterũ etiam mſ. Reginæ Succiæ ſocios ita præterit 18. Kal. *Nicodemiæ Natalis SS. Strationis, Philippi, Eutychiani.* Alterũ omnino cõſonat, addens etiam Tyrſum in Perſide, qui ad diem ſequentem pertinet. *Nicomediæ nat. SS. Stratonis Philippi Eutychiani cum ſociis eorũ. Et in Perſide paſſio S. Tyrſi.* De tribus Nicomedienſibus martyribus agit Rom. M. ad diem 17. Auguſti, qua die Baronius de ijſdẽ Græcos in Menologio agere teſtatur. At niſi alio Menologio vſus ſit magnus Cardinalis, quàm Sirleti, aut Caniſij, non niſi ad diem 19. de Eutichiano milite, & Strategio, per ignem coronatis in eo agitur.

XVII. Kal. Septembris.

IN Alexandria Natalis Sanctorum Orionis. Emili. Agnati. In Perſida Natalis S. Tyrſi cum ſocijs ſuis.

AVGVSTI 16.

DEcurtatum, ac cum die ſequenti confuſum, tam in libro Muſæi noſtri, quam Cathedralis Lucenſis, huius diei latercula vidimus, culpa veterum librariorum. Diuiſimus tamen ex aliorum mox adducendorum codicum fide, in duo ſegmenta, nihil addentes, vel immutantes. Primo loco tanquam libris noſtris magis ſemper conſonum martyrologiũ Corbeiẽſe proferimus. *xvii. Kal. Septembris. In Alexandria natalis ſanctorum Orionis, Emeli, Anati, Iuſtini, Luci. In Perſida natalis S. Tyrſi cũ ſociis ſuis.* Alter codex ex mſ. Reginæ Succiæ mãcus in Agnato ita comparet. 17. *Kal. Alexandriæ ſanctorum Orionis, & Emeli. In Perſide natalis S. Tyrſi.* Alter ſeu ſecundus ita. *Alexandriæ natalis SS. Orionis, Emeli, Agnati. Et Baiocaſino Baſilicæ vico depoſitio Baſilidæ Virginis.* Vetuſtiſſimum S. Villibrordi iam diximus, prçterita omnino die præcedenti Virginis Deiparæ Aſſumptione, in hodiernis faſtis eiuſdẽ Natiuitatem recolere, & non niſi duos martyres Alexandriæ tribuere, nempe Orionem, & Emelium; Agnatum vero alibi incerto loco. *xvii. Kal. Septembris. Natiuitas S. MARIAE. In Alexandria Orionis, Emeli, & alibi Agnati. In Perſida Natalis S. Tyrſi.* Paruum ſiue calendarium, ſiue martyrologium Hieronymianum vetus Eccleſiæ Lucenſis binos etiam Alexãdrinos martyres ita profert. Auguſti *xvii. Kal. Emili, Orionis.* Notkerus ex libro quinto Hiſtoriæ Tripartitæ in Nicea Bythiniæ natalẽ S. Vrſatij Confeſſoris ſub Licino, & Romæ Serenã Diocletiani Auguſti vxoré recolit, mox ſubdit. *In Alexandria natiuitas ſanctorum Orionis, Æmilii. Agnati. In Perſide Thyrſi cum ſociis ſuis.* qui SS. martyres totidem verbis apud Rabanum proſtant. Ex his Alexandrinis martyribus nullum habet martyrol. Romano, neque de S. Thyrſo aliquid addendum ſuccurrit.

XVI. Kal. Septembris.

NAtalis S. Mammetis Monachi. In Calcidona Cappadociæ Natalis S. Euphemiæ. In Alexandria Natalis SS. Orionis, item Mammetis, Emili. Diſci. Mammitæ cum ſocijs ſuis.

Confuſum

AVGVSTI 17.

CONfusum hodiernum martyrologij vetustioris nostri segmentũ cũ anteacto die iam monuimus, in hoc etiam aliorum codicum fide luxatũ agnoscimus, & restituẽdum initio, ante natalem S. Mammetis Cappadociæ nomen, insulsè post Chalcedonem appositum, ità suadet martyrol. Vetustissimũ S. Villibrordi, quod sanius, & vberius hìc reputamus, & dubium repetitæ memoriæ Alexandrinorum martyrum auferre videtur. *xvi. Kal. Septembris Cæsareę Cappadociæ Mammæ Monachi. Calcedoniæ S. Eufemiæ martyris. Item Mammetis, item Orionis, item Emeli, & alibi Disei, Disię.* Eodem vitio transpositionis vocis Cappadociæ laborat alter ex mſſ. Reginæ Sueciæ, quòd fortasse ex eodem Prototypo cum codicibus nostris manauit. 16. Kal. *S. Mammetis. In Chalcedonia Cappadociæ natalis Euphemię. Alexandria Mammetis, Emili, Disei, Mammitæ cum sociis suis.* Notkerus multus in vita S. Mammæ pueri Cæsarienſis, & in alijs recensendis persecutionis Vandalicæ martyribus, nullas hìc fert suppetias, præterquam *in Alexandria Orionis.* Rabanus præter excursum vitæ S. Mammetis *in Cæsarea Cappadocię*, nullum aliũ cælitem addit. Corbeiense verò martyrol. cuius apographum ad nos transmisit piæ memoriæ Raffael Dufresnius ita cum edito à Dacherio prorsus consonat *xvi. Kal. Septembris. In Cæsarea Cappadociæ natalis S. Mammetis Monachi. In Chalcedonia Bythiniæ natalis Euphemiæ martyris.* (Virginis legit Dacherius) *Macharij. In Alexandria Natalis SS. Orionis. Item Mammetis, Emolidisei, Mammitæ cum sociis suis. Iustini.* (Iuliani legit Dacherius.) Plures sanctos Mammæ, seu Mammetis, & Mamantis nomine insignitos inuenio. Alterum ex Gangra Vrbe Paphlagoniæ die 2. Septembris recolunt Menologia Græcorum, tam Basilij ab Vghellio, quam alterius à Canisio editi, & eiusdem anno 15. ætatis certamen narrant. S. Mamæ mulieris, cum socijs monasticam in Perside vitam professæ, consummatum martyrium exhibẽt ijdem Græci die 20. Nouembris in Menologio Canisii, cum in Menologio Basilij Borthazar Eunuchi, Theclæ, & Annæ tantum nomina exprimantur. Cum verò Susanna SS. mulierum dux fuerit non Mama, Mammitæ in Vetustiori nostro cum sociis expressæ, difficilè posset accomodari. Incerti loci Mamma martyr recolitur in Vetustiori nostro die 17. Iulij, & alius Cæsarienſis precedenti die 16. Alius in martyrol. Corbeienſi 21. Ianuarii. De S. Mamante Cæsarienſi in Cappadocia martyre plura colligit Baronius ad hanc 17. diem Augusti. Acta ex Metaphraste producit Surius To. 8. prodigijs multis referta, ex quibus colligitur eundem esse martyrem, quem ex Gangra Vrbe Paphlagoniæ ortum duxisse Græci in Menologiis narrant, & cũ Theodoto, & Rufinæ SS. Confessoribus, siue parentibus martyribus Cæsaream Cappadociæ asportatum, vbi puer quidem aliqua passus sit, sed adultus deinde certamen compleuerit 2. die Septẽbris. Cum verò de Monachatu eius nihil in Actis illis diffusioribus indicetur, & ex adductis codicibus aliqui, cum libris nostris S. Mammetem, vel Mamantem Monachum affirment, alium à puero Mama licuisset suspicari, nisi & hic Monachus dici mereretur, quòd adultus iam, & confessor illustris in monte Cæsareæ degens, & templum ibi construens, ad se feras, lac emulgens, euocatas cicurauerit, & ex lacte, maiori tamen parte efformato caseo, & pauperibus distributo, adviueret, ita solitariam, & anachoreticam vitam ducens, donec ab Alexãdero præ-

fide, ac Tyranno Cæsaream iterum tractus, post miranda certamina coronatus triumphauerit. Videnda etiam quæ de S.Mama diximus ad diem 17. Iunij, & quæ hac ipsa die 17. Baronius cumulat. S.Mamantem Romanum martyrol.affirmat à pueritia ad senectutem vsq; longũ martyrium duxisse.

In Chalcedone. De celeberrima Chalcedonensi martyre Euphemia plura adnotauimus ad diem 13. Aprilis, quando etiam eiusdem memoria agitur. In eius Actis per Metaphrastem apud Surium Tomo 9. die 16. Septembris, quando agonem compleuit, nulla de Machario socio memoria extat, ita vt suspicionem induxerit, nè eadem Euphemia sit, quæ incerto loco *alibi* signatur in Vetustiori nostro, pridie Idus Aprilis cum Machario, Primo, & alijs nouem. Facile autem accidere potuit, vt in ipsa Vrbe Chalcedonensi, post vetustiorem,& celebriorem Euphemiam, fideles aliqui ad exemplum, & imitationem,filijs suis Euphemiæ nomen indiderint, & recentior aliqua martyr Euphemia emerserit.Plures Euphemias fuisse facile Baronius concederet in fine adnotationum ad diem 16. Septembris, vbi & nos aliqua addimus.

In Alexandria. Ex martyribus, Alexandriæ in libris nostris tributis, Orion tantum à Notkero producitur, reliquos fortasse suspicatus eosdem esse cum adductis die superiori. Vetustissimum martyrol. non Alexandriæ,sed potius Chalcedoni post Euphemiã eos,qui sequũtur cælites, videtur tribuere. At dum per particulam *item*, ad diei præteriti Alexandrinos martyres respiciens, alium Mammetem,alium Orionem,alium Emilium distinguit, Alexandrinos fuisse videtur concedere; frustra enim si loco distinguerẽtur, vnicuiq. adderetur repetita particula *item*. Abundat idem martyrol. supra nostrum,& Corbeiense sanctis ex incerto loco martyribus Diseo,& Disia, quos omnino illi debemus.

XV. Kal. Septembris.

PRenestina Ciuitate miliario ab vrbe xxxiiij. Natalis Agapiti. In Ponto Amisiæ Ciuitate Natalis Sanctorum Pontimi. Phylanciæ. Heliane Virginis. Marciane Virginis. Et Lancie Natalis Sanctorum Massæ Candedi. Dissei. Amaciæ. Potomi. Martirij. Agapiti. Et Ziaci cum socijs eorum.

AVGVSTI 18.

TRigesimo tertio ab Vrbe lapide, siue miliario in Prænestina ciuitate adolescẽtulum Agapitũ, varijs cruciatibus vexatum, venerantur in quotidianis hisce Aduersarijs cum Romano M. Beda, Vsuardus, Ado, Rabanus, Notkerus, & cæteri latini. Triginta quatuor circiter milliaribus adhuc Prænestæ ab Vrbe Roma distat versus Fucinum Lacum. S. Martyris Acta summatim attingunt omnia ferè martyrologia. Diffusiora prostant apud Petrum de Natalibus lib.7.cap.74. & apud Mombritium, Cardinalis Baronij iudicio corrigenda. In antiquo Frõti calendario hac etiam die *Natalis S. Agapiti* recolitur, & in sacramentario Gregorij habetur Missa S. Agapiti martyris xv. Kal. Septembris. Extant etiam in peruetusto Hagiologio nostro diffusiora

eiusdem

eiusdem sancti pugilis gesta, quæ incipiunt *sub Rege Antiocho pagano*, qui vel Regulus erat, vel Præses, vt legit Ado, & ex eo Petrus de Natalibus. In ijs etiã ad calcem habetur gladio percussum spiritum Deo reddidisse xv. Kal. Septẽbris, ante Prænestinam ciuitatẽ, milliario vno in Agro, quod respondet miliarijs xxxiij. ita expressis in martyrol. Corbeiensi xv. *Kal. Sept. Prænestina ciuitate miliario ab vrbe trigesimo tertio natalis S. Agapiti, & in Ponto Amecia ciuitate natal. SS. Pontini, Philantiæ Helianę virginis, Martianæ virginis, & Lancianæ. In Africa natalis SS. Massæ Candidæ, Diſsei, Amaciæ, Potemi, Martyrij, Agapiti, Eziaci cum ſociis ſuis.* Variant nonnihil nomina in martyrol. Vetustissimo. *xv. Kal. Septembris. In Penestre natalis Agapeti. In Ponto Põtemi, Pilentiæ. Tatianę, & Marcianę virginum, Heliana, & Lantiæ, Massæ Candidę, Diſciæ, Macię, Potemi, Martyrii, Agapiti, & Ziai, & B. Arnulfi.*

In Ponto Amisiæ. Alter ex mss. Reginæ Sueciæ aptius scribit. *In Ponto Amasiæ Ciuitate natalis S. Pontiani Phylantię, Heliana Virginis.* Amasiæ pro Amisiæ scribendum videtur; Amasia enim Ponti Galatici vrbs est in Cappadocia Strabonis Geographi patria, nisi Amisi potius retinendum esset, vt habent libri nostri; Amisus siquidem vrbs eiusdem regionis est sub Amasia Metropoli. Pontimus, siue Pontemus antesignanus Ponticorum martyrum, Pontianus dicitur in altero ex mss. Reginæ Sueciæ, dum in altero legitur Pontinus. Tatianam virginem addit martyrolog. Vetustissimum in libris nostris, & Corbeiensi præteritam. An quæ postremò in adductis codicibus Lancia, siue Lantia additur, nomen martyris sit, vel loci ad sequentes martyres Massæ candidæ pertinens fluctuaui. Lancia enim, vel Antonino Lance, Vrbs Hispaniæ est, & quæ Asturiæ maxima vrbs dicitur Dioni lib. 53. Alia est etiam vrbs Lusitaniæ sub Archiepiscopatu Bracarensi. Cæsaraugustæ in Hispania Massa candida veneratur vt infra. At non Lãcię, sed Laucianæ legit martyrol. Corbeiense.

Natale SS. Massæ Candidę. Dacherius in edito martyrol. Corbeiensi ita nomina illa *Massæ Cãdidæ* interpungit vt Massã, & Candidã martyres esse velit, quemad, modũ re vera apparet, etiam in Martyrol. Vetustissimo, in quo *Mossę* non Massæ, & in libris nostris, vbi Candidi non Candidæ legitur. At cum idem martyrol. Corbeiense ante natalem Massæ candidæ locum etiam exprimat in Africa, vix locum dubitandi relinquit, quin de celebri Massa Candida Carthaginẽsi martyrologium illud intelligat, præsertim cum ad diem 24. Augusti, quando à Romano M. Massæ candidæ trecentorum Carthaginensium martyrum memoria agitur, nihil de ijs in Vetustiori nostro scriptum inueniamus. Plura notat Baronius de martyrum Massa candida ad diẽ illum 24. Augusti, præcipuè ex sermonibus D. Augustini, inter quos cum ms. alterum indicet ex codice S. MARIÆ ad martyres, eundem, vel consimilem quis videre poterit nuper in lucem emissum, ab erudito viro Ioãne Baptista Maro ex codice Vaticano inscriptum. *In Natali SS. Martyrum, qui dicti sunt Massæ Candidæ.* Ita autem appellati sunt, eo quod in fornacem calcariam insilientes nobile illud martyrium fecerint, quod Pontius Diaconus in Actis S. Cypriani describit. Vticensem Massam cãdidam dictam esse refert D. Augustinus serm. 115. Trecẽtis martyribus constituisse sacram illam massam fere omnes docent. Diuus tamen Augustinus in Ps 49. *centum quinquaginta tres martyres* habuisse affirmat, vbi numeralem notam mendum contraxisse putat eruditissimus Baronius, quòd Põtius, & alij, trecentos fuisse doceant. Ita etiã de antiqua traditione testatur Prudentius in Peristephano, & Hymno S. Cypriani, vbi ex carminum numero mendum inesse nequiuit.

Prosilnere sacres cursu rapido simul trecenti;

Gur-

Gurgite puluereo merſos liquor aridus vorauit,
Præcipitemq. globum fundotenus implicauit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad ſuperna mentes
Candida Maſſa de hinc dici meruit per omne ſeclum.

In Hiſpania Tarraconenſi, vbi Aſtures Auguſtani reponuntur, Cæſar Auguſtæ Maſſæ Cādidæ celebris agitur memoria, inter eos plurimos martyres, qui ibi coronati ſunt, & in eorundem Actis legi teſtatur Aringhius lib. 1. cap. 8. Romæ ſubterr. ex Breuiario Cæſar Auguſtano lect. 6. diuino nutu martyrum cineres, velut frumenti candidam maſſam, in portiunculas conglobatas, ab alijs pulueribus ſeiunctas adhuc videri in maſſarum cādidis globis, nitorem ſanguineum demonſtrantibus. Horum Cæſar Auguſtanorum martyrum, qui Maſſa Candida dicti ſunt, & innumerabiles ferè fuerunt, Hiſtoriam refert Petrus de Natal. lib. 10. cap. 17. ſicut aliorum trecentorum martyrum apud Carthaginem lib. 7. c. 105. addens in fine. *Qui paſſi ſunt ix. Kal. Septembris. Hęc Ado ex Hieronymi Martyrologio*, quod vt alibi diximus diuerſū à Vetuſtiori noſtro credimus: quandoquidem ad diem 9. cal. Septēbris in hoc nihil de martyribus Maſſæ Candidæ nūcupatis ſcriptum reperiatur. Maurolycus hac die 15. cal. Carthaginenſium trecentorum martyrum, qui Maſſa Candida dicuntur memoriam recolit.

Diſſei. Diſcum, & Diſiam retulit martyrologium Vetuſtiſſimum in fine præcedentis Diarij ex incerto loco. Diſcam adducti codices prætereunt. Diſeo, ſiue Diſſeo quinque cum ſocijs ſubcenturiatos cælites Africanos eſſe crederem, quoniam ita in martyrol. Corbeienſe ſignari videntur. B. Arnulfus in Antuerpienſe ſuperadditus, in alijs deſideratur.

XIIII. Kal. Septembris.

POnti in Amacia Ciuitate Natalis Sanctorum Falionis. Roſini. Leonti. Theudoli. Cyrilli. Elaſi. Tymothei. Gatde. In Alexandria Natalis Sanctorum Orionis Confeſſoris, & Ieroſolyma Apparitio Sancte Crucis. *In Biturio Vico-villauno depoſitio Sancti Mariani Confeſſoris.*

AVGVSTI 19.

QVotidiani indiculi primos martyres Pōto tribuunt, tam martyrol. Corbeienſe, quā Vetuſtiſſimum Antuerpienſe, & noſtrū, quod cum Corbeiēſe locum etiā, ſiue paſſionis, ſiue venerationis exprimit; Amaſiam nempe ciuitatem Metropolim Ponti, de qua ſuperiori die egemus. Prouinciam ita tantùm indicat Vetuſtiſsimum illud. *xiv. Kal. Septembris. In Ponto Salonis, & Rufini. In Alexādria Orionis. In Fabriteria Magni, Leontij, Thedoli, Cyrilli, Zelati, Timothei, Gaudde. In Beturio Ciuitate S. Mariani.* Filionem vocat martyrol. Corbeienſe Pōticum martyrem, vel Falionem, vt in libris noſtris, non Salonem hoc pacto. *xiv. Kal. Septembris. Ponto in Amacia ciuitate natalis SS. Filionis, Rufini, Leontij, Theodoli, Cyrilli, Zelati, Timothei, Gaddæ, Romoli, Sylui. In Alexandria natalis S. Orionis cum ſocijs. Et in Hieroſolyma apparitio S. Crucis. In Biturico vico Vellauno depoſitio S. Mariani Confeſſoris.*

Et

Et Natalis S. Magni martyris. Consonat alter ex mss. Reginæ Sueciæ. *xiv. Kal. Ponto in Amasia ciuitate natalis S. Philionis, Ruffini, Leontij, Theudoli, Cyrilli, Zelati, Timothei, Gaddæ. In Beturio Vico Vellauno depositio S. Mariani Confessoris*. Anceps in multa differentia horum, & nostrorum codicum cum Antuerpiensi substiti, an Leontius, & post eum adducti martyres Amaseni essent, vel Itali ex Fabrateria, vt Vetustissimum illud vario ordine profert, libris nostris plures attestantur, quam illi, & ex humanitate Clarissimi viri Ioannis Bollandi alios addere possum. Martyrol. Parisinum apud Labbeum non indicato venerationis loco cum Folione, & Ruffino vnica classe omnes claudit. *Folionis, Rufini, Theodoli, Zelatis, Magni, & Martirij, Orionis, Bisene, Mariani Confessoris. Hierosolymis reuersio S. Crucis*. Rhinouiense, & diuitis Angiæ, non in Ponto, sed in Portu Amasiæ ciuitatis legunt. Primum hoc ordine. *In Porto Amasiæ ciuitatis Filionis, Rufini, Leontij, Theodoli, Cyrilli*. Secundum ita. *In Porto Amasiæ ciuitatis Filionis, Rufini, Leontij, Theodoli, Cyrilli. In Alexandria S. Orionis. In Biturico territorio S. Mariani*. Differt ms. martyrologium Aquisgranense in Belgio. *Natalis S. Magni, seu Andreæ cum duobus ..... militibus DC. & VII. In Amasa natalis Silionis, Rufini, Leontij, Magni, Arionis, Hierosolymis reuersio S. Crucis*. Ex tot igitur codicibus iam apertum videtur Leontium, ac socios non Fabretariæ cum Magno, sed Amaseæ in Ponto cum Filione, & Rufino reponendos esse, ac insuper Romolū, & Syluium, quos tantum recenset martyrol. Corbeiense, in hodiernis fastis vberius reliquis.

In Alexandria. Præter Orionem alios cælites indicare voluisse Prototypi librorum nostrorum excriptorē in verbis illis apparet *natalis Sanctorum*, qui tamē in M. Corbeiensi socij sine nomine sunt. Orioni additur Confessoris nota in codicibus nostris, quæ in alijs subticetur ad differentiam alterius Orionis Alexādrini, qui præcedentibus diebus xvi. & xvij. cal. Septembris in vetustiori martyrol. nostro indicatur, siue vnus, siue duo sint huius nominis martyres.

Hierosolyma apparitio. Huius celebritatis non meminit martyrol. Vetustissimum. Apparitionem S. Crucis in Vrbe Ierusalem vocant libri nostri, & M. Corbeiense Dacherianum. De Apparitione S. Crucis sub Constantio filio Constantini Magni Imperatoris diē festum agūt Græci die 7. Maij in Menologio Canisij. Festum admirandæ apparitionis supra Hierosolymam factæ Græcos celebrare animaduertit Baronius in Notis ad diē 3. Maij, non illa die xvi. calendas Iunii ex Cyrillo, tunc eius Sedis Episcopo, post Cathecheses illius historiam narrante, Metaphraste, & Menologio Sirleti. At in Menologio illo à Canisio edito reperire non licuit, nisi die 7.; quinimmo Cyrillum in epistola de hac visione ad Constantium apud Metaphrastem video adnotare, admirandam illam apparitionem incidisse per dies Pentecostes *Nonis Maij*. Fusius hanc apparitionis historiam circa tertiam diei horam Festi Pentecostes, tempore expeditionis Constantij aduersus Magnentium, refert Philostorgius lib. 3. cap. 26. vbi Gotefredus plures chronologos cumulat. In Fastis Idatianis ex editione Labbei apparitio hæc tēpore Belli Magnentiani ita notatur. *Apparuit in Oriēte signum Saluatoris die 3. Kal. Febr. Luna xxviii*. Aliam apparitionem Crucis sub Theodosio iuniore eo anno, quo Valentinianus iunior natus est, refert Ammianus Marcellinus, eamq. notat post Valentiniani iunioris natalem die vj. Nonas Iulii, & terremotum Palestinæ. Ostēdisse se enim narrat Dominum nostrum *super montem Olineto Hierosolymæ vicinum*, & multas hinc proximas gentes Baptismum suscepisse, omniumq. Baptizatorum in tunicis Crucem Christi Saluatoris diuinitùs expressam refulsisse. Quod cum acciderit Hierosolymis post

vj.

vj. Nonas Iulii, non indicato ad amussim tempore, iam non longe à die Apparitionis, in martyrol. nostro adnotatæ euenisse compertum est. Hæc autem addere libuit, ad ea quæ lib. 3. de Cruce cap. 1. 2. & 3. cumulat de Apparitionibus Sanctæ Crucis Gretserus, qui festum Apparitionis apud Græcos signat 7. die Maij, tum ex Typico S. Sabæ, tũ ex alijs Græcorum ritualibus; & quamquã Kalendis Augusti festum aliud penes Græcos inueniatur, quod Progressio S. Crucis appellabatur, & describitur in eodẽ Typico S. Sabæ cap. 36, nihil tamen neq; apud illos, neq. apud latinos, de signata in fastis nostris Apparitione huevsque licuit inuenire. Inuentio enim S. Crucis, quæ in Menologio à Canisio edito, deficit die 6. Martij, & apud Gretserum lib. 1. de Cruce cap. 64. quando à B. Helena inuenta est, ex alio Menologio signatur, nihil ad Apparitionem 14. Kal. Septembris pertinere videtur. Quapropter cum in mſ. Parisino Lebbei, & alio Aquisgranensi iam adductis non Apparitio, sed *Hierosolymis reuersio S. Crucis* celebritas hæc nuncupetur, indicare potius coniectaui festũ illud, quod Hierosolymis institutum est, quãdo Heraclius Crucis lignũ è Perside reportauit, de quo 14. die Sept. agendum est, & veritus sum, ne ex additis sit ad Vetestius M. quoniã in vetustissimo Antuerpiẽsi nõ inuenitur.

In Biturio. S. Mariani Confessoris Eremitæ vitam ex vetustissimo Ecclesiæ Bituricensis Breuiario exhibet Lebbeus T. 2. Bibliothecæ p. 432. vbi idẽ Lebbeus notat per totam diœcesim Bituricensem huius S. Eremitæ festum non peragi die 19. Augusti, vt in Romano martyrol. signatur, sed constanter ex diuersarum editionum Breuiarijs die 19. Septembris. Verum duos nomine Marianos Eremitas Bituricenses notat Saussayus, quorũ alter apud Vicum Spinolaium quieuit, alter ad vicum Euaneuerẽsem, de quo hac die. Vicum Villaunum corrupte vocant codices nostri, & Vellauno martyrol. Corbeiense, etiamsi Gregorius Turonensis lib. de Glor. Confess. c. 81., vbi S. Mariani miracula aliqua describit, vocet Vicum Euannensem, siue Euaonensem. Sed Gallici scriptoris additamentum in eodem vico repetitur ad diem 19 Septembris. Martinum vocat Petrus de Natalib. lib. 11. nu. 217. sed quanta ex male sanis codicibus confundit Galesinius hac die, dum Ponticos martyres Philonem, & Rufinum cum Mariano Biturix assignat, & martyres si mul vocat? Auctarium autẽ esse, quod in libris nostris deficit, & in martyrol. Corbeiensi signatur ad calcem, memoria nempe, seu *Natalis S. Magni martyris* vix crederem, cum in Vetustissimo, vt diximus, nõ modo adnotetur, sed locus passionis exprimatur In Fabriteria; quam vocem non ita facilè librarij vitio irrepsisse putarẽ. Fabrateriæ tamen potius esse scribẽdum existimarem, quòd hoc nomine Paterculo indigitetur Italiæ Colonia, & ad Fluuium Tretum Via latina memoretur apud Strabonem; in Antonini vero Itinerario inter Aquinum, & Fregellas reponitur, vti re vera nunc pagus est eodẽ loco in Latio. Anagniæ pariter in latio S. Magnum illius vrbis Episcopum, & martyrẽ exhibet hac die martyrol. Rom. & eius Acta percurrit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. An ex Fabretaria Anãgniam potuit transferri? Equidem non Anagniæ, sed Fabriteriæ assignat etiã alter ex mſſ. Reginæ Sueciæ. *Fabriteria Magni*. Alium etiam S. Magnum martyrem Cæsariensem Cappadocem cum paganis duobus millibus quingentis nonaginta octo refert ad hanc diem Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 76. Parum distat ab hoc numero Maurolycius, qui Magni & Andreæ socios numerat M. DXCII. sed Magnum fuisse binomium docent Vsuardus, & Rabanus dum natalem *S. Magni, seu S. Andreæ martyris cũ sociis* eodem cum Maurolycio numero signatis, recolunt, quemadmodum totidem verbis Ado. De S. Magno martyre, qui & Andreas vocabatur aliqua affert Menardus ad S. Gregorij sacramentarium,

vbi

vbi etiam testatur mſ. martyrologiũ ex Bibl. Corb. retinere xiv. Kal. Septembr. *Nat. S. Magni, seu Andreæ martyrum* (lege martyris) cum socijs suis *duobus millibus quingentis nonaginta septem*, alioſq. mſſ. codices addit, in quibus eadem die S. Magnus, sine alia additione memoretur. His iungere possumus mſ. Aquisgranense iam adductum. Accedat ad nostrorum codicum mutilationem confirmandam Kalendarium, seu Paruum martyrologiũ Hieronymianum mſ. Lucẽse, quod plurimùm cum vetustiori conuenit, in quo scribitur Augusti *xiiii. Kal. S. Magni martyris.* Sub nomine Andreæ tantum ducis exercitus, & sociorum duorum millium quingentorum nonaginta trinm sub Maximiano Imperatori, & Anthioco duce gladio percussorũ, hac ipsa die meminit Græcorum Menologium. Fusius eius Acta prosequitur Metaphrastes apud Surium T. 8. cursumq. docet fortissimum ducem cum socijs militibus compleuisse in regione Androcalis in Tauri montis angustis die Dominico. Facile autem existimarem Magni nomen itidem fuisse adiectiuum, more Græcorum, qui insignes martyres Magnos dicunt, vt de Andrea patet in Actis illis cap. 9.

XIII. Kal. Septembris.

IN Lucana Natalis Sancti Valentiniani. Leonti. In Alexandria S. Dioscori. In Sinnada Ciuitate Sanctorum Pisti. Arcij. Diomedis. Agatini. Zeli. Pamphili. Coloui Confessoris, & *Depositio Phiberti Abbatis. In Turonico Castro depositio Sancti Massimi Confessoris.*

AVGVSTI 20.

MVltorum martyrum feracem Lucanam vrbẽ, primis præsertim ecclesiæ sæculis Acta S. Paulini primi eius Episcopi, & Petri Apostoli discipuli docent. Cum enim in Vrbe illa multi fideles essent, multæq. Ecclesiæ excitatæ, quando Nero in Christianam fidẽ furere cæpit, & Paulinum cum socijs per diuersa tormenta sustulit, probabile admodum esset plures ex populo illo fideli, S. Episcopi discipulos esse coronatos. Sed in Vita S. Antonij Presbyteri, & Eremitæ ipsius S. Paulini discipuli expressè legitur, quòd sanctus vir *vbicumq. in Tuscia, & alibi sanctorum martyrum, & confessorum corpora inueniret malè, & ineptè sepulta, accipiebat illa, & deportabat in Lucanam ciuitatem ad locum sepelienda, qui tunc vocabatur temporis sanctorum Cellula.* Vt siue indigenas, siue exteros martyres, præter eos, qui in eadem Ecclesia, & alibi recoluntur, alios adhuc ignotos in eadem vrbe quiescere certum sit. An ex illis, qui interim ignorantur, fuerint Valentinius, seu Valentinianus. & Leontius, quos in mſſ. codicibus nostris *In Lucana* natalem habuisse docetur non improbabile putarem. Et quamquam *in Lucana* scriptũ exhibeat martyrol. Corbeiense pro illi prouincia, quæ hodie Basilicata aliquibus est in Regno Neapolitano, & tota illa antiquis regio erat, quæ inter Silarum, & Launi flumina extẽdebatur: è contra tamen *in Lucana* reliqui codices legunt, & subobscurè Vetustissimum martyrol. Antuerpiense ad finem latercuti in ciuitate Lucana. *xiii. Kal. Septẽb. In Alexandria Dioscori. In Sinnada Ciuitate Pisti, Acari, Diomedis, Agathini, Zeli, Pampi. In Lucana Valentini, Leõti.* Videtur enim illud *in Lu-*

cana sine alia additione referri ad vocē *Ciuitate*, post Sinnadam iam prolatam. At quo d non ita apertè Vetustissimum M. asserit, propalam docet alter ex mss. Reginæ Succiæ in Animaduersis ad martyrol. Rom. Holstenij hoc ordine. 13. *kal. In Castro Cainone S. Maximi Confessoris. In Lucana ciuitate Natalis Sanctorum Valentiani, Leontij. In Alexandria natalis S. Dioscori. In Sinna ciuitate natalis SS. Pisti, Arcij, Diomedis, Agustini, Zeli, Pamphili, Colitij Confessoris.* Antiquum calend. Hieronymianum in Bibl. Canonicorum Lucensium Leontium nō habet, neque Valentinum, sed Valentinianum legendum esse ita cō firmat *xiii. kal. Valentiniani*, Vnde videretur etiā in M. Corbeiensi, non Lucania, sed Lucana restituenda in hodiernis sequentibus fastis. *xiii. Kal. Septembris. In Lucania nat. SS. Valentiani, Leontij. In Alexandria natalis S. Dioscori. In Sinnada ciuitate SS. Pistarci, Diomedis, Agatini, Zeli, Pamphili, Coloni Confessoris. In Turonico Cainone Castro depositio S. Maximi Confessoris, & depositio S. Filiberti,* Hæc, quæ de Lucanis martyribus, in alijs editis martyrol. nequaquā expressis, adnotauimus, probabilia quidem viderentur, & fide vetusti ms. codicis Reginæ Sueciæ firmata, nisi proximo sequēti die ijdem ferè martyres repetita veneratione, tam in codicibus nostris, quam Corbeiensi producerentur in Lucana, nō Vrbe, sed Prouincia. Vnde quamuis eosdem non repetat ms. Reginæ Sueciæ, totidem tamen verbis. *In Lucana Valentini, Leonti* memoriam duplat Vetustissimum M. Antuerpiense. Cum vero eadē nomina sint, alios esse martyres difficile est credere, licet in Corbeiēsi M. pro Valentiano xii. Kal. scriptū sit. *In Lucana Prouincia Valentini, Leontii*, & in codicibus nostris pro Valentiniano *In Lucania Prouincia natalis SS. Valentini, Leontii*. Nihil ergo certi decernere mihi fas est, sicuti in Alexandrino Dioscoro, alijsque in Synnada magnæ Phrygiæ Metropoli numeratis martyribus, nihil addēdum succurrit, nisi quasdam differentias adnotare. *Pistarci* in martyrol. Corbeiensi pro vno nomine scribitur, *Arcidiomedis* etiam pro alio vnico nomine in martyrol. Antuerpiense; aptius tamen in vtroque ex codicibus nostris scribitur seiunctim. *Pisti, Arcii, Diomedis*, quemadmodum etiam retinet ms. Reginæ Sueciæ. Pro Zoso aptius etiam in his legitur Zelus, & pro Pampo in martyrol. Antuerpiensi Pamphilus. In hoc Colonus, siue Colonius non exprimitur, qui Confessor in nostris libris dicitur, sicuti in martyrol. Corbeiense, & ms. Reginæ Sueciæ, vbi Colitius non Colonus nuncupatur, & tamen Rabanus Colonum vocat, qui etiam in fastis huius diei alia à nobis dicta ita confirmat. *xiii. Cal. Samuelis Propheta. In Alexandria natale Dioscori, & alibi depositio Filiberti Abbatis. In Lucania SS. Valentiniani, Leōtii. In Sinnada ciuitate natale SS. Pinicii, Arci, Maximi Confessoris, Pamphili, Coloni Confessoris.*

Depositio Filiberti Abb. Addunt alij in Hero, siue Herio Insula, quemadmodum legitur in eius vita apud Surium T. 8. vbi S. Phililibertus cœnobiū ædificauit, in quo & animam Deo reddidit tertio decimo cal. Septembris. Floruisse habetur circa annum 640. de quo Beda, Vsuardus, Ado, cum Romano mertyrol.

Turonico Castro. Cainonem vocant Castrum, cuius hic deficit nomen, alij codices Corbeiensis, & ms. Reginæ Sueciæ. Meminit martyrol. Romanum, Gregorius Turonensis, & alij apud Baroniū adducti. Tam huius quam S. Philiberti Acta percurrit Sausayus in M. Gallicano, & Vetustiori martyrol. superadditos non dubito.

In

XII. Kal. Septembris.

IN Spanijs Natalis Sanctorum Iuli, & Iuliani. Vincenti. Auguri, & Eulodi. In Porto Romano Natalis Sancti Oppoliti. In Sardinia natalis Sanctorum Luxuri. Traiani Quadrati Episcopi. Primi. In Alexandria Natalis Sanctorum Pisti. Semi. Item Quadrati Episcopi. Sindofagie natalis Sanctorum Astosij. Diomedis. Zotici. In Lucania Prouincia natalis Sanctorum Valentini. Leonti. In Gaullis vico Mimmatinsi Passio Sancti Priuati martyris.

AVGVSTI 21.

HIvius diei integrã ephemeridem primo loco apponimus ex martyrol. Corbeiensi; adnotata insuper con nostro ad temporis compendium, quæ intercedit differentia ex Schedijs ad me transmissis à D. Petro de Faultry Parisijs *xii. kal. Septembris. In Hispaniis* (Spanis iuxta veterem morem in nostro) *Natalis SS. Iulii, & Iuliani, Vincenti, Eulodi. In Portu Romano Natalis S. Hippolyti martyris.* (aptius quam Oppoliti) *In Sardinia nat. Luxurii, Traiani, Quadrati Episcopi, Primi. In Alexandria nat. SS. Pisti, Semi, item Quadrati*, (additur Episcopi in nostris) *Sindophagiæ nat. SS. Artosii*, (Astoſi in nostris) *Diomedici*, *Zotici*, *Azatangeli*, *Moysei*, (qui post Zoticum in nostris libris deficiunt. *In Lucania Prouincia natalis SS. Valentini, Leontii. In Gabellitano vico* (in Gaullis vico) *Mimmati* (Mimmatinsi) *passio S. Priuati martyris*. Vetustissimum M. Antuerpiense mutilum comparet in martyribus Hispanis, confusum in Sardis, & Romanis (dũ filet Quadratum Episcopum) inter se permittis. *xii. Kal. Septembris. In Spanis Natale Vincentii, Iuliani. In Lucana Valentini, Leonti. In Sardinia Luxorii, Angeri, Eulodi. In Portu Roma Ippolyti, Traiani, Quadrati, Primi. In Alexandria Pristi, Semi, item Quadrati Episcopi, Sindophagi, Astusi, Diomedis, Zotici, Zatamgeli. Passio S. Priuati*. Alter ex ms Reginæ Sueciæ martyribus Hispanis Iulio, & Iuliano alios tres anonymos addit, quos exprimit alter liber ms. eiusdem Reginæ; nimirũ *Vincentii, Anguri, Eulodi*, & quos Vetustissimum minus appositè Sardiniæ tribuit; cui tantum tribuendos esse Luxurium, Traianum, Quadratum, siue Quartum Episcopum, & Primum docẽt codices iidem mss. Reginæ Sueciæ, quorum primus legit. *In Portu Romano nat. S. Hippolyti. In Sardinia natal. SS. Quadrati Episcopi, Traiani.* Alter verò vberior. *In Sardinia natalis Luxerii, Traiani, Quarti Episcopi, Primi*. Vt dubitandum non videatur, Quadratum, non Quartum, vt plures codices confirmant, Episcopum fuisse in Sardinia.

In Spanis. De SS. Iulio, & Iuliano in Hispanijs, ex editis meminit Maurolycius, socijs tamen præteritis. Aptiùs verò Rabanus, qui Vincentium non Iuliũ antesignanum signat reliquis non integrè expressis. *xii. Cal. In Hispaniis natiuitas S. Vincentii, & Iuliani. In Sardinia natale SS. Luxurii, Traiani. In Garali vico Mimatensi natale S. Priuati martyris*.

In Portu Romano. S. Hippolyti memoriam recolunt die sequenti Rom. martyrol. & alij ex Latinis, quorum aliqui etiã ad decimum Kalendas eius memoriam extendunt. Putat vir summus Baronius

hunc esse Hippolytum Episcopum Portuensem, & plura pro eo ibi cumulat. In adductis omnibus codicibus mss. martyr tantum non Episcopus dicitur, sicut etiã apud Bellinum de Padua, & Maurolycium. Cum vero S. Hippolyti memoriã alibi etiam Vetustius nostrum exhibeat, plures cognomines martyres existimarem Romæ passos, vel veneratos. Hippolytum Episcopum de antiquis recolit iiij. Kal. Febr. quem Portuensem facile ibi credidimus. Alius Romæ cũ Laurentio iiij. Nonas Febr. Romæ item alius cũ alijs socijs xiij. Kal. Iulij, & alius Hippolytus nuper viij. Idus Augusti, & in Portu Romano alius x. Kal. Septembris cognomento Nonnus, & alius 3. Idus Septẽbris, certos nos reddunt plures Romæ, vel in Romanis vijs sub Hippolyti nomine martyres fuisse.

In Sardinia. Luxurium, siue Luxorium martyrem Sardiniæ coronatum xij. kal. Septẽbris ex ms. codice Historiæ S. Luxori refert Arca de Sãctis Sardois l. 1. Is sub Præside Dilatio, Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano agonẽ perfecit Calari, dum miles esset. Christianus redditus, sacris literis incumbens sistitur ante Præsidem, & senex fustibus contusus, capite multatus, longe à Calari in deserto loco Forengiano, siue Fordingiano agonem compleuit. Eius Acta habet Mombritius Tomo 2. Nulli socij, illi in passione signantur: at sicuti Ciselius, & Camerinus eidem sociantur in Romano martyrol., non alio communi certamine, quam quòd sub eodem Præside, & eodẽ die cum Luxorio passi sint, vt idem Arca testatur, ita etiam contingere potuit, vt alij martyres eadem die agonem in Sardinia compleuerint, præcipuè verò Quartus, siue Quadratus in Sardinia Episcopus, vt existimat Holstenius, ex fide ms. vtriusque adducti Reginæ Sueciæ.

In Alexandria. Quadratum Episcopum affert Rom. Martyrologium, quem tamen Baronius ignorare fatetur, cui Ecclesiæ præfuerit, tantum eius memoriam hac ipsa die signari addit in veteri Romano martyr. Bellini scilicet de Padua, & alio ms. Maurolycius Quadratum Episcopum hìc recolit Athenarum sub Adriano in Macedonia quiescentẽ, cuius scripta recenset S. Hieronymus, idque etiam affirmat Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 90. vbi in partibus Macedoniæ in pace quieuisse signat *xii. Kal. Septembris*. Sed duo hìc memorati diuersi sunt: Alter Sardus, alter Alexandrinus, qui etiã Episcopus constanter dicitur in libris mss. nostris, & in M. Antuerpiensi, quãuis titulus Episcopalis in M. Corbeiense desideretur, tam in schedijs nostris, quam in Dacheriano exemplo, & alterius classis videatur, quam Pistus, & Seuius.

Sindefagia. Locus Geographis, quòd sciam ignotus, suspicionem mouet, ne librarij vitio, tam in codicibus nostris, quam Corbeiensi, & Antuerpiensi legi debeat Syndiósfpago, pro loco in Authẽticis memorato coll. 9. tit. 22. vbi *Incolas Syndiosfpagi* populos quosdam vocat Iustinianus Nouell. 139. Mancos hìc agnoscimus libros nostros, tres enim tantum cælites numerantur Astosius, Diomedes, & Zoticus: Zatangelum addit martyrol. Vetustissimum: Azatangelum, & Moyseum Corbeiense.

In Lucania. Quæ de Lucanis martyribus adnotare potuimus, iam præterita die dicta sunt.

In Gaualli. In veteri Hagiologio Franco Galliæ Lebbei hoc ipso die xij. Kal. Augusti legitur. *In territorio ciuitatis Gaualli tanæ passio S. Priuati Episcopi & martyris, qui passus est persecutione Valeriani, & Galieni*. Silent omnes adducti codices Episcopalem dignitatem, quam tamen signat martyrol. Romanum, vbi aliqua notat Baronius hìc non repetenda. In vita apud Surium T. 8. dicitur Episcopus Gaualitanus in Gallia, qui sedem haberet *in Vicolo Mimatensi*, vt rectè retinent codices nostri, nec male scribit M. Corbeiense *Vico Mimati*, corruptè vero alter ex mss. Reginæ Sueciæ *Caualus vico Minantissi passio S. Priuati*.

Mi-

Mimate Gabalorum passionem S. Priuati Episcopi celebrat etiam Saussayus ad hanc diem. Gabalus, seu Gaualis, & Gualitana vrbs, quæ & Mimatum ciuitas est, in Gallia Aquitancia sub Metropoli Bituricensi. Meminit S. Priuati apud Gabalos Venantius Fortunatus lib. 8.

Priuatum Gabalus, Iulianum Aruernus abundans
Proferat.

& Sammarthani Tomo 3. Mimatensem secundo loco Episcopum constituunt, & ex Gregorio Turonensi martyrium, ex Baronio tempus anno 262. consignant.

XI. Kal. Septembris.

ROma via Ostense In Cimiterio eiusdem Sancti Thimotei Discipuli Pauli Apostoli: & in Porto Romano peregrinorum Martyrum natalis Sanctorum Marcialis. Aureli. Epictiti. Saturnini. Aprilis, & Felicis. In Ponto Neocæsar. Natalis Sanctorum Nectaui. Seui. In Antiochia Natalis Sancti Marini. *In Gallia Natalis Sanctorum Medardi, & Emiliani cum filijs viii.* & Sancti Simphoriani martyris.

AVGVSTI 22.

FAcem hìc aliquam præfert fragmentum antiquissimum Romani M. apud Bucherium pluries adductum. *Vndecimo Kalẽdas Septembris Timothei Ostiense*. Confirmat Timothei memoriam & aliquam cum Apostolo Paulo connexionem vetus Calendariũ Fronti. *Die 22. Augusti Natale S. Timothei ad B. Paulum Apostolum*, pressius ita signans sepulcri, vel venerationis locũ. Aringhius lib. 3. Romæ subt. cap. 3. n. 4. corpus S. Thimothei martyris adhuc seruari testatur in Ecclesia S. Pauli via Ostiensi sub Altare S. Brigittæ, & inscriptionem profert ex S. Iuliani oratorio. *Hìc requiescunt ossa beata Sanctorum Celsi, Iuliani cum Beata Basilissa, & Martianella, superius vero corpus S. Timothei martyris sub Tarquinio*. Presbyterum, hunc & martyrem fuisse sub Valeriano Imperatore, & Tarquinio eius Præfecto narrat Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 91. quem gladio peremptum sepultum fuisse à S. Syluestro presbytero mox Pontifice *in horto cuiusdam mulieris nomine Theone iuxta sepulturam B. Pauli Apostoli* & passum esse xi. Kal. Septembris. Anthiochia Romam venisse, & Antiochenum fuisse præsbyterum docent Acta S. Syluestri. T. Surij 12. vnde Petrus de Natalibus accepit. Cœmeterium S. Timothei appellatum via Ostiensi, ab hoc Timotheo nomen accepisse existimat Aringhius idem lib. 3. cap. 6. quæ ipse ex codice Vaticano producit, id subobscurè indicant, nimirum Theonem, vel Theodoram *non longe à sepultura Beati Pauli Apostoli* S. martyris Timothei corpus in horto suo suscepisse, & Christianis valde placuisse, *vt huius nominis martyrem, vicinum exciperent, qui Paulo Apostolo, vt quondam Timotheus adhæreret*, non tamen cœmeterium illud S. Lucinæ cœmeterio valde propinquum, ab hoc S. Timotheo nomẽ accepisse ita expresè docent, vt apertius id non deducatur ex vita S. Syluestri apud Simeonem Metaphrastem, & Surium T. 12. vbi cap. 13. docetur S. Syluestrum ad domũ suam retulisse S. martyris Timothei corpus, ac deinde S. Milciadem, impensas suppeditante fideli quadam fœmina, Timotheo ædificauisse *Martyrium in quo deposuit illud corpus martyris*. In hædino

&

& perantiquo Hagiologio noſtro, non legitur, quod martyrium, ideſt Eccleſiã, vel cœmeteriũ edificauerit, ſed de S. Silueſtro ita illud loquitur, *cuius* (Timothei) *corpuſculum S. Syluester occultè mediæ noctis tempore raptum ad domum ſuam tulit. Ibiq. S. Melciadem Epiſcopum rogans venire fecit, qui cũ omnibus SS. Presbyteris, ac Diaconibus per totam noctẽ in Dei laudibus permanens, eius martyrium prædicauit.* Deinde narratur, Theonem habuiſſe *ortum iuxta ſepulturam S. Pauli Apoſtoli*, & rogaſſe Pontificem *vt ſuo ſumptu in ſuo Orto edificans ibi S. Timothei corpus exciperet*; quod apertius cœmeterium, & ſepulturam deſignare videtur. Fama quidem & veneratione clarus Timotheus hìc fuit, ſed neque in adductis codicibus, neq. in Sacramentario Gregorij aliud additur, niſi *Natalis S. Timothei martyris*. At cum in libris noſtris, & martyrol. Corbeienſi conſtanter affirmetur, S. Timotheum hac die memoratum, fuiſſe diſcipulum Pauli Apoſtoli, ea quæ hucvſq. dicta ſunt eidem accomodari poſſe non videntur. Quapropter in hanc ſuſpicionem veni, vt cũ de Timotheo Epheſino Epiſcopo D. Pauli diſcipulo, Epheſi martyrio coronato, deinde Conſtantipolim translato hìc nõ agi certum ſit, cum præter alia Vetuſtius noſtrum illum recolat v. Kal. Octobris, de Timotheo tantùm Romano, & Nouati fratre, quæ hìc dicuntur accipi debeãt. Fuit enim Timotheus pariter presbyter, & diſcipulus Apoſtolorum. De Nouato dum agit Romanum martyrol. ad diem 20. Iunij, filium fuiſſe Pudentis Senatoris affirmat, & fratrem *Timothei presbyteri*, ſed Beda editus addit *Romæ S. Nouati fratris Timothei Presbyteri, qui à Beatis Apoſtolis eruditi ſunt*. Cum autem de tanto Viro, & qui martyr, vt mox dicemus, euaſit, memoriam nõ peragi in Vetuſtiori noſtro vix credibile ſit; cumq; Timotheus, qui Romę producitur pridie eal. Iulij, nullã notam præferat, qua presbyter, & diſcipulus Pauli Apoſtoli dici poſſit, & ignotos ſocios habeat; ſuſpicionẽ mouet hũc nõ eſſe. In Rom. quidam martyrol. Romæ Timotheus cum Marco ſignatur 9. kal. Aprilis: ſed hunc ex codice antiqui Monaſt. S. Cyriaci fatetur Baronius reſtituiſſe, nulla tunc addita coniectura, quòd Timotheus filius Pudentis eſſe poſſit. At quia Timotheũ cum Marco agonem compleuiſſe ex epiſtola Pij, quam mox afferemus, didicit Tom. 2. Annal. ad annum 166. n. 2. Timotheum illum eſſe addidit, cuius nata'is dies aſcriptus ſit Tabulis Eccleſiaſticis 24. Martij. Equidem in epiſtola S. Pij Papę ſcripta ad Iuſtum poſtea Epiſcopũ Viennenſem hæc verba leguntur. *Preſbyteri illi, qui ab Apoſtolis educati uſque ad nos peruenerunt, cum quibus ſimul verbum fidei partiti ſumus, à Domino vocati in cubilibus æternis clauſi tenentur S. Timotheus, & Marcus per bonum certamen tranſierunt*. Ex quibus verbis eodem die paſſos eſſe non conuincitur. Timotheum longe à domo Pudentis, & Nouati domicilium habuiſſe diximus ex epiſtola Paſtoris, & Timothei ad Paſtorem, Exercitatione xiij. hoc eſt non in ędibus Patris in Exquilijs, vel ad radices Viminalis, ſed alibi: Quid autem vetaret, prope ſepulcrum Pauli præceptoris ſedem habuiſſe, & via Oſtienſi iuxta eundem fuiſſe ſepultũ? Sed hæc coniectanea, ſunt; quibus nihil certius addere poſſumus, niſi quòd ad diẽ illũ 9. Kal. Aprilis in nullis ex mſſ. à me adductis codicibus Timothei, & Marci ſub Antonio memoria agitur, vetuſq; illud martyrol. ſancti Cyriaci à Bollando, & Hẽſchenio, qui in Actis SS. ſæpe eo vtuntur, non magnę auctoritatis exiſtimari. E contra verò de Timotheo Pauli Apoſtoli Romano diſcipulo hìc agi cum libris noſtris, ita conſentit martyrol. Corbeienſe. *xi. Kal. Sept. Romæ via Oſtienſe in cimiterio eiuſdem Nat. S. Timothei Diſcipuli Pauli Apoſtoli, & in Portu Romano Peregrinorum martyrum, & SS. Martialis, Aureli, Epictęti, Saturnini, Aprilis, & Felicis cum*

ſociis

socijs eorum Iusti, & Iulij. In Ponto Neocæsaria Nat. SS. Nectavi, Seui. In Antiochia Nat. S. Marini. Augustidano ciuitate natalis SS. Minerui, & Emiliani cum filijs viij. & S. Symphoriani martyr. Timotheum fuisse discipulum S. Pauli Apostoli Vetustissimum Antuerpiense M. ita silet. *xi. Kal. Septembris. Romæ via Ostiensi Timothei, & in Portu Romæ Peregrini Epictiti, Marcelli, Aureli, Felicis Ippoliti, Saturnini. Neocæsarea ciuitate Nectanis, Seui. In Antiochia Marini. Augustodano Galliæ Minerui, & Emiliani cum filijs viij. & S. Simphoriani.*

Et in Portu Romano. Ex socijs S. Hippolyti Portuensis Episcopi hos peregrinos Sãctos martyres putat ad hanc diem Baronius, ex Actis S. Aureæ, vel ipsius S. Hippolyti. Nominibus hos signant Beda, Vsuardus, & Ado, suntque ijdẽ, qui in nostris codicibus exprimuntur, vno præterito Aurelio, socij etiam anonymi in libris nostris desiderantur, quos tamẽ addit M. Corbeiense, & facile Iustus, & Iulius sunt, ab eodem codice superadditi. Auram scribit ms. Reginæ Sueciæ aptius fortasse, quam Aurelius; post agonem enim Timothei Antiocheni summatim relatum ita habet. *In Portu Romano SS. Peregrinorum martyrum, Martialis, Aurea, Saturnini, Epicteti, Aprilis, &c.* Sepulta enim S. Aurea habetur in fragmẽtis eiusdem Actorum apud Aringhium ex codicibus mss. Lateranensi, & Vallicellano lib. 3. cap. 8. Romæ subter. in Portu Romano, siue ad Ostia Tyberina 9. Kal. Septembris; cum tamen ex saxo ad collum alligato demersam in mari fuisse die præcedenti probabile admodũ fuerit. An verò S. Martialis, & socij ex ijsdem militibus fuerint, qui in mare præcipitati & ab Eusebio sepulti fuerint in Campo Ostiæ, iuxta cryptã via Ostiensi, vt in ijsdẽ Actis nõ legitur improbabile putarẽ. In M. Corbeiensi in duas classes diuidũtur Anonymi peregrini à socijs S. Martialis, sicut etiam in libris nostris, in quibus legitur *in Portu Romano Peregrinorum martyrum*, & seiunctim deinde *Natalis SS. Martialis, &c.* Peregrinos facile est, ignoratis nominibus, ita dictos, quòd ad Apostolorum limina peregrinatione suscepta, Christum confitentes ad Portũ Romanum in mari mergendi ducti fuerint, vel ibidem alio modo pro Christo necati. Nec multum refert, quod martyres illi in Actis S. Aureæ memorati, sepulti dicantur ad Ostia Tyberina; quãquam enim Portus Romanus vrbs fuerit ab Ostia vrbe distincta, à leua enim ostij Tiberini Ostia erat, à dextra Portus Augusti, siue Traiani; cum tamen Insula Tyberis, seu sacra tantùm media esset, parua erat distantia, & vna pro altera vrbe excisa nõ raro penes scriptores accipitur. Verum ab adductis mss. libris distat martyrol. Vetustissimum Antuerpiense, & in Portu Romæ; non Peregrinos martyres, sed proprio nomine Peregrinum aliorum antesignanum, Epictetum, pro Martiale, Marcellum, Aurelium, Felicẽ, Saturninum, & pro Aprile Hippolytum exhibet. Cum verò Hippolytus ad sequentes fastos pertineat, & pro reliquis, reliqui omnes codices conspirent, ab ijsdem non esse discedendum putaui, præsertim etiam quòd ex vetustis martyrologijs, Hieronymiano præsertim, Petrus de Natal. lib. 11. n. 119. ita idem repetat. *Martialis, Epictetus, Saturninus, Aprilis, & Felix, cum quibusdam eorum sociis in Portu Romano martyrium passi sunt xi. Kal. Septembris.*

In Ponto Neocæsarea. Additur in Põto ad differentiam alterius vrbis Neocæsareæ in Bithynia. In Ponto Polemoniaco Cappadociæ Neocæsaria ciuitas est Ptolemeo, Ammiano, & Solino. Ibi natale SS. Nectaui, & Seui ex adductis mss. libris recolebatur, qui tamen in alijs editis martyrologijs latent, sicuti Antiochenus Marinus.

S. Medardi. Mineruium non Medardum cum Emiliano, & filijs viij. addit antiquarius Gallicus, tam in M. Antuerpiensi, quam Corbeiensi, librarius verò nostrorum codicum deceptus celebriori fama S. Medardi in Gallia, nomen Mineruij

neruij corrupit, vnde etiam Augustoduni nomen subticuit, quod Nouiocomensis Episcopus Menardus fuerit, vel Suessonensis, vt ad diem 8. Iunij dictum est, & quod de Mineruio sequenti die memoriam recolat. Ex fide igitur aliorum codicum restituendum videtur. In Gallia SS. Mineruij, & Emeliani cum filijs viij. quemadmodum Augustodunum locum venerationis signantia retinet MM. Antuerpiense, & Corbeiense. Hos tamen præterit Saussayus hac die. Videantur, quæ in sequentem diem adnotamus.

S. Symphoriani. Clariora de S. Symphoriano martyre Augustoduni sunt omnia, & omnia ferè latinorum martyrologia eius memoriam recolunt. Petrus etiam de Natal. lib. 7. cap. 93. acta breuiora producit: Surius To. 8. diffusioria. Videndus etiam ad hanc diem Baronius.

X. Kal. Septembris.

IN Aquileia Natalis Sancti Fortunati. Hermonis. Xisti. Martialis. Hermogerati. Romæ Natalis Sanctorum Laurenti, & trium Puerorum. Habundi. Innocenti. Merendini. Et in Porto Vrbis Romæ Natalis Sancti Ypoliti. qui dicitur Nonnus cum socijs suis. In Hostia Natalis Sanctorum Quiriaci, & Arcilai. In Prouintia Liciæ Natalis Sanctorũ Egias. Claudi. Steri. Neonis. *In Gallia Natalis Sanctorum Minerui. Eliaga cum filijs vij. Remis Ciuitate Natalis Sancti Tymothei, & Apollenaris. Augustiduno Flauiani Episcopi. Aruernis Natalis Sancti Synodi Episcopi.*

AVGVSTI 23.

SÆpius dubitaui, an ex eodem fonte codices nostri, & martyrologiũ Corbeicse defluxerint, quòd sæpissimè conueniant. At ex hodierno laterculo patet, nõ ex eodem prototypo originem habuisse, præsertim in Romanis martyribus. Corbeiense segmentum ita prostat. *x. Kal. Sept. In Aquileia Natalis Sanctorũ Fortunati, Hermogenis, Xisti, Martialis, Hermogerati, Iusti, Gerati. Romæ natalis sanctorum Abundantij, Innocentij, Mirerendini, Magnili. In Porto Vrbis Romæ Natalis Sancti Hippolyti, qui dicitur Nonnus, cum suis. In Ostia Natalis Sanctorũ Quiriaci, Archelai. In Prouincia Ciliciæ Natalis sanctorum Agiæ, Claudi, Asterii, Neonis, Domnini cum sociis eorum. Lugduno Galliæ Natalis sanctorum Mineruii, Eleazari cum filiis octo martyribus. Remis Ciuitate Natalis sanctorum Timothei, & Apollinaris. Augustiduno depositio Flauiani Episcopi. Aruernis Natalis sancti Sidonii cum suis. Augustiduno depositio Flauiani Episcopi.* Nec minùs à libris nostris, nominibus, & ordine distat martyrol. Vetustissimum S. Villibrordi. *x. kal. Septembris. In Aquileia Natalis Fortunati, Ermoderi. Et in Porto Romæ Nũni. Et in Ostea Arcei. Et Romæ ad sanctũ Laurentium, Innocentum Sisti, Martialis, Hermogerati, Habundi, Innocenti, Mirendini. Item in Ostea Cyriaci, Archelai. In Prouintia Cicilia Ciuitate Egas Claudi, Asterii, Neonis, Domnina. Lugduno Galliæ Mineruini, Elezari cum filiis viii. Remis Ciuitate Timothei, Apollinaris. Augustoduno Flauiani Episcopi. Aruernis Synodi Episcopi.* Quamquam & in hoc Vetustissimo codice suos sæpe nævos agnoscam, in hodiernis fastis signandis minùs corruptum esse, quã alij, quibus

quibus inuitimur, libri, libenter fatemur, & ex sequentibus patere potest. Interim specimen peruetusti codicis Viennensis in Additionibus adducendi, vt prægustari possit, & ad aliam collationem exhibemus. *X. Kal. Sept. In Aquileia natalis Sanctorum Fortunati, Hermogenis, Xisti, Martialis, Hermogerati. Romæ ciuitate nat. Sanctorum Laurenti, Abundi, Innocenti, Merendini, & in porto Vrbis Romæ natalis Sancti Ypoliti, qui dicitur Nonnus cum Socys eorum. In Hostia natalis Sanctorũ Quiriaci & Archelai. Lugduno Gallia nat. Sanctorũ Mineruii, Eleazarii cum filijs VIII. Remus ciuitate natalis Sanctorũ Thimothei, Apollonaris. Agustoduno Flauiani Episcopi. Aruernus natalis S. Sidoni Episcopi.*

In Aquileia. Aquileienses martyres silent communia latinorum martyrologia; ms. tamen Reginæ Sueciæ ita cõsonat. *Aquileiæ SS. Fortunati, & Hermogenis cum alijs duobus.* Ferrarius de his agit in Catalogo Generali x. Kal. Septembris, & in Catalogo SS. Italiæ hac eadẽ die. Ex Tabulis Ecclesiæ Aquileiensis, vbi reliquiæ ipsorum habentur, passos esse Syngidoni in Mysia eodẽ tempore, quo S. Donatus, & socij sub Diocletiano Imperatore, & Victoriano præside, idem Ferrarius docet. Hermogenes tamen dicitur, non Ermidorus, aut Ermon, qui Lector, & Fortunatus, qui Diaconus Ecclesiæ Syngidonensis fuissent. Cum verò in Tabulis, & Breuiario Aquileiẽsis Ecclesiæ reliqui adducti socij Xistus, Hermogeratus, & qui in martyrol. Corbeiẽsi adduntur Iustus, & Geratus nequaquam exprimantur, ad Romanos martyres pertinere libentius cum M. Vetustissimo suscipio. Fortunatum habet calendarium Hieronymianum Lucense peruetustum *x. Kal. Fortunati. Trium Puerorum.*

Romæ. S. Laurentiũ non habet martyrol. Antuerpiense, & præter S. Laurentium Diaconum celeberrimum nullum alium hoc nomine martyrem Romæ veneratum inuenio in Tabulis Ecclesiasticis; vnde ex Vetustissimo martyrol. scribendum non dubito *Romæ ad S. Laurentium*, & transpositos Aquileiam martyres Romæ esse restituẽdos Xistum, Martialem, Hermem, Geratum, siue vnico nomine Hermegeratum, & ex martyrol. Corbeiensi Iustum; deinde ex libris nostris tres pueros, Abundium, Innocentium, & Merendinium. Tres pueros alibi numeratos non inuenio, præterquam in calendario Hieronymiano iam adducto, sed nominibus non expressos. De Innocentio inter S. Sixti Pontificis socios, qui alijs Vincentius est, videnda, quæ notat pugnantia Ferrarius ad diem 6. Augusti, in catalogo SS. Italiæ. Abundius sepultus apud S. Laurentiũ habetur in S. Laurentij Actis, & cum Irenæo recolitur in martyrol. Romano ad diem 26. Augusti, vbi nihil legitur in Vetustiori nostro. Præter Mirendinium, addit martyrolog. Corbeiense etiam Magnilium, qui Magnus esse potuit ex S. Sixti socijs, sicuti Martialis S. Aureæ, vt mox dicetur.

In Porta Vrbis Romæ. An S. Hippolytus cognomento Nonnus, vel Nunnus Episcopus Portuẽsis fuerit, cum nullum in adductis mss. codicibus de Episcopali titulo verbum addatur, nihil inde affirmare licet. In Actis S. Aureæ, cuius fragmentum ex codice Lateranensi exibet Aringhius lib. 1. Romæ subt. cap. 9. nu. 5. & lib. 3. c. 8. n. 9. hæc de Nonno habentur, dum S. Aureæ sepultura narratur. *Cuius corpus sanctum, in mare demersum, peruenit ad maris littus, quod B. Noannus collegit (qui etiam Hippolytus nuncupatur) & cum omni diligentia sepeliuit in prædio suo, vbi habitauerat 9. Kal. Septembris.* Nonnum fuisse Portuensem Episcopum ibi supponit Aringhius, sicuti confirmat Baronius, tum in Notis ad diem 22. Augusti, quando Rom. martyrol. S. Hippolyti Episcopi Portuensis memoriam recolit; tum in annalibus ad annum 229. nu. 8. Is S. Hippolyti socios ex Actis S. Aureæ enumerat Martialem, & reliquos externa die in vetustiori nostro recẽsitos. In cognomine Nonni S. Petrum Damiani deceptum esse, sicuti & Prudentium

in Hymno vndecimo, qui ex tribus Hyp. polytis vnum conflauerunt, animaduertit idem Baronius, & Nonnum non nisi Monachum significare addit. S. Hyppolitus sacromartyr, & Papa dicitur in Menologio Basilij ad diem 29. Ianuarij, vbi de Censorino magistro militum, & militibus ab eo ad Christi fidem traductis, capite damnatis, agitur, inter quos fuisse narratur etiam Chrysa (hæc S. Aurea est) & eius seruus Sabenus; de S. Hippolito autem hæc, interprete Archudio, subdit. *Commotus tanta Christianorum cæde Hippolytus Papa* (Episcopos omnes olim Papas dictos notissimum est) *& diuino incensus zelo coram Tyrannum* (is erat Præfectus Claudij Vicarius) *grauiùs accusauit, qui impotenti ira correptus Papam, eiusq. comitatum, Presbyteros, Diaconos, & Episcopum acerbissimè priùs tortos, alligatis ad manus, pedesque grauissimis saxis, in mare proijciendos curauit.* Vnde patet, qui fuerint S. Hippolyti socij. Episcopus inter illos numerabatur etiam Quiriacus, vt ex mox dicendis constabit. Militum nomina exprimuntur apud Ferrarium.

In Ostia. Seiunctim Arceum Ostiensē martyrem recensuit martyrol. Vetustissimum ante Romanos. Nostri codices cū Corbeiēsi, & Blumanio, vnico choro exhibēt in Vrbe Ostia Cyriacum, seu Quiriacum, & Archelaum. Ex Actis SS. Aureæ, Archelaum, simul cum Censorio, & militibus agonem compleuisse narrat Ferrarius ad diem 23. Augusti in Catalogo SS. Italiæ; Quiriacum verò in carcere necatum x. kal. Septembris. Passos sub Alexandro idem Ferrarius affirmat, sub Claudio Menologium Basilij. Cuius vrbis fuerit Episcopus Quiriacus, an Ostiæ, vel alterius vrbis, in Actis non exprimi notat idem Ferrarius. Hos non Ostiæ, sed in Portu Romano cum S. Hippolyto simul veneratos habet Vsuardus, & ad Ostia Tiberina martyrol. Romanum, cum Beda, & alijs Latinis. Portum, & Ostiam apud scriptores confundi dic superiori monuimus.

In Prouincia Liciæ. Aptiùs legit martyrol. Corbeiense in Prouincia Ciliciæ, sed in eodem luto hæret, dum pro vrbe Ægea Ægiam martyrem, siue etiam maioni lapsu, *Agiā* legit; sed & Liciam retinet Rabanus, qui x. Cal. habet passionem *trium fratrum sub Lysia Præside, in Prouincia Lycia ciuitate Ægea, hoc est Claudij, Asterij, Neonis*, quorum acta deinde percurrit, SS. etiam Domninæ, & Theonillæ memoriam admiscens. Vetustissimum martyrologium minori dissonantia Ciciliæ pro Ciliciæ scribit, & rectè ciuitatem Ægas retinet, (ita enim vocatur Cilicia ciuitas apud Tacitum, quæ Straboni Ægeas est, Ægæ Ptolemæo, & Stephano.) Lyciam pro Cilicia habet etiam Vsuardus, & ex eo Bellinus de Padua, & Maurolycus. Acta SS. martyrum trium germanorum Claudij, Asterij, & Neonis proconsularia, & sincera extant apud Surium To. 8. Hi à Nouerca delati, pluribus tormentis vexati, & crucibus affixi nobile certamen compleuerunt. Eadem die in eadem vrbe sanctæ mulieres Donuina (ita apud Surium scribitur, non Domnina) fustibus necata, & Theonilla vidua, verè Christi imitatrix, nouacula abraso capite, & siluestri rubo coronata, flagellis cæsa, & in ventre vsta, immortalem coronam acceperunt. Hæ fortissimè mulieres, quamquam sanctorum fratrum germanorum in passione socię non fuerint, cum tamen apud Ægeam, sub Lysia Proconsule, decimo pariter kal. Septembris agonem compleuerint, vt ad calcem eorundem Actorum adnotatur, simul cum illis in albo sanctorum, & antiquis martyrologijs fuisse scriptas, nō est incongruum, licet iniuria temporum, & librariorum incuria deletæ deinde fuerint. Id suadent martyrologium Vetustissimum, in quo retinetur Domnina pro Dōuina, & martyrol. Corbeiēse, in quo legitur *Dōuinus cū sociis suis*: immeritò in vtroq; nimirū preterita Theonilla, & Dōuina in Dōninū immutata. Pro Aterio etiam in codicibus nostris restituendus est Asterius.

In

In Gallia. Sanctum Mineruium cum Emiliano,& filijs viij. martyrol. Antuerpiense Vetustissimum,& Corbeiense non Lugduni, sed Augustoduni veneratum proposuerunt proximo præcedenti die, vbi codices nostri pro Mineruio Medardium exhibuerunt, & nos emendatione dignos duximus. Hodierni fasti in omnibus ferè martyrologijs signantur memoria Lugdunensium martyrum Mineruij, & Eleazari cum octo pariter filijs. Eosdem esse, idem Mineruij nomen, & octo filios succedenti martyri assignatos, non difficile suadere videntur: immutato dumtaxat Eleazaro in Emilianum, & Lugduno in Augustodunum. De Mineruio Lugdunensi fatetur Raynaudus in Hagiologio Lugdunensi obscura ferè omnia esse, & quamquam de Eleazaro cum filijs octo diffusiùs agat, & Indulgentias quasdam, antiquitus concessas pro veneratione eiusdē sancti martyris, ac filiorum adducat,præter Adonis tamen auctoritatem, qui SS. Mineruium,& Eleazarum cum filijs octo conseruari affirmat in Crypta, quæ vrbi ab occidenti imminet, & quæ dicitur S. Irenei, reliqua à Saussayo adducta de tempore passionis non omnino probat,sicuti omnino improbat, quæ Iulianus Petri in chronico adducit. In Vetusto Hagiologio Franco Galliæ Lebbei xi. kal. Augustoduno tantum S. Symphorianus tribuitur, & x. kal. *Lugduno Galliæ SS. Mineruii,& Eleazari cum aliis octo* memoriam consignat, & in hoc vnicum est,quòd nō filios Eleazari, sed socios tantum videatur nuncupare, sicuti Vsuardus. Eleazarum etiam non Emilianum legit Galesinius ex libris scriptis.

Remis Ciuitate. Horū SS. martyrum veneration confirmant Rom. martyrol. Beda, Vsuardus, Ado, & Hagiologium Franco Galliæ Lebbei. Baronius in Notis sub Nerone passos innuit ex eorūdum Actis, quæ Saussayus delibat die præcedenti,dum martyrium fecisse addit vnà cum Mauro presbytero hìc præterito.

Augustodunо. Flauianum S. Episcopū Augustodunensem in Æduis exhibent etiam M. Romanum, Bellinus de Padua, & ex eo Molanus, Galesinius, Maurolycius,& Saussayus. Inter Æduenses, seu Augustodunenses præsules hunc apud Sammarthanos nō inuenio numeratum.

Aruernis. Non Synodium, sed Sidonium vocant S. Episcopum adducti codices cum Romano martyrol. vbi vidēdus in Notis Baronius ex Gregorio Turonensi, & Gennadio Sidonium laudans, non modo Vitæ sanctitate, sed doctrina & litteris clarum, vt eius edita opera testantur. Pluribus insignem cœlitem Sayssayus prosequitur. Sirmondus eius vitam cōtexuit, ex qua plura acceperūt Sāmarthani, dum Caiū Solliū Apollinarē Sidoniū vndecimū Episcopum Claromōtensem numerant T. 2. Gall. Christ. An verò omnes hìc adducti Galliæ cælites Vetustiori M. superinducti sint,non affirmarem, aliquos non dubito.

IX. Kal. Septembris.

IN Gallia Ciuitate Rodomo depositio Sancti Audeni Episcopi, & Confessoris. In Antiochia Natalis Sanctorum Zenobi. Capitulini. Emerete. Italice. In India Sancti Bartholomei Apostoli. Romæ Sancti Genesij martyris. *In Gallia Ciuitate Neuerno Natalis Sanctorum Pectrici Abbatis, & depositio Sancti Gildardi presbyteri, & Confessoris. In Territorio Æduę Ciuitatis depositio Eptati presbyteris, & Confessoris.*

GAllicus antiquarius, & fortè Fontanellensis, in frõte Auctographi, vnde codices nostri emanarunt S. Audemi, vel potius Audoeni memoriam apposuit, quam martyrologiũ Corbeiense ad calcem, tanquam quid additum repositum fuit. *ix. Kal. Sept. In Antiochia natalis sanctorum Zenobii, Capitolini, Emeritæ, Italicę, Iuuiani, Iulii. In India Natalis sancti Bartholomai Apostoli. Romę Natalis sancti Genesii Martyris. Neverno Civitate depositio Patricii Abbatis. In Rothomago Civitate depositio sancti Audoeni Episcopi, & Confessoris. In Territorio eiusdẽ vico Luperciaco depositio sancti Gyldardi presbyteri, & Confessoris. In Territorio ipsius Ciuitatis depositio Sãcti Eptati presbyteri, & Confessoris.* S. Episcopum omnino silet martyrol. Antuerpiense, quod tamen suis additamentis non caret viiij. *Kal. Septembris. In Antiochia Zenoni, Capitolini. Emeritę, Italia. Romæ S. Genisi. In Gallis Civitate Neverna S. Patricii Abbatis, Gedderi presbyteri.* De S. Audoeno tamen Episcopo agunt Romanũ martyrol. Vsuardus, Ado, & recentiores, præsertim Saussayus. Viram diffusiùs scriptam habet Surius To. 8. ex quo floruisse elicitur septimo sæculo. Rotomagensem Episcopum vigesimum primum numerant Sammarthani, qui cathedram ascendisse docent anno 646. obijsse verò die 24. Augusti 676. aut 677.

Antiochia. Antiochenos quatuor martyres, in editis martyrologijs præteritos, Vetustiori martyrol. debemus, sine vlla dissonantia in Antuerpiensi, & Corbeiensi confirmatos, in hoc tamen super adduntur Iuuianus, & Iulius æque alijs ignoti.

In India. Nihil de S. Bartholomeo hac die exhibet martyrol. Antuerpiense in crastinum differens, quemadmodum martyrol. Romanum, quod die 8. kal. S. Apostoli corpus Romam ad Insulam Tiberinam translatum sit. Equidem vt obseruat Menardus ad D. Gregorij Sacramentarium, in omnibus vetustis martyrol. & alijs codicibus 9. kal. Septemb. celebritas eius assignatur, sicuti eius passio in perantiquo Hagiologio nostro, & apud Bedam, Vsuardum, Rabanum, Adonem, Vvandelbertum, & Galesininm ex ms. martyrol. S. Hieronymi adnotatur. Rectè igitur in libris nostris, & Corbeiensi additur *in India*, cum Romæ die sequenti eius solemnitas recolatur, ad quam translationem nequijt respicere Martyrol. Vetustissimum Antuerpiense, cum scriptum omninò fuerit antequam circa annum 983. Romam S. Apostoli reliquiæ translatæ sint. Aliquam tamen illa die translationem venerari Græci docent die 25. in Menologio. *Relatio SS. reliquiarum S. Apostoli Bartholomei.* Reliqua videnda sunt apud Baronium, & quæ ad Indiculum Apostolorum de S. Bartholomæo congestimus.

Romæ S. Genesii. S. Genesium antiquitùs Romæ illustrem memoriam habuisse constat, quia eandem restaurauit Gregorius tertius, & muneribus exornauit, vt habetur in libro Pontificali. Sunt qui Genesium Romanum martyrem professione histrionem, vel mimum cum Arelatẽsi exceptore confundant. Vtrumque ritè distinguit Vetustius nostrum martyrol. cum Corbeiensi, & Antuerpiensi. Arelatensẽ enim die sequẽti venerantur, & hac ipsa die Romanum, vt etiam benè distinguit Vvandelbertus. Extant apud Surium vtriusq. acta T. 8. seiunctim contexta; quamquam apud Petrum de Natalibus lib. 7. c. 110. S. Genesij mimi historia Arelatẽsi exceptori accomodetur. In Hagiologio perantiquo nostro sub viij. kal. Sept. legitur passio S. Genesij, quæ peracta dicitur *in Ciuitate Arelato*,

quæ

quæ verba si demantur nihil remanet cũ S.Genesio Arelatensi commune, & coincidit in reliquis cũ Actis S.Genesij Romani apud Suriũ. Prima autem Historiæ verba aptiùs prostãt in ms. hedino nostro quã apud Suriũ, penes quẽ incipiũt *Diocletiano Imperante cum per annos quatuor Ecclesię clausæ essent Romę missus quidam fuit, &c.* Aptiùs verò in codicibus nostris *Imperante Diocletiano cum cessassent per annos quatuor Ecclesię Episcopi, & Sacerdotes, in hoc tẽpore fuit quidam, &c.* Certũ est enim ex Eusebio Ecclesias non fuisse clausas sub Diocletiano, sed solo æquatas, & in Episcopos, & Sacerdotes primò sæuitum. In fine etiam tempus passionis præcisum adnotatur, suscepta hilariter à S.Genesio sententia mortis *viij. Kal. Septemb. eodem Diocletiano IIII. Consule*, qui dies S.Genesio Arelatensi sacer fuit, vt die sequenti constabit; facile est etiam, vt quemadmodum Agonis locus Arelatensi Genesio accomadatur, ita & dies celebritatis, & venerationis communis sit. Vtrumque quidem distinguit etiam Vsuardus, sed vtrumq. forte propter S. Bartholomœi præcedentem diem in viij. Kal. reposuit. Equidem ix. kal. Vvandelbertus.

Tum quoq. Genesio resplendet martyre Roma.

postquam D.Bartholomœi celebritatem cecinerat. Ms. etiam Reginæ Sueciæ retinet 9.kal. *Romę passio S.Genesij martyris.*

Pectrici Abb. Patricium Abbatem non Pectricium vocant M. Romanum, Vsuardus, & reliqui, qui eius meminerunt, & Nivernis ita cum Gildrado presbytero recolitur in Hagiologio Franco-Galliæ Lebbei. *ix. Kal. In Gallijs civitate Nivernis S.Gildradi presbyteri, & Confess. In eiusdem territorio S. Patricij Abbatis.* Pro Gildrado *Cedderi* præsbyteri legit M. Antuerpiense. Eptatum pariter presbyterum exhibet M.Corbeiense in eiusdem ciuitatis Niuernensis territorio, sed alibi postridie huius diei M. vetustissimum sub nomine Aptati. Aliter libri nostri locum venerationis S Presbyteri exhibent in territorio Æduę ciuitatis. Ædui Galliæ populi sunt Burgundiones hodie vocati, ab Ædua fortasse ciuitate, cuius meminit Cæsar 2. Belli Gallici. An pro *Eduę ciuitatis* legendum esset *eiusdem ciuitatis*, id facile concederem, cum Ædua in M. nostri codicibus passim Augustodunum potius nuncupetur. Nulla ita esset cum M. Corbeiense discrepantia; emendare aliunde non licuit; nisi pro Eptadio Neptadium accipiamus præsbyterum, & Monachum in Ædujs veneratum apud Saussayum viij. kal. Septembris in supplemento, nõ quidem vt legit M. Corbeiense in territorio Niuernensi, sed Cemiduni in Burgundia pago Æduorum. Videndi hìc pro huiusmodi additamentis sacræ Gallicæ scriptores.

VIII. Kal. Septembris.

NAtalis Sancti Pontiani. In Provintia Syriæ natalis Sancti Iuliani, vbi magnus fit Conventus Monachorũ, qui meruit fide coronari. In Capua Civitate Campanię Natalis Sanctorum Rufine. Euticę cum socijs eorum. In Cimiterio eiusdem Via Nomñtana milites xviij. Arelato Natalis Sanctorum Genesi martyris. Iuli. Hermetis. In Spania Natalis Sanctorum Iusti. Pastoris martyrum.

Quemad-

AVGVSTI 25.

QVemadmodum Romæ hiſce Kalendis feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli celebratur, ita M. vetuſtiſſimum Antuerpienſe à Bollando, & HenſchenioRomanum nuncupatum, hac ipſa die S. Apoſtoli eiuſdem in India celebritatem indicat: *xiij. Kal. Septembris. Natalis Bartholomæi Apoſtoli in India. In Arelate Geneſij. Romæ Enticetis. & in Syria Iuliani. Alibi Aptati presbyteri. In Capua Rufinæ, Enticę, Iulii, Hermetis. Spanis Complutoloco Iuſti, Paſtoris.* De S. Pontiano, qui ſacros hodiernos faſtos in libris noſtris exorditur, nihil hìc etiam habet M. Corbeienſe. *viii. Kal. Sept. In Prouincia Syria nat. S. Iuliani. In Capua ciuitate Campaniæ natalis ſanctorum Rufini, Enthicii cum ſociis eorum. Arelato natalis ſanctorum Geneſii martyris, Iulii, Hermetis, Ioviani. In Hiſpania natalis ſanctorum martyrum Iulii, & Paſtoris germanorum.*

Natalis S. Pontiani. Cum neque in Corbeienſi conſimili M., neque in Antuerpienſi proſtet S. Pontiani memoria, dicendum videtur in codicibus noſtris à clericis Lucenſibus fuiſſe ſuperadditã. Agitur enim Lucæ S. Pontiani martyris dies feſtus, in ſui nominis Eccleſia à vetuſtiſſimo tempore, vbi corpus eius quieſcit, vt fuſiùs à nobis in Eccleſiæ Lucenſis dypticis adnotabitur. Ita in omnibus illius Eccleſiæ vetuſtis Kalendarijs ſcribitur, vt in hædino Breviarij noſtri. *viii. Kal. Aug. Geniſij, Pontiani, Euſebii, Pellegrini, Vincentii martyrum.* Totidem etiam verbis in Hieronymiano Calend. Vetuſtiori Canonic. Lucenſium; & in alio præfixo membranaceo Miſſali. Verùm hac eadem die Romæ, tam in Romano M., quam apud Bedam, Vſuardum, Adonem, & alios recentiores S. Pontianus recolitur cum Euſebio Vincentio, & Peregrino ſocijs, vt potius mirandum ſit cur deficiat in codicibus Antuerpienſi, & Corbeienſi. Acta apud Surium proſtant T. 8. ex Vincentio Bellovacenſi, vbi non Pontianus, ſed Potentianus cõtra reliquorum omnium fidem vocatur. Sepultos cum Pontiano ſocios narrant eadem Acta, non longe ab vrbe Roma viij. kal. Septembris à B. Rufino presbytero, imperante Commodo. Addunt, ex mſ. codice S. Petri fragmenta eorundem Actorum apud Aringhium lib. 2. cap. 15. nu. 3. *Miliario vi. in Arenario iater viam Aureliam, & Triumphalem.* Corpora S. Pontiani, & Euſebij tempore Nicolai Papæ traſlata fuiſſe in Galliam affirmat Ado in Martyr. quod de parte tantum reliquiarum accipiendum eſſe crederem, ſaltem quo ad S. Põtianũ. Sigibertus enim ſcribit in Chron. id accidiſſe anno 865., quando iam Lucam translatum fuerat ipſius S. Pontiani M. corpus à Iacobo Diacono, qui deinde Epiſcopus fuit anno 802. vt ex monumentis Eccleſiæ S. Pontiani, & Tabulario ſecretiori Epiſcopatus Lucenſis conſtat.

In Prouincia Syriæ. Iulianum martyrem Syrum veneratur etiam Rom. martyrol. & vt addit Baronius ex Vetuſtiſſimis mſſ. Presbyterum, & martyrẽ fuiſſe diſtinguit Maurolycius, fortaſſe ex Petro de Natalibus, qui lib. 11. nu. 224. ex Hieronymi, vel alio, vt profitetur vetuſto martyrol. *Iulianus martyr, & presbyter in Prouincia Syriæ 8. kal. Sept. paſſus eſt.* Bellinus de Padua edit. Venetæ 1549 non *in Prouincia* Syriæ, ſed *Striæ S. Iuliani martyris* memoriam agit. Cùm verò omnes in Syria S. Iulianum referant, Striam pro Syria à librario malè poſitam dicendum videtur. Nemo tamen ſubdit, quod libri noſtri ex antiquarij alicuius additamento retinent. *Vbi magnus fit Conventus Monachorum, qui meruit fide coronari.* Verba hæc Iuliano

pariter

pariter addita ad diem 12. Augusti explicauimus pro frequentia Monachorũ, ad celebritatem accurrentium, & fortasse accipi possunt pro Templo cum ædibus Monachorum, qui ibi magno numero simul viuerẽt. S.Zeno in Psalmum 126. Conuentum pro secretiori Ecclesia accipere videtur. *Conventus quidem Ecclesiarum, siue Templi, quos ad secretã sacramentorum religionem, ædificium septa claudant, consuetudo nostra, vel domũ Dei solita est nuncupare, vel templa.* Et adhuc Monasteria, vel Cõventus septas ædes Monachorum dicere consuevimus. Habetur apud Surium T. 1. Vita S. Iuliani cognomento Sabæ presbyteri in Syria, qui fuit pater multorum Monachorum, sed hic martyr non obijt, sed insignis confessor ex Theodoreto in Philotheo.

In Capua. Sanctas martyres Rufinã, & Euticam, non Rufinum, vt legit martyrol. Corbeiense, ecolunt hac die libri nostri, quibus consonat ms. Reginæ Sueciæ 8. cal. *Capuę Campanię natalis sanctarum Rufinæ, Eutica.* Additur in libris nostris *cum eorum sociis*, sicut in M. Corbeiense, de quibus ex alijs Hagiologijs nihil mihi addere licuit. Ferrarius tam in Generali Catalogo, quam sanctorum Italiæ, horum non meminit. Maurolycius die sequenti S.Ruffi Capuani discipuli S. Apollinaris memoriam agit; nostrũ verò martyrol. vetustius S.Rufini meminit die 27. Martyrol. Vetustissimũ Antuerpiẽse, socios addit Sanctis mulieribus Iulium, & Hermetem, quos codices nostri, & Corbeiensis S. Genesio Arelatensi iungunt, vt infra.

In Cœmeterio eiusdem. Verba hæc neque in martyrolog. Antuerpiensi, neque in Corbeiensi prostant, & aliquem Romæ Sanctum martyrem veneratum hìc deficere, monstrant illa in *Cœmeterio eiusdem*; Viam enim Nomẽtanam ex vrbe Roma Nomentam versus ortum duxisse certum est. Et fortasse Eusebius, ac reliqui S.Pontiani socij, omnibus ferè latinorum memorati, hìc desiderantur, qui Romæ agonem compleverunt. Exinde Anonymi milites xviij. via Nomentana in eiusdem viæ Arenario, seu cœmeterio recoli potuerunt. Celebrius viæ illus cœmeterium sanctæ Agnetis erat. Sed eadem via decimo quarto ab vrbe lapide ad arcus Nomentanos erat Arenarium, vbi sepulti sunt Primus, & Felicianus martyres, cuius meminit liber Pontificalis in Theodoro. Erat & cœmeterium, sine alia additione vocatum cœmeterium martyrum, via Nomẽtana, cuius meminit Beda ms. Vaticanus apud Aringhium lib. 4. c. 26. n. 2. & in hoc SS. milites venérari cum alijs martyribus potuisse nihil vetat.

Arelate. De S.Genesio Arelatẽsi exceptore seorsim à S. Genesio Romano extant Acta apud Surium T. 8. elegãter scripta à S.Paulino Nolano, & de eodem sermo sub Eusebij Emiseni nomine. De eius miraculis scripsit etiam B. Hilarius Arelatensis. Nulla in his de socijs Iulio, & Hermete memoria iungitur, sicuti neque apud recentiores sacræ Galliæ scriptores, vnde libentiùs illos Capuanis martyribus iungendos suscipio, vt habetur in martyrol. Antuerpiensi. Solemnis dies est S.Genesij, siue Romani, siue Arelatẽsis hoc ipso 25. Augusti in pago Lucensi *Bargecchia* nuncupato, vbi Ecclesia est eiusdem nomini dicata, & anniuersarium prodigium ætate nostra à me etiã visum perdurat, nec illud breuiter hìc adnotare ad S. Martyris gloriam alienũ duxi. In Pervigilio festi S. Genesij (Mimum signare, ibi videntur vetustæ imagines, & Mimum recolit hoc die Rabanus) magnus fit ex convicinis populis ad Ecclesiam illam concursus; qui enim Epileptico morbo laborant, familiaribus vel propinquis stipati ad sanationem, vel miranda soli circumpositi ad Ecclesiam alacres pergunt. Vix terram sacram illam attingunt, qui huiusmodi morbo laborant, cum statim epileptico insultu apprehenduntur, & in terram delapsi piorum manibus ad Ecclesiæ porticum deuehuntur, totaque pervigilij

nocte

nocte aliorum auxilio à Porticu, ad Crucem in extremo sacræ illius telluris appositam, vehuntur,& revehuntur,creberrimis morbi paroxismis vexati. Plurimi integrã sanitatem adipiscuntur,reliquos constans fama est per annũ à morbo vlterius non apprehendi. Omnia hæc quotannis omnium adstantium oculis obvia sunt, digna vt inter miranda eã referantur, quæ tanquam Genuinæ Ecclesiæ signa voluit Deus esse perennia. Epilepsiam inde circumstantes populi vocant morbum S. Genesij, & in illum qui stare loco nescit parœmiam iactant *Tetigit terrãm S. Genesij.*

In Spania. Locum,siue venerationis siue martyrij pressius signat M. Vetustissimum *Complute loco*, Carpetanorum nẽpe Vrbe in Hispania Tarraconensi. Ita etiam retinet Maurolycius, qui addit S. Iustum, & Pastorem fratres fuisse pro Christi fide iugulatos. Germanos etiã vocat M. Corbeiense. Hos in Gallia videtur constituere ms. Reginæ Sveciæ, post recensitum enim S. Genesij Arelatensis agonem subdit. *In eadem Provincia natalis SS. Iusti, & Pastoris.*

VII. Kal. Septembris.

IN Ciuitate Solona natalis Sanctorum Anastasi martyris. Apolli Ciuitate Natalis Sanctorum Heclano. Mercurij martyris. Romę in Cimiterio natalis Sancti Basilli. Maximiliani. Quintini Martyris. In Gallia Ciuitate Arelato natalis Sanctorum Sevi. Victoris. Primi. Victoris. *Autisiodoro Ciuitate depositio Heleutheri Episcopi, & Confessoris cum socijs suis.*

AVGVSTI 26.

INuerso à nostris codicibus ordine Vetustissimum S. Villibrordi martyrologium sacras hodiernas tabulas à Romanis martyribus auspicatur. *vj. Kal. Septembris Romę Quinti, Maximiani. Et in Salona Anastasii. Et in Elano Mercurij. Gallia Arelatis Sevi, Victoris, Primi, item Victoris. Autisiso, Eleotheri Episcopi.* Vberius, & magis libris nostris consonum hodiernos martyres in classes producit martyrol. Corbeiense, non ita tamen sine ambagibus. *xij. kal. Sept. Ciuitate Salona Nat. S. Anastasii martyris ... sia ciuitate SS. Poeclani, Mercurii Martyrum. Roma in cimiterio nat. SS. Basillæ, Maximiliani, Quinti martyrum. Via Prꝛnestina militum xxv. Arelate ciuitate nat. SS. Sevi, Victoris, Primi, item Victoris. Autisiodoro ciuitate depositio S. Eleutherij Episcopi cum sociis suis Confessoribus.* Omnia hic martyrum Acta, quæ viderim, silent, & edita martyrologia nullum ex adductis cælitibus indicare video. Maurolycius tantum ex vetustis MM. hæc habet. *Salone in Dalmatia sub Diocletiano S. Anastasii M. in mare demersi.* De quo etiam egisse 12. cal. Augusti profitetur. At illic Anastasium quidẽ Salonæ producit, sed qui sub Aurelio Imperatore nõ Diocletiano passus sit. Hunc sub Diocletiano in mare mersum fuisse probabile reddunt,tum Salo Dalmatarum nauale Straboni, quæ eadem est cum Salona Colonia Ptolomei, & aliorum, tum Diocletiani palatium ibi extructum apud scriptores celebre. Vnde in libris nostris pro Solona restitui debet Salona vt, habent M. Corbeiense,& Antuerpiense.In Menologio Græcorum nullo addito passionis

nis loco bis Anastasius martyr recolitur die 25. Octobris, & 5. Decembris: hic obtruncatus in mare demergitur, quemadmodum Anastasius martyr natione Aquileiensis, ingenti lapide ad collum suspenso, præceps in mare datus agonem compleuit Salonæ Dalmatiæ, vt Acta habent apud Petrum de Natal. lib. 7. cap. 124.

Apolli Ciuitate. Mancum agnoscere hic cogimur M. Vetustissimum, in quo vrbis nomen subticetur, & ex martyre vrbs efficitur. Derasum etiam vetustate in Corbeiensi nomen ciuitatis, in qua agonem compleuerint, vel veneratione habuerint S. Heclanus, vel Poeclanus, & Mercurius, suppleri ex libris nostris potest, in quo Apolli ciuitate legitur, quæ ex Corbeiensi suppleri posset *Apollonia* (extrema syllaba addita) pervetustatem non abolita. Sed quantæ apud Geographos vrbes sub Apolloniæ nomine? quæ nam ex his fuerit asserere non nisi temerè possem. Nec absurdum esset etiam nomen Apolli retinere, quando binæ huius nominis vrbes in Ægypto Ptolemæo sunt, maior, & minor. In horum altera Sancti martyres coronam accipere potuerunt, frequentes enim in Ægypto sanctorum carnificinæ fuerunt.

Romæ in Cœmeterio. Alibi antonomasticè dictum cœmeterium animaduertimus, quod amplius, & celebrius esset, Callisti nempe via Appia. Sin vero non Basilli, sed Basillæ legendum est, vt retinet martyrol. Corbeiense, de ipsius S. Basillæ cœmeterio nomen esset accipiendũ. Cœmeterium Basillæ Via Salaria veteri erat, quod ex inductis postea SS. Hermete, Protho, & Hyacintho etiam his nominibus appellatum est. De S. Basilla illustri martyre Romana agit Romanũ martyrol. xiij. Kal. Iunij. Ex hac Basilla nomen accepisse cœmeterium illud affirmat Aringhius lib. 4. cap. 34. At in Actis S. Eugeniæ apud Surium To. 12. vbi Basilla sub Valeriani, & Galieni persecutione Romæ sepulta fuerit, non exprimitur. Per aliquos quidem dies ante Prothum, Hyacinthum, ac Eugeniam amputato capite agonẽ compleuisse ex ijsdem Actis educitur; Alterius S. Basillæ Romæ meminit martyrol. Vetustius nostrum iij. Idus Iunij, & die sequenti vj. kal. Septembris iterum cum Hermete Romæ Basilla veneratur, vbi aliqua addimus, & Via Salaria vetere in proprio cœmeterio Basilla memoratur x. kal. Octobris. Vnde facile non est asserere, quænam Basilla cœmeterio viæ Salariæ veteris, quod Aringhius describit, nomen dederit. Ex martyrol. nostro postrema esse videretur, præsertim quòd in hodiernis fastis, Maximinus, & Quintus, seu Maximilianus, & Quintinus Basillæ, siue Basillo socij adduntur. Hunc præterit ms. Reginæ Sueciæ, & tantùm 7. kal. pro Basillo Mercurium, nostris libris Apolloniatem, supponit. *Et in eadem vrbe* (Roma) *natalis SS. MM. Mercurij, Maximiliani, Quintini.* Maximiani nomen frequentius Romanis fuit, quam Maximiliani, & Quinti, quam Quintini. Martyres SS. Milites xxv. quos via Prænestina addit M. Corbeiense, in libris nostris desiderantur, & fortè ijdem sunt, qui præcedenti die in ijsdem recensentur Via Nomentana num. xviij. Facilis quidem vbique librariorum lapsus in numerali nota nos à sententia non remoueret, quòd tunc in martyrol. Corbeienti non indicentur. Rabanus vij. cal. Septẽb. Romæ Hereneum, & Abundium ex Deciana persecutione martyres recolit.

Arelato. De sanctis his Arelatensibus martyribus præter adductos mss. codices nullam alibi commemorationem inuenio, & Saussayum aufugisse video.

Autisiodoro. S. Eleutherium Autissiodorensem tempore Childeberti Regis exhibet Historia Episc. Autissiodorensium cap. 16. vbi eius memoria recolitur die xvj. Kal. Sept. At vetus Hagiologium Francogalliæ hac ipsa die 7. Kal. quemadmodum Petrus de natal. lib. xi. nu. 225. Maurolycius, & Molanus in

additionibus confirmant Sammarthani decimum sextum Autissiodorēsem Episcopum referunt Concilio Aurelianensi subscribentē anno 533. & deinceps. Nos pro additione Vetustissimo nostro martyrol. suscipimus.

VI. Kal. Septembris.

IN Antiochia natalis Sanctorum Sabasti. Alexandri Abbatis. In Lucania Potentia Civitate Sanctorum Felicis. Aronti. Sabiniani. Honorati. Et in Capua natalis Sancti Rufini. Romæ natalis Sanctorum Hermetis,& Basillę. In Constantinopoli natalis Sanctorum Olij,& Stephani Diaconi. In Turna Civitate natalis Sanctorum Marcellini Tribuni, & Mannis Vxoris eius, cum filijs. Iohanis, & Serapionis. Clerici,& Petri militis. Et alibi xl.martyrum, qui de Gręco in Latino translati sunt. *In Gallia Arelato Ciuitate depositio Sancti Cæsaris Episcopi. Augustiduno natalis Sancti Syagri Episcopi.*

AVGVSTI 27.

EX Antiochenis martyribus duos tantum Sabastium, & Alexandrum exhibēt libri nostri. Emeritam ita addit M. Corbeiensis. *vi. Kal. Sept. In Antiochia natalis Sāctorum Sabasti, Alexandri Abbatum.Emerita. In Lucania Potentia Ciuitate natalis Sanctorum Felicis, Aronti, Sabiniani, Honorati. Et in Capua natalis Sanctorum Rufi, Magni. Roma natalis sanctorum Hermetis,& Basillæ,Iulij.Constantinopoli natalis sanctorum Marcellini, Tribuni,& Mannis vxoris eius, cum filijs eius Ioanne, & Serapione: Clerici, & Petri militis. Et alibi quadraginta martyrum, qui de Græco in Latinum translati sunt. Arelato Ciuitate depositio S.Cæsaris Episcopi, & Confessoris. Augustiduno natalis sancti Syagrij Episcopi.* Abbates ambos fuisse SS. Martyres Antiochenos, ex Corbeiensis martyrol. adducto laterculo videtur eduei, sed Abbatis titulus Alexādro tantū tribuitur in libris nostris. Vetustissimū Antuerpiēse,Sabbatium, & Alexandrum sine alia additione ita exhibet. *vi. Kal. Septembris. In Capua natalis Rufi. In Antiochia Sabbati, & Alexādri & in Lucana Ciuitate Potentia, Felicis, Aronti, Saviani,Honori. Romę Hermetis, & Basilla, Stephani. In Thomis ciuitate Marcellini Tribuni, & Manis vxoris cū filiis Ioanne,Petro,& alibi natalis x.martyrum. Galliis Arelatis depositio Cæsari Episcopi,Augustodani depositio Sancti Episcopi.* Ex nomine autē Sabbatij dubitari subijt, an Abbatij superadditus titulus cōflatus fuerit; Abbatis quidē dignitas recētiora persecutionū tēpora respicere videtur,passim iā cōditis asceterijs. Sabastius,Alexāder,Sabbatius,& Emerita Antiocheni martyres essēt,si alicuius antiqui codicis fides clarior accederet. Sabbatium socium Trophimi, sed antę ipsum coronatum Antiochiæ Pisidiæ habet Menologium Basilij ad diem 18. Septembris, & hunc ipsum putarem.

In Lucania Potentię. Oppidum mediterraneum in Lucania Ptolomœo, & Antonio Potentia, sicut etiam nunc vocatur in Basilicata, quatuor martyres habuit, tam in codicibus nostris, quam Corbeiensi, & parua aliqua nominum varietate in martyrol. Antuerpiensi; sed qui apud Ferrarium,aliaq; martyrologia

silentio

silentio involuntur. Horum tantum antesignandum Felicem nominatim exprimit ms. Reginæ Sueciæ reliquos Arontiũ, Sabinianũ, & Honoratũ tãquam anonymos sub vna collectione ita comprehendit, *vi. Kal. In Lucana natalis S. Felicis cum aliis tribus.*

Capuæ. Hac ipsa die vj. Kal. Septemb. in codicibus sacramentarijs Remensi, & Ratoldi apud Menardum natalis S. Rufi recolitur, & in orationibus martyr nuncupatur. Discipulum fuisse S. Apollinaris testantur martyrol. Romanum cum Vsuardo, Adone, & Notkero, qui apud Canisium ex lacuna aliquorum dierum in hodiernis fastis emergit. Episcopum pariter, & martyrem cum Romano martyrologio venerantur Galesinius, & Ferrarius, qui S. Prisci primæ illius ciuitatis Episcopi successorem fuisse addit, ex monumẽtis Ecclesiæ Ravennatensis, & Capuanæ, & vitã eius breviter percurrit. Vir clarissimus, & vivẽs adhuc amicus noster Vghellius in Italia sacra T. vj. inter Capuanos Episcopum tertium numerat Rufum à S. Petro ordinatũ Episcopum Capuanum ex Santuario Monachi. Menardus idem negat, alibi legi, quam in martyrol. Romano, Rufum fuisse Episcopum, & mss. Corbeiensis Ecclesiæ producit, in quibus Rufus tantum martyr nuncupatur, neq; facile in duos eodem nomine, & eodem die Capuæ veneratos Rufos consentit. Sed alter non Rufus, sed Rufinus esse potuit, sicuti idem Menardus vocari fatetur in paruo martyrol. Rhemensi, sacramentario adnexo. Vtrumque tamen, hoc est Rufum Episcopum sub Nerone passum, vt habet Maurolycius, & alium cum Carpophoro martyrem sub Diocletiano, Rufum vocat martyrol. Romanum, sicut Diaconum fuisse ex Capuano Breviario addit Ferrarius, qui socium non Carpophorum, sed prius Calfurnium, deinde Carponium in Baptismo vocatum docet, sub Diocletiano, & Maximiano coronatũ. Magnum alteri ex Rufis socium addit M. Corbeiẽse, qui in nostro, & Vetustissimo desideratur. Petrus de Natalibus lib. 7. c. 119. dum Acta S. Rufi discipuli S. Apollinaris percurrit, de Episcopali dignitate, & socio tacet, ac decollatum Capuæ vi. Kal. Septẽbris affirmat. De S. Rufino Episcopo, magnæ sanctitatis viro, die præcedenti agit Ferrarius, quem tamen diem natalem translationis, esse non natalem obitus animadvertit. Cum tamen martyr ibi non dicatur, incertum mihi est, an Rufinus in codicibus nostris expressus sit, vel an *Rufi*, pro *Rufini* aliorum mss. fide potius legendum sit.

Romæ. Hermetem, & Basillam ex aliqua dedicatione Ecclesiæ, seu cœmeterij eidem communi, communem hodie venerationem habuisse, ex eo coniectari licet, quòd die sequenti Hermes, Basilla vero x. Kal. Octobris disiunctim venerentur in Antiquissimo fragmento Romani M. apud Bucherium, vt suo loco mõstrabitur. Cœmeterium SS. Hermetis & Basillæ commune, & vtriusq. nomine nuncupatũ docet Aringhius lib. 4. c. 34. vt supra dictum est vij. Kal. Sept. Basilla nobilis Romana martyr non potuit ante Hermetem cœmeterio nomen dare, cũ hæc sub Valeriano, & Gallieno agonem perfecerit, vt in Actis S. Eugeniæ legitur apud Surium To. 12. Hermes verò multo ante sub Hadriano via Salaria veteri sepultus fuerit, vt postridie docebimus. At cum plures sub Basillæ nomine martyres Romanæ fuerint, alia potuit esse vetustior, alia recẽtioris sæculi, vt quæ x. Kal. Octobris recolitur, sub Diocletiano, & Maximiliano coronata.

Constantinopoli. S. Villibrordi iam adductum M. Byzantinos hos martyres omittit, ex aliqua fortasse lacuna, quæ librario imposuit, vt Stephanum inter Hermetem, & Basillam Romanos martyres reponeret, qui Byzantinus Diaconus est in libris nostris, martyr tantum in Corbeiensi.

In Thumi. Tomis aptius legit martyrol. Corbeiense pro Vrbe inferioris Mysiæ in ora Ponti Euxini, de qua alibi. ita & martyrol. Romanum cum Beda,

Vſuardo, Adone, & Notkero, penes quē poſt aliquas decurtatas apud Caniſium pagellas, ita in huius latercŭli fragmento legitur. *Tomis SS. martyrum Marcellini Tribuni, & vxoris eius Mannæ, & filij ipſius Ioannis, & Serapionis Clerici, & Petri militis.* Ioannem, Petrum, & Serapionem filios Mannæ, & Marcellini vocat Romanum martyrol. Vſuardus, & Ado. Ioannem, & Petrum filios tantū vocat martyrol. Veteſtiſſimum. Apud Notkerum videtur Ioānes tantùm modò filius, Serapio ſeiunctim clericu, & Petrus miles; at *cum filijs* retinent libri noſtri. Nec pugnat, quòd diverſæ profeſſionis fuerint. Corbeienſe martyrol. legit *Elerici* pro alio martyre ante Petrum militem; ſed facilis lapſus librarij eſſet à voce Clerici in nomen Elerici. Petrus de Natalibus lib. 11. nu. 226. ex Veteſtis martyrologijs Tomitanos martyres quinque ſignat, & Serapionē clericum vocat. Ita etiam Maurolycius, qui ex corū actis ſub Clutiano Præſide, feris, ac facibus ſuperatis gladio percuſſos, & in ignē coniectos eſſe ſummatim narrat.

Et alibi xl. Martyres. Decem tantùm anonymos, & incerti loci martyres indicat martyrol. Veteſtiſſimum, in numerali nota decurtatum. Codices enim noſtri, ſicut & M. Corbeienſe quadraginta conſtanter retinent, alijs martyrologijs hac die præteritos. Quadraginta martyrum reliquias, per Neptem S. Baſilij divino monitu conceſſas, ex vrbe Cæſarea Cappadociæ à S. Gaudentio Epiſcopo Brixiano in Italiam tranſlatas, forte hac die recoli accidit. Huius tranſlationis nō modo ipſe S. Gaudentius meminit, ſed ædificata earūdem nomini Eccleſia, Homeliam dixit in eiuſdem dedicatione, & Hiſtoriam tranſlationis contexuit. De alijs quadraginta martyribus ad diem 3. Decembris agit Ferrarius, & hos Veronæ paſſos eſſe narrat, ex illius Eccleſiæ monumentis, ſub Diocletiano, & Maximiano, quæ adhuc venerari in Eccleſia S. Stephani affirmat. Sed de quadraginta martyribus ex Cappadocia, per S. Gaudentium Brixienſem Epiſcopum ad Eccleſiam ſuam tranſlatis, meminit in vita ipſius S. Gaudentij idem Ferrarius in catalogo SS. Italiæ ad diem 25. Octobris. De SS. quadraginta martyribus Sebaſtenis egimus cum Veteſtiori noſtro vij. Idus Martij, vbi ad Romanum martyrol. plura addit Baronius. Tranſlationis celebritatem hic indicare viderentur verba illa malè à librario appoſita, *qui de Græco in latino trāslati sūt*, legendū enim eſſet, *qui de Græcia in Italiā trāslati ſunt*; niſi potius ad eorum Acta viderentur referri, quæ ex Græcis codicibus ad latinos pervenerint, ſiue ex Homelijs S. Baſilij, ſiue eiuſdem fratris Gregorij Nyſſeni, ſiue S. Ephrem Syri. Quamquam enim xl. martyres paſſi ſint Sebaſtæ in Armenia, Cappadoces tamen omnes erant, & à ſanctis illis Patribus Græca lingua laudati.

In Gallia. De S. Cæſareo Epiſcopo Arelatenſi plura ad hanc diem Baronius refert: ſicuti, & de Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi. Additos ad Veteſtius martyrol. non dubito, quòd ſexto ſæculo intercurrente ſanctitate floruerint. S. Cæſarij vitam habet Surius T. 8. Petrus de Nat. aliqua de eo breviter notat lib. 7. c. 125. Plura Sauſſayus. Meminit vtriuſq. Hagiologiū Franco Galliæ Lebbei, vbi Siagrius dicitur, nō Suacrius, vt in martyrol. Veteſtiſſimo. S. Cæſarium Sammarthani xviij. Epiſcopum Arelatenſem numerant ab anno 524. ad 543. quo obijſſe docent die 27. Auguſti, & præ cæteris multa de eo cumulant. Syagrium verò Epiſcopum Æduenſem, ſeu Auguſtodunenſem decimum ſeptimum ab anno 567. plurimis proſequuntur. Vtriuſque Epiſcopi meminit etiam hac die Rabanus.

Romæ

V. Kal. Septembris.

ROmæ Via Salaria in Cimiterio natalis Sanctorum Hermetis. Basilei. Helie. Stephani Diaconi. In Alexandria natalis Sanctorum Polieni. Serapionis. Hermetis. In Constantinopoli natalis Sanctorum Alexandri Episcopi, & Viviani Episcopi. In Africa Ciuitate Ippone regio Depositio Sancti Augustini Episcopi, & Confessoris. In Territorio Aruernis Vrbi Brivatinse natalis Sancti Iuliani martyris. *Santonis Ciuitate depositio Sancti Iuliani Episcopi, & Confessoris.*

AVGVSTI 28.

VIa Salaria veteri Hermetis cœmeteriũ fuisse extra Vrbem Romam duobus præteritis diebus diximus. Hunc vero esse diem S. Hermeti sacrum, non modo Vetus Fronti calendarium docet *die 28. Hermes*, sed antiquissimum Romani M. fragmentum apud Bucherium mense Augusti *v. Kal. Hermetis in Basilla* (cœmeterio) *Salaria vetere*. Vnde videtur Basillam ibi prius habuisse cœmeterium, vel frequentius ita vocatum, tempore Liberii Papæ, quando creditur calendarium, siue martyrologium illud scriptũ fuisse. Recentius vtique cogeremur dicere Hermetis cæmeterium fuisse, si illud Pelagius circa annum 577. construxerit, vt habetur in libri Pontificali, & ad calendarium suum notat Fronto. Adrianus vero primus *Basilicam cœmeterij SS. Hermes, Preti, & Hyacinthi, atq. Basillæ miræ magnitudinis innouauit*. Additi ad Hermetem socij alterius classis sunt sub Basilio antesignano, si Vetustissimo martyrol. S. Villibrordi ita credimus. *v. Kal. Septembris. Romæ Hermetis. Et in Africa depositio Faustini Episcopi, & Augustini Ippone Ciuitate. Item Romæ Basilei, Heliæ, Stephani, Diaconi. In Alexandria Polici, Serapionis. Constantinopolis Alexandri Episcopi, Viviani Episcopi. In Aruirnia S. Iuliani martyris, Seantonas depositio S. Viviani Episcopi, & Confessoris*. Alium Hermetem numerãt libri nostri inter martyres Alexandrinos, cuius loco Pollionem ita habet M. Corbeiense. *V. Kal. Sept. Roma Via Salaria vetere, in Cimiterio natalis sanctorum Hermetis, Basillei, Heliæ, Stephani Diaconi, Pollionis. In Alexandria natalis sanctorum Polieni, Serapionis, Iustillæ. Constantinopoli depositio sancti Alexandri Episcopi, & Viviani Episcopi. In Territorio Aruernis Vrbis, Vico Brivate, natalis sancti Iuliani Martyris. Santones Ciuitate depositio sancti Viviani Episcopi, & Confessoris. In Africa Ciuitate Hippone Regio, depositio S. Augustini Episcopi, & Confessoris*. S. Hermes clarissimus martyr in omnibus ferè martyrolog. memoratur, & de eius Actis aliquid prælibatur. Is Vrbis quondã Præfectus, ab Alexãdro S. Põtifice ad Christi castra traductus, coronam capitis abscissione promeruit eiusq. sepultura ita in S. Alexandri historia narratur, *Qui cũ ab Aureliano decollatus fuisset, corpus eius Theodora collegit, & in Salaria veteri sepelinit non longe ab Vrbe Roma die v. kal. Septembrium*. Aurelianus non vtique Imperator erat, sed Iudex. Martyrium enim S. Hermes fecit sub Hadriano.

Constantinopoli. Natalem S. Alexandri Episcopi Constantinopolitani, cuius præcibus Arrius crepuit medius, omnis ferè martyrologia recolunt, in primis

Roma-

Romanum, ad cuius notationes cumulat Baronius omnia, quæ scitu digna de tam illustri Confessore videntur. Vivianum cum Alexandro Episcopum addūt libri nostri, Corbeiense, & Vetustissimum M. Antuerpiense, quem distinctum esse à Viviano, seu Iuliano apud Sanctones infra relato, non dubitarem, sed nihil hic addendum succurrit.

In Africa. Hippon Regius dicitur hæc D. Augustini sedes in codicibus nostris, vt ab Hippone Diarrithos, cognomine pariter vrbe Africæ, distinguatur. De Sancto, ac celeberrimo Ecclesiæ Doctore D. Augustino nota sunt omnia, satiusq; duxi de eo hic nihil potius, quam pauca dicere. Videndus Baronius, tùm in notis ad martyrol., tùm in Annalibus. Vitam eius scripsit Possidius, siue Possidonius, vt alij codices habēt, eiusdē discipulus, Episcopus deinde Calamētis, & de sācti eius corporis trāslatione Oldradus Archiepiscopus Mediolanēsis apud Suriū. De S. Faustino Episcopo eidē dato comite in M. Vetustissimo nihil hucusq; addendum habemus.

Aruerni. Pro Vrbe Brivatense reddendum in libris nostris est Vico Brivatense. Ita enim scribit Gregorius Turonensis, qui fusiùs de S. Iuliano martyre Viennensi cum S. Ferreolo agit, etiam apud Surium T. 8. Briuate scribit apud Aruernos martyrol. Corbeiense, cum cæteris latinis, & Romano M. vbi consulendus est Baronius, & hac die videndus etiam Saussayus. Diem solemnita is eius diuinitùs revelatum, *V. kal. Mensis Septimi*, habet idem Gregorius.

Sanctonis. Iulianum, vt in libris nostris scribitur, vocat etiam Bellinus de Padua, alij Bibianum, & Vivianum dicunt. Superadditum S. Episcopum venerarur etiam martyrol. Romanum, vbi doctissimus Baronius scriptores illū celebrantes cumulat. De eo passim agitur à Sacræ Galliæ scriptoribus, & secundus Santonensis Episcopus est apud Sammarthanos.

IV. Kal. Septembris.

PAusatio Sancti Heliseī Prophetæ, discipuli Sancti Heliæ. In Provintia Palestina Civitate Sebastia natalis Sancti Iohanis Baptistæ, & aliorum natalis Sanctorum dcccc. Martyrum, qui eadem die passi sunt. In Syrmie natalis Sanctæ Basillæ Virginis. In Antiochia Syriæ natalis Sanctorum Nicei, & Pauli. Romæ via Hostiensi Felicis. Candidi. Forigæ. Adaufiæ. Gemelline cum socijs eorum, & Translatio corporis Valentini Episcopi.

AVGVSTI 29.

SAncti Ioannis Baptistæ natalem diē silet in hodiernis Tabulis martyrol. Corbeiense, eo quod in sequētem diē trāspositurit; attamen de S. Heliseo Propheta, alijsq; cœlitibus de more ita agit. *iv. Kal. Sept. Pausatio S. Heliseī Prophetæ. In Syrmia natalis S. Basilissæ Virginis. In Antiochia Syria natalis SS. Niceæ, Pauli. Romæ via Ostiēse natalis SS. Felicis, Candidæ Virginis, Fericiæ, Adaufiæ, Gemelline cum socijs eorum. Passio S. Sabinæ martyris.* Non tamen siluit M. Vetustissimum hoc ordine. *IV. kal. Septembris. Passio S. Ioannis Baptistæ, & aliorum DCCCC. martyrum. In Sirmi Basillę Virginis. Antiochia Syriæ Nyci.*

Nyci, Pauli. Roma Felicis, Candidæ, Farinæ, Adaviſæ, Gemellinæ. Vſuardus non diem Paſſionis, vel Decollationis eſſe concedit S.Ioannis Baptiſtæ, ſed Edeſſenam ſacri capitis inventionem, quam etiã videtur cõprehẽdere mſ.Reginæ Sueciæ. *IV. Kal. Decollatio S.Ioannis Baptiſtæ, qui primo in Samaria conditus, nunc in Alexandria. Porro caput de Hieroſolymis ad Phœnicem vrbem Emiſſam delatum, &c. Et depoſitio Eliſai Prophetæ. S. Sabinæ Virginis, & Martyris.* Eadem fere, & ijſdem verbis habet de S. Ioanne Baptiſta Notkerus infra adducendus, qui de S.Eliſeo propheta omnino ſilet. S. Eliſeum recolit martyrol.Romannm 14. die Iunij, vbi aliqua notat Baronius, & latinorum martyrologia adducit. Ioſephus Hebreus lib.9. cap. 8. antiq. teſtatur S.Eliſei ſepulcrum apud Iudæos fuiſſe venerabile, defuncto etiam corpore prodigioſe ad vitam revocato. S.Epiphanius in Hiſt. Prophetarum, ita S. Eliſei pauſationem ſignat. *Cæteram omne debitum ſolvens in Sebaſtapoli Samariæ ſupremo honore affectus eſt.* Incertus qua propter ſubſtitiſſé ad verba illa, quę poſt memoriam Heliſei in noſtris libris adduntur *in provincia Paleſtina Civitate Sebaſtia*, tanquam quæ, tam ad Eliſeum, quã ad Ioannem Baptiſtam referri poſſent, niſi eadem prorſus ad diem 24.Iunij de S.Precurſore ſcriberentur. Quia tamen video penes recentiores, tam paſſionis locum S.Ioannis Baptiſtæ, quam tempus præciſum in dubium vocari, placuit de more in re dubia, poſt huius latercuſi reliquas notationes, immorari nonnihil, & exerceri.

Et aliorũ. Ita SS.martyres nongẽti cũ celebritate S.Ioa: Baptiſtæ connectũtur, vt non modo eodem die, ſed eodẽ etiam loco videantur aſcribi. Tantam cælitum turbam hic ſilet martyrol. Corbeienſe, quòd eam ſequenti die recenſeat. Non tacuit tamen martyrol.Veruſtiſſimum, & cum Paſſione quidem S. Ioannis Baptiſtæ copulauit, non tamen locum ſignauit, quem martyrol. Corbeienſe incertũ notat *Alibi* ſequenti die. Reliqua edita martyrolog. eoſdem prætereunt. Samariæ mille quingentos octuaginta martyres ſub Coshroe Rege Perſarum recolit Romanum martyrol, die 22. Iunij. Sed neque numerus, neque dies venerationis congruit.

In Syrmia. Dum vario modo plura martyrologia, & nomen, & locum paſſionis S. Baſillæ Virginis indicant, nihil de eiuſdem actis inſinuant. Bellinus de Padua habet *in Syria S.Baſillæ*, & eadem verba repetit Molanus in additionibus ad Vſuardum. Baſillam cum libris noſtris vocat martyrol. Romanum emendatum, ſed apud Smyrnam, vbi Baronius teſtes advocat Romanum aliud M. & manuſcripta. Maurolycius ex veteribus libris legit *Syrmii nat. S. Baſillę*, Baſilam, & in Syrmio retinet etiam Petrus de Natalibus lib.11.n.231. In loco convenit martyrol.Corbeienſe, ſed Baſiliſſam per Baſilla exhibet. Veruſtiſſimum cum M.noſtro omnino convenit, & in nomine, & in loco vrbis Sirmij in Pannonia inferiori, de qua alibi diximus.

In Antiochia Syriæ. Niceam, & Paulum martyres Antiochenos recolit etiã Romanum M. ex mſſ. antiquiſſimis, & Molano in additionibus ad Vſuardum. Eorundem tamen meminerunt, ante Molanum, Petrus de Natalibus lib.xi.n.230. Bellinus de Padua, & Maurolycius. Niceum vocant libri noſtri non Niceam, & Nicium martyrol. Veruſtiſſimum.

Romæ Via Hoſtienſi. Nomen Felicis, & Adaufiæ, inter Romanos Oſtienſis viæ martyres, librarios aliquos puto mouiſſe, vt ſcriberent Felicis, & Adaucti, quos potius die ſequenti cum alijs mſſ. recolunt codices noſtri. Plurimos martyres, Felicis nomine inſignitos, in omnibus martyrologijs facile eſt nanciſci, & cum diuerſis ſocijs. Hìc ſanctæ martyres illi ſociæ additæ, Felicis promiſcuum, tam fœminæ, quam maſculo nomen, mulierem hanc fuiſſe ſuaderet, & illarũ anteſignanã eſſe. Libri quidẽ noſtri Candidũ ſecundo loco inter Oſtienſes cælites numerant

merant, sed Candida hæc est Vetustissimo martyrolog. & insuper Virgo etiam M. Corbeiensi. Petrus de Natalibus lib. xi. n. 229. non indicato loco Candidam virginem in pace quieviſſe habet 4. cal. Septembris. Qua etiam die Bellinus de Padua, & Maurolycius ex Vsuardo S. Candidam virginem recolit. Romæ autē tribuunt M. Romanū, & Galesinius, additq. in notis Cardinalis Baronius in marmorea tabula Ecclesiæ S. Praxedis Romæ inter alios martyres etiam S. Cādidam numerari. Cur vero Felicem, Gemellinam, Forigam, siue Foriciam, siue Furinam, Adausiam, siue Adausiam cum anonymis socijs, in nostris, & adductis codicibus indicatas, reliqui prætermiserint, incuriosos librarios culparem. Notkerus, qui vt plurimum vetustioris M. vestigijs insistit, de his omnibus silet, & tantumodo S. Sabinæ celeberrimæ Romanæ martyris acta indicat. Hæc quæ in Corbeiensi martyrol. prostat, in vetustissimo, & nostro desideratur.

Translatio Corporis S. Valentini. Duo S. Valentini Episcopi in Martyrologio Gallicano Saussaij memorantur, vnde suspicio emersit, hoc de more esse Francici antiquarij additamentum. Alter n. Treuirensis Episcopus, & martyr 17. cal. Aug. alter Tungrensis signatur 7. Idus Iunij. Huius natalem celebrari cum Candido Episcopo docet 8. Idus Februarij, illius inventionem 4. Nonas Martij. Valentinum martyrem, sine Episcopali titulo in Monasterio Frontonaco recolit Hagiologium Francogalliæ Lebbei calendis Septembris. Valentinum confessorem non indicato loco producit cum S. Maximiliano martyrol. Romanum die 29. Octobris, ex veteribus mss., & Molano in Addition., vt ibi notat Baronius. Sed Molanus vtrumque recolit in Patauiensi Ciuitate, hoc est Patauiæ in Norico, cuius S. Valentinus est Patronus. Diuersos tamen hos putat Ferrarius in notationibus ad diem 7. Ianuarij, & huius memoriam agit die 4. Augusti in catalogo Generali. Cuius nam S. Valentini Episcopi ex adductis, hæc translatio sit, dum locus venerationis non additur, me fateor ignorare. S. Valentinum Argentoratensem Episcopum quarto loco referunt Sammarthani T. 2. Galliæ Christianę ex Godefrido Henschenio in Diatriba de tribus Dagobertis Francorum regibus, & ex Vvimphelingio sanctū nūcupatum, & quem cum alijs prædecessoribus inter diuos receptum arbitratur, an & huius hic memoretur trāslatio, me prorsus fugit.

De loco, & die, quo natus, & sepultus est S. Ioannes Baptista.

EXERCITATIO XIII.

Vm aliqua de S. Præcursoris natali, seu Martyrij die dicta à nobis sint IIII. Calendas Iulij, pluraq; de Castro Macheruntę vbi capite ab Herode Antipa, seu Tetrarcha minutus est, vj. calendas Octobris dicenda sint, cum in martyrol. Vetustiori nostro, & alijs mss. codicibus, idem Macheruntis castrum, siue vrbs, ab Herode Alcolonita ibi condita, conceptionis locus dicatur, hic paucis contenti erimus. S. Ioannem Baptistam verè martyrem fuisse docet Suar. disp. 24. sect. 4. Sed de martyrij loco, & tempore varia à varijs producuntur. Salianus alioquin in sacra historia

storia versatissimus Iosephum traducit, quòd scripserit S.Ioannem Baptistam ab Herode in Macherunte Castello, carceribus mancipatum, ibiq. occisum, quoniam castrum illud *in finibus Arabiæ situm* fuerit, & ex hoc capite erroris illum arguit ad annum 4083.num.v. At malè Salianus in hoc Iosephum reprehendit. Erat enim Macherus celeberrimum castrum Regni Iudeæ trans Iordanem, ab Alexandro Rege munitum, & ab Herode Ascalonita restauratum, vt idem Iosephus narrat, & ex eo, & alijs nos latè infra ostendimus Exercitatione XIV. Iure quidem in Iosephum inuehit Salianus de causa impiæ necis ab Herode perpetratæ, cum in ea adducenda ab Euangelica historia dissideat. Refert ille, quod cum magnus populorum concursus fieret ad Ioannem, plebsq; auida doctrinam illius susciperet, veritus sit Herodes, ne forte illius persuasione populi tumultuarent, & à regno suo secederẽt, ac inde melius crediderit, priusquam noui aliquid fieret præuenire hominem nece, & ex sola hac suspicione vinctum in Castellum Macheruntem abduxisse Ioannem, ibiq. neci dedisse. Verùm Herodiadis consilium, & ferinum odium narrant Euangelistæ, ex correctione, quòd Herodi non liceret habere vxorem Philippi fratris, & stultum illius iusiurandum, & incautã promissionẽ puellæ saltatrici præstitam, cuius vinculo, dum vel consultò voluit, vel se astrictum putauit, ne à regijs promissis cadere videretur inter primores regni, impiam obtruncationem mandauit. Galileæ quapropter necatum, & ibi prius in vinculis positum contra Iosephum concludit Saluianus anno sequenti 4084. numero 19. Licet enim Herodes Tetrarcha esset Galileæ, ibiq; ius diceret, idque verisimile redderet, Ioannem Galileæ in vinculis fuisse positum, ibiq. obtruncatum: cum tamen idem Herodes regionem trans Iordanem etiam regeret, & insigne Macheruntis castrum eiusdem ibi iuris esset, vt non modo ex eodem cap. 9. & x. lib. 18. Antiquitatũ Iudaicarũ apertè deducitur, sed ex pluribus in adducta exercitatione conuincitur, frustra Iosepho mendacium impingitur. Neque Macheruntinæ tantum arci dominabatur Tetrarcha Herodes, sed quã maximè congruum erat, vt in Regia ibi ab Herode patre constructa, & munitissima arce, tunc temporis permaneret. Iam Herodiadis incesto, insanoq. amore captus Herodes, propriam, legiptimamq. vxorem Arethæ Regis Arabum filiam abijcere secretò adulteræ spoponderat. Præsciuit vxor futuram sibi ignominiam, & consulto patre, blandis verbis ab Herode impetrauit secessum ad Macheruntis castrum, & fortè propter vicinam Callirhoem simulauit balnei delicias. Permisit Herodes, ac ibi in limite Iudeæ cum Arabia à ministris Arethę susceptа, ad patrem futuræ expulsionis conscium deducitur. Hinc inter Arethaм, & Herodem cruentum bellum exarsit, & ex insigni victoria iam Arabis parta, non difficile cogebatur Herodes fines suos in fortissima arce, vbi Regia erat, etiam sua præsentia tueri. Hæc non difficile reddunt, Ioannem ibi in vinculis positum custodiri, dum regni proceribus, qui eum ad bellum sequebantur, natale conuiuium Herodes fecit, in quo deinde iustus ille fuerit mulierum insidijs obtruncatus. Ex Euangelio sanè constat mentem Herodis non fuisse, vt illum perderet, sed custodiret, ne populi circa Iordanem, vbi Ioannes prædicabat, occasione belli ab illo decederent, vt narrat Iosephus. Poterat enim Herodes timere, ne dum Sanctus non modo in eo incestas huptias reprehenderat, sed *de omnibus malis quæ fecerat*, obiurgauerat, plebs ad virtutem à Ioanne erudita in publicum legis præuaricatorem insurgeret, quod re vera cum Euangelica historia non videtur pugnare; Lucas enim inquit cap. 3. *Herodes autem Tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes, adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannẽ*

in carcere. Facile est ab Herodiade instigatum, nam ex Marci cap.6. *Herodias insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioãnem, sciens eum virum iustum, & sanctum, & custodiebat eum*. Non tantum igitur Herodes propter publici criminis acrem reprehensionem in vinculis Ioannem arctauerat; sed custodiebat quia eum timebat; timor autem non ex proprijs Ioannis viribus emergebat, sed ex populo sancto Prophetæ addicto; timebat quippe plurium sibi malorum conscius, ne deuota plebs, & ad iustitiam erudita à sua obedientia discederet, ac proinde ad securitatem carceri Ioannem mancipauerat. Nam *& custodiebat eum & audito eo multa faciebat, & libenter eũ audiebat*, idq. propter populi timorẽ: iratus quidẽ erat propter obiecta crimina, *& propter Herodiadem uxorem fratris sui*, quæ eum summo odio prosequebatur, sed volens eum occidere timuit populum, quia *sicut prophetam eum habebant, seditionem quippe populi verebatur propter Ioannem, à quo sciebat turbas in Iordane plurimas baptizatas*, inquit D. Hieronymus ad caput illud Matthei. Errauit ergo in hoc Iosephus, quia nescierit Herodiadis artibus Baptistam fuisse peremptum, quem metu tantùm turbationis regni obtruncatum putauit. Facile quidem fuisset callidæ mulieri in eius amorem irretitum Herodem suadere, vt Ioannem metu populi a populo abstraheret, & custodiret, vt ipsa interim opportunitatem nacta illum etiam perderet. Quod re vera accidit, *Cum vesana mulier amatorem suum ad id conuiliisset*, vt habet auctor Orationis de asportatione manus S. Ioannis Antiochiam apud Metaphrastem. Conuiuium Herodis non tantum Galileis paratum fuit, vt in Galilæa necem Ioannis fuisse perpetratam conuincat Salianus, sed magis principibus, & militũ tribunis, quod præsens fuisse bellũ cõfirmat, cœnã natalitiam parauit apud Marcũ cap.6. *Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit Principibus, & Tribunis, & primis Galileæ*: opportunus nempe dies artibus Herodiadis, vel Herodi ex condicto. Sunt enim qui existiment iusiurandum Herodis non stultum fuisse, sed callidum, & cum Herodiade consultum, vt Ioannem sub pallio seruati iuramenti perderet, ac se in procerum conspectu apud populum de nece iusti viri purgaret. In Macheruntinis ergo tutissimis carceribus, & munitissima arce ad populi tumultus fugiendos Ioannes primùm custoditus, deinde *in carcere*, vt Matthæus habet c. 14. obtruncatus fuit. Caput seorsim datũ puellæ, & à puella matri suæ, vt idẽ Marcus addit, ac seorsim etiam in terra absconditũ: reliquũ verò corpus ab Herodiade quòpiam abijci iussum, & à discipulis furtim sublatum, vt habet Nicephorus lib.2. Hist. cap.9. ijdẽ discipuli venientes tulerunt, & posuerunt illud in monumento, vel vt Syriacus habet *audierũt discipuli eius, & venerunt, sustuleruntq. truncum eius, & posuerũt in domo sepulcri*. Erat autem non longe Iesus, vel à loco mortis, vel à loco sepulcri, nam ijdem Ioannis discipuli, ex Mattheo cap.14. *Tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud, & venientes nunciauerunt IESV*. Caput non Macherunti in regia domo profundè ab Herodiade sepultum remansit, vt docet Nicephorus, & auctor commentarij de S. Propheta apud Metaphrastem cap.21. sed metu proximæ resurrectionis ab Herode Hierosolymam transpositum, ac in propria domo humatũ ob timorẽ, ne propheta resurgeret, si corpus cum capite sepultum esset, vt refert Petrus de Natal. lib.7. cap.132. ex lib.xi. Hist. Ecclesiasticæ. Verisimile autem est discipulos truncum cadauer, (ne decenti sepultura careret, vel ne Herodiades, summo in Ioannem odio flagrans defuncto illuderet, quemadmodum discriminali acu, sancti linguam cõfodisse auctor est S. Hier. aduer. Ruffinum lib.3.) in locum extra Herodis ditionem tumulandum detulisse, & vt vetus habet traditio plurimorum scriptorum testimonio roborata in Vrbe Samariæ Sebaste, nuper

ab

ab Herode Ascalonita, vel ædificata, vel restaurata posuerunt. Ita D.Hieronymus testatur epist. 27. dum iter Paulæ describit. *Vidit duodecim Patriarcharum sepulcra, & Sebasten ideſt Samariam, quæ in honorem Augusti ab Herode Graco sermone Augusta est nominata. Ibi siti sunt Helisæus, & Abdias Propheta, & quo maior inter natos mulierum non fuit, Ioannes Baptista*, pergens deinde narrare quantum ante eorum sepulcra energumeni, quasi ibi adhuc S. Ioannis ossa quiescerent, torquentur. Ruffinus è contra eiusdem S Hieronymi antagonista lib. xi. hist. eccles. dum sub Iuliano narrat paganos in omnem sæuitiam efferbuisse, inquit, *Accidit, vt apud Sebasten Palestinæ vrbem sepulcrum Ioannis Baptistæ mente rabida, & funestis manibus invaderent ossa disperderent, &c.* Ex qua dispersione collectas reliquias Hierosolymam delatas fuisse addit ad Athanasium, licet D.Hieronymus etiam ad cap. 1. Abdiæ, videatur asserere, reliquias S.Ioannis in Samaria adhuc fuisse repositas. Sebastæ, siue Augustæ Samariæ corpus præcursoris fuisse humatum in loco, quo prius erat alterum sepulcrum Prophetæ Elisæi, docet auctor encomij apud Metaphrastem, extructũ, ibi deinde insigne templũ addit, quod tractu temporis defluẽs, in solam domunculã euaserit, *quæ vocabatur sacrorum vasorum custodia, in qua etiam inclusi loculi prophetarum conseruabantur*. Ab Apostolorũ tẽporibus ibi etiã Ioannis sepulcrũ fuisse tradit, dum Lucas Euãngelista tactus desiderio transferendi sacrum illud corpus ex vrbe Sebastena Antiochiã, explere votũ non potuit, *quoniã diligenter seruabatur, ablata manu dextera eã portauit in suã ciuitatẽ* Antiochiã. Verũ non pugnat, Monacos Hierosolymam ex Rufino aliquas collectas reliquias transtulisse, aliquas à Sebastenis fidelibus recollectas in eodẽ sepulcro repositas, D.Hieronymi æuo adhuc ibi venerari. Magis pugnat cum veteribus Historicis, quod Græci recentiores asserunt, nimirum ibi fuisse in vinculis positũ Ioannem, & obtruncatũ, cũ sacellũ illud subterraneũ quod adhuc ostenditur Sebastæ in Samaria, locus sit sepulcri, non carceris, quem in alia semidiruta Ecclesia Græci Monaci ostendunt, vbi domum regiam Herodis fuisse prædicant, quemadmodum habetur in nuperis Petri à Valle itineribus. Sed Herodis senioris, & Ascalonitæ conditoris Regia domus illa erat, non Antipæ Herodis, & Tetrarchæ, qui nullum Ius in Samaria obtinuit. Quippe quòd post mortem senioris Herodis medietas regni in Archelaum peruenerit, hoc est Idumæa, Iudæa, & Samaria: in qua regione Sebastam præcipuè Iosephus numerat lib. 17. cap. 17. dum hæc eadem refert. Et cum post Archelai decennium Syriæ dispensationi adiunctam regionem illam narret Iosephus, tempore inceptæ à Ioanne prædicationis, Pilatum eidem præfuisse, Philippo adhuc viuente, certum est, quintodecimo Tiberij anno. Quare frustrà Ioannes in vinculis Samariæ, siue Sebaste quæritur, si ab Herode Tetrarcha Galileæ in carceribus positus capite minutus est. Si verò, vt traditio illa Græcorum habet, Samariæ aliquãdo in vinculis Ioannes ad Herodis voluntatem detentus fuit, id necesse est accidisse ex Pilati permissione, vt Herodi Macheruntem perducendus traderetur, quemadmodum idem Pilatus Christum, quia Galileus dicebatur, ad Herodem Hierosolymis commorantem remisit, idque forte, quia Ioannes trans Iordanem natus, ex natura subditus esset Herodis, vt exercit. XIIII. satis probabile duximus. Atque hoc sensu intelligenda velim, quæ diximus ad diem 24. Iunij, dum ex regia vrbe Samariæ in Macheruntem cum Herode ad maiorem custodiam fortasse transpositum diximus, non quòd ibi Tetrarcha Herodes ius vllum habuerit, sed quòd ad Sebastenam traditionem retinendam, ibi in carceribus, iussu Pilati ad aliquod tempus detentus, mox Herodi consignatus fuerit. Errandi mihi præbuit occasionem adductus supra auctor Orationis de exportatione manus dexteræ S.Ioan-

nis Antiochiam cap.7. qui post narratam Sebastenæ vrbis ab Herode seniori cõditæ historiam, scripsit in ea post illum obtinuisse Principatum Tetrarcham Herodem filium, ibiq. fixisse *regiam, in qua etiam fuit illud conuiuium, quo Propheta fuit occisus, & iuxta quam fuerat in vinculis hic Sacer Propheta in quodam tenebroso reorum domicilio*. Admiseram enim Ioannem ibi in vinculis positum esse potuisse, non verò ibi obtruncatum. Sed re vera nullum ibi ius habuit Tetrarcha Herodes, nisi illic priuatam domũ habuisset, vt Hierosolymis tempore passionis dominicæ. Vti certum quidem suscipio ex allatis scriptoribus, S. Præcursorem Sebaste fuisse à discipulis tumulatum inter duos Prophetas Elisæum, & Abdiam in Ecclesia eidem dedicata, quam Mahumetani, seruant adhuc, vt Zuallardus, qui Terram sanctam perlustrauit anno 1586. testis est in Hierosolymitano Itinerario, & post eum Aquilantes Rocchetta anno 1596. & postremò Petrus à Valle. Non silebo tamen Aquilantem Rocchettam in suo Itinerario Terræ Sanctæ Tract.2. cap.25. n.xi. accuratè narrare de Sebastena vrbe nihil reliquum esse, præterquã in angulo dextro Vicum paruum Arabum domicilium, à quo in colle adhuc dirutæ Ecclesiæ pars conspiciatur, murus, nempe sacelli, per quod aquæductus excurrit desinens in Tumbam marmoream, vbi discipuli Ioannis ipsius præceptoris corpus reposuerunt inter Elisæũ, & Abdiã, & vbi ostenditur alia marmorea pila, in qua dicunt S. Ioannem Baptismum ministrare consueuisse: neq. carceris ibi Rocchettus meminit. Loco igitur vbi Præcursor Domini martyrium fecit, & vrbe, in qua à discipulis sepulturæ traditus est, ita cõstitutis, Natalitius passionis dies, non minimis ambagibus involutus, remanet inquirendus. Iuxta Paschalem celebritatem ex Beda in Marcum cap.6 Baptistam capite truncatum sentire videtur Baronius T.1. ann.33. n.1. & ex Ioannis Euangelio colligit n.9. Salianus verò ad annum mundi 4088. Christi verò 32. n.21. ex Nicephoro lib.1. Hist. cap.19. martyrio Ioannem coronatum existimat circa anni finem, nimirum ex Nicephori interprete *triginta, & duobus annis, & mensibus insuper sex munere in terris suo explendo peractis*. Quod præter adductũ à Saliano Nicephorum, prostat etiam apud vetustiorem Metaphrastem in Comm. de S.Ioanne penes Surium T.8. cap.32. vbi sanctus eius obitus signatur *cum triginta duos annos, & sex menses peregisset in terra*. Cum ergo Ioannes Saluatorem nostrum sex mensibus ætate præcesserit, iam natus 24. Iunij, obijsse palam esset in ipso nati Domini pervigilio 24. Decembris. At antiqui codices latini IIII. Kalend. Septembris Decollationem capitis Sancti Ioannis Baptistæ recolunt. Ita Sacramentarium Gregorij, tam apud Pamelium To. 2. Liturgicorum, quam à Menardo editum, & notis illustratum IV. Cal. Septembris retinet *eadem die Decollatio Sancti Ioannis Baptistæ*, quam pluribus additis orationibus in mss. codicibus Rodradi, Ratoldi, & Remensi, etiam memorari testatur idem Menardus. Inter Vetustiores Martyrologos Beda editus 4.*Cal.Sept.* habet. *Passio & Decollatio, vel potius inuentio capitis B. Ioannis Baptistæ, quem Herodes, vt Euangelistæ referunt, decollari præcepit*. Cum tamen purum illud esse Bedæ martyrologium viri docti non consentiant, audiendus potius ille est ex Retractationibus in Acta Apost. cap.1. vbi post quam statuit Ioannem obtruncatũ fuisse imminente festiuitate Paschali, ita de festo Decollationis in antiquis codicibus, & martyrologijs signato 4. cal. Sept. inquit. *In libro Sacramentorum natale eius 4. Calendarum Septembrium denotatum est. Et in Martyrologio, quod Eusebij, & Hieronymi vocabulis insignitum est, legitur, 4. Cal. Septembris. In Edesse Emesa ciuitate Phenicię Prouincię natale Ioannis Baptistæ die, quo decollatus est: non specialiter ipsum diẽ Decollationis eius, sed diem potius, quo caput eius in eadem*

Edessa

Edeſſa ciuitate repertum, atq. in Eccleſia eſt conditum deſignans. Quod ex Marcellini Chronicis accepiſſe Beda profitetur. Verum Marcellinus in Theſauro temporum Scaligeri Indict. 6. Inuentionem capitis præcurſoris, Emeſæ factã, non 4. cal. Septembris, ſed 24. Februarij refert, media hebdomada ſacrorum ieiuniorum. Quapropter nequit intelligi, quomodo ex Marcellino Inuentio ſacri capitis ſit 4. cal. Septembris, cum ſecunda illa inuentio ſignetur die 24. Febr. Eadem ferè habet Vſuardus 4. Cal. *Decollatio, vel potius inuentio capitis Beatiſſimi Ioannis Baptiſtæ. Siquidem decollationem eius circa ſolemnitatem Paſchalem euenisſe, ex Euangelica comprobatur lectione, quæ tamen hic feſtinè colitur, quando caput eius repertum eſt ſecundò in Edeſſa (Emeſa) ciuitate, atq. in Eccleſia conditum*. Sed hæc videntur diſtare ab adducto Martyrologio Hieronymi, in quo 4. Cal. Septembris non modo inuentio capitis in Edeſſa Emiſena (Emeſam vbique lego) Phœniciæ recolitur, ſed additur celebritatem illam eſſe *die quo decollatus eſt*. Prima capitis inuentio per Monachos in loco, quo ſepultum fuerat, in Bedæ nomine edito Martyrologio, ita indicatur 6. cal. Martij. *Et inuentio capitis Præcurſoris tempore Marciani Principis, &c.* quod perlatũ eſt Emesã. Ex Bedæ retractationibus accepit Ado, tũ in libello de feſtiuit. Apoſtolorũ, tũ vi. cal. Martij, & ex martyrologio Euſebij, & Hieronymi, ex quo eadem verba profert, & interpretatur diem feſtũ illum 4. kal. Septembris eſſe quidem Decollationi dicatum, non ita tamen, quòd illa die capite Præcurſor minutus ſit, ſed quòd caput eius in Emeſa ciuitate repertum in Eccleſia illius vrbis conditum ſit. Verùm aliter Ado ipſe legit iiij. Cal. Sept. nempe, *eodem die veneratur Decollatio S. Ioannis Baptiſtæ, qui primò in Samaria eſt conditus, nunc in Alexandria*, quaſi huius diei ſolemnitas tranſlationis potius corporis Præcurſoris Samariam, & ſolemnis ibi ſepulturæ, quã capitis in Emeſena eccleſia fuerit, quamquam memor illius translationis, eiusdem memoriam, ita ſtatim addiderit, *Porrò caput de Hieroſolymis ad Phenicię vrbem Emisã delatum eſt*. Quæ omnia totidem verbis apud Rabanum etiam proſtant. Adonis veſtigia premit Notkerus, qui ex Beda, vel Marcellino comite hiſtoriam mutuatus, feſtum inuentionis, & translationis ſacri capitis ex Herodis regia domo Emeſam, putat incidere in vi. cal. Martij, quo die eandem cum Adone recolit: quarto verò Kal. Sept. in codice Caniſij interpoſita lacuna ſilet Notkerus, licet ad diem 24. Februarij ex Euſebij, ac Hieronymi martyrologio, 29. Auguſti diem eſſe decollationis videatur confirmare, ac ſimul docere, diuinum Præcurſorem obtruncatum fuiſſe imminente feſtiuitate Paſchali, in Caſtello Macheruntæ: corpus vero in ciuitate Sebaſtæ eſſe ſepultum, dum caput Hieroſolymis humatum fuit & Emeſam aſportatum, deinde Conſtantinopolim, ſicuti procedente tempore oſſa etiam translata Hieruſalẽ fuerunt, deinde Alexandriã. Ex vetuſtiori ergo capitis tranſpoſitione Hieroſolymam ex arce Macheruntis, & ex antiqua deinde translatione reliqui corporis, ab Vrbe Sebaſtena ad eandem Hieroſolymitanã, anſam errandi acceperunt, qui Ioannis carcerem in Herodis Regia, ac ipſius ſepulcrum Hieroſolymis fuiſſe exiſtimarunt, ſicuti qui ex ſubterranea Sebaſtena Ioannis ſepultura, ibi eſſe necatum crediderunt, vt cum auctore orationis adductæ de exportatione manus dexteræ Sancti Ioannis Antiochiã, tradunt etiam vt vidimus Monaci Græci recentiores. E verbis pariter à Beda, Adone, & Notkero adductis ex martyrologio Euſebij, & Hieronymi patet, vt aliàs diximus, illud cum noſtro Vetuſtiori non prorſus conuenire; in codicibus enim tam Cathedralis Lucenſis, quam noſtro, nihil aliud ſignatur, præterquam. *In Prouincia Paleſtina ciuitate Sebaſtia natalis S. Ioannis Baptiſtæ*: nihilq. interim de capitis inuentione, eiusq. celebritate Emeſena in Phœnicia additur. Et quamuis nulla de

S. Ioanne

S.Ioanne Baptiſta memoria agatur hac die in M.Corbeienſi;in Vetuſtiſsimo tamē expreſsius ipſa Præcurſoris paſsio notatur. *IIII. Kal. Septembris. Paſſio Sancti Ioannis Baptiſtę.* Quinimo in antiquo hædino Hagiologio noſtro, in quo iiij. Kal. Septembris ſub titulo paſſionis Sancti Ioannis Baptiſtæ ex Euangelijs, & Ioſephi antiquitatibus legitur,quomodo poſtquam Dominus duodecim Apoſtolos, & ſeptuaginta diſcipulos elegit, ab Herode inſidijs Herodiadis in Caſtello Macherunte capite truncatus S.Ioannes fuerit: ad calcem narrationis additur, *paſſus eſt autem B Ioannes Baptiſta, & Præcurſor D. N. IESV Chriſti IIII. Kal. Sept.* Hieronymianū item paruū M. ſeu Kalendarium Lucenſium Canonicorū, ita etiam meminit,Septembris *iiij Kal. Sanina. Decollatio S Ioannis Baptiſtæ*: & bina Calēdaria prefixa binis hædinis,ac vetuſtis Breuiarijs noſtris retinēt iiij.Kal.Sept. *Decollatio S.Iohannis Baptiſtæ.* Hi omnes codices, neque die 29. Auguſti translationis Emeſenæ meminerunt, neq. vllam indicant S.Ioannis Baptiſtæ celebritatem ad diem 24. Februarij. Tantum autem abeſt, vt in die translationis ſacri capitis Emeſam Phœniciæ,ſcriptores conueniant, vt potius ex auctore libelli de inuentione capitis S.Ioannis Baptiſtæ apud Surium T.8. depoſitio capitis *in Eccleſia Emeſenorum in ſuo templo*, notetur, *vigeſimo quinto menſis Octobris*, non 4. cal. Septembris, aut vi. Cal.Martij, dū è contra à ſexto ſaltem,& ſeptimo ſæculo obtruncationem, ſeu paſſionem S.Ioannis Baptiſtæ ab Eccleſia Occidentali celebrari conſueuiſſe vnanimes adducti codices docent hoc ipſo die xxviiij. Auguſti. Nec remorari nos debet, quod in tractatu de Reuelatione capitis B.Ioannis Baptiſtę inter ſpuria D.Cypriani expreſsè doceatur, diem quartum calēd. Septēbris ſolemnem eſſe Præcurſori, tùm propter Eccleſiæ in vrbe Alexandriæ dedicationem, ſub Theodoſio Imperatore, & Theophilo Patriarca, ac reliquiarum eius ibidem repoſitionem, tum propter ſacri capitis ibidem aduentum; ac proinde feſtum illud non Decollationem eſſe vocandum, ſed collectionem reliquiarum, vt ibi explicatur. Tractatus enim ille à recentiori Gallo antiquario confectus, plura falſa continet, & refellitur à Baronio in Adnot. ad eundem diem 29. Auguſti. Græci quidem in Menologio, ſiue primam, ſiue alteram Capitis inuentionem recolunt die 24. Febr. ità apud Caniſium. *Inuentio pratioſi capitis Sancti Præcurſoris Ioannis Baptiſtæ*, & alteram Inuentionem pariter indicant ſacri capitis *multo ante abſconditi, & ex Comanis* allati in vrbem illuſtriſſimam, *& vna cum Paſtore, & fideliſſimo Imperatore*, in ſacro loco repoſiti die xxv.Maij in eodē Caniſij, ſeu Sirleti codice, quæ diffuſius narrātur in Menologio Baſilii, interprete Arcudio.In Regia nempe Herodis vaſe fictili abſconditum ſacrum caput fuiſſe, donec à duobus Monacis Hieroſolymis inuentum, & furto ad Emeſenorum vrbem translatum ibi permanſit, *quoad Michael Imperator, qui Orthodoxiam reſtituit, & Ignatius Patriarcha Conſtantinopolim deportauit, vt in S.Ioannis fide, vrbis tutela eſſet.* Præter has enim à Græcis memoratas trāslationes, quæ in calendario Græcorum Genebrardi die 24. Febr. vocantur, *Prima, & ſecunda inuentio capitis Præcurſoris Domini*, communem cum latinis celebritatem indicat Menologium idem Caniſij die 29. Auguſti. *Decollatio pratioſi capitis Sancti Prophetæ Præcurſoris Ioannis Baptiſtæ apud Vrbem Hieroſolymorum.* Non quòd ibi martyrium S.Ioannes fecerit, ſed quòd caput ibi tranſpoſitum diem ſolemnem Decollationis Hieroſolymis conſtituerit. Diem hunc obtruncationi dicatum eſſe in Orientali Eccleſia habetur in Conſtit.Emanuelis apud Theod.in Nomocanone Photij,& apud Codinū de Officijs Conſtantinop. cap. xv. & inter feſta, quibus Imperator procedere ſolet,numeratur priùs Natiuitas Prodromi, deinde die 29. Auguſti *Decollatio venerandi Præcurſoris*, totidem verbis expreſſa etiam in Calendario Genebrardi

nebrardi, sicuti etiam ad calcem Euchologij Græcorum, interprete Iacobo Goar vbi Epistolæ, & Euangelia per 12. menses legenda præscribuntur, sub mense Augusti die 29. legitur. *Decollatio venerandi Prophetæ Præcursoris, & Baptistæ Ioannis*. Verumtamen diem hunc non fuisse diem Passionis, seu truncati capitis plurimi docent, & monet Romanum emendatum martyrologium, & cum eo Baronius. In illo quippe legitur IV. Kal. Sept. *Decollatio S. Ioānis Baptistæ, quem Herodes circa festum Paschæ decollari præcepit*. Quinimò expressè additur non esse hunc diem passionis, sed in eo memoriam solemniter recoli, quando eius venerandum caput secundò inuentum fuit. Ab hac Romani martyrologij assertione discedit Salianus, & potius Iansenio adhæret, cui minus arridet ratio Bedæ, & aliorum, qui ex Matthæo educunt Christum, audita morte Iohannis, ab eius discipulis relata, secessisse in desertum, ibiq. pauisse quinque millia hominum. Quod prodigium Ioannes cap. 6. scribit proximo iam Paschate contigisse. Ratio Iansenij, & Saliani est, quòd Matthæus cap. 14. narrationem cædis Ioannis per parenthesim inducat, eo quòd Herodes Tetrarcha audiens famā miraculorum IESV, putauerit ipsum esse Ioannem redivivum, nec illius discipulos verosimile est, tam serò Dominum de Præcursoris morte certiorem fecisse, vt iam vulgatis Christi miraculis, Herodes timuerit Ioānem à mortuis surrexisse, ac proinde vacillare argumentum de morte tunc nunciata, cum in desertum abijt, & secutæ sunt turbæ sine viatico. Iam enim cum illos multiplici pane cibauit ante Pascha, percrebuerant post Ioannis obitum miracula Christi, & inde rediuiuum Ioannem Herodes timuerat. Verùm quam vis Herodes etiam ante Ioannis cædem miracula Christi in eiusdem Tetrarchia frequenter patrata scire potuerit, quando idem Ioannes in vinculis, cum audisset opera Christi, ad eum duos discipulos misit; attamen dici potest, tunc solum Ioannem rediuiuum timuisse, quando apud aliquos iam rumor increbuerat, vt inquit Luca *Hęsitabat enim, eo quòd diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit à mortuis*, quemadmodum & Apostoli Domino retulerunt aliquos ipsum esse Baptistam credere. At quidquid sit de tempore, quo Herodes timuit rediuiuum Ioannem, certum videtur statim ab audita à discipulis Ioannis sepultura Dominum in desertum secessisse: nam apud S. Matthæum legitur, *& venientes nunciauerunt IESV*, statimque subditur, *quod cum audisset IESVS secessit inde in nauiculam, & turbas eum sequentes in deserto cibauit*. Tam vero frequenter miracula Dominum trāseuntem, vel alicubi immorantem, sequebantur, pertransiens quippe sanabat omnes, vt vix Regem, Galileam, & Transiordanem incolentem fugere fama posset. Timorem autē, tunc inualuisse, quando aucto resurrectionis rumore, ex conscientia perpetrati sceleris, iā credere Herodiades incipiebat resurrexisse Ioannem, licet seiunctim à corpore caput abscōdisset in humo, vt habet Metaphrastes, vel transmisisset sepeliendum ex arce Macheruntina Hierosolymam, vt alij docent. Tunc sanè difficillimus alioquin timor probabilior euaserat. Nec discipuli Ioannis mortē eius Domino nunciauerunt, sed quòd corpore potiti ad sepulturam in Samariā illud reposuissent; inquit enim Matthæus. *Et accedentes discipuli eius tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud, & venientes nunciauerunt IESV*, non mortem, quæ iam potuerat eidem innotescere, sicut alijs iam nota erat, sed sanctum corpus sepulturæ dedisse. Quod an statim post mortem euenerit dubium est. Herodiades Ioannem posse resurgere timebat, & Metaphrastes ita testatur, in Commentario de Ioanne Baptista cap. 21. *Magnus enim timor*, inquit, *& magnitudo eius, quem habebat odio, efficiebat, vt ipsa sibi caueret. Neque permittit caput coniūgi cū corpore, dubitans, ne sic resurgeret, & ad priores rediret reprehensiones. Sed si inquit*

quit, apud me caput rectè abscondatur, id non facile potuerit resurgere. Vnde si Macherunte caput humauit, non difficile fuisset, vt Ioannis discipulis permicteret, corpus aliò asportare extra ditionem Tetrarchiæ, vt eo magis à capite disiungeretur: sin verò corpus insepultum abijci mandauit, vt ex Nicephoro diximus, facile fuisset discipulis illud tollere, & in Samariam transportare. Quantum verò temporis discipuli in asportatione, ac decenti illius sepultura insumpserint, Metaphrastes non docet, sed *honorificè* illum quidem *in loco insigni* sepulturæ dedisse. Hæc aliquod spaciũ requirebant, præsertim quòd à Macherunte Samaria, seu Sebastes per plura millaria distabat, & discipuli in morte à Ioanne aberant; audita enim ipsius nece, *discipuli eius venerunt, & tulerũt corpus eius*, vt habetur cap. 6. Marci. Cum ergo non nisi audita morte discipuli venerint, & non nisi translato corpore in Samariam, & funeribus peractis Ioannis, ad IESVM accesserunt ea nũciantes, quæ perfecerint, etiam si Dominus continuo nauim ascenderit, & à patrato miraculo satiatæ exurientis Turbæ proximum esset Pascha, non tamen hoc necessitatem infert, paulo ante, & in proxima Paschali solemnitate Ioãnem martyrium subijsse, sed potius aliquod temporis spacium ante Pascha videtur requirere. Verùm cum plurium latinorum sententia sit, Ioannem ante, & prope Pascham martyrium fecisse, & Græcis circa finem anni id accidisse placuerit apud Metaphrastem, & Nicephorum, iam in vtraque sententia dies decollationis, seu eiusdem celebritatis signatus IV. Kal. Septembris, tam in Martyrologio Vetustiori nostro, quam alijs adductis codicibus repræhesentatiuus esset, siue id Ecclesia voluerit, vt animaduertit Baronius (translata in aliud tempus memoria propter ieiunium, & solemnitatem Paschalem) siue immutato celebritatis die, quòd in Natalem Domini incideret. Facile est autem à fidelibus diem 29. Augusti, pro decollationis memoria, seu Natali passionis firmatum esse, tam in Orientali, quã Occidentali Ecclesia, quòd in eo aliqua eiusdem reliquiarum, vel capitis solemnis translatio euenerit, vnde simul translationis, vel capitis inuentionis dici potuerit, & etiã decollationis vocaretur, vt ex Beda, & alijs supra vidimus.

III. Kal. Septembris.

ROmæ natalis Sanctorum Gaudentiæ virginis cum reliquis tribus, & natalis Sanctorum Felicis, & Audacti.

AVGVSTI 30.

VBerius in hodiernis fastis Corbeiense Martyrol. apparet, quoniã & D. Ioannis Baptistæ passionem, & nongentorum martyrum memoriam ad hanc diem ex superiori transtulit, sed mutilum reuera est, dum Felicem, & Audactum omnibus memoratos ita prætermittit. *III. Kal. Rom. natalis S. Gaudentiæ Virginis cum reliquis tribus. In Prouincia Palestina ciuitate Sabastia passio S. Ioãnis Baptistæ. & alibi natalis nongentorum martyrum, qui eadem die passi sunt.* Vetustissimum verò S. Villibrordi, ita cum libris nostris conuenit. *III. Kal. Septembris Romæ Felicis, Adauti, Gaudentiæ virginis cum alijs iij.*

Gaudentiæ. Sanctæ huius Romanæ virginis, non aliud quam nomen ex temporis voracitate relinquitur. Agunt de ea

Roma-

Romanum M. Beda, Vſuardus, Petrus de Natal. lib.xi.n.132. Bellinus de Padua, Maurolycius, Galeſinius, quorum aliqui anonymos tres ſocios adijciunt, alij prætermittũt. Nihil hìc addit Baronius præter vetuſtos codices, neq; Ferrarius in catalogo SS. Italiæ. Virginẽ fuiſſe peculiari corona notant, tam libri noſtri, quã reliqui ferè omnes, quorũ aliqui dũ martyrẽ expreſſe non vocãt, anſam dubitãdi Ferrario dederũt, an martyr fuerit; ſed ex mſſ. & vetuſtioris M. ſtylo dubitationi locus non relinquitur. Notkero tamen non memoratur, neque Adoni.

Et natalis SS. In M. Vetuſtiſſimo Romæ primùm Felicis, & Adaucti memoria agitur, quam Gaudentiæ, & ſociorum. Vnde ſanctos hos martyres Romæ eſſe tribuendos liquet. Felix in eius Actis apud Surium T.8., plurimùm ex Adone concinnatis, Præsbyter fuit: Adauctum verò ſocium, proprio ignorato nomine, quod ſe ad agonem addiderit, vocatum teſtãtur: ſub Diocletiano coronam abſciſſo capite compleuiſſe eadem docent, ac ſepultos iij. Kal. Sept. via Oſtiẽſi, vbi radicitùs ſuperſtitioſa arbor, iuſſu S. Felicis euulſa prodigiosè fuit, & deinde ædificata Baſilica. De cœmeterio Comodillæ antea nuncupato, de ſepultura SS. Adaucti, & Felicis via Oſtenſi prope S. Paulum, atq. Eccleſia ijſdem dicata tẽpore S. Damaſi PP. ab alijs Pontificibus Leone III. & Paulo I. reſtaurata, agit ex mſſ. Aringhius Romæ ſubt. lib. 3. cap. 4. Cum his verò nequaquam conſonant, quæ habet mſſ. Reginæ Succiæ de SS. Felice, Adaucto, & ſocijs ſincerè, vt arbitor, & ex genuino fonte prolata. Felicem & Adauctum cum Fortunatiano, & Septiminio narrãt, temporibus Diocletiani primum in Africa, vbi alter nempe Felix Epiſcopus fuerat ciuitatis Tubzocenſis, alter nempe Adauctus Presbyteri munere fungebatur, & reliqui duo lectores clerici eſſent, tentos & carceribus afflictos, deinde in Sicilia variè à perſecutoribus vexatos, vinculis, & carceribus maceratos, tandem gladio conſummatos eſſe; incertum mihi, an Sicilia, vel Venuſia ciuitate Apuliæ, agonem compleuerint. Venuſij venerationem, ac ſepulcrum accepiſſe, translatis fortaſſe ex Sicilia corporibus, idem Martyrologiũ docet, cuius ſcriptor Acta vidiſſe non dubito, dum SS. martyres captos à Magnelliano curatore xviij. kal. Iulias docet, & Felicem lvi. annorum virginem obijſſe: minutiora enim hæc in Vetuſtioribus martyrologijs adnotari mos non erat. Tubzucum vrbem Africæ fuiſſe non dubito, & fortaſſe Tabaſicenſis locus in Numidia, cuius meminit Victor Vticenſis: alios hos ſacros pugiles fuiſſe à Romanis Felice, & Adaucto, tum ex diuerſis ſociis, tum ex loco paſſionis planè conſtat. Quamquam vero Romanorũ martyrum Acta apud Surium duos ſanctos Felices germanos fratres, eodem tempore delatos Draconi vrbis Præfecti, ambo q. presbyteros fuiſſe doceant, dum tamen iunioris geſta nõ proſequntur, dubium relinquerent, ne alius à mſ. Reginæ Succiæ eſſet, niſi omninò id excluderet proprium Adaucti presbyteri nomen, Epiſcopalis dignitas Felicis in Africa, & locus vbi tandem quieuerunt in Apulia, ex Africa, & Sicilia, non ex Romana vrbe iactati. Præſtat autem fragmentum mſ. codicis vetuſti Reginæ Succiæ de more hìc inſerere. *III. Kal. Septembris. In Venuſia ciuitate Apuliæ natalis SS. Felicis Epiſcopi Ciuitatis Tubzocenſe, & Adaucti Presbyteri, & Fortunatiani, & Septimini lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua Ciuitate tenti à Magnelliano Curatore xviii. Kal. Iulij. Inde multis diu vinculis, & carceribus macerati, & in Africa, & in Sicilia, tandem gladio conſummati ſunt: Felix lvi. annorum virgo obijt.* De alio Felice Nolano Presbytero, & verè Confeſſore, vt pote, qui tempore perſecutionis aduiuens, ea tandem ſilente in pace quieuerit, agit Ferrarius ad hanc ipſam diem in Generali Catalogo, vbi animaduertit diuerſum hunc eſſe ab eo, qui colitur die 14. Ianuarij, licet Petrus

de Natalibus Acta vtriusque confundat lib. 7. cap. 138. Meminit Maurolycius, penes quem, non indicato loco, recolũtur Ianuarius presbyter, Fortunatus, & Septimius Lectores, qui saltem officio ijdem videntur cum alijs à ms. Reginæ Sueciæ indicatis.

II. Kal. Septembris.

IN Treveris depositio Sancti Paulini Episcopi, & Confessoris. Et Ancyria Gallia natalis Sanctorum Gaiani. Iuliani. Rufini. Vincenti. Siluani. Vitalici. Antiquiri. Emiliani. Florenti. Iusti. Iulij. Antinci. Maximi. Item Vitalici. *Et depositio Sancti Eiladi Episcopi*. Syrgi. Florentini cũ socijs suis. *Antisiodoro Ciuitate Sancti Optati Episcopi, & Confessoris cum socijs suis.*

AVGVSTI 31.

SAncti Paulini Treuerẽsis Episcopi celebris memoria est, non modo in Romano martyrol., sed apud alios ferè omnes latinos Martyrographos. Corbeiẽse ita hodiernas Tabulas producit. *Pridie Kal. Sept. Treveris depositio S. Paulini Episcopi, & Confessoris: hic in exilio requieuit. Ancyra Galatiæ natalis SS. Gaiani, Luciani, Rufini, Vincentij, Siluani, Vitalicæ, Antiquiri. Emelini, Florentini, Iustę, Iulię, Antinci, Maximi. Item Vitalicæ. Et depositio S. Elladij Episcopi, Syrgi, Florentini, cum sanctis socijs eorum. Antisiodoro depositio S. Optati Episcopi, & Confessoris.* Præter ea, quæ hac ipsa die adducit pro Sancto exule, ac Confessore Paulino Treuerensi, Cardinalis Baronius, videndus est Mersæus in Annal. Archiepiscoporum Treuirensium, vbi docet S. Paulinum à S. Martino Turonensi consecratum, & à D. Ambrosio dilectum, & excultum; in exilium ob fidem pulsum sub Constantio Ariano Imperij eius 20. notat S. Hieronymus in Chronico, vnà cum Rhadiano, quos vocat Galliarum Episcopos; deinde anno 23. eiusdem impij Imperatoris, Xpi 363. ita eiusdem obitum notat. *Paulinus Treuirorum Episcopus in Phrygia exulans moritur.* Vnde siue à D. Hieronymo, siue alio scriptore potuit in Martyrologium Vetustius referri: & quia inter ærumnas exilij mortuus est, coronã passionis accepisse dicitur ab Vsuardo, Adone, Notkero, & Romano M. vnde expresse martyr vocatur à Petro de Nat. lib. 7. c. 139. Corpus Treuerim deinde translatum cum alijs SS. pluribus martyribus inuẽtũ fuisse in crypta anno Domini MLXXI. docet Sigibertus in Chronico. Eiusdem hac die venerationem, siue Sancti obitus fuerit, siue translationis ita signat martyrol. Vetustissimum. *Pridie Kal. Septembris. Treveris depositio Paulini Episcopi, & in Ancyra Galytiæ Gaiani, Iuliani, Rufini, Vincenti, Siluani. Et Italicæ Emiliani, Florenti, Iustæ, Iuliæ, Anthinci. Item Italicę. Eladi Episcopi, Sergi, Florẽtiana. Antisiodoro Optati Episcopi.*

Ancyra Gallia. Nostrum codicum Gallicus antiquarius, in gentem suam propensus, sæpe pro Galatia Galliam scripsit, vt sæpe monuimus. Galitiam etiam malè posuit pro Galatia librarius M. Vetustissimi, optimè vero scripsit exceptor M. Corbeiensis, & ms. Reginæ Sueciæ *Ancyre Galatię*. Immutato autem nomine Vitalici, aut Vitalicæ, quod constanter retinẽt libri nostri cum Corbeiensi

beiensi in Italicam, ad ambages nos deduxisset, an Italica pro martyris nomine, an loci, vel vrbis accipiendum esset, quòd Italica Hispaniæ Bæticæ oppidum Ptolemeo, & alijs sit. Si enim pro oppido acciperetur, non omnes numerati martyres Ancyrani essent, sed primi tãtùm quinque sub Gaiano eorum duce. Tutius tamen existimaui, plures, & bonæ notæ codices amplecti, quam vni tantum insistere, præsertim quia ms. Reginæ Sueciæ omnes hic enumeratos martyres, quamuis singillatim non exprimat, collectim Ancyræ ita tribuit. *Ancyræ Galatiæ natalis SS. Gaiani, Iuliani, Rufini cum aliis xi.* quorum numerus ad Elladium vsq. Episcopum, omnes in libris nostris nominatim explicatos Ancyranos martyres complet, quemadmodum etiam quot quot in Corbeiensi Martyrologio, & Vetustissimo eodem recẽsentur. In hoc tamen desunt Antiquirius, siue Antiquira, & Maximus. Neque hic negandum est, nomina aliqua (vt passim etiam alibi) quæ in aliquibus codicibus sanctorum virorum martyrum sunt, in alijs sanctarum mulierum propria esse, idq. euenisse librariorum oscitantia, qui malè postremas nominum syllabas signauerint.

Et depositio S. Elladi Episcopi. Inter Ancyranos cælites S. Elladium Episcopum numerandum non esse depositionis nomen, quod passim recentioribus sanctis confessoribus accomodatur, suadere potest. Socium illi addit, non indicato passionis loco, Aulianum pariter Episcopũ Maurolycius, quẽ alibi memoratũ hac die nõ inuenio. Elladiũ Viennensem Episcopum, & Confessorem recolit Gallia apud Saussayum calendis Iunij Elladium Autissiodorẽsem, cuius vita legitur in Historia Episcoporum Autissiod. cap. v. venerantur Galliæ Hagiologia. 8. Idus Maij. Nec videretur (si eiusdẽ Vrbis Episcopus fuisset) in Additamento disiungandus ab Optato Autissiodorensi, qui deinde recolitur. Dubius etiam hæreo, an S. Episcopus interpolatus sit ante Sirgium, vel Sergium, & Florentinium, siue Florentianam, ac socios, vel an hi, ijsdem Ancyranis martyribus sint copulandi. Helladium Ægyptium Episcopum, & martyrem cum Stephano, & Victore pariter Episcopis indicat Petrus de Nat. lib. xi. n. 138., sed qui martyres sint, & 8. Idus Maij recolantur, non pridie cal. Septembris. Sammarthani quinto loco S. Eladium, nudo dumtaxat nomine reposuerũt inter Episcopos Autissiodorenses.

Optati Episcopi. De Optato Autissiodorensi Episcopo, qui cum sociis suis BB. Vrso, Theodosio, & Gregorio in Ecclesia S. Germani communi veneratione recolitur, die postrema Augusti agit Saussayus. Vita estat in Hist. Episc. Autissiodorensium apud Lebbeum cap. 14. vbi eodem die pridie Kal. Sept. venerari docetur, sanctos Presbyteros Sanctinum atq. Memorium, tam vitæ, quam beati obitus socios, quos in libris nostris sub sociorũ nomine memorari libenter existimarem; cum in eodem etiam Sarcophogo requiescant, vt habet etiam Hericus Monachus de Mirac. S. Germani Autissiod. cap. 15. Sanctum Optatum cessisse è vita die 31. Augusti habent decimo quarto loco Episcoporum illius Ecclesiæ Sammarthani, nec aliud addunt.

KAL. SEPTEMBRIS.

Litanias Indicendas

September habet dies XXX.

SAncti Reguli martyris. In Capua aquaria Natalis S.Prisci. In Tuturtina Tusciæ Natalis Sanctorum Terrentiani Episcopi. Felicis. Donati. In Villa Herdona in Apolia Syracusæ natalis Sanctorum Eucti. Hermogenis. Calisti. In Africa Ciuitate Toniza natalis Sanctorum Tascij. Dubitati. Valenti. Donati. In Carthagine natalis Sanctorum Fortunati. Donati. Felicis. Bellausia Prima natalis Sancti Marciani Episcopi. Et alibi natalis Sanctorum Sisinnij. Amauxi. *Cenomanis Ciuitate depositio Sancti Victoris Episcopi, & Confessoris. Sennonis Ciuitate depositio Sancti Lupi Episcopi, & Confessoris.*

SEPTEMBRIS 1.

QVamquam apud Cardinalē Baronium in notationibus ad Kalēdas Septembris mſ. S. Reguli Historia producatur, & ex hac carmina quædam tanquam Bedæ adducantur: attamen sancti huius Episcopi memoriam, præterquam in codicibus nostris, recoli in aliis, quibus insistimus mſſ. non inuenio. Vetustissimū Antuerpiense M. primò dabimus. *Kal. Septembris, in Apulia Felicis, & Donati, & in Capua Prisci, & in Catino Constāti Aquiria S. Prisci, Terentiani Episcopi, Herdena Siracussæ Erodi, Hermoginis, Calestæ. In Africa Taſciæ, Dubitati, Valenti, Donati, Kartaginis, Fortunati. In Carthagine Primi, Materni, & alibi Sisinni, Amausi. Colomanis Victoris Episcopi, & Confessoris.* Nec in Corbeiensi S.Regulus memoratur. *Kal. Septembris Litania Indicenda. In Capua Aquiria natalis S.Prisci martyris, Magnilis. In Tudertana Tuscia natalis SS. Terentiani Episcopi, Felicis, Donati, Siluani. In villa Her Donati. In Apulia Syracusæ natal. SS. Euoti, Hermogenis, Calestæ, Iuliani. In Africa ciuitate Toniza natalis SS. Tusciæ. Dubitati, Valentij, Donatę. In Carthaginē natalis SS. Fortunati, Donati, Felicis. Et alibi natalis SS. Martiani Episcopi, Sisinni, Amauis. Cenomanis ciuitate depositio S. Victoris Episcopi. Ambianis ciuitate S. Firmini Episcopi, & Cōfessoris. Egidij Abbatis.*

S. Reguli martyris. Carmina, quę in Notationibus ad hanc diem Baronius affert, legi in martyrologio Vvandelberti hædino mſ. apud Lucenses Canonicos ex quo fortasse immutata accepit, qui S.Reguli in Africa Episcopi, & in Tuscia martyris Acta illa mſſ. contexuit, cuius Baronius meminit. Quamquam enim Vvādelberti omnino sit metricum illud Martyrologium, nullum tamen Auctoris nomen in eo codice præfert, vnde facile ab illius, vitæ scriptore celeberrimo martyrol. auctori Bedæ tributū fuit. Vbi autem Vuandelbertus habet.

Septēbris Iosue tenet, orditurq. Calēdas.

in perantiquo, & ante quingentos annos

scripto

ſcripto codice illo Lucenſi legitur.

Septembris Regulus tenet, orditurq. Calendas,
Regulus antiſtes, qui ſuum caput enſe peremptum
Portauit binis Chriſto ſtadijs faciente,
Cuius reliquias nunc vrbs Lucenſis adorat.

Quæ pariter carmina ijſdem verbis ſcripta leguntur ad calcem vitæ, ſeu paſſionis S.Reguli in vno ex magnis hædinis codicibus Paſſionalibus Canonicorum Lucenſium. Et vt verùm fatear, ſuſpicor, ab illius Eccleſiæ clericis, vbi S.Reguli Epiſcopi corpus quieſcit, & ſolemnis eſt memoria, hæc Vvandelberti carmina eiuſdem S.Reguli celebritati fuiſſe accomodata, & quæ Baronius Acta mſſ. habuit, ex Lucenſi Eccleſia defluxiſſe. Neque negarem ab ijſdem clericis, in fronte hodierni laterculi librorum noſtrorum, memoriam S. Reguli ad vſum Lucenſis Eccleſiæ ſuperadditam fuiſſe, cum S.Epiſcopus, (vt ex mſſ. Actis, & eius vita apud Cæſarem Franciottum, & Siluanum Razzium Italicè ſcripta patet) non ex antiquis martyribus fuerit, ſed ſub Totila coronatus, hoc eſt circa annum 550. Ex Africana Arianorum perſecutione profugum, & vi tempeſtatis impulſum ad Populonij ſolitudinem peruenisſe, ibiq. Eremiticam vitam ducentem, Tyranni Totilæ iuſſu capite trũcatum expeticam martyrij coronam accepiſſe narratur in eius vita, ac eiusdem aſſeclas, & diſcipulos fuiſſe Cerbonium, & Felicem. Archiepiſcopum in Africa vocant Acta SS.Iuſti, & Clementis, quæ typis Florẽtinis edidit Auguſtinus Florentinus Camaldulenſis; ſed quam ibi cathedram tenuerit, & quæ ibi pro fide geſſerit ſilẽtio inuoluuntur. Sedatæ maris procellæ, caputq. enſe truncatũ per bina ſtadia proprijs manibus delatũ, & diſcipulorũ interim alloqutio inter eius ſanctitatis prodigia numerãtur. In Populoniæ finibus ſepultum, atque ex erecta ibi Baſilica ſacrum corpus Lucã fuiſſe translatum docent Acta translationis apud Ferdinandum Vghellium amicum noſtrum, & in Italiæ ſacræ voluminibus clariſſimum Tom.1. ex Vaticana membrana, quæ licet cum lectionibus in eius celebritate apud Lucenses legi conſuetis conueniant, multa tamen egere correctione in dypticis noſtris Deo fauente oſtendemus. Hac etiam die S. Regulum, cum Felice Epiſcopo eius ſocio, Piſis in cathedrali venerari, vbi eorum corpora quieſcant, idem Vghellius affirmat. Ferrarius tamen poſt Razzium aliquas ibi reliquias aſſeruari non corpus ſcripſit, & vbi S.Felix paſſus ſit ignorari ex Tabulis illius Eccleſiæ deducit. Equidem ſi idem S.Regulus Piſis, & Lucæ veneratur, vt idem dies, Epiſcopalis dignitas, martyrij titulus ſuadent, in Piſana Eccleſia potius S.Felicis corpus quieſcere, cũ aliquibus S.Reguli reliquijs dicendũ eſſet, quam S.Reguli. Dum enim hæc ſcriberem Eminentiſſimus Cardinalis Epiſcopus Lucenſis Hieronymus Bonviſius ſacras ſuæ Cathedralis reliquias ſedulò perluſtrans, adaperto S. Reguli marmoreo tumulo, inuenit Sancti martyris oſſa candidiſſima, optimèq. ſeruata, & à quibus pro humani corporis integritate vix aliquæ particulæ deficere poſſint, vt ex Actis illius viſitationis cõſtat. Inuenta etiam in eadem lapidea Arca fuerunt parua ad quadrantis menſuram ænea, & vetuſta numiſmata, quorum aliqua penes me repoſita malè ſculptum Lucæ Vrbis nomen præferunt, ibidem illa, vt credere par eſt tempore trãslationis incluſa. S.Reguli præter adductos ſcriptores meminit Romanũ martyrologium. Hic cum Epiſcopus Africanus, fuerit à Regulo Epiſcopo Arelatenſi, cuius vitam ſcribit Petrus de Natal. lib.4. cap.15. omnino alius eſt.

In Capua Aquaria. Deeſt *Via Aquaria*, ſicuti in Corbeienſi M. & legendum, ita eſſe docẽt cum Martyrologio Romano, Beda, Vſuardus, Ado, & alij; ex quibus Petrus de Natalibus hauſit lib. 8. cap.15. Capuanos de vijs gloriari ſolitos habetur apud Ciceronem orat. 11. ad

ad populum contra Rullum. Aquariam proinde viam facile est apud illos magni fuisse nominis. S. Priscum martyrem omnia ferè latinorũ martyrolog. testantur fuisse vnum de antiquis Christi discipulis. Primum Episcopum Capuanum etiam vocant recentiores, vt Galesinius, & Ferrarius ex antiquis Ecclesiæ Capuanæ monumentis, quod etiam Baronius in Annalibus consentit ad annũ 46. Confossum fuisse, non ad Viam Aquariã, sed ad Vicum Aquarium habet idẽ Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, qui alium etiam Priscum recentiorem Africanum Episcopum cum pluribus socijs ad litora Campaniæ ex Vvandalica persecutione appulsum, & Capuanæ Ecclesiæ præpositum narrat ex ijsdem Ecclesiæ Capuanæ monumentis, & Romano martyrol. Viam non vicum vocant Acta S. Prisci; narratur enim quod ille *ante ciuitatem in via, quæ ducit Beneuentum cum duobus ministris suis habitabat*, prope quem locum coronam accepit, & humatus est in vetustissimo ab illius nomine vocato S. Prisci cœmeterio, vt animaduertit in Apparatu ad antiquitates Capuanas Camillus Pellegrinius dissert. 2. Italica p. 350. Magnilium socium S. Prisci omnino Corbeiensi M. debemus, alibi enim mihi non comparet.

In Tuturtina Tusciæ. In Tudertina Ciuitate Tusciæ legendum esse omnino existimo, facem præcipuè præbente M. Corbeiense. Tuderti in Vmbria legit Romanum M. vti re vera oppidum nunc est in Vmbria, sed Antonino Tudernum opidum est Tusciæ, alijs Sudernum in agro Viterbiensi. Terentiani Episcopi Acta se habuisse Baronius notat ad hanc diem ab Ecclesia Tudertina, & Martyriũ ex Breuiario Capuano. Eadem præfert per compendia Petrus de Nat. lib. 7. c. 126. & fusiùs Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ; qui etiam veterem Ecclesiæ Tudertinæ hymnum affert. Sepultum extra Vrbem Tudertinam octauo milliario in loco, qui Colonia dicitur, Kal. Sept. idẽ addit. Petrus de Natal. lib. 7. cap. 136. Flaccum Idolorum Sacerdotem Terentiano socium iungit, & ambos decollatos iuxta flumen secus murum ciuitatis iij. Kal. Septembris affirmat; sepultũ verò octauo miliario ab Vrbe in loco, qui dicitur Petroso. De socijs Felice, & Donato, ac M. Corbeiensis Siluano nullus alius codex, aut editus scriptor, quam viderim, loquitur. Nisi ex xij. illis fratribus Africanis fuerint, quorum certamen carmine scripsit Alfanus Episcopus Tomo x. Surij, quorum ætate seniorem Donatum Presbyterum S. Cyprianus ordinauit, Felicem verò Hyppodiaconũ. Siluanus à Corbeiensi additus inter xij. fratres non numeratur. Hos verò in diuersis locis Apuliæ agonem compleuisse, idem Alfanus docet.

In Villa Herdona. Vel insignem librarij nostri errorem detegit M. Corbeiense, vel insigniorem præfert. Legit enim in Villa Har Donati. Herdunæ aptius meo iudico legit Martyrol. Vetustissimum, seu potius Herdoniæ, quæ Vrbs est Dauniæ in confinio Apulorum, & Hirpinorum, obscuri antiquitùs nominis, vt habet Silius lib. 8. nunc excisa, & Erdonia etiam fine aspiratione alijs nuncupata. Quia verò Villa, seu potius diuersorium inter Asculum, & Ceriolam re vera nunc est, rectè additur in libris nostris *in Apulia*, scilicet Daunia, non Peucetia. Syracusam hic pro Vrbis nomine acceperunt librarij nostri, & natalem SS. vel addiderunt, vel potius postposuerunt. Nos cum M. Vetustissimo Siracusæ pro nomine martyris potius accipimus, & legimus. *In Villa Herdona in Apulia natalis SS. Siracusæ, Euoti, Hermogenis, Callisti*, ad cuius normam restituendum etiam putarem M. Corbeiense in hoc magis luxatum, licet in eo Iulianus post Calistum superaddatur. Postridie Græci in Menologio Euodium Callistam, & Hermogenẽ fratres nõ indicato passionis loco recolũt, ex quibus Rom. M. emẽdatum à Baronius accepit.

In Africa. Tonizam vrbem in Africa apud Geographos hucusq. non inueni

ueni, nisi forte Toneisa sit Antonini, vel Thinissa Ptolemei, aut Tunes recentiorũ, in Africa propria. Quatuor, qui in libris nostris recensentur martyres Africani, in alijs martyrologijs memoratos non inuenio. M. Corbeiense pro Tascio Tusciam scribit, & pro Donato Donatam. Tasciam pro Tascio tantum retinet M. Antuerpiense: in reliquis cum libris nostris conuenit, prætermisso tamen Vrbis Tonizæ nomine.

Carthagine. Tres cum codicibus nostris Carthaginenses cælites recolit M. Corbeiense, Fortunatum, Donatum, & Felicem, qui ex xij. fratribus Africanis esse possent Adrumenti ciues. Hi ad Carthaginem euocati, carcerem ibi, fustuariq. sub Valeriano Præfecto perpessi sunt, donec ab eodem, metu Carthaginensis seditionis, in Apuliam per nauim abstracti diuersis locis coronarentur. Donatũ, & alterũ Felicẽ in Ecana, siue Troia in fundo Sẽtiano gladio trũcatos, Septembris primo, adductus supra Alfanus Archiep. Salernitanus apud Surium docet, quamuis Fortunatianũ, alijs Fortunatum, in Apulia cum tribus fratribus seiunctim à Donato, & altero Felice coronatũ doceat cap. 42. Ferrarius, de his agit, sed minus distinctè ex monumẽtis Ecclesiæ Beneuẽtanæ, & in eadẽ vrbe certamen tulisse simul omnes affirmat. Baronius Acta illa metrica Alfani corrigit in notis. Chartagine tantũ Fortunatũ, corrupto nonnihil Vrbis nomine, recolit M. Vetustissimum; Fortunatum vero Donatum, & Felicem mſ. Reginæ Sueciæ *Kal. Septembris. Carthagine natalis SS. Fortunati, Donati, Felicis.*

Bettausiæ Primæ. Primum pro Prima habet M. idem Antuerpiense, & Carthagini cum Materno tribuit. *Alibi* verò incerto loco, tam Martianum Epiſcopum, quam Sisinnium, & Amauium refert M. Corbeiense. Libri nostri ignotã Bettausiam exhibent. Incertum mihi, an nomen Martyris sit, vel loci. Martianum Episcopum Terdonensem recolit Rom. martyrol. 6. Maij, Syracusanum die 14. Iunij; Græci vero die 30. Octobris: nequaquam tamen socij iunguntur Sisinnius, & Amauxius, siue Amauius.

Cenomanis. S. Victorem Episcopum Cenomanensem hac die etiam refert M. Romanum, vbi Baronius aliqua addit ex Molano ad Vsuardum: meminit Beda, Rabanus, Vsuardus, Ado, Maurolycius, & diffusiùs Saussayus. Quæ de ipso S. Liborij successore refert Gregorius Turonensis de Gloria Confess. habet etiam Surius T. 9. Sammarthani Liborio statim S. Victorẽ nudo tantum nomine ornatum substituunt, & post Victorem Victorium, vel Victurium, de quo Gregorius Turonensis scripserit. Inter fuisse Concilio Andegauensi 453. & Turonensi 461. & obijsse Calendis Septembris addunt.

Senonis. De S. Lupo Episcopo Senonensi agunt, qui supra. Vitam diffusiorem habet Surius initio Tom. 9.: contractiorem Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 20; floruit circa annum 630. vel potius 616. vt habent Sammarthani To. 1. Galliæ Christianæ, quẽ ab exilio reuocatum obijsse docent Kal. Septembris cum ordine 19. in Archiepiscopatu Senonẽsi sederet; superadditum tamen à Gallico antiquario, vnà cum S. Victore Cenomanensi non dubito.

IIII. Nonas Septembris.

IN Nicomedia Natalis Sanctorum Zenonis. Gorgoni. Monolappi. Theotæ cum filijs suis, & Cusconi. In partibus Appamiæ natalis Sanctorum Anthoni, & Antonini. In Cartagine Natalis Sanctorũ Dubitati. Tusci. Valentini. In Sicilia natalis Sanctorum Eupli. Ioseph.

Feli-

Felicis. Secundi. In Alexandria natalis Sancti Theodori. In Antiochia natalis Sancti Timothei. *Lugduno Galliæ depositio S. Iusti Episcopi, & dedicatio Basilicæ ipsius. Augustiduno depositio S. Syagri Episcopi.*

SEPTEMBRIS 2.

NIcomedienses martyres Zenonem, eiusq. filios Concordium, & Theodorum exhibet Romanum M., quorum certamen, vt addit Baronius, legitur in veteri Breuiario Ecclesiæ Capuanæ. Aliter hos martyres notat M. S. Villibrordi. *IIII. Nonas Septembris. In Nicomedia Zenonis, Theodotę, & filiorum eius Gorgoni, Menolappi, Cosconi. In Parisijs Apamiæ Antoni, & Antonini. Karthagine Dubitati, Tusci, Valentini. Sicilia Eupli, Ioseph. In Apulia Felicis, Secundi. In Alexandria Teodori. Et Antiochia Timothei. Lugduno Iusti Episcopi.* Gorgonium hìc Menolappium, & Cosconium veneratur M. Vetustissimum tanquam Theodotæ filios; sed diuersus in libris nostris ordo, tanquam anonymos, filios Theodotæ agnoscere videtur, & alios ante Theodotam, & seiunctim recenset, quemadmodum etiam M. Corbeiense. *IV. Nonas Sept. In Nicomedia natalis Sanctorum Zenonis, Gorgonij, Monolappi, Theodotæ cum filijs suis: & Cosconi. In partibus Apamiæ natalis Sanctorum Dubitati, Tuscię, Valentini. In Sicilia natalis sanctorum Eupli, Iosephi, Felicis, Secunduli, Iulij. In Alexandria natalis S. Theodori martyris. In Antiochia natalis Sancti Timothei martyris. Lugduno Gallia, depositio S. Iusti, & dedicatio Basilica ipsius Sancti. Stabulaus Sancti Remacli Episcopi, & Confessoris. Corbeia Monasterio, dedicatio Basilicæ Sācti Martini Pontificis.* Pro Concordio etiam ms. Reginæ Sueciæ Gorgonium habet seiunctim à Theodotæ filijs anonymis 4. Nonas. *Nicomedię SS. martyrum Zenonis, Gorgonij. Theodotæ cum filijs suis.* Menalippum igne consumptum memorat hac die Menologium Canisij, sed incerto loco: Zenonem vero die sequēti, qui in lebetem plumbo feruēti plenum iniectus Deo animā reddidit. De Theodota cum tribus filijs agunt Græci in Menologio ad diem 29. Iulij. Hæc ex Vrbe Nicæa, ijsdem temporibus cum S. martyre Anastasia viuens, à Leucatio Præside, cuius nuptias detrectauerat, missa ad Nicetium Præfectum Bithyniæ, & simul cum tribus filijs, in disciplina Domini ab eadem eruditis, in caminum ignis iniecta, martyrio cum ipsis coronata est.

In partibus Apamię. Notkerus *apud Appamiam B. Antonij martyris* memoriā exhibet. Antoninum vocat in Apamia martyrem Vsuardus. Pamiæ in Gallia Antoninum pariter recenset Romanum M., vbi Card. Baronius animaduertit, nō Apamiæ in Syria, vt multi opinati sunt, sed Pamiæ apud Tolosam ex Tabulis ecclesiæ Palentinæ, vbi eius reliquiæ quiescunt passum esse. At martyrium fecisse Apamiæ, in Syria, habent Acta eius apud Petrum de Natalibus, quem iam Presbyterum, dum loca sacra cum quibusdam fidelibus visitaret, ad radices Montis Apamiæ truncato capite, accepisse coronam narrat. Vetustissimum M. Antuerpiense Parisijs Antonium, & Antoninum martyres tribuit cum Apamia, quam pro alia martyre accepisse videtur, non sine errore ex plurimorum codicum fide. Apamiam ad Aurigerū amnem, cis Pireneos montes, sub diœcesi Tolosona, ex Matsonio describit Ortelius, in qua S. Antonium martyrem recolit Hagiologium Frāco Galliæ apud Lebbeum, penes quem etiam To. 1. Bibliothecæ p. 685. estat passio B. Antonini martyris, *qui passus est sub Apamia ciuitate IV. Nonas Sept.* Ex ms. codice S. Albini

Bini Andegauensis fusiùs hæc scripta est, neq. à Petro de Natalibus dissentit, nisi quòd Apamia oppidum in Syria nõ describitur, & pro sanctis locis non Palestinam intelligit, sed *loca sacra vbi Sanctorum corpora quiescebant*. Flumen verò, vbi S. martyris caput abscissum, iactatũ esse, scribit Petrus de Natalibus, Arcia in Miraculis ad passionem subiunctis vocatur, quod in Garonnã defluit; ex quo flumine per Tarnis fluuium in Auarionis alueum decurrentẽ, in Valle sacrum pignus subsititerit, quæ tunc Nobilis vocabatur, vbi S. Capiti Ecclesia, non sine prodigijs fuerit constructa, dum reliquũ corpus alibi prope Apameam remanserit. Vnde rectè in libris nostri, & Corbeiensi, quoniam in duobus locis S. Antonini venerabantur reliquiæ, dicitur, *In partibus Appamiæ*. Sausayus Apamiæ in Aquitania Antoninum Præsbyterum, & martyrem, & in loco ad fluuium Aurigeram exhibet, vbi martyrio coronatus fuit, ibi Abbatiam deinde fideles erexisse addit, quæ sub Bonifacio VIII. in Episcopalem sedem euecta fuerit. Vetus martyrol. S. Sabini de Leuitania in Pirenæis hac ipsa die 2. Septembris S. Antonino socios videtur addere his verbis *Apud Apamiam ciuitatem passio S. Antonini martyris, & passio SS. Aniceti, & Formi fratris eius tempore Diocletiani.* Sed hos in die passionis socios S. Antonini esse, non in certamine crederem. Verùm S. Antonius, & Antoninus Apamienses martyres diuersi sunt in libris nostris, & M. Corbeiensi; coniunctim verò hìc venerantur, quòd Apamiæ ambo passi sint, sed alter, eorum, qui Antonius dicitur Apameæ Syriæ, alter Apameæ Aquitaniæ. De Antonino Apamiensi Syro propalam agunt postridie libri nostri, vbi aliqua addenda videantur.

Carthagine. Africa martyrũ ferax, editis alijs MM. ignotos tres martyres exhibet in libris nostris, & M. Vetustissimo, hoc est Dubitatũ, Tuscũ, & Valẽtinum. Addit Corbeiense Donatã, dum pro Tusco Tusciã, & pro Valẽtino Valentiũ refert.

In Sicilia. Pro Secundo Secundulũ legit M. Corbeiense, & Iulium supra codices nostros exhibet. M. Vetustissimi sæpe in locis distinguẽdis accuratius Siciliæ non nisi Euplum, & Iosephum tribuit: Apuliæ verò Felicem, & Secundũ. De Euplio, & Serapione Confess. Catanæ in Sicilia agit Ferrarius in vtroque Catalogo ex illius Ecclesiæ Tabulis, Beda, & Adone ad diem xi. huius mensis. Sed non idem Euplus videtur ex socio Serapione, non Iosepho, & Confessoris titulo. Alium Euplum Diaconum retulimus ad diem 12. Augusti.

Alexandriæ. Alijs editis martyrol. ignotus Alexãder, in libris nostris Corbeiensi, & Antuerpiensi singulariter recolitur. Episcopalis nota quidem non additur, sed cum sæpè in Vetustiori M. nil nisi nomen indicetur, non pugnat, quin Theodorus Episcopus Alexandrinus esse possit, qui spinis coronatus, ad Seruatoris nostri imitationem, & alapis cæsus, per vrbem ad irrisionem circunductus, in mare proiectus, & seruatus, obtruncatus tandem, in eadem Alexandrina Vrbe sepultus, à Græcis recolitur die huius Mensis Septembris xij. tùm in Menologio Canisij, in quo Episcopus dicitur, tum in Menologio Basilij in quo martyr tantùm, non Episcopus vocatur, & tusiùs eius certamen narratur.

Antiochiæ. Timótheus Antiochenus hac die in vulgatis huc vsq. martyrolog. non indicatur, & dum in eius venerationem cum libris nostris consipirant martyrol. Vetustissimum, & Corbeiense, nihil addendum succurrit.

Lugduno. S. Iustus Lugdunensis Episcopus celebris est, tam in Romano martyrol. quam apud reliquos latinos. Aliqua de eo habet Baronius: omnia eleganter Theophilus Raynãudus in Hagiologio Lugdunense. Vitam exhibet Surius Tomo 9. Anno 381. Interfuit cũ S. Ambrosio Concilio Aquil. vt etiam ad annum illum notat Baronius. Decessum eius hac die 2. Sept. notant Rabanus, & Vsuardus, à quo discedentem

Adonem redarguit idem Raynaudus, cũ tamen in Rom. martyrolog. emendato eius obitus ſtatuatur pridie Idus Octobris, & dies 2. Septẽbris trãslationi eius ab eremo aſſignetur. Nos de eius trãslatione ab Eremo egimus ad diem 4. Auguſti: Baſilicæ verò dedicatio eodem hìc die ſignatur. Sancti viri obitus diem apud Raynaudum nõ inuenio, ſicuti neq. apud Sauſſayum, neq. apud Sammarthanos, qui ex Lirinenſi mſ. codice vitam eius indicant, nõ obitum. Decimus tertius Lugdunenſis antiſtes ab illis numeratur, & in antiqua inſcriptione acta eius ſtrictim indicantur, ſed quæ hìc de Eccleſiæ dedicatione apponuntur Antiquarij additionem ſapiunt.

Auguſtodunæ. De S. Siagrio agit Sauſſayus ad diem 27 Auguſti. At hìc expreſsè eius depoſitio memoratur, ſicuti in mſ. Martyrologio S. Sabini de Leuitania vbi hæc habentur, non vbique obuia ad diem 2. Septembris. *Auguſtodunæ depoſitio S. Siagri Epiſcopi, & Confeſſoris, qui pro quodam fugitiuo eius Eccleſiam petẽti primiariæ charitatis reddit ſupplicium* (ſubſidium melius videtur Sauſſayo legendum) *Gregem commiſſum, quem multa pietate, & modeſtia, ac patientia multis rexerat annis, derelinquens, ſe Eremo dedit, Domino adherens cultoribus eius S. Machario, Sanctoq. Paphnutio, quorum vita, & morum particeps extitit.* At vt cãdidè dicam, quod ſententio, vereor, ne exceptor incurioſus ex veteriori codice fucum fecerit, & Acta S. Iuſti Lugdunẽſis, qui hac eadẽ die recolitur S. Siagrio aſcripſerit. Cum S. Iuſtus fugitiuum ad Eccleſiam furenti populo innocenter reddens, de inculpabili culpa ſuppliciũ contra ſemetipſum ſecedẽs in Eremum ſumpſit. De S. Siagrio agitur cap. 19. Hiſtoriæ Epiſcoporum Autiſſiodorenſium in Aunario, cum quo interfuiſſe Cõcilio Matiſconenſi anno xxiv. Regni Guntrãni additur, imo in vita S. Aunarij apud Lebbeum T. 1. Bibliothecæ additur, huius Epiſcopi, tunc pueri præceptor emſuiſſe S. Siagrium, ſeu Syagrium. Vnde valdè ſenem S. Syagrium obijſſe fatendũ eſt. Plura Sammarthani in decimoſeptimo Æduenſi Archiepiſcopo colligũt de S. Syagrio ab anno 567. ad 691. Sed hæc minutiora videant ſacræ Galliæ ſcriptores.

III. Nonas Septembris.

IN Alexandria Natalis Ariſtoippi Epiſcopi, & in regione Appamię Vico Aprocavito ſub Conſtantio Imperatore, prouintia Syrię natalis Sãctorum Antonini Pueri ann. xx. & Areſti Epiſcopi, cuius geſta habentur. *In Aquileia ingreſſio reliquiarum Sanctorum Andreæ Apoſtoli, Lucæ, Iohannis,* & alibi Natalis Sanctorum Euſimię. Syrici, & Taritoni, cum ſocijs eorum.

SEPTEMBRIS 3.

ARiſtoippum Epiſcopum Alexandriæ variè in nomine immutant alij mſ. codices. Atippum vocat M. Vetuſtiſſimũ, & Epiſcopi titulũ omiſit. *III. Nonas Septembris. In Alexãdria Arippi, & in Syria Antonij Pueri, & Ariſtoni Epiſcopi, & in Caudis Vitaliani Serici, Lucæ, Nepotis, Ioannis, Euphemię, Sexici. & Aritoni.* Ariſtonippum vocat minus vſitato nomine M. Corbeienſe. S. Epiſcopum Alexandrinum *III. Non. Septembris. In Alexandria natalis S. Ariſtonippi*

dionippi Episcopi. & in regione Apamia, provincia Syria natalis S. Antony pueri, Arcsti Episcopi. In Aquileia ingressio reliquiarum SS. Andreæ Apostoli, Lucæ, Ioannis Euangelistarum. Et alibi natalis SS. Euphemiæ, Syria Aristoni cum sociis eorum. Aristionem Græci in Menologio Canisij ad hanc ipsam diem recolunt Alexandriæ Episcopum, qui per ignem probatus, in cœlum migrauerit. Fusius Aristionis martyris Episcopi Alexandrini certamen prosequitur ad hanc ipsam diem Menologium Basilij. An idem Aristio sit, ac Aristoippus, cum Alexandriæ pariter vterque dicatur Episcopus, & eodem die veneretur, facile immutatio nominis credi posset librariorium incitia. Cum vero proximiùs ad Aristionem Græcorum accedat Ariston, siue Arestus Episcopus post Antonium puerum Syrum enumeratus, anceps substiti, si forte Aristion Episcopus fuerit Alexandriæ minoris, non Ægyptiæ, sed Ciliciæ, vel potius Syriæ, vt habet Ptolemæus ad Issicum sinum, vulgo hodie Alexandretta. Suasit, quòd in sylloge Episcoporum maioris Alexandriæ, neq. Aristion, neq; Aristoippus compareat in Catalogo Chronologiæ Nicephori, vulgo Constantinopolitani. Si quis enim primum esse contendat, Episcopum quidem Alexandriæ coronatum, vt docent Græci, sed qui alterius vrbis sub Alexandrina Metropoli sedem tenuerit, & Alexandriæ vbi frequens erat martyrũ carnificina, certamen compleuerit, non pugnabo. Rabanus vtrumq; memorat Aristippum scilicet, & Aristonem his verbis. *iij. Nonas. In Alexandria Aristippi Episcopi, & in Syria Anconini pueri annorum xx., & Aristonis Episcopi, & in Caudis Vitaliani.*

Antony pueri. Romanum Martyrologium Beda, Vsuardus, Ado, Bellinus de Padua, & Maurolycius Capuæ Antoninum puerum, & Aristeum Episcopum recolunt, & Acta extare innuunt, quæ perijsse existimat Baronius. Ea tamen strictim prælibat Petrus de Natalibus; dum verò Antoninum puerum non xx. annorum, vt plurimi codices habent, sed tantùm decennem volũt ad fidem Christi Aristæum duxisse, cum quo dein detentus, & varijs supplicijs cruciatus, amputato capite triumphauerit iij. Nonas Septemb. alium à Syro omnino esse docerent. Ex ea enim narratione constaret, Aristeum nequaquam Episcopum fuisse, tùm quòd Episcopus ibi non dicitur, tùm quòd ab Antonino puero edoctus asseritur, non è contra minor à maiori, atq. ità Martyrium compleuisse. Ex Ecclesia Capuana, neque Baronius, neq; Ferrarius aliquid de his afferunt, quinimò Ferrarius inter eos martyres Capuanos in indice refert, de quibus nõ fit officium. Vuandelbertus Antoninum quidem puerum triumphantem hac die canit, & Aristeum Antistitem, sed locum passionis non exprimit. At non modo libri nostri Antoninum Puerum annorũ xx. & Arestium (non Aristeum vocant) Episcopum nequaquam Capuæ recolunt; sed omnino in Syria, & Apamæa, quæ regio est, & eiusdem nominis Metropolis Syriæ. Ita etiam M. Corbeiẽse licet ætatem pueri non exprimat, & Arestium S. Episcopum dicat, non Aristæum. Martyrol. Vetustissimum Apameæ non meminit, sed tantummodo in Syria Antoninum puerum, & Aristonem Episcopum recolit, quemadmodum Rabanus, vt vidimus. Tempus etiam præter morem signant codices nostri, nimirum sub Constantio Imperatore, quod ita confirmat ms. Reginæ Sueciæ iij. Non. *In Provincia Syria sub Constantio Imperatore S. Antonis adolescentis annorum xx. & Arestis Episcopi, cuius gesta habentur.* Antonium, siue Antoninum Apamiensem Syrum omninò diuersum putarem ab Antonio, siue Antonino Apamiẽsi Gallo, de quo egimus superiori die; illum enim ex Actis apud Petrum de Natalibus lib. 8. cap. 24. ab infidelibus, seu Paganis, quos impugnabat, detentum, capite minutum, & in frustrà discerptũ martyrium fecisse narratur: hunc sub Con-

ſtantio Imperatore paſſum, in pace alioquin Eccleſiæ ſub Conſtantino parta, ab Arianis trucidatum veriſimilius eſſet cũ Areſtio, ſeu Areſtione Epiſcopo, niſi is Alexandrinus Epiſcopus ſit à Græcis hac die, vt diximus, memoratus. Quæ enim verba adduntur in Vſuardo, & Adone, *quorum geſta habentur*, neque in M. Corbeienſi, neq. Antuerpienſi proſtant, & tam in libris noſtris, quam in M. Reginæ Sueciæ ad Areſtium tantum, ſeu Ariſtionem referuntur, *cuius geſta habentur*. Nec horum compendium adhuc apud Græcos deeſt, præſertim in Menologio Baſilij. Galeſinius Antoninum martyrẽ Apameæ, & Ariſtionem Alexãdriæ Epiſcopum martyrem retulit in diẽ præcedentẽ, & Notkerus tacuit. Nè autẽ de Antonino martyre Apamienſi aliquid, quod ſuccurrat ſileamus, ex Ferrario addimus in Notationibus Generalis Catalogi ad diem 2. Septembris Antoninum in Syria martyrem, diuerſum non eſſe à Pamienſi Aquitano, neque ab eo, qui apud Placentiam paſſus eſt, & vnum martyrem diuiſum apud pleroſq. confundi. Ac ita re vera eſſe comperi ex lectionibus, quas in codice lectionarij antiqui Eccleſiæ Placentinæ apud me mſ. habeo. Quamquam enim in Calendario eidem præfixo S. Antonini celebritas indicetur 4. Nonas Iulij, & in lectionibus, non ex Vrbe Apamea, ſed è Pannoniæ opido nobilibus ortum parẽtibus ſub Maximiano coronam accepiſſe narretur, eodem tamen modo cum Apamienſe, ſiue Pamienſe Aquitano in flumine proiectum fuiſſe narratur, & iiſdem prodigijs ſanguinem, ac reliquias fuiſſe collectas affirmatur. Verum non tãtum in codicibus noſtris locus Paſſionis in regione Apamiæ ſignatur, ſed additur in Corbeienſe M. Prouincia Syriæ, & ſcrupulosè *in Vico Aprocavito*, quæ minutiora, vt verum fatear, additamentum antiquarij recentioris ſapiunt, contra Vetuſtioris martyrologij ſtylum. Videantur etiam, quæ diximus ad diem 30. Septembris.

In Aquileia. Nec ab additamento abhorret ſingularis Vrbis celebritas. Aduentus nimirum ad Aquileiẽſem vrbem ſanctarum reliquiarum Andreæ Apoſt. Lucæ, & Ioannis Euang. & veriſimile eſt in Vetuſtioris martyrologij contextu, cuius prototypum Aquileiæ Ado ſe inveniſſe fatetur, ab Aquileienſibus clericis ſuperadditum fuiſſe. Cum tamen in Vetuſtiſſimo M. inter martyres Caudinos, Lucas, & Ioannes memorẽtur, ſuſpicionem mouet, ne qui huiuſmodi additamentũ poſuit, vel ex eo excriptor, fucum fecerit, eosq; à martyrum illorum cœtu expunxerit, & ex codice Adonis annexo, ita immutato, in noſtris libris, & Corbeienſe translatio illa defluxerit. Vmbras indicamus, vt alij lucem addant, præſertim quòd ijdem fere cœlites Mediolano aſcribãtur die 27. Nouẽbris.

Et alibi SS. Quos incerto loco martyrol. Corbeienſe, & noſtrum tres nominatim martyres, cum anonymis ſocijs proferunt, hos Vetuſtiſſimum S. Villibrordi ſingillatim exprimit, & locũ Paſſionis certum indicat. *In Caudis*. Nullam huius nominis, ſiue regionem, ſiue vrbem inuenio præter Caudium, & Caudi vrbem Samnij, quæ etiam Caudinæ fauces, & furculæ dicuntur. Caudium eſt illa Straboni, & Ptolemeo. Caudi apud Antoninũ in Apulia lego. Euphemia, quæ hic chorum ducit alia eſt ab Aquileienſi, quæ cum diuerſis ſociis in Romano martyrol. & apud alios memoratur. Vitalianus, Lucas, Nepos, Ioannes, & Seuirius ſunt, qui in noſtris libris, & Corbeienſi, vel omictuntur, vel nominibus non expreſſi ſub ſociorum compendio comprehendũtur cum Euphemia, Siricio, & Ariſtone, ſeu Taritone.

II. Nonas Septembris.

IN Angira Gall. natalis Sanctorum Rufini. Siluani. Macelli. Gaiani Hepidi. Antonini. Euſtichi. Maximi. Euſebij. Item Gaiani. Vitalici. Gaiſuti. Magni. Caſſi. Saturnini. Donati. Eleuſi, cum ſocijs eorũ. Romę in Cimiterio Maximi; Via Salaria depoſitio Bonifatij Epiſcopi. Ad ſcãm Felicitatem natalis Sanctorum Magni. Caſti. Saturnini. In Gallia Ciuitate Cauallonentium natalis Sancti Marcelli martyris. Treueris depoſitio S. Paulini.

SEPTEMBRIS 4.

LEgendum eſſe Ancyra Galatiæ, frequens librariorum error aliàs nos monuit. Confirmat M. Corbeienſe. *Prid. non. Sept. In Ancyra Galatię natalis SS. Rufini, Syluani, Mamelli, Gaiani, Helpidi, Antonini, Euſtici, Maximi, Euſebi, item Gaiani, Vitalica, Gaiſon, Magni, Caſti, Saturnini, Donati. Eleuſi cum ſocijs eorum. Romæ in Cimiterio Maximi, Via Salaria, depoſitio Bonifacij Epiſcopi. Ad ſanctam Felicitatem natal. SS. Magni, Caſti, Saturnini, Firmini. In Gallia ciuitate Cabillone, natalis S. Marcelli martyris. Treueris depoſitio S. Paulini Epiſcopi.* Neque leui mendo caret M. Vetuſtiſſimum, dum pro Galatiæ legit Gallitiæ. *II. Nonas Septembris. In Ancira Gallitia natalis Marcelli, Gaiani, Belpida, Antoni, Rufini, Siluani, Euſtoci, Maximi, Euſebi. Item Gaiani Italica, Gauſunti, Magni, Caſti, Saturnini, Donati, Deciſi. Roma Maximi, Bonifaci Epiſcopi, Magni, Marcelli Epiſcopi.* Cum Corbeienſi M. codices noſtri xvij. martyres ex Ancyrana vrbe, parua in nominibus differentia, producunt ſub Rufino anteſignano. Vetuſtiſſimum ſignat eorundem ducem Marcellum. Reginæ Sueciæ mſ. in nominibus decurtatum in capite Siluanum indicat; decem tamen, & ſeptem martyres vidit, qui martyrol. illud mutilauit. *Pridie non. Ancyræ in Galatia natalis SS. Syluani, Marcellini, Maximi cum aliis xiiii.* Tres tantum primos Rufinum, Siluanum, & Vitalicium recolit Romanum martyrol., quos pueros vocat, ex Beda, Vſuardo, Adone, Bellino de Padua, Maurolycio, Galeſinio. Ita etiam puerilem ætatem teſtatur Petrus de Natal. lib. xi. nu. 236. ex vetuſtis martyrologijs. *Tres pueri martyres, ſcilicet Rufinus, Saluinus, Vitalicus apud Ancyram Galatiæ paſſi ſunt pridie Non. Sept.* Nec alios præter tres in Romano martyrol. adductos refert Norkerus, qui ſociorum non meminit. Vitalicam non Vitalicum reddunt Beda, & Ado. Codices noſtri cum Corbeienſi, quamuis tres primo loco ſignatos pueros fuiſſe nõ exprimãt, ſupra alios codices, nõ modo nominibus expreſſis exuberant, ſed anonymos ſine numero addunt *cum ſociis eorũ.*

Romæ in cæmeterio. Ad Catacumbas in cœmeterio Calliſti prope earundem ingreſſum ex Eccleſia S. Sebaſtiani vidi, dum Romæ eſsem ſepulcralem epigraphem, his notis in marmore ſignatam. *Sancto martyri Maximo.* Cœmeterium antonomaſticè vocatum fuiſſe, quod Calliſti etiam dicebatur alibi animaduertimus ex ep. 9. S. Cypriani ad Succeſsum, vbi Sixtum ſcribit in cœmeterio animaduerſum. Maximus Commentarienſis ibi quidem ſepultus fuit,

ſed

sed 13. Cal. Decembris vt habent Acta eius mss. in codice Sãctæ Mariæ ad martyres apud Aringhium lib.3. cap. 11. n. 14. qui nu. 21. eandem inscriptionem S.Maximi præfert *Sancto martyri Maximo*, duosque ibi eiusdem nominis martyres, ambos Commentariesses, fuisse sepultos concedit. Hunc Maximũ Cõmentariẽsem Acta apud Card.Baroniũ anno 259. n.13. sepultum fuisse docent 13. cal. Februarij, quo tamen die in Vetustiori nostro M. non recolitur. Nomen autem apud Romanos frequens, plures in cœmeterio amplissimo, & præ cæteris celeberrimo eodem nomine sepultos novetat. De alio S. Maximo videnda etiã infra, quæ exhibemus ad diem viij. Kal. Nouembris, & 9. cal. Decembris, & an Maximus esse potuerit ex cœmeterio Callisti nostra ætate extractum, vt ibi adnotamus.

Via Salaria. Bonifacium primam Romanum Episcopum, seu Pontificem sepultum esse *Via Salaria*, docent Pontificalis Historiæ scriptores, siue Damasus, siue Luitprandus, siue Abbo Floriacensis, qui tamen defunctum narrant 8. *Kal. Nouembris*. At certum est, in tempore, quo obitus antiquorum Pontificum signantur, plura errata incidisse, & si vera sunt, quæ ijdem notãt, hoc est Zosimum antecessorem Bonifacij decessisse 7. vel 8. cal. Ianuarij, & Episcopatum vacuum non fuisse vltra dies xi., vt notat Abbo Floriacensis, Bonifacius sedere cæpit, quinta, vel sexta die Februarij: cui si post tres annos completos addantur menses octo, ac dies 6. vel 7. quanto spacio sedisse narrant, iam non 8. cal. Nouembris obijsse certum esset, sed duodecimo vel 13. Septembris, quod magis ad martyrologium nostrum, & tempus in eo adnotatum accederet. Sin vero post mortem Zosimi Ecclesia per vnicum tantum diẽ pastore orbata fuit, vt ex literis Symmachi ad Honorium Augustum colligit eruditissimus Baronius ad annum 418. n. 74., & statim ab electione Bonifacij illescripserit 4. cal. Ianuar. hoc est 28. Decẽbris, quando Eulalius, à paucis extractus ab exequijs Zosimi electus in schismate fuerat, & amplius si supra diem electionis Bonifacij, seu annos tres tunc completos, super addantur menses octo, & dies septem, quandõ eiusdem obitus signatur, iam eiusdem depositio in diem quartam Septembris incidere conuincetur. Inter Cœlites Bonifacium primũ Pontificem numerat Petrus de Natalibus lib.4. cap.160.; sed diem obitus non signat. Apud Bedam adducitur libellus de miraculis Bonifacij Papæ, & hunc esse valde probabile est. Ecclesiæ S.Bonifacij Confessoris, & Pontificis meminit Bibliothecarius in vita Hadriani. Romæ, non indicato præcipuo depositionis loco, ita de Bonifacio ms. Reginæ Sueciæ. *Romæ depositio Bonifatij Episcopi.*

Ad Sanctam Felicitatem. Anceps fui an verba hæc ad Bonifacium Pontificem referenda essent, an vero ad sequentes martyres, Magnum, Castum, & Saturninum. Illud suadebat, quòd aliqui ex adductis scriptoribus Historiæ Pontificalis Bonifacium sepultum narrent *via Salaria iuxta corpus S. Felicitatis*, & Damasus, siue Anastasius tempore schismatis docet, illum incoluisse cœmeterium S.Felicitatis martyris Via Salaria, ibique deinde feciisse oratorium, ac muneribus ditauisse sepulcrum S. martyris Felicitatis, & S.Siluani. At è contra Vetustiori M. insuetum videbam locum venerati martyris postponi, nec improbabile ducebam, Magnum, Castum, & Saturninũ in cœmeterio S. Felicitatis via Salaria fuisse sepultos. Locum, seu cœmeteriũ ad S.Felicitatem describit Aringhius lib. 4. cap. 29. & meminit Bibliothecarius supra adductus in vita Hadriani. De Magno, & Casto agunt cum martyrologio Rom. Vsuardus, & recentiores. Bellinus de Padua addit Maximum, quem seiunctim venerantur adducti mss. codices. Magnum, & Castum Romanos prætermittit M. Vetustissimum, forte quòd eius

libra-

librarius eos inter Aneyranos cælites viderit numeratos, sed cum libris nostris, qui Saturninum addunt, seiunctim, eosdē exhibet M. Corbeiense, quod non modo Saturninum, sed etiam Firminū addit. De Saturnino via Salaria sepulto, eiusq. Ecclesia ab Hadriano Primo restaurata, meminit Bibliothecarius adductus in vita Hadriani, eumq. sepultum, vel in cœmeterio SS. Chrysanthi, & Dariæ, vel prope ex eodem elicitur; quinimo idem qui supra Aringhius putat n. 9. cœmeterium illud idem cum cœmeterio S. Felicitatis fuisse.

In Gallia Ciuitate Cabillone. Marcellum martyrem Cabillonēsem hac die signant cum Romano martyrol. Beda, Rabanus, Vsuardus, Ado, Notkerus, & recentiores; quorum aliqui summatim eius Acta percurrunt, fusius reposita T. 9. Surij, vbi insolens martyrij genus notatur: fuit enim secundo à Cabilone milliario defossus cingulo tenus, vt rectus stans inexcogitabili pœna occideretur, quod tertia die accidit. Hunc Episcopum vocat martyrol. Vetustissimum, quin etiam Episcopum, & Confessorem ms. Reginæ Sueciæ cōtra illorum Actorū fidem, vt duos Cabilonenses Marcellos fuisse suspicionem inducant. Inter Cabilonēses Episcopos Sammarthani Marcellum non exhibent.

Treueris. Cur S. Paulini Episcopi Treuirensis depositionē hìc repetant, tam libri nostri, quam martyrol. Corbeiense, cum eādem indicauerint pridie Kal. Septēbris, difficile est affirmare. Nisi pro depositione aliqua veneretur trāslatio, vtpote translato corpore ab exilio Phrigiæ vbi martyr obijt. Videnda quæ de Paulino supra adnotauimus: videndi etiam Mersæus de Episcopis Treuerensibus, & Sammarthani To. 1. Galliæ Christianæ, qui Paulinum obijsse narrant anno 361. vigesimū octauum Episcopū Treuirensē, & plura de eo cumulantes, nil de translatione referunt.

Nonas Septembris.

IN Portu Romano natalis Sanctorum Taurini. Herculiani. Aristosi. Et in Capua Campanię natalis Sanctorum Quinti. Arconti. & Donati. In Alexandria natalis Sanctorum Nemsidi. Saturnini, & depositio Beati Ingenui Episcopi cum socijs suis. In Aegypto natalis Sanctorū Taurini. Nemorati. Saturnini. Arapollini. *In Gallia Ciuitate Vesontione Natalis Sanctorum Ferrioli, & Ferrucionis cum socijs eorum.*

SEPTEMBRIS 5.

IN Portu Romano tres tantùm martyres numerāt codices nostri: quatuor vero martyrol. Corbeiense, quod ita supra illos exuberat. *Non. Sept. In Portu Romano natalis SS. Taurini, Heroi, Herculiani, Aristosi, & passio SS. Thothalielis, & sororis eius nomine Berbeæ. In Capua Campania natalis SS. Quinti, Arconti, Donati, Magni, Ianuarii. In Alexandria natalis SS. Memsidi, Sturnini. Depositio Beati Ingenui cum sociis suis, quorum nomina Deus scit. In Ægypto natalis SS. Taurini, Nemorati, Saturnini, Arapollonii. In Gallia Ciuitate Vesontione natalis SS. Ferreoli, & Ferrucionis cum sociis eorum:* Binos tantum cælites purpuratos in Portu Romano signat martyrol. Vetussimum Antuerpiense, & binas Alexandrinorum classes hoc ordine. *Nonas Septem-*

Septembris. In Portu Romæ Taurini, & Herculani. In Alexandria Eutcer, Maximi, Nimpi, Saturnini. Et in Capua Quinti, Arconti, Donati. Alexandriæ ciuitate Nimfida, Saturninæ. Ingenui Episcopi. In Ægypto Taurini, Saturnini, Nemosati, Apollini. In Gallijs ciuitate Vesontione Ferrioli, & Ferrucionis. Ex primis Romanis, seu Portuensibus martyribus Herculanum tantum agnoscunt Romanũ martyrol. cum Beda, Vsuardo, Adone, Notkero, Bellino, Maurolycio, & Galesinio, qui in Notis, alios addere Hermanum, siue Herianum fatetur. Rabanus Taurinum, & Heraculanum, siue Herculanum profert: sed præterito Herculano ex his binos refert ms. Reginæ Sueciæ. *Nonis Sept. Romæ natalis SS. Taurini, Arescosi.* Hercoum addit M. Corbeiense, qui Nonnus est in Vetustissimo fragmento Romani martyrologij apud Bucherium. *Nonis Septembris Acontii in Porto, & Nonni, & Herculani, & Taurini.* De Acontio, & Nonno Portuẽsibus egit martyrol. Vetustius nostrum ad diẽ 25. Iulij; vnde mirum non est hic esse prætermissos. Forte socij fuerunt certaminis, sed diuerso tempore seorsim coronati, qui nõ disiungerentur, cum Herculano, & Taurino, in fragmento illo memorantur. Heraclianus non Herculanus dicitur in martyrol. Corbeiensi, & in nostris libris minima differentia Herculianus, sicuti in vetustis aliquibus penes me Calendarijs, sed Herculanum disertè vocant edita omnia martyrologia. Diuersum hunc putarem ab Herculano illo via Lauicana sepulto apud Petrum de Natal. lib. 8. c. 120. eundem tamen cũ eo crederẽ, cuius meminit lib. 11. n. 298. quẽ in Porta Romano positum refert nonis Septembris, & eundem cum eo, qui Parmæ recolitur, vt ex Tab. Ecclesiæ Parmensis refert Ferrarius in catal. SS. Italiæ. Addit martyrol. Corbeiense, nullo alio loco passionis interposito, Hilotalielum, & sororem eius Berbeam. Sed hos in Græcia ex Græco libro habet Galesinius, vocatq. Thathuelem, & Bebæam, seu Beuæam. Hos Menologium à Canisio editum recolit die præterita quarta Septembris, diffusius Thatuelis certamẽ enarrans, breuissimum verò Beuæ, quod fusius à Galesinio describitur, vt videtur ex Menologio Basilij Nonis Septembris, acerbum quidem in vtroq; & memorandum, licet in Romano M. præteritum.

Et in Capua. Omittunt hic Alexandrinos quatuor martyres Eutecium, Maximum, Nimpium, & Saturninum, ab Antuerpiẽsi memoratos, tam codices nostri, quàm Corbeiense martyrol. cum Romano, & alijs; nullibi enim memoratos inuenio hac die, vnde illos esse mutilatos suspicari fas est. Nõ ita de Capuanis accidit, quorum saltem aliqui in omnibus editis martyrologijs memorãtur. Tres Romanum signat Quintium, Arcontium, & Donatum, cum Beda, Vsuardo, Adone, Petro de Natalibus, Maurolycio, Bellino de Padua, & Galesino. Notkerus, Eutychetem, & Maronem addit. Magnum vero, & Ianuarium martyrol. Corbeiense. Rabanus *in Campania Quinti*, tantũ meminit. Beda, Fãtinũ, Nimphũ, & Saturninum memorat, quorum postremi ex adductis Alexandrinis videntur. Ferrarius in catalogo SS. Italiæ nullum adfert auxilium: de his enim nihil legi in Breuiario, & Tabulis Ecclesiæ Capuanæ fatetur.

In Alexandria. Ex gemino Alexandrinorum martyrum choro apud Vetustissimum martyrol. Antuerpiense aliqui cum Capuanis athletis permixti sunt: aliqui in libris nostris interciderunt. Nimphius, vel Nimpius, & Saturninus, primi ordinis apud Bedã, Capuanis associãtur, sicuti Eutychetus, & Maro apud Notkerũ. Eiusdem etiam ordinis videntur Euticius, & Maximus, & primi quoque ordinis sunt Alexandrini Nemphidius, & Saturninus in libris nostris: ex quibus fortasse primi ablati fuerunt, quòd coldẽ esse librarius, siue antiquarius putauerit. Sed

Sed diuersi sexus secundi ordinis Alexandrini cœlites sunt in martyrol. Vetustissimo, Nimphida scilicet, & Saturnina, quãvis nomina eadem sint. Rabanus *in Alexandria Nimphi, & Saturnini* tantum meminit.

Et depositio. Ità cum Alexãdrinis secundo loco recensitis martyribus Ingenuum Episcopum vnit martyrol. Antuerpiense, vt Alexandrinum Episcopum fuisse suadeat; præsertim quòd nomine depositionis non vtitur. At inter Alexãdrinos Episcopos apud Nicephorum Constantinopolitanum Ingenuus non inuenitur. De aliqua interlineari additione suspicionem mouit, quòd Ingenuus Episcopus nusquam mihi compareat, nisi apud Rabanum hac ipsa die his verbis, *& in Alexandria Nimphi, & Saturnini, & depositio B. Ingenui Episcopi.* Episcopus non dicitur in martyrol. Corbeiensi, sed expressè in Antuerpiensi, & nostro. An pro Ingenuo legendus esset *Ingenuinus*, qui Episcopus Sabionensis confessor in exilio obijt, & cuius meminit Petrus de Natal. lib. 3. cap. 85. sed cum de eo omnia intricatissima sint, & nomen, diesq. depositionis non prorsus conueniant plura non adducimus videnda apud eruditissimũ Bollandum ad diẽ v. Februarij. Inter Ebredunenses Episcopos Ingenuum numerant quinto loco Sammarthani, sed nulla sanctitatis nota signatum.

In Ægypto, Ægyptij quatuor hìc signati martyres non alibi indicantur, quod viderim, nisi in codicibus nostris, Antuerpiensi, & Corbeiensi.

In Gallia. De SS. Ferreolo præsbytero, & Ferrurione Diacono agit Martyrol. Romanum ad diem 16. Iunij cum Beda, Vsuardo, & Adone, vbi aliqua cumulat Cardinalis Baronius; de socijs tamen nihil ibi additur. Maurolycius hac ipsa die 5. Septembris de illis ita agit. *Ipso die SS. Apulei, Ferreoli, & Ferruti*, quam celebritatem in Gallijs Vesuntionensi ciuitate inuentionem esse notat Molanus, à B. Aniano peractam tempore Iuliani Imperatoris, quod à Galesinio confirmatur. Eiusdem translationis meminerunt hac die Ferrarius in Generali catalogo, & Saussayus in Gallic. Martyr. Vnde additamentum esse Gallici antiquarij in M. Vetustiori non dubitamus. Præter Apuleium alios socios non inuenimus, neq. in Hagiologio Franco Galliæ Lebbei, in quo 16. cal. Iulij, ita legitur. *In Gallis apud Vrbem Vesontionem SS. martyrum Ferreoli presbyteri, & Ferrutiani Diaconi, qui à B. Irenæo Episcopo ad prædictam vrbem missi, postea sub Diocletiano ex cruciati pœnis gladio feriũtur.* Sed quanta temporum perturbatio Irenæi, & Diocletiani? Aliud agnoscit sphalma Theophilus Raynaudus, qui in Hagiologio Lugdunensi de SS. his martyribus agit eruditè, socioſq; vocat Felicem, Fortunatum, & Archilleum, sed huius Translationis non meminit.

VIII. Idus Septembris.

NAtalis Sancti Adriani. Romæ Via Salaria natalis Sancti Eleutheri Episcopi. In Territorio Cappadociæ Ciuitate Reaten natalis Sancti Quottidi cum socijs suis.

NAtalis dies S. Adriani, ad frontẽ hodierni laterculi notatus in codicibus noſtris, à Martyrolog. Corbeienſi, & Antuerpiẽſi omittitur. Primum ita breues faſtos exhibet. *VIII. Idus Sept. Rome via Salaria milliario ab Vrbe natalis S. Eleutheri Epiſcopi. In territorio Cappadocie, ciuitate Readden natalis S. Cottidi cum ſociis ſuis.* Breuius etiam M. Vetuſtiſſimũ. *VIII. Idus Septembris. Roma Eleutheri. Cappadocia ciuitate Teriaten natalis Cottidi.* Adrianum alibi memoratum hac die non inuenimus, præterquam in paruo Hieronymiano martyrol. ſeu Calendario Lucenſi perantiquo, in quo Septemb. *viii. Idus Eleutherii, & Adriani* memoria indicatur. An idem ſit, qui repetitur infra die 8. non affirmarem. S. Adriani Diaconia celebris Romæ fuit, vbi corpus Nicomedienſis translatum fuit, vt ibi dicemus. Quatuor huius nominis martyres apud Græcos in Menologijs adnotatos inuenio. Primus Cæſareæ die 4. Febr. in Menologio Caniſij, qui 3. Febr. in Menologio Baſilij cum Eubulo ſignatur. Secundus, qui tantum martyr appellatur 17. Aprilis. Tertius cum Natalia vxore, qui Nicomediẽſis eſt 26. Auguſti, & de quo infra agendum eſt 8. Sept. Quartus eadem die filius Probi Imperatoris paſſus item Nicomediæ ſub Licinio. Cum hic vero locus non præfigatur, alicuius Romanæ translationis, aut Baſilicæ dedicationis memoriã peragi fortaſſe non eſſet inconueniens, præſertim ex ſequenti Romanæ vrbis nomine.

Roma Via Salaria. Cum S. Eleutherium Epiſcopum viderint Galeſinius, & Maurolycius non hac die obijſſe, ſed ex libro Pontificali 7. cal. Iunij, in Eleutherium Abbatem, cuius S. Gregorius meminit, & ex eo Surius, declinauerunt. Ita etiam exiſtimauit doctiſſimus Baronius, qui Bedam mendosè putat legere non Abbatem, ſed Epiſcopum, & aſſertionis ſuæ auctorem præfert Adonem. At cum Ado, neque in edito apud Roſueydum, neque in antiquo noſtro Hedino Eleutheri meminerit, ſed eius Appẽdix, ſiue Spuria additio apud Moſandrũ, Eleutherium, neque Epiſcopum, neque Abbatem agnoſcat, ſed tantum ſignet. *Romæ natale S. Eleutheri*, cumq. in adductis martyrol. Corbeienſi, & codicibus noſtris conſtanter retineatur *Eleutheri Epiſcopi*, nihil muto. His addimus mſ. Reginæ Sueciæ, in quo 8. Idus legitur *Romæ Eleutheri Epiſcopi.* Cum verò depoſitionis vox non addatur, certum etiam videtur de aliquo S. Epiſcopo martyre memoriam recoli. Ex vſitato enim loquendi modo, non modo martyr, ſed Romanus Epiſcopus, ſeu Pontifex intelligitur. Exempla paſſim obuia ſunt. Duo tamen obſtare videntur, quin de S. Eleutherio Papa intelligi poſſit. Alterũ quod ſupra die 18. Aprilis Eleutherius Epiſcopus Romæ pariter memoretur, deinde quòd dies natalis S. Eleutherij Papæ in pluribus libris ſignatus, cum viij. Idus Septembris non conueniat. In libro quidem Pontificali, ſiue Damaſi, ſiue Anaſtaſij, obitus eiuſdem notatur 7. cal. Iunij: apud Luitprandum 8. cal., apud Abbonẽ Floriacenſem 9. cal. itidem Iunij. Sed facile obiecta dilui poſſunt. Eleutheriũ Epiſcopum cum Attilia matre die 18. Aprilis memoratum, tam non leuioribus momentis diximus Epiſcopum fuiſſe in Illirico, Romæ martyrio coronatum. De die vero natali S. Eleuteri Pontificis reſponderi poſſet, frequentes eſſe in hiſtoria Pontificali de tempore cuiuſque Pontificis errores; raro enim tempus vni Pontifici aſſignatus, cum antecedentibus, aut ſubſequentibus accomodari poteſt. In Eleutherij autem hiſtoria oculatiſſimus Baronius fatetur errarum eſſe in tempore ſedis, & quamuis annos potius, & mẽſes eius cathedræ emendare

voluerit, quam diem obitus, facilius tamen videtur, errorem potuisse irrepere in vnica numerali nota diei, vel mensis nomine, quam in ambobus. Consentit idem Card. Baronius Eleutherium electum in Pontificem fuisse die 3. Maij, quòd Soterus sepultus fuerit die 22. Aprilis, & cessauerit Episcopatus dies vndecim. At si Eleutherius cathedram tenuit annos xv. menses iij. dies ij. iam obitum eius impossibile est in 7. 8. vel 9. cal. Iunij incidere. sed omnino in quintã diem Augusti. Verùm posito, iam errore in die natali eius, si vnica numeralis nota mensibus adderetur, & legere fas esset post xv. annum, quo sedit, menses IIII. natalis eius dies in quintam Septembris incideret, & cum Vetustiori M. nostro congrueret. An S. Eleutherius martyr, vel confessor obierit, incertum etiam Baronio est, quamuis in antiquis omnibus Martyrologijs affirmet, martyrem scribi 7. Kal. Iunij, cum id mihi non licuerit inuenire nisi apud Bellinum de Padua, & ex eo Molanum, & apud Bedam 6. Kal. dum Vsuardus, Ado, & Notkerus ibi silent. In Calendario vtique antiquo hædino, Breuiario libro præfixo penes me, non negarem, scriptum esse 7. *Kal. Iunij Eleutherij PP. & M.* Nec difficile est sub Imperio Comodi, cum alijs pluribus martyribus palmam accepisse. At cum aliàs Vetustius martyrol. nostrum à Romano emendato in die alicuius celebritatis dissideat, non inde abijciendũ esse putamus: ex translationibus enim Sanctorum corporum facile fuit, dies venerationis alicuius immutari, sicuti etiã de S. Eleutherio Pontifice accidere potuit, qui apud S. Petrum in Pontificali historia sepultus dicitur, hìc Via Salaria, vnde translatus in Vaticanum esse potuerit. Si cui hæc non arrideant, Eleutherium recogitet alterius Vrbis Episcopum, Romæ martyrio coronatum, vel Episcopi titulum in Abbatem immutet. Si primum placet auctorem Rabanum inueniet, qui S. Eleutherium Episcopum quinquagesimo milliario ab vrbe natalẽ habuisse, his verbis docet. *viij. Idus. Zachariæ Propheta. Romæ via Salaria milliario ab vrbe quinquagesimo natale S. Eleutheri Episcopi.* In antiquis martyrologijs adnotari consueuisse martyres in Romanis vijs coronatos alibi diximus, & vrbi Romanæ ascribi, quantumuis alterius ciuitatis, & loci esse potuerint.

In Territorio Cappadociæ. Vetustissimum martyrol. nihil de territorio Cappadociæ habet, quod minus propriè videtur additum, sed tantùm, & vetustioris M. stylo, *Cappadociæ ciuitate Seriaten.* Nomen vrbis non refert Romanum M. sed in Cappadocia Cottidium Diaconum, Eusebium, & socios recolit. Cappadociæ apud vrbem Reaten Cottidium Diaconum tantùm signat Vsuardus, quẽ sequuntur Bellinus de Padua, & Maurolycius. Ado, & Notkerus silent. Beda est qui Cottidio Diacono Eugebium, ac socios addit, & eum sequitur Galesinius. Eugenium prætereunt cum libris nostris alij adducti codices. De Vrbe Cappadociæ, siue Reatæ, siue Readden, siue Teriate, nihil apud Geographos hucvsq; mihi licuit inuenire, neq. etiam de ciuitate Ruetensi in codice Rabani; ita enim dicitur vrbs S. Cuttidi. viij. Idus Sept. *In Territorio Cappadociæ ciuitate Ruetensi natale S. Cuttidi, Eugenii Episcopi, & sociorum eius.* Eugenius Episcopus in alijs codicibus non memoratur.

VII. Idus Septembris.

CApua Ciuitate Beneuento natalis Sanctorum Sesonti. Ianuarij. Fisti. Acuti. Desiderij, & passio Sancti Anastasi martyris. *In Gallia depositio Sancti Agustalis Episcopi. Aurelianis depositio Sancti Euoti Episcopi, & Confessoris, & in Territorio Parisiorum depositio Beati Chodoaldi Regis.*

LVxatos hìc agnoſcimus libros noſtros, & ope martyrol. Vetuſtiſsimi reſtituimus. *Capua Ciuitate Seſonti, ſiue Senoti. Beneuento Ianuarij, &c.* Hoc enim ordine illud procedit. *VII. Idus Septembris Capua natalis Sinoti. In Beneuento Ianuarij, Feſti, Acuti, Deſiderii. Sancti Anaſtaſij Epiſcopi. Arelate ciuitate Auguſtalis Epiſcopi, Aurelianis, Euorti Epiſcopi. Pariſijs ciuitate Chlonouandi Regis, & Confeſſoris.* Aſtipulatur mſ. Reginæ Sueciæ, in quo 7. Idus adnotatur. *Capua natalis S. Senoti.* Mutilum ſimul, ac luxatũ agnoſcimus M. Corbeienſe: deeſt enim Capua ciuitas, & Senotus Beneuento, vt in noſtris aſſignatur. *VII. Idus Septẽbris, Beneuento ciuitate nat. SS. Senoti, Ianuarii, Fiſti, Acuti, Deſiderii, & paſſio S. Anaſtaſii cum ſociis ſuis. Arelato ciuitate depoſitio S. Auguſtalis Epiſcopi. Aurelianis ciuitate depoſitio S. Euortii Epiſcopi, & Confeſſoris. Auguſtiduno ciuitate loco, qui dicitur Aliſia natalis S. Reginę martyris. In Territorio Pariſiorum, Vico Nouiento, Depoſitio Beati Clodoaldi Regis, poſtea presbyteri, & Confeſſoris.* De Senoto Capuano martyre, ſiue vt libri noſtri retinent, Seſontio ſeiunctim alibi non agitur, quam in M. Antuerpienſi, & mſ. Reginæ Sueciæ; in alijs enim codicibus Beneuentanis martyribus ſociatur. Pamphilum Capuæ hac die ex Indiculo Eccleſiæ illius memorat Martyrol. Romanũ emendatum, & Epiſcopum vocat, & hac die Ferrarius in Indice catal. SS. Italiæ inter Capuanos cœlites refert, de quibus officium non celebratur; ſed nominis diſparitas non ſinit cum Senoto confundere. An idem ſit Seſontius, ſiue Senotus Capuanus cum Soſio Diacono, qui inter martyres Beneuentanos anteſignanus refertur in eorundem, ſeu potius eiuſdem Soſij Actis, dubium reddit aliqua nominis diuerſitas, locus paſſionis, & patria. Soſius in Actis illis à Ioanne Diacono Beneuentano ſcriptis ciuis, & Diaconus Meſenates dicitur, ac ad Sulphuratoriã Puteolanã, cũ Ianuario Beneuẽtano Epiſcopo Proculo, & Feſto Diaconibus, Deſiderio Lectore, Euticete, & Acutio laicis gladio martyriũ cõpleuiſſe, ſed varijs in locis ſepultos eſſe narratur. Puteoli nempe Proculus, Euticetes, & Acutius. Neapoli Ianuarius: Feſtus, & Deſiderius Beneuenti: Soſius Leuita à ciuibus ſuis Meſenatibus raptus in Eccleſia collocatus dicitur die 9. Kal. Octobris, vnde Miſeno deſtructo, in Abatiam Luculani oppidi, quamquã euerſi, in Eccleſia S. Seuerini translatum fuit. Etſi verò negari nequeat, plures ex his SS. martyribus cum allatis in Vetuſtiori noſtro Beneuentanis conueniſſe, cum tamen Proculus deficiat, & Euticetes, & fortaſſe Soſius, non facile vtdetur, affirmandum eoſdem eſſe. Soſius, & Proculus Diaconi Beneuentani memorãtur etiã in Menologio Græcorum Caniſij cum Fauſto, & Deſiderio clericis, ad diem 19. Septembris, qui omnes dicuntur ſocij Ianuarij Beneuentani. Die vero 21. Aprilis, quando eorundem memoria repetitur, additur Acution, & vtrobique ſub Diocletiano paſſos eſſe affirmatur. De S. Soſontio, ſiue Sozontio natione Lyco, ſeu ex Lycaonia agunt hac die 7. Sept., tam Menologium Caniſij, quam Baſilij, paſsũq; ſub Maximo Præſide Ciliciæ narrant; vnde niſi ex Græcia Capuam aliquando translatus ſit, cum Soſontio Capuano confundi nequit. De Ianuario quidem, & Acutio agit iterum M. noſtrum ad diem 19. huius menſis, vbi eos memorat Romanum M. & de S. Ianuario, eiuſq. prodigijs aliqua Card. Baronius addit. Petrus de Natalibus, nõ eodem tempore Sotium Diaconum cum reliquis coronatum narrat cap. 93. lib. 8. ſed poſt aliquot dies, nempe 9. Kal. Octobris; illos vero 13. Kal. eiuſdem mẽſis, in quo cum Actis Ioannis Diaconi non congruit.

congruit. Martyrologium noſtrum cum Ianuario, Soſiũ incerto loco recolit infra die 29. Septembris, vt cum Seſontio, Capuano, ſiue Senoto vix ille componi poſſit. De S. Ianuario, & ſocijs in eorundem actis plurima legi poſſunt apud Antonium Caracciolum cap. xx. de ſacris Eccleſiæ Neapolitanæ monumentis, qui eorum natalem antiquitus fuiſſe exiſtimat 13. Kal. Octobris, ſed à Clemente Quarto, ob ferias vendemiales, translatum in 8. Idus Maij. Rabanus Innocentium habet in Campania, præteritum in adductis codicibus, reliquos in vrbe Beneuentana, his verbis. *vj. Idus. Natale S. Chlodoardi Confeſſ. In Campania natale Innocentii, & in Beneuento Ianuarii, Feſti, Acuti, & Synoti, & Deſiderij.*

Paſſio S. Anaſtaſij. Martyrem tantum, non Epiſcopum referunt S. Anaſtaſium, tam codices noſtri, quam M. Corbeiéſe; Epiſcopum verò profitetur M. Antuerpienſe. Nihil autem vetat martyrem eſſe ſimul, & Epiſcopum. Quia vero locus non exprimitur, & in aliquibus martyrologijs Anaſtaſius Aquileienſis martyr recolitur, puta in Romano, in Additionibus ad Vſuardum, & apud Ferrarium in catalogo SS. Italiæ, idque ex Petro de Natalibus lib. 7. cap. 124 ſexto, vel ſeptimo Calendas Septembris, ſuſpicari liceret in Vetuſtiori Martyrol. noſtro de Anaſtaſio martyre non Epiſcopo, cultũ hìc renouari. At cum is idem ſit, ac Anaſtaſius in Vrbe Solona Dalmatiæ coronatus, & ciuis Aquileienſis, cuius memoriã diſertè agit idẽ martyrol. noſtrũ ad illam diem, vix credimus eundem in hodiernis faſtis venerari: eòque magis quia M. Corbeienſe ſocios addit, in actis Anaſtaſij Sabinenſis, vel Aquileiéſis non indicatos, & quia eadem acta martyrium, quod ille habebat in votis, ſubijſſe, quidem narrant, non vero in Epiſcopali dignitate conſtitutum fuiſſe, ſed artem fullonicam exercuiſſe. De S. Anaſtaſio martyre meminit Menologiũ Græcorum Caniſij ad diem 25. Octobris, in quo licet, nec paſſionis locus, nec dignitas Epiſcopalis indicentur, attamen dũ ad Fidẽ Chriſtianã prædicatione multos conuertiſſe narratur, nec Epiſcopale prædicationis munus, nec paſſionis per enſem conſummatæ ſocios excludit.

In Gallia. S. Auguſtalem Epiſcopum Arelatenſem Beda fuiſſe aſſerit, quod Card. Baronius negat eo ductus argumento, quod ſimul cum S. Hilario Arelatenſi ſubſcripſerit Cõcilio primo Arauſicano tempore S. Leonis Papæ. At non ita vrget argumentum, quin S. Auguſtalis ille alterius vrbis Epiſcopus eſſe potuerit, non Arelatenſis, ſicuti neque Cæſarius ibi ſubſcriptus, quamquam S. Cæſarius etiam Arelatenſis fuerit Epiſcopus. Non enim, qui Concilio illi ſubſcribunt propriæ ſedis, nomen apponũt, & ſicuti alium putauit idem Baronius Cæſarium ibi repoſitum anno 441. nu. 3, ita alius Auguſtalis eſſe potuit: nec Demochares, qui in ſerie Arelatenſium Epiſcoporum S. Auguſtalem omiſit, tanti videtur, vt omiſſus reſtitui nequeat, præſertim quòd etiam Rabanus hoc ipſo die eius ita meminerit. *Arelate Gallia Ciuitate natale S. Auguſtalis Epiſcopi.* Sauſſayus, vel ſummi viri Baronij argumenta non vidit, vel diſſimulauit; ad hãc enim diẽ S. Auguſtalem ipſum, qui ſub S. Leone floruit, recolit, & ab ipſo S. Pontifice nominatim ſalutatum refert in ſententiæ limine, quam tulit pro Eccleſiarũ Arelatenſis, & Viennenſis firmanda cõcordia. Arelatenſem Epiſcopum diſertè vocant Martyrolog. Vetuſtiſſimum, & Corbeienſe quamquam in libris noſtris ſedes Epiſcopalis incuriosè prætermittatur, ſicuti in ſerie Archiepiſcoporũ Arelatenſium illum etiam Sammarthani omittunt.

Aurelianis. S. Euurtium, non Euotum Aurelianenſem Epiſcopum ſignat hac die Sauſſayus, & Euurtium pariter vocat Hagiologium vetus Francogalliæ Lebbei, vbi ſtrictim acta illa indicantur, quæ fuſiùs habet Petrus de natalibus lib. 8. cap. 48. penes quem Euuncius dicitur. De eo agit etiam M. Romanũ cum Beda, Rabano,

Rabano, Vſuardo, & Adone, vnde Euoti nomen corrigendum eſt in libris noſtris, & reſtituendum Euortij, vt habent MM. Antuerpienſe, & Corbeienſe. Sammarthani Euurtium ſextum Epiſcopum Aurelianenſem numerant, & ex Guyonio migraſſe ad Chriſtum referunt 7. Septemb. anno 390.

In Territorio Pariſiorum. Adductum FrancoGalliæ Hagiologium ita de Clodoaldo presbytero, & Confeſſore ſcriptum retinet. *In Territorio Pariſiacenſi S. Clodoaldi presbyteri, & Confeſſoris, tam generis, quam mentis nobilitate conſpicuus.* Quod enim in M. noſtro Rex nũcupetur cuenit, quod filius fuerit Alodomiri Regis Francorum. Ad Romanũ Martyrol. plura de eo cumulat Baronius, ex Beda, Vſuardo, Adone, Gregorio Turonenſi, Sigiberto, Petro de Natal. Videndi etiam cum Sauſſayo sũt reliqui ſacræ Galliæ ſcriptores, ex quibus anteactis ſæculis hęc additamenta ad Vetuſtius M. accreuerunt.

VI. Idus Septembris.

NAtiuitas Sanctæ MARIAE Matris Domini, & natalis Sancti Adriani. In Antiochia natalis Sanctorum Tymothei. Fauſti. In Alexandria natalis Sanctorum Ammoni. Fauſti. Serapionis. Pij. Item Pij. Teofili. Neotheri. & aliorum xviij. Nemeſi. Arioni. Ammoni. Paſſio Sanctorum Petri. Sauini. Demetri, cum alijs xl. Didimi. Mitiſori. Peneti. Achilli. Hyſidori. Serapionis. Magitæ. Oroſei. Siluani. Serapionis, & aliorum dxxij. Demetri. Seueri, cum alijs xi. item Seueri cum alijs xl.

SEPTEMBRIS 8.

SAnctiſſimæ Deiparæ natiuitatem à vetuſto tẽpore celebrem fuiſſe vir ſummus Baronius exiſtimat, non tamen ante D. Auguſtini ætatem, quòd is ſerm. 20. & 22. de Sanctis affirmet, nullius natiuitatem in Eccleſia celebrari, præterquam Saluatoris noſtri, eiuſq. Præcurſoris Ioãnis. Nec vetuſtis temporibus diem certum habuiſſe, quando primum celebrari cæpit, videtur poſſe docere martyrolog. Vetuſtiſſimum S. Villibrordi, in quo Natiuitas quidẽ Beatiſſimæ Virginis adnotatur, ſed xvij. Kal. Septembris, non vj. Idus, vt ex eiuſdem anniuerſario ſegmẽto, ita clarum eſt. *VI. Idus Septembris. Antiochiæ natalis Timothei. In Alexandria Ammoni, & aliorum xxx. Fauſti, Serapionis, Pij, item Pij, Theofili, Neotheri, & aliorum xxiij. Nemeſi, Arionis, Ammoni, Petrini. Seueri, Demetri, & aliorum xl. Dudini, Mitoſori, Panemoti, Achilæ, Sidori, Serapionis, Migilii, Oroſei, Siluini, Orobionis, & aliorum cxxij. Metri, Seueri, cum aliis xii.* Verùm tam in libris noſtris, quam in fronte Corbeienſis Martyrol. Deiparæ Natiuitas, ita in ſacris faſtis hac die reponitur. *VI. Idus Septembris. Natiuitas Sanctæ MARIAE Matris Domini Noſtri IESV Chriſti ſecundum carnem. Et paſſio S. Adriani martyris. In Alexandria natalis Sanctorum Ammonii, Iuſti, Serapionis, Pii. Item Pii, Theophili, Neoteri, & aliorum viginti duorum, Nemeſi, Arioni, Ammon. Paſſio ſancti Petri, Sabini, Demetrici cum aliis quadraginta, Didymi, Mitiſori, Paneti, Achilli, Iſidori, Serapionis, Migitæ, Oroſei,*

ſti, Siluani, Anepionis, & aliorum ſeptingentorum quatuor. Item Denetri, Seueri, cum aliis vndecim. Item Seueri cum aliis quadraginta. In ea die Collectio multorũ martyrum corporum. In Antiochia natalis ſanctorum Timothei, Fauſtiniani. In hoc ipſo die omnia, quæ ſuperſunt latinorum martyrologia edita Sanctiſſimæ Virginis Natiuitatẽ recolunt. Sicuti pariter Græcorum Eccleſia, tam in Menologio Caniſij, quam Baſilij eandem veneratur. Ioannes Belethus apud Petrum de Natalibus teſtis eſt, diem Natalem Virginis priſcos latuiſſe, & per cuiuſdam S. Viri reuelationem innotuiſſe, qui vi. Idus Septembris ſuauiſſimos Angelorum cãtus audiens, Natalitia Virginis celebrari reſciuit. Nulla tamen vetuſtior memoria mihi comparet ex latina Eccleſia, quam in Sacramentario S. Gregorij vi. Idus Sept. & in antiquo Ordine Romano. Quãquam enim ſermo D. Auguſtini in Eccleſia legatur, & ipſius revera ſit, Natiuitati tamen accomodatus eſt, licet in Annunciatione dictus fuerit. Sub Sergio Papa, qui ſedebat anno 630. iam ſolemne erat Natiuitatis Deiparæ Feſtũ, & ea die ſtatæ ſupplicationes fiebant, vt præter Anaſtaſium, ſeu Pontificalem hiſtoriam habent idem Ordo Romanus, & Notkerus proxima die. Mandauit enim Sergius Litanias peragi *in diebus Annũciationis Domini, Dormitionis, & Natiuitatis S. MARIAE*. Dies tamen huic celebritati dicatus præcisè nõ exprimitur. Nona, non octaua die Septembris contigiſſe Beatiſſimæ Virginis ortum colligit Chriſtophorus de Caſtro in Hiſtor. Deiparæ cap. 2. & in calendario Romano antiquo apud Frontum nona die ita reponitur. *Menſe ſeptimo die nona Menſis Septembris Natiuitas S. MARIAE.* In adducto S. Gregorij Sacramentario, & oratione ſuper populum dicitur ad v. Idus Septembris illam eſſe *diem, quo Felix eius eſt inchoata Natiuitas*, & in orat. ad Matutinum legitur B. Virginem eſſe *Hodiernæ Feſtiuitatis prolatam exortu*. In Galilea Nazareth felicem natalem contigiſſe, educunt plurimi ex Hippolyto Portuenſi apud Nicephorum lib. 2. c. 3. At nihil ibi de Nazareth expreſſum legitur: ſed tantum Annam nuptam eſſe tertiò *in Terra Galilææ*, & protuliſſe Deiparam. Vnde alij in Bethleem Iudeæ, alij Hieroſolymæ natam volunt, Ioachimum quidem fuiſſe Nazarenum, Annam vero Bethleemiticam habet Maurolycius, ex libro Apocripho, cuius meminit Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus in ſermone de hoc feſto inquiens. *Hac die peculiariter in Eccleſia recitandus eſſe videbatur ille liber, qui de ortu eius, atq. vita ſcriptus inueniebatur, ſi non indicaſſent eum Patres inter Apocripha numerandum.* Ex hoc libro, interprete, vt putabatur, Hieronymo aliqua excerpſit Petrus de Natal. lib. 8. cap. 51. Nazareth natam Virginem plurimi concedunt, ſed ex his ſunt, qui duas ſacras domos Nazareth fuiſſe velint, aliam in qua nata Virgo ſit, aliam in qua Angelicam Salutationem acceperit, vt alibi diximus: De Deiparæ Natiuitate, qui plura deſiderat, adeat Hippolyti Marraccij noſtri, in Sanctiſſimã Virginis propenſiſſimi, pias, ac doctas lucubrationes, præſertim notationes ad Mariale S. Germani orat. 1.

Natalis S. Adriani. Sancti Nicomedienſis martyris Adriani natalis cum eiuſdem ſocijs, in hoc Vetuſtiori martyrol. recolitur iiij. Nonas Martij, & eiuſdẽ vel alterius etiam memoria agitur ſupra die 6. Septẽbris, vbi quatuor huius nominis cælites à Græcis veneratos adduximus. Ex varijs autem reliquiarũ tranſlationibus, vel Baſilicarum dedicationibus non negamus, vnius, & eiuſdem Adriani plures celebritates, ſeu natales potuiſſe emergere. Hac equidem die S. Adriani Romæ ſolemnia peragi conſueuiſſe ſuadent, tùm S. Gregorij ſacramentarium, tùm vetus calendarium Frõti, in quo ſignatur *die 8. Natalis S. Adriani*. Animaduertit tamen Molanus hanc eſſe celebritatem tranſlationis S. Corporis Romam, cui conſentit cum Romano martyrol. Cardinalis Baronius, exiſtimans

ſtimans primam translationem Nicomedia Byzantium fuiſſe 7. Kal. Septembris, qua die Græci S. Adriani natalitia colũt. Acta eius apud Surium T. 9. ad diem 8. Septembris, valde pathetica, diem paſſionis non ſignant, attamen hac die præ omnium manibus verſari notat Notkerus, qui ſtrictim eadem delibat, & xxiij. ſocios addit Ado latius eadem percurrit, qui etiam addit non longo poſt tempore à prima Byzantium translatione corpus S. Adriani Romam fuiſſe perlatum, & horum paſſionem eſſe vj. Idus Septembris, in quo à Baronio reprehenditur. Clariſſimus martyr Romæ etiam eſt habitus S. Adrianus, cuius per vetuſta memoria extat apud Arcum Scueri. Rabanus ante Notkerum, & Adonem hæc habet. *vi. Idus natale S. Dei Genitricis, & in Nicomedia natalis ſancti Adriani martyris cum xxiii.*

In Antiochia. Timotheum, & Fauſtũ Antiochenos exhibet M. Corbeienſe poſt Alexandrinos alio à codicibus noſtris ordine; in hoc etiam non Fauſtus, ſed Fauſtinianus alter eorum nũcupatur. Timotheus tantùm in martyrol. Vetuſtiſſimo memoratur; nam Fauſtum in ſecunda claſſe Alexandrinorum recenſitum abſtulit fortaſſe Antiquarius tanquam repetitum. Meminit Vſuardus cũ Romano martyrol. Bellino, & Galeſino, qui mſ. libros producit. Maurolycius non modo Timotheum, & Fauſtum, ſeu Fauſtinum, refert Antiochiæ veneratos, ſed eiſdem ſocios addit Amphionem, Seuerum, & Seuerianum, vt par eſt credere, & in præfatione profitetur, ex vetuſtis exemplaribus martyrologiorum.

In Alexandria. Non niſi Ammoniũ, Theophilum, & Neotherium, nominibus indicatos martyres, & alios anonymos xxij. Romanum martyrolog. cum Vſuardo, alijſq. recentioribus exhibet, & vt ibi putat. Baronius eoſdẽ, quos Dionyſius Alexandrinus notat apud Euſebium lib. 6. cap. 34., aliumq. Ammonium hunc exiſtimat eſſe ab alio Alexãdrino, qui vna cum Fauſto, & Didio paſſus eſt ſub Diocletiano apud eandem Euſebiũ lib. 8. cap. 25. & Nicephorum lib. 7. c. 16. At qui à Dionyſio referuntur ſunt Ammonius, Zeno, Ptolemæus, Ingenuus, & ſenex Theophilus, vt ex his nõ niſi bina nomina conueniant, hoc eſt Ammonius, & Theophilus; reliqui vero Zeno, Ptolemæus, & Ingenuus cum in Vetuſtiori M. non memorentur, niſi inter anonymos includi velimus, ex eadem ratione diuerſitatis ſociorum, quam ibi Cardinalis Baronius affert, licet ſuſpicari, eoſdem non eſſe cum alijs ſub Decio, eiuſq; perſecutione coronatis apud Euſebium. Ex nominibus potius Ammonis, Fauſti, & Didi, ſiue Dimi, & Petri, qui inter alios plures hìc producuntur patarẽ, hos ex Epiſcopis, & presbyteris illis eſſe poſſe, quos Alexandriæ, & per totam Ægyptum, & Thebaidem coronatos refert Euſebius lib. 8. cap. 13. recentioris editionis. Profectò cum Euſebius enumeret inter eos Præſides Eccleſiarum, qui religionis, quam prædicabant, ſinceritatem, fuſo ſanguine declararunt, neq; inſtituti eius tunc ſit, vel ſocios addere, vel agones narrare, nihil vetaret, Alexãdrinorum adductum martyrum chorũ, ex eorundem Præſulum, & præsbyterorum diſcipulis, ac ſocijs fuiſſe, ſicuti certum eſt, ab eodem Euſebio duos diſtinctos Ammonios Alexãdrinos numerari. Hos in plures turmas diuidunt cum M. Corbeienſi codices noſtri, quamquã in anonymorũ numero aliquantulũ variẽt. Primi agminis ductor eſt Ammonius primus cum alijs ſeptem cęlitibus nominibus ſignatis, & anonymis xviij., vt exhibent libri noſtri, vel xxij. vt martyrol. Corbeienſe, in quo minus apte pro Fauſto Iuſtus legitur. Vetuſtiſſimum M. ſub Ammonio xxx. anonymos indicat, in quibus ſex nominibus expreſſos includere veriſimile eſt, dum Fauſtum, & Serapionem, & alios in ſecundo choro conſtituit cum anonymis xxiij. Secundã turmam ducit in codicibus noſtris, & Corbeienſi Nemeſius cum Arione, & altero Ammonio, quibus M. Vetuſtiſſimũ aſſociat Petrinum, ſiue Petrum, Sacrinũ,

&

& Demetrium cum anonymis xl.; qui tertiæ classi videntur potius ascribendi per verba illa, tam libris nostris, quam Corbeiensi communia *Passio SS.*, quæ mediant, addita distinctiua nota, inter Ammonium, & Petrum. Dydimus quartam aciem ducit ad gloriam, qui Didius, seu Dius Eusebij (Dudinum legit martyrol. Vetustissimum) esse potuit Presbyter Alexandrinus, cui alij nouem nominatim indicati succenturiantur, & anonymorum phalangem ducunt, nempe quingentos viginti duos iuxta codices nostros, vel iuxta M. Antuerpiense centum tantum viginti duos, vel septingentos quatuor, vt habet M. Corbeiense. Alter Demetrius cum Seuero quintam nobis turmam explicat anonymorũ vndecim, alius verò Seuerus sextam quadragenorũ pugilũ. Aliqua in nominibus leuis differentia inter adductos codices intercedit, quæ facili negocio emendari, & conciliari potest; melius enim scriptũ videtur Demetrius pro Demetrico, Panetius pro Panemotio, cum hæc nomina vsitatiora fuerint. Addit M. Corbeiense, quod in alijs codicibus desideratur, in hoc die, siue Alexandriæ, siue vniuersim in Ægypto, vt probabilius ex Indiculi serie videtur, magnam fuisse martyrum carnificinã, quoniã *in ea die collectio multorum martyrum corporum fuerit*.

V. Idus Septembris.

ROmæ Via Lauicana intra duos lauros in Cemiterio eiusdem natalis Gorgoni. Et in Sauinis miliario ab vrbe xxx. Natalis Sanctorũ Iacenti. Alexandri. Tyburti. In Cesarea Cappadociæ natalis Sanctorũ Donati. Cleasi. Fortunati. Ammoni. In Peritis natalis Sancti Marci. Lebrati.

SEPTEMBRIS 9.

GOrgonium illustrẽ martyrem Romæ Via Labicana, seu Lauicana, in hodiernis fastis exhibet etiam, cum libris nostris, antiquissimum fragmentũ Romani M. apud Bucherium. *Quinto Idus Gorgoni in Labicana*. Confirmat M. Corbeiense *V. Idus Septembris. Romæ via Lauicana inter duos Lauros natalis S. Gorgonij. Et in Sabinis miliario ab vrbe, natalis SS. Hiacynthi, Alexandri, Tiburtij, Iunini, Siluani. In Cæsaria Cappadociæ natalis SS. Donati, Eleasi, Fortunati, Ammonij. In Parthis natalis SS. Marci, Libratis, Iulij*. Romæ tantum, sine cœmeterij inter duas Lauros additione, S. Gorgonium indicat hoc ordine Martyrolog. S. Villibrordi. *V. Idus Septembris. Romæ Gorgoni, & in Sabinis Iacinti. In Alexandria Tiburi. Cesareæ Cappadociæ Donati, Cleasi, Fortunati. In Ponticis Marci.*

Gorgoni. Ad viam latinam Dorotheũ, & Gorgonium veneratur Romanum martyrol. cum Beda, Vsuardo, Adone, ac alijs recentioribus; hos quos Maurolycius addit Petrum ex Eusebio. Putat etiam eruditissimus Baronius Gorgoniũ hũc esse Nicomediẽsem Palatinum Diocletiani, quem prius Romam, deinde in Gallias translatum docet Sigibertus in Chronico an. 764., huncque sepultum esse via Latina, ex pluribus martyrologijs deducit. At vnde re vera constet Gorgonium, qui hac die recolitur, fuisse Nicomediensem difficile est aliunde asserere, quam ex Adonis, Vsuardi, & Bedę martyrologijs; Vetustiora enim, quæ adducimus mss. Gorgonij tantum memoriam agunt, & Dorotheum silent. Accedat, quòd hi martyres cum Petro ab Eu-

sebio inter primitias martyrũ, in persecutione sub Diocletiano excitatæ, referuntur, quando primæ leges contra Christianos vulgatæ sunt mense Martio: vix enim edictum contra Ecclesias Nicomediæ vulgatum est, cum Ioannis, vel ignoti cuiusdam nominis, illustrissimi martyris, edictum excerpentis agonem recenset, mox statim Dorothei, Gorgonij, & Petri ex Imperatorũ familia certamẽ signat, vt vix in mensem Septembris eorum passio incidere potuerit; quinimo ex Vetustiori nostro M. Gorgonius, & Dorotheus Nicomediæ recolantur die 12. Martij, quòd rectè cũ Historia Eusebij cõgruit. Cũ tamen Gorgonius etiã in Vetustiori M. nostro producatur, hũc dicẽ trãslationis Romã ex Nicomedia credere par est, vel alium esse Gorgoniũ. Nil autẽ vetaret Gorgonium, qui Nicomediæ passus sit, Romanum fuisse; non enim Eusebius, aut alii, qui ex eo acceperunt, Nicomediensem ciuem referunt, sed ex Imperatorum familia, in qua plures Romanos fuisse non dubitarem, præcipuè si Gorgonius in Imperio Præfecturam gessisset, vt non obscurè Eusebius docet, quia siue splendor dignitatis, siue generis nobilitas causa etiam esse potuit, vt corpus Nicomedia Romam deferretur. Magis dissonat, vt idem Gorgonius sit cum Nicomediensi, quod hic Romam translatus dicatur via Latina, noster vero veneratus dicatur via Labicana inter duas Lauros. Difficultatem vidit Aringhius Romæ subt. lib. 4. cap. 6. Gorgonium enim, tam acta mss. in Vaticana, quam Bedam, Vsuardum, & Adonem via latina sepultum docere vidit, & tamen in codice Vaticano addi via Latina inter duas lauros, quamuis locum inter duas lauros procul dubio via Labicana existere confiteatur. At nulla alia vetustioris scriptoris auctoritate adducta suspicatur Aringhius, locum alium inter duas lauros nuncupatum extitisse etiam Via latina, quòd ibi multæ lauri fuerint. Veteré quoque Damasi Pontificis marmoream inscriptionem in Titulo Equitij, in Exquilij adhuc seruatam, seu in Ecclesia S. Martini de Montibus producit idem Aringhius ex proximis cœmeterijs trãslatam, in qua *Magno sub vertice Montis Gorgonium*, seruatum fuisse legitur, hoc est sub vertice Esquilini propinqui mõtis, seu via Labicana, quæ à Porta Exquilina incipiebat. Locum quidem, seu cœmeterium inter duas lauros vocatum, & in pluribus martyrum historiis, ac martyrologiis memoratum, via Labicana fuisse tertio ab Vrbe miliario nemo negabit. Vnde suspicari datur in re nota, vt antiquorum monumentorum stylus est, vetustiora Acta, seu Martyrologia scriptũ habuisse, *Via L.*, & alios rectius *Via Labicana* restituisse, alios minus appositè *Via Latina*, & hinc in aliquibus martyrologijs via Latina pro Labicana scriptũ inueniri. Maius negociũ faciunt plurimi martyres, qui Gorgonio succẽturiantur apud Rabanum, & qui in nostris, & adductis codicibus desiderantur, siue librariorum incuria, siue edacis temporis iniuria. Hos autem ad integritatẽ Vetustioris martyrologij hic non piguit afferre. *V. Idus. Romæ Gorgonii martyris, & Candidæ, Cyrini, Domitiani, Eunosci, Sisinnij, Erachilij, Alexandri, Ioannis, Claudij, Athanasii, Valentis, Eliani, Melicij, Radicii, Acacii, Iuliani, Eliani, Theoduli, Cyrilli, Flauii, Seueriani, Valerii, Chudionis, Sacerdonis, Prisci, Enacii Iuuenalis, Philoctimonis, Etij, Etij, Micalli, Lysimachi, Theophili, Euticii, Xanthii, Aggei, Lemii, Insitii, Gaii, Basilidis. Hi omnes simul quadraginta passi sunt tẽporibus Licinii Imperatoris, & Agricolæ Præsidis, & Lyciæ Ducis.*

In Sabinis. Eadem habent Beda, Vsuardus, Notkerus, Bellinus, Maurolycius, cum Romano M. cui nihil addit Baronius, aut Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Galesinius supra Vsuardum adducit librũ ms. At Mart. Vetustissimũ Iacynthum tantummodo indicat, & pro Alexandro legit. *In Alexandria Tiburi*, seu Tiburtii. Facilis lapsus esset Alexandri in Alexandriam, quem retinet Vsuardus,

sed

ſed pro ſancta martyre, non vrbe. Vnde contra tot codicum fidem nihil muto, quinimò Petrum de Natalibus addo, qui ex vetuſtis, vt profitetur, martyrologijs, Hieronymiano præſertim lib. xi. n. 243. Hiacyntum Epiſcopum vocat, & die ſequenti ita veneratur. *Hiacynthus Epiſcopus, Alexander, & Tiburtius martyres in Sabinis milliario ab vrbe xxx. paſſi sũt V. Idus Septembris.* Rabanus Iacynthum tantum recolit, cuius acta in Sabinis lõgius proſequitur, & Diaconum non Epiſcopum vocat.

Cæſarea Cappadociæ. In M. Vetuſtiſſimo deficit Ammonius: Corbeienſe cum noſtris codicibus conſonat. Notkerus cum reliquis latinis de quatuor Cæſarienſibus martyribus hac die omninò ſilet.

In Peritis. Perita nomen Vrbis eſt ab Alexandro Macedone in India condita, vt auctor eſt in eius vita Plutarchus. Ex ea vix martyrem tam longinquè adnotatum crediderim. Perinthi potius legendum ſubijt, quæ vrbs eadem eſt cum Heraclea Traciæ ad Propontidẽ, in qua regione perſecutionis procella nõ ſiluit. Nec à lectione M. Vetuſtiſſimi longè diſtaret, quod *in Ponticis* legit, hoc eſt in Ponto. *In Parthicis* retinet Corbeienſe, quod eſſet in Parthia Aſiæ regione, quã Cedrenus interiorem Perſidem vocat. Vtra lectio retinenda ſit, cui maior codicum antiquorum copia ſuppetit, ex plurium conſenſu diudicare poterit. Libri noſtri Marcum, & Libratium, ſiue Lebratium memorant; M. Antuerpienſe Marcum tantum: Corbeienſe Marcum, Libratem, & Iulium, editis reliquis martyrologijs ignotos.

IIII. Idus Septembris.

IN Ceſarea Cappadociæ natalis Sanctorum Eupli. Alexandri, Caprici, Hyſici. Aloponi. Siluani cum alijs v. In Alexandria natalis Sanctorũ Nemeſi. Ammoni. Orionis. Heroſi. & aliorum dcccvj. Didimi. Mererori. Panaepſi. Achillei. Niceti. Item Ammoni. Heroſi. Siluani. Oroſoni. Nimiſini, & aliorum viij. Panemodi. Nicenti. Siluini. Romæ depoſitio B. Hylari Papę, per quem Victor ordinem paſchalem conſcripſit. In Africa Sanctorum Doletatuli. Tuſci. Valentini.

SEPTEMBRIS 19.

DE aliquas nominum differentias, quæ in hodierno Sanctorum Indiculo inter codices noſtros, & Corbeienſe M. intercedunt, maiori temporis iactura ſeorſim adnotemus, libuit eas, in illo de more adducendo, ob oculos ponere. *IV. Idus Septembris. In Cæſaria Cappadociæ natalis SS. Euplię* (Eupli retinent codices noſtri) *Alexandri, Cirociſi* (Capſici), *Hiſici, Alapon*, (Alaponi) *Siluani cum alijs quinque. In Alexandria natalis SS. Nemeſi, Ammonis, Orionis, Neroſi, & aliorum dcccvi.*; *Didymi, Mereſori*, (Mererori) *Panepſi, Achillei, Niceti. Itẽ Ammonis, Oroſi, Siluani, Oropion* (Oropini) *Nimi, Sini* (Nimiſini vnica voce) *& aliorum nouem* (viij.) *Panemodi, Niceti, Siluini. Roma depoſitio B. Hilari Papa* (per quem Victor ordinem Paſchalem conſcripſit.) *In Africa natalis SS. Martyrum Doletatuli, Tuſci, Magari* (deficit in noſtris) *Valentini.* Pro Euplio, ſeu Euplia Cæſarienſi M. Vetuſtiſſimum Euſe-

riam exhibet,& reliquos martyres Cappadoces eodem modo silet,hoc ordine. *IIII.Idus Septembris. Cęsareæ Cappadociæ Euseriæ. In Alexandria ciuitate Nemesi, Ammoni, Orionis, Orosi.Dudini,Meresori, Panopia, Cellei, Niceti, Ammoni, Aroſi, Siluani, Aroponi,Nemisini,& aliorum. Panemoti, Niceti, Silvini. Romæ depositio Hilari Episcopi. In Africa Catuli, Tusci, Valentianæ.* In hodiernis quidē fastis Vetustissimum hoc M. sterilius, & anonymis quam plurimis amputatis,decurtatum agnoscimus. Post Cæsarienses enim enumeratos, Alexandrinos etiam seiunctim exhibent codices nostri, & Nemesium sacrorum pugilum in Vrbe Alexandria hac die coronatorum antesignanum, & ducem proferunt cum M. Corbeiensi. Nemesium ex multis socijs, vix crederem Ægyptium esse illum, qui Alexandriæ cum latronibus igne consūptus est, vt Dionysius refert apud Eusebium lib.6. cap.41., cum nullos illi socios ascribant Eusebius, vel Dyonisius; Ammon pariter,Zeno, Ingenuus,& Ptolemæus,de quibus die superiori egimus, alterius classis esse videntur. In tres ergo ordines hìc Alexandrini pugiles diuiduntur. Primos tres nominatim expressos ducit Nemesius, cui octingenti sex anonymi iunguntur. Secundi ordinis ductor est Didimus, qui nouem alijs nominibus indicatis præit, & quem sex anonymi sequntur. Tertium chorum ducunt Panemodius, Nicentius, & Siluinus. In duas tantùm classes suos cælites Alexandrinos diuidit M. Vetustissimū,& sub generica voce, *& aliorum*, plures includit anonymos, parua in reliquis nominum differentia.

Romæ depositio. Dubium est', an alter ex codicibus nostris B. Hilario titulum Papæ, vel Episcopi breuiato nomine tribuat. Vterq.titulus,tam Pōtifici Romano addebatur, quam alijs Episcopis, donec Gregorius Septimus Romanis tantum Pontificibus Papæ nomen reseruauit.Beda editus, & Rabanus cadē prorsus verba habent, quæ in codicibus nostris, non verò in Corbeiensi prostant. *Romæ depositio Hilarii Papę, per quem Victurius ordinem Paschalem conscripsit.* Meminit hac die S.Hilarij Pontificis Romani, & Confessoris, Romanum M. cum Beda adducto, Vsuardo, & Adone, vt monet Baronius,qui Acta eius in Annalibus digessit. S.Leoni Pontifici magno successit; & vt Abbo Floriacensis scribit,depositus fuit ad S. Laurentium in crypta iuxta corpus S.Sixti Episcopi IIII.Idus Septēbris. Victor, seu Victurius, vel vt alij legunt Victurinus homo fuit, vt inquit Gennadius de vir. illustr. cap.88., natione Aquitanus, qui à S. Hilario inuitatus Paschalem cursum composuit, cuius cyclos erroris postea arguerunt Victor Capuanus, Beda, & alij. Sed falluntur, hi qui Victorem confundunt cum Victorino Pictauiensi Episcopo, cuius cyclos reprobat Synodus Romana secūda sub Syluestro, cum is iam fuerit ante plures annos sub Diocletiano martyrio coronatus, vt Baronius notat ad diem 4. Nouembris. De Victore Aquitano Lemouicensi, & qua occasione cyclum Paschalem scripserit, videatur Ægydius Bucherius in Victorij Canonem Paschalem cap.2. Hunc Romam euocatum sub S.Leone probat, qui S. Pontifex, licet Hilario Archidiacono tunc suo, mox etiam in sede Petri successori, negotium commiserit, totus tamen labor Victoris fuit. Eum enim iam in Clerum Romanum cooptatum ad id munus elegit Hilarius,& ex ipsius, tunc Archidiaconi epistola idem deducit Bucherius cap. 7. quin ex Præfatione ipsius Victoris ad Hilarium Archidiaconum, Paschali canoni præfixa, clarè constat.

In Africa. Diuersi sunt hi martyres ab his, quos Romanum martyrol. cum cæteris latinis exhibēt,& hos illis,ignotos esse video. Pro Doletatulo martyrol. Vetustissimum legit Catulum, & Corbeiense Magarum addit,

Romæ

III. Idus Septembris.

ROmæ Via Salaria vetere in Cimiterio Basillæ natalis Sanctorũ Proti, & Iacintti. Eugenie, & Basillæ. Et in Porto vrbis Romæ natalis Sanctorum Ingenui, & Epoliti. In Alexandria natalis Sanctorum Syri, & Serapionis. In Apulia natalis Sanctorum Felicis, & Donati. *Lugduno Galliæ depositio Sancti Patientis Episcopi.*

SEPTEMBRIS II.

DE Cœmeterio Basillę via Salaria vetere alibi egimus, nec fruſtra hìc eadem repetimus. De Prothi, ac Hyacinthi natali die ibidem celebrato, teſtis eſt Antiquiſſimum Romani M. fragmẽtum apud Bucherium. *Tertio Idus. Prothi, & Hyacinthi in Basillę*, nempe cœmeterio. Eorũ etiam die xi. meminit Vetuſtum Fronti calendarium, S. Gregorij ſacramentariũ, Romanum M., Beda, Rabanus, Vſuardus, Ado, Notkerus, & recentiores. Conſonat M. Vetuſtiſſimũ S. Villibrordi. *III. Idus Septembris. Romæ Proti, & Hyacinthi. Romæ in Portu Hyppoliti. Alexandriæ ciuitate natalis Siri, & Serapionis. In Apulia Felicis, & Donatæ. Lugduno Gadliæ Pacientis Epiſcopi.* Conſimilia habet M. Corbeienſe, quod cum codicibus noſtris ita conferre libuit. *III. Idus Sept. Romę Via Salaria Veteri, in cęmeterio Baſillæ natalis SS. Proti, & Iacinthi, Didimi* (Eugeniæ, & Baſillæ, addunt codices noſtri. *In Portu Vrbis Romæ natalis Sanctorum Ingenui, & Hippolyti martyrum. In Alexandria natalis Sanctorum Syri, & Serapionis. In Apulia natalis SS. Felicis, Donati, Iulij*, (de. eſt Iulius in noſtris libris) *Lugduno Galliç depoſitio S. Patientis Epiſcopi.* De SS. Protho, & Hiacyntho agitur latè in Actis S. Eugeniæ apud Surium Tomo 12. Petrum de Natalibus, & alios ad diem 25. Decembris. Didymi nomen, quod additur in M. Corbeienſi, non tanquam alterius martyris acciperem, ſed græciſſantis antiquarij, qui Dydimi ſcripſerit pro gemello, ſeu gemino fratre; fuerũt enim, vt notiſſimum eſt, Protus, & Hiacynthus Eunuchi Sanctæ Eugeniæ gemini fratres, quos tamen cum eadem Sancta Eugenia coronatos habet Menologium Caniſij ad diem 24. Decembris. Et quãquam diuerſa die ab Eugenia potuerint agonem complere, ne tamen à ſocia martyre, & domina diſiungerentur, vt frequenter in Vetuſtiori M. euenire poſſe credidi, hìc etiam in libris noſtris additam putarem Eugeniam, & Baſillam martyrem, de qua alibi dictum eſt. Si quis vero Dydimum in Martyrologio Corbeienſi pro martyris nomine accipere vellet, fortaſſe non erraret, ſed illi ſocios addere deberet Diodorum, & Diomedem in Romano martyrol. memoratos Laodicenſes martyres, quorum memoriam recolit Menologium, tam Baſilij, quam Caniſij, Diodorum nempe, & Dydimum hac ipſa die, & eoſdem cum Diomede die ſequenti.

Et in Portu. Iterum Hippolytus in Portu Romano memoratur, quem ex ſocio Ingenuo, diuerſum libet ſuſpicari, ab eo, qui maioris famæ Portuenſis dicitur, & de quo, & alijs huius nominis martyribus egimus ad diem 13. 21. & 22. Auguſti: ſolum tamen Hippolytum exhibet M. Vetuſtiſſimum.

In

In Alexandria. Serapion inter Alexandrinos martyres à Dionysio illius Vrbis Episcopo apud Eusebium lib. 6. cap. 41. in populari persecutione, quæ per annum Decianam præcessit, recensetur, membris fractus, & è cœnaculo deiectus. Cum tamen Syrus socius addatur, tam in libris nostris, quam Corbeiensi, Serapionem martyrem esse, à Dionysio memoratum, non assererem, sicuti neq. affirmarem Serapionem illum esse, qui sub Imperatore Maximiano apud Alexandriam martyrium fecit in mare proiectus, cum socijs Hieronideo, Leontio, Seleucio, Valeriano, & Stratone, vt postridie notant Græci in Menologio Canisij.

In Apulia. Apulos cælites Felicem, & Donatum, siue Donatam, vt legit M. Vetustissimum, præterquam in adductis mss. codicibus alibi memoratos non lego, nisi in Adonis Auctario, seu inter Adonis Spuria apud Rosuueydũ, hoc est 3. *Idus Sept. In Apulia SS. Felicis, & Donati.* De S. Felice martyre agit etiam hac die Vvãdelbertus. *Has simul, & Felix felici morto dicauit.* Sed aliũ esse, cui Regula soror martyr fuerit, docet Notkerus, qui vtriusque certamen narrat. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ Felicis, & Donati non meminit.

Lugduno. S. Patientis Episcopi memoria hac die in omnibus fere Latinorũ martyrologijs recolitur, Romano, Bedæ, Rabani, Vsuardi, Adonis, &c. De eo aliqua cumulat ibi Baronius; meminit, & Hagiologium Franco Galliæ Lebbei. Vitam eius precurrit Saussayus hac eadem die: sed latius omnia de S. Patiense cumulauit, vir doctissimus, & dum hæc cuderentur defunctus Theophilus Raynaudus in Hagiologio Lugdunensi. Vigesimum eundem illius Metropolis Episcopum numerant Sammarthani ab anno 470. ad 491.

II. Idus Septembris.

IN Pamphilia natalis Sancti Syri. In Sicilia Ciuitate Catina natalis Sanctorum Eupli, & Serapioni Episcopi. Romæ natalis Protini. Sanctini. Ypoliti. In Nicomedia natalis Sanctorum Diefoli. Matrone. Teclæ. Virgo Virg. Heraclię. Et alibi depositio Eusebi Episcopi. *Lugduno Ciuitate depositio Beati Sacerdotis Episcopi. In Gallia Ciuitate Augustiduno depositio Beati Euenti Episcopi.*

SEPTEMBRIS 12.

SYrus martyr, qui in Corbeiensi martyrol. prætermittitur, in libris nostris hodiernos fastos auspicatur, & disertè in Pãphilia Asiæ regione inter Lyciam & Ciliciam reponitur. In Vetustissimo verò Antuerpiensi martyrol. non Pamphiliæ tribuitur, sed Pampiloniæ. Pampelon, quæ Pompeiopolis latinis dicitur Nauarræ Metropolis, alij Pampelion, & vulgo Pamplona dicitur vrbs Hispaniæ Tarraconensis, an Syrum martyrem recolat nescire me fateor. Saussayus, qui reliquos cœlites illius prouinciæ, & vrbis prosequitur in Gallicano martyrologio Syri Pampilonensis, neq. hac die, neq. alibi meminit, & tamen illum Pampilonæ sine hæsitatione ita tribuit martyrol. illud Vetustissimum, *Pridie Idus Septembris. In Pampilonia Siri. In Sicilia Eupli, & Serapionis Episcopi. Romæ Perti, Sanctini, Ippolyti. Nicomediæ Ammoni.*

moni. In Asia Diosili, Matronę, Teclę virginis, Heracli, & alibi Eusebi Episcopi. Lugduno Sacerdotis Episcopi. Augustodu-no Euantij Episcopi. De Syro Ticinensi & Iuuentio Confessoribus agit Beda, Vsuardus, Ado, & Notkerus, sed cum omnes in pace illos quieuisse affirment, nil cum Syro martyre commune videntur habere. Syrum martyrem Vvandelbertus agnouit, dum ad hanc diem cecinit,

Martyr mox pridie celsus petit
ęthera Syrus.

sed in qua vrbe, aut regione palmam, aut veneratione acceperit prorsus silet. Vnde nobis etiam incertum, an Pamphiliæ, vel Pampilonæ tribuendus sit. Rabanus Syri meminit, sed diuersimode, *& in Pampalia natale Syri.* Canisius ad orã libri scripsit *Pamphylia.* Pampla nomen vrbis est apud Phauorinum mihi adhuc ignotæ. Nihil ergo decerno, quia nihil etiam de eo in Tabulis Corbeiensis M. quas exhibemus, legitur. *Pridie Idus Sept. In Sicilia ciuitate Cathenas natal. SS. Enpli, & Serapionis Episcopi, Magni. Romæ natalis SS. Proti, Sanctini, Hippolyti. Nicomedia natalis Ammonis lectoris. In Asia natalis SS. Diosoli, Matronæ, Teclæ Virginis, Heraclię. Et alibi depositio Eusebi Episcopi. Lugduno Galliæ depositio B. Sacerdotis Episcopi, & Confessoris.*

Ciuitate Catina. Catana Ptolæmeo, Straboni, & alijs Siciliæ vrbs est, non Catina, aut Cathena, à librarijs tam Codicum nostrorum, quam Corbeiensis malè habita. Hæc vel patria, vel veneratiõis locus fuit Euplo, ac Serapioni Episcopo, & martyri. De Euplo Diacono egimus ad diem 12. Augusti, vbi videnda, quæ de eius socijs adnotauimus. Certaminis in eadem vrbe Catana socium Eupli diaconi fuisse Serapionem Episcopum improbabile non est, quos licet diuersa die martyrium consummauerint, disiungere tamen noluerint, qui martyrologium scripserint; vnde in die natali S. Serapionis Euplum eiusdem Diaconum iterata veneratione addiderint. De his titulo tantum confessoris insignitis egerunt die præterita Maurolycius, & Galesinius. In Appendice vero ad Adonem pridie idus Septembris legitur. *In Sicilia ciuitate Catanas SS. Eupli, & Serapionis.* Magnum addit sociũ M. Corbeiense sæpe supra alios exuberans, vel in Magno, vel in Iulio. Magni tamen non meminit Beda, neq. Ferrarius in Generali catalogo ad hanc diem, in qua ex Tabulis Ecclesiæ Catanensis celebratos refert, additq. sub Constantino, & Irene vixisse, sed vt martyres in libris nostris Corbeiensi, & Antuerpiensi recenseri non dubito. De Serapione Alexandrino cum pluribus socijs agit hac die Græcorum Menologium, & Rabanus non nisi Euplum in vrbe Siciliæ Cathena recenset.

Romæ. Rursus cum Hippolyto Romano, alij duo martyres hic indicantur Protinus, siue Pertius, & Sanctinus. Pluries de alijs Hippolyti nomine martyribus egimus ad diem 21. & 23. Augusti, neq. hic addendum aliquid succurrit, sicuti nec de socijs, alijs omnibus Latinorum martyrologijs ignotis.

In Nicomedia. Mutilos hic agnoscimus libros nostros, & ex fidę M. Corbeiẽsis addendum Nicomediæ, vel stylo vetustioris huius vsitato, *in Nicomedia Ammonis Lectoris. In Asia sanctorum Diosoli, &c.* Ammonium Nicomediæ lectorem non agnoscit Appendix ad Adonẽ, sed tantum hac die retinet *Nicomediæ Sanctæ Ammonæ.* Rabanus initio laterculi habet in Antiochia natalem Theophili à nostris codicibus alieni.

Diosoli. Non hos martyres Nicomediæ tribuendos esse monet M. Corbeiense, sed alibi in Asia, quæ vox deest in detruncatis codicibus nostris, atque ita esse confirmat Appendix ad Adonẽ vbi legitur. *Item in Asia SS. Diophili Matronę, & Thecla Virginis.* Vnde frustra Theclam Nicomediæ, quis ex libris nostris requireret: Heraclium tamen silent Adonis Spuria, quam cum libris nostris retinet M. Corbeiense; quinimo in illis

illis repetita vox Tecla virgo Virg. hæsitare me animo fecit, an secundus Virginis titulus Heracliæ deberetur, sed cum præter morem Vetustioris M. sit titulum præmittere, mendũ repetitæ vocis esse in Prototypo amborum codicum existimaui. Teclam virginem Iconiensem vix hìc crederem memorari, cum hæc Græcorum prothomartyr sine socijs vbique compareat.

Et alibi depositio S. Euseby. Plures Eusebij nomine, & sanctitate conspicuos Episcopos fuisse non dubito, qualis vero, & cuius vrbis cathedram tenuerit, qui hoc loco indicatur, cum nullas suppetias aliunde inuenerim, sine vlla additione cogor præterire.

Lugduno. Ad finem hodierni indiculi aliquos Galliæ sanctos de more addiderunt eiusdem Regni Antiquarij. In primis Lugdunensem Episcopum Sacerdotem, quem etiam recolunt martyrol. Romanum, Beda, Rabanus, & alij recentiores, inter quos nemo aptius Theophilo Raynaudo, qui putat hunc nõ esse diem decessus S. Episcopi in vrbe Lugdunẽsi, sed festiuæ Parisijs depositionis. Tempore Vigilij Papæ Concilio Aurelianensi subscripsit, ac sub Childeberto Rege obijt Parisijs. De eo simul cum Euentio Augustodunensi Episcopo meminit Appendix ad Adonem, & de vtroque etiam in mense Septembris Hagiologiũ vetus Lebbei. *Pridie. Lugduni Sacerdotis Episcopi. Augustoduni Euentii Episcopi.* Euancium ita vocat antiquum M. S. Sabini de Leuitania. *Die 12. Augustoduno S. Euanci Episcopi.* S. Sacerdotis in trigesimo Episcopo Lugdunensi acta colligunt Sammarthani, & Euantium ex additionibus Vsuardi numerant Septimum Æduensem Episcopum, quem Eminthium, aut Euultium vocari testantur in vulgatis Catalogis.

Idus Septembris.

NAtalis Sancti Mamiliani. In Apulia natalis Sanctorum Felicissimi, & Secundini. In Alexandria natalis Sancti Theodoli Episcopi. In Antiochia natalis Sanctorum Timothei, & Lidori. Augustiduno depositio Beati Nectari Episcopi. In Galliæ Ciuitate Turonis depositio Sancti Litori Episcopi. Andecauis Ciuitate Sancti Maurilionis Episcopi.

SEPTEMBRIS 13.

NVllo indicato agonis loco in codicibus nostris Mamilianum sacros huius diei fastos inchoat, qui tamen, neq. in M. Corbeiensi, neq. Antuerpiensi, de more hic exhibitis, memoratur. *Idus Sept. In Apulia natalis SS Felicissimi, & Secundini, Iustini. Constantinopoli depositio S. Ioannis Episcopi. In Alexandria natalis S. Theodori Episcopi. In Antiochia natalis SS. Thimothei, Theodori. In Turonis ciuitate depositio S. Lidorii Episcopi. Andeganis ciuitate depositio B. Maurilionis Episcopi. Augustoduno depositio B. Nectarij Episcopi.* Vetustissimum Antuerpiense. *Idus Septembris. In Apulia Felicis, Secundi. In Alexandria Theodoli Episcopi. Antiochiæ Timothei. Augustoduno Nectari Episcopi. Galliis Ciuitate Turonica Dep. Litori Episcopi. In Deganis Maurilionis Episcopi.* De S. Mamiliano martyre Romano agit Beda die 12. Martij, qui Maximilianum vocat, cum tamen in Romanis illius diei tabulis Mamilianus dicatur. Alter Mamilianus Episcopus Panormitanus, qui confessor obijt in crypta agri

Romani

Romani, seu potius Suanensis memoratur in Actis S. Nymphæ Virg. quæ ex mſ. codice S. Mariæ Maioris prælibat Ferrarius in catalogo SS. Italiæ ad diem 3. Septembris. Huius corpus Suanæ in Hetruria religiosè asseruari testatur idem Ferrarius in Catalogo Generali, ibique recoli die 15. Septembris; meminit etiã Baronius in Notationibus ad diem x. Nouembris. Martyr hìc propter multa, quæ pro fide passus est, ab aliquibus etiam vocatur, & eundem esse cum Mamiliano M., qui Pisis veneratur die 15. Septembris idem Ferrarius videtur sentire, sicuti tam proxima celebritatis dies suadere etiam nobis posset. De S. Mamiliano in Thuscia venerato hìc agi putarem, quòd etiã in veteri Basilica SS. Antonij, & Georgj, nunc S. Paulini, sacellum eius nomini dicatum Lucæ extaret, vt in mſ. Historia Inuctionis corporis S. Paulini primi Episcopi Lucensis in sacrario illius Basilicæ continetur. Si quis vero de S. Mamiliano presbytero, & martyre Romano, & S. Vrbani Pontificis in passione socio intelligi velit, cum re vera in Vetustiori martyrolog. nostro aliqui Romani cælites, non indicato certaminis aut venerationis loco, Romæ tribuendi sint, non pugnabo. Acta quidem S. Vrbani, tam apud Surium, quam apud Bosium in historia S. Cæciliæ post varia supplicia cũ eodem S. Vrbano illũ capite minutum narrant, sed sepultum in cœmeterio Prætẽstati via Appia 8. cal. Iunij. In Veteri Kalendario mſ. penes mè ad vsum olim vetustissimæ Basilicæ S. Donati hac ipsa die *Idus Septembrts S. Mamiliani* memoria recolitur. Sicuti in Hieronymiano Canonic. Lucensium etiã Vetustiori *I. Idus S. Mammiliani.* Vnde subijt suspicari S. Mamilianum in fronte laterculi ab aliquo Clerico Lucensi potuisse superaddi, ex eo etiam quoniam neque in martyrol. Corbeiensi vt plurimum libris nostris consono, neq. in Vetustissimo Antuerpiensi eius memoria hac die recolatur.

In Apulia. Secundinũ, & Felicissimum Apulos martyres alibi memoratos non inuenio. Neq. in libris nostris legitur S. Ioãnes Cõstantinopolitanus in M. Corbeiẽsi relatus, qui Chrysostomus est, postridie à Græcis in Menolog. veneratus.

In Alexandria. S. Theodolum, seu Theodorum martyrem Alexandriæ illustrem die præcedẽti xii. recolunt Græcorum Menologia. Illud quod Basilij nomen præfert, dum eius certamen vberius nonnihil prosequitur, Episcopalem dignitatem silet: alterum verò à Canisio editum sacrosanctum martyrem vocat, & Episcopum Alexandriæ. Hunc à populari rabie comprehẽsum, propterea quod Christum Dominũ liberè prædicaret, acriter tortum, spinis coronatum, in maxilla percussum, baculis flagellatũ, per vrbẽ vinctum, & illusum, in mari demersum, & seruatũ ad Præfectũ iterũ deductũ narrãt, vbi scorpionibus iterũ laceratum, capitali tandẽ sententia agonẽ compleuisse testantur, & in ipsa Alexãdrina ciuitate fuisse sepultum. In serie præsulũ Alexandrinorum, tempore quo Christum prædicare non liceret, Theodolus, aut Theodorus non legitur apud Nicephorum Constantinopolitanum, Theodorus enim Scribon 48. loco in ordine numeratus, & cuius meminit Leõtius de Sectis, ad recẽtiora tempora Græcorum Imperatorum pertinet.

In Antiochia. Timotheum tantum Antiochenum martyrẽ præfert M. Vetustissimum, quem Rabanus die præterito indicauit. Theodorũ addit M. Corbeiẽse, qui facile in libris nostris Lidorius est, & alijs Ligorius. Ligorij non Theodori martyris incerto loco cultum hac die prosequitur M. Romanum ex veteribus mſſ. vt notat Baronius. Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 73. ex partibus Græciæ martyrem Ligorium fuisse narrat, cuius corpus Venetias translatum fuerit, & reuelata cum prodigio passio ibi hac ipsa die 13. Septembris recolatur. Nihil verò de Timotheo Antiocheno, aut Theodoro, nisi Lidorius sit, addendum succurrit. De alio Timotheo

martyre Antiocheno egimus supra die 8. Septembris, sed cum alijs socijs. Et de Theodoro martyre Antiochiæ Menologium Canisij memoriam agit die 24. Nouembris nullis socijs additis.

Augustoduno. Nectarius Augustodunensis Episcopus ex additionibus sanctorum Galliæ hic consignatur, cuius gesta prosequitur Saussayus ad hanc diẽ in M. Gallicano. Meminit, & ms. Martyrologium S. Sauini de Leuitania in mense Septembris, *Die* 13. *Augustoduno depositio S. Nectari Episcopi.* Interfuit v. Synodo Aurelianensi, in qua Eutychetis, & Nestorij hæresis damnata fuit, vt idem Saussayus testatur. Sammarthani xvi. Episcopum Æduensem agnoscunt anno 529. & de eo aliqua cumulant.

Turonis. Quem Lictorium nostri libri vocant, alii Lidorium dicunt, vt Rabanus. Ms. S. Sauini, quod adduximus, ita eadem die 13. Sept. *In Gallia ciuitate Turonis depositio S. Litoris Episcopi*. Lictorium etiam vocat Appendix ad Adonem, & Lidorium Saussayus, qui eum S. Martini prædecessorem constituit. Ita etiam Lidorium appellat martyrol. Corbeiense. Vetustissimum vero Litorium; Lycorium Petrus de Nat. lib. xi. n. 246. Sammarthani anno 338. Episcopum secundum Turonensem referunt ex Gregorio item Turonensi, & in Basilica proprij nominis, hoc est S. Lidorij, postquã 33. annos sedit sepultum esse.

Andegauis. S. Maurilium Episcopum Andegauensem S. Ambrosij discipulũ cũ Romano martyrol. venerantur hac die Vsuardus, & alij recentiores, vbi notat de eo plura Baronius, præcipuè quòd consecratus fuerit à S. Martino, & claruerit tempore Theodosij, & Honorij. Vitam eius à Fortunato diffusiùs scriptam habet Surius Tomo 9. quæ an illius sit in controuersia esse fatẽtur Sammarthani in quarto Episcopo Andegauensi, & hũc vixisse anno 431. vel saltem 427. referũt. Eius nomen apud antiquos codices Maurilionis est: ita vocat Vsuardus. Appendix ad Adonem Murilionem dicit, Maurilionem verò cum libris nostris Hagiologium vetus Franco Galliæ Lebbei. Idibus. *Andegauis S. Maurilionis Episcopi, & Confessoris*. Videnda quæ in S. Maurilij vita discutit Launoius in propria dissertatione, Parisiis tertiò edita 1663. dum hæc cuderentur.

XVIII. Kal. Octobris.

EXaltatio Sanctæ Crucis. Romæ in Cimiterio Via Appia natalis Corneli Episcopi, & Saturi, & Depositio Sancti Diuisi Episcopi, & Confessoris. In Africa Ciuitate Cartagine natalis S. Cypriani Episcopi. Felicis. Honori. Demetri. Zeti. Et alibi depositio Eparci Episcopi.

SEPTEMBRIS 14.

EXaltationem S. Crucis illam celebrat Romanum hac die martyrolog. quando Heraclius, Chosdroe Rege deuicto, ex Perside Hierosolymam Sãctum eiusdem Lignum reportauit, cuius historiam ex lib. 18. miscell. Pauli Diaconi, seu potius Theophanis habet etiam Surius Tomo 9. Cum tamen hoc non ante annum Xpi 628. accidisse constet, minùs hæc celebritas vetusta dici posse videtur, quam in Vetustiori martyrol. vel à temporibus S. Hieronymi, vel saltem D. Gregorii referri potuerit, præsertim quòd in libris nostris, & martyrol. Corbeiensi non aliter, quam simplicissimè

ita

ita adnotetur. *XVIII. Kal. Octobris. Exaltatio S. Crucis. Romę via Appia in Cimiterio Calliſti SS. Cornelij Epiſcopi, Saturnini. Et depoſitio S. Dionyſii Epiſcopi, & Confeſſoris. In Africa ciuitate Charragine natalis S. Cypriani Epiſcopi, Felicis, Honorij, Demetrij, Zeti. Et alibi depoſitio Eparci Epiſcopi.* Apud Græcos fatetur etiam Baronius feſtum Exaltationis S. Crucis vetuſtiorem originem habere, & in Conſtantinum referri, vt re vera id palam eſt, tam in Menologio Caniſij, quam Baſilij; tunc verò in Eccleſia Latina huiuſmodi celebriratem ſolemnius peragi cæpiſſe, addit Baronius cum S. Crucis Lignum è Barbarorum manibus ablatum pijſſimis gaudijs Chriſtianum orbem impleuit. Non ſtatim tamen per omnes Eccleſias hoc feſtum diffuſum eſſe docet M. Vetuſtiſsimum à S. Villibrordo initio ſeptimi ſæculi ſcriptum, cum in eo Exaltationis feſtum ita prætermittatur. *XVIII. Kal. Octobris. Romæ Corneli Epiſcopi, & Dionyſii Epiſcopi, & in Carthagine Cypriani, & in Tuſcia Felicis, Demetri, & Zotta, Setiri, Felicis, Honori, Dimetri, & alibi depoſitio Epanti Epiſcopi.* At ſi S. Gregorij Sacramentarium, vt nunc proſtat, eiuſdem S. Pontificis ætate confectum fuiſſet, dubitari minime poſſet, in Romana Eccleſia feſtum exaltatæ viuificæ Crucis vetuſtius eſſe, quam Heraclij tempora ferãt. Poſt Heraclium equidem, dum Romanã cathedram tenebat Sergius, hoc eſt ſexaginta circiter annis poſt retractũ è Perſide ſalutare Lignum, idem Pontifex, inuenta in ſacrario S. Petri ſacri eiuſdem ligni inſigni portione, mandauit *die Exaltationis S. Crucis in Baſilica Saluatoris* ab omni populo Chriſtiano adorari, vt Bibliothecarius, Luitprandus, & Abbo Floriacenſis teſtantur; ex quo iam patet diem Exaltationis S. Crucis notum fuiſſe in Romana Eccleſia, & hac etiam occaſione celebriorem euaſiſſe. Micrologus cap. 55. vtrumq. S. Crucis feſtum conſiderat, nempe Inuentionis, & Exaltationis: illud ſolẽnius celebrari docet, forte quia ſpeciali Eccleſiæ ſtatuto inſtitutum fuerit; hoc verò Exaltationis non ita indictum appareat; quòd nimirum ex populorum pietate prius in Oriente, mox in Occidente inductum fuerit. Exaltatæ Crucis celebritas in Patria mea Luca propter ſacram à Nicodemo in Cruce regnantis Saluatoris fabrefactam imaginem, Vultum Sanctum nuncupatam, hoc ipſo die magna exterorum, & ciuium frequentia recolitur, & tanquam Exaltatæ Crucis trophæum, primumque regnantis à Ligno Dei ſignum incorruptum ſeruatur, cuius ideo memini, quia de eo ita loquitur vir ſummus Baronius T. xi. Annal. MXCIX. n. 36. *Stat ergo veneranda ſacroſancta imago Chriſti Regis in Cruce pendentis aduerſus infeliciſſimos Inconoclaſtas ſemper loquens, perpetuum ab exordio naſcentis Eccleſiæ monumentum trãſmiſſum ad poſteros.* Liceat etiam hìc addere ex Græcorum Eccleſia, vnde regalis, & prætiola illa imago octauo ſeculo prodigiosè erupit ad noſtros, quæ xviij. Kal. Octobris de commemoratione Exaltatæ præcioſæ, & viuificæ Crucis Græci notant ad Menologium Baſilij non vulgaria, nec vbique obuia. *Conſtantinus Magnus, primuſque Chriſtianorum Imperator, gerebat aliquando pro imperio bellum, vt quidam dicunt Roma aduerſus Maxentium, vt vero alij ſentiunt aduerſus Scythas ad Danubium fluuium, qui cum magnas copias cerneret, ager animo, inopſq. conſilii de rei exitu ſecum dubitabat: ſed noctu oſtenſo ſibi diuinitus Crucis ſigno, cum huiuſcemodi inſcriptione. Conſtantine in hoc ſigno vinces. Erectus, & confirmatus animo ſimillimam Crucem effinxit, quam in prælio præferens hoſtes egregiè vicit,* & poſt aliqua de Baptiſmo Conſtantini, & Helenæ Matris, ac Crucis Inuentione, & adoratione, inſtante populo, vt Crux inuenta oſtenderetur, additur, *Epiſcopo de ſuperiori loco Exaltatam Crucem oſtendente, in hãc vocem magna cum acclamatione populus erupit. Kyrie eleiſon. Ex eo factum eſt, vt quaſi penicillo quodam*

effícta, expreſſaq; fuerit Dominicæ Crucis Exaltatio. Huc verba illa referendæ videntur, quæ preſſiùs, & obſcuriùs notantur in Menologio Caniſij die 14. Septemb. *Exaltatio pratioſæ, & viuificæ Crucis ſub Imperatore Conſtantino Magno, vt hiſtoriarum monumẽta teſtantur.* Euchologium Græcorum ad calcem, vbi per 12. menſium feſta, ex Apoſtolo, & Euangelio habendæ lectiones indicantur, concordia cum latina Eccleſia in feſto Exaltationis Sanctæ Crucis ita confitetur in menſe Septembris interprete Goar. *Eiuſdem Menſis 14. Exaltatio pratioſæ, & viuificæ Crucis per totum orbẽ celebrata,* quod confirmatur apud Gretſerum T. 2. de Cruce p. 1170. ex cap. 12. Menologij in Typico Sabæ, vbi forma & modus Exaltationis exprimitur. Primùm Græcis ſolemnitas hæc erat initio anni à Kal. Septembris inchoati, vt in Proemio explicationis Hymnorum deſpoticorum notat Theodorus Prodroma, penes quem diffusè ritus exaltandæ Crucis enarrantur. Nec tantùm profeſto, ſeu vigilia hanc Exaltationis celebritatem ornarunt Græci, vt apud eundem Gretſerum lib. 5. ex Menologijs Anthologio, & Typico, ſed per octauã ante feſtum proprijs hymnis celebrabãt ex eodẽ Theodoro Prodromo. Sunt etiã apud eundem Gretſerum T. 2. ſexdecim homeliæ à diuerſis Græcis Patribus dictæ de S. Crucis Exaltatione, quas adire poteſt, qui cupit exaltatæ Crucis laudes in tanta celebritate percurrere, nos properamus ad reliqua.

Romæ in cœmeterio. Pluries diximus ſub generico, & antonomaſtico cœmeterij nomine in Vetuſtiori noſtro M. Calliſti nuncupatum exprimi. Hìc verò propalam eſt, cum omni fere ſcriptorum conſenſu S. Cornelius Papa in Calliſti cœmeterio ſepultus fuerit. Non omnes tamen in die conſummati agonis conueniunt, neq. in loco martyrij. Plures tamen, & grauiores ſcriptores depoſitum fuiſſe docent 18. Kal. Octobris. Ita Bibliothecarius, qui narrat ab accepta S. Cypriani epiſtola, contra Cornelium exarſiſſe Decium Imperatorem, illumq. Cẽtucellis exulem Romam adduxiſſe, & de accepta epiſtola interrogatum in Telude carceribus incluſiſſe per aliquos tamen menſes in cuſtodia fuiſſe conſentit, dum 3. Nonas Martij, antequã pateretur, omnia Eccleſiæ bona, Corneliũ Stephano Archidiacono ſuo tradidiſſe narrat, & cum ſacrificare nollet capite fuiſſe minutum ante templum Martis, ſepultum à Lucina in crypta iuxta cœmeterium Calliſti 18. Calendas Octobris. Luitprandus, aut quis quis ſub eius nomine latet, diem agonis S. Cornelij ſignat 3. Nonas Martij, cauſamq; necis in ſuſceptam Cypriani epiſtolam refundit, quodamodo martyrij lauream reliquorum reticentia obſcurans. Marianus Scotus ex martyrologijs docet ad annũ 261. xviij. Kal. Octobris anno Decij 3. paſſum eſſe Cornelium, & appoſitè etiam Abbo Floriacenſis Centumcellis expulſum narrat S. Cornelium, & ibidem accepiſſe epiſtolam à S. Cypriano martyre in carcere ſcriptam, *Quo etiam loco decollatus martyr* effectus ſit, cuius corpus noctu collectũ à B. Lucina, & à clericis ſuis ſepultũ fuerit in crypta iuxta cœmeterium Calliſti via Appia in prędio ſuo 18. cal. Octobris: & hac die nõ modo in Romano M. ſed à Beda, Vſuardo, Adone, Notkerõ, & cæteris recentioribus veneratur. Extant in pervetuſto Hagiologio noſtro ad eandem diem Acta S. Cornelij, quæ incipiũt *Temporibus Decij, &c.*, in quibus narratur, non ex recepta epiſtola, ſed ex Baptiſmo pluribus militibus impertito iratum Decium imperaſſe, vt omnes ſimul comprehenſi ad templum Martis ducerentur, & ſacrificare renuentes capite plecterentur. Vbi in Idolum expuentes, & laudantes Dominum eodem die *Decollati ſint, vna cum Beatiſſimo Papa Cornelio promiſcui ſexus numero xx. & vnũ; ſed & Carealis cum vxore ſua Saluſtia ſub die xviij. Calendas Octobrium.* Rabanus concinit *xviij. Cal. Octob. S. Cornelij Epiſcopi, cui primum os cum plumbatis*

exſum-

casum, & sic decollatus est cum aliis xxi. promiscui sexus, & Cerealis miles cũ vxore sua Sallustia, quam Cornelius ab infirmitate sanauerat. Passus est sub Decio. Saturum Cornelij socium, vel in agone, vel in loco sepulcri, quem codices nostri exhibent, alibi non inuenio, vnde suspicari libuit librarij vitio scriptum *Cornelij Episcopi, & Saturi*, pro eo quod scribendum esset *Cornelij Episcopi, & martyris.* Sed cum in M. Corbeiensi Saturnini socij memoria addatur, nomen potius breuiatum credere par est, & *Saturnini* pro *Saturi* reponendum, qui ex anonymis xx. cum S. Cornelio coronatis esse potuerit.

Et Dep. S. Dionysii. Romanum martyrol. cum Vsuardo S. Dionysij Romani Episcopi, siue Pontificis natalem exhibent ad diem 26. Decembris, Beda verò postridie. Abbo Floriacensis, quamquã sepultum Romæ confirmet in cœmeterio Callisti, depositum tamen asserit 6. Kal. Ianuarij. Luitprandus, & Bibliothecarius potius 7. Kal. qua re vera die Vetustius M. nostrum natalem S. Dionysij veneratur, non depositionem, quæ translatio esse potuit, vt ibi diximus. Quia vero constanter omnes ferè Pontificalis historiæ scriptores natalem S. Dionysij cõsignant die 26. vel 27. Decembris, de alio alterius vrbis Episcopo Romæ deposito, & Confessore hìc agi dubitari potest: quamquam alibi de S. Dionysio hac die venerato nihil scriptum inuenerim. Quam vero incerti sint in Pontificalibus libris dies obitus Pontificum alibi diximus, & in Dionysio apparet, quem liber Bibliothecarij, Luitprandus, & Abbo Floriacensis sedisse affirmant annos sex, menses duos, & dies quatuor; Sin vero sedit Pontifex, vt primi addunt ab xi. cal. Augusti, vsq. in diem 7. Kal. Ianuarii, iam tempus sedis signatum falsum esse necesse est; quoniam si addantur menses duo, & dies quatuor ad diem 22. Iulii, obitus eius, seu depositio incidit in 26. Septembris, non Decembris. Quod quã parum fidendum sit antiquis numeralibus notis, facilè à librarijs immutatis clarè ostendit.

In Africa. S. Cypriani celeberrimi martyris, & Episcopi Carthaginẽsis omnia nota sunt. Nec in Africa tantũ dies natalis eius solemnis erat, sed etiam Romæ cum Cornelio Papa, de quibus ita coniunctim in sacramentario S. Gregorii 18. cal. Octobris. *Eadem die nat. SS. Cornelii, & Cypriani.* Ita antiquum Frõti calendarium Septembris *die* 14. *natal. SS. Cornelii Pontificis, & Cypriani*, nec minus, vt puto, vetustum Hieronymianũ Lucense calendarium *xviii. Kal. Oct. Exaltatio S. Crucis, Cornelii, & Cypriani.* Expressiùs verò antiquissimum Bucherii fragmentum docet S. Cypriani natalem, quamvis passus fuerit in Africa, Romæ eodem loco, & in cœmeterio Callisti fuisse celebrem, vbi recolebatur Cornelius; *xviii. Kal. Octobris Cypriani Africa. Roma celebratur in Callisti.* Quod ideo factum apparet, ne Sancti Præsules, qui tẽpore Decianæ persecutionis vitæ sanctimonia, animi robore, & frequentibus Epistolis inter se coniuncti, ac eodẽ die, coronati fuerant, in loco etiam venerationis disiungerentur: eodem inquam die non eodem anno, cum Cornelius Cyprianum in agone præcesserit. In huius vita Pontius eius Diaconus vocat, & repetit Cyprianum primitias martyrum in Africa fuisse; contrarium tamen apparet ex ipsius S. Cypriani epistolis, ni forte de Episcopis intelligendum sit, ita vt ille primus fuerit in Africa Episcopus martyr, vt ex eodem Pontio educi posse videtur. Notat Baronius eruditissimus S. Gregorii Nazianzeni, Metaphrastis, ac aliorum Græcorum communem errorẽ, qui S. Cyprianum Doctorem, & Episcopum cum Cypriano martyre mago, & S. Iustinæ socio confundunt. Sanctum Episcopum socios in agone habuisse Vsuardus, & Adó subdunt, sed id nõ ita certum habuisse conuincunt verba *Referuntur cum eo passi Crescentianus, Victor, Rosula, & Generalis*, quos veneratur quidem hac eadem die Romanum M. emẽdatum,

datum, sed seiunctim à S.Cypriano. Cũ eo tamen passos esse affirmat Notkerus, eosdem, quos supra martyres Lugdunũ translatos, quinimò cum M. Corbeiensi libri nostri alios commilitones addunt Felicem, Honorium, Demetrium, & Zetum. At cum non modo nullos eidem socios assignet Rabanus, qui eius agonẽ percurrit, & singulariter locum passionis notat *sexto milliario à Carthagine iuxta mare*, sed etiã vita S.Cypriani per Pontium eius Diaconum scripta, vt habet D.Hieronymus de script. Ecclesiasticis, cumq. Acta syncera apud Baroniũ, & Surium, quæ etiam habemus mss. in pervetusto Hagiologio nostro, nihil de socijs addant, ab aliqua confusione vix codices nostros, & Corbeiensem liberari posse, crederem. Lacunam adesse martyrolog. Vetustissimum monet, & inde ortam cõfusionem. In hoc reliquorum omniũ, quæ viderim antiquissimo martyrol. & insignandis locis, vbi passi, vel venerati sint martyres, magis accurato, nulli S. Cypriano assignantur socii, sed qui adduntur Felix, Honorius, Demetrius, & Zetus, seu Zottum cum aliis tribus, nẽpe Satiro, & altero Felice, ac Demetrio, non in Africa, sed in Tuscia veneratos manifestè docet, vnde post verba illa S. Cypriani Episcopi, addendum videtur, *& in Tuscia Felicis, Honorii, Demetri, Zeti, Saturi*. Ex illius enim codicis fide Satyrus, qui nos supra ancipites reddidit, inter Tuscos cælites reponendus videtur. An vero Felix, & Demetrius repetiti in martyrol. Vetustissimo redundent, & retinendi, vel amouendi sint, aliis codicibus destituti nõ decernimus.

Et alibi. Epartius, qui in vno ex nostris codicibus, in altero Eparecius, dicitur, Epantus in Antuerpiensi, & Eparcius in Corbeiẽsi martyrol. vocatur, an sit Eparchius Episcopus Aruernensis, Sidonij Apollinaris antecessor non affirmo. Hic maxime laudatur à Gregorio Turonensi, & apud Saussayum inter sãctos illos numeratur, qui proprias historias non habent: huius tamen meminit in Natali Sidonii die 23. Aug., & in aliquibus tabulis signatum refert die 30. Septembris. Sammarthani decimum numerant inter Episcopos Claramõtenses, siue Aruernenses, & ex Gregorio Turonensi, aliqua de eo referunt, & è viuis excessisse addunt anno 472. Sidonii Apollinaris decessorem. Sed ad hanc ipsam diem præter adductos mss. codices; ita Eparcum veneratur in metrico martyrologio Vvandelbertus.

Præsulis hic etiam meritum celebratur Eparci.

XVII. Kal. Octobris.

NAtalis Sancti Nicomedi martyris. In Alexandria natalis Sanctorũ Cyrini. Leonti. Serapionis. Croci. Et Ancira Gallię natalis Sanctorum Seleuci. Valeri. Et in Thomis Ciuitate natalis Sanctorũ Stratori. Valeri. Mercibi. & Gordiani Episcopi. In Nicomedia Ciuitate natalis Sanctorum Archij, & Archion. Et in Nocera Campaniæ Natalis Sancti Constanti. In Aquira depositio Sancti Pauli Apostoli, & in Territorio Cauelonensi Castro Tremorcio natalis Sancti Valeriani martyris. *Lugduni Galliæ depositio Albini Episcopi.*

S. Nico-

SEPTEMBRIS 15.

SAnctũ Nicomedẽ martyrem in hodierno Indiculo non exhibet M. Vetuſtiſſimum Antuerpienſe, & nonnihil mutilum, locum Alexandrinis martyribus Serapioni, & Leontio non aſſignat *XVII. Kal. Octobris natalis Serapionis, Leonti. Et in Ancira Gallitiæ Seleuci, Faleri, Cyrionis, & in Tomis Stratonis, Macrobi, & in Nuceria Campaniæ Conſtanti, Cyrini, Croci, Valeri, Gordiani Epiſcopi. Nicomediæ Artei. In Aquila Paulini Epiſcopi, & Caulomo caſtro Valeriani Martyris. Lugduno Appini Epiſcopi.* Neque Nicomedis initio latereculi meminit M. Corbeienſe, ſed inter Tomitanos martyres ita recenſere videtur. *XVII. Kal. Octob. In Alexandria natalis Sanctorum trium fratrum, Cyrini, Leontii, Serapionis, Croci. In Ancyra Galatiæ natalis sãctorum Seleuci, & Valerii. In Tomis Ciuitate natalis ſanctorum Stratorii, Valerii, Merobi, & Gordiani, & Nicomedis martyris. In Nicomedia natalis ſanctorum Arcii, Archeon. Et in Nuceria Campaniæ natalis ſancti Conſtantii. In Anquira depoſitio Pauli Epiſcopi. Et in Territorio Cabillonenſi, caſtro Ternocio, natalis ſancti Valeriani martyris. Lugduno Galliæ, depoſitio Albini Epiſcopi. Natalis ſancti Auadri Abbatis.* At non modo Nicomedem martyrem venerantur cum Romano martyrologio omnes ferè hac die latini Beda, Rabanus, Vſuardus, Ado, Notkerus, Vvandelbertus, & recentiores; ſed Romæ ſub Domitiano via Nomẽtana paſſum diſertè ſcribũt, & ex illis aliqui Acta eius ſtrictim referunt. Vnde datur intelligi, quod pluries adnotauimus, in Vetuſtiori M. noſtro in ſacrorũ faſtorum fronte, ſiue agonis loco, adnotatos martyres eſſe Romanos, vel Romæ peculiariter veneratos. S. Nicomedes presbyter fuit, ac martyrum triumphãtium corpora ſepulturæ mandabat, vt de S. Felicula palam eſt. Eccleſiam habuit via Nomentana, & eiuſdẽ nominis cœmeterium, vbi in horto Iuſti ſepulturæ locum accepit; de eo agit Aringhius lib. 4. Romæ ſubt. cap. 21. vbi fragmentum ex eiuſdem S. Nicomedis Actis in codice mſ. Vallicellano ita producit. *Cum hæc & multa alia diceret S. Nicomedes presbyter, plumbatis diutiſſimè cæſus migrauit ad Dominum. Corpus vero eius in Tyberim præcipitatum eſt: Clericus autem eiuſdem Presbyteri nomine, & opere Iuſtus collegit corpus eius, & poſuit in biroto ſuo, & duxit ad hortum ſuum iuxta muros Via Nomentana, & illic eum ſepeliuit vii. Kal. Octobris.* Et forte legendum eſſet xvij. Kal. Octobris pro vij. Nam, & vetus Fronti Kalendarium Septembris xv. die natalem S. Nicomedis conſignat, & S. Gregorij Sacramentarium pariter xvii. Kal. Octobris. Sancti Petri Apoſtoli fuiſſe diſcipulum, refert Petrus de Natal. lib. 8. cap. 82. & ex Romano Breuiario, & Geſtis SS. Nerei, & Achillei exhibet per compendia Ferrarius S. Nicomedis vitam in catalogo SS. Italiæ.

In Alexandria. Binos tantum Alexandrinos martyres Serapionem, & Leontium non ſignato loco indicat M. Antuerpienſe. M. Corbeienſe addit cũ libris noſtris Cyrinum, & Crocum, & inſuper, quod in noſtris ſubticetur, tres primos, nempe Cyrinum, Leontium, & Serapionem fratres fuiſſe. Leontium, & Serapionẽ Alexãdrinos martyres Græci recolunt in Menologio Caniſij, hoc eodẽ menſe die tamen xij. ſed dũ alios illis ſocios aſſignant, dubiũ relinquunt, an ijdem re vera ſint, qui ſub Maximiano Imperatore in mare apud Alexandriam proiecti mortalis vitæ finem fecerint. Hos edita hucvſq. martyrologia ſilent, præter Bedam, & Rabanum, qui Serapionem, & Leontium Alexandriæ paſſos referunt.

Et

Et Ancyra Galliæ. Librarius codicum noſtrorum pro Galatia Galliam ferè ſemper repoſuit, & pro Ancyra Galatiæ Vetuſtiſſimum M. Gallitiæ retinet. Beda autem Cyram pro Ancyram habet. Ferrarius in catalogo Generali ad hanc ipſam diem in Ancyra Galatiæ refert SS. martyres, Fleucium pro Seleucio, Valerium, Cyrionem, Strationem, Macrobium,& Conſtantium ex Menolog.Græcorum,& Galeſinio. Sed niſi ſit ex alio Menolog. nullus ex his martyribus hac die legitur in Menologijs Caniſij,aut Baſilij:Galeſinus Ancyræ in Galatia eos refert coronatos ex priſco codice, pro eo quod Beda habet in Cyra Galatiæ,& de illis martyribus affirmat memoriæ traditũ eſſe à Græcis. Sed ex mſ.codice putarẽ eſſe additum Conſtantium, nobis martyrem Nucerinum; vt alibi enim diximus, Galeſinius non optimæ notæ mſſ. vtitur. Seleucius,& Valerius inter Alexandrinos martyres cum Leõtio, & Serapione adductis numerãtur apud Græcos die 12. Septembris; fortaſſe quia Ancyrani ciues Alexandriæ agonem compleuerint, ſicut Stratonius, qui in Menologio adducto inter eoſdem Alexandrinos computatur,licet in Vetuſtiori noſtro inter Tomitanos Stratorius dicatur,& in Vetuſtiſſimo M. Stratonis nomen retineat. In hoc Ancyranis martyribus Cyrion additur, qui fortaſſe Cyrinus Alexaudrinus eſt ſupra adnotatus. Rabanus *xvii.Kal.* refert *Ancyra Galatiæ natale S.Seleuci, Valerii, & Cyrionis.*

In Thomis. Venerantur in Menologio Baſilij ad diem 13. Septembris Macrobius Cappadox, & Gordianus è Paphlagonia ſub Licinio Imperatore martyres in Scythiam relegati. Scythiam hìc Ponticam intelligerem, cuius Ouidius Tomis relegatus meminit primo de Ponto

Scythicas detruſus in oras.

Vnde non male in Scythia adductos Tomitas martyres paſſos eſſe diceretur. Additur in Menologio illo Macrobius, qui Marubius in noſtris codicibus eſt,& Macrobius diſertè in martyrol. Antuerpiẽſi dicitur Hũc,& Gordianũ in Scythiã profectos præuertentes illuc inueniſſe Zoticum, Lucianũ, & Helium fortiſſimè pro Chriſto pugnantes, quos in carcere coniectos addunt,viui comburio agonẽ compleuiſſe. Valerius, qui illis ſocius additur in libris noſtris, & Corbeienſi, Valerianus in Menologio dicitur, & ſuper ſanctorum ſepulcro plorantem animam Deo reddidiſſe narratur. Rabanus pariter legit in Tomis Stratonis, & Macrobij, & Valerium, ſiue Valerianum omittit. Vnum videretur obſtare, quin Gordianus ille è Paphlagonia eſſe poſſit, quia in Vetuſtiori noſtro memoratus Epiſcopus dicitur: nam ille Palatinus Licinij Imperatoris pingitur, & fortitudine, florenti ætate, & egregia corporis forma ſimul cũ Macrobio ſocio laudatur,quæ minus Epiſcopali muneri cõgruunt, niſi Tomis factus Epiſcopus, dũ exularet, ita martyrium feciſſet. Hæc coniectari licet in multa ſæculorum caligine.

In Nicomedia. Archium, & Archianum, Nicomedienſes martyres, neque in editis MM. neque in Græcorum Menologio memoratos inuenire licuit. Artium tantum exhibet martyrol. Vetuſtiſſimum: ambos martyrol. Corbeienſe.

In Noceria Campaniæ. Nuceria Vrbs in Picentibus apud Sarnum Fluuium, & Campaniæ fines, ſub Metropoli Salernitana, Conſtantium martyrem dudum habuit celebrem, ſed qui neq. Ferrario, neq. aliis, quos viderim hac die memoretur. An pro Conſtantio legendum eſſet Conſtantia,cuius natalis infra die 19. aut 20. in eadem vrbe veneratur, cum Felice Presbytero? id non facile conſentirem; facilius eundem putarem cum Conſtantino, qui deinceps dies 17. recolitur, ex appoſito illi ſocio Sanctinio. Forte enim diuerſo die fuerũt coronati: Cõſtantius 15:Sãctius,ſiue Sãctinius 16. Vnde in pœnis ſocij nõ fuerunt diſiũgẽdi: ſed potius iterata veneratione, ſimul recolendi. Lapſum hic putarem eſſe librarij

librarij in martyrol. Antuerpienſi, qui inter Tomitas martyres Nucerinum, Conſtantium interpolauerit, nam Cyrinus, & Crocus, qui libris noſtris, & M. Corbeienſi Alexandrini ſunt, huic Nucerino Conſtantio ſuccenturiantur, ſicuti Valerius, & Gordianus Epiſcopus, qui in adductis codicibus Tomitani ſunt. Nulla de Gordiano Epiſcopo inter Nucerinos memoria extat, neq. aliorum adductorum martyrum in ſcriptoribus, quos viderim, ſicuti neq. Conſtantij, qui ex mſſ. conſenſu Nucerinus martyr eſt: niſi ille ſit, qui non hac die, ſed infra 13. Kal. Octobris in Romano martyrol. cum Felice recolitur, de quo ibi agendum nobis eſt. Conſtantem vocat Rabanus, & ſine ſocijs hac ipſa die eius ita meminit. *In Nuceria in Campania natale Conſtantis.*

In Aquira. Anquira legit martyrol. Corbeienſe, ſed Vetuſtiſſimum Antuerpienſe *Aquila*, quæ Vrbs quidem Epiſcopalis eſt in Aprutio Veſtinorum, ſed recentior quam in eodē martyrol. Vetuſtiſſimo ſignari poſſit. *Ancyra, vel Anquyra* legunt Beda, & Rabanus ſeiunctim ab Ancyra Galatiæ: eſſe enim potuit Ancyra Phrigiæ, Plinio, & Ptolomeo, vel Macedoniæ de qua Liuius. Ancyram canones Anquiram vocare notat Busbequius apud Ortelium. Huius Vrbis Paulum fuiſſe Epiſcopum, ac martyrem non difficile eſt credere. Emendandus tamen eſt alter ex codicibus noſtris, in quo ſcribitur Pauli Apoſtoli, ex breuiato nomine Pauli Epiſcopi, librarij vitio. Epiſcopum ita vocat Beda 17. cal. Oct. *In Ancyra S. Pauli Epiſcopi*, & Rabanus, *& in Ancyra natale Pauli Epiſcopi*. Paulinum vocat M. Vetuſtiſſimum; At dum codices noſtri, & Corbeienſis addunt depoſitionis nomen, videntur confeſſorem deſignare.

In Territario Cauaionenſi. Notkerus legit in territorio Cauillonenſi pro Cabillonenſi, ſeu Cabilonenſi, vt habet Vſuardus, qui aliqua ex Actis eius prælibat. Diffuſius eadem attingit Ado, & non modo Valerianum martyrem vnū eſſe narrat ex quinquaginta, qui temporibus Antonini Veri in carcerem detruſus, & diuinitus liberatus fuerit, ſed qui in Territorio Cabilonenſium Caſtro Trenortio, ſub Priſco Præſide vngulis laceratus, capitis abſciſſione cōpleuerit agonem. Conſimilia ex Adone profert Petrus de Natal. lib. 8. c. 83. aliqua alibi excerpta addens; diffuſius de eo agit Sauſſayus, qui Caſtrum non Trimorcium vocat, ſed Trinorchium, aliter etiam à Rabano ita memoratum, *Et in Territorio Cabilonenſe Caſtro Nortio natale S. Valeriani martyris*. Meminit cum martyrol. Romano, Beda, & Hagiologium Franco Galliæ Vetus Lebbei.

Lugduni. S. Albini memoriam agit martyrol. Romanum, Beda, Rabanus, Molanus in additionibus, & breuiter Sauſſayus. Ab aliquibus pro Albino, Alpinum fuiſſe vocatum notat Baronius, ac ante ipsū Galeſinius ex Demochare lib. 2. de Sacrificio Miſſæ. Appinum Epiſcopum vocat martyrolog. Vetuſtiſſimum, ſed Albinus eſt S. Iuſti ſucceſſor in Epiſcopatu Lugdunenſi in Indiculo SS. Lugdunenſium. Floruiſſe circa annum Dñi 390. tam apud Raynaudum, quam Sāmarthanos docetur: ille non tumulatum in Eccleſia S. Stephani, vt habet Demochares, ſed in Eccleſia S. Iuſti affirmat, hi decimumquartum Epiſcopum illius vrbis numerantes, narrant Alpinum etiam vocatum obijſſe die 15. Septembris, & conſtituiſſe Eccleſiā Sancti Stephani.

XVI. Kal. Octobris.

CAlcedonia natalis Sanctæ Eufemiæ Virginis. Romæ natalis Sanctorum Victoris. Felicis. Alexandri. Papiæ. Et in Via Numen-

tana ad Capua in Cimiterio maiore natalis S.Emerentianitis, & Sanctorum Pafies. Felicis. Victoris. Sperate. Nauati. Chorenti. Secunde. Lupati. In Nocerea Priſtiani. Romæ paſſio Sanctæ Cecilię Virginis. Salti, & Tyrſi.

SEPTEMBRIS 16.

MIrum, quòd in Vetuſtiſſimo martyrol. S.Villibrordi S. Euphemia inter Romanas martyres numeretur, non Chalcedone, vbi clariſſima huius nominis martyr celeberrima fuit, idque contra librorum noſtrorum, & Corbeienſis fidem, qui in Tabularum ſacrarum fronte Calcedonenſem recolũt. Ita enim Corbeienſe ſacros faſtos exhibet. *XVI. Kal. Octobris. Calcedone natalis Sanctæ Euphemiæ Virginis. Romæ natalis Sanctorũ Victoris, Felicis, Alexandri, Papię, Magni. In via Nomentana ad Cap.in Cimiterio Martę, natalis Sancti Emerentiani. Et natalis Sanctorum Papies, Felicis, Victoris, Sperati, Nanini, Chorinti, Secundæ, Donati, Generoſæ. Item Secundæ, Lupati. In Nuceria Priſciani, Maximi. Romæ paſſio S.Cæcilię Virginis, Saluti, Tyrſi,* Martyrol. vero Vetuſtiſſimum hodiernos cælites hoc ordine refert. *XVI. Kal. Octobris. Romæ Papæ Felicis, Victoris, Alexandri, Emerentiæ, & Euphemię, Sperati, Nouati, Corinti, Secundæ, Donatę, Beſiæ, Generoſę,. Item Secundæ. & in Nucerina Priſizani. Romæ Cecilię, & alibi Salui, & Tirſi.*

Chalcedoniæ. Chalcedonia etiam Livio dicitur vrbs Bythiniæ Chalcedon. alijs dicta, ſiue cœcorum terra ex aduerſo Byzanti. In hac vrbe Euphemiam virginem, celeberrimam in Oricte martyrem, & hac die, omnia vulgata latinorum martyrologia recolunt, ſicuti & Menologium à Caniſio editum. Quod verò Baſilio Imperatori tribuitur, hac die S. Euphemiam præterit, cum tamen huius celebritatis diſertè meminerit epiſtola exilij S. Martini Papæ, & martyris ante Baſilium ſcripta, quam ex Græco tranſtulit Anaſtaſius Bibliothecarius, & edidit Sirmũdus in Collectaneis. In illa enim exitus S.Pontificis ſignatur. *Mense Septembri, die 16. in qua Felicissimæ Martyris, & fidem cuſtodientis Orthodoxam, Euphemię pretioſiſſimæ & beatiſſimæ ſecundum anni circulum celebratur memoria.* Qui dies decimus ſextus Septembris feliciſſimi eius deceſſus ſignatur in eiuſdem Euphemiæ Actis apud Metaphraſtem, & Surium Tom.9. Plures fuiſſe Euphemias Baronius doctiſſimus dubitauit, & ex Vetuſtiori noſtro martyrol. liquere videtur. Euphemia, & Innocentia martyres Vicentinæ hac ipſa die in Generali Catalogo Ferrarij memorantur, & Euphemia Aquileienſis die 3.Sept. in Romano M.Varijs etiam diebus in Eccleſia Latina Chalcedonenſis Euphemiæ natalem celebrari conſueuiſſe, vt in Græca, idem Baronius adnotauit, noſq; aliquid diximus ad diẽ 13. Aprilis, & 17. Auguſti, & iterum infra die 17. Sept. Romanam aliquam Euphemiam notat martyrol. Vetuſtiſſimum, & vetus Fronti Romanum calendarium cum Lucia Romana ita miſcet. *Die 16. natalis Sanctæ Luciæ, & Euphemiæ.*

Romæ nat. SS. Romanum M. Beda, Rabanus, Vſuardus, Ado, Notkerus Romæ Luciam, & Geminianum, ſiue Iemmianũ hac die exhibent, de quibus mirum eſt, neque in codicibus noſtris, neq. in Corbeienſi, & Antuerpienſi memoriam agi, cũ tamen alij Romani martyres, in plures ordines diuiſi indicẽtur, ab illis præteriti, Victor nempe, Felix Alexander, & Papia in primo ordine explicati.

plicati. Magnum addit M. Corbeiense alijs præteritum. Papam pro Papia primo loco legit martyrol. Vetustissimum, sed Papia vsitatum nomen est, vt de Papia Mauri socio palam legitur in Rom. martyrolog. sepulto via Nomentana 24. Iunij. Victor Episcopus, Felix, Alexãder, Papia venerantur etiam Romæ die 20. Aprilis, vt ibi diximus, sed hanc esse diẽ passionis, illam alicuius expositionis, vel translationis putarem. In secundo choro via Nomentana Emerentianes, siue Emerentiæ, & vt addit martyrol. Antuerpiẽse Euphemiæ memoria agitur, deinde in alio choro nouẽ martyres in eodẽ martyrol. indicantur, siue vndecim in martyrol. Corbeiensi, qui tantumodo octo sunt in decurtatis à librario codicibus nostris. Deficit enim Donata, altera Secunda, & Generosa. Pasies, Felix, & Victor, fortasse tanquam ex primo ordine repetiti, desunt in martyrol. Antuerpiensi, in quo Besia, Generosa, Donata, & altera Secũda eorum loco recẽsentur. In Corbeiensi pro Nauato, seu Nouato habetur Nauinus, & supra nostrum Donata, Generosa, & altera Secũda numerantur. An Nouatus præsbyter Romanus est, de quo aliqua diximus Exercit. XII?

Emerentianitis. Emerentianum hìc habet martyrol. Corbeiense, & Emerẽtiam Antuerpiense, & pro sancta martyre cum codicibus nostris suscipimus, quæ Emerentianes dicta, secundo casu Emerentianitis etiam dici potuerit. De S. Emerentiana virgine S. Agnetis collactanea agit Romanum M. cum Beda, Vsuardo, Adone, ac cæteris latinis ad diem 23. Ianuarij: quo die cum nihil de ea prostet in Vetustiori nostro, non improbabile reddit eandem hìc recoli via Nomentana, vbi sepulcrum S. Agnetis erat, & vbi lapidibus ab Idolatris petita coronam accepit, vt habet S. Ambrosius in vita S. Agnetis. Sanè prope B. Agnetem sepulta est in Agello parentum ipsius clarissimæ virginis. An verò Agellus ille nuncuparetur ad Capreas, & cœmeterium D. Agnetis diceretur maius, dubitari potest: In M. Corbeiensi non legitur ad Caprea, sed breuiato nomine ad Cap. & cœmeterium non maius dicitur, sed Martæ. Vtramque vocem suspectam habeo, & potius legerem in cœmeterio martyrum: ita enim cœmeterium via Nomentana appellatum inuenio in Martyrologio ms. Vetustissimo Bedæ nomine insignito Vaticanę Basilicę, cuius fragmentum ex die 20. Aprilis adducit Aringhius lib. 4. cap. 26. nu. 2. *Et in cœmeterio martyrum iuxta viam Nomentanam Saluiani, & Aragaci.* Hoc cœmeterium vocat militare ad illam diem M. nostrum. Si quis vero maius etiam dictum velit cœmeterium S. Agnetis nuncupatum extra portam via Numentana, nõ pugnabo. Amplissimũ fuisse, & pluribus cubiculis ornatum docet Bosius, & & ex eo Aringhius, vbi supra cap. 27. Ad Capræ paludes locũ extitisse prope vrbẽ Romã auctor est Festus, qui Caprilia appellari agrum illũ testatur; vulgo ad Capræ Paludes dictum, & forte Capreæ paludes ante vrbẽ, in qua Romulus euanuit, Plutarco, & Ciceroni idem locus erat. An vero in via Numentana, vel ex Numentana via adhuc decernere non licuit. Ædicula Capraria erat Romæ apud Publium Victorem in Regione vij. via lata, & Sexto Rufo in eadem regione vicus Caprarius.

Et Sanctorũ Pasies. Romanorũ martyrũ altera hæc turma est, cuius inter adductos codices in nominibus, & numero differentiam supra adnotauimus, dum aliud addere ex aliorũ silẽtio non licet.

In Noceria. Nec pridianos, nec hodiernos Nucerinos martyres alibi signatos inuenire licuit. Prisciani tantùm exhibent libri nostri. Maximum addit M. Corbeiense. Maximum cum Theodoto, & Asclepiodoto Adrianopoli passum hac ipsa die recolunt Græci in Menologio Canisij. Pro Prisciano Prisizanium exhibet M. Vetustissimum.

Romæ Cæciliæ. Cum Cæcilia Virgine, ac martyre Saltum, siue Salutium, & Tyrsum Romæ venerantur codices nostri cũ M. Corbeiensi. Vetustissimum verò An-

tuerpiense Romæ tantum Cæciliam Virginem assignat, Saluium, & Tyrsum *alibi* incerto loco. An celeberrimæ Cæciliæ aliqua hic veneretur translatio, aut Ecclesiæ dedicatio, me fugit. In illud propenderem, vt non vnam tantum martyrem Cæciliam Romanam agnoscerem; Equidem Romæ patrum nostrorum ætate inuenta, & integro corpore quiescēs, qualem Antonius Bosius in Actis illius translationis pingit, sancta virgo in omnium conspectu fuit, & dum in multis Christiani orbis Ecclesijs reliquiæ, & ossa sanctæ Cæciliæ venerantur, aliam Cæciliam esse; cuius ossa seiunctim alibi seruantur, affirmare coguntur. Colitur Parisijs in Ecclesia Sancti Nicolai Campestris Caput Sanctæ Cæciliæ Virginis, quam ex integritate corporis S. Cæciliæ Romæ in suo titulo seruatæ fatetur Saussayus in Appendice Gallic. martyr. p. 1221. alterius S. Ceciliæ virginis esse, & alterius S. Virginis Abbatissæ in Lotharingia. Aliam martyrem, quæ hodiernis fastis M. nostri indicatur, suadent etiam socij Saltius, & Tyrsius, qui in Actis celebrioris Ceciliæ non comparent.

XV. Kal. Octobris.

IN Neuiduno natalis Sanctorum Valeriani. Magrini. & Gurdiani. In Nocera natalis Sanctorum Constantini. Sanctini. Calcedonia Bythinie natalis Sanctorum Eufemiæ. Saleosi. *Suipertio depositio Sancti Pauli Episcopi.* Macrobi. Gaudiani. Ysici Episcopi, & Martyris. *Leodico natalis S. Landeberti Episcopi, & martyris.*

SEPTEMBRIS 17.

NIuioduno in Niuernis SS. Martyres Valerianum Macrinum, & Gordianum sub Decio coronatos exhibet Saussayus postridie huius diei, cum tamen hac ipsa die xv. Kal. eorum natalem recolant Romanum M. Beda, Vsuardus, Ado, & alij recentiores, præsertim Galesinus, qui martyrij titulum ascribit ex vetustis mss.; nihil tamen præter diē, & locum passionis ostendunt. Hæc etiam ex S. Villibrordi, seu Antuerpiensi martyrologio, mutato nonnihil à nostris codicibus ordine, confirmantur. *XV. Kal. Octobris. Britannię Socratis Stephani. Et in Niceria natalis Constantię, & Sanctię. Neuedunę Valeriani, Macrini, Gurdiani. Calcedonię Enfemię, Saleosi, Stoperci, Paulini Episcopi, Macrobi, Gaudiani, Husici.* Consonat magis libris nostris ita martyrol. Corbeiense. *XV. Kal. Octob. In Neueduno natalis SS. Valeriani, Magrini, Gurdiani. In Nuceria natalis SS. Constanty, Sunctini, Chalcedone Bythinię natalis SS. Euphemię, Saleosi. Suipertio depositio Sancti Pauli Episcopi, Macrobi, Gaudiani, Ysici martyris. In Gallia vico, qui dicitur Leodius passio S. Landeberti Episcopi, & martyris.*

In Nuceria. Constantium martyrem Nucerinum supra die 15. Septembris dedimus, hic cum Sanctino, siue Sunctino, in codicibus nostris, & martyrolog. Corbeiensi iterum Constantius memoratur. At cum in Vetustissimo Antuerpiensi Constantia, & Sanctia mulieres martyres potius exhibeantur, libuit huic magis adhærere, quòd Constantius iam supra adductus sit, ad diem 15. Septemb. Duplex in Italia Nuceriæ nomine Vrbs est, alia Vmbrorū antiquiorum via Flaminia Episcopalis; alia Campaniæ Mediterra-

diterranex item Episcopalis sub Archiepiscopo Salernitano, quæ cum aliquãdo, & ad plures annos Episcopo careret in sacrilegij pœnam, eiusque Diœcesis pars Salernitano præsuli tributa esset, coniectaui ne forte reliquiæ S. Constantiæ tũc Salernũ fuerint, vel alio tẽpore asportatę; in Indiculo enim Ecclesiæ Salernitanæ, quem M. Antonius Columna Marsilius Archiepiscopus præfixit suis constitutionibus, S. Constantiæ virginis reliquiæ numerantur repositæ in Altari maiori Basilicæ S. Matthei, seu Cathedralis Salerni. Verùm cum de Constantia martyre Nucerina sub Nerone vna cum Felice presbytero ex Adone agat Ferrarius infra ad diem 13. Kal. Octobris, & Petrus de Natal. lib. 8. cap. 36., eandem esse socij diuersitas vetauit affirmare. Hæsitaui quapropter non modo cui ex duobus Nucerijs sanctum martyrem tribuerem, sed etiam vtrum pro Noceriæ legẽdum esset Dronerij apud Salutias, vbi Constantinus dux, & miles ex legione Thebæa passus est, & die sequenti veneratur, vt ex Inscriptione apud Ferrarium, & historia MM. Thebæorum Taurini edita appareret. Sed quia adducti omnes codices constanter legunt Nuceriam, & infra die 20. de Felice, & Constantio, agendũ nobis est, ibi difficultatem pro capto nostro enodabimus.

Chalcedone. Iterum Chalcedonensis in Bythinia martyr Euphemia recolitur, tam in libris nostris, quam MM. Antuerpiensi, & Corbeiẽsi, bis etiam apud Græcos in Canisij Menologio die xj. Iulij, & pridie huius diei in adductis mss.: forte ne ab aliquibus in agone socijs, alio die coronatis, disiungeretur. Vnus tantum commilito additur Saleosius in codicibus nostris, & Corbeiensi. Vetustissimum tamen reliquos addit, qui in illis disiuncti videntur, Stoporeum nempe, Paulinum Episcopum, Macrobium, Gaudianum, & Nusicium. At qui Stoporeus in illo dicitur, in alijs libris disiunctim, quasi pro loco venerationis sequentium aliorum martyrum signari videtur. *Sui portio*. Verum cum ex Geographis ignotus mihi locus ille sit, pro nomine martyris accipi posse non renuo. Paulus non Paulinus Episcopus in codicibus nostris dicitur, & Ysicius pariter Episcopus nũcupatur; sed ille cum depositionis nota etiam in martyrol. Corbeiensi videtur pro Confessore signari, in quo Isicius martyr tantum dicitur, non Episcopus. De Paulino cum alijs socijs Chalcedone coronato meminit Menologium Canisij die 17. Maij. Sed reliquorum nomina variant.

Leodico. Apud Leodium Lambetti Episcopi natalẽ refert hac ipsa die Romanum M. cum Beda, Vsuardo, & alijs. Vitam habet Surius To. 9. & Petrus de Nat. lib. 8. cap. 86. Laudebertum vocat Notkerus, Landebertũ codices nostri. Floruisse habet Baronius circa annum 697. sed anno 696. martyrio coronatum die 17. Septembris referunt Sammarthani, qui S. Lambertum 28. loco Leodiensem Episcopum notant. De eo ita Rabanus, *in Gallia prope ciuitatem Traiectum in Villa Lindorico passio Lamberti Episcopi*. Ex additis ad Vetustius martyrologium vix dubitarem, sicuti Socracrates, & Stephanus Britanni in martyrol. Antuerpiensi, de quibus pariter agit Romanum martyrol. cum Beda, Rabano, Vsuardo, & recentioribus.

XIIII. Kal. Octobris.

IN Alexandria Natalis Sanctorũ Trofini, & in Nicomedia Ociani. Xisti. In Mediolano depositio S. Eustorgi Episcopi, & Sancti Satyri.

Bre-

BReuissimam Ephemeridem in hodiernis Tabulis exhibent codices nostri cum Corbeiensi; Vberiorem martyrol. Antuerpiense, quod in hanc diem cælites, in illis postridie numeratos, transfert; nos tamen vtrumq. ex Apographorum fide exhibebimus, ac primum Corbeiense vti nostro magis consonum. *XIV. Kal. Octobris. In Alexandria natalis S. Trophimi. Et in Nicomedia natalis SS. Oceani, Xisti, Medaci. In Mediolano depositio S. Eustorgij Episcopi, Satyri.* Ex M. Antuerpiense Bollandi,& Henschenij segmentum illud accipiemus, quod codicibus nostris magis accomodatum videtur, reliqua ad collationem in proximum diem reseruantes. *XIIII. Kal. Octobris. Calcedonia Trophimi. Et in Nicomedia Oceani. In Mediolano depositio Eutropi Episcopi, Syxti, Medethei, Saturi, &c.*

In Alexandria. Plures sub Trophimi nomine martyres apud Græcos in Menologijs venerantur. Alter qui Antiochiæ Pisidiæ cum Sabbatio agonem exorsus Synade tandem compleuit, hac ipsa die in Menologio Canisij. Dorymedon eius in corona socius infra in Vetustiori nostro die 20. memoratur. Etsi enim vna cum Trophimo in Menologio Basilij capite damnatus dicatur, potuit tamen non eadem die capite truncari Sabbatius multo ante illum, Antiochiæ coronatus fuit, de quo videtur egisse M. nostrum ad diem 27. Augusti. Mirum tamen, quòd Alexandriæ tribuant Trophimum, tam codices nostri, quam Corbeiense M., dum Antuerpiense Chalcedoni assignat. Trophimũ cum Oceano Galesinius, deprauatis, & mutilis codicibus vlus, hac die Romæ veneratur. Petrus etiam de Natalibus lib. 11. nu. 251. tres cælites simul cõfundens, & martyrem Eustorgium Episcopum asserens, ita Trophimi meminit. *Trophimus, & Oceanus, atque Eustorgius Episcopus passi sunt Martyriam xiij. Kal. Octobris.* De Trophimo Synade coronato postridie agit M. nostrum, vt alius ab hoc fuerit Alexandrinus. Rabani sinceriores fasti videntur. *XIV. Kal. Mediolano Eustorgij Episcopi, & Satyri. In Chalcedonia natale Trophimi, & in Nicomedia natale Iociani.*

Nicomedia. Oceanũ seiunctim à Trophimo in martyrij loco exhibent cõcordes adducti codices nostri cum Xysto. Oceanum tantùm Nicomediæ profert M. Vetustissimum: Corbeiense vero nõ modo Xystum addit, sed etiam Medacium, quem Medetheum illud vocat, & cum Sixto Mediolanensibus cælitibus addit. Oceani martyris cum Theodoro, Amiano; & Iuliano memoriam agunt Græcorum Menologia ad diem 4. Septẽbris, diffusiùs tamen in Menologio Basilij. In neutro locus passionis indicatur, sed præcisis membris, & confractis cruribus igne cõsumptos esse, narratur sub Maximiano Imperatore, quod in Nicomediensi carnificina accidisse non esset improbabile. Xistus tamẽ, & Medetheus diuersi socij, diuersum Oceanum indicare videntur. Iocianum, vt vidimus, vocat Rabanus non Oceanum.

Mediolano. Xystus, & Medacius, siue Medetheus Mediolanensibus cœlitibus appositi à M. Vetustissimo sunt, interpolantis librarij vitio, cum apud Mediolanenses scriptores ignorentur. Aptius proinde cum Oceano Nicomediensi coniungi existimarem. Depositionem Eustorgij laudatissimi Mediolanensis Præsulis hac quidem die exhibent Romanũ M. Beda, Rabanus, & alij recentiores. Primus Episcopus in eodẽ M. nũcupatur, ad Secũdi Eustorgij Mediolanensis pariter Episcopi distinctionem, qui 6. Iunij in eodem Romano martyrol. veneratur, vt ibi notat Baronius. Senior Eustorgius à D. Ambrosio laudatur, & titulo Confessoris

feſſoris ornatur in opere contra Auxentium de traditione Eccleſiarum. Confeſſorẽ autem, nõ multo ante ſilẽtibus perſecutionibus, ſtrictè acciperem, pro eo, qui in pace quidem quieuerit, ſed aliqua pro Chriſtiana fide perpeſſus fuerit, vt D. Ambroſij verba non obſcurè ſignificant. Byſantinum ciuem faciunt Conſtantini Imperatoris militarem ducem, ac in Inſubria legatum, qui eiuſdẽ S. Euſtorgij, res geſtas ſcripſerunt. Hũc à clero, & populo ex laicali ſorte ad infulas arreptũ narrãt poſt deceſsũ Miroclis, ſiue, vt alij docent, Protaſij Mediolanenſis Epiſcopi, illumq. eſſe addunt, qui SS. trium Magorum corpora Conſtantinopoli Mediolanum attulerit, penes quæ ſepultus fuerit circa annum cccxxxiij. xiv. kal. Octobris, vt Ferrarius habet in catalogo SS. Italiæ, & Mediolanenſes ſcriptores adducti ab amiciſſimo viro D. Placido Puccinellio Caſſinenſi Monaco in Italico Zodiaco Mediolanẽſis Eccleſiæ p. 2. in vita eiuſdem Euſtorgij, qui corruptè Eutropius dicitur in martyrol. Vetuſtiſſimo.

Et S. Satyri. Latè de S. Satyro D. Ambroſij germano fratre agunt Mediolanẽſes ſcriptores, in primis Ioannes Petrus Puricellus, eruditus amicus noſter, dum adviueret in Ambroſianæ Baſilicæ monumentis à numero 19. & deinceps; vbi ex Gualuaneo Flamma in hædino mſſ. Indiculo SS. Corporũ, quæ Mediolani, & in eius ditione requieſcũt, hæc verba refert. *Feſtum S. Satyri Leuitæ, & Confeſſoris die 17. Septembris. Iacet ad S. Ambroſium.* Quòd fuerit Diaconus nõ aliunde videtur conſtare. Dungalus noni ſæculi ſcriptor aduerſus Claudium Ichonomachum hæc habet circa finem libri. *Ambroſius ſuum fratrem Satyrum, quem nimium dilexerat, iuxta S. Martyrem Victorem ſepeliuit.* Deinde Epitaphium ab eodem D. Ambroſio dictatum affert, in quo binomius Satyrus dictus videtur, hoc eſt Vranius Satyrus, niſi pro Vranio cœleſtem intelligamus; contenti tamen erimus duo prima carmina aſcribere.

Vranio Satyro ſupremum frater honorẽ
Martyris ad lenam detulit Ambroſius.

integrum verò Tetraſtichon adhuc legi in Cappella S. Satyri teſtis mihi eſt adductus ſupra Placidus Puccinellius in libro de Antiquis monumentis Mediolaneſibus Italicè ſcripto p. 55. De Satyro aliqua ad veritatem illi ſummopere dilectam habet, qui ſupra Ioannes Petrus Puricellus in diſſertat: Nazariana c. 46. S. Satyrum natum putat medium inter Marcellinam, & Ambroſium circa annum cccxxx. non vero defunctũ anno ccclxxxiij. vt Emin. Baronius opinatur, ſed ccclxxxviij., quod validis probat argumentis. Ex Vetuſta effigie S. Satyrus ſago indutus reprehesẽtatur apud eundem Puricellũ cap. 46. n. 18. vt hinc non fuiſſe Leuitam, aut Diaconum etiã ex habitu appareat. Reliqua eius vitæ, ſi quis deſiderat apud eundem legat ex oratione S. Ambroſij in eius funere notabiliora decerpentem. De eo agit martyrol. Romanum die præterita 17. qua, vt notat Galeſinius Mediolanenſis EcclefiaSatyrum veneratur. Sed hac 18. cum Euſtorgio recolunt Maurolycius, Molanus ad Vſuardum, & alij, vt idem Galeſinius fatetur.

XIII. Kal. Octobris.

IN Alexandria natalis Sanctorum Dimetri. Paeli. Nili. Parimadi. Helij. Caſtoris. Saturi. Niceti Epiſcopi. In Neapoli natalis Sanctorum Ianuarij, & Ancij. In Sinada Frigiæ natalis Sancti Troſi. *In Gallia Ciuitate Vienna natalis Sancti Ferioli, & dedicatio Baſilicæ ipſius, & translatio Sanctorum*

Sanctorum multorum Corporum, cum caput S. Iuliani martyris de Brivate sub Altario positum, & in Ciuitate Trueris depositio Militi Episcopi, & Alibi natalis Sanctorum Trogi Episcopi, Pij Diaconi. Quapilici. Nili. Paterni. Musicij cum alijs cliij. *In Gallia Territorio Bectoria Ciuitate vico Villauna natalis Sancti Marciani.* In Nocerea Hereme. Et Alibi Beati Episcopi. *In Territorio Lingonicæ Ciuitatis Monasterio Segestro depositio Sancti Sigonis presbyteri, & Confessoris.* Felicis, & Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone. Priuati. Eufemiæ. Sigone.

SEPTEMBRIS 19.

IN Palestina, non Alexandriæ Pileum, Nilum, & Eliam Episcopos hac die veneratur martyrol. Romanum cum Beda, & alijs, vt ibi notat Baronius, qui eorum certamina Eusebium scripsisse asserit lib. 8. cap. 22. & 25. At libro 8. nouæ Valesianæ editionis cap. 13. hæc de Peleo, & Nilo, eodem Valesio interprete, habentur. *Sed & quidam Ægyptij Sacerdotes Peleus, ac Nilus cum aliquot alijs illic flammis assumpti periere.* Quãquam enim in Pheno Palestinæ ad metalla damnati essent, non perinde Ægyptij esse desinebant, & Episcopi sub Metropoli Alexandrina. Titulus illius Eusebiani capitis est, non de martyribus Palestinæ, sed de Præsulibus Ecclesiarũ, qui religionis, quam prædicabant, sinceritatem fuso sanguine declararunt, vbi de Episcopis Nicomediæ, Phæniciæ, ac aliorum locorum agitur. Fuisse quidem Peleum, & Nilum cum alijs inter reliquos Confessores ad metalla in Palestina damnatos, & Episcopos, habetur in libro Eusebij de martyribus Palestinæ eiusdem nuperæ editionis cap. 13. vbi narratur Præpositum metallorum, dum confessores ibi libertate frui videret, eos in turmas distribuisse, ac quatuor ad ducem, qui militaribus copijs præerat misisse. *Horum duo,* inquit, *erant Ægyptiorum Episcopi Peleus, ac Nilus; Tertius presbyter, quartus fuit Patermuthius,* quos, cum nollent religionem suam abnegare flammis absumi præcepit. Vnde quos antea Eusebius presbyteros dixerat, tùm ex illius capitis titulo, tum ex his, quæ ex libro de martyribus Palestinæ adduximus, Episcopos fuisse patet. Hos cum Romano martyrol. Palestinos martyres incongruum nõ est agnoscere, quòd ibi revera agonem compleuerint, sed neq; incongruè in Ecclesia Alexandrina tanquam proprios, & Ægyptios martyres etiã fuisse veneratos diceretur, Confessionis, martyrij, & Episcopalis dignitatis gloria apprimè venerabiles. Centum viros alios cum Petro, & Nilo Episcopis ex Ægypto, & duobus celeberrimis Patremateo, & Helia, & quinquaginta Palestinis comprehensos, & ad metalla damnatos refert Menologiũ Canisij pridie huius diei, additq; centum illos fidem abnegare renuentes, effossis oculis, ad metalla traditos beatum finem accepisse. Sed in Menologio Basilij, in quo hac ipsa die 18. certamen SS. Nili, Pelei, Heliæ, & sociorum recolitur, non modo cum centum *Ægyptijs genere* ad metalla sanctos illos, nominibus expressos, fuisse damnatos effosso dextro oculo, sed præcisis sinistri pedis neruis, & articulis tandem à Duce in fornacem ardẽtissimam fuisse coniectos, & coronatos narratur. Notkerus, vnde habuerit, Mar. cum addit Peleo, & Nilo, quos simul Episcopos vocat, & hac die cum plurimis clericis pro Christo igne consumptos docet, vt hinc qui Alexandriæ re-

colunt

luntur cum Pelco, & Nilo, vel Episcopos, vel clericos fuisse hauriamus. Sed de more Corbeiense martyrol. adducere ad nostrorum codicum cõsonantiam libet, in quo nomina parte aliqua deformata ex Dacherio apponimus *XIII. Kal. Octobris. In Alexandria natalis SS. Demetri,* (Dunetri) *Pales,* (Pelei restituendum est) *Nilipacis* (Nili) *Madiheli,* Pacimadi, Helij,) *Castoris, Saturnini, Ceti Episcopi,* (Saturi, Niceti Episcopi) *Casti, Iulii. In Neapoli natalis SS. Ianuarij, & Aniceti.* (Anci) *& in Synnada Phrigiæ natalis S. Trophi. In Vienna Ciuitate* (in Gallia ciuitate Vienna) *natalis S. Ferreoli* (Ferioli) *& dedicatio Basilicæ ipsius, & translatio* (Sanctorũ) *multorum corporum cum capite S. Iuliani martyris de Brivate sub altare posito. & in ciuitate Treueris depositio Militi Episcopi. Et alibi natalis SS. Trogi episcopi, & Pij Diaconi, Capilei.* (Quapilei) *Nili, Paterni, Musci, cum alijs centum quinquaginta. In Territorio Eiturino, Vico Vellauno* (In Gallia Territorio Rectoria ciuitate, vico Villauna) *natalis S. Mariani* (Marciani) *In Nuceria Hermei,* (Heremæ) *Beati Episcopi*) & alibi Beati Episcopi) *Felicis, Constantiæ, Privati, Euphemiæ, Sygone. In territorio Lingoris ciuitate in Monasterio Segestro S. Sigonis Presbyteri, & Confessoris.* Interpolati circa fastorum finem sunt codices nostri; post Beatum enim Episcopum, ante Felicem, & Constantiam, interponitur veneratio S. Sigonis. Addimus ex martyrol. Vetustissimo Antuerpiensi, ab incurioso librario malè habito, quæ ex pridiano laterculo abscidimus, & in hodiernum reiecimus, plurimorum codicum fidẽ sequuti. *In Alexandria Demetri, Pallei, Nili, Parimadi, Heli, Castoris, Saturni, Niceti Episcopi, & Neapoli Ianuarij, & Augi, Et Sinnada Frigiæ Alotropi. In Galliis ciuitate Vienna Ferriols martyris. Treueris Militi Episcopi, & alibi Georgi Episcopi, Pij Diaconi, Quapili, Mili, Paterni, Nurci, & aliorum CL. Gallys vico Veliono inter Beturica Mariana. In Nucerna Heremitis, item Felicis, & Constantiæ, Privatæ, & Euphemiæ, Singoni presbyteri.* Male hic habitum à librario venerabile S. Villibrordi martyrologium confirmant, quæ minus aptè repetita die immediate sequẽti signantur in Apographo à Boilando, & Henschenio dono habito. *xiij. Kal. Octobris. In Alexandria Demetri, Castoris, & Aniceti. Et in Campania Neapoli Ianuarij.* Ex fide igitur adductorum codicum martyribus Alexandrinis, seu Ægyptijs, siue apud Eusebium Palestinis, Pileo scilicet, Nilo Episcopis, Helio, siue Eliæ, Patermuthio, siue Patremateo, quã Parimadium esse putamus in nostris, Antuerpiensi, & Corbeiensi codicibus, alij etiam nominibus expressi adduntur, nẽpe Dunetrius, siue Demetrius, Castor, Saturus, siue Saturnius, & Nicetius Episcopi, & cum Corbeiensi martyrol. Castus, & Iulius, qui genere etiam Ægyptij fuerint, & sub Alexandrina Metropoli Episcopi. Nec fortasse vanum esset, eos, qui infra incerto loco tribuuntur, cum centum quinquaginta anonymis ijsdem in Palestina passis adnumerare, vt mox dicemus.

Neapoli Ianuarii. De Ianuario Episcopo Beneuentano, ac socijs egimus ad ad diem 7. Septembris; translatum ibi diximus eius corpus Neapolim post aliquot ab agone annos, & translationis, siue depositionis tempus hìc recoli non difficile est credere. Græci in Menologio Canisij, hac ipsa die certamen Ianuarij, Sosij, Procli, Fausti, & Desiderii referunt: de Ancio, siue Antio nihil exhibent; in Menologio vero Basilii die 18. Septembris socij Ianuarij referũtur Sossus, Prochus, Eutichius, & Acustius Diaconi, Festus, & Desiderius clerici. At in Actis S. Sosij, in quibus S. Ianuarij, & aliorum sociorum gesta continentur diffusè apud Surium auctore Ioãne Diacono ad diem 23. Sept. To. 9., Euticetes atq. Acutius Laici dicuntur, & sepulti cum S. Proculo Puteolis; Ianuarium vero Neapolim ex sulphuratoria, vbi cum

alijs decollatus fuit, fuisse trãslatũ additur post multorum annorũ curricula, vt illa Acta habent, quæ prælibat Rabanus ad hunc diem, Natalem Sancti Ianuarij vocatũ. An pro Acutio alicuius librarij errore factum sit, vt Ancius scriberetur, ignoro, & an Puteolis Neapolim translatæ eius reliquiæ fuerint. Id affirmare videtur Ferrarius, qui in catalogo SS. Italiæ, Eutichum, & Acutium Neapoli hac die venerari docet. Proculum, Eutychen, & Acutium iuxta Basilicam S. Stephani addit Rabanus. Videnda quæ ex Antonio Caracciolo, diligenter horum cælitum Acta prosequente, diximus die 7. Septembris.

In Synada Phrygiæ. Synnada Straboni, & Synada Ptolomæo dicitur maioris Phrygiæ ciuitas, vt aliàs diximus. Natalis in ea Trophij martyris agebatur, qui in ea passus sit. Cum Sabatio, & Dorymedonte, eius memoriam agit Menologium Canisij, hac ipsa die sub Imperatore Probo. Quamquam verò Sabatius, & Trophimus agonem simul Antiochiæ Pisidiæ cæperint, ibiq. Sabatius flagris diutissimè cæsus spiritum emiserit, Trophimus tamen ferreis crepidis calceatus missus fuit in Vrbem Synadarum, vbi lucratus Dorymedontem, cum eo obtruncatus est. Hæc nonnihil vberius profert Menologium Basilij, sed pridie huius dici, vt ibi adnotauimus. Latius eorũ acta prosequitur Metaphrastes apud Surium T. 9. ad diem 19. Sept. Ex quibus pro Trophio in codicibus nostris restituendus videtur Trophimus.

In Gallia. Sanctum etiam Villibrordum Vetustissimum martyrol. suum ex Gallijs seruatum ibidem, & auctum habuisse, nisi aliunde constaret, hinc satis luculenter appareret; cum in eo etiam plurium sanctorum Galliæ additamenta legantur, quæ tamen antiqua esse non dubito, sed quæ martyrologium Vetustius interpolare videantur, occasione à S. Ferreolo martyre suscepta. Feriolum vocant codices nostri, sed Ferreolum cum alijs fere Acta apud Surium To. 9. ex peruetustis mss. codicibus. In Vrbe Allobrogum Vienna, sub Medulis decimosexto à Lugduno lapide, teste Seneca in Ludo Claudij, Tribunus militaris Ferreolus erat, qui cum sacrificare Idolis nollet, acrius verberatus, & magnis põderibus oneratus in carcerẽ detruditur. Solutis autem diuinitus vinculis liber Rhodanum pernatauit, & in oppositã ripa iterum à persecutoribus captus obtruncatur. Hæc Acta illa elegantiora habent. Saussayus Briuate in Aruernia, cum Viennensis Tribunus esset, securi percussum narrat, & Viennam cum capite S. Iuliani martyris socij illius, prope Briuatem paulo ante obtrũcati, relatum esse. Quod codices nostri cum Corbeiensi confirmant addentes, non modo Viennæ eius natalem celebrari hac die consueuisse, sed translationem ex Briuatensi loco capitis S. Iuliani, & plurimorum SS. corporum memorant, cum dedicatione Viennensis Basilicæ in honorem S. Ferreoli: quæ minutiora in Vetustiori martyrol. purum putum Gallici antiquarij additamentum sapiunt. Viennam vrbem Biẽnum dici apud Stephani Epitomatorem inuenio, Viennam, vt habet M. Antuerpiense nullibi. In Briuatensi territorio S. Ferreolum capite multatum habet etiam pridie huius die Notkerus cum Beda, Vsuardo, Adone, Hagiologio Franco Galliæ Lebbei, & ms. martyrol. S. Sabini de Leuitania.

Ciuitate Trueris. Melitum Episcopum, & Confessorem Treuirensem Galesinus recolit hac die, ex illius Ecclesiæ tabulis, qui & Miletum aliquibus dici testatur. Meletium vocãt Appendix ad Adonem, & Saussayus: Melitum dicit Molanus hac eadem die in Addit. ad Vsuardum: Militium, sine Militum habent cum codicibus nostris martyrol. Antuerpiẽse, & Corbeiense. Petrus Mersæus in Hist. Archiep. Treuirensium quadragesimum secundum illius Ecclesiæ præsulem S. Myletum numerat, mortuum anno 472., ex quo totidem verbis acceperunt Sammarthani, qui Miletum sanctitatis

ſitatis titulo non ornant.

Et alibi. Interpoſitis à Gallico antiquario aliquibus illius regionis cæli-tibus, putarem iterum Vetuſtioris M. tabulas hìc continuari, & Trogum Epiſcopum, Pium Diaconum, Quapileũ, Nilum, Paternum, Muſcium cum alijs, centum quinquaginta anonymis ad antiquos martyres pertinere. Georgium pro Trogo legit martyrol. Vetuſtiſſimũ, & Milium pro Milo. Corbeienſe pro Quapileo, ſiue Quapilo, Capileum legit, quos ex his eſſe coniectarem, qui ad metalla in Phæno Paleſtinæ damnati, vel truncato capite, vel flammis exuſti periere: quos plurimos fuiſſe, & minimè obſcuros, ſexcẽtos inquit Euſebius lib. 8. c. 13., certum eſt. Centum Ægyptios viros, & ex Paleſtina quinquaginta numerant adducta ſuperiùs Menologia, qui numerus adamuſſim reſpondet, centum quinquaginta Anonymis, in MM. Corbeienſi, & Antuerpienſi expreſſis, ſiue centum quinquaginta tribus, in codicibus noſtris, librarij fortaſſe in numerali nota errore, indicatis. Anceps etiã ſubititi, an Quapileus, & Nilus ijdem eſſent Peleus, & Nilus, qui repetita veneratione, in ſociorum gratiam, & vt reliqui diſcernantur, iterum hic nominentur, reliqui verò Clerici illi ſint, quos ex Vetuſtioribus, vt profitetur, martyrologijs, Vſuardo præſertim, & Adone adducit Maurolycius, qui Iulium pro Nilo habet, ſicuti & Bellinus de Padua, ex quo ille accepiſſe videtur.

In Gallia territorio. Hagiologiũ vetus Lebbei, ita alteram Gallici antiquarij additionem affert, & in M. noſtro reſtaurat. *Septembris xiij. Kal. In territorio Biturigæ Ciuitatis S. Mariani Confeſſoris & Monachi*. Ita etiam in agro Biturico Marianum, non Marcianum Maurolycius refert. Sed Mariani nomine Eremitas duos in Bituricenſi territorio exhibet Sauſſayus ad diem 19. Auguſti, vt ibi diximus. Hæſitauimus proinde, ne alius hic eſſet Marianus; ſed Vicus idem Vellaunia vtrobique additus, vnum, & eundem credere permiſit, & ibi depoſitionem, hìc alium natalem, ſeu celebritatem translationis, aut dedicationis recoli.

In Nocerea. Heremam, ſeu Heremitã Nucerinam martyrem video editis hucvſque Hagiologijs præteritam, & in M. Corbeienſi, ac codicibus noſtris Beatum Epiſcopũ interponi, ex nota fortaſſe marginali vetuſtioris, vt ſuſpicor, codicis, Hac vtique lacinia caret Antuerpiẽſe M. quod Nuceriæ ſtatim in alia claſſe tribuit Felicẽ, Conſtantiã, Priuatam, Euphemiam. Maiorem laciniam interſuit martyrologio noſtro Gallicus antiquarius: præter Beatum enim, *alibi* incerto loco ſignatum Epiſcopum, multis verbis addit in territorio Lingonicæ ciuitatis Sigonem Presbyterum, cuius memoria ad calcem M. Antuerpienſis, & Corbeienſis Dacherij aptiùs reponitur. Vnde ita emendandus ordo videretur, vt Heremæ, ſeu Heremitæ ſubcenturiarentur Felix, & Conſtantia cum alijs ſocijs, ex quibus tamen dolẽdum eſſet, non niſi duos primos martyres in Tabulis Eccleſiaſticis referri, nempe in Romano M. ex Beda, Vſuardo, Adone, Notkero, Petro de Natalibus, Bellino de Padua, & alijs recẽtioribus, qui omnes Conſtantiã conſtanter legunt cum codicibus noſtris M. Antuerpienſe, & Corbeienſe, contra quam exhibeat Maurolycius, qui *Nuceriæ SS. Felicis, & Conſtantis ſub Neronẽ paſſorum* memoriam recolit. Emendationem conſimilem ei, quam propoſuimus, eruditus etiam Dacherius ſequitur; verba enim illa, quæ ad calcem repoſuit hodierni ſegmenti, poſt Beati Epiſcopi nomen, in ſchedijs penes mè variarum lectionũ piç memoriç Dufreſnij, & ex codice illo Corbeienſi, hæc vt in libris noſtris ſequuntur. *In Territorio Lingonis in Monaſterio Segeſtro Depoſitio S. Sigonis Presbyteri, & Confeſſoris, Felicis, Conſtantiæ, Priuati, Euphemiæ, Sygonæ*. Quod confirmat Notkerus, qui prius Nuceriæ, Felicem, & Conſtantiam recolit, deinde Lingonis Sigonem præs-

byterum. Vereor tamen, ne ex alterius sortis martyribus Felice, & Constantia, *alibi* cum Beato Episcopo coronatis, error repetitæ venerationis emanauerit in Nucerinis cælitibus, qui die sequenti in omnibus, quos viderim, mss. codicibus Nuceriæ recolũtur, ac proinde ex libris nostris ablatis verbis illis, *qui passi sunt sub Nerone*, ab inscio antiquario superadditis, & quæ neque in codice Corbeiensi prostant; & sepositа etiam lacinia de Sigone presbytero, ita legendum coniectaui. *In Nocera Heremæ, & alibi Beati Episcopi Felicis, & Constantiæ, Priuati, Eufemiæ, Sigonæ*; nisi vt in martyrol. Vetustissimo prostat, pro Sigonæ Sigoni legendum sit, præsbyteri nempe Longoniensis. Sed aliis codicibus destitutus, nescio an deprauatissimo loco medelã ex merito attulerim, & dubius etiam sum, quomodo sequẽtis diei fastis mederi possit. Optarẽ Beato incerti loci Episcopo, lucem aliquam afferre, sed hucvsque non comparet, nisi S. Beatus sit, primus inter Lausannenses Episcopos à Sammarthanis relatus, & qui primus Auenticensibus Euangeliũ prædicauerit. Sed neque annus sedis, neq. dies natalis apponitur.

In Territorio Lingonicę ciuitatis; Lingonum vrbs Celtarũ est Tacito, & Lingones Celtarum populi; penes quos in Segestro, seu Sergestro Monasterio memoria S. Segoni præsbyteri; & confessoris agitur. Is penes omnes ferè cõfunditur cum S. Sequano Abbate. Sed palam in martyr. S. Sabini de Leuitania distinguitur ad diem 18. Septembris, dũ legitur. *Eadem die in territorio Longanicæ ciuitatis Monasterio Sergestro depositio S. Segonis presbyteri, & Confessoris*. Et statim die sequenti 19. subdit. *In territorio Lingonico depositio S. Sequani Abbatis*. Apud Bedam *Segomi* etiam legitur pro Sequano, mendosè, vt putat doctissimus Baronius ad hanc diem, quando Sequani M. Romanum apud Lingones memoriam agit. Verum Segoni nomen retinent, non modo libri nostri, sed M. Corbeiense, & Antuerpiense, vt vidimus. Sint verò Segonus, & Sequanus vnus, & idem, alijs examinandum attentius relinquo.

XII. Kal. Octobris.

SInada Ciuitate Natalis Sanctorum Dormidoni. Dorothe. Priuati. Felicis. Constantiæ. Felicis. Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone.

SEPTEMBRIS 20.

REpetita nomina Felicis, & Constantię codicum nostrorũ librarijs imposuerunt; non modo, vt veritus sum ad calcẽ pridiani laterculi, sed etiam in hodiernis fastis, in quibus quædam esse confusa, alia etiam mutila suspicor, & emendanda potius ex MM. Corbeiense, & Antuerpiense. Sed neque hoc suis mendis caret, dum pro Synada vrbe legit in Syria Frigiæ hoc pacto. *XII. Kal. Octobris. In Syria Frigia natalis Doromis, Dionysi. Et in Nuceria Felicis, Priuati, Constantia, Item Felicis, item Constantiæ*. Corbeiense sacras huius dici tabulas, ita exprimit *XII. Kal. Oct. Sinnada Phrygiæ natalis SS. Dormidoni, Dorothei, Priuati, Felicis, Constantia, item Felicis. In Nuceria natalis SS. Felicis, & Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone*. In Antuerpiensi non modo vrbis nomen, sed martyris primo loco indicati emendandum est.

Const-

Constat enim ex Menologijs Dorymedonem Trophimi socium passum esse in Synadarum vrbe Phrigiæ, vt diximus ad diem 18. Sept, & propius ad genuinũ nomen accedunt, dum vocant Dormidonem codices nostri, & Corbeiensis; dubium tamen est, an Dionysius, qui in ijsdem nostris, & Corbeiensi codicibus, Dorotha, vel Dorotheus est ad Synnadenses martyres cum sequentibus pertineat, an ad Nucerinos. Ab illis in hoc dissentit martyrol. Antuerpiense, quòd Dionysium cum Dorimede tantũ Phrigiæ tribuat, reliquos Nuceriæ; cum è contra Corbeiense Dorotheum, Priuatum, Felicem, Constantiam, & alterũ Felicem cum Dormidone Synadæ assignet: alios vero Felicem, & Constantiã sub Nerone coronatos Nuceriæ. Petrus de Natalibus, qui ex Hieronymiano M. Vsuardo, & Adone initio cap. 130. lib. xi. profitetur deinceps adnotatos martyres cælites signare, ita eodem capite nu. 254. Dionysium, & Priuatum Phrygiæ, non Nuceriæ assignat, de Nucerinis enim ex Adone seorsim, & alibi agit, hoc est. *Dionysius, & Priuatus martyres in Phrygia passi sunt xij. Kal. Octobris*. Qua pariter die illorum memoriam agit Vsuardus in Phrygia, quinimò Romanum M., cui consentire Baronius docet vetera mss.: ita etiam retinent Bellinus de Padua, Maurolycius, & Galesinus ex codice itidem ms. Vnde nihil in libris nostris immutandum duximus, sed leuem mutilationem supplentes ita restituẽdos credimus. *Synadæ ciuitate natalis SS. Dormidoni, Dorothæ, Priuati, Felicis, Constantiæ. In Nuceria natalis SS. Felicis, Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone*. Alium Felicem Synadensibus non addimus, quia in M. Antuerpiensi non prostat; si quis ex Corbeiensi addere velit, non iraſcar. De Dorymedonte Synadis agit Menologium Canisij pridie huius diei cum alijs socijs; possent vtique Dionysius, siue Dorotha, Priuatus, & reliqui Phryges eodem die Synadæ venerari, non tamen eodem tempore cum Dosymedonte necesse est esse coronatos. Passionẽ SS. Dorymedonis, & Trophimi latius narrat Metaphrastes apud Surium T. 9. nullis socijs additis præter Sabbatium Antiochiæ consummatum. Dionysius hac die 20. cum Theodoro, Philippa matre, & Socrate martyres in Perga Pamphiliæ à Græcis venerantur in Menologio Basilij ex quo accepisse Galesinum agnosco, cum de illis hac die sileat Menologium Canisij, & martyres illos diligentius recolat die 19. Aprilis.

Felicis, Constantiæ. Presbyterum fuisse Felicem habet ex Adone Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 96., qui Felicem, & Constantiam pridie huius diei cum Vsuardo, Beda, & M. Romano in ciuitate Nuceria recolit. Verùm alio Adoois codice vsum fuisse Petrum de Natalibus, quam sit editus à Mosandro, & Rosuueydo, fateri expedit: In his enim Felix presbyter nequaquam enunciatur, sicuti neque in Vetusto ms. Adonis martyrolog. penes me, cum nihil ibi amplius, quam sequentia verba signentur die xiij. Kal. Oct. *Apud Nuceriam nat. SS. martyrum Felicis, & Constantiæ, qui sub Nerone passi sunt*. Nec amplius habet Ferrarius in catalogo SS. Italiæ: dum tamen ex Petro de Natalibus Felicem Presbyterum vocat, & Nuceriæ in Picentinis cũ Cõstantia coronatum addit: vnde huius reliquias Salernum translatas fuisse, coniectauimus ad diem 17. Septembris. Sine vlla nihilominus in veteribus martyrologijs additione, difficile est Nuceriam vrbem Episcopalem antiquam via Flaminia in Vmbria positam ab alia, quæ ad Campaniæ fines in Picentibus, Nuceria Paganorũ dicitur, distinguere. Vghellius Tomo pr. & 7. tam Picentinæ, quam Vmbricæ Nuceriæ Felicem, & Constantiam tribuit, indeq. vtrique decus illud statuit, quòd in ipsis Christianæ fidei crepundijs fidem susceperint, & sub Nerone vtrobique Felix, & Constantia pro Christo vitam profuderint, Attamen hos sanctos martyres Nuceriæ Pagonorum assignat tantum ex fide

Romani

Romani martyrol. 13. Kal. Octobris. Cũ vero non alibi martyrologium illud de Sanctis Felice, & Constantia meminerit, nihilq. ibi de alterutra Nuceria statuatur dubium adhuc remanet, cui ex Nuceris tribuendi sint. S. Felicem Presbyterum narrat T. 1. idem Vghellius, & Constantiam Matronam, Nucerinos ex Vmbria ciues, palmam tulisse martyrij sub prima Neronis persecutione anno sal. 69. die 17. Septembris, vno circiter milliario à ciuitate via Flaminia, quem locum etiã incolæ vocẽt Turrim Neronis. Ibi addit corpora tumulata fuisse in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, donec anno 1590. vel potius 1580. in Cathedralem Nucerinam translata sint, interim alterius ex illis martyribus capite Pisaurũ, ad maiorem veneratioñem transposito. Eadem, & diffusiùs scripta habet Iacobillus de SS. Vmbriæ p. 728. qui etiam addit Cõstantiam viduam fuisse S. Felicis præsbyteri discipulam, quæ in propria domo nouos christicolas foueret. Quòniam autem difficillimum est binos martyres socios, eiusdem nominis, in eadem Neronis persecutione, in distantibus eiusdẽ nominis vrbibus, vna die, vel saltem duobus tantum interiectis, martyrium subijsse, hos sanctos cœlites, pace amicissimi, & eruditissimi viri, vni tantum Nuceriæ Vmbrorum tribuerem, quòd propalam ibi recentius etiam translata eorundem corpora venerentur, Nuceriæ vero Paganorum nulla de ijsdẽ memoria ab eodem Vghellio producatur, quæ SS. martyres illi asserat præter Romanum M. non magis huic, quam alteri Nuceriæ fauens, non die 17. Septembris, vt apud Vghellium, & Iacobillam legitur, sed die 19. vel 13. Kal. Octobris. Quod autem ex Indiculo reliquiarũ Salernitanæ Ecclesiæ adduxi ad diem 17. Septembris non tanti ponderis sunt, vt omnino Constantiam, & Felicem Nuceriæ Paganorum tribuere cogant; præsertim quòd de Felice cum Constantia non loquatur: hæc tantum virgo non martyr in illo nuncupetur, & eidem Cõstantiæ Marina, & Triphomena, non Felix addantur sociæ. Accedat quòd & si Priscus censeatur primus eius Episcopus sub Nerone coronatus, quia in Romano martyrol. recolatur die 9. Maij, vt idem narrat Vghellius, & Nucerini Picentes eundẽ tutelarẽ agnoscãt, eo quòd in Romano M. ad illã diẽ S. Priscus indicetur, neq. alibi Priscus Nucerinus Episcopus in eodẽ M. cõpareat: equidẽ prima inde Nucerinorũ Picentinorum sub Nerone Christianitas corruit, nec Felici, & Constantiæ fauet, nisi Priscus Capuanus intelligatur, qui in proxima Cãpaniæ vrbe fidei semina, iacere potuerit sub Nerone; sed huius memoria agitur in Romano M. die prima Septembris, non 9. Maij: & potuit idem Nucerinæ Paganorũ Ecclesiæ ex hac proximitate esse Tutelaris.

XI. Kal. Octobris.

IN Mediolano natalis Sancti Victoris Martyris. Et in Persida Ciuitate Tarsum Natalis Sancti Mathei Apostoli, & Euangelistæ. In Peralice Ciuitate natalis Sancti Lucæ Euangelistæ.

Ad

SEPTEMBRIS 21.

AD leuam S. Martyris Victoris S. Ambrosium depositisse Satyrũ fratrem suum Mediolani diximus supra ad diẽ 18. Septembris. Erat in eadem vrbe Ecclesia S. Victoris, quæ dicebatur ad Corpus, quia alia esset pariter S. Victori dicata, quæ dicebatur ad cœlum Aureum, in quo S. martyris reliquiæ iacebant, & vbi S. Satyrus tumulatus fuit, vt probat ibi adductus Puricellus in Ambrosianæ Basilicæ monumentis n. 19. Festum SS. Victoris, & Coronæ ex Galuaneo flamma ibi adducto peragebatur die 26. Aprilis, quorum corpora cum ad S. Eustorgium iacere, idem Puricellus consentiat p. 25. iam duos Victores martyres Mediolani assignare oportet, nempe alterũ, cuius corpus requiescat ad S. Eustorgium cum socia Corona, alterum in Cappella S. Satyri prope Ambrosianam Basilicam. Si quis vero duos Mediolanenses Victores non agnouerit, videat, quæ diximus ad diem 8. Maij, quę hic non sunt repetẽda. Neque difficile esset ex aliqua translatione diem natalis, hoc est celebritatis in illa vrbe iterari.

Et in Persida. Tarsiana vrbs Carmaniæ, seu Persia Ptolemæo est, & Tarsium Carmaniæ, seu Persiæ Promontorium, de quo Arrianus in Indicis. Vrbem in qua natalis esset S. Matthei non exprimit martyrol. Antuerpiense, sed tantum habet. *XI. Kal. Octobris. Mediolano Victoris, & in Persida Matthei Apostoli, & S. Luca Euangelistæ.* Tarrium habet pro Tarsium martyrol. Corbeiense Dacherij hoc pacto. *XI. Kal. Octobris. In Persida ciuitate Tarrium natalis S. Euangelistæ Lucæ. Mediolano natalis S. Victoris. Corbeia Monasterio dedicatio Basilicæ Domni Albini, & Marcellini Episcoporũ.* Abdias Babiliorius, si qua fides libro apocrypho debetur, & ex quo accepisse videtur Vetustius martyrol. nostrum, sicuti diem hanc passionis fuisse consueta loquendi formula suadere videtur. In vita seu commemoratione S. Matthei ex Metaphraste apud Surium dicitur *per Martyrium in Domino quieuisse.* T. 9. quamuis nihil de eius agone in Romano, alijsque martyrologijs memoriæ consignetur.

In Peralice, siue in Piralice, vt habet martyrolog. Corbeiense. Hæc & si ciuitas dicatur, tam codici illi, quam nostris, apud Geographos non dum mihi inuenire licuit. In Bythinia plenum dierum quieuisse Lucam refert M. Romanũ xv. Kal. Nouembris. S. Gaudentius in Homilia pro dedicatione Ecclesia xxxx. martyrum cum S. Andrea apud Patras Achaiæ consummatũ S. Lucam Euangelistam affirmat iuxtà veteres traditiones. Græci ad diem 18. Octobris in pace obdormuisse referunt, tam in Menologio à Canisio edito, quam Basilij. Sunt qui martyrio coronatum velint, vt Glycas lib. 3. Annal., qui memoriæ proditum esse narrat S. Lucam in Olea arbore suffixum fuisse; quod habet etiam Nicephorus lib. 2. cap. 43. sed nec desunt ex Patribus, qui martyrem fuisse non dubitent, vt S. Gregorius Nazianzenus, S. Gaudentius iam adductus, & S. Paulinus Nolanus apud Baronium in notis ad diẽ 18. Octobris: qua die translationem recoli apertè docet Vetustius martyrolog. nostrum, sicuti diem hanc passionis fuisse consueta loquendi formula suadere videtur. In vita seu commemoratione S. Matthei ex Metaphraste apud Surium dicitur *per Martyrium in Domino quieuisse.* T. 9. quamuis nihil de eius agone in Romano, alijsque martyrologijs memoriæ consignetur.

Romæ

X. Kal. Octobris.

ROmæ via Salutaria Vetere in Cimiterio eiuſdem natalis Sanctę Baſillæ. In Gallia Ciuitate Sedunis natalis Sanctorum Mauricij. Exuperij. Candidi. Victoris. Innocenti. Vitalis. cum ſocijs ſuis v. millium DLxxxv. Martyres. *In Antiſiodoro Ciuitate Galliæ aduentus, & Exceptio Sancti Germani Epiſcopi, & Confeſſoris ab Italia.*

SEPTEMBRIS 22.

BAſilam, ſeu Baſillam martyrem Romanam etiam in martyrolog. Antuerpienſi, ita ſacras hodiernas tabulas exorditur. *X. Kal. Oct. Romæ natalis Baſilæ, & S. Mauricij cum vi. mil. DCLVI. in Agunis. Et aliorum Candidi, Exuperi, Victoris, Innocentij, Vitalis. Antiſiodoro Germani Epiſcopi.* Nec diſſonat Corbeienſe martyrol. in quo ita legitur. *X. Kal. Octobris. Romæ Via Salaria vetere in Cimiterio eiuſdem natalis S. Baſillæ. Sidunis ciuitate in loco, qui dicitur Agaunus natalis SS. Mauricij, Exuperij, Candidi, Victoris, Innocentij, Vitalis cum ſocijs ſex millibus quingentis octoginta quinque ... Antiſiodoro Aduentus, & Receptio corporis S. Germani Epiſcopi, & Confeſſoris ab Italia.* Vulgarem librarij noſtri errorẽ vanum iam eſt animaduertere, Salutariã ſemper viam pro Salaria ſcribentis. De vtraq. etiam via Salaria Noua, & Veteri alibi egimus. S. Baſillam in cognominis cœmeterio via Salaria veteri venerationem, ſeu natalem habuiſſe præter Vetuſtius martyrol. noſtrum idem expreſsè docet, Antiquiſſimum fragmentum Bucherij his verbis. *X. kal. Octobris. Baſillæ Salaria Vetere Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Conſſ.* De Baſilla alia martyre aliquid diximus ad diem 3. Iunij. De B. Baſilla loquitur fragmentum perantiquæ inſcriptionis à Boſio repertæ apud Aringhium Romæ ſubt. lib. 3. c. 37. nu. 37. & cœmeterium illud extra Portam Pincianam S. Hermetis, & Baſillæ nũcupatum ibi docet, & latius deſcribit. Putat idem cap. 34. eiuſdem libri cœmeterium illud Baſillæ fuiſſe nuncupatum à Baſilla glorioſa martyre, quæ regijs orta natalibus ſub Valeriano, & Galieno Imperatoribus nobili martyrio coronata fuit, & cuius memoria in Romano martyrol. recolitur 13. Kal. Iulij, cui facile aſſentior, cum hæc re vera vetuſtior fuerit, quam altera Baſilla hac die venerata, quæ Diocletiano, & Maximiano Conſulibus ex adducto Bucherij fragmento recentius conſummauit agonem; illa nempe circa annum Domini cclxij. hæc vero anno cccliij. poſtremo perſecutionis, & Imperij Diocletiani, & Maximiani anno, quo ſe à regno abdicarũt.

In Galliæ ciuitate Sedunis. In finibus Sedunorum Agaunium locũ vbi Thebæa legio fuſo pro Chriſto sãguine triũphauit, eleganter deſcribit Eucherius Lugdunenſis in epiſtola illi tributa ad Syluium Epiſcopum, & repetunt ſcriptores Gallici. Subditur locus Sedunẽſis ciuitas, cui BB. Thebæorum martyrum celebritas aſcribitur. Ita Vetus Franco Galliæ Hagiologiũ Lebbei cum noſtris, & adductis codicibus conſonat ad hanc diem. *In Gallijs ciuitate Sedunno loco Agauno natalis SS. Martyrum Thebeorum, Mauricij, Exuperij, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum ſocijs eorum ſex millibus, ſexcentis, ſexaginta quinque, qui ſub Maximiano paſſi pro Chriſto glorioſiſſimè*

rioſiſſimè coronati ſunt. De his Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, & Romanũ M. hac die, vbi plura de iſtis SS. martyribus Orientalibus notat Baronius. Rabanus ſub Thebæorum nomine ita in hodiernis faſtis eorundem meminit. *x. Cal. SS. Martyrum Thebæorum Mauricii, Cãdidi, Exuperij, & S. Emmerammi martyris*. Plures ſcriptores ſunt, qui numerum anonymorum cœlitum Thebææ legionis fuiſſe ſcribant ſex milliũ ſexcẽtorũ ſexagĩnta ſex, in noſtris libris nonniſi quinque millia quingenti octuaginta quinque numerantur. Sex millia ſexcẽtos quinquaginta ſex habet M. Vetuſtiſſimum Antuerpienſe. Eucherius Lugdunenſis, qui Thebæorum martyrum hiſtoriam conſcripſit ea fide, qua ad illũ *Martyrii ordo pervenit, per ſuccedentium nimirum relationem*, Legionem ex Oriẽtalibus militibus deſcribens, non quanto numero eſſet ad amuſſim ſtatuit, ſed quãta ex Romanorum inſtituto eſſe debuerat, his verbis. *Quæ legio ſexmillia ſexcentos ſexaginta ſex viros validis animis & inſtructos armis antiquorum Romanorum habebat exemplo*. Ex Oriente quidẽ in Gallias tanto numero traductos milites, nullo interim deficiente, & integrè ſemper ſuppleto legionis numero, nemo Eucherij tempore, niſi ex reuelatione ſcire poterat. S. Victor qui cum legione numeratur, extra legionem erat ex ipſa Eucherij narratione. Ado pariter non quantus eſſet SS. martyrum numerus exprimit, ſed quantus eſſe debuiſſet. *Legio autem vocabatur, quæ tunc ſexmillia, ac ſexcentos viros in armis habebat*. At non ſemper idem numerus legionis fuit; ſuccedentibus ſeculis pro robore militũ, ac belli neceſſitate apud Romanos varius obſeruatur. Ex Vetere inſtituto minor legio erat ex Liuij verbis lib. 52. *Id præcipue Prouinciæ Macedoniæ datum, quòd cum alterius Conſulis legionibus, quina millia, & duceni equites ex vetere inſtituto darentur in ſingulas legiones, in Mæcedonia ſena millia peditum ſcribi iuſſa, equites treceni æqualiter in ſingulas legiones*. Marium legionem ſex millium peditum primum conſcripſiſſe vulgatum eſt, & ſimilis numerus recentiori ævo remanſit. Vnde Vegetius non longe ab ætate Diocletiani, & Maximiani de legionibus lib. 2. cap. 2. ſcripſit. *Romani legiones habent in quibus ſingulis ſena millia, interdum amplius militare conſueuerit*. Sed cap. 3. quales eſſent ſuo ævo audiamus. *Legionum nomen in exercitu permanet hodieque, ſed per negligẽtiam ſuperiorum temporũ robur infractũ eſt*, & rurſus, *Contubernalibus completis ſtipẽdijs, per teſtimoniales ex more dimiſſis, non ſunt alij ſubſtituti: præterea neceſſe eſt morbo aliquantos debilitari, atque dimiſſos aliquantos militiam deſerere, vel diuerſis caſibus interire*. Vt vix ex Vegetio integra legio vnquam fuerit. Sed demum fuiſſe ex ſex millibus, vt habet Ado, qui numerum, vt puto rotundum, & ea ætate magis vſitatum accipit, attamen de ſexcentis ſaxaginta ſex ſuper additis ex militari regula dubitari poteſt; vtique numerus quinque millium quingentorũ octuaginta quinque codicum noſtrorũ reiiciendus prorſus nõ videtur, quoniam additis illis, qui nominibus exprimũtur, ad ſex millium communiorem legionum numerum, à Vegetio indicatum, proximè accedit: neque interim codices, qui ſex millibus quingentis, vel ſexcentis conſtitiſſe Thæbeã legionẽ affirmant, arguerem, cum Vegetius ſupra ſex millia militum legionem etiam conſtitiſſe aliquando cõcedat: eò præſertim, quòd Maximianus aduerſus Bagaudas tumultuoſam gentem arma mouebat, *& ad ſupplementum exercitus*, vt Eucherius addit. Renuerunt SS. Milites ſuperatis alpibus in agro Octodoro Sabaudiæ, ad Idolorum imperatum ſacrificium accedere, & ſeceſſerunt Agaunum. Ibi iuſſu Herculei Maximiani bis decimata legio, omni tandem exercitu immiſſo, in Chriſti fide permanens omnis etiã exarmata trucidatur. Dux ſiue Primicerius legionis S. Mauricius erat; ſignifer Exuperius, & Candidus

Senator. Horũ ſibi nota nomina profitetur Eucherius, qui Victoré narrat veteranum, & vltimæ ætatis ſenio fatigatum militem, ſponte Chriſtum Dominũ confitentem, & ſæuitiam aduerſus piam, ac ſtrenuam legionem deteſtantem, vtrãq. veritatem profitétem à commilitonibus martyrio coronatum. Ex eadem legione fuiſſe Vrſum, & alium Victoré Siloforo paſſos ex traditione addit, & aliquanto poſt tempore B. Innocentij martyris membra in Rhodano fuiſſe reperta, & Auguſtam trãslata. De Vrſo tamen, & Victore ex eadem legione agit Franco-Galliæ Hagiologium poſtrema Septembris die. Cecinit ſanctorum Thebæorũ certamen Fortunatus, qui non niſi Mauricium ducem, alios ad martyrium hortantem, nomine exprimit. Vitalem addũt Vſuardus, & Ado cum libris noſtris, & aliis adductis mſſ. Conſtantium etiam Petrus de Natalibus, qui hac die x. cal. Oct. coronatos affirmat, quem ſequitur Maurolycius. Romanum martyrol. Vitalem numerat, quem omiſit Sauſſayus, & præter adductos, eundem etiam recẽſent codex Ratoldi, & mſ. martyrologiũ S. Hieronymi, niſi idem cum Corbeienſi, apud Menardum ad Sacramentarium S. Gregorii p. 180. Ita etiam Ordericus Vitalis lib. 13. Hiſtoriarum Eccl. ſub finẽ. Sedunum ciuitatem in Hiſpania vocat Notkerus errore librarii, cum Valleſiæ Vrbs Epiſcopalis ſit ſub Archiepiſcopatu Tarantaſienſi, ubi reliquiarum cumulus ſanctæ legionis honeſtiſſimè ſeruatur in celeberrima Abbatia S. Mauritij Agaunnenſis.

Antiſiodoro. Additamentum Gallici ſcriptoris agnoſco, vel clerici Autiſſiodorenſis. S. Germanum Rauenna, qua obiit, tranſlatum Autiſſiodorum, & exceptum ſolemni pompa, ita notat Auctor Hiſtoriæ Epiſcoporum illius Vrbis cap. 7. *Ex pridie igitur Kalendas Auguſtarum, qua Confeſſor eximius ſarcina leuatur carnis, cæleſtibus eſt inſinuatus ſacrarijs, tertius & quinquatemus volue-batur dies, cum ſacri theſaurus corporis proprię refuſus vrbi ſolemni obſequio populorum excipitur*; quod ritè conſonat cum codicibus noſtris, & eadem ſunt, quæ habet Hericius Monachus lib. 1. de mirac. S. Germani cap. 22.

IX. Kal. Octobris.

IN Seleucia natalis Teclæ Virginis, quæ Romæ igne depoſito euaſit. Et in Alexandria natalis Sancti Marci Euangeliſtæ. Romæ depoſitio Sancti Liberi Epiſcopi.

SEPTEMBRIS 23.

CLariſſimam martyrem Theclam hac etiam die recolunt cum Romano M. Beda, Rabanus, Vſuardus, Ado, Notkerus, & cæteri latini, cum quibus conſonat M. Vetuſtiſſimum. *VIIII. Kal. Octobris. In Oriente Tecla, & in Miſenia Soſsi. In Alexandria Marci Euangeliſtæ. Romę Liberi Epiſcopi*. Nec diſſonat M. Corbeienſe, in quo etiam cum codicibus noſtris locus venerationis exprimitur. *IX. Kal. Octobris. In Seleucia natalis S. Teclæ martyris, & in Alexandria natalis S. Marci Euangeliſtæ. Romę depoſitio Sancti Liberii Epiſcopi*. Iconij in Lycaonia, quæ vrbs in Piſidarum, Phrigumq; regionis aditu eſt, Romanum Martyrol. S. Theclæ natalem tribuit, quòd ibi eam

D. Pau-

D.Paulus ad fidem Christi conuerterit, & ex thalamo veluti eductam in amorem virginitatis incenderit, & quod ibi ex nobili genere orta filia primariæ fœminæ Theocleæ, prima etiam per Thamyrim sponsum, martyrij rudimenta inchoauerit. At Seleuciæ primam inter mulieres martyrem, seu Prothomartyrẽ obijsse habet Notkerus, & Basilius Seleuciæ Episcopus. Ibi sepulcrum magna veneratione seruatum, superinducta Basilica, à peregrinis venerari consueuisse, notat ex pluribus Baronius, exemplo S. Gregorij Nazianzeni, qui ob id Seleuciam Isauriæ concessit. Sanctam Prothomartyrem pluribns periculis, ac tentationibus superstitem in pace quieuisse, prodigiosè à dehiscente terra, vel ingeni saxo susceptam, habet idem Basilius de Seleucia in Historia S. Virginis apud Surium To. 9. Hoc non consentit Baronius eruditissimus in Appendice ad Tomum 1. Annalium, sed martyrij corona redimitam ex pluribus SS. Patribus deducit. Parum etiam verisimilia docere videtur Metaphrastes, dum nonagesimum annum agentem in tãta senectute ab adolescentibus turpiter expetitam narrat. Annos quidem nonaginta habentem migrasse ad cœlum docet Menologium Canisij ad diem 24. Septembr. & eadem, quæ Metaphrastes, refert Menologium Basilij. Romæ per ignem fuisse probatam non habent Græci, neque Basilius Seleuciæ Episcopus in Commentarijs de Thecla. Ex Iconio Antiochiam Syriæ profectam Alexandri petulantia, & bestiarum, tum terræ, tum maris feritate lacessitam, ad Paulum Myram concessisse, mox Iconium redijsse narrat; inde post matrem Theoclæam Christo lucratam, Seleuciã Isauriæ venisse, & in proximo monte Eremiticam vitam ducentem, placide *haud quaquã vita defunctam esse*, inquit, *sed (vt pervagatior, veriorq. fert fama) vinam subsidentem in terram ingressam* addit, quasi eundem cum S. Ioanne Euangelista finem sortita. Sed antequam Iconiũ rediret, vel antequam Seleuciæ solitariã vitam capesseret, potuit cum Paulo Romam progredi, & iterato ibi ignem expertam martyrem dici eo modo, quo idem S. Ioãnes martyr à SS. Patribus dicitur, quia nimirum Romæ in ardentis olei dolium immissus à morte fuerit mirè seruatus. Ita quidem verba illa addita in libris nostris, *quę Romæ igne depositoe uasit*, videntur significare; nescio tamen quibus antiquis scriptoribus fulciatur. De Tecla, Pauli itidem discipula Nicomediẽsi egimus ad diem 22. Februarij. Rursus in Asia Tecla virgo memoratur die 12. Septembris, & 17. Nouembris, & in Thracia 20. Decẽbris. Vnde vel plures eodem nomine Virgines, ac martyres fuisse affirmare expedit, vel Prothomartyrem Iconiensem pluribus locis, & varijs diebus veneratã esse, templis quidem excitatis, & dedicatis, non reliquiarũ translationibus, si Basilio Seleuciensi in hoc fides adhibenda sit. Martyrem expressè vocãt, tùm libri nostri, tum martyrol. Corbeiense, & ex eo qnòd pluribus in vrbibus celebris fuerit, non Seleuciæ tantum, Martyrol. Vetustissimum vniuersim *in Oriente* veneratam dixit. *In Oriente, Iconio* ciuitate addita, legit etiam Rabanus.

In Alexandria S. Marci. Euangelistam S. Marcum, quem Apostolum vocat recolit, Menologium Sirleti ad diem 25. Aprilis, quo die etiam eius agonẽ describit. Gelasius in decreto de libris Apocriphis affirmare videtur, S. Marcũ in Ægypto martyrium compleuisse, sicuti docent Metaphrastes, & Nicephorus lib. 2. cap. 43. Vnde frustra de eius martyrio ex aliorũ reticentia dubitatur. Romana quidem Ecclesia, dudum in sacramẽtario Gregorij, idẽ in Præfatione retinuit nimirũ, *vt per Sacerdotalem insulam peruenerit ad Martyrij palmã, &c.* In Lithurgia etiam Æthyopica expressè Euangelista, & martyr dicitur, sicuti in antiquis Actis S. Petri Alexandrini, nuper à Combefisio grecè, & latinè editis. In his ad vniuersam terram Ægypti, ac

circumpositas regiones fidem per prædicationem D. Marcum intulisse narratur, & ad locum Bouis nuncupatum Alexandriæ raptum, vitæ finem fecisse funibus vinctum, & laniatum additur, vt in Menologio, & adhuc locum Alexandriæ monstrari affirmant, qui loca illa recentius perlustrauerunt. Gregorius etiam Turonensis lib. 1. Hist. cap. 24. pro Xpi nomine martyrio coronatum narrat, quod Rabanus, & Notkerus confirmant ad diem 25. Aprilis. Dubitari possit, an natalis dies D. Marci ibi relatus passionis sit, vel translationis, aut alterius celebritatis, cum Vetustius M. nostrum ad illam diem S. Marcum Africanum martyrem, non Euangelistam recolat. In Menæis Græcorum S. Marci Euangelistæ memoria agitur die xi. Ianuarij, vbi venerandæ memoriæ Bollãdus in prætermissis animaduertit Taurum esse vicum Constantinopoli in Regione 8. Acta equidem Sancti Marci, ex quibus martyrologia accepisse videntur penes Surium, & Hagiologium perantiquum nostrum passum docẽt *apud Romanos vij. Kal. Mag., iuxta Hebræos autem octauodecimo, imperãte Caio*. Quod à S. Hieronymo discrepat, qui Anno octauo Neronis vita functum affirmat. Auctor chronici Alexandrini annum, quo Marcus in Ægyptum profectus est ad prędicandum, signat tertium Caij Caligulæ. Eusebius verò in chronico Sãcti Marci profectionem reposuit in annum secundũ Claudij, quo aduentum S. Petri Romam notat. Eutichius Alexandrinus Patriarcha Marcum Alexandriam profectum fuisse docet anno Claudij nono. Hinc non modo incertum esse diem passionis S. Marci appareat, sed neque de anno quo in Ægyptum concessit cõstare. Neque etiam de tempore, quo Euangelium scripsit, consonant inter se scriptores. Sanctus quidem Irenæus apud Eusebium lib. 5. Eccl. Historiæ c. 8. post mortem Petri Euangelium scripsisse interprete Valesio ita narrat. *Matthæus apud Hebræos propria eorum lingua conscriptum Euangelium edidit dum Petrus ac Paulus Romæ Christum prædicarent, & Ecclesia fundamenta iacerent. Post horum vero interitum Marcus discipulus, atque interpres Petri, quæ à Petro prædicata fuerant, & præscripta nobis tradidit.* Verumtamen Clemens Alexandrinus in lib. Institutionum apud eundem Eusebium lib. 6. cap. 14. viuente Petro Euangelium scripsisse D. Marcum narrat, & à Petro probatum, quod Eusebius iam etiam docuerat ex eodem Clemente, & Papia Hieropolitano lib. 2. cap. 25. Hæc licet plurium auctoritate fulciantur ideo adduxi, vt ab antiquissimis etiam scriptoribus pateat, quam varia de Marco, sicuti de cæteris Apostolis scripta sint. De Episcopali S. Marci cathedra Alexandriæ seruata, ac venerata insignis extat memoria in Actis supra adductis S. Petri Alexandrini, qui in ea sedere renuens, potius in scabello ad illius pedes consistebat, quia cœlestem, ac splendidissimam virtutem in ea conspicere affirmabat.

Romæ depositio S. Liberij. Et si suspicio nos tetigerit, Liberij Romani Pontificis memoriam agi in Vetustiori M. nostro ad diem 17. Maij, non tamen certi aliquid ibi licuit asserere, quod alius esse potuerit non Romanæ vrbis Episcopus. Beda sequenti die 8. Kal. Liberij Romani natalem habet, sed hac ipsa die Vvandelbertus, Appendix ad Adonem, & Petrus de Natalibus lib. xi. nu. 258. *Liberius Episcopus Romæ dormiuit nono cal. Octobris.* Rabanus his vetustior. S. Lini in hodiernis fastis memoriam recolit Liberij verò infra viij. cal. *Romę natale Prisciłłæ, & Liberij Episcopi, & Confessoris.* De eius sanctitate, ac constantia confessionis egimus ad diem illam 17. Maij. S. Liberij Romæ natalem recolit die sequenti M. Antuerpiense. Ad calcem autẽ laterculi adnotare libet, in Antuerpiensi martyrologio *S. Soffi* memoriã recoli, & vt scribitur in Apographo nobis à clarissimis viris Bollãdo, & Hẽschenio communicato, *in Meserico*, quæ in libris

nostris

noſtris deſiderãtur: nec difficile exiſtimarem, in antiquiori Prototypo, vnde martyrol. Corbeienſe, & libri noſtri defluxerũt, incuria librariorum fuiſſe prætermiſſa. Vnde ſi quis vellet addere non repugnarem, quia etiam hac die Rabanus S. Soſij Diaconi Meſenatis natalem refert, & acta eius diffuſius proſequitur. Equidem S. Soſium hunc eſſe Eccleſiæ Miſenatium diaconum, cuius Acta ad hanc diem ex Ioanne diacono exhibet Surius T. 9. non dubito, qui in *Miſeno*, non Meſerico veneratus ſit, non modo tanquam illius Eccleſiæ diaconus, ſed quòd ibidem poſt coronam martyrij à ciuibus ſuis ſepultus fuerit, vt in illis Actis narratur, licet Neapolim inde trãslatus in hac etiam vrbe hodie veneretur. Videnda hìc ſunt, quæ de S. Ianuario Beneuentano ſupra diximus, & Baronius ad hanc diem cõſulendus eſt cum Antonio Caracciolo ſupra adducto, & alijs.

VIII. Kal. Octobris.

IN Macharonta Caſtello conceptio S. Iohanis Bapriſtæ. Et alibi natalis Iuliani. Xpiſori. Laurenti. Martialis. Victoris. Gargili. Marci. Nobilis. Victoriæ. Secundulæ. Fauſtine. Valeriæ. Celeriane. Donatule. Lucioſe. *In Gallia Ciuitate Auguſtidunenſi vico Sedulo natalis Sanctorũ Andochi, Tyrſi, & Felicis martyris. Lugd. Galliæ depoſitio Sancti Lupi Epiſcopi. Aruerñ depoſitio Sancti Ruſtici Epiſcopi.*

SEPTEMBRIS 24.

ONceptionem S. Præcurſoris Ioannis non modo in Vetuſtioris M. noſtri fronte anniuerſario die proponitur, ſed eodem etiam loco in M. Corbeienſi. *VIII. Kal. Octobris Machironta Caſtello Conceptio S. Ioannis Baptiſtæ. Et alibi natalis SS. Iulij, Chriſtophori, Laurentii, Martialis, Victoris, Gargili, Marci, Nobilis, Victoriæ, Secundolę, Fauſtina, Valeria, Celerina, Donatula. In Auguſtoduno ciuitate, vico Sediloco natalis SS. Andocii, Tyrſi, Aprilis, & Felicis martyrum, Luceroſa. Lugduno depoſitio S. Lupi Epiſcopi, & Confeſſoris. Aruernis depoſitio S. Ruſtici Epiſcopi.* Poſt memoriam vero S. Liberij Romani Pontificis, quam codices noſtri, & M. Corbeienſe ſignant pridie huius diei, conceptionem S. Ioannis Baptiſtæ non indicato loco, ita etiam refert M. Vetuſtiſſimum S. Villibrordi. *VIII. Kal. Octobris. Romæ depoſitio S. Liberii Epiſcopi, & Conceptio S. Ioannis Baptiſtæ, & alibi Iuliani, Criſtofori, Laurenti, Maleialis, Victoris, Secũdulæ, Fauſti, & Valeriæ, Celerini, Donatellę, Luciofæ. In Galliis Auguſtoduno depoſitio Lupi Epiſcopi. Aruernis depoſitio Ruſtici Epiſcopi.*

In Macherunta. Baronius vir ſummus in Apparatu ad Annales n. 68. Ioãnem Baptiſtam Domini præcurſorem conceptum affirmat anno ab Vrbe condita 750. Olimpiadis clxxxxiiij. anno primo, Auguſti Imperatoris à Triumvirali inito anno xxxix. die vero viij. cal. Octobris, poſt Æquinoctium ſolemnis ieiunij tempore. Petulanter in eum inſurgit Caſaubonus, & Baroniũ exagitat, quòd illaudabili laudis cupiditate affirmare auſus ſit hac die Præcurſorẽ fuiſſe conceptum, quaſi antiquos Patres, traditionis duces vir doctiſſimus non habuerit, Chryſoſtomum præſertim Homelia de natali Ioannis Baptiſtæ, vbi conceptum expreſſiſſimè habet 8. cal.

Octo-

Octobris. Benè autem sit pijssimi Viri laboribus, cum Vetustioris martyrolog. nostri, aliorumque veterum fide eius roboretur assertio, abeãtq. hinc Casauboni Diatribe 3. & Iosephi Scaligeri Isagogica. Poterat Baronius præter Chrysostomi auctoritatẽ, id ex alijs antiquis martyrologijs excipere, Bedæ scilicet, Adonis, & Vvandelbertiam editis, atq. ex Hieronymi Vetustiori martyrolog. apud Petrum de Natalibus lib. 8. cap. 15. *Conceptio S. Ioannis Baptistæ viii. cal. Octobris*, ex quibus acciperat à Maurolycius. Nec longius aberant Græci, qui pridie huius diei 23. Septembris in eorum calendario conceptionem S. Ioannis Baptistæ recolunt apud Genebrardum. Parũ etiam ijdẽ distabãt, in Menologio Basilij, ex quo non viij. sed x. cal. Octobris conceptionem S. Ioannis venerantur. Varias quidem fuisse de eius conceptionis die sententias apud Græcos Patres, videtur elici posse ex Excerptis Stephani Gobari in Ecclesiasticis quæstionibus apud Photium Biblioth. n. 232. qui dubitat, an mense Octobri cõceptus S. Ioannes fuerit, vel Nouembri: apud Græcos tamen magis viguisse opinionem conceptum esse die 23. Septembris habetur ex Ioannis Niceni epistola de festo die natalis Dominici, ita computum suum exhibentis, interprete Combefisio. *Porrò mense vii. die mensis decimo erat expiationis dies, xv. autem erat solemnitas Scenopegiæ. Ipso mense concepit Elisabeth, decima die mensis Tesirim in die expiationis, fuitq. xxiii. Septembris conceptio Ioannis, Martii xxv. fuit Annunciatio Dei Genitricis S. MARIÆ. V. vero Mensis Tamnis xxv. Iunii fuit Præcursoris natiuitas.* At Ecclesiam Occidentalem die 24. Septembris eiusdem Precursoris cõceptionẽ recoluisse, præter adducta superius martyrologia, codices nostros mss., Corbeiensem, & Vetustissimum Antuerpiensem, etiam notatur in martyrolog. Notkeri, & Rhabani, quæ Baronio dum scriberet, non innotuerunt. In perantiquo etiã calendario, seu paruo martyrol. Hieronymiano Canonicorũ Lucẽsio notatur 8. *Cal. Octobris. Cõceptio Sancti Ioannis Baptistæ.* Ex quibus omnibus apparet quanta fuerit Præcursoris dignitas, cuius non modo Natiuitas, quæ inofficiosa Genitoris labia, vt inquit Ennodius, in pristinam loquelam commouit, sed & conceptio, qua matrem fœcunditate nobilem fecit ab antiquo tempore veneraretur, tam ab Oriẽtali, quam Occidentali Ecclesia. Cur uerò huiusmodi celebritas in Romano emendato martyrologio prætermissa sit, ignorare me fateor. Fortasse euenit, quod S. Ioannis in vtero sanctificationem in die conceptionis recoli Patres illi noluerint, quòd non vti B. Virgo in primo conceptionis, siue animationis momẽto ab omni originalis peccati labe immunis fuerit, sed sexto tantum mense, quãdo ad præsentiam Saluatoris, & Deiparæ infans exultauit in vtero, vt ex pluribus Patribus existimat Cornelius à lapide in cap. primum Lucæ vers. 15. & 41. Quantum vero clarè patet, conceptionis Ioannis Baptistæ diem celebrem olim, & ab antiquo tempore fuisse, tantum in obscuro locus ille latet, vbi senex Elisabeth filium conceperit, ac Deiparæ Virginis salutationem acceperit. Quod enim in codicibus nostris, & Corbeiensi adnotatur, conceptum nimirum Ioannem esse in Macherunte castello pluribus ambagibus implicatur, & paradoxum plurimis videbitur. Exercebor tamen de more in difficillima Vetustioris Martyrologij nostri assertione, si forte superinducta caligo illustrari aliquo pacto possit. Sed prius etiam de more hodiernas notationes complebo.

Et alibi. Siue Iulianus, siue Iulius sit horum quindecim martyrum antesignanus, neque eorum Acta, neq. locus passionis vllibi mihi comparet. Interpolatum agnosco ex fide nostrorum codicũ M. Corbeiense, qui enim illi sanctos Galliæ addidit, Lucrosam, seu potius Lucio-

sam

sam à socijs distraxit. Mutilum quoque video martyrol. Antuerpiense; post Victorem quippe in eo deficiunt, Gargelius, Marcus, Nobilis,& Victoria,& pro Fausto Faustinam lego, & pro Celeriana Celerinam.

Augustoduni. Andochium præsbyterum,Tyrsum Diaconum,& Felicem Augustoduni martyres signat hac ipsa die martyrol. Romanum cum Beda, Vsuardo, Adone, Notkero, & Petro de Natal., qui acta strictim exhibet lib. 8. cap. 116. Consimilia libris nostris habet hac die vetus Franco Galliæ Hagiologium Lebbei. Saussayus Felicem non à Policarpo missum, sed in vico,seu pago Sedelorum (Sedulo, libri nostri habent nó Sediloco, vt Corbeiense) Christianum resedisse, qui hospes prius Andochij, ac Thyrsi fuerit, deinde passionis, & coronæ socius.

Lugduni.Ex Anachoreta sanctus Lupus Episcopus Lugdunensis fuit, vt habetur in Romano martyrol.Beda,Vsuardo, Adone; sed postridie huius diei. A Baronio dissentit in Monachatu Lirenensi Theophylus Raynaudus in Indiculo, & Hagiologio SS. Lugdunensium, qui plura de S.Lupo eruditè colligit, & die 25. Septembris obijsse scribit; quo etiam die eius memoriam agit Hagiologium Franco Galliæ Lebbei, eiusq.Acta Saussayus percurrit. In diem 24. eius celebritatis conspirant libri nostri MM. Antuerpiense, & Corbeiense. Anachoretam ex insula Barbara fuisse placuit Sammarthanis in 28.Episcopo Lugdunensi, & Concilio Aurelianensi III. præfuisse anno 538. ac in eadem insula requiescere veneratum die 25.Sept.

Aruernis. Rusticum Episcopum Aruernensem,seu Claramõtis Aruernorum hac ipsa die 8. cal. Octob. rèposuit etiam martyrol. Romanum cum Bellino de Padua, Saussayo, & aliis. Eius electionem docet Gregor.Turonensis Hist. Franc. lib.2. cap.25. Vixit temporibus Honorij Imperatoris, & Valentiniani. Reliqua penes scriptores Gallicos videantur, ex quorũ antiquarijs hæc additamenta fluxerunt. Sãmarthani octauum Episcopum Claramontensem numerant mortuum 24. Septembris, & ex Gregorio eodem Turonensi S. Artemij successorem post annum 394.cõsignant.

De Ioannis Baptistæ non dum posito Præcursoris officio, deq; eiusdem Conceptionis, & Natiuitatis loco.

EXERCITATIO XIV.

Vi Ioannem loquitur CHRISTVM prophetat, inquit suauissimus Ambrosius in cap. 1. Lucæ de Hom. Præcurs. Nemo ergo mihi vitio vertat, si nimius ero in Ioanne. Sanctos quidem omnes humiliter veneror: Ioanni supra omnes assurgo, quia inter natos mulierum nemo illo maior surrexit. Præcursoris officium conceptus, nascens, & moriens ita semper præstitit Saluatori, vt non dissimili vitæ ordine semper præiuerit.Non dum natus aduenientis Domini præsentiam insinuat Genitrici, prophætat vix natus in patre, pœnitentiæ vias ad Christi prædicationem præparat in deserto: expiatorem Agnum ostensurus ad turbas solitudines populis implet, & ne ignorantiam prætendant, clamoribus præsignat, & digito: postremò præcursurus ad mortem, quos ad veritatis agnitionem

tionem discipulos initiauerat, ex vinculorum gymnasio ad euidentiam prodigiorum præmisit, *ac licet sancta martyrii morte dormierit*, (dicam eiusdem Ambrosij verbis serm.65.) *vox tamen eius viuit. Dicit enim & nobis hodie. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Ioannes igitur Præcursoris non dum intermisit officium; clamat adhuc, & aduenienti Domino in cordibus nostris vsque adhuc parat ingressum. An per sacrarum literarum monita, voces adhuc personant, quas clamauit? Ita idem videtur sentire Ambrosius; statim enim subdit. *Semper enim scriptura diuina clamat, & loquitur.* Aliter tamen non interruptum præcursoris officium interpretatur Origenes Homel.4. in Lucam, latinè his verbis per D Hieronymum loquens. *Quicumq. crediturus est in Christum IESVM præcurrit ante spiritus, & virtus Ioannis ad animam illius, & præparat Domino populum perfectum, & in cordis asperitatibus planas facit vias, & dirigit semitas, parare Domino plebem perfectam. Non illo tantum tempore præparata sunt viæ, & directæ semitæ. Sed vsque hodie aduentum Domini Saluatoris spiritus Ioannis, virtusque præcedit.* Quasi Ioannes non modo in carne venienti, & viuenti Domino olim præparauerit vias, & ante faciē eius præiuerit; sed vsque hodie munus præcursoris exercens, animas quascumque longe factas à Deo, ad ipsius præsentiam susciendam disponat. Hæsitaui in hac mihi hactenus inaudita sententia, & licet à D.Hieronymo interpretatā, timuissem afferre, vel de infidelibus tantum intellexissem, nisi & eandem sancto Doctori Ambrosio placuisse certior factus essem à P.Hieronymo Florentinio amantissimo mihi fratre, qui locum indicauit ex c.1. in Lucam *de turbati Zachariæ confirmatione.* Quamquam enim S.Doctor id nonnihil hæsitanter pronūciet, attamen non infidelibus tātum, sed omnibus illud videtur accomodare. *Bene etiam præibit ante faciem Domini S.Ioannes, qui prænuncius natus est, & prænuncius mortuus est. Et fortasse hoc mysterium in hac vita nostra, hodieq. celebratur. Præcurrit enim animæ nostræ quædam virtus Ioannis, cū credere paramus in Christum, vt patret ad fidem animæ vias nostræ, & de vita istius tramite tortuoso, rectas semitas nostri faciat commeatus, ne anfractu labamur erroris, quo omnis vallis animæ nostræ virtutis fructibus possit impleri.* Præcursoris igitur, ad Origenis mentem, & D.Ambrosij aliqualem assensum, ad huc esset officium sanctas inspirationes, ac dispositiones impetrare, vel eius meritis id cōcedente Domino, peccatoribus, vel infidelibus compartire, vt obliquæ errantium viæ in diuinas iustificationes dirigantur, & ad Christianæ legis amussim componantur. Pia quidem mihi visa sententia est, nec ideo obticere libuit, vt si viris doctis, ac pijs talis compareat, in animis fidelium renouetur, & infidelium, vel improborum conuersio D.Ioannis Præcursoris patrocinio commendata, & demandatum illi fortasse etiam nunc officium, ad resipiscentium prouētum fidelium præcibus provocetur. Pia hæc etiam præmisi, vt salebrosa, quæ occurrunt de loco, vbi Præcursor ipse conceptus, & natus est, eius auxilio complanentur.

Igitur neque locus vbi conceptus, natusq. sit sanctus Ioannes Baptista apud vnanimes scriptores comparet, neque facile est in tanta sententiarum varietate illum asserere. Sacri interpretes, ac Geographi recentiores in plurima temporum caligine varia coniectantur, & docent. Nullus Macheruntem, siue Castrum, siue Vrbem dixeris, domum fuisse Zachariæ affirmauit, præter quam Vetustioris martyrologij auctor, non modo in codicibus nostris, & Corbeiensi, vt vidimus, sed in alio etiam pervetusto Richenouiensis olim Monasterij prope Constantiam, nūc penes doctissimos Antuerpienses Societatis Iesv Patres Henschennium, & Papebrochium. In hoc, quod datis ad mè humanissimis litteris ijdem testantur, ante septingentos annos conscripto legitur. *VIII. kal. Octobris. Macherunta castello*

conceptio

conceptio S.Iohannis Baptiſtæ. Romę depoſitio Liberii Epiſcopi. In alijs vetuſtis martyrologijs manu exaratis, quibus gaudent, nihil extare monuerunt, præter conceptionem S.Ioannis Baptiſtæ. In mſ. tantum S. Maximini prope Treuiros, aliquid ita ſuperadditum legi affirmarunt. *Conceptio S.Ioh. Baptiſtæ, & alibi caput eius inuentio.* Subijt quapropter vereri, ne ſcriptum antea fuerit in Vetuſtioris martyrologij prototypo *Macheruntæ Caſtello Inuentio Capitis S.Ioannis Baptiſtæ.* In hoc enim caſtro capite minutum S.Iohannem Baptiſtam omnes ferè ſuſcipiunt, & licet corpus à diſcipulis in Samaria ſepultum fuerit, vt alibi diximus, ſacrum tamen caput in diſco Saltatriculæ donatum, facile eſſet credere, Macherunte relictum, poſt muliebres illuſiones terræ fuiſſe mandatum, niſi Nicephorus lib.1.Hiſt. cap.19. prorſus affirmaret ab Herodiade remotis arbitris in abſtruſiori Regiæ loco ſepultum, ac ibi tandem fuiſſe repertum. Cum vero antiquarius ex aliis martyrologijs didiciſſet viij. Kal. Octobris ſancti Præcurſoris conceptionẽ paſſim recoli, forte pro capitis inuentione conceptionem ſcripſit, & interim vitio librariorum Macheruntis caſtri nomen relictum fuit. Coniecturam quoq. ſuam addidit mihi humaniſſimus idem Papebrochius. An ſcilicet pro voce *Conceptio*, legendum eſſet *Captio*, quaſi dies xx iv. Septembris eſſe illa potuerit, qua Macheruntem coniectus in vinculis primam fuerit Præcurſor adductus, & vndecim ferè menſibus ad proximi anni Auguſtum retentus. Aliam etiam coniecturam daret tractatus de Inuentione capitis S.Ioãnis Baptiſtæ inter ſpuria S.Cypriani. In eo quippe narratur, inuẽtum Macherunte à duobus monachis Præcurſoris caput, Alexandriæ aliis eiuſdem reliquijs additum in Eccleſia S. Baptiſtæ dicata fuiſſe, indeque conflatã ex triplici cauſa celebritatem eſſe, nempe collectionis reliquiarum, inuentionis capitis, & illius Eccleſiæ conſecrationis. Ibi enim legitur. *Et ideo hodierna Feſtiuitas collectio B.Ioannis Baptiſtæ, non decollatio nominanda, Chriſto annuente, & inuentio, ac reuelatio capitis eius.* Facilis enim lapſus antiqui librarij fuiſſet ex voce *collectio* in vocem *conceptio*. Verùm prꝛterquam quòd nõ in vrbe, vel opido Macheruntis, ſed Alexandriæ huiuſmodi celebritas recolenda eſſet, dies etiam feſtus non congruit, ſignatur namque in eodem tractatu iv. Kal. Septembris, non viij. Kal. Octobr. & hiſtoria illa ſub Pipino Rege ſcripta minimi à doctis viris exiſtimatur. Cum ergo plures antiqui codices conſtanter retineant in Macherunte Caſtello illius conceptionem, & dies viij. Kal. Octobris ab antiquiſſimo tempore, tam in Orientali, quam Occidentali Eccleſia re vera conceptioni S.Ioannis Baptiſtæ dicatus fuerit, quærendum mihi eſt, an huiuſmodi aſſertio cum ſacra hiſtoria ita pugnet, vt cum ea conuenire omnino nequeat. Aliqua profectò de prodigioſo ſancti Præcurſoris ortu apud ſanctos Euangeliſtas certa ſunt, aliqua indiſtincta, & omnino incerta. Sine dubio eſt D. Ioannẽ Baptiſtam in propria domo conceptum eſſe, ita enim poſt narratam Zachariæ viſionẽ inquit D.Luca cap.1.ver.23. *Et factum eſt, vt impleti ſunt dies officii eius abiit in domum ſuam: poſt hos autem dies concepit Eliſabeth vxor eius.* Nec alibi ſanctã Eliſabetham filium peperiſſe dicendum videtur, quam in propria domò, vbi eam Beatiſſima Virgo ſalutauit, *intrauit quippe in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth*, cum ea manens quaſi menſibus tribus, quando impleto tempore pariendi illa peperit filium. Certum eſt etiam domum Zachariæ fuiſſe in Montanis, non modo enim Santiſſima Virgo, iam mater pulcræ dilectionis, *abiit in Montana cum feſtinatione*, vt intraret in domum Zachariæ. Sed nato Præcurſore puero, & ſoluta prodigioſè parentis lingua, *factus eſt timor ſuper omnes vicinos* eorum, qui venerant gratulantes, *& ſuper omnia Montana Iudeę*, vbi miracula, & prodigia nati pueri divulgabantur. Certum eſt etiam domum Zachariæ, vbi conceptus,

& natus est Ioannes, fuisse in aliqua vrbe, siue Iudæ, siue Iudeæ, non autem Hierusalem. Inde enim post obitas sacerdotij sui vices in templo, abiit domum suam, quæ erat in Montanis Iudeæ, licet non desint sacri expositores, qui Ierosolymis domum Zachariæ constituant, eamq. velint esse ciuitatem Iudæ, vbi B. Virgo salutauit Elisabeth, vt mox explicabimus. Sed aliqua prius elucidanda videntur, vt faciliùs ad alia aditus aperiatur.

Zachariam S. Iohannis patrem aliqui confundunt cum Zacharia, qui à Iudæis occisus est inter templum, & altare; quod facile à multis refellitur. Sacerdotem quidem fuisse sanctus Luca testatur, & ex sacerdotali genere, hoc est ex posteris Aaron, quemadmodum Elisabeth, & ambi pariter ex tribu leui. Creuerant Aaronis posteri in ingentem multitudinem, quos, vt confusionem arceret, Dauid Rex in xxiv. familias diuisit, vt harum vna quæque per suas vices Templo pro sacerdotali munere ministraret. In ea sortitione Abiæ domui octauus locus obuenit ex 1. Paralip. 24. Has etiam partitiones, & vices ad ætatem suam perduraſſe testatur Ioseph. Hæbr. lib. 7. Antiq. cap. 15. & vices posterorum Abiæ suppleuisse Zachariam in eodem cap. 5. Lucæ legitur. Certum quoque est in partitione Terræ promissæ, Leuitis nullam partem obvenisse, quia diuino cultui mancipatis terram colere non expediebat; sed ex iuribus Sanctuarij viventes, per omnes tribus sparsi esse deberent, siue vt præsto essent ad ministrandũ, quicumque Tabernaculum transferri contingeret, siue vt toti reliquo populo monita, atque exempla salutis præberent, vt ex Abulensi habet Salianus ad annum Moysis postremum, & primum Eleazari. Præcepit etiam Dominus, ne Leuitæ inter fratres habitarent præcario, sed certas vrbes haberent, quas per omnes tribus dispersas esse voluit numero quadraginta octo, vt habetur cap. 35. Numer:, & inter has cõstituit sex esse in fugitiuorum auxilium, siue Asylũ. Harum tres erant trans Iordanem, tres in terra Chanaam. In tribu Ruben trans Iordanem contra Hierichũ datæ sũt Leuitis ad refugium quatuor ciuitates cum subvrbanis suis, vt legitur Ios. cap. 21. n. 36. & ad in habitandum Leuitis, & Sacerdotibus *de Tribubus Ruben, Gad, & Zabulon vrbes duodecim*, datæ sunt filijs Merari ex descendentibus Aaron, vt n. 7. Sparsim ergo per vniuersum Israel, hoc est per omnes Tribus, Sacerdotes, & Leuitas habitare consueuisse habetur ex 2. lib. Paralip. cap. 12. quando Ieroboam Rex Israel eosdem è regno suo abijciens, aliò transfretare coegit, hoc est in regnum, vbi imperabat super Iudam, & Beniamin Roboan filius Salamonis: *Sacerdotes autem, & Leuita, qui erant in vniuerso Israel venerũt ad eum* (Roboam) *de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana, & possessiones suas, & transeuntes ad Iudam*. Resipiscentibus autem Regibus Israel Ieroboam successoribus, Sacerdotes, & Leuitas in suas vrbes repedasse, erectis iterum Deo aris, & deiectis Idolorum delubris, non est dubitandum. Ex hoc ergo capite frustra in tribu tantum Iudæ domus Zachariæ Sacerdotis requireretur, cum esse potuerit in vniuerso Israel, etiam trans Iordanem in Tribu Ruben, nisi Euangelium S. Lucæ pressiùs doceret, Zachariam incoluisse vrbem Iuda, siue in Montanis Iudeæ. Verùm dubitare extra rem non erit, an verba hæc S. Lucæ cap. 1: *abijt in Montana cum festinatione in Ciuitatem Iuda*, ita accipienda sint, vt vrbem in tribu Iuda omnino intelligendam esse cogant, vel vsitato in scripturis more Iudæam pro Iuda etiam significare possint. Disceptatum quidem alibi est ad c. 2. Matthæi, vbi natus Saluator dicitur *in Bethlehem Iudæ*, an potius legendum esset *Iudeæ*, cum plerique codices, vt ibi testatur Maldonatus *Iudeæ* legant, non *Iudæ*. etenim cum S. Luca exprimere noluerit, quæ nam esset ciuitas, quam Zacharias incolebat, minus in hoc videbatur attendendum, an *Iudæ*, vel *Iudeæ* retinendum

 fuerit

fuerit, quam in Domini Natiuitate, in qua maximè conducebat exprimere, quæ nam ex duobus in Palestina eiusdem nominis vrbibus esset, vbi Dominus nascebatur, tum pro magnitudine rei, tum ad scripturarum veras prędictiones, ostendendas, vt docuit D.Hieronymus ad caput illud Matthei, & alibi. Neque desunt qui ciuitatem Iudeæ retineant, non Iudæ, in itinere Virginis ad Elisabeth. Sanè in nouo Testamento Parisijs edito tribus linguis adducta verba ita in latinã linguam ex Syriaca vertuntur. *Surrexit autem Maria in his diebus, & profecta est illis studiosè in Montem in ciuitatem Iudæ, & ingressa in domum Zachariæ, &c.* Nec infra diuersam vocem habet, dum retinet, *& extitit pauor super omnes eorum vicinos, & in toto monte Iudeæ, ista prolata sunt.* Iudeæ etiam vrbem non Iudæ legit Iuuencus Præsbyter lib. 1. Euang. Hist. cap. 1. ita Virginis Beatissimæ iter describens,

Illa de hinc rapidis Iudæam passibus vrbem,
Zachariaq. domum penetrat, grauidamq. salutat, &c.

Iudæam etiã vertit Vatablus. Neque hæc interpretatio à vulgatæ Bibliæ lectione videtur discreparet. Licet enim primo habeat *in ciuitatẽ Iudæ*, retinet, tamen secundo loco *super omnia Montana Iudeæ*. Nec nouũ esset in sacra scriptura nomen Iudæ pro Iudea aliquando accipi, quando recentioribus præteritis, iam pridẽ Eusebius Cæsariẽsis lib. 1. Hist. c. 6. & in chronicis de Herode Rege Iudæorũ loquẽs, ita interpretatus est vaticiniũ Iacob *non auferetur sceptrum de Iuda*, & D. Hieronymus ad cap. xxij. Hieremiæ verba, illa. *Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super soliũ Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda*, ita explicat. *Omnes enim fuere captiui, & nullus deinceps de stirpe Dauid in terra Iudeæ tenuit principatum*, idẽ esse sentiens principatum Iudæ, & Iudeæ. Sub Iudæ autẽ nomine, ac potentissimæ illius Tribus, vniuersam Hebreorum gentem in scripturis sæpe accipi, ità certũ est, vt tẽpus terere non expediat. Regnum vero Herodis Ascalonitæ, siue alienigenæ tempore, quo Iohannes Baptista conceptus, & natus est, Iudæã vocatum esse, vnicum adducere testem sufficiat D.Lucam eodem cap. 1. quando conceptionem, & natiuitatem Præcursoris narrare incipiens, ait. *Fuit in diebus Herodis Regis Iudeæ sacerdos quidam nomine Zacharias*. In Iudeæ autem Regno sub Herode Ascalonite Macherum castrum, & vrbem in Monte positam, numeratam fuisse ex Iosepho pluribus locis patet, præsertim lib. 7. Belli Iudaici c. 25., vbi arcem munitissimam describens, eam primò ab Alexandro Rege communitam, sed à Gabinio Romanorum duce deuastatam, & dirutam, postmodum ab Herode Ascolonite propter Arabum vicinitatem, & finium eorundem prospectum, non modo magno studio restauratam, sed supposita noua vrbe, quã maxime illustratam, & amplificatam fuisse narrat, dumq; eius expugnationem sub Vespesiano, & Iudeæ legato Lucilio Basso refert, ita elegantem arcis, & vrbis descriptionem reliquit, vt ea huic lectorem fraudare piaculum duxerim. Expugnare igitur reliqua Bassus aggrediens, maximè necessarium putauit bellum inferre Macherunti, ipsumq. castellũ excindere. Nam vt vertit Gelenius, *& salutis spem habitatoribus certam, & aggredientibus hæsitationẽ, atq. formidinẽ natura loci præstare maxime poterat. Nam ipsum quidem, quod muro cinctum est, saxosus est collis in procerã altitudinẽ surgens, & ob etiam capi difficilis videtur, sed ne vel accedi possit eò natura excogitauit, qua vallibus cum ex omni parte vallauerat, quarum altitudo oculis comprehendi posset: nec transire erat facile, nec aggestu vlla ratione compleri possibile*. Quis dubitabit Macheruntem munitissimam Iudeę arcem non fuisse in Montanis, vel montem esse non posse, quo Sanctissima Virgo perrexit, vt Siriacus, & Pagninus habent? Pergit vero Iosephus. *Nam ea, quæ ab Occidente secat vallis sexaginta stadijs distenditur, vnde Asphaltites lacus ei*

limitem facit. Ex hoc verò tractu ipse Macharus altissimo vertice supereminet. A Septemtrione autem, & meridie valles magnitudine quidem supra dicta cingunt, similiter vero sunt inextricabiles ad oppugnationem, eius vero vallis, quę ab Oriente est, altitudo non minor centum cubitis inuenitur, monte vero ex aduerso Macherunti posito terminatur. Ea loci natura perspecta rex Alexander, primus in eo castellum communiuit, quod postea Gabinius bello cum Aristobulo gesto deposuit. Herodi autem regnanti, omnibus locis dignior cura visus est, & constructione tutissima propter Arabum præcipuè vicinitatem. Namque opportunè situs est, eorum fines prospectans. Magno ergo locum muro amplexus, ac turribus ciuitatem illic fecit incolis. vnde in arcē ipsā ferebat ascensus. Vrbs igitur, quæ sine nomine à Iosepho trāsigitur, eo prorsus modo, quo ab Euāgelista ciuitas, quā incolebat Zacherias Iudæ, vel Iudeæ tantū dicitur, peculiari pariter suppresso nomine, ab Herode constructa erat in subiecta decliuitate, vnde ascensus in Macherūtis collem incipiebat vallis verò locū, *qua ciuitas à parte Septemtrionali cingitur* Bauram appellatū esse ideo docet, & nomen exprimit Ioānes, vt cuiusdā radicis ibi nascentis, atq. cognominis prodigia, vel fabulas addat. Regiam autē Herodis non in vrbe, sed in arce ipsa fuisse ita prosequitur. *Quin & circa ipsum verticem murum adificauit, turresque in angulis sexagenorum cubitorum erexit in medio autem ambitu regiam struxit magnitudine simul habitationum, & pulcritudine locupletem.* Ibi præter cisternas recipiendis aquis fabrefactas, & bellicum inditum apparatum, rutamq. prodigiosè in eadem regia arborescentem Iosephus narrare non destitit, & naturales circumpositi vallis dotes. *Fluunt autem*, inquit, *ex eo loco aquarum fontes etiam calidarum, multum inter se sapore diuersi. Alii namque amari sunt, aliis nihil dulcedinis deest. Multi autem frigidę aquæ ortus, non solum in humilioribus locis fontes alternos habent: sed quod amplius quis miretur, in proximo quadam spelunca cernitur, non quidem altè caua, saxo autem imminente protecta: super hoc veluti duo māma inter se paululum distantes eminent: & altera quidem frigidissimum fontē, altera calidissimum fundit, qui misti lauacrum suauissimum præbent, multisque morbis, ac vitiis salutare.* In tanta describendi loci sedulitate apud Iosephum quis vrbē, & arcem Iudaici Regni præcipuam non agnoscet in Transamniana regione, seu trans Iordanem, vt idem Iosephus testatur lib. 5. cap. 3. inquiens: *Trans Fluuiū quidem tota regio Romanis cessit, & vbiq. omnia vsque ad Macherunta deuicta sunt.* Munitissimum Castrum fuisse etiam Pompei, & Crassi tempore idem Iosephus affirmat lib. 14. Antiq. cap. 12. ibiq. post mortem Alexandri Regis prætiosissima quæque reposita fuisse ad tutelā narrat lib. 13. cap. 21. quæ confirmat Strabo lib. 16. dum Macherum numerat inter Iudeæ loca, quæ gazis tyrannorum repleta essent, cum Pompeus domuit Iudæam. Macherum dixit Stephanus custodiam, siue Arcem Iudeæ. Ex Augusti descriptione, & Iudaici regni recentiori constitutione diuidit Iudeam Plinius in duas regiones, Galileam Syriæ iunctam, Peream Arabiæ, & Ægypto proximam. *Perea* inquit lib. 5. cap. 14. *asperis dispersa montibus, & cæteris Iudęis Iordane amne discreta*, quasi illic montanam Iudæam statuisse videatur. Montes Moab vocat Borchardus, & inter hos proprio nomine directè contra Iericum vltra lacum, & Iordanem montes numerat Abarin, Phagor, Phasca, & Nebo parte 1. c. 5. §. 26. In prospectu vero lacus Asphaltites *à meridie* addit Plinius *Macherus secunda quondā arx Iudeæ ab Hierosolymis. Eodem latere est calidus fons medicæ salubritatis Callirroe.* Dum vero cum Hierosolyma Macherū, siue Macheruntē Plinius componit, & secundum illi tantū locū cedere affirmet, iam siue arcem, siue suppositam vrbē dicas, nō modo ædificiorum, sed & populorū frequentia celebrem fuisse fatendū est. Regionem, & locū ex veteri partitione in tribu Ruben fuisse computatam constat, non in Tribu Iudæ, quod hæc Iordanum

fluuium

fluuium, lacum ſalſum, ſiue Aſphaltitem pro Oriẽtali limite habuiſſet in ſortibus, Ioſue cap. xv. his verbis. *Ab Oriente vero erit mortuum Mare ſalſiſſimum vſque ad extrema Iordanis*. At meminiſſe oportet, quòd D. Hieronymus, ſiue Euſebius de locis Hebraicis monet in verbo Berſabeæ, mirari nos non debere, ſi interdum ciuitates Iudæ in aliis tribus reperiantur. *Tribus enim Iuda bellicoſiſſimis viris pollens, & crebro aduerſarios ſuperans, in omnibus tribubus tenuit principatum, & idcirco etiam aliarum tribuum ſortes in eius interdum funiculo nuncupantur.* Idem ex Berſabea extra terminos Iudæ, quæ Berſabea Iudæ dicitur 4. Regum cap. 2. & ex Beptſame Iudæ in tribu Dan colligit Burchardus P. 1. cap. 3. §. 4. & cap. 7. §. 74. & cap. 8. §. 13. *Arbela terminus, & ipſe Iudæ ortum ſolis aſpiciens, eſt & vſq. hodie vicus Arbel trans Iordanem in finibus Pellę*. Quæ verba Euſebij, ſiue D. Hieronymi ſunt de locis Hebraicis. Hinc dubitandũ eſſe non videtur, terminos Iudæ vltra Iordanam fuiſſe extenſos, & in ea præſertim parte vbi Macherus comput abatur in finibus Arabum, & Pellæ trans Iordanem. Vnde ſatis probabile apparet Tribũ Iudæ, in eam partẽ, vbi ad Bethabaram erat tranſitus nauium, & Iordanis vadus, funiculum extendiſſe, quando termini Orientales regionis illi aſſignatæ, erant mare ſalſiſſimum, in quod defluebat Iordanus, & *extrema Iordanis*, quæ videntur ad vlteriorem ipſius ripam circumpoſita loca comprehendere. At cum omnino immutatis ſub Romano Imperio, tam Paleſtinæ prouinciæ limitibus, quam nominibus Euangelica hiſtoria, non iuxta priſcas diuiſiones, quæ geſta sũt narrare videatur, ſed iuxta partitiones illius ſæculi, in quo natus eſt, & crucifixus Dominus, conceptus & mortuus Ioannes. Natus eſſe dicitur Saluator *in diebus Herodis Regis*, & ex Ægypto redijſſe, dum *Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre*. Conceptio item Ioannis ſignatur *in diebus Herodis Regis Iudeæ*, ſub Imperio Romanorum, tunc enim *exiit edictum à Cæſare Auguſto*, & deſcripta, eſt Iudea ſub Præſide Syriæ Cyrino. Cum vero manifeſtum ſe reddidit Chriſtus Dominus & Ioannes prædicaret, ita tempus, & Romanorum regnum notatur, *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam*, Tetrarcha Galileæ Herode, Philippo Tetrarcha Itureæ, & Traconitidis, & Lyſania Tetrarcha Abilinę. Iam ergo Paleſtina, ſeu Iſraeliticũ, & Iudaicũ regnũ, non iuxta veterem tribuũ partitionẽ, ſed iuxta recentẽ Romanorum ſtatum, & nomina in Euangelio adducitur, ſiue ſub vnius regni Iudaici titulo ſub Herode ſeniore, ſine tẽpore Natiuitatis, tam Domini, quam Præcurſoris, & illorum paſſionis ſub vario Tetrarcharum principatu. Vnde hìc fruſtra videntur veteres diuiſiones requiri, præterquam ad conferendas veteres præditiones, ſeu ſacræ ſcripturæ adducta teſtimonia, cum potius rerũ geſtarum narrationes ad currentiã tempora accomodari debere mihi facile ſuadeat. Aliter ergo Iudeæ nomen accipiendum videtur ſub Herode Rege ſeniore, ſeu Aſcolonite, qui vniuerſæ Paleſtinæ, ſiue Iudeæ dominabatur Auguſti permiſſione: aliter ſub Tetrarchis, quando Pilatus Iudeæ, anguſtius deſignatæ præſidebat. Vnde ſacri Euangeliſtæ, nunc Iudæam in vna ſignificatione, nunc in altera accipere videntur, iuxta communem populorum loquendi vſum. Tempore quidem, quo Præcurſor conceptus eſt, Iudeæ regnum accipiendum videtur iuxta limites Romanos, quando Paleſtinam in Prouinciã redactam ſub titulo regis, vel regni Iudeorũ Herodi Aſcalonitæ regẽdam Romani dederant. Is regno Iudeæ ſuſcepto, nõ modo vltra Iordanẽ ius dicebat, ſed ædificatis in Macheruntis arce regijs ædibus, & in appoſita montis decliuitate noua vrbe, loca illa in Iudæa computata eſſe non dubitarem. Cum vero neque Euangelica Lucæ hiſtoria nomen vrbi tribuat, in qua B. Virgo Eliſabetham ſalutauit, ea nimirũ tantũ indicata ſub nomine ciuitatis Iudæ, ſiue Iudeæ in Montanis: cumq. nec ex Ioſepho, aut alio antiquo ſcriptore appareat, præter amplio-

rem

rem Macheri collis,& arcis, appellationem an alio præcipuo nomine recens condita ab Herode ciuitas nuncuparetur, non minimum mihi momentum fuit ad coniectandum, an Lasa, vel Laza Hebraicè illa esset, quæ Calliroe Græcis, & ab ipso Herode dicta fuit, quasi bellè fluens. Traducit Iosephus Herodem regem lib. antiq. 19. cap. 7. quòd Græcis magis, quam Iudæis familiaris existeret, alienigenarum ciuitates nobilitaret, Iudæorum vero Ciuitates non repararet. Quod probabile reddit Calliroem Græco nomine, & à Græcis familiaribus indito, nouam vrbem dixisse, minime fortasse id probãte Iosepho, quòd nomine Hebraico vsus nõ fuerit; quãvis à Græca significatione neq. Macherus castrum abhorreat. Calliroes tamen Iosephus meminit eodẽ lib. antiq. 17. c. 9. dum postremã Herodis ægritudinẽ narrans inter adhibita remedia Balneũ illud ita describit. *Et transiens Iordanem fluuium, aquis calidis, quæ sunt circa Calliroen die, noctuq. fouebatur. Hæ igitur aquę calidæ super alia, quæ habebant comoda etiam potabiles erant. Pergebat autem aqua illa in paludem, quæ sulphurifera vocitatur.* Idem repetit lib. 1. de Bello Iudaico cap. 21. consimilibus verbis, quæ adducere libet, vt aquas illas Calliroe trans Iordanem in lacum bituminis, seu mare mortuum defluentes nõ longe à Macheruntis arce fuisse confirmetur. *Denique Iordanem transgressus apud Calliroen aquis calidis vtebatur, quæ in lacum feracem bituminis, & qui Asphaltites vocatur, effluentes pro dulcedine potui sunt.* Eodem latere cum Macherunte fuisse Calliroem iam ex Plinio vidimus, camq. in Iudæa, quod repetit Solinus, nimius in proximitate ad Ierusalẽ, ex Iudeæ descriptione. *Callirhoe Hierosolymis proximus fons, calore medico probatissimus, & ex ipso aquarum præconio sic vocatus est.* Ptolemeus c. 16. lib. 5. siue Tabula 4. Asiæ, inter vrbes Iudeæ ab Orientali parte Iordanis fluuij tertio loco Callirhoẽ numerat, Straboni præteritã Vix autẽ dubitarẽ, quin Callirhoe, si ciuitas erat, vt à Ptolemæo dicitur, ea vrbs non esset, quã ex Iosepho sub Macherũte descripsimus, vbi ex binis lapideis mãmis aquæ frigidissimæ, & calidissimæ seiunctim fluentes saluberrimum multis morbis lauacrum componunt. Inter vrbes prope lacum Asphaltitem Geneseos cap. 10. numeratur *Lasa*. Hanc D. Hieronymus Calliroem esse affirmat in quæst. Hebr. super Genesim his verbis. *Hoc tamen adnotandum videtur, quod Lasa ipsa sit, quæ nunc Callirhoe dicitur: vbi aquę calidæ prorumpentes in mare mortuum defluunt.* Ex verbis Geneseos, quæ ibi interpretatur B. Hieronymus, *& fuit terminus Chananeorum vsq. ad Lasam*, educi posse videtur, in veteri partitione (si eam tamen Lucas Euangelista respexit) Tribum Iudæ, quæ sortem habuit in terra Chananæorum, ad Lasam vsque trans Iordanem funiculum extendisse, & Callirhoem recentius dictum opidum, vel vrbem Iudæ in strictissima significatione fuisse. Verum enimverò quidquid sit, & vrbs Callirhoe, vel Macheruntis in Tribu Iuda sub nomine Lasam computaretur antiquitùs, vt inde ciuitas Iudæ dici potuerit: siue Iudeæ regnum sub Herode Peream, & Macherum vrbem complecteretur, vt ex Iosepho, & Plinio constat, certum ex Euangelio est, partem trans Iordanem ab Hebraiaca gente inhabitatam Iudæam fuisse nuncupatam, & trans Iordanem Iudeam ætate Christi Domini extensam. Marcus cap. x. *Et inde exurgens venit in fines Iudeæ vltra Iordanem*, & Mattheus cap. 19. *Migrauit è Galilæa, & venit in fines Iudeę, trans Iordanem*, ita Galileam distinguens à Iudea propriè dicta, quamquam Galilea in regno Iudeæ vniuersę computaretur. Trans Iordanem baptizabat Iohannes, seu in Iordane, dum ipse desertum trans Iordanem incolebat; cum enim ad eum Iudæi miserunt Sacerdotes, & Leuitas, vt interrogarent, ipse erat trans Iordanem, vt cap. 1. Iohannis. *Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem vbi erat Iohannes baptizans.* Ibi testimonium perhibuit Ioannes quòd Christus Dominus esset Agnus Dei, non modo quia statim ad illa verba

iudi-

ſubditum, ſed quod etiam cap.3. Diſcipuli Iohannis diſceptantes cum Iudæis de Purificatione ad eum venerunt interrogantes Rabbi, *qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat.* Quamquam enim Ioannes pluribus in locis baptizauerit, initio tamen trans Iordanem baptizabat, vt habetur cap.x. Ioannis; fugiens quippe Dominus Hieroſolymis *abiit iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat Iohannes baptizans primùm*, hoc eſt in Bethania, ſeu Bethabara, vbi & Dominus ipſe baptizatus fuerat. Quamquam enim Maldonatus Bethaniam non vltra, ſed citra Iordanem eſſe voluerit, dum tamen fatetur eundem eſſe locum cum Bethabara, male eis Iordanem conſtituit. De ea enim ita D.Hieronymus, ſiue Euſebius de locis Hebraicis *Bethabara trans Iordanem, vbi Iohannes in pœnitentiam baptizabat, vnde & vſque hodie plurimi de fratribus, hoc eſt de numero credentium, ibi renaſci cupientes vitali gurgite baptizantur.* Locus iſte à Macherunte, parum diſtabat, cum non niſi quatuor horarum itinere, ab Aſphaltite lacu diſiungeretur, vt refert Cornel. à Lapide ad caput 1. Ioannis, vel potius vt Natalis animaduertit, non niſi ſeptem milliaribus: aliquantulum certè à fluminis ripa diſtabat. Quamquam enim Bethaniam tranſamnanam, ſiue Bathabaram Ioannes Biſſelius in nouiſſima Topotheſia Paleſtinæ putet fuiſſe Liuiadem campeſtrẽ vrbem, in Liuiæ Auguſtæ honorem Herodis ſumptibus extructam ad ipſius fluminis crepidinem, longius tamen à Iordane diſtabat, quam ſuper crepidinem fluuij dici poſſet. Moſchus namque in Paleſtina plurimum verſatus in Prato Spirituali cap.93. Seceſſum ad Eremum narrans Siſinij Epiſcopi, ita inquit. *Erat autem hic ſenex, qui relicto Epiſcopatu ſuo propter Chriſtum venerat prope Caſtellum, quod appellatur Bethabara, & à ſancto Iordane, ſex ferme milliaribus diſtat, ibique vitam ſolitariam agebat.* Quam verò in Paleſtina verſatus fuerit Moſchus, & quam frequens in Aſcetis Paleſtinis, facile cuique opus eius legenti obuium eſt. Meminit is frequenter ſolitudinis Iordani, & præcipuè cap.179. Cum ergo primùm in Deſerto illo clamaret Iohannes cum ad eum à Ieroſolymis miſerunt Sacerdotes, & Leuitæ. *Fuit* enim ex cap.1. Marci *Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ*, cũq; in deſerto teneris ab annis habitauerit, ibiq. manſerit vt Lucæ 1. *vſque in diem oſtenſionis ſuæ, ad Iſrael*, ex his natiuitatis, & conceptionis ſuæ proximus locus indicare videtur: ex deſerto inquam trans Iordanem, proximũ Macherum caſtrum, ſiue vrbem ad radices montis poſitam, & ſub Herode Rege nuper inſtauratam, populiſque refertam. Hanc vrbem Zachariam incoluiſſe Sacerdotem ſanctum, vt in populoſa vrbe, & tunc temporis à Hieroſolymis tantum ex recenti munimine, & inſtauratione ſecunda, inhabitantes Iudæos doceret, patriam religionẽ ſeruare, non admodum difficile eſt credere, pluribus alijs coniecturis idem ſuadentibus. In hac regione non procul à Callirhoe, quam fontem Heliſæi vocatã teſtatur Bellonius lib.2. obſeruat. cap. 86. ſcribit montem ac deſertum fuiſſe, in quo Redemptor, & ieiunauit, & tentatus eſt, & deſertum quod Ioannes incoluit: quinimo ad locum ieiunantis, ſeu potius tentati Domini Bellonius ipſe per lapideos gradus aſcẽdiſſe narrat, & in ſummitate rudera ſacelli olim à Chriſtianis ibi conſtructi vidiſſe: Conſimile etiam ſacellum dirutum vidit in eadem regione vbi prædicabat, & baptizabat Ioannes in deſerto magis tamen iuxta amnem poſitum, locuſtasque ibi comeſtibiles coniectatur, quibus præcurſor victitaret. Verum cum Bellonij obſeruationibus ſcriptores, qui ſancta loca perluſtrauerunt recentiores, & vetuſtiores non conſonant. Quippe qui per varias ætates, ex varijs incolarum traditionibus ſuam Topagraphiam concinnauerint, & varia, ac pugnantia ſcribere coacti ſint; vndę tam in loco Natiuitatis, & primę prædicationis S.Ioannis, quam regionis, vbi Dominus baptizatus ieiunauit, &

tentatus

tentatus est, in diuersa abierũt, & maximas ambages pepererunt. Sanè tàm montem Quarantanæ, vbi Christus ieiunauit, quàm fontem Elisei, & locum vbi Ioannes baptizans prędicabat nõ longe à Hiericho cis Iordanem pingit nuperus scriptor Petrus à Valle in epistola ex Aleppo die 15. Iunij 1616. dum ex Hierichi Villa per planiciem iuxta mare mortuum Hierusalem regrediebatur. Ab eo vetustior Franciscus Surianus non dissentit, qui anno 1485. totam Iudeam paragrauit, & graphicè descripsit. Hic fontem Elisei prope Hierichum sub nouum Quarantanæ constituit in distantia à Ierosolymis quatuordecim millia passuum, & duobus ante Hierichum, septẽ vero ad Iordanem. Borcardus qui per decenniũ Terram sanctam peragrauit circa annos Domini 1283. vt ipse docet P. 1. cap. 7. §. 10. citra Iordanem pariter Montem Quarantanæ constituit, sed diuidit à Mõte, in quo Dominus tentatus est, quem ab illo duabus leucis distare affirmat capite iam adducto §. 28. In Euangelio quippè legimus, Redemptorem nostrum ieiunasse in deserto, & à tentatore ductum fuisse in montem excelsum seorsim à deserto. Elisei quidem fontem cis Iordanum omnes ferè statuunt, & tamen Bellonius Callirhoem esse putauit, quæ vltra Iordanem sub Macherunte ab antiquis describitur. Nec minus probabiliter; cum ibi aquas calentes, & variorum saporum è saxis profluere doceat Iosephus loco adducto, ac facile Eliseus aquã salsam, & amarulentam in dulcem, ac potabilem prodigiosè conuertere ibi potuerit. Diuidit Surianus in tres regiones loca deserta, in quibus Præcursor agrestem vitam duxerit, ac prædicauerit, cum re vera quatuor describat. Primum cõstituit in Montanis Iudeæ, dum paruulus ille quinquennis esset. Desertum hunc locum vult amænum fuisse, & ætate sua siluestribus pinis refertum, ac ita domui paternæ proximum, vt noctù illuc sanctus puer ad parentum solatium rediret. Secũdum desertum in Ebron describit obscurum, & asperum à primo per viginti millia passuum distans, & ab Ebron quinque, Ecclesiamq; ibi à fidelibus cõstructam docet, ad cuius ostium fons aquæ viuæ adhuc excurrat, & in proximo mõte cœnobium magnum sub Titulo S. Ioannis Baptistæ esse affirmat. Ex secundo hoc deserto loco à Deo euocatum narrat in tertium asperiorem, nempe circa Iordanem, ibiq. pœnitentiæ Baptismum, ac prædicationem incepisse, sed cum primũ incoluisse doceat cis flumen, desertum S. Hieronymi deinceps nuncupatũ, ac tranato flumine etiam magis horridum desertum, quod hodie S. Mariæ Ægyptiacæ ex eius ibi celebri peracta pœnitentia vocatur, iam quartum desertum Ioannis describit. De postremo addit intelligenda esse verba illa Lucæ. *Et hæc facta sunt in Bethania trans Iordanem*, hoc est, vt emendat Origenes, in Bethabara villa trans Iordanum *primùm* in Transamniana regione, & Bethabora baptismũ exercuisse Iohannem. Verum quid quid traditiones incolarum post tanta sæcula habeant, ex Euangelio certum scimus, & supra adnotauimus in Transamniana regione, & Bethabara, siue in proxima Bethabaræ ripa prædicationem, & baptismum *primùm* Ioannem incepisse, etiamsi postea venerit in omnem regionem Iordanis prædicans, & baptizans. Nec qui Terræ sanctæ Topographiam contexuerunt ex Arabum, Turcharum, & variorum ibi Catholicorum traditionibus, & narrationibus me à sententia remouent. Falli enim potuisse, & in assignandis sibi traditis nominibus præter voluntatem alios fallere nequaquam dubitarem. Quãta quippe Græci ex quibus plurimæ traditiones emerserunt à natura fabulantur? Inter cætera, & in re antiquis notissima exemplo sint Samariæ, siue Sebastes fabulæ, quas pro rè nostra libet ascribere, vt varias deinde sententias de loco conceptionis, & Natalis S. Ioannis Baptistæ afferamus. Refert idem Borcardus parte 1, cap. 7. §. 12. in Samaria, quæ olim sedes fuit Regum Israel, duplicem ostensam sibi Ecclesiam S. Ioanni dicatam, alteram, in qua sepulcrum ipsius

esset

esset, alteram in montis supercilio, vbi regis palatium extructum fuerat. Ibique Monachi Græci, & Christiani Ecclesiam inhabitantes docebant, Baptistam ab Herode carceri mancipatum, & in eodem decollatum: quod ipse Borcardus tanquam absurdum refellit. In vinculis tamen ibi positum ab Herode Antipa consentit Surianus, & si Macherunte capite minutum faceatur. Sed neq. Herodes Antipa poterat Præcursorem in Sebaste, siue Samaria carceribus includere, cum ibi nullum ius diceret; erat enim Tetrarcha tantùm Galileæ, & regionis trans Iordanem. Vnde S. Iohannis discipuli ipsius truncatum corpus in vrbem Sebastenam transtulerunt tanquam in locum, qui sub Herodis potestate non esset, vt alibi diximus. Neque ab huiusmodi falsa traditione recentiores abstinuerunt. Petrus à Valle in primis, loco iam adducto. Is tàm à Christianis Arabibus ritu græco Ecclesiam illam colétibus, quã ab alijs Damascenis audiuit, & credidit, subterraneum in Ecclesia sacellum carcerem fuisse, in quo S. Præcursor Iohannes cæso capite, Herodis iussu ex hac vita migrauerit. Falsum etiam suspicari licet citra Iordanem locum fuisse vbi Christus Dominus ad Ioannem accedens baptizatus est, cum ex Euangelica historia clarum sit in Bethabara trans Iordanem, vbi primùm Iohannes baptizauit, & de eo testimonium dixit, baptismum suscepisse; & tamen omnes ferè, qui regionem circa Iordané recentius describunt, non trans flumen, sed citra ostendunt locum, vbi Christus Dominus baptismum suscepit, & vbi Iohannes communius baptizabat, atq. Ecclesiæ rudera ibi ostendunt. Ita Petrus à Valle, in epistola Aleppo data p. 465. æditionis Venetæ, & quod maius est ante nongentos annos ita etiam ex Hodoeporico S. Vvillibaldi apud Canisiũ T. 4. Antiq. lect. educitur. Pergens enim cũ socijs sanctus Episcopus ad Monasteriũ S. Ioannis Baptistæ, inde per vnũ milliariũ profectus est *ad Iordanẽ, vbi Dominus fuit Baptizatus, ibi nũc est Ecclesia in columnis lapideis sursũ elevata, & subtus Ecclesiã est nũc arida terra, vbi Dominus baptizatus fuit in ipso loco, & ibi nũc baptizãt. Ibi stat Crux lignea in medio, & parua derivatio aquæ stat illic, & vnus funiculus extẽsus super Iordanẽ hinc, & hinc firmatur.* A Iordane ad Ierichũ septẽ milliaria assignat, ibique fontem Elisei pariter cum alijs agnoscit, non ad Callirohem, vt pinxit Bellonius. Distantiã Crucis in Iordane positæ Beda nonnihil Vvillibaldo vetustior ab Oriẽtali Iordanis ripa ita pinxit de locis Sanctis cap. 13. *In loco in quo Dominus baptizatus est, Crux lignea stat, vsque ad collum alta, quæ aliquando aqua transcendente absconditur, à quo loco ripa vlterior, ideſt Orientalis in iactu funda est.* Verum cum S. Iohannes in omni regione Iordanis prædicauerit baptismum pœnitentiæ, iam dubitari nequit etiam cis Iordanem accurrentibus Baptismum impertiuisse; neque absurdum est Monasterium eiusdem nomini excitatum ibi esse, & ad peregrinorum, ex proximioribus sanctis locis accurrentium commoditatem, locum Baptismi Dominici in Iordane quidem fuisse signatũ cum Cruce, sed in citeriori ripa versus Hierusalem, & alia sancta loca, vt non tranato flumine facilius inueniretur, in quo loco Ecclesia deinde fuerit erecta, quæ etiam in Actis S. Mariæ Ægyptiacæ citra fluuium describitur. Accedunt & alia rationum momenta, quibus suadeor loca circa Iordanem recentioribus sęculis incerta admodum esse. Iordanem fluuium aquam semper lutosam habere, & turbidam omnes illius regionis Topographi docent, quamuis facillimè clarescere, & diutissimè seruari affirmet Princeps Radziuilus in suo Hodoiporico, quod nunc non est ad manus. Maior fluminis latitudo quadraginta vlnas non excedere affirmant, profunditatem lanceæ mensuram æquare, dum scilicet aquis pluribus turget, & nauiculas sustinet. Aliquando enim ita submittuntur aquæ, vt alicubi pedibus transigi possint, & torrentis quodamodo rationem habere videatur. Ex hac lutosi fluminis natura facile accidere posse coniectabar, vt impleto

interdùm alueò cursum facile immutauerit,& locus, qui olim erat in crepidine trans flumen, spatio temporis eis fluminis antiquum alueum euaserit. Nec me coniectura fefellit;inueni enim apud adductum, Surianum Iordanem fluuium, dū ille scriberet,per milliarium ab antiquo cursu deviasse. Verba ex Italica sancti fluminis descriptione lubet adducere. *Ex mare Galileę exiens Iordanus latitudinem retinet quadraginta vlnarū, & lancex profunditatem. Per æstatem in aliquibus locis pedibus trasicitur. Per quinginta milliaria extenditur. Huius fluminis aqua omni tempore turbida est, & lutosa, & in mari mortuo finem habet. Penes fluuium ad mille passus situm est Monasterium S. Iohannis, vbi ipse prædicans baptizabat,& quod,dum ibi aderam,incolebant Græci, illud mox propter Arabum molestias derelinquentes. In hoc loco puto Christum fuisse baptismate ablutum, nunc uero flumen mutato alueo per milliarium unum distat.* Hanc autem mille passuum distātiam vbi peregrinationes ad Iordanē describit citra fluuiū esse versus Ierichū clare patet. Sed in recentiori itinere Hierosolymitano Zuallardi scribitur,non vno tantū milliario Iordanem à veteri alueo recessisse, sed ad bina ferè milliaria versus Oriētem Solem distare ab Ecclesia baptizati Saluatoris, & Ioannis Baptistæ; ità refert lib.4. p.268.& pōst eū Aquilātes Rocchetta in Itinerario Terræ Sāctæ Tract.3. cap.12. nu.7. Ex ruderibus autem Monasteriorum, & stationum, quæ ibi, dum Græci Christiani Imperatores imperabant, excitata sunt, sacris mysterijs nobilitata olim loca rimari, minus certum existimarē ,cū tempore Tiberij,& Mauricij Imperatorum, quando Moschus Pratum suum spirituale composuit, regionem citra, & vltra Iordanem Asceterijs pluribus refertam fuisse, legentibus clarè pateat, & inde facile sit ex vna in alteram ex ruinis errare. Quam uerò incerta hodie sint loca vltra Iordanem,peregrinis euntibus Hierusalem minus obuia, ex sequentibus constabit. Sunt inter sacros expositores, qui Bethabarā vbi, Ioannes primum baptizauit citrà flumen constituant:& tamen ex Euangelica historia, nisi illi vis inferatur,apertè deducitur trans Iordanē fuisse. Quod idem Surianus ita confirmat. *Ex alto latere ultra fluuium Iordanem ad Orientem est desertum ubi Maria Ægyptiaca pœnitentiam egit. Item Bethabara ubi Ioannes baptizabat. Item ciuitas Ephrem ubi Christus secessit propter metum Iudæorum.* Torquet sacros expositores,Maldonatum præcipuè ciuitas illa Ephrem in regione iuxta desertum, quò IESVS secessit apud Ioannem cap.xi. Diuus enim Hieronymus, siue Eusebius de locis Hebraicis ita inquit. *Ephram iuxta desertum,ad quam uenit Dominus IESVS cum Discipulis suis. Diximus de hac & supra sub Ephron uocabulo.* In uoce uero Ephron nulla alia uerba habet præterquam. *Ephron in Tribu Iuda.* Sin verò Ephre, siue Ephron ciuitas esset in Tribu Iuda, & vltra Iordanem, iam præter adductam sortem, Tribū Iudæ trans Iordanem extensam fuisse conuinceretur. Longius enim à Ierusalem abijsse Dominum cum discipulis suis omnes fatentur, & Euangelio Ioannis consonat, vbi legitur. *IESVS ergo iam non palam ambulabat apud Iudæos, sed abyt in regionem iuxta desertum in ciuitatem, quę dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* Et verisimile admodum est extra partem illam Iudeæ profugisse, quæ tunc ad distinctionem Tetrarchiæ Herodis Iudæa præsius dicebatur,& in Prouinciam redacta,à Præside Hierosolymis, fixa sede, gubernabatur; Herodis enim Antipæ tunc Tetrarchæ regnum in Galilea,& trans Iordanem tantum continebatur, vt diximus ex Iosepho lib.17.cap.17. & lib.18. cap.14. Quantas etiam ambages, tum in vetustioribus, quàm recentioribus locorum appellationibus, ex linguarum varietate nominum mutatio peperit? Quàm diuersis vocibus, sub Græcorum, Arabum,& Turcharum imperio vrbes,alijq. Palestinæ loci vocati sint,supervacaneus mihi labor esset ostendere, & in re notissima Geographis sufficit id in Machero

obseruare,

obſeruare, cuius vetus nomen, ante munitam arcem ſub Alexandro rege, non ita certum eſt. Aquilantes Rocchetta, qui ætate noſtra iter Hieroſolymitanũ deſcripſit Tract. 2. c. 21. Caſtrũ Macherunta fuiſſe monet, vbi Ioſue debellauit Iabinũ Regẽ Aſſor, & vbi ex capillis ſuſpenſus obijt Abſalon in nemore Effraim, ſiue in ſaltu Ephraim, vt habetur 2. reg. c. 18. Ætate ſua Burchardus nõ amplius Macherum, ſeu Macheruntem caſtrum illud vocari refert, ſed Aylon part. 1. cap. 7. §. 12. Quod confirmat Marinus Sanutus Torcellus, qui parum poſt Burchardũ terrã ſanctã graphicè deſcripſit in libro ſecret. fidel. Crucis lib. 3. c. 3. vbi teſtatur Macheruntem vocatum eſſe *Manayn nunc Haylon vbi latuit Dauid, & Ioannes Baptiſta poſitus fuit in carcere*. Si vero vetuſtius nomen Macheruntis Manayn reuera fuiſſet, iam eã vrbẽ Zachariã incoluiſſe difficile non eſſet, quòd vrbs Sacerdotalis vltra Iordanem fuerit aſſignata Leuitis: imò ciuitas refugij in Tribu Dan ex cap. 21. Ioſue, & 6. Paralipom. Sed quam difficile ſit, vetuſtiora loca, & nomina recentioribus accomodare in Paleſtina, nemo neſcit, & fatetur D. Hieronymus initio lib. de locis Hebr. Nihil autem magis poſtremis ſæculis locos trans Iordanem confudit, & ignotos nobis reddidit, quam eorum, qui Terram ſanctam perluſtrauerunt, in illis indagandis deſiderata ſolertia. Regionem enim illam Tranſamnianam, vt pote peregrinis Occidentalibus minus obuiam, & noſtræ ſalutis miſterijs minus refertam deſcribere neglexerunt. Ita ingenuè idem Burchardus fatetur ad calcem primæ partis his verbis. *Terram autem duarum tribuum, ſcilicet Gad, & Ruben, & dimidiæ tribus Manaſſe ex certitudine non ſcribo, quoniam vltra Iordanem non multum peregrinatus ſum, & licet tranſierim, tamen facultas non affuit diligenter notandi eam*. Quod etiam dolet Ioãnes Biſſelius, qui nuperrimè Terræ Sanctæ Topotheſiam edidit Ambergæ anno 1659. pag. 157. & qui coactus plura ſicco pede tranſire fatetur, quia *deſtitutus terrarum illarum trans Iordanem luſtratoribus eſſet*. Ibi tamen frequens fuerat Chriſtus Dominus, Baptismum ibidem ſuſceperat, & à Ioanne, qui eandem regionem ſaltem in prima ſua ad Iſrael prædicatione, ac Baptiſmo incoluerat, apertè diſcipulis monſtratus fuerat, æterno Patre id è cœlo teſtante, ibique Andreas, & Petrus Apoſtolorum primi Chriſtum Dominum agnouerant.

Iam verò de loco conceptionis, & natiuitatis Ioannis Baptiſtæ aliorum ſententiæ adducendę ſunt, vt ſi quid minus veritati conſonum occurrat iuxtà imbecillatis meæ vires expendatur. Sunt qui non modo vltra Iordanem domum Zachariæ non conſtituant, ſed neque vltra Hieruſalem. Ita Clithoueus in libello de Viſitatione Virginis cap. 2. Beda, Cardinalis Hugo, Albertus Magnus, S. Bonauentura Ekius ſerm. de Viſit. & alij. Hanc ſententiam aliqui etiam D. Auguſtino aſcribũt, qui à Salmerone Tom. 3. Tract. 1. refelluntur, eo præcipuè argumento, quod ſancta ciuitas Hieruſalem in Tribu Beniamin, non Iudæ computaretur. Cornelius à Lapide in Lucam n. 39. cap. 1. ex Brocardo, Brẽdenbachio, & Adrichomio, Terræ ſanctæ Chorographis, ciuitatem Iudæ eſſe exiſtimat Emmaus, vbi incipiũt Montana Iudeæ, & Adrichomij præcipuè verba affert docentis nu. 243. domum Zacherię Sacerdotis vno milliario diſtare ab Emmaus iuxta Montana, ibiq. natũ, circumciſum, & in ſpelunca metu Herodis abſconditum puerum docet, proximumque fontem adhuc ibi oſtendi, ex quo B. Virgo apud Eliſabeth manens aquam hauriret: addit in ſuperiori parte domus Zachariæ Eccleſiam mõſtrari vbi ille Spiritu Sancto repletus prophetauit. At Burchardus re vera, non in Emmaus, ſed ad torrentem Botri, ſeu Neeleſchol, ſex leucis contra Ieruſalem, non longe à riuulo, vbi Philippus Eunuchum Candacis baptizauit, domum Zacharię, & ſalutionis Eliſabeth repoſuit cap. 7. §. 63. Ab hac Zachariæ domo tribus leu-

eis constituit Nobe Sacerdotum vrbem nunc Bonocopolis nuncupatam §. 69. ibiq. Dauid panes propositionis comedisse refert. Vndè miror quomodo Burchardus pro ea sententia adducatur, quòd domus Zachariæ fuerit Emmaus, cum in descriptione illius Vrbis cap. 7. §. 70. ne verbum quidem huius rei addiderit in Veneta editione 1519. Nec pariter longe à torrente Botri, domum Zachariæ reposuit pluries adductus Surianus. Is ex alia, & diuersa traditione pag. 71. Itinerarij Hierusalem Venetijs editi 1524. Montana Iudeæ, non montes, sed vrbem esse docet, quæ ætate sua in vicum redacta fuerit, sed in qua adhuc mirabilis Ecclesia S. Ioannis Baptistæ remaneat, quamuis sterquilinio fœdatam aspexerit, præterquam in sacello, vbi ille natus perhibetur, à monacis montis Sion decenter culto. Ab hoc vicò, & Ecclesia ad iactum sagittæ domum Elisabeth describit (mirùm quomodo à Zachariæ viri sui diuersam) & vbi diuinâ salutationē illa accepit: Ecclesiāq; ibi vidisse, primùm integram, mox diruram testatur. Fontem quoque Beatæ Virginis nuncupatum à Zachariæ domo ad iactum lapidis distantem, & alium in quo Eunuchus Baptismum suscepit, ibi etiam indicat, & à Hierusalem distantiae ita metitur. *A Hierusalem ad Monasterium S. Crucis duo milliaria. Hinc ad milliarij dimidium domus Simeonis Prophetę. A Sanctę Crucis cœnobio ad locū vbi Præcursor natus est duo milliaria cum dimidio, & hinc ad domum Zachariæ, vbi Domina visitauit Elisabeth quantum iactus est arcus; ab his distat fons Philippi, seu Eunuchi Candacis per duo milliaria, totidemque desertum Ioannis Baptistæ pueri à loco vbi natus est.* Amœnam hanc regionem pingit, vineis, oliuis, alijsque ad deliciam fructibus scatentem, & Monasterium S. Crucis in saltu Libani constituit, vbi hortus, & deliciæ Salamonis erant, quæ abhorrere videntur à Montanis, at desertis regionibus. Consimilia habet Antonius Aranda cap. 37. apud Barradium T. 1. lib. 7. cap. 12. qui pariter domum Zachariæ in duas diuidit, sicuti & Ioannes Zuallardus in Itinere Hierosolymitano Italicè scripto, & Romæ edito anno 1587. quamuis Euangelium non nisi vnicam proponat, tam in reditu Zachariæ, & conceptione Ioannis, quam in salutatione Virginis ad Elisabeth in domo Zachariæ. Hieronymus Natalis in Adnotationibus ad Euangelium salutationis, duas domos Zachariæ ex traditionibus (vt ad marginalem oram scribitur) Arandæ, & Brocardi pariter constituit, ad quintum milliare à Hierosolyma, ad Occidentem, & Meridiem in ciuitate Iudæ, quæ sex leucis distaret à Neeleschol, seu torrente Botri, & ab Hebron tribus leucis ad Septemtrionem. Ciuitatem hanc Iuda insignem fuisse coniectatur, & fortasse Aen inter Montanas ciuitates Tribus Iudæ ab Iosue numeratam, cuius fons inter duas Zachariæ domos fluens amœnam vallem irriget. Addit Zuallardus Ecclesiam, quam domum Zachariæ fuisse creditur vocari S. Ioannis in Fonte, & in cubiculo, vbi natus creditur Ioannes, dudum à Christianis seruatam fuisse cum alijs reliquijs sacram illius cunam. Baronius in Apparatu ad Annales num. 79. à Burchardo discedit, quòd locum Montanæ Iudeæ in campestribus situm dicat, dum S. Luca in Montanis describit, & quod à Chebron, siue Hebron Sacerdotali vrbe per nouem leucas distet. In Hebron quidem, siue Chebron domum Zachariæ fuisse existimat vir doctissimus, quem Toletus sequitur, & ante ipsos existimauit Notkerus, vt vidimus ad diem 24. Iunij. Hanc sententiam plerisque placere testatur Saianus ad annum mundi 4052. num. 65.; quamuis ipse Adrichomium sequatur, qui ex inspectione Saligniaci anno Christi 1522. domū Zachariæ milliario vno ab Emmaus dissitam describit in Tribu Iuda, & à peregrinis reuerenter salutatam affirmat. Petrus à Valle in adducta Epistola anni 1616. ex vrbe Bethlehem iter suum ad Montana Iudeæ describit per valles, ac petrosos montes in vicum quēdam, vbi fons aquæ

S. Philippi

S.Philippi Diaconi vidit. Inde post longum iter inter montes, varioſq.vicos ad deſertum S.Ioannis peruenisse refert, ac in vallis cuiusdam rupe, supra fontem limpidæ aquæ ex viuo lapide scaturientem, antrum conspexisse, vbi puer Ioānes habitauit, & supra specum paruæ,& dirutæ Ecclesiæ rudera obseruauit. Inde iter prosequutus versus Montana Iudeæ, quæ à D.Ioannis deserto per duo circiter milliaria distare existimat,in vertice montis locum inuenit Visitationis Elisabeth, vbi magnæ Ecclesiæ ruinas inspexit, nec valde distare locum, seu vicum, vbi Præcursor natus perhibetur,quem Arabes vocant Am-ciareb. Ecclesiam ibi etiam partim dirutam vidit, & pastorum in ea, ac animalium mapalia, partim adhuc stantem in subterraneo sacello vbi Ioannes natus dicitur. Non longe à Hierusalem, & Bethleheem locum hunc distare inde elicitur, quòd vnica die loca illa Petrus à Valle perlustrauerit, & post meridiem, longumque somnum, à domo Zachariæ in vesperis Bethleheem redierit. Cum vero Hebron, ut Beda apud Baronium, & Surianus habent xxij. milliarijs ad Hierusalem distet, cum locis prope Emmaus componi nequit: cum Emmaus, seu Nicopolis à Hierusalem non nisi quatuor leucis, seu milliarijs octo abesse affirmet accuratus scriptor Burcardus P.1. cap.50.Marinus Sanutus non longe à Hierusalem,& à Betheron inferiore, in spacio decimoctauo,& quadro 64. domum Zachariæ reposuit vbi Maria salutauit Elisabeth, sed nomen Vrbis reticuit. Verùm cum hæc de loco Prædicationis,Baptismi, & Natiuitatis Ioannis Baptistę incolarum traditionibus tantum innitantur, eæque tam uariæ sint mutatis pluries, à Christianis ad infideles,principibus, & incolis,his non omnino fidendum diximus. Præter ea enim, quę iam adduximus uereri etiam possumus nomina esse, uel antiquata, uel innouata,postquam loca sancta à Barbaris destructa fuerant,& Christiani omnes, uel occisi,uel in captiuitatem ducti, ut habet oratio Vrbani II.in Concilio Claramontēsi apud Robertum Monachum, & alios Hist. Hierosolymitanæ scriptores, donec sub Gothifredo ad manus Christianorum peruenerunt. Tunc enim,ut Iacobus de Vitriaco auctor est Historiæ Hierosolymitanæ cap.51. ex omni natione confluētibus peregrinis, & uiris religiosis reparabantur Ecclesiæ ueteres, & nouę fabricabātur cum Monasterijs regularium,qui feruore deuotionis accensi *eligebant sibi loca proposito suo, & deuotioni magis competentia*. Ex eo autem tempore potuerunt multa ex opinione mutari, & hoc uel illud mysterium huic, uel illi loco ascribi. Multa ex traditionibus audita, & cum scriptura sacra pugnantia, corrigit passim Burchardus sedulus, & in scripturis uersatus Terræ sanctæ perlustrator,& passim in eius descriptione cuiq. obuia sunt. Vnde in tanta traditionum, & sententiarum uarietate, non ita facile respuendum putarem in Vetustiori Martyrologio nostro signatum conceptionis, & natalis locum,seu domum Zachariæ ultra Iordanem in Macherunte castro, seu subiecta Vrbe Callirhoe, intra Iudeæ limites.Quamquam enim quo nomine ante Herodem Ascalonitam, & Alexandrum regem uocaretur Macherus incompertum mihi sit, clarum tamen ex supradictis remansit,Saluatorem nostrum pluries trans Iordanem in fines Iudeæ uenisse, nec longe ab hac urbe baptismum à Ioanne percepisse. Iam uidimus aliquos ex Palestinæ Chorographis satis probabiliter existimare desertum, quod Ioānes à teneris annis incoluit,non longe à paterna domo fuisse, & Nonnus Panopolitanus Vetustus Christianus Poeta ita de Ioanne primum desertum incolente per interpretem cecinit in Paraphrasi cap. 1. Euangelij Ioannis

Vbi profugus hominum exul habitauit vir
Domicilium suis radicibus extructum Montanæ domus.

Primum autem desertum,ubi à Nonno descriptam Sacerdotum, & Leuitarum à Ierosolymis legationem suscepit Ioannes, fuisse trans Iordanem ex Euangelio

supra

ſupra monſtratum credimus, deſertumque illud eſſe, quod antonomaſticè deſertum ſolitudinis uocaretur, probabile admodum eſt, prope nimirum monte Carmelum, alium à Carmelo Heliæ. De hoc enim ita inducitus Iacobus de Vitriaco cap. 52. *Eſt autem alius Carmelus trans Iordanem iuxta deſertum ſolitudinis, in quo latuit Dauid fugiens à facie Saul.* & infra cap. 53. *In hac autem eremi ſolitudine nonniſi locuſtas cum melle Beatus Ioannes edebat*, pergens deinde monſtrare ex relatione Syriaci Monachi, cuius cœnobium in partibus illis erat, Locuſtas animalia non fuiſſe, ſed herbas uocatas *Languſtas*, quarũ magna copia eſſet circa Monaſterium ſuum, adhuc comeſtiles. Nec ideo quòd plures deſerti loci in Iudæa recenſeantur improbabile redditur, prope deſertum ſolitudinis Dominum in Bethabara baptizatum eſſe, quinimo cum ſtatim ac baptiſmum ultra Iordanem ſuſcepit, in deſertum à ſpiritu expulſus fuerit, ut habetur cap. 1. Marci, de proximo deſerto facilius, quam de alio videretur intelligendum, eoquè à Præcurſore antea inhabitato. Sine alia namque additione, tam de Ioanne ibi dicitur, *fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans*, quam de Chriſti Domino poſt auditum de cœlo Patris teſtimonium, *& ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum. Et erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Nec ante in Galilæam ad prædicandum Euangelium deſcendiſſe videtur, quam Ioannes traditus eſſet. Subditur quippe ſtatim à D. Marco. *Poſtquã autem traditus eſt Ioannes venit IESVS in Galilæam prædicans, &c.* & expreſſius à D. Matthæo. *Tum reliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Cum autem audiſſet IESVS, quod Ioannes traditus eſſet ſeceſſit in Galilæam.* Nec difficile eſt credere in partibus trans Iordanem, vbi plurimum baptizauit, & prædicauit, Ioannem captum eſſe, & ab Herode in vinculis coniectum, cum regio illa ſub poteſtate Herodis Tetrarchæ eſſet, atq. ille in Macherunte adeſſet occaſione belli cum Aretâ Arabum Rege, vt ex Ioſepho educitur lib. 18. antiq. cap. 9. & 10. Deſertum quidem illud, vbi habitauit primùm Ioannes in Matthei Euãgelio cap. 3. vocatũ ſcimus deſertum Iudeæ, & tamen cum eo, quam incoluit ſpelunca, fuiſſe vltra Iordanem teſtem habemus Ioannem Euiratum, ſiue Moſchum ſupraadductum grauiſſimum ſcriptorem, & cuius auctoritatem magni faciunt Ioannes Damaſcenus, Photius, Ioannes Diaconus, & alij adducti à Lipomano. Is Pratum Spirituale à vita ſancti ſenis Ioannis, & ſpelunca Sapſas exorditur, & narrat Sanctum ſenem fugientem Præfecturam Monaſterij Sancti Euſtorgij, & diſcipulum eius, proficiſcentes à ſancta ciuitate in montem Sina, *tranſuadatoq. Iordane flumine cum vix vno lapide proceſſiſſent*, rigore illum apprehenſum, & febre detentum ita fuiſſe, vt progredi non potuerit, & coactus in ſpelunca S. Ioannis Baptiſtæ quieuerit. Antrũ hoc ſine vlla veneratione tunc à populis ignoratum ſequẽtia docent, integrè pro re noſtra ex interpretatione Auguſtini Camaldulenſis, Tomo 13. Magnæ Patrum Bibl. appoſita. *Cum vero in tantum exereſceret ardor febris, vt ambulare non poſſet, inuenerunt ſpeluncam paruulam, in quam ingreſſi ſunt, vt requieſcerent. Cum vero febris ita inualeſceret, vt ſe vix mouere poſſet, in ipſa ſpelunca tres dies commorati ſunt. Tum Senex in ſomnis aſpexit, quendam aſtantem ſibi, & dicentem. Die Senex, quò ire vis? Reſpondit ei Montem Sina. Dicit ei. Ne queſo, ne recedas hinc. Cum uerò Seni id perſuadere non poſſet abſceſſit, febris uerò Seni acrius infeſta erat. Rurſus nocte ſequenti idem Seni aſtitit eodem habitu, & ait. Quid Senior affligi vis? Audi me, & nuſquam hinc proficiſcaris. Ait ille Senex: Tu quiſnã es? Reſpondit is, qui apparuerat: Ego sũ Ioannes Baptiſta, & ideo tibi iubeo, ut nuſquam recedas: Nam ſpelunca iſta brevis maior eſt monte Sina. Quippe in hanc ſæpius Dominus Noſter IESVS, cum me uiſitaret ingreſſus*

greſsus eſt. Pollicere ergo mihi, quod hic habitabis, & ego mox tibi ſanitatem reſtituo. Paruit S.Senex, & continuo conualeſcens ibi ad mortem vſque perſiſtens ſpeluncam in Eccleſiam vertit, & Monaſterium congregauit. *Appellatur autem locus ille Sapſas. Iuxta illum ad lauam ſitus eſt torrens Chorat, ad quem miſſus eſt Helias tempore ſiccitas ex aduerſo Iordanis*. Ex his apertè etiam conuincitur, quã parum in locis ſacris conſtituendis fidendum ſit recentiorum relationibus, ſeu incolarum traditionibus, cum hi ſpelũcam S.Ioannis citra Iordanem pingant, ſicuti quod inhabitabat deſertum. In hac eadem ſpelunca alium ſenem commoratum eſſe narrat idem Moſchus cap.2 tantæ ſanctitatis, vt leones ſecum cubarent, & in ſuo ſinu cibum acciperent. Eadem fortaſſe hæc fuerat, in qua Sanctus Baptiſta, vt Nicephorus habet lib. 1. cap. 14. *alterum cum dimidio annum agens, vnà cum Matre Eliſabetha in ſpelunca quadam ad regionem Montanam ſalutis conſeruabatur, fortaſſe Herodis ſanguinarias effugiens manus*, vt interpretatur Langius. Addit Cedrenus in Comped. Hiſt. Ioannem delituiſſe in ſpelunca quadã, in qua mater obierit, & Angeli deinde Præcurſoris infantis curã ſuſceperint. Prodigiosè ſpeluncam in monte adapertam ex præcibus Eliſabeth narrant antiqua excerpta chronologica, quæ Scaligerus edidit in Theſauro temporum p. 81. Poſtquam enim auctor ille retulit Herodem quærentem puerum Præcurſorem ad necem, Zachariæ patri mortem intuliſſe, hæc de fuga matris, & pueri habet. *Eliſabeth autem cognoſcens, quia quærebatur Ioannes, apprehendit eum aſcendens in Montana, & aſpiciebat vbi eum abſconderet, & non erat locus abſcondendi. Tunc ſuſpirans Eliſabeth exclamauit, dicens Mons Dei ſuſcipe me matrem cum filio, & ſtatim ſciſſus eſt mons, & ſuſcepit eos*. Aufugiſſe verò Eliſabethã in eadẽ Montana Iudeæ difficillimum videtur vbi domus Zachariæ erat, ibi enim primùm miniſtros Herodis puerum quæſiuiſſe dubitari nequit; Ignoraſſe autem vigilem regem, & callidum Senẽ, quæ in natiuitate Præcurſoris acciderant credibile non eſt, præſertim ſi tam proxima Hieruſalem domus Zachariæ fuiſſet. Forte neque Herodem latere poterant etiãſi in Arce Macheri, vel vrbe Callirhoe ab Herode reſtauratis, vel conſtructis, domus Zachariæ fuiſſet, ſed fugã inde facilioré futurũ in proximũ aſperũ deſertũ, vbi antrũ Ioãnis, à Moſcho diſcribitur, nemo negaret. Hæc quidẽ nõ pugnãt, quin deſerto ſolitudinis proxima eſſe potuerit domus Zachariæ. Sed quia inter apocripha reputantur, non magni põderis, ad illius aſſertionẽ eſſent. Minus tamen difficile apparet, Ioannẽ puerũ Herodis rabiẽ vitare potuiſſe, ſi paterna domus in montuoſis regionibus longiùs à Hieruſalẽ poſitis fuiſſet, quam in proximis montibus, nec longius à Bethlehem poſitis. Minus divulgata prodigia ſuper omnia montana Iudeæ de nato puero calli lo Regi innotuiſſent, ſi rumoris origo vltra Iordanem eſſet quam in Bethleem proximis montibus. Ideo enim ſuſpicioſus Rex cædem puerorum, *qui erant in Bethehel, & in omnibus finibus eius* indixit, quia inquirentibus Magis natum regem, ex Iudæorum vaticinijs audierat Herodes, ex Bethleem naturum; & quamquãmuis vltra Iordanem aliquem de Ioannis natiuitate rumorem ex Macherunte, & ſubiecta Vrbe, quam ipſe conſtruxerat, & in delicijs habebat, percipere potuiſſet, quia Bethlemiticum vaticinium non attingebant, non erat cur magni faceret. Si quis verò Macheruntis arcem, uel vrbem pro ciuitate Iudeæ, vel Iudæ accipere renuat, conceptionem ibi veneratã ſuſcipiat. Ibi certè in vinculis Præcurſor poſitus, nouũ de Chriſti præbuit teſtimonium: inde tranſmiſſis ad illius miracula videnda diſcipulis, & pro iuſtitia, veritate obtruncatus, Chriſtum Dominum, non tam prædicationis, quam mortis Præcurſor, & præguſtator euaſit. Difficile eſt enim ibi Chriſtianos Eccleſiam in tanti viri memoriam non extruxiſſe, vt ibi eius celebritates recolerent; quamquam peregrinantium incuria trans Iordanem loci

vix describãtur, vt supra monuimus, vel potius incolarũ incertis traditionibus cõfundantur. Binos tantum scriptores vidi qui Macherũtis Ecclesiam indicauerint; alter est alibi adductus Zuallardus lib. 4. pag. 268., qui nouissimum illius arcis statum ita indicauit, *vltra Iordanum rudera Castri sunt cum Ecclesia, vbi S. Ioannes Baptista in vinculis positus, & capite minutus fuit. Vocabatur antea Machernnta, & nunc Ailon.* Alter post Zuallardum est Aquilantes Rocchetta in Itinerario Terræ Sanctæ tract. 3. cap. 12. nu. 5. his verbis ex Italico. *Vltra Iordanem est Macherunta, nunc Ailon, vbi vestigia eius sunt cũ Ecclesia, in qua S. Ioannes Baptista in vinculis positus securi percussus fuit*, scripsit Rocchetta, vt antea diximus post decennium à Zuallardo. Trans Iordanem quidem pro certo habeo desertum Sanctũ Ioannem incoluisse, ibiq. primò Regnum Cœlorum Iudęis inauditum, cum baptismo Pœnitentiæ prædicare cæpisse, ac Christum Dominum abluisse non longe à Macherunte. Quod Castrum an Cosmos Ptolemei fuerit ignorare me fateor, sed ab omnibus Geographis supra ostium Iordanis in Asphaltitem introeuntis positum descriptum video trans Iordanem, à cuius Ostio locus vbi Christus baptizatus fuit, non nisi per quinque milliaria distabat, vt testis est Gregorius Turonensis lib. 1. de Gl. Mart. cap. 17. his verbis. *In vno etenim (Iordanis) reflexu aqua ipsa reuoluitur, in qua nunc leprosi mundantur. Cum autem aduenerint sæpius lauantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur. De publico autem, dum ibi commorati fuerint victum accipiunt: sanati autem ad propria discedũt. Ipse quoque Iordanis ab eo loco in quinto milliario mari commistus mortuo nomen amittit.* Iam ergo non ita absurdum, ac enorme paradoxum cuiquam deinceps videri velim locum conceptionis S. Ioannis Baptistæ in mõtibus Iudeæ trans Iordanem fuisse, & vel in Arce Macherunti, vel eidem subiecta Callirhoe, deinde nuncupata, vel vetustioris nominis Iudaica Lasa, non expresso ab Euangelista nomine. Doleo autem clariorem lucem obscurissimę Vetustioris Martyrologij nostri assertioni addere non potuisse.

VII. Kal. Octobris.

IN Asia natalis Sanctorum Eucarpi, & Bardumani, & aliorum xxvi. Et alibi depositio Sancti Marci.

SEPTEMBRIS 25.

ASiani martyris Eucarpi socium Bardumanum, Bardonem vocat M. Corbeiense, cui anonymos tantùm xx. iungit. *VII. Kal. Oct. In Asia natalis SS. Eucarpi, & Bardonis cum alijs xx. In Gallia Ambianis ciuitate passio S. Firmini Episcopi, & martyris, & alibi depositio S. Marci.* Proprius ad nomen Bardumani, non Bardonis, ita accedit M. Antuerpiense. *VII. Kal. Octobris. Natalis Bardomani, Eucarpi, & aliorum xxvi. Romæ depositio Euseby Episcopi, & in Caballono Senatoris, & in Sardinia natalis Luxurij, & alibi Nigeni, Nabroti, Faustini. Aruernis Apollinaris Episcopi.* At quantùm Vetustissimum hoc Martyrologium in nominibus Asianorum martyrum, & anonymorum numero cũ nostro conuenit, tantùm in reliquis ad sequentem diem pertinentibus, & cum hac

hac confusis dissonat, vnde vt monuimus die xviiij. Septembris, ita hic etiam cogimur laterculum scêare, & à verbis illis *Roma depositio, &c.* segmentum pro sequenti die relinquere, ex fide librorũ nostrorum, & Corbeiensis Martyrologij. Cum ergo in numero anonymorũ Antuerpiense martyrol. & codices nostri conueniant, in Corbeiensi videntur restituendi alij sex, & legendum *cũ alijs xxvi.* præsertim quòd ita etiam retineãt Romanum M. Beda, & vetera mss. vt ibi notat Baronius, in quibus pariter Bardomianus, & Eucarpus in Asia martyres venerantur; sicuti ex Beda Galesinus, etiam indicauit. In pervetusto Kalendario Hieronymiano Can. Lucensiũ legitur vij. Kal. *Eucarpi, Marci*, Rabanus S. Firminum ita addit. *vij. cal. natale S. Firmini martyris. In Asia natale Bardomiani, Eucarpi, & aliorum xxvi.*

Et alibi Dep. S. Marci. Depositionis nomen videretur potius Marcum Confessorem signare quam martyrem, nisi etiam repositionem reliquiarum aliquãdo significaret, vt aliàs monuimus. An S. Marci Euãgelistæ hìc aliqua reliquiarum translatio memoretur non affirmarem. In Menologio Basilij Marcus martyr cum socijs infra 27. Septembris recolitur, ex Antiochia Pisidię Niceam adductus, ibiq. obtruncatus. Duo Marci Romani Pontifices veneratione parùm inter se distantes indicantur à Petro de Nat. lib. 9. cap. 23. & 24. An alter ex his esse potuit, qui hac die incerto loco recolitur? videantur, quæ infra ad Nonas Octob. adnotamus.

VI. Kal. Octobris.

ROmæ Via Appia. In Cimiterio Calisti depositio S. Eusebij Episcopi. Et in Albano natalis Sancti Senatoris. & in Sardinia natalis Sancti Luxori, & S. Magigni. Naboris. Faustini. *Aruernũ dep̃ Apollinaris.*

SEPTEMBRIS 26.

SAnctum Eusebium Romæ librarij errore, pridianas Tabulas cum hodiernis confundẽtis, exhibuit superiori die M. Vetustissimum, vti ibi adnotauimus, in quo tamen iterum Eusebius producitur alijs derelictis cælitibus, qui ex libris nostris, & Corbeiensi M. ad hunc ipsum diem pertinent. VI. Kal. *Roma Eusebij Episcopi* tantùm habet, sed alij subsequentes addendi ex superiori laterculo sunt, vt ita etiam legit M. Corbeiense. *VI. Kal. Octob. Romæ via Appia in Cymeterio Calisti, depositio Sancti Eusebi Episcopi, & Confessoris. Et in Albano natalis Sancti Senatoris, & alibi natalis Sancti Magigi, Naboris, Faustini. Et in Sardinia natalis Sancti Luxuri Martyris. Aruernis depositio Apollinaris Episcopi, & Confessoris.* Mirum quòd Vetustius nostrum Martyrolog. in libris nostris Romæ S. Eusebium Episcopum tanquam martyrem recolat cum M. Vetustissimo vj. Nonas Octobr. hìc vero depositionis adhibito nomine videatur cõfessorem asserere. Luitprandus, seu quisquis sub eius nomine vitam Pontificum Romanorum scripsit, de Eusebio tanquam de Confessore videtur loqui, dum nulla martyrij mentione inducta, inquit, *Qui 6. Nonas Octobris migrauit ad Dominum.* Consimilia habet Abbo Floriacensis. *Qui etiam sepultus est in Camiterio Calisti via Appia VI. Nonas Octobris.* Quod pariter confirmat liber Pontificalis Damaso tributus, &

notatur etiam in Hist. Pontificali ms. hedina Canonic. Lucensium. At Romanū M. natalem S. Eusebij Romani Pontificis recolit hac die 26. Septembris, cui consentire animaduertit Baronius Adonem, & vetera mss: illius tamen Ado revera non meminit, sed Appendix cum Adone Mosandri permixta, quo vsus est Baronius his verbis. *Romæ via Appia in cœmeterio Callisti depositio S. Eusebii Episcopi, & Confessoris.* Confessorem etiam vocat Bellinus de Padua. Sed ita apertè non dicitur in Romano martyrol. emendato, quinimò Maurolycius eundem apertè martyrem vocat hac eadem die. *Romæ S. Eusebij Papæ, & martyris sub Maxentio, vel Galerio.* Is in præfatione ex antiquis martyrologijs accipere profitetur. Ita etiam Petrus de Natalibus Eusebium primum Papam martyrem vocat lib. 9. cap. 123. & subdit. *Hic S. Pontifex pro Christi nomine martyrio coronatus est sub persecutione Constātini antequam fieret Christianus.* Dissonat ab alijs in loco sepulturæ: asserit siquidem S. Eusebium sepultum iuxta corpus B. Petri in Vaticano vi. Kal. Octobris. Galesinus hæret, an martyrē affirmet, vel confessorem, & ad hanc diē in martyrol. Confessorem, in Notationibus martyrem dicit; omnibus vero adductis Vetustius, fragmentum Bucherij, ita ad hanc diem memoriam S. Eusebij signat in cœmeterio Callisti. *vi. Kal. Octobris. Eusebij in Calisti*, subintellige cœmeterio. An qui ad diem vj. Nonas Octobris Eusebium reposuerunt, ex deprauato aliquo codice accipientes pro *vi. Kal.* scripserunt *vi. Nonas?* An ex eo, quod nūc veluti, confessor depositus dicitur, illic tanquam martyr paucis interpositis diebus veneratur? De duplici Eusebio Romano Pontifice dubitari potest, quemadmodum Marcum duplicem exhibet Petrus de Natalibus, vt esterna die indicauimus. Sed nihil addendum sine vehementi ratione putarem. Viuens enim Eusebius persecutionis tempore, aliqua pati pro fide potuit, licet per mortem agonem non compleuerit. Ita strictissimè confessor, & martyr etiam dici meruisset: qui enim in tormentis confitentes Dominum fidem nostram testati sunt, reuera martyres dici possunt, licet in pace quieuerint, vt alibi ex D. Cypriano adnotauimus.

In Albano. Albani habet M. Romanum hoc ipso die; Vsuardus *Albano ciuitate*; Appendix ad Adonem, codices nostri, & M. Corbeiense in Albano: *Ciuitate Alba* Bellinus de Padua: *ciuitate Albana* Maurolycius, Petrum de Natalibus sequutus. Longè ab his distat martyrol. Vetustissimum, quod S. Senatoris memoriam recolit *In Caballono.* Cabilo Æduorum vrbs, quæ Cabillonum, & Cabillonia ab antiquis dicitur, nullum præfert apud Sammarthanos Senatorem confessorem. Cum ergo expressè in aliquibus Martyrologijs Albanæ Vrbis nomen addatur de Ciuitate Alba Latij ab vrbe Roma sex circiter milliaria distante, intelligendum videtur, cuius Episopalis titulus, & rudera tantum supersunt. Albanum Castrum ex ruinis eius, vt ferunt, cōstructum perstat adhuc, vini fama celebre. Erat etiam Albanopolis, siue Albana vrbs in Macedonia Metropolis, seu Albania, & aliæ plures, siue vrbes, siue Castra Albæ nomine apud Geographos inueniuntur: Sed sine alio adiectiuo in Ecclesiæ Occidentalis martyrolog. vix præter oppidum Albanum Latij, alia vrbs videtur accipienda. Verūm, vt Baronius fatetur, nulla Albano, aut finitimis locis S. Senatoris martyris memoria restat: neque apud Ferrarium in catalogo SS. Italiæ; quamuis ex Vsuardo, & Tabulis Ecclesiæ S. Marci in Calabria S. Senatorem martyrem, Angintani in Brutijs cum fratribus Viatore, & Cassiodoro, ac Dominata matre mense Septembri recolat die 14. Saussayus in supplemento Gallicani M. vj. Kal. Octobris. *Apud Albanum Gallia Narbonensis oppidum S. Senatoris Confessoris* meminit, nec amplius addidit; vnde verò acceperit, & quare confessorem

voca.

vocauerit me latet, nisi ex Maurolycio, id mutuatus sit, qui *Ciuitate Albana*, non oppido, *S. Senatoris Confessoris* natalem hac die indicat. Apertè quidem martyrem habet Petrus de Nat. lib. 11. n. 261. *Senator martyr in Ciuitate Albana passus est vi. Kal. Octobris*. Quod cum ex vetustissimis Martyrologijs, præsertim Sancti Hieronymi accepisse profiteatur initio illius cap. 130. consonantibus etiam libris nostris, & Corbeiensi, probandum magis videtur.

In Sardinia. S. Luxorii in Sardinia memoriam dedimus ad diem 21. Augusti, est Ioanne Arca. Vitam eius indicauimus, etiam à Mombritio scriptam: hìc nihil addendum habemus, nisi quod celebritas hæc repetita fortasse esse potuerit ex translatione aliqua reliquiarum à deserto loco Ferongiano, vbi capite trũcatus fuit, ad vrbẽ Calarim in Monasteriũ S. Luxorij: vel ex dedicatione Basilicæ, cuius idem Arca meminit de SS. Sardiniæ lib. 1. tùm in vita S. Luxorij, tùm in alia sequenti SS. Caselli, & Camerini. Videãtur etiam quæ habet Ferrarius de Translatione S. Luxorij, & duorum sociorum è Sardinia Pisas, in cuius Cathedrali Ecclesia festum agitur die 26. Augusti. In Appendice tamen ad Adonem sine socijs, hac eadem die vj. Kal. Octobris *In Sardinia natale S. Luxorij* memoratur. Anceps hìc fui, an qui sequuntur in codicibus nostris martyres Magignus, Nabor, & Faustinus S. Luxorio essent tanquam socij succenturiãdi; sed alios incerto loco *alibi* martyres esse me docuerunt Martyrol. Vetustissimum, disertè à Sardinia eosdem distinguens, & Corbeiense, quod non modo per aduerbium *alibi* ab alijs locis distinguit, sed Luxurio Sardo martyri, seu Luxorio præponit. Horum tamen nomina varia sunt: qui enim Magignus in libris nostris dicitur, & Migignus in Corbeiensi, Nigenius est in Antuerpiẽsi, cui Nabor est Nabrotus.

Aruernis. S. Apollinarem Romæ martyrem coronatum ex ms. exhibet hac die Galesinius, qui tamen depraua-tos codices habuit. Sed Aruernis constanter, tam M. Corbeiense, quam Antuerpiense S. Apollinarem Episcopum tribuunt. Hunc Saussayus in catalogo SS. Galliæ inter cælites numerat, qui proprias historias, & natalem non habẽt, & Adonem adducit, defunctum esse docentem 6. Kal. Octobris. Verùm in eius Appendice, non apud Adonẽ prostat, ubi Episcopum fuisse additur, sicuti in martyrol. Corbeiensi Episcopus, & Confessor dicitur: Episcopus tantùm in Antuerpiensi. In Tabulis apud Damocharem xxi. Episcopus Aruernensis scribitur. Apud Sammarthanos Apollinaris decimus quintus [Claramontẽsis, siue Aruernensis Episcopus addita nota Sãctitatis describitur, quamuis in verbis ex Gregorio Turonensi adductis malè ex Episcopatus ambitu videatur audire. Veritus quapropter essẽ, ne potius hìc Apollinaris Sidonius Episcopus, & doctrinæ fama clarus veneraretur, qui in adducto à Sammarthanis epitaphio Apollinaris dicitur, & ab Ecclesia Aruernẽsi sanctorum albo ascriptus colitur, nisi ad Dominum migrauisse 12. cal. Septẽbris, ijdem ex Sirmondo, & eodem epitaphio docerent. Episcopalis dignitas in libris nostris prætermititur. Meminit tamen Apollinaris Episcopi etiam Ferrarius in Catalogo Generali vj. Kal. Octobris, sed ex Adonis Appendice, & Damochare.

V. Kal. Octobris.

IN Cesarea Cappadociæ natalis Sancti Eleutheri. In Tarso Ciliciæ natalis Sanctorum Taraci, Probi, & Andronici. Ad Acia Ciuitate natalis

Sanctorum Cosme,& Damiani martyrum. In Effuso natalis Sancti Tymothei discipuli,ad quem Paulus epistolas scripsit. In Territorio Educ Ciuitate natalis Sancti Florentini.

SEPTEMBRIS 27.

IN natali vrbe Eleutheri conuenit cum libris nostris martyrol. Antuerpiense, non ita in reliquis, ut conferendo patebit. Ita enim illius hodiernæ Tabulæ retinent. *V. Kal. Octobris. In Cæsarea Cappadociæ natalis Eleutheri, & in Byzantio Cosmæ, & Damiani, & in Tarso Ciliciæ Taraci, Probi, & Andronici Ciuitate Egæ Romani martyris. In Epheso Timothei. Edua ciuitate natalis Florentiani.* Vberius, quam libri nostri, ab his alioquin non dissonans, ita legit martyrol. Corbeiense. *V. Kal. Octob. In Cæsaria Cappadociæ natalis S. Eleutheri. In Tarso Ciliciæ SS. Taraci, Probi, & Andronici, Iustini. Adacia ciuitate natalis SS. Cosmi, & Damiani martyrum. In Epheso natalis S. Timothei discipuli Pauli Apostoli. In territorio Augustodunæ ciuitate Sancti Florentini, Siluani, Firmi.*

Eleutheri. De S. Eleutherio milite cum alijs innumeris Nicomediæ coronatis agit Romanum martyrol. cum Beda, Vsuardo, & Adone ad diem secundã Octobris, ubi aliqua congerit Baronius. In Appendice uerò ad Adonem hac ipsa die V. Kal. Octobris legitur. *In Cæsarea Cappadociæ S. Eleutheri.* Vnde cum ex fide horum plurimorum codicum S. Eleutherius hac die veneratus,non Nicomediæ, sed Cæsaræ constanter tribuatur, alius esse uidetur à Nicomediẽsi: præsertim cũ Cæsariensi nulli socij, Nicomediensi innumeri ferè tribuãtur. Eleutheri celebris martyris meminit Theodorus lector in collectaneis, an verò Cæsariensis, uel Nicomediensis fuerit non exprimit. De S. Eleutherio ex Tabulis Græcorum Cæsareę in Cappadocia sub Adriano Imperatore agit Ferrarius ad hanc diem,& vitam,& passionem apud Lipomanum extare docet in catalogo Generali. Surius ad hanc diem non retulit. De Græcis fides sit penes illum, cum neque in Menologijs, neque in Calendario Græcotum hac die mihi compareat.

In Tarso Ciliciæ. Quinquies in Vetustiori nostro M. Taraci, Probi, & Andronici memoria agitur, nempe die v. Aprilis. xiij. Maij. xxvij. Septembris ix. & x. Octobris. Varias in celeberrimis martyribus solemnitates, varijs in locis translatas reliquias, plures Basilicarum dedicationes parere potuisse non est difficile. Videnda quæ ad illos dies adnotauimus. Die v. Aprilis vniuersim in Cilicia eorundem natalis exhibetur, xiij. Maij in Palestina, hac die pressius in vrbe Tarso. Iterum in Cilicia 9. Octobris. Alibi incerto loco, vel in Africa die x. eiusdem mensis. Longiora SS. martyrum certamina, partim apud Tharsum Ciliciæ, partim Mopsuetiæ, vt habet Menologium Basilij, varios etiam natales parere potuerunt. Sed magis vt diximus ad diem v. Aprilis, vbi eorundem consummati martyrij diem fuisse adnotauimus ex Actis Consularibus xj. Octobris, quando nulla in Vetustiori nostro corũdem extat memoria.

Ad Acia ciuitate. Vnica voce locum signat M. Corbeiense, & *Adacia ciuitate* scribit, in libris nostris diuiditur, & proposito *ad* seiunctim scribitur, *Acia* verò maiuscula littera in capite signatur. Martyrologium Romanum cum Beda, Rabano, Vsuardo, Adone, & Notkero apud Ægeam, siue Ægeæ natalem SS. Cosmæ,

Cosmæ, & Damiani recolit, quæ Naualе Ciliciæ est, & vrbs Episcopalis sub Archiepiscopatu Anazaberno. Hæc etiam vrbs patria eorum dicitur in Actis Metaphrastis apud Surium, ibique passi referuntur sub Lycia Præside hac ipsa die 27. Septembris, germani fratres, ex venerabili matre Theodora geniti. Ægeã Ciliciæ vrbẽ, quamquam plures cognomines ab Ortelio indicentur, explicat SS. Cosmæ, & Damiani patriã fuisse Ferrarius in Topographia Martyrologij Romani. Sed mirum, quod etiam si apertè Ægeæ nati dicantur, se esse Arabes his coram iudice verbis SS. martyres profiteantur. *Nos si vis scire Arabiæ prouinciæ ciues sumus*. Agiæ in Sicilia legit Saussayus hac ipsa die, sed minus Arabiæ commodum nomen. Vetustissimum Antuerpiense M. forte vt ambages vitaret, locum eorundem veneratioui dicatum Byzantium pro Ægea reddit, non natalem. Vnde coniectari subijt locum potius Arabiæ designari, qui minus fortasse corruptè in libris nostris indicaretur *ad Asia* nempe pro *ad Acila*. Acila emporium est Arabiæ regionis Plinio, & Acila Straboni in Arabia Felice promontorium, ubi nasci potuerint martyres, & quia in Ægea Ciliciæ passi deinde fuerunt is, qui acta concinnauit, facile Acilam, naturæ patriam cum Ægea, natali martyrij confudit. Erant hi SS. martyres gratuiti, siue Anargyri Medici, qui circum euntes ciuitates, & prouincias ægrotos curabãt, vt in Actis sincerioribus dicitur apud Metaphrastem, & in vetusto Hagiologio nostro ms. Vidit Baronius varia horum SS. martyrũ Acta erroribus, & implicationibus referta, quæ si quis tueri uelit, alios Cosmã, & Damianũ constituere necesse habeat. Fateor me quoq. in varia distractum, neque prorsus benè de sincerioribus sentientem apud Surium ex Metaphraste, melius verò de nostris in quibus nihil de munere Palladiæ, aut Camelo loquente legitur, nullas hìc addere notationes cogitasse, sed Menologium, quod Basilij dicitur vires addidit, & in viam quadantenus, reuocauit. In hoc Menologio ex interpretatione Petri Archudij non modo duo diuersi Cosmæ, & Damiani proponuntur, sed tres, omnes Medici Anargyri, & gratuiti: Græci nempe, Arabes, & Romani. Hos Acta etiam, quæ oculatissimus Baronius sinceriora putauit, confudisse apparet. Adferre autem hìc libet integra quæ Menologium illud habet ad diem xvij. Octobris. Titulus est. *Eodem die, certamen Sanctorum Anargyrorum Cosmæ, & Damiani, fratrumq. illorum Anthimi, Leontij, & Euiropÿ*: eorum verò Elogium ita sequitur. *Tres sunt Sanctorum Anargyrorum coniugationes, quibus & eadem Cosmę, & Damiani nomina fuerunt, & Medicinę artem tractauerunt, & Anargyrorum cognomen habuerunt: fuerunt enim alij Theodotæ pientissimæ faminæ filij, qui vita quieta perfuncti in loco Pheremon nomine sepulti sunt. Alij qui cum Romæ degerẽt, præceptore inuido vsi, per dolum ab eo in montem per simulationem legendi herbas deducti, lapidibus obruti sunt. Alij de quibus nunc nobis institutus sermo est Arabes fuere, qui terrarum orbem peragrantes gratuitam morbo aliquo laborantibus operam præbebant. Diocletiani verò temporibus in Ciliciam profecti, & comprehensi sistuntur Lysiæ duci, quos variis affectos supliciis capite damnauit, & tres, qui eos prosequebantur fratres, Anthimum, Leontium, & Eutropium*. De Primis, seu Græcis, qui in pace quieuerunt, & quorum acta contentionem de tribus ouis, & humana voce loquentem Camelum, habent, à Baronio explosa, idem Menologium agit calendis Nouembris; qua die in Menologio Canisij hæc tantum verba notantur. *Commemoratio SS. Cosmæ, & Damiani filiorum Theodoræ Asianæ mulieris*. De Romanis, an aliquid in Menologio Basilij contineatur, prodendũ relinquo his, ad quos integrum illud peruenerit, cum editum ab Vghellio viro celeberrimo, & amico nostro ad calcem To. 6. Italiæ sacræ

eræ nonnisi sexmenses à Septembri cõtineat; sed quod apertè legitur in Menologio Canisij Kal. Iulij, id apprimè confirmaret *Mẽsis Iulij die primo. Certamen SS. martyrum Cosmæ, & Damiani, qui Romæ* (videtur desiderari *passi*) *sunt sub Carino Imperatore. Hi cum Medicinæ artis essent periti, non aliam curationi mercedem, quam in Christum fidem, & confessionem recipiebant.* Hæc magis vtique accomodata causa martyrij est, quam præceptoris inuidia; nisi ad necem ab illo in montem ducti, ibi à sacrilegis, & infidelibus in odium fidei, & quòd Christi fidem pro mercede exigerent, lapidati fuerint. Sub Carino quidem, & Numeriano persecutionem Romæ viguisse pluribus historijs probat Baronius ad annum 284. De Arabibus Menologiũ Basilij agere profitetur die illa 17. Octobris, qua die pauca hæc indicat Menologium Canisij. *Sanctorum fratrum Cosmæ, & Damiani, Leontii, Anthimi, & Eutropij.* Omnes quidem fratres fuisse docent, etiam sinceriora Acta in Hagiologio pervetusto nostro. Cum vero hìc de fratribus, Leontio, Anthimo, & Eutropio, siue Euproxio non meminerit martyrologium nostrum, ansam præberet dubitandi, qui nam ex SS. Cosmæ, & Damiani nomine venerentur. Romani enim martyres saltẽ cũ Asianis non sunt confundẽdi, quòd hi in pace quieuerint: illi martyrio coronati fuerint. Martyres hìc expresse vocantur venerati hac die Cosma, & Damianus, & cum Aciæ ciuitati tribuantur Arabes existimarem eqùe martyres, & quos in eorum Actis agonem compleuisse narratur die 27. Septembris. Hac etiam die Romanos recoli consueuisse, docere videntur Vetus Fronti calendarium, in quo eodẽ die notatur *Natalis SS. Cosmæ, & Damiani*, & Sacramentarium S. Gregorij, in quo pariter v. cal. Octob. eorum celebritas adnotatur, & in orationibus iterata memoria martyres dicuntur. His Ecclesiam Romæ dicatam fuisse facilius est credere, quam exteris, cuius meminit Bibliothecarius in vita Felicis quarti, & Ioannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. 1. Quam verò Bizantij ædificauit Ecclesiam, miraculo sanatus Iustinianus sãctis Anargyris ex Procopio lib. 1. de Ædef. Iust. probabilius est Asianis confessoribus dicatam fuisse, quam Romanis, & in illorum memoriam, siue Ecclesiæ dedicationem martyrol. Vetustissimũ Byzantio tribuisse existimarem hoc die natalem SS. Cosmæ, & Damiani. Subijt autem ex Procopio suspicari, an locus Ægeæ in omnibus martyrol. ferè indicatus idem esse potuerit, cũ Ecclesia illa magnificè extructa ad sinum Ægeum. Ita enim Procopius dũ Ædificium Iustiniani SS. hisce martyribus dicatum describit. *Duo maria vicina sunt vrbi* (Byzantio), *Ægeum, & Euxinum. Confluunt ad Orientalem plagam vrbis, & confluxu mista vrbẽ per circuitum exornant.* Sinũ maris pluribus ędeficijs exornatũ, Ecclesijs præcipue, reddidisse Iustinianũ, prosequitur docere Procopius, qui *Circa finus terminum in arduo satis, & edito loco SS. Cosmæ, & Damiano olim templum dedicatum* fuisse narrat. Hoc ex impolito, & indigno tantis cælitibus, pristinã structurã immutãdo, magnitudine, & fulgore dignũ templũ Iustinianũ illustrauisse addit. De SS. Anargyris filijs Theodotæ extate gregiũ Gęorgij Metropolitę Nicomediẽsis encomiũ à Combefisio latinitate donatum, & editum To. 1. Auctarij magnæ Patrum Parisinæ Bibliothecæ, in quo Theodotam quoque matrem cœlitibus ascriptam asserit; in eo tamen elogio eos martyres appellatos nõ inuenio, vnde de SS. Cosma, & Damiano Cõfessoribus Asianis dictum esse encomium illud putarem, quamuis Combefilius in notis BB. martyribus ascribat. Mirandũ autem non est, diem hũc tùm Arabibus, tùm Romanis Anargyris martyribus dicatum fuisse; quando enim Acta manifeste confunduntur, facile fuit, & diem venerationis immutari. Mirum quidem est triplici tempore, triplici loco, & in eadem arte versantes, eodem nomine donatas

donatos fuisse fratres Medicos,& Anargyros. At, exemplo aliorum seniorum, siue martyrum,siue confessorum Cosmæ & Damiani nomine, alios etiam in amplum charitatis munus gratuitæ medicinæ incubuisse,& sicuti celebriorum, & seniorum exemplum, ita & nomen superaddere voluisse, quid vetaret? Quid enim pietatis, & veræ charitatis officiũ emulare pressiùs potest, quam gratuitæ, & sine auro medicinæ mercedem petere, Christo nomen dare,& ægrotos Christo lucrari; vt de Romanis dicitur,quos vetustiores esse Arabibus patet, cũ illi sub Carino,& Numeriano passi dicantur, hi sub Diocletiano. Asianos etenim sub Theodota matre Christiana,& pientissima, munus Anargyrorum suscepisse, & in pace tandem quieuisse magis Ecclesiæ pacem sapiunt, & recentiora tempora post sedatas persecutiones. Ægas vt diximus, siue Ægeæ SS. Cosmam, & Damianum martyres non agnoscit M. Vetustissimum, sed in hac vrbe Romanũ martyrem recolit, quem prætereunt libri nostri,& M. Corbeiense; nisi is sit, cuius primo loco memoria agitur in Menologio Canisij ad diem 18.Nouembris, non indicato passionis loco præterito etiam in Menologio Basilij.

In Effuso. Legendum esse Ephesi,seu in Ephesso ita clarum est,vt tempus terere non expediat. Diui Timothei Episcopi Ephesini,& D. Pauli discipuli celebritas signatur in Romano M. die 24. Ianuarij, vt ibi notat Baronius cũ cæteris latinis eadem die. Sed Molanus quidem in additionibus ad Vsuardum agit de Timotheo die 24. Vsuardus vero, & Beda die 22.Ianuarij. Idem Molanus ex Sigiberto de vlris illust. cap.3. Policratem S. Timothei discipuli Pauli Apostoli vitam scripsisse addit, quem Policratem presbyterum vocat Petrus de Nat.lib.3.c.17 dum ex eo strictim vitam contexuit. Vnde suspicari liceret, D.Hieronymum, & Eusebium de eo non meminisse, quod miratur Baronius, si Polycrates ab Eusebio, & Hieronymo memoratus Episcopus fuit Ephesinus, non tantum presbyter, vt titulus ille præfert. Listris ciuitate Lycaonis ortum traditur in Actis ijsdẽ à Paulo Apostolo Ephesi Episcopum ordinatum,Ioannis Euãgelistæ auditorem,& eius in exilio Vicarium fuisse narratur: quem,dũ gẽtiles à festo Dianæ prohibere nitiretur,furẽte populo addũt, fustibus, & lapidibus fuisse mactatum 9.Kal.Februar.& Ephesi sepultum.Consimilia Acta habet Photius in Bibliotheca n.254. nullo indicato auctore. Claua tamen interfectus dicitur, quod prohibuisset Ephesos execrãda Gentiliũ festa, & ludos agere sub Domitiano. Ex hac historia habetur reuocatũ sub Nerua S. Ioãnem Apostolo ab exilio, Ephesinæ post Timotheũ sedi præfuisse, & per se, cũ septẽ Episcopis Ephesiorũ diœcesim rexisse vsq.ad Imperiũ Traiani.Catagociũ Ephesiorũ festum illud ibi vocatur, quod abrogare tẽtauit Timotheus,quia indecorus ludus maxime erat,vt ibi pingitur.Quo die celebraretur præteritũ esse doleo:inde enim tẽpus passionis nõ difficile fuisset haurire.Sin autẽ vera sũt, quę Petrus de Nat. habet de die passionis, & quòd hãc ex Polycrate exceperit,festus Timothei dies hic adnotatus facilius esset alicuius trãslationis.Quãquam enim 8. cal.Iulij translatas eius reliquias Cõstantinopolim doceat Theodorus lector lib.2. collect. Menologium tamen Canisij videtur indicare die 22.Ianuarij ipsius solemnitatẽ Constantinopoli celebrari; qua die martyriũ eius complectitur Menologium Basilij, quando in ipsa Ephesina porta confectum scipionibus, & sepultum S.Timotheum refert.

In Territorio Æduæ. S. Florentium martyrem *V.Kal. Octobris*, ita refert Hagiologium vetus Franco Galliæ Lebbei. *Castro Seduno S.Florentij martyris*.Appendix ad Adonem non indicato loco Florentinum, cum libris nostris ita v. cal. profert. *Eadem die S.Florentini martyris*.Florentium tamen vocat Saussayus & ei comitem in martyrio addit Hilarium, quos castro Seduno ad Rhodanum

num, abſciſſis primum linguis mox capitibus triumphauiſſe ſcribit; ſed Auguſtoduno preſſiùs ſanctos Florentinum, Siluanum, & Firmum exhibet M. Corbeienſe, quod à noſtris non diſſentit. Auguſtodunum enim Æduorum primaria vrbs Ædua etiam Geographis dicitur, vnde Florentius, & Hilarius Sedunenſes in Heluetia alij eſſe viderẽtur à Florẽtino Auguſtodunenſi, & ſocijs. S. Florentiũ, martyrium paſſum ſub Vvãdalis, rexiſſe Eccleſiam Octodorenſem circa annum 411. notant in 2. Epiſcopo Sedunenſi Sammarthani. Illorum meminit Vſuardus in Caſtro Seduno, nempe Florentini, & Hilarij, ſed Florentiũ vocat M. Romanũ, & cũ Hilario Seduni in Gallia, eo tempore paſſum habet, vt ibi notat Baronius, quo Vandali in Gallias irruperunt. In Gallijs Caſtro Seduno eorũ meminit Petrus de Natal. lib. 8. cap. 122. ex Adone, cum S. Florentij martyris tantùm memoria in eius Appendice inueniatur. Vidit Mauolycius differentiam fortaſſe in Vetuſtis martyrologijs, & Sedunum cum Auguſtoduno, ita miſcuit. *Caſtro Seduno prope Auguſtodunum SS. Florentij, & Hilarij ſub Croco Vandalorum rege.* Martyrologium Vetuſtiſſimũ libris noſtris conſonat in loco paſsionis, dum parum varium in nomine Florentianum exhibet Æduа ciuitate. Hunc Vetuſtiori martyrol. noſtro ab antiquario Gallico ſuperadditum putarem, non minus, quam Adoni exiſtimauerint Moſander, & Roſueydus.

IIII. Kal. Octobris.

IN Africa natalis Sanctorum Martialis. Laurenti. Gurgili. Marij. Fauſtini. Victoris. Candide. Variæ. Longere. Celerine. Donate. Leæ. Lucioſæ. Emili. Gagili. Placedi. & aliorum xx. Longe. Victoriæ. Priſce. Romæ natalis Stactæ. *Antiſiodoro depoſitio Sancti Alodi Epiſcopi. Ciuitate Genua in Gallia dep̃ S. Saloni Ep̃i.*

SEPTEMBRIS 28.

REpetita Romani martyris veneratio in martyrologio Vetuſtiſſimo Antuerpienſi ſuſpicionem mouere potuiſſet, ne in fronte hodierni Indiculi ab incurioſo antiquario poſitus fuiſſet Stacteus, quem libri noſtri poſt Africanos martyres venerantur, ſed nomen aliquantulũ diuerſum eſſe animaduerto, & Sterteum primo loco produci, Stacteum verò poſt martyres Africanos: vnde diuerſos eſſe martyres ſuſpicari potius libuit, & Sterteum deficere in libris noſtris, & martyrol. Corbeienſi, quod ab Africanis martyribus ita exorditur. *IV. Kal. Oct. In Africa natalis SS. Laurentii, Fauſtini, Victuriæ, Candidæ, Valeriæ, Donatæ. Leæ, Lucioſæ, Gagili, Placidi, & aliorũ multorum, Longini, Victuriæ, Priſciniani. Romæ natalis S. Stactei. Genua ciuitate depoſitio Saloniі Epiſcopi, & Confeſſoris.* Redundat quidem martyrol. Vetuſtiſſimum, in Africanis martyribus, numero, & ordine: quod non minus ſuadet, Sterſeum à Stacteo eſſe diuerſum, quam ex eodem fonte, libros noſtros, non proceſſiſſe conuincat. *III. Kal. Oct. Romæ natalis Sterſei. Et in Africa Marcialis, & aliorum xx. Leui..... Longæ, Secundæ, Valeriæ, Donatæ, Leæ, Lucioſæ, Emili, Gageli, Placidi, & aliorum xx. Item Longæ, item Victuriæ, Priſci. Romæ S. Stactei. Antiſiodoro Elodi Epiſcopi. Genuæ ciuitate Saluini Epiſcopi.* Aliũ eſſe Sterteum,

Sterteum, alium Stacteum Romanos martyres difficile est decernere, cũ alibi diuisi non inueniantur. Rabanus iv. calend. exhibet. *Romæ natale Stactei, & in Africa Martialis, Laurentij, & aliorũ xx.* Ferrarius in catalogo SS. Italiæ ad hanc diem fatetur apud Bedam Sterteum legi, apud alios Stateum, & in Romano M. Stacteum, vti etiam apud Vsuardum. Oculatissimus Baronius Sterteũ, & Stacteum pro vno martyre accepit, dum de eodem sub Stactei nomine meminisse docet Bedam, Vsuardum, & recentiores, & si in nomine re vera dissideant. At cum nihil de ijsdem præter nudum nomen, & locum passionis compareat difficillimum est decernere. Aliquam tamen differentiam addũt Petrus de Natalibus, & Maurolycius ex vetustis, vt profitentur, martyrologijs. Alter lib. 11. n. 262. ita de Stacteo. *Stacteus Confessor Romæ quieuit iij. Kal. Octobris.* Maurolycius verò Episcopum etiam fuisse docet. *Romæ S. Stactei Præsulis.* Non solũ ergo nomine apud aliquos Stacteus à Sterteo esset diuersus, sed officio; si ille Episcopus fuerit, hic martyr tantum. Sed Stacteus etiam martyr dicitur in vita B. Rabani apud Bollandum cap 4. quando Fuldam cum alijs reliquijs maximam de eius cineribus partem fuisse translatam narratur. At quia nomina facilius potuerunt confundi, leuiores coniecturæ litem non dirimunt.

In Africa. Quamuis in tres classes Africanos martyres diuidat M. Vetustissimum, & in anonymis supra cæteros codices abundet: vberius tamen in exprimendis SS. martyrum nominibus M. nostrum hic agnoscimus. In prima classe illud Martialem antesignanũ præfert cum anonymis xx. Laurentium præterito Martiale ducem constituit M. Corbeiense, & primi ordinis decem martyres nominatim exprimit; prætermittit tamen Gurgilium, Marium, Longesam, siue Longam, Celerinam, & Emilium in nostris libris signatos, & pro Victore Victoriam aptius legit, sicuti pro Varia Valeriam, & pro xx. anonymis alios multos sine nomine complectitur. In secundo verò ordine, qui tertius in M. Antuerpiensi obseruatur, vbi libri nostri tres mulieres martyres indicant, Longam, Victoriam, & Priscam, Longinum, Victuriam, & Priscinianum retinet martyrol. Corbeiense: & Longam, Victoriam, & Priscũ martyrol. Antuerpiẽse. In hoc secunda classis à mutilato Laurentij nomine exorditur, bis anonymis xx. additis. Si ergo ex quatuor codicibus Africani omnes martyres essẽt, vt coniectari licet, ita ordinandi in sacris fastis, & restituendi essent. *In Africa Martialis, & aliorum xx. Laurenti, Secunda, Gurgili, Mari, Faustini, Victorię, Candida, Valerię, Donata, Lea, Luciosa, Emili, Cagili, Placidi, & aliorum xx. Itẽ Longæ, Item Victorię, Priscæ.* Ex his omnibus ita collectis, & si placet correctis, Romanum M. & Beda non nisi Martialẽ, & Laurentium cum anonymis xx. recolit, quos magnus Baronius putat sanctos illos esse, qui in epistola Luciani 21. in operibus S. Cypriani extant: Fluctuat tamen, an Laurentius idem sit, ac Laurentinus, cuius idem Cyprianus meminit ep. 34. sed an reliqui re vera ijdẽ sint, neq. nos decernimus; imò diuersos esse suspicamur, cũ plures alij, qui in epistola Luciani recẽsentur, hìc omittãtur, & ex pluribus nominibus hic signatis, non nisi Martialis, & Victor conueniant, quẽ Martialem, & Faustinum diuersos à Fausto, & Martiali Cordubensibus, in alijs martyrologijs memoratis, omnino putarem. An Celerina auia sit Celerini Diaconi, cuius martyrio attestatur Sanctus Cyprianus ep. 34. pariter nõ decerno; cum potius eam esse coniectauerim, cuius memoriam egimus ad diem 3. Februarij.

Antissiodoro. Ex Abbate S. Germani Auctissiodorensis Episcopi successorem Saussayus habet Allodium, siue Alodium, quem Gallicus antiquarius Vetu-

ſtiori martyrol. adiecit. Hac die iiij. eal. Octobris deceſſiſſe, & floruiſſe temporibus Leonis Magni, atq. Hilarij Romanorum Pontificum habet Hiſt. Epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap. 8. & octauum Epiſcopum Autiſſiodorenſem numerant Sammarthani, qui de eius Allodij vita librum extare teſtantur.

Ciuitate Genua. S. Salamonem Genuæ Epiſcopum refert hac die martyrol. Romanum cum Bellino, Maurolycio, & Galeſinio, quem diuerſum putat à Salonio in Gallijs Epiſcopo, S. Eucherij coæquo, Baronius. Huius nempe Salonij, & Genuæ, ſiue Geneuæ in Gallia depoſitionem recolit martyrol. noſtrum cum Corbeienſi, & Antuerpienſi, in quo Saluinus nuncupatur. Vetus Hagiologium FrancoGalliæ Lebbei poſtridie huius memoriam ita agit. iij. Kal. Octobris. *Ciuitate Ianuis S. Salonis Epiſcopi, & Confeſſoris*, hac tamen die Saloni Epiſcopi, & Confeſſoris Ianuia meminerunt Vſuardus, Appendix ad Adonem, & mſ. martyrologium S. Sabini de Leuitania his verbis. *In Gallia ciuitate Genua depoſitio S. Soleni Epiſcopi, & Confeſſoris*, duabus immutatis librarij vitio literulis pro Saloni, quemadmodum ita etiam vocat Rabanus. *In Gallia ciuitate Ianua depoſitio Saloni Epiſcopi*. Salamonis ad oram libri reſtituit Caniſius. Genuam pro Geneua Allobrogum, ſeu Galliæ Vrbe accipiendam eſſe non dubitarem. Salonium vigeſimum Epiſcopum Geneuenſem numerant Sammarthani, qui interfuit Lugdunenſi Cõcilio anno 567. & Pariſino 4. anno 573. nullo ſanctitatis ſuperaddito indicio.

III. Kal. Octobris.

IN Tracia Eutici. Plaudi. Placidi. Ambuti. Eraclie. Traciæ. Romæ milites vj. dedicatio Baſilicæ Angeli Michaelis, vel in monte, qui dicitur Garganus, vbi multa mirabilia Deus oſtendit, & alibi Soſi. Ianuarij. Ambuti. Celedoni. *Autiſiodoro depoſitio Fraterni Epiſcopi*.

SEPTEMBRIS 29.

HEracleæ, & Thraciæ cõmune nomen martyris, & vrbis, & martyris, & regionis ambages in hodiernis tabulis peperiſſe vereor. Eas ita exhibet martyrol. Antuerpienſe Vetuſtiſſimum. *III. Kal. Octobris. Ciuitate Eracla Eutici, & Plauti, & dedicatio Baſilica S. Michaelis. Eracla ciuitate Placidi, Ambodi. Romæ Saluatori, Poſſeſſi, Ianuarii, Ampli, Celedoni. Autiſiodoro Fraterni Epiſcopi*. In Corbeienſi verò vbi pro Eracla ciuitate Araclia martyr legitur, Thraciæ nomen regioni, & martyri identidem commune, nebulas ita offundit. *III. Kal. Octobris. In Thracia Eutici, Plauti, Placiti, Ambuti. Araclia, Thracia, Donata. Roma militum lxviij. Dedicatio Baſilicæ Archangeli Michaelis in Monte, qui dicitur Garganus. Et alibi Ianuarii, Soſii, Ampruni, Celedoni, Iuſtini. Autiſiodoro depoſitio Fraterni Epiſcopi*. Ex pluribus ſub Heracleæ nomine vrbibus primam, ſeu celebriorem eſſe Heracleam Thraciæ, quæ & Perinthus Plinio eſt, nemo ex Geographis ignorat. In hac vrbe, quæ ſine regionis additione, & ſine aſpiratione Eraclea dicitur in martyrol. Vetuſtiſſimo, & in libris noſtris, & Corbeienſi martyrol. in Thracia accipienda videtur. Duo tantum martyres Euticius, & Plautus in Vetuſtiſſimo illo codice

Hera-

Heracleoticæ vrbi tribuũtur,& interpositа S. Michaelis celebritate, iterum in eadem vrbe Eraclea Placidus, & Ambodus, tanquam diuersi ordinis martyres signari videntur. Sed Eraclia,siue Aracla, & Taracia, cõsueto ordine seruato, martyres essent in libris nostris; nunquam enim in eis postponi locum vbi passi sunt martyres obseruaui. Quia verò post Eraclam, & Traciam martyrol. Corbeiense, Donatam exhibet, & primos Thraciæ martyres Romanum martyrol. cum Beda, & Vsuardo, non Heracleæ, aut Perintho, sed vniuersim Thraciæ tribuit, & Heracleam martyrẽ facit, siue Eracletem, vt vocat Vsuardus, vel Heraclam, vt retinet Petrus de Natalibus lib. 11. n. 264. emendandum potius putaui M. Vetustissimum, & abrasa primo loco ciuitate Heracla,reponẽdum esse putaui, ex fide nostrorum codicum, & Corbeiensis, in Thracia. Si quis vero ciuitatis vocem retinere voluerit Aberam Thraciæ vrbem addere ex Maurolycio poterit, ac ita legere. *In Thracia Abdera Ciuitate Eutichii, Plauti, Heraclea*; Eutichium Episcopum ità loco adducto superaddit Petrus de Natalibus. *Eutichius Episcopus, Platus, & Heraclas martyres passi sunt in Thracia III. Kal. Octobris.* Profitetur initio cap. illius 130. Petrus de Nat. ex antiquis martyrologijs illa excerpere, præsertim Sancti Hieronymi, & ex vetustis pariter codicibus sua adnotare Maurolycius affirmat. Is Eutychium Episcopum, sed Abderitanum, vel Abderitæ in Thracia passum, & veneratum his verbis proposuit. *In Tracię ciuitate Abdera SS. martyrum Eutychii Episcopi, Plauti, & Heracleę.* Bellinus de Padua Episcopalem dignitatem Eutichio non tribuit, sed cũ Paulatio, & Heraclea in Tracia martyres veneratur. Platum, legit Beda, Plaudium libri nostri, Plautum quod vsitatius est nomen, MM. Antuerpiense, & Corbeiense. Igitur nè ex Thracia re non integrè absoluta discedamus, sequentes martyres Heracleæ in Thracia vrbi Metropoli assignandos esse putarẽ, vt habet M. Vetustissimum, & nominа duo Eracliæ, siue Aracliæ, & Thraciæ anteponenda in libris nostris,& M. Corbeiense hoc pacto. *Heraclię Thraciæ Placidi Ambuti, siue Ambodi*, & ex fide eiusdem Corbeiensis etiam *Donatæ*. Si quis autem Thraciæ vniuersim, & vnica classe Placidum, & Ambutum assignare velit, & stilo Vetustioris M. deinde addere. *Heraclæ Thracię, vel Thraciæ ciuitate Heraclea Donatæ*, non pugnabo,& per me licebit.

Romæ. Neque hìc inter adductos codices pacem componere facile est. Martyrolog. Vetustissimum nihil de Sotio habet,& Romæ quinque martyres tribuit Salutarem, Possessum, Ianuarium, Amplum,& Coledonium. Quatuor tãtum referunt codices nostri,partim prẽteritis, partim mutatis nominibus. Salutarem enim, & Possessium non exhibẽt; sed eorum loco Sosium, & pro Amplo Ambutum. Ita etiam cum libris nostris partim conuenit,partim dissentit martyrol. Corbeiense; addit enim Iustinum, & pro Ambuto Ampuniũ exhibet. At sicuti in hoc conueniũt codices nostri, & Corbeiẽsis,vt eos,quos Romæ Vetustissimũ tribuit, *Alibi* incerto loco assignẽt, & Romæ anonymos milites. In horum etiam numero valde distant: sextantum ex militari ordine tacitis nominibus martyres signant libri nostri: sexaginta octo M. Corbeiense. Vereor tamen nè ad Ianuarium, supra etiam veneratum, librarius hìc iterum S. Sosium Mesenatem Diaconum cum Ianuario Beneuentano Episcopo addiderit. Sed alium hũc esse Ianuarium putarem. Galesinius Sosium, & Ianuarium Antiochiæ hac ipsa die tribuit ex libro scripto.

Dedicatio Basilicæ. Basilicæ hìc nomine magna, augustaque Ecclesia accipienda nõ videtur. Etenim sacrũ antrũ Mõtis Gargani, quod impressis vestigijs S. Michaelis adhuc ab antiquo tempore veneratur, parua potius crypta, quam Basilica dici meretur; sed quia diuinitùs

addita, & dedicata est Ecclesia, simul cũ sacra spelunca, prodigiorum splendore coruscãs, rectè regia domus, & Basilica dici debet; sicuti etiam in Historia impressa Neapoli appellatur, & Legenda Principis Angelorũ in Mõte Gargano, ad Apuliæ fines se mortalibus manifestãtis, nũcupatur. Hæc iterũ edita apud Vghelliũ legitur Italiç sacrç T. 7. p. 122. Estat etiam ad finẽ mutila in Hagiologio nostro pervetusto, quæ tamen non legẽdæ nomine inscribitur, sed hac, Vetustiori Martyrologio consona, Epigraphe signatur. *III. Kal. Octobris. De Dedicatione Beati Michaelis Archangeli*. Refertur etiam integrè apud Surium To. 9. *& relatio dedicationis Basilicæ S. Michaelis, &c.* nuncupatur. In hac historia sacræ cryptæ Memoria potius appellatur. *Memoriam B. Michaellis Archangeli toto orbe venerandã, ipsius & opere cõdita, & consecrata nomine demonstrat Ecclesia, quæ non metallorũ fulgore, sed privilegio commendata signorum, vili facta schemate, sed cælesti est predita virtute.* Prosequitur ibi auctor narrationẽ ex libello in eadẽ Ecclesia, ut profitetur, posito: S. Archangelũ propria manu illam cõdidisse narrat in vertice montis, in saxo ad instar speluncæ præcauatã, & tũc prodigio detectã, cum insperata contra paganos victoria à Sipontinis obtenta, ab ipso S. Michaele, quasi humanis vestigijs altero signato spelunc æ septemtrionali ostiolo Ecclesia Apedanea est constructa. At dũ Sipontini de Victoria grati S. Michaelli auxiliatori aliã parant à Meridie Ecclesiã, B. Petro, ac Deiparæ Virgini dedicandã, additur dubiũ Episcopũ, & Populũ Romanum Pontificem cõsoluisse; & indicto ieiunio, prodigiosè auctam, & per porticum Septemtrionali Ecclesiæ iunctam conspexisse. Apparet Archangelus Episcopo, monetq. illum, ne Ecclesiam à se ædificatam, & dedicatam dedicare iterũ velit, sed tantũ monet, vt in altare iã parato sacra mysteria cum populo celebret. Cœlestis huius Basilicæ S. Michaellis in monte Gargani dedicatio videretur in martyrol. Vetustiori signari, nisi alium ad calcem eiusdem historiæ diẽ prænotari contingeret, addito etiam his verbis ad amussim tempore. *Anno à natiuitate quadringentesimo nonagesimo tertio octauo die mensis Maii inditione 14. facta est inuentio Cælestis Basilicæ mirifici, & gloriosissimi Principis Michaelis Archangeli in monte Gargano sedente Gelasio I. Beatissimo Romano Pontifice, ac Imperatore Zenone.* Sed præter quam quod, neque in Hagiologio nostro, neque apud Surium verba hæc prostant in fine historiæ illius, & ab insecto Chronologo videntur apposita, non Ecclesiæ dedicationem, eiusque memoriam signant, sed apparitionem eiusdem Basilicæ; quod minus congruit cum Romano M. in quo non Basilicæ, sed ipsius S. Michaellis prima Apparitio in monte Gargano celebratur, sub Gelasio Pontifice, eadem die 8. Maij. Patet autẽ non esse notam illam temporis à coæuo scriptore appositam, neque ab erudito Chronologo, quia Gelasius non tempore Zenonis Imperatoris sederet, sed Anastasij, vt notissimũ est. Vnde annus etiam à Sigiberto notatus 488. minus congruit, cum non ante annum 492. Gelasius sedere cæperit. Sin verò id euenisset anno 533. vt notatur in Chronico breui S. Vincentij Metensis, vbi ad annũ 533. legitur Inuentio cryptæ *S. Michaelis*, equidẽ sub Ioanne secũdo Pontifice prodigium illud accidisset. Sin verò, vt in chronico Sancti Michaelis in periculo maris, minoris Brittanniæ notatur, *Anno ab Incarnatione Domini DVI. facta est reuelatio B. Michaelis in Mõte Gargano sub Zenone Imperatore, & Gelasio Papa*, annus ille VI. esset immutandus in annũ VID. hoc est 494. vel proximum, & pro Zenone Anastasius esset reponẽdus, ut ibi notat Lebbeus T. 1. Bibl. Quidquid verò de anno, ac die apparitionis fuerit, qui in Vetustiori M. nostro nõ adnotantur, neq. in Corbeiẽsi, aut Antuerpiẽsi ad 8. Idus Maii cõsignãtur, certũ est hic de dedicatione

tione illius Ecclesiæ memoriã recoli,nõ modo quòd ita libri nostri disertè doceant, cum ijsdem martyrologijs Corbeiense, & Antuerpiense: sed quòd ita omnia ferè latinorum martyrologia pariter retineant. Et licet memoriam vocet Romanum martyrolog.emendatum, *quando ipsius* (S. Michaelis) *nomine ibi consecrata fuit Ecclesia*, quæ verba etiam sunt Vsuardi, & Adonis; apud Rabanũ, ramen III. cal. legitur *dedicatio Ecclesiæ S. Angeli Michaellis in monte Germano* (Gargano) & pariter *III. Kal. Octobris. Dedicatio Basilicæ S. Michaelis*, dicitur in sacramentario Gorgorij. Dedicationis verò hunc fuisse diem ex S. ipsius Archangeli reuelatione docet Petrus de Natal. lib. 9. cap. 130. & Romanũ Pontificẽ, auditis Apparitionis iteratæ prodigijs, in honorem S. Michaelis, & omnium Beatorum Spirituum hunc diẽ III. Kal. Octobris per totum orbem celebrãdum constituisse. Vvandelbertus tertio Kal. Octobris ab Archangelo sibi templum fuisse sacratum ita cecinit.

Æthereæ virtute potens, princepsq; superne
Militiæ Michael terno sibi templa sacrauit.

Dedicationem S. Michaelis celebrari sancitur inter Assumptionem S. MARIÆ, & natalẽ S. Remigij in Capitulare Caroli Magni lib. 2 c. 35., & in antiquis Antiphonarijs eodẽ modo vocatur. In Calẽdario vetusto Fronti legitur Septembris die 29. *Dedicatio Ecclesiæ S. Archangeli*, Ità in calend. Hieronymiano Canonic. Luc. mſ. çque vetusto scriptũ est. *III. kal. Dedicatio S. Michaelis Archangeli.* In Græcorum Menologijs hæc dedicatio non signatur, sed S. Michaelis, & aliorum Angelorũ memoria producitur 8. Nouembris: Sancti Michaelis tantum 8. Iunij, & 6. Septembris.

Autisiodoro. Ex Additione Gallici antiquarij S. Fraternus Episcopus Autissiodorensis hìc recolitur, sicuti in Adonis Appendice. Meminit Hagiologiũ Lebbei 3. *Kal. Oct. Autissiodoro S. Fraterni Episcopi, & Confessoris*; & licet confessorẽ vocent Vsuardus, ac Bellinus de Padua, martyrem tamen enunciat Saussayus, Martyrologij vt puto Romani auctoritate fultus, & Galesinij. His occinere videntur libri nostri, & adducta MM. Antuerpiense, & Corbeiense, dum confessoris titulum non addunt. A Barbaris martyrio coronatum 3. cal. Oct. & S. Alodij successorem fuisse refert Historia Episcoporũ Autisiodorensium cap. 9. Sammarthani verba adducunt antiquorum Autissiodorensium Annalium, in quibus legitur post annos xx. à morte S. Allodij Fraternum fuisse consecratum Episcopum, *qui eodem die consecrationis à Barbaris vrbem vastantibus est martyrio coronatus*. Nonus est in ordine Autissiodorensium Episcoporum.

II. Kal. Octobris.

IN Plancentia Ciuitate Sancti Anthoni. In Mediolano Translatio corporis Sancti Victoris martyris. In Territorio Ierosolymitano depositio S. Ieronimi Presbyteri.

Sunt

SVnt, qui Placentiæ martyrem Antonium Antoninum dicant. Ita M. Corbeiense. *Pridie Kal. Octobris. In Placentia ciuitate, natalis S. Antonini martyris. In Mediolano Translatio corporis S. Victoris martyris. Bethlehem ciuitate depositio S. Hieronymi presbyteri.* At Vetustissimum M. Antuerpiense cum libris nostris, non modo Antonium vocat, sed binos martyres superaddit. *Pridie kal. Octobris. Placentiæ natalis Antoni, & in Mediolano translatio Victoris, & in Mesoli Casti, & Desiderii. Betleem Castello Hieronymi presbyteri.* S. Antoniũ Placentiæ martyrem ex legione Thebæa agnoscit Romanum martyrol. cum Vsuardo, & Adone, vt addit Baronius, Horum Vsuardus, Antoninum vocat. & confessorem, non martyrem; Adonis vero Appendix, quam pro Adone recipit Baronius idem repetit *Placentiæ Sancti Antonini confessoris*. Vnde fallitur Galesinius, qui martyrem ex Vsuardo eundem vocat, cum potius ex alijs ita dicendum sit. Maurolycius ex legione Thebæa martyrem profitetur hac die Antoninum. Petrus de Natal. lib. 8. cap. 133. socium S. Mauricij martyris in sacra legione fuisse docet, qui de Placentinis finibus egressus Oriẽtem peragrauerit, miraculis coruscans, & in patriam rediẽs ibi abscisso capite triumphauerit. Sed hũc diẽ addit eiusdẽ sacri corporis inuentioni, & sepulturæ esse dicatũ, quoniam S. Sauino Episcopo sacrum pignus reuelatum ad sepulcrum Sancti Victoris Episcopi conditum fuerit. De S. Antonino agit Ferrarius ad quartam diem Iulij ex officijs Ecclesiæ Placentinæ nuper Romæ probatis, & translationis diẽ aduersus Baronium in Ecclesia Placentina die 13. Nouẽbris celebrari affirmat. Sed aliam esse translationem, quæ recentius recolatur mense Nouembris, nihil vetat: certè vetustioriẽ die 30. Sept. celebrari solitam, ante Baronium docuit, adductus Petrus de Natalibus. In Calendario Ecclesiæ Placentinę antiquo, & hædino Lectionario, seu Breuiario ms. illius Ecclesiæ præfixo, in Mulæolo nostro S. martyris memoria his verbis notatur 4. Non. Iulij *S. Antonii martyris*, & rursus 4. Nonas Septembris *S. Antoni M.* & Idus Nouembris *Inuẽtio corporis S. Antoni* rubris caracteribus: & vt alii festi dies, ità etiam notatur 4. Idus Iulii, quãdo per lectiones diuisa eius vita in Ecclesia illa legebatur. Non ibi Placentinus ciuis, sed à Panoniæ opido Antonius, & Antoninus dicitur, sub Maximiano nomen in Mauriciana legione dedisse, ac ita martyrem effectum, prodigio illo corpore inuento, quod alibi indicauimus. Consentimus quidem Ferrario huius S. Placentini martyris acta cum Apamiensi, de quo egimus die 2. & 3. Septembris, quoque pacto confundi, & videnda hic monemus, quæ ad diẽ illam tertiam diximus. Quomodo translata S. Antonini martyris ossa Placentiã fuerint, in lectionibus illis non exprimitur, & in mutilo codice nostro, quæ in solemni die translationis recitari poterant Idibus Nouembris deficiunt. Pluribus de S. Antonino martyre Placẽtino agit Petrus Maria Cãpius in spisso opere, nuper Italicè edito, Historiæ Ecclesiæ Placentinæ.

Mediolano. S. Victoris martyris Africani trãslationem Mediolanum hic memorari putarem. An ita sit illius Metropolis scriptores adeundi, & consulẽdi sunt. De S. Victore à nobis aliqua dicta sunt pluries, & præsertim ad diẽ 21. Septembris, vbi duos sub Victorij nomine martyres in Ecclesia illa venerari coniectauimus.

Mesoli. Quamquam in libris nostris, & martyrol. Corbeiensi Casti, & Desiderij

derij martyrum nulla memoria proferatur, eũ tamen eos disertè hac die referat martyrol, Antuerpiẽse, & mutilati hìc esse possint adducti codices, eosdẽ addere in notationibus libuit. *Mesoli* siue Vrbs, siue Regio, quæ pro loco venerationis amborum cælitum memoratur, in ancipiti me reliquit. Mesola Straboni Arcadiæ vrbs est, & Messeniæ opidum Stephano. Messoli Plutarcho incõparatione Romanorum, & Græcorum regio, siue regnum est in Mauritania maiore, siue Cæsarienſi, aliis Massyli, siue Massesyli nuncupata, & hodie regnum Tramissenum. In tanta Africanorum martyrum vbertate, quæ passim in vetustiori martyrolog. indicatur, hos Africanos Cæsarienses fuisse propenderem.

In Territ. Hierosolymit. De S. Doctore Hieronymo ita clara sunt omnia, vt recoquenda hìc non videantur. Aliqua innuit Molanus, aliqua Galesinius, plura Baronius, tùm in Notationibus, tùm in Annalibus. Integram ferè vitam ex operibus eius contexuit Marianus Victorius, qui eadẽ notis illustrauit, & falsa, & suppositia perstringit. Quęcũq; hìc cõgererem tanti Doctoris, & hæreticorũ mallei, meritis imparia esse non dubitarẽ. Elogium hac postrema Septembris die ita Vvandelbertus breui rudiq. stylo, sed verè solidèq. cecinit.

Interpres legis, veterisq. nouaq.
probatus
Instructor doctrinę, hæresis damnator
iniquæ
Hieronymus pridie, Septembrẽ claudit
euantem.

KALENDIS OCTOBRIS

Letanias Indicendas.

October habet dies XXXI.

IN Thumis ciuitate Sanctorum Prisci. Crisceuti. Euagri. Denegothiæ. Faustini. Martialis. Ianuarij. *In Fontanella dedicatio Basilicæ Sancti Seruaci, & Sancti Landiberti Epi.* Alexandri. Euprobi. Digne. Gothiæ. Saturnine. Spei. Casti. Primi. Donati. Passici. Propi. Thomis. Christi. *In Gallia Ciuitate Autisiodorensi Sancti Germani Episcopi, & Sancti Vedasti, Remedii, & Sancti Piatoni.*

OCTOBRIS 1.

EOdem vitio interpolationis laborat Kalendis Octobris Vetustissimum S. Villibrordi, seu Antuerpiense M. ac libri nostri. Sanctis Thmuitis martyribus incautus librarius additionem interpolauit. Ita vero illud Octobris mensem exorditur. *kal. Octobris. Ciuitate Tomis natalis Prisci, & Euagri. Remis S. Remedi, & S. Germani Episcopi. Crescenti, Demergotia, Faustini, Martialis, Ianuarii, Alexandri, Eutropi, Pigra, Cotia, Saturnini, Spei. Casti, Primi, Donati, Item Digne. Thomis Ciuitate Charisti.* Mutilum

vero

verò potius, quam interpolatum agnosco martyrol. Corbeiense. *kal. Octobris Litania Indicenda, Prisci, Faustini martyris, Alexãdri, Eopropi, Saturnini, Spei, Primi, Donati. Item Dignæ, Paffico, Præpi. In Thomis Iulii. Antisiodoro depositio Germani Episcopi. Remis ciuitate S. Remigii. Treueris S. Niceti.* Deficit in hoc martyrol. locus passionis plurium martyrum, & in libris nostris, & Antuerpiensi diuersimodè scribitur. In illis legitur Thumis, in hoc Tomis. Thomum cum aspiratione est vrbs Ægypti circa Chenoboscium. Thumuis siue Thmuis, quæ vox magis etiam libris nostris consonat, est Ægypti pariter Vrbs Metropolis; Tomis verò sine aspiratione, vt pluries diximus, oppidũ est Mœsiæ inferioris Ouidij exilio clarum. Sed in imperitis horũ codicũ librariis quis orthographiæ minutas leges obseruat? In fine hodiernę tabulę iterũ repetitur *Thomis*, & in libris nostris, ac codicib⁹ Corbeiensi, & Antuerpiensi sine vlla dissonantia idem scribitur. Quod suspicionem mouet, ne alia ciuitas ad initiũ laterculi legi deberet. Quamquã enim nõ negauerim eandem vrbem, vel locum aliquando eodem die signatum in hisce iisdem codicibus animaduertisse, rarò tamen id accidisse consentio. Quapropter in hac opinione aliquando fui, vt initio scriptũ esset *Thumuis* pro *Thmuis* insigni Ægypti vrbe apud Mendesiũ ostiũ sub Alexandrino Patriarca: præsertim quia Thumuis etiã apud Antoninũ scribitur. Cum verò Thomis siue Tomis scriptum inuenerim in Romano martyrol., Beda, Vsuardo, Adone, & Notkero qui primos tres martyres ibi recolũt, & Romanum etiam addãt in Põto à sententia discessi, præsertim etiam, quòd Petrus de Natalibus ex veteribus martyrolog. lib. 11. nu. 267. ita etiam scribat. *Priscus, Crescens, & Euagrius martyres in ciuitate Thomis ipso die* (Kal. Octobris) *coronas perceperunt.* Luxatum hic agnoscimus pariter M. Antuerpiense. Inter Euagriũ enim, & Crescentem, quos eiusdem ordinis esse adducti omnes codices docent BB. Remedius, & Germanus Episcopi mediant. Corbeiense verò mutilum apparet; siquidem in eo deficit Euagrius, Crescentius, & Denegothia, & Ianuario, ac Faustino superfluus martyris titulus additur pro Martiali. Luxãtionis etiam morbo laborãt libri nostri: inter Ianuarium enim, & Alexandrum vi posita est Fontanellensis Basilicæ dedicatio. Pro Pigra, & Cotia, quæ in mar. tyrol. Antuerpiensi indicantur, legit nostrum Dignæ, & Gothiæ: quæ duo etiam martyres in Corbeiensi deliderãtur. At tamen Antuerpiensi aliam Dignam debemus post Donatum, quamuis in omnibus pariter præteritam. Modus quippe loquendi *Item Dignę*, aliam eiusdem nominis repetitam martyrem supponit. Mutilum etiã in duobus martyribus Antuerpiense videtur, in Passico nimirùm, siue Paffico, & Proprio, siue Prepio, qui in libris nostris, & Corbeiense numerãtur. Vndè si mihi liceret omnibus vitiatis codicibus medelã afferre, hodiernas Tabulas ita componerem. *Thomis* siue Tomis *ciuitate SS. Prisci, Crescenti, Egri, Denegothiæ, Faustini, Martialis, Ianuari, Alexandri, Eupropi, Dignę, Gothiæ, Saturninę, Spei, Casti, Primi, Donati, Item Dignæ, Passici, Propi.*

In Fontanella. Alibi diximus ex Fõtanellæ monasterio fortasse librorũ nostrorum auctographum defluxisse; additamenta enim aliqua Fontanellensis Monaci non rarò occurrunt, vt dedicatio Basilicæ S. Seruaci, & Landberti Episcoporum. Quæ quando celebrata fuerit incertum mihi est. Basilicam S. Seruatij confessoris iam extitisse anno Incarnationis DCCLVI. contiguam Ecclesiæ S. Petri Fontinellensis, patet ex miraculo ab incendio illesæ permanẽtis sub Vvãdone Abbate illius monasterij. Id narratur cap. 12. chronici Fõtinellensis à Dacherio editi.

In Thomis. Variant in nomine martyris Thomitani codices nostri ab Antuerpiensi: in illis Chritius dicitur, in hoc

Charistius

Chariſtius: toto verò cœlo à Corbeiēſi, in quo Iulius pro Chritio, ſiue Chariſtio Thomis exhibetur. Litem alij vetuſti codices dirimere poſſent; forte Chritius, & Iulianus iungendi eſſent.

In Gallia. De S. Germano Autiſſiodorenſi longius hac die agit Ado, qui natalem eius cum Notkero proſequitur. Reuectionē potius eius corporis ex Italia habet Sauſſayus, ſicuti re vera translationem vocat etiam Vſuardus. Scripſit Nerius Monachus hiſtoriam de vita, & miraculis S. Germani Epiſcopi Autiſſiodorenſis, quæ edita eſt To. 1. Bibliothecæ Lebbei. Breuiùs vita eius legitur c. 7. Hiſt. Epiſcoporum Autiſſiodorenſium. Obijt Rauennæ ſub Valentiniano iuniore, & Placidia matre Kal. Auguſti, ut ibi diximus; depoſitus vero ex Italia in propria Eccleſia die Kal. Octobris, vt ibi legitur, & confirmant Sammarthani.

S. Vedaſti. De Sancto Vedaſto meminit hac die Appendix ad Adonem, ſed pridie huius diei translationem Atrebati factam memorat Sauſſayus, & reddit Molanus rationē, ex hoc eſt trāslationis celebritatem in præcedentem diem repoſitam fuiſſe, propter ſolemnia S. Remigij Francorum Apoſtoli. Menardus ad ſacramentarium S. Gregorij in codice Ratoldi ſcriptum eſſe teſtatur. *kal. Octobris natale Sācti Vedaſti*. & in Mart: Notkeri eadem die *Atrebatis ciuitate S. Vedaſti Epiſcopi*: qui dies eſt non obitus, ſed translationis reliquiarum, vnde in M. Corbeienſe alio ab hoc, quod damus, legi addit Kal. Octob. *Eodem die Translatio corporum SS. Confeſſorum Remigii Remenſis Epiſcopi, & Vedaſti Atrebatenſis*. Alia etiam de translatione S. Vedaſti ad Nobiliacum Monaſterium à S. Autberto Cameracenſi, & Audomaro Tauarnenſe Epiſcopo refert idē Menardus p. 183. qui Natalē pro celebritate trāslationis hìc accipi animaduertit, quod, & nos pluries diximus. S. Vedaſti vitam ſcripſit Alcuinus, & eius etiam memoria agitur viij. Idus Februarij, vbi videnda, quæ diximus.

Remedii. Qui communiter Sanctus Remigius eſt, Remedius in alijs codicibus dicitur, quemadmodum etiā eum vocat Notkerus, & ex alijs notat Menardus ad ſacramentarium Gregorij p. 182. vbi plura de Sācto Remigio, ſeu Remedio colligit; præſertim ex codice Remenſis Eccleſiæ, cui Sanctus præfuit. Obijt S. Remigius Idibus Ianuarii, vt teſtatur Flodardus lib. Hiſt. Eccl. Remēſis cap. 17. Sed dies translationis eſt Kal. Octobris, quo die bis translatus eſt, nō eodem anno, vt notat idem Flodardus lib. 1. cap. 20. & 21. penes quem omnia ferè de S. Remigio haberi poſſunt. Aliqua etiam ad hanc diem cumulat Baronius, & vita eius per Fortunatum preſbyterum ſcripta proſtat apud Surium Tomo 10. Videndi etiam Sammarthani.

Piatonis. De Platone, ſeu Piatone Epiſcopo conſulendi ſunt recentiores Galliæ ſcriptores in controuerſia sancti Dionyſij, Sirmundum, de Launyum, & alios, præcipuè Baronium ad Romanum martyrol, hac die. Meminit Vſuardus, Petrus de Natalibus lib. 9. cap. 11. Bellinus de Padua, Maurolycius. Tornacum S. Presbyterum cum S. Quintino perrexiſſe ex Tornacēſis Eccleſiæ tabulis docuit Molanus in Indiculo SS. Belgii: alij vt Petrus de Natalibus cū S. Dionyſio. Sed in perſecutione Maximiani feciſſe martyrium, vt habet martyrol. Romanū, cum S. Dionyſio accomodari nequit. Addditamenta hæc eſſe ad Vetuſtius M. non dubitarem.

VI. Nonas Octobris.

Paſſio Sancti Leodegari martyris. In Nicomedia Eleutheri, cuius geſta habentur. In Antiochia Primi. Quirilli. Pitini. Romæ natalis S. Euſebi

sebi Episcopi. Et alibi Ponti. Leonis. Gaiani. Secundiani. Item Secundiani. Platonis. Leonti.

OCTOBER 2.

Sancti Leodegarij passionem non esse recentioris sæculi auctariũ docere potest Vvandelbertus, qui eius tantum hac die meminit. Incusandus est tamen codicum nostrorũ librarius, qui marginales Vetustioris M. additiones, sæpè in eius tabularum, vel capite, vel corpore includit. Hic in fronte, omni veneratione alioquin dignum, S. Leodegarium addidit, qui in Vetustissimo Antuerpiensi non legitur. *VI. Nonas. Octobris. Nicomediæ natalis Eleutheri, Antiochiæ Primi, Quirini, Epesini. Romæ S. Eusebii Episcopi, & alibi Pantaleonis, Gaiani, Secundiani, Item Secũdiani, Platonis, Leonti.* Ita etiam martyrol. Corbeiense, infrà sepositò Leodegario, vetustiores martyres numerat. *VI. Non. Oct. In Nicomedia Eleutheri. In Antiochia Primi, Quirilli, Pitini. Romæ natalis S. Eusebi, & alibi Leonis, Gaiani, Secundi, item Secundi, Platonis, Longi. In Gallia passio S. Leodegarii Episcopi, & martyris.*

S. Leodegarii. Augustodunensis sancti Episcopi certamen hac ipsa die prosequitur Ado apud Atrebates, Villa Siricinio. In Atratis mendosè legit Notkerus. Meminit Romanum martyrol. cum Beda, & Vsuardo; plura etiam notat ibi Baronius, qui ex Sigiberto martyrio coronatũ refert anno 685. Vetus Franco Galliæ Hagiologium Lebbei, ita de eo scribit. *In Territorio Adartensi passio B. Leodegarii Augustodunensis Episcopi, quẽ variis iniuriis, & diuersis suppliciis afflictum Ebroinus Maior domus Regiæ interfecit.* Vitam exhibet Petrus de Nat. lib. 9. cap. 13. & per compendia Rabanus die crastino. Eandem diffusiùs ex antiquis codicibus edidit Andreas DuChesnius To. 1. Hist. Franc. coæt. p. 600. ex quibus accepit Saussayus, & plura collegerunt Sammarthani, qui vigesimum quartum Episcopum Æduensem S. Leodegarium numerant.

In Nicomedia. S. Eleutherium Nicomediensem martyrem recolit etiam hac die martyrol. Romanum cum Beda, Rabano, Vsuardo, Adone, Notkero, & recentioribus. Hunc militem ex his fuisse narrat Romanũ M., qui per incendiũ domus regiç Diocletiani falsò accusati, in odiũ Christiani nominis aceruatim necati sũt, de quibus agit Eusebius lib. 8. c. 6. ex quo Baronius. Eadẽ habẽt Vsuardus, & diffusiùs Ado, ex quo Petrus de Nat. lib. 9. cap. 14. qui Acta S. Eleutheri adducit, ea nimirum, quæ in libris nostris indicantur per verba illa, *cuius gesta habentur*.

In Antiochia. Ex Antiochenis hìc indicatis martyribus Romanum martyrol. tres tantum exhibet, Primum, Cyrillum, & Secundarium ex Molano, & veteribus mss. Secundarium etiam vocat Bellinus de Padua, qui eorum meminit; sed Maurolycius Secundianum vocat, quemadmodum in pluribus mss. codicibus ita legi monet Galesinius. At libri nostri cum Antuerpiẽse Secundianum inter Antiochenos cælites non numerant, sed in postrema martyrum classe, inter incerti loci pugiles recensent, tertiumq. Antiochenis Epitinum, siue Pitinum accensent.

Romæ Natalis. S. Eusebium Romanũ Pontificem exhibent etiam hac die Notkerus, & Appendix ad Adonem; penes quos plura, quæ adduntur, dubitare non sinunt, esse Romanum Pontificem, quamuis M. Corbeiense Dacherij Romæ tantùm Eusebium referat, prætcrito Episcopali titulo, expressè etiã addito in Antuerpiẽse martyrol. & nostro imò & in Apographo illius codicis

in

in ſchedijs noſtris ex humaniſsimi Duſreſnij munere. De Romano Papa Euſebio plura diximus ad diem 26. Septẽbris, vbi etiam adiecimus eiusdem depoſitionem à Luitprando, Albone Floriacenſi, & libro Pontificali ſignari hac ipſa die vj. Non. Octob. Cũ vero hìc natalis tantùm dicatur, ibi vero depoſitio, & depoſitionis locus indicetur, non dubitamus ſub natalis nomine trãslationis etiã alicuius celebritatẽ indicari poſſe.

Et alibi. Ex duobus huius ordinis primis martyribus vnum nomen conflauit librarius M. Antuerpienſis, ex Põtio nempe, & Leone Pantaleonem. Pro Pontio tamen Portium habet M. Corbeienſe in ſchedijs noſtris, dum illud à Dacherio editum typographi, aut amanuenſis incuria Leonem tantum exhibeat: ſicut Secundum pro Secundiano, ſeu Secundino. Vtrumq. enim nomen idem eſſe ſuadet particula *Item* in omnibus codicibus repetita. Alteri Secundiano in libris noſtris ſocij addũtur Plato,& Leõtius. *Platonis,& Longi* legit M. Corbeienſe Dacherij. In ſchedijs noſtris Longi tantũ poſt Secundianũ memoria agitur. In hoc diſcrepãt adducti codices à Romano M., Vſuardo,& alijs, quòd in illis Secundianus, ſiue Secũdarius inter incerti loci martyres numeratur, in his inter Antiochenſes.

V. Nonas Octobris.

IN ciuitate Antiochia Thugeni. In Africa Victoris. Vrbani. Separgi. Et alibi Felicis. Amponi,& Caſti.

OCTOBRIS 3.

VTrumq. diem vj. Nonas,& v. Nonas Octobris incurioſus librarius Prototypi codicũ noſtrorũ ita ſimul immiſcuit, vt ex binis tabulis vnam tantum eſſe voluerit. Manifeſtum errorem dici præcedentis titulus vj. Nonas, & ſequentis quarto nonas innuit, ſed apertiſſimè conuincunt M. Corbeienſe, & Antuerpienſe, illud. *V. Nonas Oct. Antiochia Theogeni. Africa Victoris, Vrbani, Separgi, & alibi Felicis, Amponii, Caſti.* Hoc Vetuſtiſsimum. *V. Non. Oct. Romæ Candidæ. In Antiochia Theotiſti. In Ægypto Marci, Marcelliani. In Affrica Victoris, Vrbani, Sapargi. Et alibi Felicis, Amponi, & Caſti.* Idem etiam confirmant alii mſſ. codices, quorum ſegmenta ad emendãdum librorum noſtrorum errorem vir clariſſimus P. Ioannes Bollandus ad me mittere olim dignatus eſt, & qui dum hæc cuduntur pijſsimè Antuerpiæ obijt in oſculo, vt par eſt credere, ſanctorum, pro quibus eruditiſſimè deſudauit. Vnum, aut alterum addere libet ex melioris notæ codicibus. In Martyrologio Monaſterij Diuitis Augiæ, ſeu Richenouienſi in Germania ita ſe habet. *V. Non. Oct. Romæ Candidi. Et in Antiochia Theoctiſti, & in Ægypto Marci, & Marcelliani. In Africa Victoris, Vrbani, & alibi Felicis, & Caſti.* Aliud mſ. Lebbei, ſeu Pariſinum, in quo tantum nomina ſine additione locorum ſignantur. ita exhibet diem *V. Nonas Octobris. Theugeni, Afri, Victoris, Amponi, Sapargi, Vrbani, Felicis, Caſtæ, Tichi. Leudegari Mart. Epiſcopi Antiſiod.*

Antiochiæ. Thugenium Antiochenſem martyrem vocãt libri noſtri; Theogenem aptius martyrol. Corbeienſe, ſed Theotiſtam martyrolog. Antuerpienſe Vetuſtiſſimum, cũ iam adducto Diuitis Augiæ. Idem vnumque nomen non

affirmarẽ. Alius ms. codex Aquisgranensis in Belgio, post aliqua ferè, vt in martyrologio Romano, vtrumq. nomen videtur exprimere, licet pro Theugenio, siue Theogene Eugenium ita exhibeat. *Eadem die in Ægypto Marci, & Marciani, Candidi. In Antiochia Theotisti, Eugeni, Victuris, Leodegari, Amponi.* Et quamquam confusa nomina sint, videntur tamen pro Theotisto simul & Thugenio attestari. Fauet Menologium Græcorũ, in quo pariter die tertia Octobris apud Canisium, non indicato martyrij loco, ambo recolũtur. *Eodẽ die commemoratio S. Martyris Theogenis, qui pro Christi confessione ignis flammã pertulit. Item S. Martyris Theotecni, & Adaucti, ense percussi.* Adauctum in diem sequentem refert Menologium Basilii, in quo reliqui non adnotantur. At sicut in libris nostris, & Corbeiensi deficit etiam martyris Candidæ Romanæ memoria, quam recolunt martyrol. Vetustissimum S. Villibrordi, cuius hac ipsa die in recentioribus martyrologiis natale celebratur) & adductum martyrol. diuitis Augiæ, siue potius Candidi, vt plures codices cum M. Romano, Vsuardo, & aliis retinent, ita etiam potuit omitti Theoctistus, vel Theotecnus.

In Africa. Ægyptios martyres Marcum, & Marcellianũ ante Africanos recolit hac die M. Vetustissimum. Sed ex plurimorum codicum fide ad sequẽtem diem pertinent. Africani Victor, Vrbanus, & Separgius, siue Sapargius hac ipsa die, vt vidimus in adductis supra codicibus venerari debẽt; in obscuro alioquin eorum Actis mihi remanentibus, sicuti etiam trium sanctorum martyrum incerto loco triumphãtium Felicis, Amponi, & Casti, quorum tamen ita memoria confirmatur in Appendice ad Adonem. *V. Non, Octobris. In Antiochia S. Theugeni. In Africa Victoris, Vrbani, Sapargi. & alibi Felicis, Amponi, & Casti.* Maurolycius Felicem tantum, & Castum ex his martyribus exhibet.

IIII. Nonas Octobris.

IN Aegypto Marci, & Marciani. In Africa Ciuitate Adaugti Marusi: Restituti. In Acxiopoli natalis Sancti Dasij. & alibi Marcelli Episcopi. *Antisiodoro depositio Massi Presbyteri.*

OCTOBRIS 4.

ÆGyptij martyres Marcus, & Marcellianus à M. Vetustissimo anteacto die indicantur, vt ibi diximus. In libris verò nostris hodiernas tabulas ornant, quemadmodum etiam in M. Corbeiensi. *IV. Non. Oct. In Aegypto Marci, & Martiani martyrum. In Africa Marcusi, Restituti, Iulii. Et alibi S. Dasii, alibiq. Marcelli Episcopi. Antisiodoro depositio S. Marsi presbyteri, & confessoris.* Ab his codicibus differt martyrol. Antuerpiense; indicat enim Romę Balbinam, & Marcellum in nostris, & illo præteritos. *IV. Non. Oct. Roma Balbinæ, Marcelli Episcopi. & in Africa Adaucti, & in Axiopoli Darsi, & alibi Marcelli Episcopi. Antisiodoro Marsi presbyteri.* De Marcello Romano Episcopo, qui in nostro, & Corbeiensi martyrol. desideratur, additur testis hac ipsa die præter Rabanum ms. Vetus diuitis Augiæ penes venerandæ memoriæ Bollandum, *IV. Non. Oct. Roma Marcelli Episcopi, & in Africa Adaucti, & Restituti, & in Axiopoli Dasii. Alibi Marcelli Episcopi. Antisiodoro Marsi presbyteri.* Confirmat

firmat Marcellum pariter, *Mſ. vetus Aquiſgranenſe apud eundem Bollandum. Romæ nat. Marcelli Epiſcopi, Audactî, Daſi, Marubi.* Facile autem eſt, ut qui ex antiquo archetypo, tam libros noſtros, quam M. Corbeienſe excepit, alterũ ex Marcellis Epiſcopis tanquam repetitum amouerit, vel quod veriſimilius videtur in ſextam Octobris diem cum S. Balbina tranſpoſuerit, quamquam ibi Marcus, non Marcellus Epiſcopus in libris noſtris recolatur.

In Ægypto. Alios eſſe fratres Marcellianum, & Marcum à Marco, & Marciano notat ad hanc diem Baronius; unde erroris arguit, qui hìc Marcellianum pro Marciano ſcribunt. Mauricianum vocat Rabanus, qui etiam Marcelli ita meminit IV. Non. *In Ægypto Marci, & Mauriciani. Romæ Marcelli Epiſcopi, & in Africa Adaucti. Antiſiodoro depoſitio Marſi presbyteri.* Horum memoriam recolunt cum Romano M. Beda, Vſuardus, Ado, Notkerus, qui tamen Marcellianum Marci fratrem vocat. Omnes illos fuiſſe docẽt, quos ſuppreſſis nominibus, agonem cũ alijs innumerabilibus cõpleuiſſe narrat Euſebius lib. 8. cap. 8.

In Africa ciuitate. Mendum hìc ſuſpicor, ex alijs, quos viderim codicibus malè habitis, difficile hìc emendandum. Cum tamen in Menologio Baſilij Adauctus martyr Epheſinus hac die laudetur, eiuſque illuſtre certamen in Meſepotamia conſummatum referatur, cumq. is non modo ciuis Epheſinus dicatur, ſed corpus eius à Calliſtene filia Epheſum reportatum narretur, veritus ſum ne pro Africa ciuitate reponendũ ſit. *Epheſo ciuitate*; ibi enim Adauctum martyrẽ veneratum eſſe patet, ac deinde legendũ in *Africa Mauriſi. Reſtituti*, ac etiam *Iuly*, vt habet M. Corbeienſe, in quo Adauctus inter Africanos martyres non legitur: ſicuti neque in alijs codicibus Iulius. Rabanus tamen Adauctum, vt vidimus, Africæ tribuit.

In Axiopoli. In Miſiæ inferioris Axiopoli omnes ferè codices adducti S. Daſium exhibent; nullum tamen ex editis. Græcorum Menologijs ad diem 20. Nouembris S. Daſij agonem narrant Doroſtori, Miſiæ pariter vrbe, & à qua non plurimum diſtat Axiopolis. An vnus, & idem Sanctus martyr ſit, nec annuo, nec renuo. Alter S. Daſius in libris noſtris ad illam diem indicatur.

Et alibi Marcelli Epiſcopi. De S. Marcello Romano Pontifice, ſiue Epiſcopo diſertè agit martyrol. Vetuſtius noſtrum ad diẽ 16. Ianuarii. Vnde vel hic aliqua translatio recolitur, vel de alio Marcello Epiſcopo, & martyre agitur, cuius geſta ſummatim exhibet Ferrarius ex Tabulis Eccleſiæ Rauennatis. Huius meminit Rom. martyrol. die ſequenti, & ex Hieronymo, vita extat apud Surium To. x. in qua licet martyr expreſsè non dicatur, grauiter tamen afflictum migraſſe è vita in perſecutione Aureliani narratur die ſequenti III. Nonas Octobris in Catalogo SS. Italiæ.

Antiſſiodoro. Totidem verbis hæc ad Vetuſtius M. Gallici antiquarij, appẽdix habetur etiam in Appendice ad Adonẽ. Marſum non Martium vocat Vetus Frãco Galliæ Hagiologium Lebbei. *Antiſſiodoro S. Marci presbyteri.* IV. Nonas Oct. Marcum pariter vocat martyrolog. mſ. S. Sabini de Leuitania die 4. *Oct. Antiſſiodoro S. Marci presbyteri.* Nihil de eò alibi inuenire, neque apud Sauſſayum licuit. Marſum illum presbyterum facilè crederem, qui S. Peregrini primi Autiſſiodorenſis Epiſcopi, & martyris ſocius fuit, ut in eius Vita legitur in Bibliotheca Lebbei T. 1. p. 526. Marſus enim Presbyter, non Marcus dicitur in M. Vetuſtiſſimo, in noſtro, & Corbeienſe. At cũ non addatur confeſſoris titulus, & tempore perſecutionis advixerit, facile martyr fuit.

In

III. Nonas Octobris .

IN Sicilia Placidi. Eutici, & aliorum xxx. Et alibi Barici. Victorini. Fausti. Pelagi. *In Gallia Ciuitate Valentia depositio Apollenaris Episcopi. Et in Gallia Ciuitate Autisiodoro depositio Sanctorum Germanorum Firmati Diaconi, & Flauiane Virginis Deo sacrate.*

OCTOBRIS 5.

SIculos martyres Placidum, Euticium, & anonymos xxx. socios exhibet cũ libris nostris etiam M. Corbeiense in schedijs nostris, & apud Dacherium. *III. Non. Oct. In Sicilia Placiti, Eutici, & aliorum xxx. & alibi Barici, Victorini, Fausti, Pelagii. Valentia ciuitate depositio Apollinari Episcopis, & Confessoris. Autisiodoro depositio SS. Germanorum Firmati Diaconi, Flauiana Virginis.* In numero Siculorum martyrum dissonat M. Antuerpiense, Placidum ita præteriens. *III. Nonas Octobris. in Sicilia Natalis Eutici, & aliorum viij. & alibi Barici, Victurini. Galliis Ciuitate Valeraci, Apollinaris Episcopi. Autisiodoro Firmati Diaconi, & Flauiæ Virginis.* Sed quod maius est, ex martyribus, qui Sancto Placido à Gordiano in eius vita sociantur, Victorinus, & Faustus alibi passi, aut venerati dicuntur, Firmatus Diaconus, & Flauia virgo Autissiodoro tribuuntur. Difficillimum autem videretur in tanta nominum consonantia, & Siciliæ præmisso loco in libris nostris, & M. Corbeiensi de aliis martyribus memoriam agi, quã de Placido S. Benedicti discipulo, eiusq. Eutichio, & Victorino germanis fratrib⁹, ac eorũ sorore virgine Flauia. Hi enim in Siciliam Roma ad eum inuisendum transfretantes in portu vrbis Messanæ durissimo martyrij genere ab Hispaniæ idolatris coronatos fuisse, lõgius à Gordiano S. Placidi famulo narratur apud Surium To. x. Accedunt etiam aliæ coniecturæ, hoc est triginta anonymi socij, qui in libris nostris, & Corbeiensi adnotantur, & in eadem Gordiani relatione aliquando triginta tres, aliquando xxx. tantum Monachi numerantur, quemadmodum in ea parte Historiæ, quæ Passio dicitur cap. 17. luculenter legitur, quibus si addantur Faustus, & Firmatus Diaconus nominibus expressi, & dies consummati agonis 3. Nonas Octobris, iam omnia in eadem collimare dicendum esset. At alia sunt, quæ ab assensu omnimodo remorantur. In primis Vetustissimum M. S. Villibrordi, seu Antuerpiẽse, quod licet suis maculis temporum, & librariorum iniurijs non careat, minus tamen additionibus lucupletatũ est, præsertim à viris religiosis, qui ordinis eorum sanctos viros Vetustiori M. pro sua deuotione addiderunt, vt in codicibus nostris aliquando à Fotinellẽsibus Monacis factum videtur, & in Corbeiensi à Corbeiensibus. Vnde cum in hoc S. Placidus in Sicilia, Eutichius, & xxx. socij non recenseantur, sed Eutichius tantum cum octo sociis indicetur, suspicionem inducere potest, ne Antiquarius aliquis Monachus animaduertens eadem die, qua S. Placidus cum sociis coronatus fuit, Eutichium in Sicilia cum aliis anonymis recenseri, quædam etiam nomina socij Placidi conuenire, de sui ordinis martyribus in hodiernis tabulis memoriã agi putauerit, & in Archetypo vnde codices nostri, & Corbeiẽsis excepti sunt S. Placidum addiderit, & anonymorum numerum

merũ ab viij. in xxx. ampliauerit; parũ vero de cæteris ſolicitus alibi incerto loco Victorinũ,& Fauſtũ reliquerit,Firmatũ Diaconũ, & Flauiã virginẽ cœlitibus Autiſſiodorẽſibus adnumerari permiſerit, & ſub anonymorũ numero alios S.Placidi ſocios incluſos eſſe reputauerit. Hæc præcipuè ſuſpicionem mouent, quia Acta illa Græcè à Gordiano ſcripta non ita vndequaque oculatiſſimo Baronio placuerunt, & in eis aliqua caſtiganda eſſe cenſuit. At cum in Romano emendato martyrologio cum S. Placido monacho Eutichius, & Victorinus eius fratres, Flauia virgo ſoror, Firmatus, & Donatus Diaconi, Fauſtus cum xxx. alijs monachis Meſſanæ in Sicilia hac die venerentur: cumq; per Summi Põtificis Romani Sixti V.Bullam, Tomo x. Surij relatam,eorundem feſtum diem iij. Nonas Octobris, nuperam vero ſuo tẽpore aliquorum ex illis ſanctis corporibus inuentionem, ac eorum translationẽ celebrari in Meſſanẽſi diœceſi permiſsũ ſit pridie Nonas Auguſti.Et nos Sãctum Placidum, eiuſq. ſocios, nominibus in Romano M. expreſſos cum Romana Eccleſia veneramur, ac potius in eorum memoria recenſenda vetuſtos codices noſtros mancos eſſe credimus,illoſq; ſignatis nominibus ſupplendos ante anonymos xxx.exiſtimamus,ſicuti apud Bedã,Vſuardum,Adonem,& Notkerũ, qui Placidi tantum,& Eutichii cũ ſociis xxx. memineruũt in Sicilia. Reliquos proinde quantumuis nominibus aliquibus conueniant, in tanta martyrum ſegete diuerſos eſſe abſurdum non putauimus, quòd etiam apud Rabanum præterito Placido III. Nonas in Sicilia *natale Euticij, & aliorum triginta* recolatur.

Alibi Cum Baricius, & Pelagius ſocii addantur Victorino, & Fauſto, & à Siciliæ regno ſeiũgantur,ex incerto loco & ſociorũ diuerſitate diuerſos à Siculis eſſe martyres coniectamus; nullam tamẽ lucem aliunde addere potuiſſe fatemur,

Valentia. Rectè codices noſtri reddũt in Gallia,fuit enim S. Apollinaris Epiſcopus Valentiæ Segalaunorum ad Rodanum in Gallia, eiuſq. Vita ex Monaco Lirinenſi extat apud Surium To. 10. Floruit circa annos Dñi 494. ſeu potius 517.quando interfuit Concilio Epaunẽſi vt notant in tertio Epiſcopo Valentinẽſi Sammarthani, & Auiti germanum fratrẽ affirmãt. Meminit eum Beda,& Vſuardo M. Romanum, & Hagiologium Vetus FrancoGalliæ Lebbei.

Autiſſiodori. Flauiana Virgo Deo ſacrata dicitur germana ſoror Firmati diaconi in libris noſtris, ac Corbeienſi, & Deo ſacrata Virgo pariter Flauiana apud Rabanum, non Flauia, quæ fuit ſoror Sancti Placidi, vt iam notauimus: quamquam, & hæc Flauia Virgo in M. Vetuſtiſſimo nuncupetur. Sed vt aliqua etiam differẽtia compareat cum Firmato Diacono, & Flauia virgine S. Placidi ſocijs. Formatus ille, hæc Flauiana dicitur in Veteri ſupra adducto Hagiologio III. Non. Oct. *Autiſſiodoro depoſitio Formati Diaconi, & Flauianę virginis*: Martyres expreſsè ibi non dicuntur,neq. Sauſſayus affirmat, quin potius in pace quieuiſſe docere videretur nomen depoſitionis. Ex additis tamen hos cælites à Gallico antiquario agnoſcimus.

II. Nonas Octobris.

IN Capua natalis Sanctorum Marcelli. Caſti. Emili. Saturnini. Romæ Balbine, & depoſitio Sancti Marci Epiſcopi. In Africa Rogati. Saturnini. Fauſtini. Ianuarij. Et Marcialis. In Apulia Caſti.Emili. Saturnini. Ammoni Presbyteri. In Gallia Ciuitate Agenno natalis Sancti Fidis martyris. *In Ciuitate Autiſiodoro depoſitio S.Romani Epiſcopi.*

Vberius

VErius in hodiernis fastis M. Corbeiense apparet, & supra libros nostros Capuanis martyribus Donatellum hoc ordine addit *Pridie Non. Oct. Capuanatalis SS. Marcelli, Casti, Emeli, Saturnini, Donatelli. Romæ Balbinæ, & depositio S. Marci Episcopi, Iuliani. In Africa Rogati, Saturniani, Ianuarii, Faustini, Martialis. In Apulia Casti, Emeli, Saturnini, Ammonii presbyteri. Agenno ciuitate natalis S. Fidis Virginis, & martyris. In Ciuitate Antissiodoro depositio S. Romani Episcopi*. Capuanos cælites omittit martyrol. Antuerpiense, & ex aliis nonnullos ita diuersimodè promit. *II. Nonas Octobris in Apulia natalis Casti, & Emeli, Marcelli, Saturnini. Romæ Ianuarii, Ammoni, Presbyteri. Galliis ciuitate Genua natalis Sanctæ Felicis. In Galliis ciuitate Antissiodoro Romani Episcopi*. Capuanos tamen martyres Marcellum, Castum, Emilium, & Saturninum exhibent pariter cum libris nostris Romanum M., Beda, Vsuardus, Ado, Notkerus, Petrus de Natalibus, lib. 11. nu. 275. Bellinus de Padua, Maurolycius, & Galesinius, qui deprauatis codicibus vsus ex libris scriptis addit Rogatum, Antonium (forte Ammonium) & Auitum, quorum postremum alibi memoratum nō inuenio; alios aliorum ordinum suspicari licet. Marcellus horum antesignanus à Petro de Natalibus ex antiquis martyrologijs vt profitetur, Hieronymiano præsertim, presbyter nuncupatur, quod confirmat Galesinius. Baronius hìc coniectatur ex nominibus, sanctos hos Africanos martyres fuisse, quorum reliquias Africani Episcopi tempore Vandalicæ persecutionis, ad Campana littora appellentes Capuæ collocauerint. Ferrarius in catalogo SS. Italiæ, ex Baronio malè accipiens, viro summo impingit, docuisse eosdem sanctos martyres Africanos suis sedibus pulsos in Campaniam venisse. At nulla erat in Campania persecutio in fine quinti sæculi, cum Vandali Africam martyribus cumularunt, vnde Africani Capuæ coronari martyres potuerint, sed vt exules, & Confessores venerari poterant. At neq. Baronius id docuit, neq. Vandalicæ persecutionis vllos martyres in Vetustiori M. obseruare licuit superadditos. Negat etiam Ferrarius in Adnot. de his martyribus agi in tabulis Ecclesiæ Capuanæ, quas & ms., & impressas se vidisse profitetur, cū tamen id Baronius docuerit. Sed & hoc etiam imponit viro doctissimo; nam Casti, & Emilij Africana nomina ille perpendens, eosq, Africæ tributos in Romano martyrol. ac veneratos die 22. Maij, dum eosdem esse coniectat, eorundem etiam celebritatem Capuæ (quod iam Romanum M. affirmabat) peragi potuisse credidit, & quod eorum reliquias Episcopi Africani Capuam attulissent ex Victore coniecit, candidè addens in fine notationis *hæc tantùm nobis coniectura suppeditat*. Vtinam & nos solidi aliquid addere possemus. Suspicionem tamen nostrā obijcimus ex M. Vetustissimo, nempè eosdem facile esse sanctos martyres, qui Capuæ in libris nostris recoluntur, cum his, qui Apuliæ. Daunia enim Apulia non longissimè in Regno Neapolitano distat à Capua, facileq. Capuam insignē vrbem potuissent transferri. S. martyres in Apulia coronati; ijsdē quippe nominibus in martyrolog. sancti cælites Apuliæ tribuuntur, quam in libris nostris, & Corbeiensi Capuæ. Quinimmo Castum, Emilium, & Saturninum iisdem etiam nominibus signatos exhibent in Apulia, quibus, & Capua cōsignant, præter Ammonium presbyterum, Romæ, non in Apulia veneratum, vt addit M. Vetustissimum. cui propter maiorem in locis distinguendis diligentiam magis etiam inhoc inniti libuit. *In Apulia Casti, & Emili* tantum meminit hac die Rabanus.

Romæ

Romæ Balbinæ. S. Romanæ martyris Balbinæ filiæ Quirini, memoriam renouat Romanum martyrol. cum Beda. Vsuardo, Adone, Notkero, & aliis ad diē 31. Martii. Vetustius martyrolog. ex Corbeiensi, & libris nostris ad diem illā de S. Balbina silet, & in hac tantum recolit; quamquam martyrol. Antuerpiēse biduo ante 4. Nonas Octobris S. Balbinam indicet, hac verò die prætereat. Equidem in fragmento ex Actis S. Balbinæ in codice Vaticano apud Aringhiū Romæ subt. lib. 3. cap. 16. n. 6. sepulturæ eius dies ita signatur. *Balbina post denictum sæculi huius cursum sepelitur iuxta patrem suum martyrem Quirinum via Appia in cæmeterio Prætextati prid Kal. Aprilis*. At cum S. Marcus Pontifex ex deuotione, qua S. Balbinam prosequebatur, cœmeteriū Balbinæ construxerit, in quo sepeliri etiam voluit, facile accidere potuit, vt dum Sanctus Marcus ad Sancta Balbinam sepultus hac ipsa die pridie non. Octobris venerabatur, etiam sancta virgo Balbina recoleretur, & non ex passione, sed ex celebritate hic etiam dies vtriusq. tam sanctæ Balbinæ, quam sancti Marci natalis euaderet. In pace S. Virginem quieuisse Acta ipsius, & S. Alexandri Papæ docere videntur; notat tamen Ferrarius ad diem 31. Martij ex SS. Flore in vita S. Hermetis, S. Balbinam in via obijsse cum in mare demergenda cum aliis duceretur, & ad mare deportatam cum aliis esse nos etiam adnotauimus in Exerc. XII. de Vinculis S. Petri agentes. Quod si ita esset duplici corona redimita venerari S. Balbina deberet, virginitatis, & martyrij. Petrus de Natalibus videtur duas Balbinas agnoscere, alteram sepultam in cœmeterio Prætextati pridie Kal. Aprilis, cuius vitā strictim percurrit lib. 4. cap. 19. & in pace quieuisse innuit, apud patrem suum Tribunum Quirinum depositam; alteram hac die pariter sine martyrio quiescentem his verbis. *Balbina Virgo Romæ quieuit in pace, pridie nonas Octobris*. Diuersam à cœmeterio viæ Ardeatinæ, quod Balbinæ dicebatur, aliam Ecclesiam Romæ S. Balbinam habuisse ita inuenio in vetere hędino libro Canonicorū Lucensium. *Septi solium, qui fuit ordinibus columnarum subnixus, fuit templum Solis, & Lunæ. Ibi prope est Ecclesia S. Balbinę*. At vna, & eadem duplici die, & duplici loco venerata esse potuit ex adducta ratione; Sanctam Balbinam sine alia depositionis additione tāquam martyrem in vetustis codicibus memorari animaduertimus.

Depositio S. Marci. S. Marcum Romanum Pontificem, & confessorem recolūt postridie M. Romanum. Beda, Vsuardus, & Ado cum alijs à Baronio ibi indicatis. Liber verò Pontificalis Damaso ascriptus hac ipsa die pridie nonas sepultum, ita disertè affirmat. *Qui sepultus est cæmeterio Balbinæ via Ardeatina, quod ipse constituens fecit pridie nonas Octobris*. De hoc cœmeterio ita scribitur in libro hædino veteri Canonic. Lucensium. *Cæmeterium Balbinę ad SS. Marcum, & Marcellianum via Ardeatina*; & de S. Marco Pontifice in alio pariter Pontificalis historiæ libro perantiquo in eadē Bibliotheca scribitur, *qui & sepultus est in cæmeterio Valbinæ Ardeatina, quem ipse insistens fecit pridie nonas Octobris*. Non negarem tamen eius memoriam fieri in Kalendario Hieronymiano peruetusto sequenti die, hoc est. *Nonis depositio S. Marci Papę*. quod ita etiam exprimitur in alio Kalēdarij antiqui fragmento sub nomine Bedæ in eadem Canonicorum Lucensium Bibliotheca. *Nonis S. Marci Papæ*. Consonat Albo Floriacensis his verbis in vita S. Marci. *Qui obiit nonis Octobris, & sepultus est in cęmeterio Balbinæ via Ardeatina*. & in Pontificia historia sub nomine Luitprandi ita scribitur. *Qui nonis Octobris Confessor obijt*. Idem prostat in antiquissimo fragmento Bucherij pluries adducto. *Nonis Octobris Marci in Balbina*, & in Vetusto Kalendario Fronti Octobris *die 7. Nat. S. Marci*. Quinimmo, & S. Marci Episcopi Romæ memoriam renouant etiam die

sequenti Vetustius martyrol. libris nostri, & Corbeiensis codex, licet hi præsenti die eius celebritatem non taceant. Dubitari quapropter hìc posset, ne repetita S. Marci veneratio, in consequẽtibus sibi inuicem diebus, duos fuisse S. Marci nomine Romanos Põtifices significaret. Petrus quidem de Natalibus, sicuti duas Balbinas diuersis diebus veneratas protulit, ita & clariùs duos S. Marcos descripsit lib. 9. cap. 23. & 24. Marcũ huius nominis Papam primum, natione Romanum, ex patre Probo, Felici primo Pontifici successorem sedisse annos 8. menses duos, ac dies x. narrat, & addit solum ex Pontificibus Romanis ad Sanctum Siluestrum vsque martyrium euasisse; sepultumq; vbi presbyter fuerat ordinatus, in Ecclesia S. Marci, quæ est in medio Romæ in regione Pinus, nonis Octobris. Alterum verò Marcum huius nominis secundum natione Romanum ex patre Prisco successisse docet S. Siluestro, & sedisse annos duos, menses vij. dies xx. & sepultum in pace in cœmeterio Babilæ via Ardeatina, pariter nonis Octobris: Ambos sancti titulo ornat, & res ab ipsis gestas seiunctim explicat. Quod si verùm esset, duplex S. Marci Romani Pontificis memoria in Vetustiori M. omni dubitatione careret; nihil autẽ in re difficili decernimus, & aliis, quibus ocium maius, & vberior eruditio suppetat, animaduertendum relinquimus. Basilicam S. Marci foras muros, via Appia, fuisse docet Bibliothecarius in Gregorio III. & re vera cœmeterium Prætestati erat via Appia, sed illam huius cœmeterij partem, in qua dudum S. Balbina deposita erat, vocari deinde cæptam S. Marci cœmeterium inter Appiam, & Ardeatinam viam, ex Actis Nicolai PP. Primi To. 3. Conciliorum probat Aringhius lib. 3. cap. 17. Iulianum martyrem, quem Sancto Marco Romæ socium addit martyrologio Corbeiense, alibi non inuenio.

In Africa. Rogatus qui à Galesinio inter martyres Capuanos recẽsetur, hic Africanorum Antesignanus est, nec in numero, & nominibus discrepant libri nostri à Corbeiẽsi. Ianuarium cum Ammonio presbytero Romæ tribuit, non Africæ martyrol. Vetustissimum, omnibus Africanis martyribus silentio inuolutis; vnde mutilum esse, & duplici loco decurtatum dubitari potest. Romæ enim ad minus Sancta Balbina deficit. De Apulis martyribus nihil addimus ad ea, quæ initio huius notationis dicta sunt.

In Gallia. Non Fidis, sed Fidei nomen sanctæ virgini, ac martyri Agennẽsi martyrolog. Rom. tribuit cum Beda, Vsuardo, & Adone, vt ibi notat Baronius: sed Fidis vbiq. nomen scriptum inuenio; nõ Fidei, vt amanuensis, aut tipographi etrore apud aliquos legitur: nec diuersimodè scribit Notkerus. Quia vero Fides in nominatiuo dicebatur, potuit Fidei in genitiuo reponi, cum in hoc casu Fidis apud antiquos omnes scribi obseruetur præterquam apud Rabanum, qui *in Galliys ciuitate Agenno natale S. Fidei martyris* habet. Acta S. Fidis exhibet summatim Petrus de Natalibus lib. 9. cap. 26. Mombritius vero diffusiùs: Surius To. 7. vt habet Baronius, & recẽter Saussayus: sed Acta eiusdem, vt extant in pluribus mss. edidit nuper Lebbeus T. 2. Biblioth. p. 528. cum libro de miraculis authore anonymo, sed antiquo, dum S. Fides in pago Rubenico in vicinia vici Conchacensis translata requiesceret. Sanctæ huius virginis aliqua habent Sammarthani in S. Caprasio primo Episcopo Aginnẽsi, ab eiusdem certamine ad palmã martyrij excitato. An emẽdandam martyrol. Vetustissimum, quod pro Fide Felicem, & pro Agenna Genuam dixit? vel alium martyrem esse Felicem Geneuensem credendum est? De Felice aliũde non mihi constat.

Autissiodoro. S. Romani Episcopi Autissiodorensis vitam breuibus percurrit Saussayus, breuissimè Hagiologium Frã. coGalliæ Lebbei his verbis, Octobris pridie Nonas. *Autissiodoro Beati Romani Epi-*

Episcopi. Rabanus depositionis voce vtitur. *In ciuitate Autissiodoro depositio Romani Episcopi*. Appendix ad Adonem martyrem vocat, quod Sausayum latuisse video. *Pridie non. Octob. Autissiodori depositio Sancti Romani eiusdem ciuitatis Episcopi, & martyris*, & quod maius est, martyr etiam dicitur in Romano M., vbi Beda, & Ado à Baronio adducuntur testes, & Democharis, qui xvij. Episcopum illius Ecclesiæ numerat; At cap. 17. Historiæ Episcoporum Autissiodorensium narratur, sedisse annos 3. dies 4., & bonis operibus glorioſum, *vt fertur, decisione capitis martyrium* cõpleuisse pridie nonas, ac sepultum in Basilica S. Germani, Imperante Iustino minore. Sammarthani, qui decimum septimum Episcopum Autissiodorẽsem numerant, his tantùm verbis Romani meminerunt. *S. Romanus 6. Octobris.*

Nonis Octobris.

ROmæ via Appiâ depositio Sancti Marcelli, & Marci Episcopi. In Capua Campaniæ Quarti, & Marcellini. Et Alibi Sanctæ Iuliæ. Sergi. Bacchi. Natalis Sancti Mathei Euangelistæ. *Et in Gallia Bituricas Ciuitate Augusti Presbyteri.*

OCTOBRIS 7.

ANN hodiernæ sanctorum Tabulæ cum postridianis confuſę sint in martyrol. Vetustissimo, vereri licet, dum hoc die Antiochẽses martyres adduntur, qui in libris nostris, & Corbeiensi M. ad sequentem diem pertinent. Ita verò illæ prostant. *Nonis Octobris. Romæ depositio Marci Episcopi. Et in Capua Marcelli, Quarti, Marcellini, & alibi Tullia, Sigiberti martyris. Matthei Euangelistæ. Beturicas Augusti presbyteri. In Antiochia Dionisi episcopi, Iannarij, Faustini, Martialis, Priuati, Eracli, Iuliani, Pelagiæ.* Aliter sed proximius ad codices nostros hodiernos fastos signat M. Corbeiense, in quo pro Nonis Octob. ix. Idus signatur. *Roma Via Appia depositio SS. martyrũ Apulei, & Marcelli Episcopi, & Marci Episc. & Cõfessoris. In Capua Campaniæ Quarti, & Marcellini, & alibi S. Iuliæ, Syrgi, Bacci, & natalis S. Matthæi Euangelistæ. Beturicas ciuitate S. Augusti presbyteri, & Confessoris.*

Romæ. Marcellum Episcopum, & Marcum Episcopum, illum martyrem, hunc confessorem, præmisso Apuleio, item martyre, exhibet M. Corbeiense, & via Appia depositos addit, depositionis nomine rarò martyribus accomodato in martyrol. Vetustiori. Apuleium, & Marcellum nulla Episcopalis nota addita, martyres recolit martyrolog. Romanum hac ipsa die; ubi notat Baronius de ijsdẽ meminisse Bedam, Vsuardum, Adonem, & alios ex Actis SS. Nerei, & Achillei. At in Actis illis Marcellum quidem memoratum inuenio, & Christi seruũ fuisse nuncupatum: de Apuleio autem nihil mihi, neque in Actis illis apud Surium, neque in peruetusto Hagiologio nostro inuenire licuit. Hos quidem cum martyrolog. Romano primùm Simoni Mago adhæsisse, deinde Petri Apostoli discipulos, capitis abscisione martyrium compleuisse narrat Petrus de Nat. lib. 9. c. 30. Marcellum fuisse Episcopum, vt in martyrol. Corbeiensi legitur, nullibi etiam inuenio. Vsuardum non Marcellum, sed Marcum, & Apuleiũ ex sectarijs Simonis,

Apostolorũ discipulos, & martyres refert eodem modo, quo Romanum martyrol. & totidem ferè verbis Ado, Notkerus, Bellinus de Padua, Maurolycius & alii, qui constanter Marcellum legũt. Vnde apud Vsuardum, Marcellus etiã videtur restituendus pro Marco, & Episcopalis titulus auferendus in martyrol. Corbeiensi. Marcellus enim vir illustris dicitur tantùm, & Petri discipulus in Actis SS. Nerei, & Achillei, & in Historia conflictus Petri Apostoli, & Simonis Magi, quam dedimus in Indiculo Apostolorum. Sed fortasse posset addi nomen præsbyteri, quia ita Marcellus nuncupatur in Actis Lini, quæ in hoc admittit Baronius ad annum Christi 69. n. 19. De S. Marcello Põtifice Romano hic nõ agi existimarem omnino, quia vt alibi diximus S. Marcellus non Appia via, sed Salaria in cœmeterio Priscillæ depositus fuit, quod vocatum etiam fuit ad S. Marcelli, vt est apud Bibliothecarium in Vigilio. Nihil autem emendandum succurrit in libris nostris, cum Marcellus nequaquam enuncietur Episcopus, nisi desiderari posset Apuleius, aut forte pro Marcello legẽdus esset Marcellianus, vt mox animaduertimus.

Marci Episcopi. Videantur, quę de S. Marco Episcopo, & confessore dicta sunt pridie huius diei. Viæ Appiæ locus superadditus, quamquam cęmeterio Præteſtati, vbi S. Marcus depositus penes aliquos scriptores dicitur, facile accomodari posset, celebre tamen via Appia fuisse Marcelliani, & Marci cœmeteriũ nõ est negãdum ex Bibliothecario in Vita Ioannis PP. septimi. *Laborauit*, inquit, *in cœmeterijs Beatorum martyrum Marcelliani, & Marci, Damasiq. Sancti Pontificis*. Sanctos hos martyres extra vrbem sepultos, deinde in vrbem translatos, ignoto prorsus sepulcro, ætate nostra inuentos in Ecclesia S. Cosmæ, & Damiani cum S. Felicis Papæ corpore, & S. Tranquillini præsbyteri, hãc retinuisse vetustam, marmoreamque epigraphem refert Aringhius lib. 3. cap. 12. *Hic requiescunt corpora SS. Marci, & Marcelliani, & Tranquillini presbyteri*. Vnde cũ S. martyr Marcus nõ dicatur Episcopus, alium esse à Marco hac die memorato vix dubitarem, ac proinde Marcellianũ in Marcellum non esse commutandum, præsertim, quòd de his disertè agat M. Vetustius nostrum ad diem 18. Iunii, vt ibi diximus. Hoc addere visum est, ne Sanctus Marcus Episcopus, seu Pontifex Romanus pridie veneratus, ac sepultus ad S. Balbinam Via Ardeatina hic cum Sancto Marco, & Marcelliano confundatur; quoniã in vetusto hædino codice Canonicorũ Lucensium, in quo est Index cœmeteriorũ vrbis, scriptũ sic: *Cœmiterium Balbinę ad Sanctos Marcum, & Marcellianum via Ardeatina*. Cœmeterij Callisti partem, Præteſtati vocatam prius, deinde Balbinæ fuisse via Appia iam diximus die præterita, sed quia cęmeterium illud peramplum viæ Ardeatinæ veteri incumbebat, potuerunt hi ab aliquibus via Appia, ab aliis via Ardeatina recensèri. Iam proximũ fuisse, & cõtiguum S. Balbinæ, seu Præteſtati cœmeterium, vbi S. Marcus Pontifex sepultus fuit, cęmeterio Damasi, siue SS. Marcelliani, & Marci adducta Bibliothecarij verba suadent. Vnde nihil mirum Basilicam S. Marci Papæ foris muros vrbis apud eundem Bibliothecarium in Gregorio III. via Appia reponi, apud alios via Ardeatina: quæ ad confusionem nominum tollendam libuit adijcere.

In Capua Campaniæ. Additionem animaduertentes factam Capuæ de regione Campaniæ, dubitationem inge it, ne alia alibi Capua Vetustioris martyrol. nostri scriptoris nota fuerit. Aliam quidem apud Geographiæ lexographos nõ inuenio, sed in Epistola Siricij Papæ ad Anysium, & Episcopos per Illyricum constitutos in Collectione Holstenij p. 189. video memorari in partibus illis Capuense Concilium, quod à Capua illius regionis vrbe, vel opido dictum nõ dubitarem; vnde fortasse Antiquarius Vetustioris martyrolog. siue Illiricus S. Hiero-

Hieronymus addiderit *Capuæ Campaniæ*. Hos tamen martyres Quartum, & Marcellinum alibi in editis martyrologiis Capuæ tributos non inuenio, præterquã in Appendice, seu inter spuria Adonis, vbi totidem verbis hac ipsa die memorantur. Eos Ferrarius etiam præterit, sicuti Michael Monachus in sanctuario Capuano. Quartus, & Quintus memorantur, ex via latina Capuam translati vj. Idus Maij in Romano martyrolog., & ex vetusta in musiuo opere pictura idem Michael Monachus P. 1. Sanctuarij adolescentulos Quartum, & Quintum fuisse putat. Sed de his egimus ad diem 5. Maij, & alius est Quartus hìc memoratus. Quartũ presbyterũ Capuanũ nonis Nouembris recolit Beda, & in Vetustiori nostro martyrolog. eadem die Quartus veneratur, alius à socio Marcellini, cuius neque alibi memoriam inuenio. Marcellum addit M. Corbeiense, & forte presbyter ille, cuius in musiua pictura meminit idem Michael monachus, & ex eo Vghellius in Episcopis Capuanis, nec difficilis commutatio nominis Marcelli in Marcellinum esset.

Alibi. Deformatum hìc agnosco M. Vetustissimum, pro Iulia enim Tulliam exhibet, non modo contra fidem nostrorum codicum, sed Romani M., Vsuardi, Petri de Natalibus, Bellini de Padua, Maurolyci, Galesinij, & aliorum, qui Iuliam venerantur hac die, non Tulliam; præsertim, quia aliam maculam in eum incuriosus induxit librarius, dũ nomina Syrgi, & Bacci, seu Sergi, & Bachi in vnicum nomen *Sigibarci* oscitanter conuertit. Sanctam Iuliam Augustæ Euphratesiæ agonem compleuisse habet martyrol. Romanum sub Marciano Præside, quemadmodum etiam Vsuardus: sed amplius narrat, cum Sergio, & Bacco eodẽ loco fuisse sepultam: non quòd eodem tẽpore, & sub eodẽ iudice certamen absoluerit, sed diuerso cum Iulia scilicet sub Marciano Præside: Bacchus vero & Sergius in persecutione Maximiani, sub Antiocho Duce Orientis coronati fuerint, vt habent eorum Acta diffusiora ex Metaphraste apud Surium Tom. x. Quinimmo eadem Acta percurrens Ado, Bacchum ante Sergium in ipsis tormentis animam efflauisse narrat, in ciuitate nomine Barbaleso prope regionem Limitaneorum, siue in præsidio Surorum: Sergium vero in ciuitate Rosaphorum, seu Risapha; sed pauco post tempore piorum manibus S. Bacchi corpus trãslatum esse, vbi Sergius iacebat, & iuxta illũ fuisse depositũ: subdit autẽ, *Vbi, & Virgo Iulia, quæ sub Martiano Præside martyrium consummauit, sociata martyribus sepulta quieſcit*. quod etiam repetit, & confirmat Notkerus. Quemadmodum ergo Bacchus hac die 7. Octobris veneratur, quia tunc Sergius eius socius palmam acquisiuit, vt Acta testantur, licet ille per dies aliquot ante Sergium martyrium fecerit: ita, ne socij certaminis, & sepulcri disiũgerentur, de Iulia euenisse par est credere, vt scilicet eodem sepulcro cum sanctis martyribus Sirgio, & Baccho tumulata, eodem die venerationem acciperet Augustæ Euphratesiæ, vt habet cũ Romano martyrol. Vsuardus. Ambos Bacchum scilicet, & Sergium missos in vrbẽ Euphratesiam, ibi martyrium compleuisse, non tamen simul, & eodem die, habet Menologium Canisij, neq. ijsdem tormẽtis: Menologiũ verò Basilij, proscriptos illos missos fuisse à Maximiano Imperatore Augustinopolim refert, vbi agonem compleuerint; hoc est Bacchum diutissimè cæsum, Sergium post calceamenta ferrea, acutis clauis referta, gladio amputata ceruice palmam accepisse. An Augustinopolis eadem vrbs sit cum Euphratesia, & Rosapha, & Sergiopoli, vt vocat Euagrius lib. 4. Hist. cap. 27. incertus, qui vetustius martyrol. concinnauit, incertum locum scripsit *alibi*.

S. Matthei. Nullibi præterquam in mss. adductis libris hac die video S. Matthei Euangelistæ natalem memorari, neque aliquid addendum mihi succurrit ad ea, quæ ad Indic. Apostolorũ adduxi.

Bin-

Bituricas. De S. Augusto presbytero agit Romanum martyrolog. hac ipsa die ex Gregorio Turonensi, ex quo vt notat Baronius acceperunt Maurolycius, & Galesinius. At præter mss. adductos codices eius etiam memoriam renouat Appendix ad Adonē. Nihil de eo exhibet Lebbeus in Patriarchio Bituricēsis pauca Saussayusad hanc diē. Sammarthani in Desiderato vigesimo Archiepiscopo Bituricensi S. Augusti meminerunt, & ab eo, qui famulus S. Desiderati fuerit circa annum 550. ædificatam fuisse Ecclesiam S. Martini prope Castrum, ibiq. Abbatem præpositum ab eodem Desiderato referunt,

VIII. Idus Octobris.

SAnctæ Reparatæ. In Antiochia Diunisi Episcopi. Ianuarij. Faustini martyris. Martialis, Priuati. Eracli. Iuliani. & Pelagiæ.

OCTOBRIS 8.

REpetuntur non sine aliqua confusionis suspicione Antiocheni martyres, pridianis tabulis expressi, in M. Vetustissimo, saltem pro maiori parte nominū, immutato tamen loco Antiochiæ ibi signato, cum incerto *alibi*, & diuerso numerandi ordine videlicet. *VIII. Idus Octobris. Antiochiæ Pelagiæ, & alibi Iuliani, Martialis, Priuati, Faustini. Romæ Eusebi, Eracli, Dionysi, Candidi tituli sui. Laodiciæ Frigiæ natalis Diodori, & alibi Attici, Lugduli, Septimi, Iuli. Galliæ ciuitate Coloniæ Aggripinæ Sācti Gereon, & aliorum cccxcv. martyrum. Cretæ ciuitate Augustæ natalis Affreniç. Parisijs ciuitate Sanctorum Dionysij, Eleutheri presbyteri, & Rustici Diaconi. Romæ Marcellini, Gemini, Nuvij, Sanctę Primitiæ. Ciliciæ Taraci, Probi, Andronaci. Depositio Beati Farinilsi.* Dissonant hæc à libris nostris nostris, & martyrol. Corbeiensi, tùm quòd Antiocheni martyres cum Dionysio Episcopo anteacta die referuntur, tùm quòd alij postridie iuxta ordinem nostrorum codicum, & martyrol. Corbeiensis, in hodiernis fastis recensentur; nos nihil immutantes libros nostros, & Corbeiense martyrol. in concordi fastorum lectione sequi maluimus. In hoc ita breuiter hodierni cælites annotātur. *viij. Idus Oct. In Antiochia Dionysij Episcopi, Ianuarij, Faustini mart. Martialis, Priuati, Eracli, Iuliani, Pelagiæ.*

S. Reparatæ, Clarissimæ in Thuscia martyris Palestinæ Cæsariensis locum agonis subticuerūt in Vetustiori M. libri nostri, sed neq. nomen hac die exhibēt M. Vetustissimū Antuerpiēse, neq. Corbeiense. Non ita Romanum, Rabanus, & Beda: Adonem addit Baronius de more pro eius Appendice: nec tacuit Notkerus, qui eius Acta delibat: strictim etiam eadem habet Rabanus, & Petrus de Nat. lib. 9. cap. 39. quæ diffusiora Mombritius. Habemus & nos eadē acta in peruetusto Hagiologio nostro ms. sub die viij. Idus Octob. in quibus durissima, quæ sustinuit tormenta præclara puella numerantur, nō sub Decio Imperatore, sed sub Decio Præside, & ciuitas, in qua nata nobili genere agonē cōpleuit Cæsariensis dicitur, nō verò additur in Palestina. Sed Cæsareæ Palestinæ agonē cōpleuisse ante Petrum de Natalibus docuerunt Rabanus, & Notkerus. De Sancti corporis translatione Florētiam processu temporis docet idem Petrus de Natal., modum autē non docet. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ indicat Florētiæ recoli 8. Octobris. Corpus vero Lucæ asseruari in Ecclesia S. Ioannis, & rursus in Indice Sanctorū corporum

corporum,quæ diuersis locis assignantur repetit corpus *S. Reparatæ virginis, & martyris Lucę in Ecclesia S.Ioãnis: Theani in propria Ecclesia*. Theani corpus S. Reparatæ Virginis, & martyris quiescere docuit Vghellius T.6. Italiæ sacræ in Ecclesia Theanensi. Templum verò insigne S.Reparatæ dicatum,antiquitus cõstruxisse tantum Florentinos docet idem Vghellius in Metropoli Florentina, penes quem nihil de S. Virginis corpore ibi asseruato legisse memini: eidẽ tamen vrbi eandẽ astruit Baptista Mãtuanus de sacris diebus lib.10.

Cęsarienſis eram viuens: post fata cadauer
Venit in arua meum Fæsulis subiecta, cubatq;
Quà Tuscus decurrit aquis torrentibus Arnus.

ad carmina hæc, quæ Molanus adducit sub hac die in additionibus ad Vsuardũ, in nota marginali ad verbũ illud *cubatq;* addit *apud Armenses in territorio Bononię*. At dictum est alibi celebriores præsertim martyres pluribus in locis veneratos esse, tanquam illìc in corpore requiescerent, quòd ibi notabilis tantum reliquiarum portio seruaretur, vt de S. Reparata accidere potuit,quam antiquitus Lucæ in Etruria celebrem fuisse non dubito. Ecclesiam habuit suo nomini dicatam, & quæ Plebs totius ciuitatis inuetustis monumẽtis illius Basilicæ nũcupatur.Hæc vt plurimũ solo sanctæ virginis,ac martyris titulo vocatur, aliquando SS.Reparatæ, & Pantaleonis, nunc insignis Collegiata SS.Ioannis,& Reparatæ dicitur ex contigua S. Ioannis Baptistæ Ecclesia, olim & ante Christi aduentum Idoli alicuius superstitioni dicata, vt antiqua fert traditio, & ipsius templi structura suadet. Corpus S. Virginis, & martyris ibi aliquando quieuisse aliqua mss. tradunt, nunc verò vbi requiescat, & an ibi reliquiæ eius sint ignoratur. In omnibus Lucensis Ecclesijs calendarijs eius celebritas notatur, & in Kalendario Hieronymiano peruetusto Canonicorum Lucensium ita legitur mẽse Octobris. *VIII. Idus Reparatæ Virginis*. In vetusto codice sacrarum cęremoniarum in eadem Biblioteca eidem præfixo calendario scribitur. *In die S.Reparatæ Vespera maiores, & Missa ad S. Reparatam.* In alio Breuiario hædino penes me mense Octobris ita signatur. *VIII. Idus Reparatæ Virginis, & martyris*. In libro ms. penes me in quo Italica lingua notantur Historiæ sanctorum, quorum corpora in Vrbe Luca requiescũt pag.1. ita legitur. *Corpus S. Reparatæ Virginis, & martyris iacet in Ecclesia S. Ioannis maioris*, & p.101. vita Sanctæ Reparatæ ex Hagiologio nostro, aut consimili, desumpta narratur,atq; in ea ad calcem hęc Italicè adnotata leguntur p.103.*Sanctissimum eius corpus* (S. Reparatæ) *sepultũ fuit à Christianis valde deuotè, & deinde translatum Florentiam, & inde Lucam, quod iacet in Ecclesia S. Ioannis maioris, & vocatur S.Ioannis, & Reparatę, cuius corpus veneratur à supremo magistratu in eius solemnitate*. Vetustus non est liber, sed à Laurentio Trenta nobili ciue Lucano scriptus anno 1585. ex latinis, & vetustis,vt profitetur, monumẽtis,& antequã Cæsar Franciottus Historiam Sãctorum Lucensium ederet. Appendix ad Adonem S. Reparatæ aliam martyrem superaddit 8. Idus Octobris. *Item Reparatæ, & Gocla virginis*.

In Anthiochia Dionysi. Antiochenos SS. martyres, quorum Antesignanus Dionysius Episcopus est, nullibi memoratos inuenio,præterquam in Molano ex Colonienſium Carthusianorũm additionibus ad Vsuardum, his verbis. *Item Dionysii Episcopi, Ianuarij cum socijs eorum*. Hi socij, supra Dionysium Episcopum,& Ianuarium,quinque in libris nostris numerantur,excepta Pelagia, quæ in ijsdem seiunctim recensęri videtur, licet in M.Corbeiẽsi aliis videatur sociari, quemadmodum in M. Vetustissimo pridie huius diei, vt ibi adnotauimus; hac enim die ibi Dionysius Episcopus Antiochiæ non recolitur, & alibi incerto

loco Iulianus, Martialis, Priuatus, Faustinus indicantur, qui dempto Eraclio, inter Romanos martyres ab eodem martyrol. annumerato, ijdem sunt nominibus cum quatuor ex Antiochenis. Hærebam hìc autem, an deprauatio ascribenda esset libris nostris, & Corbeiensi, an verò Antuerpiensi. Apud Galesinium videbā ex libris scriptis, sed quibus parum fidendū sit, Autisiodori Sanctos Dionysium, & Faustinum tribui: apud Ferrariū vero in notis adhanc diem in Generali catalogo Galesinium, & Molanum adduci, quasi locum venerationis SS. Dionysi, Ianuarij, & Faustini tacuerint, sed expresè Galesinium videbam pro Dionysio, & Faustino Autisiodorum signare, & ex eo nudis verbis Sausayum in suplemento transtulisse. Cum ergo in hodiernis fastis Dionysium, Ianuarium, & socios, inter quos Faustinus numeratur, ex pluribus codicibus signatos viderem, nō difficile existimaui Antuerpiensis M. antiquarium, vt repetitam aliquorum SS. martyrum venerationem ab hodiernis tabulis auferret, in pridianas Dionysium Antiochenum Episcopum, ac socios transtulisse; quā incongruam translationem conuincit S. Pelagia Antiochena, quæ omnibus martyrologijs, vt mox adnotabimus viij. Idus Octobris, non verò Nonis recolitur. Vix autem dubitarem, Galesinium pro Antiochiæ decurtato nomine, Autisiodori legisse, vel etiā ita scriptum esse in suis malæ notæ libris, vt frequenter animaduertimus. At sicuti vitiatum in hoc esse M. Antuerpiense coniectamus, ita veremur in Romanis martyribus mutilos esse libros nostros, & M. Corbeiēse, & post Pelagiam, reliquosq. martyres Antiochenos restituēda in illis esse ad hanc diem verba illa, *Romæ Eusebi, Eracli, Dionysi, Candidi tituli sui*. Sed aliorum codicum fide destituti, nihil asserere audemus, sicuti de titulo Candidi nihil adhuc inuenisse fatemur.

Et Pelagiæ. Trium sub Pelagiæ nomine sanctarum mulierum memoriam renouant hac die Græcorum Menologia, tam Sirleti, quam Basilij. Tarsensem in Cilicia martyrem hìc nō agnosco sub Diocletiano coronatam, cum inter Antiochenses martyres numerari Pelagia hæc in adductis mss. videatur. Hierosolymis pœnitentem Pelagiam recolit M. Romanum emendatum, & peccatricem, seu pœnitentem omnia ferè latinorum martyrologia non indicato venerationis loco hac die recolunt. At quæ Hierosolymis in Monte Oliuarum pœnitens narratur, Antiochena altera est, ex Antiochia Syriæ, vt notant Menologiā, sed quia hæc in cella inclusa quieuit in pace, & in libris nostris, Corbeiēsi, & Antuerpiensi, nulla addita pœnitentis distinctiua nota, inter martyres recensetur, alteram potius Pelagiam, & tertio loco à Græcis veneratam indicare videntur. Hæc pariter ex Vrbe Antiochiæ Syriæ, nobilibus orta parentibus, in eadem vrbe militibus circumdata Præsidis iussu, quòd Christiana esset, timens integritati suæ, ad orientem orans, vt intacta ad Deum rediret, honestè induta, mirante Præside impollutum spiritum Deo reddidit, sub Numeriano Imperatore, vt addit Menologium Basilij; inchoato quidem in captura martyrio, non vero per tormenta, ita largiente Domino, absoluto. Hanc sub Numeriano virginem obijsse non implicat, quemadmodum de pœnitente à Nonno S. Episcopo conuersa implicaret, quod Baronius iure redarguit. De puella hac virgine, & martyre Pelagia Antiochena Homeliam habuit 42. D. Ioannes Chrysostomus, in qua Acta ex Menologijs adducta oratorio stylo percurrit, & martyrem non semel appellat.

Natalis

VII. Idus Octobris :

NAtalis Sancti Domnini martyris. In Ciuitate Laodociæ Frigiæ natalis Diodori. Et alibi Attici, Budduli. Luddoni. Septimi. Iu'ij. In Gallia Ciuitate Coloniæ. Agripini Natalis Sanctorum cccxvij. martyrum, quorum nomina Deus scit. In Prouincia Creta Ciuitate Augusta natalis Sanctæ Afræ martyris. Parisius natalis Sanctorum Diunisi Episcopi. Eleutheri Diaconi, & Rustici præsbyteri, & Confessoris. Romæ Marcellini. Gemuini. Nuuij, & inter duos Lauros Sancte Primine. In Cilicia Taraci. Probi, & Andronici.

OCTOBRIS 9.

ABundat in libris nostris supra M. Corbeiense, & Antuerpiense Sanctus Domninus martyr, quē forte vti Sanctā Reparatā in pridianis fastis addere potuerunt Lucenses clerici, quòd in Vrbe, & Ecclesia illa, cuius vsui codices nostri inseruiebant, sanctus martyr Domninus peculiari veneratione recoleretur, & cui adhuc Ecclesia dicata extat: eiusdem tamen memoriam agunt omnia ferè latinorum edita Martyrologia, Romanum in primis, Beda, Rabanus, Vsuardus, & eius Acta Mosandri industria ex antiquis mss. libris eruta, prostant apud Surium nouissimæ editionis Tomo x.; & eadem, in aliquibus nonnihil diuersa, estant etiam in peructusto Hagiologio nostro; in quo pariter Domnini certamen signatur quinto decimo milliario à ciuitate Iulia Chrisopoli prope flumen Sistionem vij. Idus Octobris. De hac vrbe videndus est Cluuerius Italiæ antiquæ lib. 1. cap. 27. p. 269,, qui putat S. Domninum martyrem cæsum esse circa Fidentiam, & Fluuium Sisterionem; Iuliam verò vrbem Parmā esse, quæ an aliquando Chrysopolis dicta sit valde ambigit. De corpore S. Domnini in Burgo quiescente meminit Luitprandus Hist. lib. 1. cap. xi. *iuxta Fluuium Sesterionē ad Burgum in quo Sanctissimi, ac præcioſi martyris Domnini* (Dominici aliqui legunt) *corpus positum est.* Post S. Domninum libri nostri Laodicenum martyrem referunt Diodorum, seu Theodolum, qui in M. Corbeiensi ita hodiernos fastos auspicatur. *VII. Idus Oct. In Ciuitate Laodicia Phrygiæ natalis Sācti Theodoli. Et alibi Attici, Ludduli, Septimi, Iuli. Colonia Agrippina Ciuitate natalis Sanctorum trecentorum septemdecim martyrum. In Prouincia Creta, ciuitate Augustā natalis Sanctæ Afræ martyris. In Ciuitate Vienna multorum martyrum. Parisius natalis Sanctorum Dionysii Episcopi, Rustici presbyteri, Eleutherij Diaconi. In Centulo Monasterio, translatio corporis B. Bicharij Confess. Romæ Marcelli, Genuini, Nonij, Iustis. Inter duas Laurus Sanctæ Primine, Casti, Iulii. In Cilicia Taraci, Probi, & Andronici. In Centulo Monasterio depositio corporis B. Bicharii Cōfess. Corbeiæ Monasterio depositio Theodori Abbatis.* Iā vero in pridianis tabulis adnotauimus M. Antuerpiense minus cū Corbeiēse, & nostro cōgruere; quoniā in superiorē diē, Ladicenū in Phrigia martyrem Diodorum, vel Theodolum, cum reliquis incerti loci martyribus, aliisq; hac ipsa die veneratis cælitibus, minus appositè transtulerit, confusosq. esse in

codice illo vetustissimo sequentes dies vsque ad v. Idus Octobris infra patebit. Vnde videtur restituendum *VII. Idus Oct.* à verbis illis *Laodicię Frigię*, vsque ad finem laterculi iam superiori die integrè appositi. Equidē martyres, qui vij. Idus Octobris signantur in codice Antuerpiēse, ex fide nostrorum codicum, & M. Corbeiensis ad vj. Idus pertinent, demptis Diodoro, & Dionysio, qui malè ex iam supra recensitis reiterari videntur. Ex pluribus Laodiceæ nomine vrbibus hìc signāter exprimitur Laodicea Phrygiæ, seu Lydiæ regionis ad Sycum fluuium. Diodorum martyrem hunc Phrygem vocant, tam libri nostri, quam M. Antuerpiense bis repetitum; Theodolum verò M. Corbeiense. Diodorum cum Didymo Græci venerantur Laodiceæ die x. & xj. Septembris cum Diomede, & Dydimo, sed expressè illic signatur Laodicæa Syriæ.

Alibi. In libris nostris non quatuor incerti loci martyres, vt habent MM. Antuerpiense, & Corbeiense, sed quinque recoluntur: post Atticum enim antesignanum Buddulus numeratur, qui in illis desideratur, & pro Lugdunio Lugdulus, siue Luddulus in ijsdem scribitur; neque alibi horum memoriam licuit inuenire.

In Gallia. Antiquarius Gallicus Coloniam Agrippinam Vbiorum vrbem Germaniæ, in Gallijs constituit, deficit proinde vox illa in Gallia in M. Corbeiensi; sed in Gallijs retinet M. Antuerpiense, nempe in Gallia superiore vti vocat S. Athanasius in epist. ad solitarios, quem emendādum, vel more astrologico explicandum monent Sammarthani, cum re vera Agrippina sit in ea Galliæ parte, quæ Ptolemæo Germania inferior dicitur. Penes eosdem To. 4. Galliæ Christianæ scriptores extant, qui Coloniam Agrippinam in Gallia reposuerint. Anonymos in hac vrbe martyres recolunt libri nostri numero cccxvij. totidemq. M. Corbeiense. Nouemdecim supra trecētos cum Gerone habet ad hanc ipsam diem Notkerus. Trecentos decem & octo Petrus de Natalibus cum Gerone, siue Gerione, sed die sequēti VI. Idus, ex Beda, Vsuardo, Adone, Romano M. & alijs recentioribus, quorum plurimi existimāt sanctos martyres fuisse ex legione Thebea. Numerum auget M. Vetustissimum ad cccxcij. nisi mendum sit in numerali nota. Videnda, quæ de socijs S. Gerionis, & alijs martyribus Mauris postridie annotamus, & ad diem xv. Octobris,

In Prouincia Creta. Ex centum vrbibus olim dicta fuit Creta Insula Hecatompolis. Inter has plurimas vrbes aliquando Augustam fuisse apud scriptores cum non inuenerim, facile fuit suspicari Cretæ nomen in libris nostris fuisse corruptum, præsertim quòd Prouincia non Insula dicatur. Appendix ad Adonem mendum adesse confirmauit, ac emendationem subiecit. Ita enim scriptum refert vij. Idus Octobris. *In Prouincia Rhesa Ciuitate Augusta Sanctæ Afræ martyris*. Nomen martyris Afræ commune est, tam libris nostris, quam martyrolog. Corbeiēsi, licet Affreuiæ habeat M. Antuerpiense, & pariter legat *Cretæ ciuitate Augusta*. At si pro Creta Rhetia scribatur nomen vrbis, & martyris ritè componitur, vel si mauis etiam Rætia, sine aspiratione aliquibus scriptoribus nomen vsitatum. In hac vrbe Vindelicorum Afram martyrem venerari testes sunt M. Romanum, Vsuardus, & Ado ad diē v. Augusti. De sancta Afra, & Afro aliqua diximus ad diem v. vj, & vij. illius mensis. Dies Passionis S. Afræ Augustanæ non exprimitur in Actis apud Surium, & Vicelium; vnde mense Augusti potuit esse, vel translationis celebritas, vel natalis martyrij, sicuti & hac ipsa die, quando altervtrum affirmare mihi difficile est.

Parisius. De Dionysio Parisiensi, & socijs longissimæ sunt apud scriptores sacræ Galliæ disceptationes. An idem fuerit cum Areopagita Athenienſi digladiātur ciuili bello recentiores. Docti aliqui

viri

viri non consentiunt eosdem esse, & inter posthuma ad martyrologium Rom. animaduersa Lucæ Holstenij, accerimi iudicij viri, & eruditi scriptoris Romæ edita, adnotatum lego, omnia martyrologia Dionysium Athenienſem Episcopū, & martyrem ab hoc Dionysio Parisiensi Episcopo, itemque martyre clarè distinguere, *quos*, inquit, *nunc vulgò omnes Hilduini auctoritate, & exemplo male cōfundunt*. De Parisino tantum hìc agitur ijsdem verbis, quibus Milletus aduersus de Launoy testatur prostare in ms. martyrologio S. Eusebij ex Corbeiensi Bibliotheca, quod idem facile est, ac editum à Dacherio. Celeberrima in Gallia deputationis monumenta colligunt ex Sirmūdo, Milleto, Laonoyo, & non dum edito Marino Sammarthani fratres in Dionysio T. 4. Galliæ Christiana, & litem sine decisione relinquunt. Nec plus in hac cōtrouersia mihi assumere licet, quam Vetustioris martyrologij codices velint, in quibus de Atheniēsi seiunctim agitur.

Romæ. Appendix ad Adonem, cuius auctor sicuti multa ex cōsimili Vetustiori nostro martyrol. mutuatur, ita etiā hac die scribit. *Romę Marcellini, & Genuini & inter duas Lauros Primina*. Rectè quidem ad fidem librorum nostrorum, & M. Antuerpiensis, sed diminutè. Ad Genuinum enim, siue Gemuinum addūt Nuuium, vel Nouium, & amplius Iustum M. Corbeiense. Plures Marcellini nomine Romani martyres in Romano martyrol. recoluntur, & etiam in Vetustiori nostro, nullus cū Genuino, siue Gemuino. Via Labicana cœmeteriū erat inter duas lauros vocatum milliario tertio ab vrbe, vt latè describit Aringhius lib. 4. cap. 9. Romæ subt. Ibi sepultam, vel veneratā indicant S. Priminam libri nostri, & martyrol. Antuerpiense, quam Primiuam vocat martyrol. Corbeiense. An *Firminæ* potius legendum esset? Hæc in cœmeterio inter duas lauros vnà cum Lucilla, conspicuæ sanctitatis fœmina, in persecutione Diocletiani cubiculum sibi cōstruxit propè corpus S. Tiburtij Senatoris, & ipsius monitu, & BB. Marcellini, & Petri, horum corpora in eadem crypta inter duas lauros deposuit, vt ex eorundem Actis habetur. Verisimile enim admodum esset, tam dirę persecutionis tempore sanctas mulieres Firminam, & Lucillam, in tam pio exercitio versantes martyrio etiam fuisse coronatas. Cum vero tam Appendix ad Adonem, quam libri nostri, & Antuerpiēsis Priminam omnino retineant nihil muto.

In Cilicia. Omnia ferè latinorum martyrologia de SS. in Cilicia martyrībus Tharaco, Probo, & Andronico agūt infra ad diem xi. Octobris, ad quam diē extant Acta eorundem Proconsularia, ab Heriberto Rosuueido integritati suæ restituta Tom. x. nuperæ editionis Surij. In his post trinam interrogationem, & sæuissima tormenta, sanctos martyres confossos esse in Amphiteatro v. Idus Octobris, scribitur ad calcem ex relatione clericorum Ciliciæ. In Tarso Ciliciæ agonem perfeciſſe videntur docere alia acta ex Metaphraste, sed pugnāt cum actis Præsidialibus, quæ passionis diuersa loca distingunt: locum verò consummati certaminis nō exprimūt. Quia autē celeberrimi martyres non ex una patriā erāt, Tarachus nempe ex vrbe Claudiopoli, Probus ex ciuitate Perge Pamphyliæ, Andronicus Ephesinus, fieri potuit, vt non tantum in agonis loco recolerentur, sed educti è specu, vbi primùm sepulti fuerunt, translationis etiam celebritatem, & natalem haberent. Vnde variē eorundem cōmemorationes exvrgere potuerūt, vt apparet in M. Vetustiori nostro, in quo eorum memoria agitur v. Aprilis, xiij. Maij, & xxvij Septēbris, vbi videnda sunt, quæ diximus. Fortasse etiam accidit, vt sancti martyres, quia in pluribus locis passi sunt, in memoriam celebrati ibi agonis dies festos vbique habuerint. Pompeiopoli primùm capti sunt. Secunda interrogatio facta est in Tarso Ciliciæ. Tertia in Azorbo Ciliciæ ciuitate, vt habent Gesta Præsidialia. Menologium Basilij,

Mopsuestiam Archiepiscopalem vrbem Ciliciæ trãspositos, agonem compleuisse affirmat die xij. Octobris: qua etiam die in Menologio Canisij venerantur. Azorbum ciuitatem corruptè legi in actis illis Præsidialibus veritus sũ, minus verò corruptè in martyrolog. Vetustissimo ad diem v. Idus Oct. *In Anazoboni*. Vtrobiq; enim restituendum putarem Anazarbo, quę Ciliciæ vrbs est Dioscoridis Botanici patria.

VI. Idus Octobris.

IN Africa Eusebij. Eraclij. Dionisi. Septimi. Sciendi. Salsi. Et Alibi Caiti. Quintasi. Septimini. Venusti. Beati. Secundi. Donati. Serene. Crisceti. Taraci. Probi. Andronici. Niceti. Vitalis. Firmini. Eracli. Cassi. Eusebi. Florenti. Victoris. Agripini. Maruſi, cum alijs cccxxx.

OCTOBRIS 10.

IAm diximus cælites, qui vij. Idus Octobris in M. Vetustissimo recensentur ad vj. Idus diẽ pertinere ex aliorum, tùm mss. tum editorum librorum consensu. Quapropter sub nono die signatos in hunc decimum sacros illius fastos ità retulimus. *VII Idus Octobris. Frigia Diodori, & Dionysii. Africa Eusebi, Eradi, Dionysii, Septima, Secunda, Salsa, & alibi Caiti, Quintisi, Septimini, Venusti, Beati, Secundi, Donati, Serena, Crescenti, Taraci presbyteri, Andronici, Niceta, Vitalis, Firmina, Eracli, & alibi Cassi, Eusebii, Florenti, Iocundi. Agrippinę depositio Sanctorum martyrum Maurorum cum alijs cccxxx.* Neq; enim in codice illo ad vj. Idus Octobris alij martyres indicantur, nisi aliqui ex Africanis iam cum anteacto die confusis hoc pacto. *VI. Idus Octob. In Africa natalis Eusebi, Eracli, Dionysi, Secunda, Salsa.* Neque antiqui exceptoris erratum inuenerabili illo S. Vvillibrordi codice tãtum arguunt libri nostri, sed ita etiam expresse conuincit martyrol. Corbeiense, *VI. Idus. Octobris. In Africa Eraĉli, Dionysii, Septimię, Secundę, Salsę. Et alibi Caiti, Quintasi, Septimi, Venusti, Beati, Secundi, Donati, Sereni, Crescenti, Taraci, Probi, Andronici, Niceti, Natalis, Firmini, Heraĉli, Cassi, Eusebi, Florenti, Victoris, Agrippinę, Malluſii, cũ alijs trecentis triginta martyribus. Eodem die natalis S. Cerbonij in Populonio.* Idem confirmant codices mss. Galesinij alioquin non optimæ notæ; ex his enim Africanis martyribus aliquos, præter quam apud ipsum ex libro scripto inuenire non licuit, sub hac ipsa die his verbis. *In Africa Sanctorum martyrum Euboraci, Eusebij, Sereni, & Probi.* Corruptè quidẽ, nam in martyrol. Antuerpiensi, & libris nostris non modo Eusebius est anteignanus, sed dubitare licet Euboracum pro Eraclio scriptum esse, sicuti certum est, Serenum, & Probum Africanis permisceri, qui disiuncti omnino sunt. Sufficiat autem hinc haurire, Africanos, aliosq. enumeratos martyres ad hanc diẽ pertinere. Eusebium in Corbeiensi exceptoris vitio desiderari crederem.

Et alibi. Nouem incerti loci martyres numerantur in libris nostris, in Corbeiensi, & ijsdem prorsus nominibus in Antuerpiensi ante Taracum Probum, & Andronicũ; de quibus iam latè dictum est alibi, & nuper in pridianis tabulis. Quamquam enim in fine actorum eorũdem sacrorum pugilum scriptum sit agonem

nem compleuisse v. Idus Octobris, diuersis tamen diebus, & pluries veneratos esse monuimus; & licet impossibile non sit alios etiam martyres Taraci, Probi, & Andronici nomine donatos eadem die martyrium fecisse, vel veneratos esse, difficile tamen videtur eadē tria nomina simul, & iterum tribus alijs martyribus conuenire. Facilius id quidem accidisset si Taracus Presbyter fuisset, & Andronicus tantum socius inter incerti loci martyres numeraretur, vt habet martyrol. Antuerpiense. Nec Petrus de Natal. dissentit, dum lib. 9. c. 51. titulū fecit ad historiam eorundem martyrū *de S. Tharaco presbytero, & Andronico mart.* licet re vera ex ipsa actorum serie appareat, quòd Tharacus Ciliciæ non presbyter, sed miles fuerit emeritus, & senex lxv. annorum. Vnde suspicari subijt, ne in M. Antuerpiensi nomen Probi, quasi breuiatum presbyteri librarius legerit, & ita in exemplo scripserit. Sed mirum quod sequenti die martyrol. Vetustissimum presbyteralem titulum non Tharaco, sed Andronico tribuit. Post hos sub eadem classe martyres incerti loci *alibi*, quatuor alij cælites laureati numerantur in martyrol. Antuerpiēsi, nempe Niceta, Vitalis (non Natalis vt habet Corbeiense) Firmina (Firminas est eidem Corbeiensi, & libris nostris) & Eraclius. Qui enim sequntur tanquam alterius incerti loci martyres in eodem martyrol. Antuerpiense recensentur, videlicet Cassius, Eusebius, Florentius, & Iocundus, quorum postremus in codicibus nostris, & Corbeiensi, non Iocūdus, sed Victor nuncupatur. Ex his Cassiū, & Florentium, cum socijs septem sub Maximiano coronatos, narrat Petrus de Natal. lib. 9. cap. 46. apud Beronam vrbem Galliarū, eosq; ex ccclx. militibus fuisse, quos ex Mauritania pro corporis sui custodia in Galliam Imperator deduxerat. Narrat autem post quam legionē Thebeam Maximianus occiderat, hos sanctos milites illum auersatos in diuersa loca fugisse. Inter quos cum præcipuè essent Cassius, Florentius, Geron, Malosus, & Victor, cum trecētis quinquaginta quinque, trino martyrio tribus in locis coronatos esse, ac vna & eadem die ab Ecclesia veneratos ex Helinando affirmat idē Petrus de Natalibus, qui eorum certamina ita distinguit. Cassius, & Florentius cum alijs vij. apud Vrbem Beronam circa Rhenum, vel vt legunt alij, Veronam, vel Petronam; Geron cū socijs cccxviij. apud Coloniam Agrippinam; Malosus, & Victor cum socijs xxx. post alios fuisse coronatos apud Francorum Xanthum, siue Troiam nuncupatam vrbē. Cassium & Florentium recolit martyrol. Romanum Bonnæ in Germania, Coloniæ Agrippinæ Gereonem cum alijs cccxviii. & in eiusdem territorio Victorem, & socios. Ac Helinandus ex quo accepisse videtur Petrus de Natalibus, & qui SS. Gereonis, & sociorum martyrium scripsit apud Surium T. x. Gereonem, Victorem, Cassium, Florentium cum eorū socijs ex legione Thebæa fuisse manifestè docet, & passos vt supra, ac diuersos esse à trecētis, & quinquaginta martyribus, qui pro fide catholica trucidati cum S. Gereone, & socijs quietem tamen & sepulcrum habuerunt.

Agrippinæ. Agrippinæ omnino legēdum esse, pro Vrbe non martyre, quæ iam notauimus, & sequentia docent, & ita prorsus legūt martyrol. Vetustissimum, & Corbeiense. Gereon hic non exprimitur, sed Mallusius, qui est vnus, & idē. Monent siquidem Vsuardus, & Ado Gereonem cognomento fuisse dictum Mallosium, vnde Petrus de Natalibus, & alij emandandi sunt, qui Gereonem, & Mallosium, siue Mallutium duos diuersos martyres putant. De Mauris martyribus hic agi monet M. Antuerpiense, sed hos ex Helinando iam diximus diuersos esse à militibus stipatoribus Maximiani, seu potius à socijs S. Gereonis, quorum memoriam egit Vetustius nostrorum martyrol. pridie huius diei. Nec mirum est eos cum S. Mallusio, seu Gereone recensēri, quoniam in eodem loco

sepulti

ſepulti ſint : & quamquam Mauri poſt Gereonem, & ſocios coronam acceperint non eodem tempore, ſimul tamen veneratione accepiſſe idem Helinandus docet. In cuius hiſtoria cum non cccxxx. Mauritaniæ milites, ſeu Mauri martyres ſint, ſed cccl. niſi numeralis nota corrupta ſit: alij videntur eſſe ab his, quorum expreſsè memoria agitur infra Idibus Octobris. Libri enim noſtri cum MM. Corbeienſi, & Antuerpienſi anonymos milites omnino legũt cccxxx. quo numero ab Helinando deſignantur ſocij S. Victoris, vnde legendum videretur: *Victoris, Agrippinæ cum Malluſio*. In eodem enim Territorio Coloniæ Agrippinæ cum Victore cccxxx. milites veneratur martyrol. Romanum hac die. Sed videnda eſt diſtinctio, quam ex Helinando infra adducimus Idibus Octobr. Addit M. Corbeienſe ad calcem huius latereuli memoriã S. Cerbonij Epiſcopi Populonienſis, qui in nóſtro & Antuerpienſi deſideratur; quamuis in Eccleſia, cuius vſui fuerunt libri noſtri, S. Cerbonij memoria celebris ſit, & propè Vrbem Lucam Eccleſia S. Cerbonio dicata exiſtat, penes quam dudum ſacrarum virginum Parthenopeum fuit, nunc Reformatorum S. Franciſci Aſceterium perdurat.

V. Idus Octobris.

IN Aceruo Siciliæ Sancti Tanaſi Presbyteri. Ampodi. Placidi. Fauſti. Ianuarij. Martialis. Marcelli. In Antiochia S. Eraclei. *Et in Gallia Turonis S. Venantij Abbatis, & Confeſſoris.*

OCTOBRIS 11.

IDem hunc, quẽ in omnibus ferè MM. latinorũ, Sanctis Tharaco, Probo, & Andronico Cilicibus martyribus dicatum legimus, in libris noſtris rectè ne ſit exaratum anſam, præbent dubitandi ſeptem numerati martyres, qui Siciliæ apud illius inſulæ chorographos non inuenio, & tamen ita ſcribitur in M. Corbeienſi. *V. Idus Oct. In aceruo Sicilia S. Athanaſij presbyteri, Ampodi, Placidi, Fauſti, Ianuarij, Martialis, Marcelli, Iuuiniani. Antiochia S. Eracly. Eodem die S. Nicaſi, & aliorum martyrum.* Suſpicionem auget M. Vetuſtiſsimum Antuerpienſe, in quo ita legitur. *V. Idus Octobris in Anazoborj Cilicia natalis Taraci, Probi, & Andronici presbyteri, Ampodi, Placidi, Fauſti, Ianuarij, Marcialis, Marcelli. Antiochia Eracli.* Plurimũ enim differũt Aceruum Siciliæ, & Anazaborũ Ciliciæ licet Ciliciæ, & Siciliæ nomina facilè poſſent ſimul immutari, & cõfundi. Ferrarius qui in Catalogo SS. Italiæ nullos hac die Siculos martyres profert, in Catalogo nouo Sanctorum die xi. Octobris. *Milę in Sicilia plurimorum Sanctorum martyrum ſub Tertullo Præſide* memoriam recolit, & ex martyrologio Siculo accepiſſe innotationibus fatetur. An Mylæ oppidũ intelligit, ſiue Siciliæ peninſulam, in qua ſolis boues paſcua habuiſſe fabulantur poetæ? An aceruum circa Mylas illud eſſet, qnod Seneca natural. quæſt. lib. 3. cap. 26. lutum, ſtercoroſumq; quidpiam vocat, & quod in littus impingit mare circa Meſſanam, & Mylas? diuinandum mihi non eſt. Quòd vero in codicibus noſtris, & Corbeienſe nulla de Tharaco, Probo, & Andronico memoria hac die recolatur, cauſa eſſe potuit, quia duobus præcedentibus diebus, & alibi

de

de ijsdem abundè actum sit. In M. Antuerpiensi ad diem vij. Idus monuimus potius Anazarbo legendum esse, quam Anazoboro. Neque mendum ab eodem codice credimus abesse, dum Andronico præsbyteratus ordo iungitur, cum in Actis Præsidialibus adolescēs, & puer Andronicus vocetur cap. 3. Vnde subiit dubitare, ne in illo deficiat post Cilices martyres etiam Siculorum memoria, quæ à Tanaso, uel Athanasio presbytero incipit in libris nostris, & Corbeiensi martyrolog. In hoc non modo sex sacri athletæ Siciliæ tribuuntur sub Athanasio præsbytero, sed Iuuinianus additur, in martyrologio nostro, & Antuerpiensi præteritus. De his non agit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Maurolycius tamen Siculus horum, mutatis aliquibus nominibus, meminit, non Siciliæ sed incerto loco. Ita enim hoc *ipso die Sanctorum Anastasij præsbyteri, Placidi, Genesij, & sociorum martyrum*. Ex quo accepisse videtur Romanum M. emendatum, vel ex veteribus mss. vt ibi notat Baronius.

In Antiochia. S. Eraclius Antiochenus, præterquam in adductis mss. nostris codicibus, alibi non comparet.

In Gallia Turonis. Non xi. hac die, sed xiij. Octobris Venantium Abbatem, & Confessorem refert Romanum martyrol. cum Vsuardo, & Saussayo, qui eius vitam percurrit ex Gregorio Turonensi. Hac tamen die v. Idus eius meminit Rabanus, Notkerus, & Appendix ad Adonem. Ex additis ad martyrologium nostrum non dubito.

IIII. Idus Octobris.

IN Prouintia Siriæ Sanctorum Euacri, & Prosini. In Aegypto Eustasi presbyteri. In Campania Ciuitate natalis Sanctorum Eucaristi. Fortunati. Prisciani. In Rauenna via Laurentina natalis Sancti Edisti. Romæ via Aurelia Calesti. Saturi. *Beturicas Sancti Opionis presbyteri*.

OCTOBRIS 12.

VBerius, magisque distinctum in signandis locis comparet in hodiernis fastis M. Antuerpiense S. Villibrordi, vtinā non magis confusum in reliquis, videlicet. *IIII. Idus Octobris. Romæ natalis Hedisti. In Syria Eustati præsbyteri, & Eucaristi, Burri, Donatæ. Et in Campania Patra ciuitate Fortunatæ, Euagri, & Proferię, Fortunati, Prisciani. Romæ Caelesti, Saturi, Beturi, Casi, Pilionis, Focei Episcopi.* Ab hac serie non parum differunt libri nostri, & illis magis consonum martyrol. Corbeiēse, nimirum *IV. Idus Oct. In Prouincia Syriæ Sanctorum Euagri, Prosiriæ. In Ægypto Eustasii præsbyteri. In Campania natalis SS. Eucaristi, Fortunati. In Rauenna via Laurentina natalis S. Edisti. Romæ Calesti, Saturi. Bituricas Sācti Opionis*. Sed conferendi codices sunt, & expendendi.

In Prouincia Syria. Non Euagrium præsbyterum Syriæ consignat martyrol. Antuerpiense cum Prosinio, sed Eustasium præsbyterum, qui in nostris codicibus, & Corbeiensi Ægyptius dicitur, & Eucaristum, qui ijsdem Campanus est. Exuberat tamen in Burro, & Donata, in libris nostris, & Corbeiensi præteritis, & cum Rabano magis conuenit, qui ita retinet *IV. Idus. Romæ natalę Hedisti, & in Syria Eustasi præsbyteri; & Eucharisti Burri, Donati*. Maurolycius quoque Eu-

Eustathium præsbyterum in Syria veneratur, Eustachium vocat Galesinius, vt puto ex Petro de Natalibus, qui lib. xi. n. 283. ita habet. *Eustachius præsbyter ipso die (* iiij. Idus Octobris*) in Syria in Christo dormiuit. In Scythia* habet Bellinus de Padua. At cũ hic veluti cõfessor in Domino quieuisse dicatur, ab Euagrio, & Prosinio, siue Prosiria in libris nostris, & Corbeiensi tamquam martyres veneratis, videtur differre. Euagrium, Priscianum, & socios martyres Romæ, non in Syria recolit Romanum martyrol. emendatum, sed vt fatetur Baronius ex veteribus mss. apud Galesinium; penes quẽ in Edistio confusionem agnoscit, dum cãdidè addit. *In aliquibus codicibus in Syria hi passi dicuntur*. His cum libris nostris, & M. Corbeiensi consonat Appendix ad Adonem. *In prouincia Syriæ Euagri, & Prosyriæ. Item Eustachy presbyteri*. Quia verò Prosiriæ etiam legit M. Corbeiense, Prosiniæ, vel Prosiriæ, non Prosini retinendum in libris nostris concedimus. Priscianus, qui in Romano M. legitur, & Romæ tribuitur, inter Campanos in ijsdẽ codicibus numeratur, in quibus Ægyptius presbyter Eustasius minima differẽtia Eustachius dicitur.

In Campania Ciuitate. Vrbis nomen silent libri nostri. Corbeiense M. neque vocem ciuitatis apposuit. Antuerpiense *Patra ciuitate* in Campania reposuit, nouasq. mihi ambages peperit, donec viderim ex Historia S. Fortunatæ scripta ab Autperto præsbytero apud Caracciolũ in sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis, Patriam vrbem Linternum dici, ad quã ex Cæsarea Palestinæ translatum corpus Sanctæ Fortunatæ fuit, & euersa Patria ciuitate transpositũ deinde Neapolim Rabanus, & Notkerus, qui Fortunatam tantum martyrem memorant, nomen Patræ Campaniæ postponunt, & Patriam pariter ita legunt *In Campania Patriæ Fortunatæ*. Eucharistiũ enim cum Bunio, Bonato, & Eustatio Præsbytero, vt diximus. Syriæ tribuunt. Appendix ad Adonem ita tantum habet *In Campania SS. Eucharisti, Fortunati, & Prisciani*.

Rauenna. Via Lauretina legit Romanum M. & Edistium martyrem Rauennatem hac die recolit. Sed Romæ non modo martyrol. Antuerpiense initio laterculi Hedistium tribuit, sed etiam Notkerus, mutata prima nominis litera. *Roma natalis S. Bodisti martyris*. At Rauennæ Edistium nobilem eius ciuem in postrema Diocletiani persecutione coronatum 4. Idus Octobris refert Ferrarius in catalogo SS. Italiæ, cuius corpus via Lauretina inter Rauennam, & Classem sepultum affirmat ex monum. Eccl. Rauenn. & Hieronymo Rubeo lib. 2. Hist. Baronius testes adducit Bedam, Vsuardũ, & alios recentiores, inter quos Galesinium esse non dubito, qui animaduertit sepultum esse Edistium Rauennæ via Laurẽtina, quã Laurẽtinam plerosq. vocare addit, sed malè, cum Lauretina dicatur à nemore lauris cõsito. De eo ita agit Petrus de Nat. lib. xi. n. 282. ex antiquis vt profitetur martyrologiis. *Hedistius martyr apud Rauennam via Laurentina passus est iiij. Idus Octobris*. Et Vvãdelbertus pariter 4. Idus Edistium Rauẽnatem martyrem in suo metrico martyrologio veneratur.

Romæ. Quia via Aurelia Calestus, & Saturus hìc recensentur, qui infra pridie Idus Octobris repetuntur, nisi in martyrol. Antuerpiensi, & Corbeiensi idem scriptum esset, timuissem à librarij errore. Sed repetitionis aliqua causa esse potest, ac proinde videnda sunt, quæ ad illum diem annotamus.

Beturicas. In martyrol. Antuerpiensi pro eo, quod scriptum est, *Beturi, Casi, Polionis* legerem Beturicas Opolionis, vel Opionis, vt habet Saussayus. Epionẽ vocat Petrus de Nat. lib. 11. n. 284. presbyterum Asturicensem. Codices nostri habent Opimonem. Appendix ad Adonem hac ipsa die legit. *Biturias Opinionis presbyteri*. Quod est Gallici antiquarij additamentum, sicuti addit etiã Molanus ad Vsuardũ, cõfessorem tantũ S. Opionem appellans. Biturias, & Biturigas vocant martyrologi vrbem Biturigum.

In

III. Idus Octobris.

IN Spanijs Godoba Ciuitate Fausti. Marciæ. In Calcidonia natalis sanctorum Adriani. Fausti. Ianuarij. Marcelli. In Alexandria Athanasi Episcopi.

OCTOBRIS 13.

SPaniam pro Hispania legi apud medij æui scriptores alibi animaduertimus. Sed Godoba pro Corduba merus librarij lapsus est. Nō tamen codices omnes ciuitatem exprimunt, sed martyrol. Antuerpiense regionem ita tantùm exhibet *III. Idus Octob. In Spanis Fausti, Marcialis, Adria. & in Calcedonia Marcelli, & alibi Fausti, Ianuarii, Marcelli, Alexādri, Anathasi Episcopi.* Cum libris nostris magis conuenit martyrol. Corbeiense nimirum. *III. Idus Oct. In Hispaniis Corduba ciuitate Fausti, Martia. In Calcedonia natalis Sancti Adriani. Itē Fausti, Ianuarii, Marcelli. In Alexādria Athanasii Episcopi, & Confessoris.* Romanum martyrol. Cordubæ in Hispania natalem signat Fausti, Ianuarij, & Martialis cum Vsuardo: Beda Faustinū, Marcum, & Adriam habet, hac ipsa die: Ado verò eosdem Cordubenses martyres, adnotato etiam certamine, vti apud Vsuardum hac die prostat, recolit die 28. Septēbris. Appendix autē ad Adonem iij. Idus Octob. ita retinet. *In Hispania Corduba ciuitate SS. Fausti, Martialis, & Ianuarii martyrum*; & tamen dum Faustus bis in libris nostris Antuerpiēsi, & Corbeiensi repetatur, insurgit suspicio an Ianuarius cum Hispanis martyribus computandus sit, vel inter incerti loci cælites reponēdus. Suspicionē augēt Rabanus, & Notkerus, qui inter Hispanos Ianuarium non recensent, sed tantum vt Beda habēt. *In Hispaniis natale Fausti, Marci, & Andria*, siue *Adriæ*. Diuersi quapropter hi esse videntur ab Hispanis Fausto, Martiale, & Ianuario, qui in Rom. M. venerantur, & quorū Acta habet Lucius Marineus apud Surium T. x. quia diuersi in Hispania venerationis dies 28. Septēb., diuersiq. socij diuersos esse suadent. Libri nostri nonnisi Faustum, & Marciam referunt, vt etiam martyrolog. Corbeiēse. Rabanus, & vt vidimus, Notkerus, cum M. Antuerpiense, & Beda, Andriam, vel Adriam addunt, fortasse ex Chalcedonensi Adriano formatam: pro Adriano enim, quem silent, Chalcedone Marcellum tantum codices illi exhibent; sed & alium Marcellum inter incerti loci martyres numerat martyrol. Antuerpiense, qui Chalcedonensis vnicus est in libris nostris, & M. Corbeiensi, in his non Martialis, sed Marcia constanter legitur. Petrus in catalogo lib. 9. cap. 61. Faustinum, Ianuarium, & Martialem numerat in Hispanijs, & agonem breuiter refert ex Adonis martyrologio iij. Idus Octobris. Quod quidem ex aliqua Adonis Appendice haurire potuit, non illa die ex Adone, vel edito à Rosuueydo, vel optimæ notæ ms. nostri: cum in eo nihil tale prostet ad diem iij. Idus Octobris.

In Chalcedonia. Si martyrolog. Antuerpiense, vt plurimum in signandis locis magis accuratum, Calcedoniæ non Adrianum, sed Marcellum assignaret, & alterum Faustum cum socijs *alibi* incerto loco statueret, nos codicibus nostris innixi, Chalcedoni Adrianum, Faustum, Ianuarium, & Marcellum simul tribuissemus. Verum quia videtur etiam ab Adriano reliquos diuidere martyrolog.

Corbeiēse, rem in suspenso relinquimus. Marcū pro alio Marcello exhibet Maurolycius, & ita Chalcedonenses signat. *eadem die* (iij. Idus Oct.) *SS. Marci, Marcelli, & Hadriani in Chalcedonia*, quod totidem verbis repetit Galesinius ex libro scripto, vt habet in Notationibus.

In Alexandria. Anastasium Episcopum Alexandrię recolit Molanus, ex Beda in Additionibus ad Vsuardum, & his verbis Rabanus, & Notkerus. *In Alexandria S. Anastasij Episcopi.* Anastasium Episcopum vocat M. Antuerpiense, sed Alexādri nomen ibi præponitur non Alexandriæ, facili librarij inuersione. Constanter ibiq. libri nostri, & M. Corbeiense exhibent *in Alexandria Athanasium Episcopum*, & vt addit Corbeinse *confessorem*. De Athanasio Alexandrino Episcopo, & celeberrimo confessore, ac doctore agit Romanum M. ad diem 2. Maij ex Beda, Vsuardo, Adone, ac cæteris latinis: quinimmò etiam ex Græcis in Menologio Sirleti. At dies hæc in calendario Græcorum non est sancti, & magni Patris obdormitio, sed reliquiarum translatio. Ita enim legitur apud Genebrardum die 2. Maij. *Translatio reliquiarum Athanasij magni*, contra quam existimauerit doctissimus Baronius, qui diem xv. Kal. Februarij à Græcis translationi dicatum putat. Deficit quidem dies 18. Ianuarij in Menologio, siue Sirleti, siue Canisij, sed in eodem Græcorum calendario ad illam diē ita legitur *Athanasius, & Cyrillus Alexandrini Episcopi*, quo pariter die non translatio, sed commemoratio vitæ, & obitus vtriusq. sancti Episcopi prostat in Menologio Basilij. Ex celebritatis tamen communione non ita certum argumentum desumi videtur, quòd illo die S. Athanasius in pace quieuerit; cum S. Cyrilli eodem die memorati natalis in Menologijs sit die 9. Iunij. Vnde aliquas coniecturas hic addere libuit, S. Athanasium in terris esse desisse mēse Octobris. Probabile admodum est literas Nicenæ synodi, quas ad Siluestrum Pontificem datas exhibet Baronius ad annum Xpi 325. nu. 171. statim à Niceno Concilio absoluto scriptas esse. Hæ cum signatæ sint die viij. Kal. Iulias, vel eo die, vel præcedenti sanctæ synodo coronidem impositam fuisse suadent, hoc est die 23. vel 24. Iunij. Quinque menses post Nicenum Concilium Alexandrum Athanasij prædecessorem advixisse disertè testatur Theodoretus lib. 1. cap. 25. Quinimò idem Athanasius apologia secunda docet non integros menses fuisse. *Nec dum* inquit, *quinque menses præterierāt cum B. Alexander mortem obijt.* Festinatam tūc fuisse Athanasij electionem scribit Epiphanius Hæres. 69. Mos enim in illa Ecclesia erat *non cunctari post obitum* Episcopi in successoris electione, ne scilicet cōtentiones in populo fierent. Immò Græcus auctor vitæ S. Athanasij ita de eius prepropera electione scriptū reliquit. Defuncto Alexandro Athanasius, *vt morum successor, ita statim etiam Throni euadit.* Electiō igitur intra paucos dies perfici potuit, hoc est ad mēsem Nouembris. Sedit autem Athanasius, vt Rufinus, qui tunc cum Melania in Ægypto erat, testis est lib. 2. cap 3. non integros annos quadraginta sex; docet enim defunctum esse *quadragesimo, & sexto anno sacerdotij sui*, hoc est non adhuc completo. Et quam quam Cyrillus eiusdem Ecclesiæ Episcopus, quadraginta & sex integros annos videatur signare epist. 1. quibus Athanasius moderatus sit Ecclesiā: numerū tamen integrū potuit accipere, & rotundum, quamuis aliquot diebus esset postremus annus decurtatus, cum historiam nō scribet. Decurtatū enim aliquot diebus nouissimum annū, quamuis erret in numero, docere videtur Menologium Basilij, dum quadraginta duos annos pro quadraginta sex ita interprete Arcudio recenset. *Quamobrem mortuo Alexandro in eius locum suffectus Athanasius incredibile est quanta propter orthodoxam fidem, quadraginta duos annos, aut non multo secus pertulerit.* Quod si ab eius sedis annis aliquot dies

auser-

auferrentur, non difficile esset beatum eius obitũ in mensem Octobris incidisse. Hæc coniectando libuit afferre, ne contra fidem codicum nostrorum Athanasiũ in Anastasium vertere cogamur. Præsertim quia alibi martyrologium nostrũ de tam insigni confessore memoriam nõ exhibeat. Candidè tamen silendum non est, in vita D. Athanasij à Græco, & vt profitetur coæuo auctore scripta, & quæ prostat ad calcem Tom. 2. operum D. Athanasii Commelianæ editionis, tempus, tam sedis, quam obitus consignari quadragesimo sexto anno sacerdotij, & decimo octauo die mensis Ianuarii, Gratiano, & Probo consulibus. At cum dies ille in Occidẽte celebris fuerit antiquitùs, tùm propter memoriam Obdormitionis Deiparæ, tùm ob solemnia cathedræ S. Petri, difficile non esset natalem S. Athanasij in alium diem fuisse transpositum.

II. Idus Octobris.

NAtalis Sancti Calixti. Romæ Via Aurelia in Cimiterio Calepodi. Cælesti. Episcopi. Saturi. In Cappadocia. Lupi. Ampodi. Modesti. Luciani. Saturnini. Simplici. Saturi. Placidis. Cordoba Ciuitate sancti Lupi. Aurelij. *Lugduno Galliæ Translatio corporis Sancti Iusti Episcopi.*

OCTOBRIS 14.

DIstinctum martyrij diem à sepultura, causam esse putarem, cur Callistus Romanus Pontifex bis in vetustiori nostro recolatur, puta presenti die, & iiij. Idus Octobris, vt etiam indicãt alia mss., & ibi adducta MM.; quorum Antuerpiense eius hìc venerationem repetit. *II. Idus Octobris. Romæ Calisti Episcopi, & depositio Paulini Episcopi. In Cantia, & alibi Cappadociæ Campaniæ Saturi, Lupi, Ampodi, Modesti, Luciani, Saturnini, Simplici, Saturi, Placidi, Domni, Lupi. Lugduno Iusti Episcopi, & Aureli.* In memoria Calesti, siue Callisti Pontificis consonat M. Corbeiense, dum in alijs potius cum libris nostris, quam cum Vetustissimo M. illo congruit, videlicet. *II. Idus Octob. Romæ via Aurelia in cœmeterio Calepodij Calesti Episcopi, Saturi. In Cappadocia Lupranpodi, Modesti, Luciani, Saturnini, Simplici, Saturi, Placidi. Cordoba ciuitate Lupi, Aurelia, Maximi. Lugduno Galliæ translatio corporis S. Iusti Episcopi, & Confessoris.*

Calisti. Alium Romæ Callistum cum socijs Felice, & Bonifacio recolit martyrol. Romanum die 29. Decembris, cui attipulari addit Baronius, Bedam, & vetera mss., sed ibi in Vetustiori nostro M. Callistus non recolitur, sed Felix, & Bonifacius. Callistum sanctum, summumq; Pontificem pridie Idus Octobris martyrio coronatum, docet Historia Pontificalis Luitprando ascripta. Albo verò Floriacensis iij. Idus, qui addit sepultum fuisse in cœmeterio Calepodij via Aurelia milliario iij.. In eodem loco via Aurelia sepultum cum Adone, & Vsuardo hac ipsa die confirmat liber Pontificalis Damaso tributus *pridie Idus Octobris*, quo quidem die sancti huius Põtificis memoriam Romæ celebrari consueuisse docet antiquũ Fronti calendariũ *XIV. die Mensis Octobris Nat. S. Calisti Pontificis*, & antiquissimum fragmentũ Romani M. apud Bucherium mense Octobris. *Pridie Idus Callisti in via Aurelia milliario tertio.* De Calepodij cœmeterio via Aurelia vidẽdus Aringhius

lib. 2. cap. 12. penes quem fragmenta quædam estant Actorum SS. Callisti ex pluribus mss. In his habetur, diem hunc pridie Idus Octobris non esse celebrem, quòd in illo S. Pontifex in puteũ deiectus, & saxis obrutus martyrium compleuerit, sed quia post dies decẽ, & septem Asterius presbyter de puteo eum leuauerit, & in cœmeterio Calepodij sepeliuerit, quemadmodũ etiam narrat Ado, & Acta habent, tam apud Surium, quam in pervetusto penes me Hagiologio. In his Priuatus miles socius additur, non Saturus: sed S. Priuatum eodem tempore plumbatis cæsum Petrus de Natalibus lib. 9. cap. 78. ab Asterio presbyterõ sepultum esse narrat xvi. Kal. Nouembris, ad quem diem illius nõ meminit M. nostrum. Cum vero ibi addatur Austerium, seu Austerium præsbyterum, post sex dies præcipitatum è Põte, à fidelibus apud Ostiam fuisse tumulatum xiiij. Kal. Nouembris; vt infra patebit, iam dies depositionis S. Callisti in diem iiij. Idus Octobris incideret; quando in Vetustiori nostro M. etiã recolitur. Vvandelbertus S. Callistum socium aliquem in certamine habuisse cecinit, non tamen nomine exprimit. Priuatum Molanus addit ad oram libri, sed Saturus, tum hac die, tum 4. Idus Callisto iungitur in libris nostris, & martyrol. Corbeiensi, quando etiam in Antuerpiensi memoratur, non vero in hodiernis fastis. Cum Priuatus, in omnibus ferè martyrologijs latinorum indicatus, hic non compareat binomium fuisse dubitaui, & sub Saturi nomine hic venerari, sed lucem aliunde non habeo. In Kalendario peruetusto Hieronymiano Canonic. Lucensium Octobris II. Idus legitur *S. Callisti Papæ*, & IV. Idus *Callisti, & Agri* mihi prorsus ignoti.

In Cappadocia. Ante Cappadociæ martyres depositionem Paulini Episcopi habet martyrolog. Vetustissimum, in Cantio Britanniæ promõtorio, vt ibi apparet, Cantiam vocat Beda. Sed superadditus S. Paulinus Episcopus alibi mihi hac die non comparet, facile S. Paulinus est, cuius memoriam agunt M. Romanum & Rabanus Eboraci in Anglia ad diem 10. huius mensis. Ex socijs S. Augustini primum Archiepiscopum Eboracensem fuisse habet Richardus Smitheus Episcopus Chalcedonensis, in Flor. Hist. Eccl. Anglor. lib. 1. cap. 4. vbi plurima de Sancto hoc Paulino colligit. Vnde in Cantia vbi regem conuertit, & alibi potuit eius memoria venerari. Cappadociæ martyres xij. numerantur in martyrolog. hoc vetustissimo, sed non omnes Cappadociæ tribuendi videntur. Luxatas eiusdem hodiernas tabulas vereri licet, nec facile esset asserere quid Campaniæ nomine significare antiquarius ille velit, an regionem, vel martyrem, cum id neque in libris nostris, neque in Corbeiensi prostet. In hoc ex duplici martyre, Lupo nempe & Ampodio vnus male conflatur Luprampodius: hoc autem diuiso reliqua octo cælitum nomina consonant, sicuti in M. Antuerpiensi, si post Placidum, nõ Domni, sed Cordubæ restituatur, & Lupo Aurelius, ex interpositione S. Iusti superadditi trãspositus, iterum societur. Romæ sanctos martyres Ampodium, Modestum, Fortunatum, Lucianum, & alios ex libro scripto, sed malæ notæ adfert Galesinius, eos Romæ de more tribuens, vbi locus non indicatur, qui tamen Cappadoces ex libris nostris, & MM. Antuerpiense, & Corbeiẽse diserte sunt. Ex his non signato loco Saturninum tantùm, & Lupum exibet Maurolycius ex Bellino de Padua, vnde accepit eadem Molanus. Eorundem etiam meminit M. Romanum, vbi notat Baronius, Lupi tantum Bedam meminisse, sed in veteribus mss. Lupum, & Saturninum indicari.

Corduba Ciuitate. Aureliam pro Aurelio habet M. Corbeiense, in quo etiam Maximus additur. Aureliam etiam ità retinet Rabanus, *Corduba ciuitate S. Lupi, & Aurelia*. Ita etiam Appendix ad Adonem pridie Idus Octobris *Cordubæ SS. Lupi, & Aurelia*. Aureliam paritet cum Lupo habet Notkerus. Ferrarius item in catalogo nouo sanctorum Cordubæ

dubæ in Hiſpania pridie Idus Octobris SS. martyres Lupum, & Aureliam recolit ex Ioanne Marieta lib. 2. de SS. Hiſpaniæ; Is tamen, qui, quo tempore paſſi fuerint, non exponit, neque ſe in Tabulis Eccleſiæ Cordubenſis id legiſſe fatetur. Pro Aurelio igitur Aureliæ reſtituēdum in libris noſtris facilè aſſentior.

Lugduni. Translationem S. Iuſti Epiſcopi Lugdunenſis notant etiam hac die, cum M. Corbeienſi, & noſtro Notkerus, Appendix ad Adonem, Maurolycius, Molanus, Sauſſayus in Eccleſia Lugdunenſi recoli hac die teſtatur ſeceſſum S. Iuſti in Ægyptum, ſeu ad Eremum, non de Eremo. Petrus tamen de Natalibus lib. 9. cap. 66. hunc diem obitus S. Epiſcopi in Eremo cōſignat, & confirmat ex deceſſu etiam S. Viatoris poſt dies ſeptē, hoc eſt xij. Kal. Nouembris, quemadmodum S. Iuſtus prædixerat, & excepit Petrus de Natalibus ex Adone, qui Viatoris lectoris obitum conſignat die 21. Octobris, & tranſitum S. Iuſti in eremo die 14. Martyrologium etiam S. Sabini de Leuitania mſ. die 14. Octobris ita habet *eodem die tranſitus S. Iuſti ad Eremo*, quem alij interpretātur ſeceſsum ad eremum. Sed nihil etiam vetaret eodem die in Eremum ſeceſsiſſe, & inde trāslatum fuiſſe Lugdunum eius corpus, vt notant libri noſtri, & martyrol. Corbeienſe. Videantur quæ habet Raynaudus in Hagiologio Lugdunenſe, & nos diximus ad diem 4. Auguſti, & 2. Septēbris, non enim libet in additamento diutiùs immorari.

Idus Octobris.

IN Gallia Colonia Agripini natalis Sanctorum Maurorum de Militibus. In Capua Lupibli. Via Aurelia in Cimiterio eiuſdem Sancte Fortunate.

OCTOBRIS 15.

ITerum hìc in M. Antuerpienſi ex vno in alterum ſacrarum tabularum diem, loco motos aliquos cælites agnoſco, quos ex fide noſtrorum codicum, & M. Corbeienſis reſtituendos ex ipſa collatione patebit. Illud ita confuſum vt exiſtimamus proſtat. *Idus Octobris. Galliis Colonia Agrippina natalis Maurorū*, alij qui ſubnectuntur cælites ad diem ſequentem pertinere videntur. *In Baiss Succi, & Africa Cesa, & aliorum x. Item Mirci, Auſridi, Saturnini, Nerei*. Hos quidē poſtridie veneratos ita libris noſtris conſonum præterit M. Corbeienſe. *Idus Oct. Colonia ciuitate natalis SS. Maurorum de Militibus. In Capua Luplili. Via Aurelia in cemeterio eiuſdem Sancta Fortunata*.

Colonia Agrippina. Ex ſacra Thæbæa legione vberrimam martyrum ſegetem indicauimus ex Vetuſtiori M. noſtro, tū vij. tum vj. Idus Octobris: vbi ex Actis S. Gereonis per Helinandum ſcriptis apparet, legionis Thebeæ martyres in plures turmas fuiſſe diuiſas, vnde tanta emanauit in numerandis militibus anonymis ſcriptorum diſsonantia, quam etiā notat Baronius; in quinq; tamen claſſes Helinādus videtur ſacrorū pugilū acies diuidere. Prima quæ ſub duce Mauricio apud Agaunum oppidum triumphauit, & propriè Thebæa legio dicitur. Secunda minor Caſsij, & Florentij cum ſeptem tantùm ſocijs iuxta Bonnam in ripa Rheni. Tertia quæ ſub Gereone cccxviij. in cāpis Agrippinæ ciuitatis. Quarta ſub Victore ad oppidū Francorū Troiā cccxxx. pugilū, vel vt habet M. Romanū in ditione Colonienſi. Quinta Maurorum cccl.

militum

militũ à legione Thebea seiunctorũ, qui eodẽ tempore, quo alij coronati sunt, nauigio transuecti ex Africa in Galliam, & pro fide necati cum Gereone, & socijs quietem, & sepulcrum simul habuerunt, nempè Coloniæ Agrippinę, ut libri nostri cum M. Corbeiensi, & Antuerpiensi tacito numero retinent. Aureos hos martyres dictos monet Petrus de Natal. lib. 9. cap. 67. cccIx. fuisse, & conditos addit in Basilica Musiuo opere deaurata, vnde populi Aureos martyres vocauerint. Hoc accepisse fatetur ex Vsuardo: Adonem enim cccl. Mauros martyres tantum numerare testatur, & Aureos eadem ratione nũcupatos. Sed tam in Adonis editis, quos viderim codicibus, quam in nostro ms. quinquaginta tantum numerantur, sicuti apud Notkerũ, qui ex Adone plurimum accipit, non nisi quinquaginta exprimũtur. Milites fuisse adducta mss. martyrologia docent, non vero ex legione Thebæa, quemadmodum etiam Helinandus profitetur.

Capuæ. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ Lupilum, & Fortunatum Capuæ coronatos pugiles refert ex antiquo Breuiario Capuano, Beda, & Galesinio Idibus Octobris. Fatetur tamen nomen Lupili diuersimodè scriptũ esse, vt apud Galesinium, non Lupili, sed Libulij, & apud Dauidem Romanum in catalogo SS. Regni Neapolitani Luphili nomen signari. Vnde mirandum non erit, si in codicibus nostris Lupliblius, in Corbeiensi Luplilius scribatur. Rabanus hac ipsa die Litulum ita dixit. *Et in Capua Lituli, & S. Fortunate in Patrias*, & Notkerus Libulium hoc pacto. *In Capua Libuli, & S. Fortunatę*. Petrus de Natalibus lib. 11. nu. 290. *Luphilus, & Fortunatus martyres ipsa die* (Idibus Octobris) *Capuæ passi sunt*. Deficit in libris nostris, & Corbeiensi Fortunatus Capuanus, vel vt alij habent Fortunata, fortasse quia antiquarius viderit Romæ statim Fortunatum recoli, & per errorem Capuæ tributum crediderit, sicuti viceversa, qui Appendicem ad Adonem contexuit, dũ Romæ Fortunatum reposuit, relicto Capuæ nomine, eidem Vrbi Romanæ Lubulium cum Fortunata, & Modesto ita tribuit. *Romæ via Aurelia S. Fortunati martyris. Item Lubulij, Modesti, & Fortunatæ*. Maurolycius etiam Capuæ Luphilum, & Fortunatum hoc ipso die tribuit, & Romæ Fortunatũ. Plurimorũ ergo codicũ fide videtur, in libris nostris, & M. Corbeiensi Capuano martyri Lupliblio, seu Lupilio Fortunatũ, vel Fortunatã sociari debere, ex Rabano tamen Fortunata; & quãuis alijs coronata cum Lupilo Capuę dicatur, atramẽ vel ex natali solo, vel ex translatione Patriæ Cãpaniæ vrbe videtur assignanda, vt diximus 4. Idus Octobris, hoc est Linterno. Excusandus hic Canisius, qui nomini Patriæ non acquiescens, ad oram martyrologij Rabani scripsit loci illius *in Patria fortè Imperatricis*. Hoc enim vrbis nomen non ita est obuium. Hos martyres, vt fatetur etiam Ferrarius, quantumuis in Breuiario antiquo Capuano indicatos viderit, in Tabulis tamen Ecclesiæ Capuanæ ad vsum sacrorum confectis non reperiri alij etiam testantur.

Via Aurelia. Non videtur dubitandum hic Romæ subintelligendum esse. Capua enim, vel Capuæ vrbi proximus locus via Aurelia esse non poterat, cum hæc à Porta Aurelia Romanę Vrbis initium capiens, per maritima Hetruriæ, Pisas usq; extenderetur, ac proinde nequaquã Capuę debet Fortunatus martyr post Lupliblium, siue Libulium accẽseri. Alius martyr hic est, etiã illis, qui Fortunatum, vel Fortunatam Capuæ tribuunt, vt Appendici Adonis, & Petro de Natalibus loco adducto. Is ante Capuanos Luphilum, & Fortunatum ita legit. *Fortunatus Martyr Romæ via Aurelia passus est Idibus Octob.* De eodẽ agit Rom. M. Romæ via Aurelia, vt notat Baronius ex Vsuardo, Adone, seu potius eius Appendice, & mss. veteribus, vt habent etiam Galesinius. Meminit Bellinus & post eum Maurolycius, sed reliqua S. martyris monumenta non mihi parent.

In

XVII. Kal. Nouembris.

IN Baias Sancti Susis, & in Africa Cacræ, & aliorum pariter passio cclxx. Mirei. Aufidi. Saturnini. Nerei.

OCTOBRIS 16.

IN notationibus ad pridianos fastos monuimus, in M. Vetustissimo Antuerpiensi trãspositos esse aliquos martyres, qui ad hanc diem pertinerent: sunt verò qui Baiæ, & Africæ in libris nostris & martyrol. Corbeiensi tribuantur; addi em siquidem hunc *XVII. Kal. Nouembris. In Asia Cerea, & aliorum cclxx.* & nihil aliud in illo scribitur. In Corbeiẽsi vero hodiernæ tabulæ ita codicibus nostris concordes signantur: *xvij. Kal. Nouembris. In Baÿs Sancti Susi martyris. In Africa Cecra, & aliorum pariter passorum cclxx. Merÿ, Aufidÿ, Saturnini, Nerei.*

Baias. Deliciarum locum Baiæ, & & opidum in litore Campaniæ positum, Romanorum Imperatorum luxurijs decãtatum, facilè potuit per summam iniuriam Christiani nominis, in ignominiam martyrũ euadere, vel suffocatis inter calidas aquas cælestibus athletis, vel ad derisionem inter delicias occisis. Nusquã mihi comparent S. Susis acta, quem Sussium vocat martyrolog. Corbeiense, & Succum Antuerpiense, vt quo mortis genere coronam acceperit innotescat. An Sossius vel Sosius diaconus Misenas, etiam Baias in proximo venerationem habuit, & nomen corruptum est?

In Africa. Ex Notkero luxatos hìc vereor libros nostros, & martyrol. Corbeiense, & restitui fortasse possent ex Antuerpiensi in hodiernis Tabulis pariter diuulso. Cecram, vel Cacram, vel Cecam martyrem Africæ signari video, tam in libris nostris, quam MM. Corbeiensi, Antuerpiensi, & ex diuersa regione diuersam esse à Cerea Asiana, quæ apud Notkerum, & M. Antuerpiense memoratur, licet suspicari, cum hæc diserte Asiæ tribuatur. Difficultas est an ducenti septuaginta anonymi Asiani sint, vel Afri. Africæ quidem assignantur à Notkero. *In Asia Cerea. In Africa ducentorum septuaginta pariter coronatorũ.* Alij hìc martyres per vocẽ *pariter* desiderari videntur, nec iniuria: cum & Africani anonymi x. Cecæ, vel Cecræ socij in Antuerpiensi Martyrol. exprimantur, & in altera classe (eadem tamen regione) adduntur Mereus, vel Mircus, vel Mirius, Aufidius, vel Aufridius, Saturninus, & Nereus. Anonymi cclxx. in omnibus ferè latinorum martyrologijs Africani sunt, Romano nimirum martyrol. Vsuardo, Adoni, & Bedę, qui de his die sequenti agit. Rabanus Asianam Cæream ab anonymis non seiungit. *In Asia natale Cerea, & aliorum cclxx.*, vt penes illum Asiani videãtur esse, non Africani. Aliqui recentiores ex Vvandalica persecutione hos esse existimant, inter quos est doctissimus Baronius, à Galesinio accipiens. Sed quamuis apud Vsuardum, & Adonem nonnulli martyres ex Vuandalica persecutione recenseantur, qui in vetustis nostris codicibus non prostant, & hac die præcipuè anonymis illis subcenturientur, apertissimè tamen, quantumuis Africani sint, ab illis, vt alterius vel temporis, vel loci, diuiduntur. Ita Bellinus de Padua. *In Africa SS. martyrum ducentorum septuaginta pariter coronatorum. Item SS. Martyrum, &c.* Maurolycius, qui ex vetustis codicibus accipere profitetur, locũ insuper passionis

nis in hisce anonymis exprimit. *In Africa apud Leptim, seu Tripolim sanctorũ martyrum ducentorum septuaginta pariter coronatorum.* Quibus per particulam *Item* subnectit deinde alios in Vuandalica persecutione coronatos, & iterum ex Petro de Natalibus accipiens, tanquã diuersos numerat cum Saturnino, & Nereo alios cccIxv. Verùm ille lib. 11. nu. 291. subticens esse Africanos, eorum memoriam ita agit. *Saturninus presbyter, & Nereus cum aliis trecentis sexaginta quinque passi sunt xviij. Kal. Nouembris.* Eosdem hos esse cum cclx. in libris nostris, & Corbeiensi memoratis, quantumuis numerus vberior sit, vix dubitarem, nisi Romani M. emendati auctoritas diuersos hoc esse suaderet, dum seiunctim ab illis, & in alia classe reposuit, ex veteribus mss. vt ibi addit Baronius. Ex his Saturnino nomen præsbyteri tributum elicit, quod aliunde mihi non comparet, nisi ex Petro de Natalibus. Hos etiam ab Africanis anonymis alijs seiungit Bellinus de Padua, & ex eo Molanus in Additionibus. Ex Vvandalica verè persecutione martyres esse, candidè inquit Baronius, *diuinare est cum nullius auctoritate probetur*; quæ verba etiam Anonymis cclxx. accomodari posse videntur, ex eo præciputè vt diximus, quòd nullum ex martyribus Vvandalicæ persecutionis in martyrol. Vetustiori nostro signatũ viderim. Igitur hos anonymos Asianos fuisse, nonnisi ex M. Antuerpiensi, & Rabano deduci posse videtur contra aliorum plurimorũ fidem. Vuandelbertus locum hac die non signat, sed *bis centum, & decies septem* martyres sine nomine veneratur.

XVI. Kal. Nouembris.

IN Nicomedia Alexandri. In Mauritania Nini. Victorie. Nobilitane. Mariani. Luci. Cittini. Crescentiani. Rufiniani. Donati. Defensoris. Rusticiani. Seruiliani. Socrati. Veneri. Ianuarij. Mustoli Quintasi. Memmæ. Yzitiani. Prime. Donate. Seuere. Victoriæ. Basillæ.

OCTOBRIS 17.

QVantumuis in adductis aliquibus Tabulis huius mensis deprauatum crediderim M. Vetustissimum, & ijsdem exceptoris vitijs, ac alij vetusti codices expositum, magis in hodiernis fastis accuratũ mihi comparet, & ex aliorum collatione ita constabit. *xvi. Kal. Nouembris in Alexandria natalis Nicodimis. Nicomedia Alexandri. In Mauritania Nini, Victoris, Iubilitani, Marsani, Luci, & Tinni, Crescentiani, Rufiniana, Donati, Defensoris, Rusticiani, Seruiliani, Socrati, Veneri, Ianuarij, Nouistuli, Quintasi, Memmia, Zidiaci, Prima, Donate, Seuera, Victoria, Basilla.* Antiquarius tam nostrorum codicum, quam M. Corbeiensis inter nomina Nicomedis, & Alexandri martyrum, Nicomediæ, & Alexandriæ vrbium fluctuans, & frustra repetita reputans, amputatis primis, Nicomedem, vel Nicomedum Alexandrinum nobis abstulit, quem tamen M. Antuerpiense seruauit. Ita coniectari licuit, dum Corbeienses tabulas ad collationem exhibeo, signata interim cum nostris differentia. *xvi. Kal. Nou. Nicomedia. Alexandri. In Mauritania Nini, Victuris, Nobilitani,* (Victoriæ, Nobilitanæ) *Mauritani* (Mariani) *Luci, Cittini, Crescentiani, Rufiani,* (Rufiniani,) *Donati, Defensoris, Rusticiani, Seruiliani, Sacrati,* (Socrati)

(Socrati) *Veneria* (Venerij) *Ianuarÿ*, *Mustolę* (Mustuli) *Quintasi*, *Memma*, (deficit Yzotiani) *Primę*, *Donata*, *Seuerę*, *Victoria*, *Basilla*, *Magnili*. Numero quidem pares Mauritani martyres in codicibus nostris, ac Corbeiensi sunt, quia in illis abundat Yzotianus, (qui Zidiacus est in Antuerpiensi, & deficit in Corbeiensi), in hoc exuberat Magnilius, qui alibi non comparet. In nominibus differentiam, quæ inter nostros codices, & M. Antuerpiense intercedit, facile vnusquisque cognoscet.

Nicomediæ. Nicodemum Alexãdrinum, præterquam in M. Vetustissimo S. Villibrordi non video. Alexandrum Nicomediensem cum Victore, & Mariano Mauritanis, nullo indicato agonis loco, simul in Romano M. venerantur, cum Petro de Nat. lib. 11. veteribus mss. & recentioribus, vt ibi adnotauit Baronius. Petrus quidem de Nat. nu. 293. Victorem, ita vocat Episcopum. *Victor Episcopus, Alexander, & Marianus martyres ipso die* (xvi. Kal. Nouemb.) *passi sunt*, ex quo totidem verbis accepit Maurolycius. Eorundem meminit Bellinus de Padua incerto loco relinquens, ex quo Molanus ad Vsuardum transtulit, nulla Episcopatus nota addita, sicuti neq. addit Galesinius ex libris scriptis. Magis hos distinxit Rabanus, ex quo fortasse accepit Notkerus, quamuis non omnes, sed Mauritanos aliquos, ita 16. cal. Nouẽb. recensuerint. *In Nicomedia Alexandri. In Mauritania Nini, Victurÿ, Nobilitani, Mauriani, Lucÿ, Mictini, Crescentiani*. Ex omnibus Mauritanis, tam copiosis martyribus, non nisi vnum Ianuarium recolit Kalendarium Hieronymianum Canonicorum Lucensium *xvi. Kal. Ianuarÿ*, qui neq. in alijs codicibus antesignanus est.

XV. Kal. Nouembris.

IN Oriente Translatio corporis Lucæ Euangelistæ. In Nicomedia Lvci. Victorini. In Acxiopoli Hermetis, & Taxij. Et iusta Porta Romana passio S. Agnetis Virginis. In Campania Ciuitate Pitioli Ianuarij, & Eutecis. In Africa Luci. Victoris. Dasi. Leuci. Victorici. Boresi Episcopi. Victoricis. Faustini, & Martialis.

OCTOBRIS 18.

NAtalem S. Euangelistæ Lucæ exhibuimus xi. Kal. Oct., translationem in hodiernis fastis referunt libri nostri, & hoc ordine M. Corbeiense. *XV. Kal. Nouembris. In Oriente translatio corporis S. Lucæ Euangelistæ. In Nicomedia Luca, Victurina, Iustini. In Axiopoli Hermetis, & Taxis, Iulÿ. Et iuxta portum Romanum passio S. Agnetis Virginis. In Campania Ciuitate Puteolis, Ianuarÿ, Felicis. Et depositio Iusti pueri. In Africa Luci, Victoris, Dasi, Leuci, Victorici, Boresi Episcopi, Victricis, Faustini, Martialis. Ebrecas ciuitate natalis S. Aquilini Episcopi, & Confessoris*. In multis diuersum comparet M. Antuerpiense. *XV. Kal. Nouembris in Axiopoli natalis Lucę Euangelistæ, Filipi martyris, & Hermetis. In Nicomedia Agnę. In Ostea ciuitate Puteolis, Ianuarÿ, & Entichÿ. In Africa Luci, Victoris, Dasila, Gisarici, Boresi Episcopi, Victricis, Faustinę, Martialis*.

In Oriente. Nemo est, qui scripserit Axiopoli, quæ vt aliàs diximus, vrbs Mysiæ inferioris, vbi Danubius Ister ap-

pellari incipit, Lucam Euangelistam habuisse natalem. Vnde suspicari licuit in M. Antuerpiensi S. Lucæ Euangelistæ memoriam loco motam esse, & legendũ ex fide nostrorum codicum, & Corbeiẽsis *xv. Kal. Nouembris Nat. Sancti Lucæ Euangelistę. Axiopoli Filippi martyris, & Hermetis.* Pro natali quamcumq; alicuius sancti, vel dedicationis, aut translationis celebritatẽ signari aliàs monuimus. Natalis ergo nomen orientali celebritati pro S. Lucæ translatione non officeret. Videantur, quæ de S. Luca diximus ad diem 25. Septembris. De translatione ex Achaia Constantinopolim videndus Baronius ad diem 9. Maij. Sanctorum Lucæ, & Andreæ translatio à Theodoro lectore reponitur in diem v. Nonas Martij, lib. 2. collectan. & potuit translatio hæc in Orientali Ecclesia solemnis esse etiam sub Iustiniano Imperatore, quando reliquiæ S. Lucæ inuentæ sunt Byzantij, vt habet Procopius lib. 1. de ædificijs Iustiniani. Sed cum M. Romanum, & alia, S. Lucam hac die quieuisse in Bithynia doceant, & die 9. Maij translatum fuisse ex Achaja, necesse est, vt alia trãslatio præcesserit ex Bithynia in Achaiã, vel ex Thebana vrbe in Achaiam. In illa etenim septem portarum vrbe plenum dierum in pace quieuisse S. Lucam docet Metaphrastes apud Surium T. x. ita Ægyptiam Thebem designans licet eandem infra Thæbem Boeotiæ vocet, dum translationẽ narrat S. Lucæ ad vrbẽ Byzantinam. Quamquã enim ex Achia, siue Achaia cum S. Andreę corpore trãslatas S. Lucæ reliquias ibi doceat ab Arthemio iussu Constantij Imperatoris, prius tamen illud ex vrbe Patras, has vero ex Thebis Boeotiæ asportatas refert. Necesse, quod de translatione Patauium, quam Maurolycius sub Constantio factã docet litem moueamus. Nam licet eam affirmet Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ hac ipsa die, veluti fabulam tamen Petrus de Nat. lib. 9. c. 7. eandẽ antea retexerat, & in Vetustiori martyrol. in eidem codicibus nostris, & Corbeiensi conspicuum tibus, orientalis celebritas translationis occidentalibus veneranda proponitur non Patauina. Natalem, seu S. Lucæ celebritatem hac die tam Orientali, quam Occidentali Ecclesiæ communem fuisse Galesinius, Baronius, & alij docent. In calendario Græcorum die 18. Octobris scribitur *Lucas Apostolus, & Euangelista.* In Menologio, quod latinum fecit Sirletus hæc verba prostant die 18. Octob. *Natalis S. Apostoli, & Euangelistæ Lucæ, qui fuit ex Vrbe Antiochia Syriæ. Hic octoginta annos natus dormiuit in Domino.* Longius nonnihil elogium S. Lucæ *Apostoli*, vt inquit, *& Euangelistæ* contexit Menologium Basilij, & de translatione omnino silens in pace tãtum quieuisse concludit. Quamquam verò Constãtius in Ecclesiam Constãtinopolitanam à se excitatam, & quæ magna vocabatur, corpora SS. Andreæ, Lucæ, & Thimotei transtulerit, non tamen eodem tempore id fecisse conuincitur, si ea vera sunt, quæ sub Theodosio iuniore Philostorgius scribit, Gothifredo interprete; Constantium nempe magna illa excitata Ecclesia *Andream Apostolum ex Achaia transtulisse in templum, quod is ædificauit, commune Apostolorum nomen ferens, ad quod & Patris sepulcrum excitauit*, tanquam enim quid posterius factum addit. *Sed & Lucam Euangelistam ex eadem Achaia translatum in idem templum transtulisse.* Quæ causa esse potuit, vt seiunctim ab Andrea, & Timotheo, Lucæ Euangelistæ translatio celebraretur.

In Nicomedia. Verendum hic est, ne qui martyrologium Vetustius concinnauit, vel ex Vetustiori autographo excepit, Agnetem Romanam celebrẽ martyrem propè Romanam portam sepultã recogitans, & pro Portu Romano, Romanam Portã legẽs, Agnem siue Agnesem ab vrbe sua Nicomedia remouerit, & iuxta portam Romanam accomodauerit, duplici errore, primò quòd Luciũ, & Victorium martyres Ostiæ, vel iuxta Portum Romanum veneratos, Nicomedienses Romæ iuxta portam, vel portũ

indica-

indicauerit. In hoc Vetuſtiſsimum Antuerpienſe minus luxatum videtur, & vnicum emendationis noſtræ auctorem proferimus. Si quis vero lectionem potius noſtrorum codicum, & M. Corbeiēſis ſequi velit, & poſt Luciū, & Victorinum Nicomedienſes, Hermetem, & Taxium Axiopolitanos, in alijs editis martyrologijs præteritos, ac in Antuerpienſi aliter ſignatos, Agnetem Romanam hic recoli contendat, ex tantis vbique D. Agnetis reliquijs ſciat dubitatum eſse, an plures fuerint ſub hoc nomine martyres, & aliquas adduxiſſe Bollandum ad diem 21. Ianuarij cap. de reliquijs Agnetis. Aliam quidem Romanam martyrem indicarent verba M. Corbeienſis. *Iuxta portum Romanum Paſſio S. Agnetis virginis.* De celeberrima quippe Agnete nuſquam legitur, quòd martyrium compleuerit iuxta portum Romanum; Eandem tamen eſſe celebriorem non pugnarent verba illa in noſtris codicibus addita. *Iuxta porta Romana paſſio S. Agnetis virginis.* Quoniam præcipua eiusdem Baſilica, iuxta portam Viminalem Conſtātiæ Auguſtæ iuſſu erecta, in ipſo vrbis proſpectu erat, ibique ſepulta venerebatur, vt Prudentius cecinit in Periſteph. Hymno 14.

Agnes ſepulcrum, & Romulea in domo
Fortis puellę, martyris inclita
Conſpectu in ipſo condita Turrium.

Græci certè non eodem die, quo latini S. Agnetis memoriam recolunt, ſed 14. Ianuarij, 21. & 5. Iulij. Neque in Actis, quæ S. Ambroſij nomine ſignata paſsim proſtant, diem certum paſsionis ſtatuitur. Verum vetuſtiora Romana monumēta, quæ adduximus ad diem xij. Kal. Febr. conſtanter illum eſſe paſſionis diem aſſerunt, nec alium coniectandi locum relinquunt, niſi diem hunc xv. Kal. dedicationis Baſilicæ, vel reliquiarum translationis eſſe iuxta portam Romanam, non natalem paſſionis. Cum vero pro porta Romana in Lucio, & Victore Oſtiam ciuitatē retineat M. Antuerpienſe, germanam magis lectionem eſſe ſuaderet martyrol. Corbeienſis *iuxta portum Romanum*, vbi Oſtia Tiberina erant, vt alibi diximus. Nicomedienſes martyres in eodem M. Corbeienſi tres ſunt, Luca pro Lucio, Victorina pro Victorino, ſeu Victoria, & Iuſtinus in libris noſtris deſideratus. Sed Iuſtinus Autiſſiodorēſis martyr ille fortaſſis eſt, cuius vitam contexuit Beda To. 3. operum, & To. x. Surij ad diē 18. Octobr. Addit etiā ſupra codices noſtros idē M. cælitibus Axiopolis Iūlium, ſicuti M. Antuerpienſe, inter Oſtienſes Taxum enumerans, Philippum ſuperaddit.

Ciuitate Petiolis. Puteolis legendum eſſe non ambigo, ſicuti etiam in martyrol. Corbeienſi, vbi *Puterlis* habetur in edito Dacherij. His martyribus hac ipſa die atteſtatur Appendix ad Adonem. *In Campania ciuitate Puteolis Ianuarij, & Eutichij.* Vnde corrigendum videtur idē martyrol. Corbeienſe Dacherij, quod Felicem pro Eutiche culpa exceptoris ſubſtitueri t. Ianuarium, & Eutichem cū aliis ſocijs, Puteolis ductos ad ſulphuris fontes, capite truncatos martyrium ſubijſſe Acta S. Soſij docent, & innuimus ad diem 7. Septembris. Vnde quamuis corpora Neapolim translata deinde ſint, in loco conſummati agonis venerationem etiam habuiſſe non eſt inconueniens. Iuſtum puerum, quem addit M. Corbeienſe, eundem puto cum Iuſtino, cuius ſuperius meminimus, & ſuperadditum ab antiquario Gallico non eſt improbabile.

In Africa. Nouem Africanos martyres cum Bereſio, ſiue Boreſio Epiſcopo in libris noſtris, & Corbeienſi numeratos inuenio; octo tantùm in Antuerpiēſi; quoniam ex Daſo, & Leuco, Daſiluæ vnicum nomen in eo confletur, ſicuti pro Victorico Gituricus legitur.

XIIII. Kal. Nouembris.

IN Hoſtia Auſteri. Neapoli. Suſſi. Ianuarij. Feſti. Deſiderij. In Cimiterio Puteolis Proculi. Proſdoti, & Nicee matris eorum. Domne virginis. Aſtibuſti. In Antiochia Syriæ natalis Sanctorum Pelagij. Beronici. Pelagiæ, & aliorum xlviiij. *In Gallia Turonis Depoſitio Columbani Presbyteri.*

OCTOBRIS 19.

SIue Auſterium, ſiue Aſterium S. martyrem præsbyterum Romanũ dixeri, auctores habebis. Aſterium ita vocat martyrol. Antuerpienſe. *xiiii. Kal. Nouembris in Oſtea natalis Aſteri, & in Neapoli Feſti, & Puteolis Proculi, Eutici, Proſdocię, & Nicea matris eius, & Taſſię virginis, Suſſi, Feſti, Deſiderii, Aſti, Buſti. Antiochia Pelagi, Buronici, item Pelagia, & aliorum viii.* Auſterium cum libris noſtris, non Aſterium vocat Corbeiẽſe in aliquibus à M. Vetuſtiſsimo ita diſſidens, *XIV. Kal. Nouembris. In Oſtia Aſteri presbyteri. Neapoli Suſſi, Ianuarii, Feſti, Deſiderii. In Cimiterio Puteolis Proſculi, Proſduci, & Nicæ matris eius, Domnæ virginis, Aſti, Buiti. In Antiochia Syriæ natalis SS. Pelagii, Beronici, Pelagiæ, & aliorum quadraginta octo martyrum.*

In Oſtia. Auſterium etiam vocat Hagiologium noſtrum perantiquũ in Actis S. Calliſti Sanctum presbyterum, qui poſt ſex dies ſepulturæ coronati Pontificis captus, per põtem præcipitatus, & ad Oſtia Tiberina inuentus, in vrbe Oſtiẽſi tumulatus eſt xiiij. Kal. Nouẽbris. Appẽdix ad Adonẽ hac ipſa die Auſteriũ exhibet, ſed male pro Oſtia Iſtriã retinet. Auſteriũ tamẽ dicũt acta S. Calliſti apud Surium, ſicuti, & fragmenta quæ adducit Aringhius ex mſſ. Vaticanis, Vallicellẽſibus, & S. Cæciliæ lib. 2. c. 12. Romæ ſubt. de S. Aſterio, ſeiunctim à Calliſto, agit Petrus de Nat lib. 9. c. 89. quem tamen ſepultũ affirmat x. Kal. Nouẽb. ſicuti eius memoriã celebrãt omnia ferè latinorum martyrologia ad eandem diẽ 21. Octob. quando noſtri codices illum ſilent.

Neapoli. Necapoli habet mendosè M. Antuerpienſe, ſed Neapoli legũt, tùm libri noſtri, tum M. Corbeienſe, tùm Appendix ad Adonem his verbis. *Neapoli Suſſi, Ianuarii, Feſti, & Deſiderii.* Soſium, & Soſſium vocatum fuiſſe S. Diaconum martyrem, & Neapolim translatum alibi diximus 7. & 23. Septembris. Quieſcit in Eccleſia S. Seuerini, vt refert Cæſar Dengenius in Neapoli ſacra p. 320. Soſſius dicitur in lectionibus antiquis Breuiarij Neapolitani apud eundem Dengenium p. 10. Socios hic S. Ianuarij memorari palam eſt, primamque translationem è Marciano fundo Neapolim recoli probabile eſt, quia vetuſtior. Videatur Antonius Caracciolus de ſacris Eccleſiæ Neapolitanæ monumentis c. xx. Meminit S. Soſij martyris Proſper de præd. & promiſſ. dimid. temp. cap. 6. in fine, qui videtur eũ iam Neapoli tribuere.

Puteolis. Proculum martyrem ex ſocijs S. Ianuarij Puteolanos depoſuiſſe in Prætorio Falcidij habent Acta, ſed eidem Euticetem, & Acatium ſocios addunt, & nos alibi diximus; qui autẽ hìc memorãtur cũ S. Ianuario, eidẽ ſociatos nullibi inuenio. Cœmeterium habuiſſe vetuſtum, antiquam, celebremque vrbem Puteolis, facile eſt credere, in quo cum S. Proculo ſepulti ſint alij martyres. Proculum, & Niceam eius matrem hac die Puteolis exhibent veneratos Maurolycius,

cius, ex mſſ. Galeſinius, & ex antiquis martyrologijs, vt profitetur initio poſtremi capitis libri xi. nu. 296. Petrus de Natalibus. *Proculus, & Nicea mater eius ipſo die* (xiv. Kal. Nouembris) *in ciuitate Puteoli martyrii palmam percipiunt*. De his agit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ & in nouo Catalogo Sanctorũ ad hanc diẽ ex Paulo Regio, & Dauide Rhomæo de SS. Regni Neapolitani. Putat autem Ferrarius in annotationibus S. hunc Proculum diuerſum eſſe ab eo, qui cum S. Ianuario 19. Septembris paſſus eſt, cum ibi nulla Niceæ mentio fiat. Adderem, quòd & diuerſo loco ſepultus ſit, Proculus ſcilicet, & Nicæa in cœmeterio Puteolano, Proculus Diaconus in Prætorio Falcidij, & præterea quòd diuerſi in vetuſtiori noſtro addãtur ſocij, nempe Proſdocius, Domna virgo, Aſtus, & Buſtus. Verùm cum in martyrolog. Antuerpienſi aliqui etiam martyres cum Proculo indicentur, qui ex ſocijs S. Proculi Diaconi fuerunt, nempe Euticius, Suſſius, Feſtus, Deſiderius, hæſitaui, quid re vera ſtatuendum eſſet. Negari nequit hos eſſe ex ſocijs S. Ianuarij, ſed fatendum eſt Neapoli hos cum S. Epiſcopo, ſeiunctim ab vrbe Puteolis, in libris noſtris, & Corbeienſi venerari. Inſuper quæ in his sãcta virgo Domna eſt, in illo Taſſia dicitur. Vnde aliis codicibus deſtitutus adhuc delibero. In Kalendario Hieronymiano perantiquo Canonic. Lucenſium x iv. Kal. Oct. ſignatur memoria *Proculi Auſterii, & Deſiderii*.

Antiochiæ. De Beronico, & Pelagia Antiochenis agunt hac die Romanum M. Beda, Vſuardus, Notkerus, Ado, & ex recentioribus Petrus de Natal. Bellinus de Padua, Maurolycius, & Galeſinius, qui omnes quadraginta nouem anonymos ſocios addunt, præter Notkerũ, penes quẽ quinquaginta nouẽ tantum proſtãt. Vnde in M. Antuerpienſi numerus mutilus reſtitui debet, & in Corbeienſi vnus martyr addendus. Pelagium omnes ſilent, quamquam anteſignanus omniũ ſit, tam in libris noſtris, quam in M. Corbeienſi, & Antuerpienſi. An S. Pelagia hæc Antiochena martyr illa ſit, cuius elogium S. Ioannes Chryſoſtomus contexuit, vel alia pœnitens, quemadmodum ſentire videtur Beda editus, Notkerus, & alij, dubium eſſet, niſi alijs martyribus ſociata martyr hæc reputanda eſſet, cum illa pœnitens in pace quieuerit. De puella martyre Antiochena bis etiam agunt Græci in Menologio, nempe x. Iunij, & 8. Octobris, qua die videnda ſunt quæ diximus.

In Gallia Turonis. Columbanus preſbyter Turonenſis hac die veneratus, in libris tantùm noſtris ex Gallici Antiquarij additione producitur, & aufugiſſe Sauſſayum video.

XIII. Kal. Nouembris.

IN Ponteolis Ciuitate Daſi Zoſimi. Ianuarij. Dorothei. Suſſimi. Ianuariænæ. In Nicomedia Euticij. Promaci. Lucij. Marcellini. Bermiaci. Item Suſſimi. Ianuarij. *In Gallià Ciuitate Agenno S. Capraſi martyris*.

OCTOBRIS 20.

VÀm Geographiæ ignarus fuerit, qui in codicibus noſtris ex antiquiori autographo martyrologium Vetuſtius excepit, nomen Ponteoli pro Puteolis facile doceret. Rectè tamen ſcribitur, tam in M. Antuerpienſi, quam Corbeienſi. In illo cum alijs anniuerſarij circuli cælitibus Puteolani martyres ita exarantur, quamuis Nicomediẽſes martyres primo loco numerati,

merati, imminuti numero, & passionis loco videantur. *XIII. Kal. Nouembris. Eutici, Promaci, Luci, Marcellini. Puteolis Zosimi, Dorothea, Ianuaria, Bermiaci, Sisinni. Item Ianuariæ. In Gallijs ciuitate Agno Caprasi.* Integrè magis, & libris nostris magis cõsonum sacrum diarium prosequitur M. Corbeiense, videlicet. *XIII. Kal. Nouembris. In Puteolis Ciuitate Dasii, Anosinimi, Ianuarii, Dorothei, Susimi. Ianuariæ. In Nicomedia Eusticii, Promachi, Lucii, Marcellini, Bermiaci. Item Susimi, Ianuarii, Iulii. Agenno ciuitate S. Caprasij martyris.*

Puteolis. Ferrarius, qui in catalogo SS. Italiæ diligenter huius prouinciæ cælites est prosecutus, Puteolanos hos martyres ignorauit. Corruptè in martyrol. Corbeiensi Zosimus relinquitur, & pro eo Anasinimus reponitur. Antonius Caracciolus pridie adductus c. 2. sect. v. in vetusto martyrologio ms. Bibliothecæ SS. Apostolorum S. Zosimum Episcopũ ita Neapoli signatum inuenit. *XIII. Kal. Nouembris. Puteolis ciuitate natalis Zosimi Episcopi, qui translatus est in Monasterio in Monte Petroso.* Dasius, qui in libris nostris, & Corbeiensi chorum ducit, deficit in M. Antuerpiensi, quod à Zosimo, nulla addita Episcopali nota, Puteolanorum martyrum seriem exorditur. Ianuarius illi Ianuaria est, & Dorothea, non Dorotheus: quod libentius amplector, ex repetita maiori distinctione, *item Ianuaria*, quæ Ianuariana in libris nostris dicitur. Ex his tres tantum indicantur in calendario Hieronymiano ms. Can. Lucens. *xviii. Kal. Dasij, Zosimi, Luci*, hos de more Galesinius ex libris scriptis, locum venerationis non præferẽtibus, Romæ tribuit, nempe Datium, Zosimum & socios, Zosimum scribit in Notis.

In Nicomedia. Non nisi quatuor martyres Nicomedienses, suppresso venerationis, siue agonis loco profert M. Antuerpiense: septem codices nostri: octo M. Corbeiense, in quo postremus secũdi ordinis Iulius additur, non sine suspicione, vt candidè fatear, vanæ additionis. Iulius enim pariter Axiopolitanis martyribus additur die præcedẽti, & de aliis aliàs monuimus. In duos ordines diuiduntur sacri Nicomedienses Athletæ; quatuor in primo choro sub Euticio Duce, sine Eustacio, vt legit M. Corbeiense, recensentur, Promachius nempe, Lucius, Berniacus sine Bermiacus. In secundo ordine Susimus, & Ianuarius sunt, alij à Sussio, & Ianuario Campaniæ, nisi hic mendosè illi repetantur, vt suspicionem injecit Martyrol. Antuerpiensis silentium. In Notkeri martyrologio, quod in hoc mense mutilum explicit, dies immutati sunt, & xiij. Kalend. Nicomedienses nonnulli martyres recensentur, qui ad diem sequentem pertinent.

Agenno. S. Caprasium martyrẽ Aginnensem omnia ferè latinorum martyrologia recensent, & plurimi Acta delibãt, quæ fusius prostant apud Surium To. x. Primũ, & Felicianũ fratres cum S. Fide eodẽ tempore capitibus cæsos brauium accepisse ibidem narratur, quamuis hìc non recolantur. Episcopum fuisse habet Saussayus, & S. Fidẽ pridie Nonis Octobris, non eadem die coronatam docet, quod cum libris nostris consonat, vt ad illam diem diximus. Caprasij verò Episcopalis titulus in occulto Christiano, vt in Actis dicitur apud Petrum de Nat. lib. 9. cap. 86, vix probabilis videtur, & multò magis, quòd in Actis S. Fidis iuuenis non religiosus pingitur, & simul cum illa coronatus dicitur pridie Non. Octob. in Bibliotheca Lebbei T. 2. p. 530. De S. Caprasio ita meminit Hagiologium Francogalliæ apud eundẽ Lebbeũ xiii. Kal. Nou. *In Gallijs Ciuitate Agenno S. Caprasij martyris.* Plura de eo numerato primo Episcopo Aginnensi referunt, & disputant Sammarthani Tom. 2. Galliæ Christianæ omnino videndi.

In

XII. Kal. Nouembris.

IN Nicomedia Dasi. Zotici. Gagi cum duodecim milibus. Et in Africa Modesti Eutici. Materi. Disei. Et in Nicea Bithini. Afrigis. Macharis. Dicei. Proculi. Neapoli. Festi. Modesti. & aliorum numero cclxxij. Puteoli Campaniæ Proculi. Euticij. Et Machari. *Lugduno Galliæ Iusti. Beati Viatoris Pueri Discipuli Sancti Iusti Episcopi.*

OCTOBRIS 21.

AD Nicomediēsibus martyribus etiam M. Antuerpiense sacros hodiernos fastos auspicatur. *xii. Kal. Nouembr. In Africa Modesti, Eutici, Mauri, Dissei. In Nicea Bythiniæ Apricis, Matthæi. Lugduno Iusti, Beati Victoris pueri.* Verius est, & codicibus nostris magis consonum M. Corbeiense. *xii. Kal. Nou. In Nicomedia Dasij, Zotici, Gaij cum Duodecim milibus martyribus. In Africa Modesti, Eutici, Materi, Dissei. In Nicea Bythiniæ Afrigis, Macharij, Dicei, Proculi, Neapoli, Modesti, & aliorum octoginta quatuor. Puteolis Campaniæ Proculi, Euticis, Macharii, Donatellæ. Lugduno Galliæ Viatoris pueri discipuli Sancti Iusti Episcopi.* Nicomediensium anonymorum numerus, ita in nonnullis codicibus exuberat, vt captum superet. Notkerus cum Corbeiensi M. in numero conuenit. *xii. Kal. Nouembris apud Nicomediam Sanctorum martyrum Dasi, Zotici, Gagi cum aliis duodecim millibus.* Baronius ad Romanum M.; in quo xii. kal. Dacij, Zotici. & Caij Nicomediensium memoria agitur, cum duodecim nō millibus, sed militibus, animaduertit ita restituisse ex antiquis mss. & germanam lectionem esse militum, non millium, atq; ita re vera legunt Ado, & Vsuardus Maurolycius, & Galesinius; quin etiam Petrus de Nat. lib. xi. n. 294. ex veteribus martyrologijs, *Dasius, Zoticus, & Caius, cum xii. militibus apud Nicomediā passi sunt xii. Kal. Nouembris.* Vnde corrigendus est alter ex codicibus nostris & M. Corbeiense, vt etiam Dacherius ad oram libri animaduertit. Mirū quod Græci, qui hac ipsa die horum Nicomediensium martyrum memoriā celebrant, neq. in Menologio apud Canisium, neq. in Basiliano apud Vghellium de 12. militibus mentionem injiciant, sed fortissimum certamen Dacij, Gai, & Zotici laudantes, omnino de militibus sileant. Subijt quapropter dubitare, an sub duodecim millium numero S. Vrsulæ, ac sociarū celebraretur certamen, hoc enim die à Beda, Vvandelberto, Appendice Adonis, & alijs recolitur. At has non duodecim, sed vndecim mille virgines fuisse constans fama est, & Coloniæ non Nicomediæ venerantur. Retinenda ergo omnino videtur à Baronio probata lectio, & à Vetustissimo M. Antuerpiensi confirmata, duodecim militum.

In Africa. In quatuor martyribus Africanis enumerandis, vti adducti codices mss. concordes sunt, ita edita alia martyrologia in eorundem silentio conueniunt.

Nicea Bithyniæ. Inter plures sub Niceę nomine vrbes signatur hic præcipuè quæ in Thracia est Niceno Concilio celeberrima. In hac duos tantum martyres recenset M. Antuerpiense, nempe Apricium, & Matthæum. Sed Afriges, non Apricius aliorum est antesignanus in libris nostris, & Corbeiensi, & Macha-

rius

rius non Mattheus dicitur, qui in ordine succedit, deinde Diceus, & Proculus. Hæreo tamen in scopulo, an Neapoli, quod sequitur nomen, martyris sit, vel vrbis. Pro martyre accepisse Dacherium ex modo interpunctionis videtur, quemadmodum in Appendice Adonis etiam Rosuueydus ad xii. Kal. Nouembris. *In Nicæa Bythiniæ Afrigis, Macarii, Diceì, Proculi, Neapoli, Modesti, & aliorum numero septuaginta duorum.* Ex hac Appendice, quamuis ex Adone id accepisse Ferrarius crediderit in nouo catalogo Sanctorum, immutato nonnihil nomine Neapolium pro martyre posuit. At cum nihil præter putati Adonis auctoritatem addat, nec pondus adijcit, nec nodum soluit. In libris nostris ante Modestum, & anonymos Festus legitur. In monumẽtis Ecclesiæ Neapolitanæ Dengenij, & Caraccioli Modestus non comparet, & Festus inter socios S. Ianuarij numeratus Beneuẽti, non Neapoli quiescere dicitur, & venerari. Excedit in libris nostris anonymorum numerus. In adducta Adonis Appendice septuaginta duo cum Modesto sociantur, in martyrol. Corbeiensi octuaginta quatuor; in ambobus ex codicibus nostris ducenti, & septuaginta duo signantur, quos alibi memoratos inuenire non licuit.

Puteolis. Et hi Puteolani martyres in martyrol. Antuerpiensi deficiunt. Proculus, & Euticius ex sociis S. Ianuarij fuerunt Puteolis coronati, vt supra pluries dictum est. De Macario nihil addere possumus.

Lugduno. Nomen Iusti primo loco positum in codicibus nostris abundare videtur, & pueri nota impropriè addita. Sin verò locus coniecturæ, nimis fortasse latæ esset, luxatam hic putarem Gallici antiquarij additionem, & restituerem. *Galliæ Iusti pueri. Lugduno B. Viatoris discipuli S. Iusti Episcopi.* De Iusto puero Autisiodorensi martyre Belluaci sepulto Acta habet Petrus de Nat. lib. 9. cap. 80. passumq. docet xv. Kal. Nouembris. Sed in Poemate Bedæ (ita enim S. Iusti, seu Iustini passio To. 3. illius operum, & T. x. Surio per Rithmos mihi videtur cõposita) dies consummati agonis nõ signatur. Cum verò S. Viator, qui lector, & socius S. Iusti Episcopi Lugdunensis ab aliis dicitur, puer etiam vocetur in martyrol. Corbeiensi, puerum pro administratore, seu seruo suscipio, & nihil muto. De S. Viatore apud Gallicos scriptores omnia aperta sunt; & hac eadem die S. Iustum, alium à puero, veneratum Claramonte Aruernorum exhibet Saussayus.

XI. Kal. Nouembris.

IN Atriopoli Thraciæ Philippi Episcopi. Eusebi, & Hermetis. Seueri. In Tracia item Seueri, & alibi passio Sancti Legati.

OCTOBRIS 22.

HAdrianopolim Thraciæ vrbem, etiã Ptolemæo, locum, siue palestræ, sine veneratione fuisse Philippo Episcopo, & socijs, habet cum martyrol. nostro etiã Corbeiense ita expressum. *xi. Kal. Nou. In Adrianopoli Thraciæ Philippi Episcopi, Eusebii, & Hermetis, Seueri. In Porto S. Valerii martyris. In Thracia item Seueri. Et alibi passio Sancti Legati.* Regionem non vrbem signat tantùm martyrol. Antuerpiense, in reliquis nostro consonum. *xi. Kal. Nouembris. In Thracia natalis Philippi Episcopi, Seueri, & Hermæ discipuli eius, Seueri, Eusebi. Item Seueri, & alibi passio S. Leogathi.*

Ha-

Hadrianopoli. SS. martyrum Philippi Episcopi, Eusebij, & Hermetis memoriã recolunt Vsuardus, Ado, Vuandelbertus, Petrus de Nat. lib. 11. nu. 299. Bellinus de Padua, Maurolycius, & Galesinius. Martyrol. Romanum addit Seuerũ præsbyterum. Notkerus, quamuis error sit in numero Kalendarum, Seuerum pariter præsbyterum affirmat, & Hermetẽ Diaconum. *Apud Thraciam in Adrianopoli SS. Philippi Episcopi, Eusebij, Seueri Præsbyteri, Hermetis Diaconi, qui Ecclesias ab impiis spoliari contradicentes martyrio sunt coronati.* Iussu Imperatoris Iuliani sub Basso Præside, multis tormentis affectos, postremo flammarum incendio concremato agonem complenisse addit Molanus ex Beda, cui consonat Rabanus xi. Kal. *In provincia Thracia, & in Adrianopolitana civitate passio Philippi Episcopi, & Seueri Præsbyteri, atq. Hermetis Diaconi*, dũ eorũ acta prosequitur. Datur vero hinc intelligi, ex Clero omnes fuisse; Quandoquidẽ domũ Domini zelati, ministris Ecclesias spoliare, vel claudere iussu Iuliani conantibus, intrepidè obstiterint. Duos Seueros exhibet inter S. Philippi Episcopi socios, vel clericos M. Antuerpiense: vnũ tantũ in primo ordine libri nostri, & M. Corbeiense numerant. In Kal. perantiquo Hieronymiano *xi. Kal. S. Philippi* tãtum memoria agitur. S. Valerium martyrem in Ponto nullibi inuenio præterquam in M. Corbeiensi hoc die memoratum.

In Thracia. Alterius ordinis in Thracia, non indicata vrbe, Seuerum exhibẽt libri nostri, & M. Corbeiense. Quia verò tantum in Thracia primos numerauit M. Antuerpiense, secundi ordinis Seuerũ non alio charactere distinguit, quam *Item* Seueri. Hunc alibi signatum non comperi, sicuti neque incerto loco indicatum martyrem Legatum, siue Leugatum, siue Leogathum.

X. Kal. Nouembris.

IN Atrianopoli Seueri. Dorothei, & in Cesarea Cappadociæ Seuesi.

OCTOBRIS 23.

RVrsus Hadrianopoli Seuerus recolitur, sed ex alio socio, vt par est credere, alius à Seuero presbytero, alioue Seuero martyre pridie in Thracia venerato. Hadrianopolim exhibet hic etiam M. Antuerpiense *X. Kal. Nouembris. In Andrionopoli Seueri, & Dorothei. Et in Cæsarea Cappadociæ Longini, Seuesi*. Aliter Cæsarienses martyres exhibet Martyrolog. Corbeiense x. Kal. Nouẽbris. *In Adrianopoli Seueri, Dorothei. In Cæsaria Cappadociæ Seuesi, Magni, Iusti. In Gallia depositio S. Gratiani martyris*. Depravatis kalendarum numero Notkerus ex Rabano ix. Kal. Nouembris Seuerum, & Dorotheum exhibet, sed Nicomediæ, nõ Hadrianopoli, & Cæsareæ Cappadociæ Longinum, in quo vterque conuenit cũ M. Antuerpiensi, & dubitationem ingerunt Longinum in codicibus nostris deesse. Græci de Longino Centurione, qui Christum filiũ Dei cõfessus est in Caluario, agunt in Menologio ad diẽ 16. huius mensis, tam apud Canisium, quam in Basiliano. Romanum martyrol. die 16. Martij Cappadociæ illũ recolit, & Acta habet Surius. Duos alios milites Græci addunt, incertũ mihi an sint, qui sequuntur Suuersius, seu Seuesius, Magnus, & Iustus in M. Corbeiensi. Seuesium quidem aliũ martyrem Cæsariẽsem cum libris nostris indicat martyrol. Corbeiense, nõ Seuersium, vt Antuerpiense. Adduntur in illo

Magnus, & Iustus, qui in nostris libris desiderantur. Nono pariter kalend. Galesinius refert Nicomediæ Seuerum, & Dorotheum. Sed alium Seuerum Nicomediæ postridie huius diei dedimus, x. Kal. Seuerum tantum indicat calendariũ vetus ms. Hieronymianum Cánonic. Lucensium.

IX. Kal. Nouembris.

IN Nicomedia Seueri. Vitalis. Felicis. Rogati. Paperi. Victoriæ. Flauiani. Victoris. Ierapoli Frigiæ. Claudiani. Eutheri. Flauiani. Iusti. & Victoris.

OCTOBRIS 24.

IN breuiori martyrũ syllogę parùm inter se distant mss. codices, quibus Vetustius nostrum M. roboramus. Antuerpiense hodiernos tantos ita signat. *IX. kal. Nouembris Nicomedia Seueri, Vitalis, Felicis, Rogati, Papiri, Victoria, & in Erapoli Frigia Claudiani, Eugari, Flauiani, Victori, & alibi Flauiani, Iusti, Victoris.* Ad Nicomedienses martyres, sex tantùm numero expressos in codice illo vetustissimo, Flauianus, & Victor in libris etiam nostris indicàti, ita adduntur in martyrol. Corbeiensi. *IX. Kal. Nou. In Nicomedia Seueri, Vitalis, Felicis, Rogati, Paperi, Victurię, Flauiani, Victoris, Hierapoli Phrygię Claudiani, Eutheri, Flauini, Iusti, & Victoris.* Ex his nulli memorãtur in martyrologio Romano, neq. apud alia latinorum, quę viderim, Ex Nicomediensibus duo ita prostant in perantiquo Hieronymiano Kal. Can. Luc. *IX. Kal. Vitalis, Felicis.* Seuerus, & Dorotheus, pridie huius diei in nostro Vetustiori memorati, Nicomediæ hac die tribuuntur à Rabano, Notkero, & Galesino. Vitalis sine alia loci explicatione indicatur à Bellino de Padua, ex quo Molanus accepit. S. Vitalis confessoris meminerunt etiam Maurolycius, & Galesinius, qui id accepisse ex Romano martyrol. profitetur, seu ex Bellino de Padua. Gratis huic videretur additus confessoris titulus, nisi ex Petro de Natalib. illi accepissent lib. xi. n. 300. *Vitalis confessor quieuit in Christo IX. Kal. Nouēb.* Sed dũ Vitalis Nicomediẽsis inter martyres cõputatur in adductis codicibus confessoris titulus esset antiquo more accipiendus.

Ierapoli. Phrygiæ vrbem Hierapolim ab alijs huius nominis vrbibus, in alijs regionibus positis distinguit cum libris nostris martyrol. Corbeiense, & agnoscit in Phrygia Ptolemæus, sicuti Stephani epitomator inter Phrygiam, & Lydiam. Huic ciuitati cum Claudiano duce martyres tribuit etiam martyrolog. Antuerpiense, Eugarium, seu potius Eutherium, Flauianum, seu Flauinum, & Victorem; alium verò Flauianum cum Iusto, & alio Victore non Hierapoli, sed alibi incerto loco assignat diuersimode à libris nostris, & Corbeiense Vetustissimum illud M., quod vt magis in hoc distinctum, magis etiam arridet.

VIII. Kal. Nouembris.

ROmæ Maximi, & aliorum cxx. militum, quorum nomina Deus scit. In Africa Sanctorum Saturnini. Claudiani. Primi. Flauiani.

In

In Sardinia Sauini. Saturi. Asthentari. In Gallia Ciuitate Sessonis Sanctorum Crispini, & Crispiniani. Claudiani. Rogati. Papiri. Felicis. Vitalis. *Et Sanctonis Translatio corporis Sancti Iubiani Episcopi, & Confessoris.*

OCTOBRIS 25.

DE Christi martyre Maximo Romano latinorũ silent martyrologia: de aliis verò cxx. seu cxxi. cum martyrologio Romano cætera ferè latinorum hac die memoriam renouant. Hos à Maximo seiunctos ita refert M. Vetustissimum. *viij. Kal. Nouembris. Romæ natalis Maximi, & in Sardinia in Turribus Gauini. Item Romæ cxx. militum. In Africa Saturnini, Claudiani, Primi, Flauiani, Asteri, Chari. Gallijs Sessionis. Crispini, Crispiani, Claudiani, Rogati, Papiri, Felicis, Vitalis.* Cũ Maximo iungit anonymos cxx. martyrol. Corbeiense iuxta ordinem librorum nostrorum, hoc est *viij. kal. Nouembris. Romæ Maximi, & aliorum cxx. militum, quorum nomina Deus scit. In Gaualis depositio B. Hilarii Episcopi, & Confessoris. In Africa Saturnini, Claudiani, Primini, Flauiani, Zotici. In Sardinia Sauini, Saturi, Asteri, Chari, Suessionis ciuitate natalis SS. Crispini, & Crispiniani martyrum, Claudiani, Rogati, Papari, Felicis, & Vitalis. Sanctonas translatio corporis S. Vibiani Confessoris, & Episcopi.*

S. Maximi. De clarissimo Christi martyre Maximo duce, vel comite' Millenario hìc agi vix dubitarem, qui à puero Christianus alios, quos poterat, ad Christi fidem suscipiendam inducebat. Inter cæteros, vt habetur in Actis S. Marcelli Papæ, centum viginti milites sibi subiectos, & à Marcello Põtifice sacro baptismate lustratos, martyres reddidit. Hi sub Maximiano Imperatore cum Maximo primùm ad seruile opus fodiendæ arenæ damnati, deinde truncatis ceruicibus coronati, ab eodem Marcello Papa, & Ioanne presbytero sepulti sunt via Salaria veteri, secundo ab vrbe lapide, in cœmeterio ad Cliuum cucumeris. De his agit Baronius To. 2. Ann. 298. nu. 14. Fragmentum certaminis S. Maximi, ac centum, & viginti militum habet Aringhius lib. 4. cap. 35. ex codice Vallicellano. Ante hos sanctos milites alij xlvi. à S. Dionysio Papa baptizati, ibidẽ sepulti fuerãt, hos recolunt hac die martyrol. Romanum, ac cæteri ferè latini præter vxores eorum, quarum saltem aliquas martyrio cõsecratas videntur innuere Acta S. Hippolyti apud eundem Aringhium, & in Hagiologio nostro perantiquo. Eodem etiam loco sepultos ducentos sexaginta milites sub Diocletiano coronatos habet martyrol. Romanum, & Kal. Iulij. Hi diuersi sunt ab his cxx. quos in Actis S. Hippolyti, post alios xlvi. viij. Kal. Nouẽbris tumulatus fuisse additur. *Cum aliis cxx. martyribus, inter quos fuerũt quatuor milites Christi Theodosius, Lucius, Marcus, & Petrus. Hi videntes ad se armatos venire, dicebant rogantes omnes, vt primus à primo decollaretur.* Hi in adducto Hagiologio nostro dicuntur *centũ viginti, & vnus.* Rabanus viij. cal. eadem ita strictim exhibet. *Ipso die Romæ via Salaria xlvi. militum, qui simul baptizati à Dionysio Papa, & mox iubente Claudio Imperatore decollati sunt. Ibi sunt, & alii martyres cxxi. inter quos fuerunt quatuor milites Christi Theodosius, Lucius, Marcus, & Petrus. Scriptum in passione S. Sixti.* Ex quibus Notkerũ, & alios accepisse non dubito. Sepultos hos fuisse propè cineres sociorum, ex millenario numero concrematorum, habetur in ijsdem Actis S. Marcelli. Per nouem enim menses S. Confessor Maximus cum cxx. militibus arenas effodit, quo tempore à reliquis suis militibus visita-

tione accepta, illos verbis, & exemplo roboratos, ad Christi fidem conuertit; hinc ab irato Maximiano fustibus cæsus, & cum cxx. militibus socijs, truncatis capitibus, coronatus, reliquos etiam à se conuersos, & igne concrematos, ad in eodem loco tumulatos meruit etiam socios habere sepulcri. Nec mirandum est, anonymorum cum Maximo militum triumphantium numerum varium esse, nam aliqui codices, quos sequntur M. Romanum, Rabanus, Vsuardus, Ado, Notkerus, Petrus de Nat. lib. 9. c 105. habent cxxi. aliqui verò cxx. vt cum adductis mss. codicibus Maurolycius retinet.

In Africa. Sancti Africani pugiles, quorum vbiq. anteſignanus est Saturninus, quatuor tantùm sunt in libris nostris, quinque in M. Corbeiensi, addito nimirum Zotico, cuius Antuerpiense nõ meminit. In hoc potius Asterius, & Charus à libris nostris, & Corbeiensi Sardiniæ tributi inter Africanos recensentur, cui ex mox adducenda coniectura magis adhærere libuit. Laciniam Antiquarij Gallici in M. Corbeiensi additam S. Hilarij Confessoris Mimate Gabalorũ, & à libris nostris prætermissam, & nos explicare prætermittimus. Videantur si libet cum Saussayo alij sacræ Galliæ scriptores.

In Sardinia. Aptius in M. Antuerpiẽsi vnus ex Sardis martyribus explicatur, nempe Turribus vrbe olim Sardiniæ florentissima S. Gauini, non Sauini. Huius historiam ex antiquo ms. Ecclesiæ Turritanæ explicat Ioannes Arca de Sanctis Sardiniæ initio libri primi, & interfectum abscisa ceruice in loco, qui dicitur Portus Balagai, seu Balai ad 8. cal. Nouembris disertè docet. Sancti Gauini socij, vel potius præceptores ibi narrantur Prothus Presbyter, & Ianuarius Diaconus, qui eodem loco Promontorij Balai gladio consummati sunt, & vt ibi legitur 8. cal. Nou. Vnde cũ alij hic S. Gauino socij addantur, nẽpe Saturus, Asterius, & Charus, siue vt in libris nostris librarij errore Saturus, & ex Asterio, & Charo in vnũ conflatus Asthẽrarius, suspicionẽ addunt, hos cum Zotico, & Saturo Africanis iungi debere, vt innuit M. Antuerpiense, in quo Turribus in Sardinia tantum S. Gauinus recolitur. Huius, & sociorum Proti, & Ianuarij Acta quoque strictim exhibet ex Fara de reb. Sard. lib. pr. & monum. Eccl. Turrit. seu Sassar. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, & pro S. Gauino aliqua addit in nouo Catalogo SS. ad hanc ipsam diem, sed videnda sũ, quæ infra habentur die vi. cal. Nouemb. vbi de SS. Protho, & Ianuario seorsim agitur.

In Gallia. Sessonis pro Suessonis vrbem librarius nostrorum codicum repoposuit. In hac celebris est omnibus ferè latinorum martyrologijs SS. Crispini, & Crispiniani memoria. Hos recolit in primis Romanum, quod Suessone in Gallia sanctos martyres coronatos habet, deinde translatos. Id sanè Rabanus, Vsuardus, Ado, Notkerus, & Hagiologiũ vetus Franco Galliæ non docent, dum eorum certamen attingunt, immò negat Saussayus. Martyres, qui tam in libris nostris, quam Corbeiensi, & Antuerpiẽsi sub Claudiano duce, Crispino, & Crispiniano succenturiantur, horum certè socios fuisse in eorum Actis non dicitur, neq. ab his, qui SS. Crispini, & Crispiniani memoriã recolunt indicatos video. Quapropter vel incerti loci martyres sunt, vel ab Africanis illorum interpositione divulsi, quod illius regionis vberrima sanctorum pugilum messis facilè mihi suaderet.

Santonis. Bibiani, seu Vibiani, & Viuiani Episcopi (ita enim non Iubianum vocant scriptores Gallici) translatio recolitur apud Saussayũ pridie huius diei, sicuti depositio die 23. Augusti, quam preterijt antiquarius, qui Gallica additamenta Vetustiori martyrol. nostro apposuit. De S. Bibiano meminit Greg. Tur. cap. 38. de Glor. Conf. & ex eo Sammarthani, qui secundo loco Santonensem Episcopum S. Bibianum numerant.

In

VII. Kal. Nouembris.

IN Nicomedia Sanctorum Luciani. Fori. Eracli. Tuti, & Flori.

OCTOBRIS 26.

NIcomedia vrbs regia,& ſub Diocletiano inſignis Chriſtianorũ carnificina, hodiernos faſtos implet cœlitibus in Vetuſtiſſimo Antuerpienſi martyrol. his nominibus indicatis. *VII. kal. Nouembr. Nicomediæ Luciani, Marciani, Flori, & Heraclidæ, Titi, item Flori.* Mutilum hic cum libris noſtris, ita agnoſco M. Corbeienſe. *VII. kal. Nou. In Nicomedia Sanctorum Luciani, Mardiani, Florii, Heraclii, Tuti.* Alter hic Florus deſideratur cum Marciano in libris noſtris,qui tamen Marcianus dicitur, non Mardianus in martyrol. Antuerpienſi, apud Bedam, Galeſinium, ſicuti etiam apud Rabanum hoc ordine. *VII. Cal. In Nicomedia natale Luciani, Flori, & Heraclidæ, Martiani.* An Lucianus presbyter ille ſit Antiochienus, qui Nicomediæ ſub Maximiano martyr euaſit,& cuius vitam ſcribit Suidas apud Suriũ nouiſſimæ editionis To.x. non affirmarem. Ita quidem exiſtimauit,qui in opus Surij eam indidit ad diem 26.Octobris. Græci tam in Menologio Caniſij,quam Baſilij Lucianum martyrem Antiochiæ Syriæ ortum, relicta domo Nicomediam perrexiſſe, vt labantes vi tormentorum Chriſtianos fulciret, ipſumq. in carcere inedia mortuũ, in mare proiectum, & ad litus à delphino delatum narrant, & venerãtur die xvi. Octobris;ſed huic cum nullus ſocius addatur, Nicomedienſi verò huius diei Luciano plures commilitones ſocientur, alium ab illo eſſe dubitare permittunt. Præſertim cum de Luciano presbytero Antiocheno alibi agat Vetuſtius noſtrũ M.nempe ad diem vij.Idus Ianuarij.Cum Luciano alios quinque martyres memorat martyrolog. Antuerpienſe, nonniſi quatuor M.Corbeienſe. Romanum M. Luciani, Flori, & ſociorum meminit hac ipſa die, quando Baronius ex Beda Heraclium, & Marciam indicat, & eorum Acta apud Mombritium extare monet. Molanus ad Vſuardum,Luciani,& Florij pariter meminit. Amandum,Lucianum, & Florum, Confeſſores indicat Petrus de Nat. lib.11. cap.poſtremo n.302. ſed neq. locum, vbi quieuerint explicat, neq; martyres fuiſſe conſentit; Alios hos eſſe à Luciano, & Floro martyribus diſertè docet Maurolycius, dum poſt indicatos S.Amandum præſulem, Lucianum, & Florum addit. *Nicomediæ SS. Luciani, Martiani, Floriani, Heracli, Florii, & Tatij martyrum, & Vrſæ Virginis.* Lucianum, & Marcianum, ab his ſeiunctos, & martyres in Africa, exhibet hac die Galeſinius ex libris ſcriptis, & horum agonem proſtare apud Boninum Mombritium T.2. affirmat, ex quo accepiſſe videtur Baronius; alios verò cum Luciano martyres Nicomedienſes, Marcianum videlicet,Florianum pro Floro,Heraclium, Florum, & Vrſam virginem ſeiunctim eadem die celebrat ex Beda, & libris ſcriptis.

In

VI. Kal. Nouembris .

IN Frigia Tarſi. Policarpi. Gagi. Eumini. Noconi. Longi. Diudori. Metrobi. Euminiæ. Romæ Mariani. Luci. Vieti. Et in Sardinia Poti. Ianuarij. Tarſei. Comini. & Sancti Florenctis.

OCTOBRIS 27.

AMmutato à libris noſtris ordine ſacras ephemeridas ita exhibet hac die Martyrol. Antuerpienſe, aptiùs etiam vt exiſtimo . *V. kal. Nouembris . Sardiniæ in Turribus Proti, & Ianuarii . Et in Frigia Eomeni, Canonis, Diodori, & Metroſi. Item in Frigia Tarſi Policarpi, Gagi, Nocori, Logi. Romæ Marciani, Luci, Victi; Tarici, Cominis, & alibi Florenti.* Quamquam vero cum libris noſtris magis conueniat, & vberius ſit martyrolog. Corbeienſe, minus tamen diſtinctum, quam Vetuſtiſsimum agnoſco. *VI. Kal. Nouembris . In Africa Sanctorum Saturnini, Flauij . In Phrygia Tarſi Polycarpi, Gai, Eumini, Nicomini, Longi, Diodori, Metrobi, Euminę, Tuti. Romæ Mariani, Luci, Vineti . In Sardinia Poti, Ianuarij, Tarrei, Cominæ, & S. Florentij .*

In Phrygia . Saturninum, & Flauium Africanos martyres ante Phryges initio laterculi exhibet martyrol. Corbeienſe, quos cum alibi non inuenerim, & libri noſtri non proferant, eidem martyrol. omnino deberi profiteor. Saturnini nomen inter Africanos cælites frequentiſſimum eſſe patet. Hæſitaui autem, an inter Phryges Tarſi vox martyris eſſet, vel loci. Tarſius Geographis Flumen Troadis eſt, ſiue Phrygiæ apud Zeliam fluens. Prope flumina, vt ſacras poſt completum agonem reliquias in vorticibus abſcõderent, & fidelibus eriperent, à gentilibus plures fuiſſe ſanctos martyres coronatos paſſim in eorũdum Actis occurrit. Niſi autem Tarſus nomen ſit loci, nouem in noſtris libris Phrygiæ martyres numerantur, totidemq. in martyrol. Corbeienſi, & Antuerpienſi; ſed in hoc palã in duos ordines diſtinctiùs diuiduntur, nempe ſub Eumeno anteſignano Cominius, Diodorus, Metrobius, in ſecundo ordine ſub Tarſo, Policarpus, Gagius, ſiue Gaius, Nocomius, & Logius, ſiue Longus. Tutus additur in martyrolog. Corbeienſi, qui neque in Antuerpienſi, neque in noſtro comparet. Ex his aliqui poſtridie v. Kal. numerantur apud Maurolycum, ſed cum alijs aliorum locorum confuſi, qua etiam confuſione inuoluitur Galeſinius .

Romę . Sancti martyres Marianus, Lucius, & Victus, ſine Viuetus Romæ tributi venerantur in libris noſtris, & M. Corbeienſi. Plures vero Romani athletæ in Antuerpienſi numerantur, nempe Marcianus, pro Mariano, Lucius, Victus, vt libri etiam noſtri retinent, Tarreus, & Cominius, quorũ alter Tarſius in libris noſtris dicitur, & Conuina alter minus appoſitè in M. Corbeienſi; in quo hi duo Sardiniæ martyres tribuũtur. Verũ cum Protus. & Ianuarius in Sardinia ſocij, & magiſtri S. Gauini, ſine aliorum additione in eorundem Actis ſignentur, vt mox apparebit, ſequendum hìc, vt magis diſtinctum, M. Antuerpienſe putarem, ac ita Tarreum, & Cominium inter Romanos

nos martyres, quamuis alijs martyrologijs latinorum cum reliquis ignotos, esse computandos dicerem.

In Sardinia. Protum pro Poto legendum esse, & ita restituendum patet, non modo ex fide martyrol. Antuerpiensis, sed ex Actis S. Gauini die 25. venerati, vt ibi diximus. Protum, & Ianuariũ, quamuis magistros habuerit Gauinus miles, dũ tamen iussu Præsidis vinctos custodit, eosdẽ à vinculis solutos, ac in antro latitãtes à Turribus Subarbano primũ animauit, & produxit ad pugnã, deinde præcessit ad coronã, & cõfortes martyrij obtinuit. Prothus & Ianuarius in proprijs Actis, quæ post historiã Passionis S. Gauini lib. 2. de sanctis Sardiniç exhibet Ioannes Arca, in ciuitate Turritana nati Romæ à Caio Papa, alter nẽpe Prothus Præsbyter, alter nẽpe Ianuarius Diaconus ordinantur. Hinc vero in patriam redeuntes diuinum verbum Turribus, Sardiniæ olim floridæ vrbe, sub Diocletiano, & Maximiano disseminant, à Barbaro Præside capti, alter scilicet presbyter in exilium damnatur, alter nempe Ianuarius iuuenis blandiris tentatur. Tandem ambo varijs tormentis cruciati, ad mortem gladio occidendi, ducuntur in eundem locum Promontorij Balai, quo Gauinus palmam acceperat. Quamquam verò coronati ibi dicantur 8. cal. Nouembris, difficile est tamen eodem die cum Gauino fuisse consummatos, vt attentè acta illa legentibus patere potest; sed quia corpora in mare proiecta eodem litore inuenta sunt, & simul cum Gauino tumulata, eundem natalẽ diem sortitos esse apparet. Addit idem Arca etiam historiam recentioris inuentionis, ac translationis, quæ apud eum videri potest.

S. Florentij. S. martyrem Florentiũ habet Petrus de Nat. lib. xi. c. 304. apud Tilẽ castrũ, & in castro Tile eundẽ refert etiam Bellinus de Padua, vnde accepit Galesinius; sed eadem habentur in martyrologio Romano, Beda, Vsuardo, & Adone, vt addit sine alia luce Baronius, seu potius in Appendice ad Adonẽ vbi legitur, *vi. kal. Nou. S. Florentij presbyteri, & confessoris*. Tilicastrensem martyrem prope Lugdunum, in Insulæ Barbaræ cœnobio, ad Ararim S. Florentium habet Saussayus hac die 27. ex persecutione Vvandalica. Locum nõ indicat martyrol. Antuerpiense, neque Corbeiẽse, neque nostrũ. Facile est Tilicastrensem esse in Vetustiori M. superadditum, & ex vsu loquendi martyrem, non confessorem. De S. Florentio martyre Tessalonicensi agunt Græci die 13. Octobris, quo eius certamen narrat Menologium Basilij.

V. Kal. Nouembris.

IN Antiochia Syriæ Marandi. Mauriane. Arcelladi. Et in Cartagine Sãcti Suffronisiani, & natalis Sanctorum Apostolorum Symonis Chananei, & Iudæ Zelotis. Amaranti. Quinti. & Luci.

OCTOBRIS 28.

RECtè ad Antiochenam vrbem ab aliis eiusdẽ nominis distinguẽdam additur *Syriæ*, tam in libris nostris, quam in M. Corbeiensi, videlicet. *V. kal. Nou. In Antiochia Syriæ Marandi, Mariana, Arcelladi. In Carthagine Sancti Suffronisiani. Et alibi SS. Apostolorum Simonis Cananæi, & Iudæ Zelotis, Amaranti, Quinti, & Iusti, Lucii*. Antiochiam tantùm, siue Syriæ, siue

Pisidiæ

Pisidiæ fuerit, non distinguit M. Antuerpiense, in quo pro Marando Zmaragdus sine aliis socijs ità indicatur. *V. Kal. Nouembris. In Antiochia natalis Zmaragdi. In Carthagine Fofroni, & Suani ciuitate Persarum Simonis, & Iudę Apostolorum. Mariana, Artheladi. Kartaginis Amarante. Quinti, & Luci.* Siue Marandum, siue Zmaragdum Antiochensem dicamus, in obscuro nobis sunt Acta martyris, neque affirmare audemus Marcianam, & Arcelladum Antiochenses illius socios esse, quin potius Carthaginēses reputari debeant, vt interposita SS. Simonis, & Iudæ celebritate M. Antuerpiēse suadere posset, nempe vt Fofronio, seu Sufronio ijdē continuarētur in primo Chartaginensium cælitum ordine, sicuti in secūdo reponuntur Amarantus, Quintus, & Lucius apertè in M. illo Kartagini tributi. In nostris etiam libris ex sanctorum Apostolorum interpositione, incertum est, an illis continuari debuerint.

Suffronisiani. Ex duobus vocibus insuetum nomen conflatum esse vix dubitarem, & legendum ita crederem. *Chartaginē S. Suffroni*, (pro Fofroni, vt legitur in M. Antuerpiense) *Suanis Natalis SS. Apostolorum, &c.* atq; ita emendandū quoq; putarem, quod etiam magis corruptum est, nomen Suffronisæni in martyrol. Corbeiensi. De SS. Apostolis Symone Chananæo, & Iuda Zelote in Perside coronatis ciuitate Suanis, vel Suanit, videnda sunt, quæ diximus ad Indiculum Apostolorum. Nec aliam lucem hodiernis fastis addere nobis licuit, cum tam Antiochenos, quam Chartaginenses martyres hìc sileant reliqua latinorū martyrologia.

IIII. Kal. Nouembris.

IN Lucania Sancti Sanecinti. Quinti. Feliciani, & Lucini.

OCTOBRIS 29.

PRimus Cabilunēsis Episcopus, cui Topographia SS. Christi martyrum tribuitur ante ducentos annos scripta & à Maurolycio edita in fine martyrologij, ità de Luca ciuitate Tusciæ in Italia tradit. *Hìc Hyacinthus, Quintus, Lucius, & Felicianus martyres.* Sed supposititius liber à doctioribus existimatus, neque apud eundem Maurolycium fidem omnimodā meruisse inde videtur elici, quòd martyres apud Primum numerati, non Lucanæ vrbi, sed Prouinciæ hac die apud eundem tribuantur cum Petro de Natalibus lib. xi. num. 305. his verbis. *Hiacinthus, Quintus, Felicianus, & Lucius martyris in Lucania Pronincia passi sunt IV. Kal Nouembris.* Consimilia habēt Rabanus, Beda, & Vsuardus, quorū postremus pro Lucio Iuliū retinet, licet Rabanus cum libris nostris Lucinium, ita dicat. *IV. Calendas. In Lucania S. Iacinthi, Quinti, Feliciana. Lucini.* Martyrologium Romanum legit. *In Lucania SS. MM. Hyacinthi, Quinti, Feliciani, & Lucij.* Pro Hyacintho Sacinctium retinet M. Corbeiense, in quo lacuna vnius martyris ex attritione codicis pro. stat, & pro Feliciano cum Rabano Felicianam, pro Lucinio, Lucium ita exhibet. *IV. Kal. Nouemb. In Lucania Sacinti, ... Quinti, Feliciani, & Luci.* Ex binis hisce bonæ notæ vetustis codicibus suadeor, Sacinctum pro Hyacintho potius legēdum esse, præsertim quia in codicibus etiam nostris constanter retinetur memoria *Sancti Sanecinti*. Galesinius Hiacynthum legit, & Luciniam, sed Felicianam non Felicianum confirmat cum Quincto, ex libris scriptis, & Beda

in

in Lucania Prouincia, parũ vtiq; memor eorum, quæ in notationibus ad diẽ quarto Idus Iulij de S. Paulino primo Episcopo vrbi Lucæ his verbis consignauerat. *Quæ Hetruriæ ciuitas, ab Euãgelica prædicationis initio fidei Christianę præceptis imbuta, cum alios habuit Episcopos doctrina sanctitatisq. laude claros, tum martyres, nempe Hiacynthum, Quinctum, Lucium, & Felicianum.* Hanc vrbem Ecclesiasticis scriptoribus, & antiquo Romanæ curiæ stylo Lucanam ciuitatẽ vocatam esse non dubito Sanctos hos martyres in ea aliquando veneratos ignoro. Fidem quapropter Galesinio, neque astruo, neque derogo, si aliunde id excerpserit, quam ex Topographia Primi Cabilionensis. In calendario Hieronymiano perantiquo Canonic. Lucensium ita scribitur mẽse Octobris *IV. Kal. Quinti, Lucini*, sed magis ad veritatis libellã Ferrarius, non modo in Lucania passos hos SS. martyres putat, sed non longè à Cangiano, vrbe in Picentinorum, & Lucanorum confinio, ad Compsanam Metropolim spectante, martyrium subijsse, quòd in ea vrbe S. Feliciani celebris sit memoria. Ita in catalogo SS. Italiç, vbi etiam notat Baronium, quòd scripserit S. Gregorium ep. 7. ind. 2. lib. 7. reg. de huius S. Hiacynthi reliquijs meminisse, cum de sancti Hiacynthi martyris reliquijs S. Gregorius egerit, qui apud ciuitatem Reatinam in Sabinis non in Lucania celebris erat, & quem Romanum M. veneratur die 9. Septembris.

III. Kal. Nouembris.

IN Nicomedia Ianuarij. Calendionis. Martialis. Germani. Marci. Theophili. Eusebi. In Africa passio Sanctorum martyrum numero ccxx. Felicis. Quinti. Lucæ. Luciani. Victoris. Vitalis. Donati. Petri. Mari. Ianuarij. Firmæ. Hermetis. Vrbani. Attici. Et passio Sancti Feliciani cum sociis suis. In Antiochia Ianuarij. Marciani. Nazari. Gerualsi, & Protasi, & Celsi pueri. *Tolosæ Ciuitate Translatio corporis Sancti Saturnini Episcopi, & martyris.*

OCTOBRIS 30.

REquẽs in Vetustiori M. nostro Nicomediẽsium martyrũ memoria occurrit, quoniam maximè ibi sæuierunt Diocletianus, ciusq. atrocitatis socij Cæsares. Ibi primum edictum in sæuissima illa persecutione contra Christianos promulgatum fuit, duobus in eadem vrbe Imperatoribus commorantibus, vt refert Eusebius Ecclesiasticę Hist. lib. 8. cap. 5. An sacra hæc, sub antesignano Ianuario, sacrorum pugilũ turma ex illis fuerit, qui atrocissima illa tẽpestate certamen cõplecuerunt ignorare me fateor, quoniam in editis aliorum martyrologijs memorari non comperi. In M. Antuerpiensi Vetustissimo ita quidem recensitos inuenio. *III. Kal. Nouembris Nicomedia natalis Ianuarij, Calendini, Marsiani, Germani, Marci, Theophili. Et in Comsa Maximi, Eusebi. Et in Africa passio martyrum ccxx. Item Felicis, Quinti, Lucæ, Luciani, Victoris, Vitalis, Donati, Petri, Mari, Ianuarii, Firmæ, Hermetis, Vrbani, Attici, & Feliciani cum sociis suis. In Antiochia Ianuarij, Marciani, Nazari, Gerbasi, Protasi, & Celsi pueri. Tolosæ translatio Saturnini Episcopi, & martyris.* Parùm ab illo,

noſtriſq; codicibus diſtat M. Corbeiēſe; quod cum ijſdem libris noſtris collatum adducimus. *III. kal. Nou. In Nicomedia Ianuarij, Calendionis, Martialis, Germani, Marci, Theophili, Euſebi. Et in Africa paſſio Sanctorum martyrum numero cētum viginti* (cum M. Antuerpienſi libri noſtri ccxx.) *martyrū. Item Felicis* (deeſt item) *Quinti, Luca, Luciani, Victoris, Vitalis, Donati, Petri, Mari, Ianuarii, Firiæ* (Firmæ) *Hermetis, Vrbani, Attici, & paſſio Sancti Feliciani cum ſocijs ſuis. In Antiochia Ianuarii, Martiani, Nazarii, Geruaſi, Protaſi, & Celſi pueri. Toloſæ* (ciuitate) *translatio corporis Sancti Saturnini Epiſcopi, & martyris.*

Euſebi. Martyrol. Antuerpienſe, magis, & vt plurimum in diſtinguendis locis accuratum. in Comſa Maximum, quē addit, & Euſebium, quem à Nicomediēſibus martyribus diſtinguit, vel coronatos, vel veneratos refert; cum autē plurimi hìc ſacri athletæ exprimantur, qui in editis martyrologiis non proſtant, locum paſſionis Maximi, & Euſebij aliunde confirmare non poſſumus. Comſa ſeu potius Compſa vrbs eſt Archiepiſcopalis in Hirpinis, ab alijs etiam Coſta vocata, ſed dum Eccleſiam illam, & illius Archiepiſcopos deſcribit Vghellius Italiæ ſacræ To. 6. nulla de SS. Euſebio, & Maximo mentionem injcit, ſicuti neque Ferrarius in catalogo ſanctorum Italiæ, qui tamen in indice S. Maximum leuitā, & martyrem ſignat Cumis die 30. Octobris. Hunc nihil ominus præterit in nouo, & generali catalogo SS. ad illam diem. Maximi martyris Apameæ ſub Diocletiano meminit martyrol. Romanum, quē eundem eſſe putat Baronius cum Maximo à Græcis indicato xvii. cal. Octobris. Sed is in Menologio Baſilij cū Theodoto, & Aſclepiodoro coronatus dicitur Adrianopoli, omnesque natos Marcianopoli Thraciæ. In Menologio ſane Caniſij alia præter hæc verba ad illam diē non proſtant, *S. martyris Maximi eſſe conſummati*, nullaq; inducitur de agonis loco memoria. An Coſſa Vrbs Tuſciæ ſit poſt Populoniā ab antiquis fere omnibus Geographis recēſita, & quæ Conſa Onuphrio dicitur, nunc exciſa apud Orbetellū non affirmo, fortaſſe eſſe facilius poſſet, cū neq; ibi SS. Maximū, & Euſebium veneratos, ac agnitos eſſe ſciā. S. Euſebij martyris nullo paſſionis indicato loco meminit Molanus ad Vſuardū die ſequenti.

In Africa. Anonymorum phalangē ducentorum viginti ſacrorum militum, omnia latinorum ferè martyrologia hoc die venerantur; vnde numeralis nota ſupplenda eſt in martyrolog. Corbeienſi. Aliam ſub Felice anteſignano martyrū turmam, alijs martyrologijs ignoratam, exhibent cum libris noſtris MM. Antuerpienſe, & Corbeienſe; in quibus ſacri commilitones quatuordecim nominibus exprimuntur. Tertiam etiam claſſem Felicianus ducit, cui ſocij, numero nō præfinito, ſuccenturiantur. Huius ſacræ turmæ meminit Appendix apud Adonem his verbis 3. cal. Nouembris. *Item paſſio S. Feliciani cum ſociis ſuis.*

In Antiochia. Tertium huius anniuerſarij diei, ſub Ianuarij nomine, martyrem, Antiochiæ recolunt adducta cum libris noſtris miſſ. martyrologia, ſexque illi commilitones adduntur, niſi in omnibus ex vitiato autographo mendum irrepſerit. Cum enim inter eos Nazarius, Geruaſius, Protaſius, & Celſus puer numerentur, & ijſdem omnino nominibus cum Celſo puero vocentur, quibus celebres Mediolanenſes martyres indigitantur, ſuſpicionem mouent, ne poſt Marcianum, & ante Nazarium, Mediolani vox deſideretur, vel pro voce Marciani, reſtituenda ſit alia Mediolani. De Nazario, Geruaſio, Protaſio, & cæteris ſub Nerone Imperatore Romæ conſummatis, celebrant Natalem Græci in Menologio Caniſij hoc quidem Octobris menſe, ſed die 14. Verùm cum eodem die etiam eos, cum Celſo puero, Menologium Baſilij recenſeat, & Nazarium Romanum fuiſſe doceat, captum quidem Mediolani, ſed Romam à Præfecto ablegatum,

gatum, & deinde reuersum ad vrbem Mediolanensem, ibi cum Protasio, & Gerualio, & Celso puero, abscissis capitibus coronatum fuisse, vix dubitari potest de Mediolanensibus illa die natalē celebrari. Plures dies ex inuentione, translatione, Basilicarū dedicatione, & completo agone sanctis hisce martyribus dicatos esse non dubito, & in Vetustiori M. nostro de his egimus ad diē 20. Maij, 19. Iunij, & 28. Iulij Quomodo vero Antiochiæ venerationem habuerint me prorsus nescire fateor.

Tolosa. De sancto Saturnino Episcopo Tolosano, & martyre pluribus, & pluries agit Saussayus in Gallicano martyrol. ad hunc tamen diem translationē in libris nostris, & alijs adductis mss. indicatam non recolit, neque pariter Hagiologium Franco Galliæ vetus Lebbei, sed eam quidem exhibet ms. martyrologium S. Sauini de Leuitania totidem verbis cum nostro, in quo Gallici scriptoris additionem agnoscimus. Sammarthani de sancto Saturnino primo Tolosatū episcopo plura colligunt, de translatione nihil exhibent.

II. Kal. Nouembris.

IN Africa Daconi. Iuliani. Fortunati. Siluani. Calendionis. Bonifatij. Casti. Secundi. Gallici. Agapi. Victorij. Felicissimi. Donati. Rusticiani. Fortunati. Romani. Siluani. Mimmi. Angelasi. Nundini. Felicis. Donati. & aliorum xxviiij. Valeri. Vincenti. In Spania Ianuari. In Macedonia Vitalis. Petri. Criscenti. Alterni. Victorini. Item Petri. Marcoti. Mammari. Saturnini. Angilanti. Nundini. In Nicomedia Philippi, & Calendionis. In Italia passio Sancti Quirini martyris.

OCTOBRIS 31.

ITerum Africa martyrum ferax, & innumerabilium mater nouos alios cælites in hodiernis fastis producit. Fortasse ex clade sub Diocletiano cæpta, de qua ità Eusebius lib. 8. cap. 7. *Vix iam iniri numerus potest omnium, qui deinceps in singulis prouincijs passi sunt martyrum, ac præsertim eorum, qui per Africam, & Mauritaniam*. Horum aliquos hoc ordine profert M. Autuerpiense. *Pridie Kal. Nouemb. In Africa Rogatiani presbyteri, Vincenti diaconi, Rusticiani, Agapitæ, Victoriæ, & aliorum vij. In Africa Dogoni, Iuliani, Fortunati, Siluiani, Kalendionis, Bonefacia, Castæ, Secundæ, Sallicæ, Agapini, Victoriæ, & alibi Felicissimi, Donati, Rusticiani, Fortunati, Romani, Siluani, Mimi, Angelasi. Ninidinis Felicis, Donati, & aliorum xxviiii. Valeri, Vincenti. In Spanis Iannari. In Macedonia Vitalis, Petri, Crescentis, Alterni, Victorini, Mafiacoti, Mammani, Saturnini. Nicomediæ Philippi, & Kalendionis. Agustæ Veromiderū S. Quintini martyris.* Prima Africanorū martyrum classis sub Rogatiano præsbytero duce, nempe Vincentij Diaconi, Rusticiani, Agapitæ, & Victoriæ, nescio cur deficiat, tam in libris nostris, quam in M. Corbeiensi. In Epistola S. Cypriani Rogatianus presbyter, & gloriosus senex cum Felicissimo fratre in exemplum reliquis confessoribus adducitur, vt cum eis perseuerantes in fide tandem coronentur. Inter eos, qui in carcere detinebantur parati ad pugnam, mulieres etiam erāt, & pueri: Et quamuis epistola illa num. 81. scripta sit Rogatiano

tiano iuniori, & Sergio, qui hic non indicantur, alijs etiam confessoribus ex titulo communis erat, vnde improbabile non reddit, cum S. Rogatiano presbytero, non dum martyre consummato (si verba S.Cypriani rectè percipio) sanctas aliquas mulieres, Agapitam puta, & Victoriam coronatas fuisse simul cum Vincentio Diacono, & Rusticiano. Ex eadem S.Doctoris epistola Rogatianus presbyter, & Feliciſſimus recoluntur in Romano martyrol. & aliis latinorum die 26. Octobrjs: qua die cum in Vetustiori nostro eorum non prostet memoria, tãtò facilius hic agi de S.Rogatiano presbytero seniore, eiusq; socijs existimari potest. Hi primi ordinis Africani cœlites in martyrologio nostro desiderantur, sicuti in Corbeiensi, cum quo collatum, ita in paucis differre comperio. *Prid.kal. Nou. In Africa Claconii,* (Daconi retinet nostrum) *Iuliani, Fortunati, Siluani, Calendionis, Bonifaciæ* (Bonifatij) *Castæ* ..... (Casti, Secundini) *Gallicæ*) (Gallici) *Agapi, Victoriæ, Felicis, Simoni* (ex duobus nominibus vnum conflatur Feliciſſimi in libris nostris) *Donati, Rusticiani, Fortunati, Romani, Siluani, Mimmi, Angelasi, Nuncini* (Nundini) *Felicissimi* (Felicis, Donati) *& aliorum viginti nouem Valerii, Vincenti. In Spania Ianuari. In Macedonia Vitalis, Petri, Crescenti, Alterini, Victorini. Item Petri.* (Item Victorini, item Petri) *Mar.....* (Marcoti) *Mammari, Saturnini, Vigilanti* (Angilãtij) *Nuncini, Magnili,* (Nundini, deficit Magnili) *In Nicomedia Philippi, & Calendionis. Angusta Viromandorum in Gallia Sancti Quintini*) in Italia passio S.Quirini martyris legũt codices nostri, & initio latercuti nomen Daconi, qui anteſignanus est, minus à Dagono M. Antuerpiensis, quàm à Claconio Corbeiẽsis dissidet. Bonifacia, Casta, Secunda, Sallica, seu Gallica cum Victoria mulieres martyres videntur in M.Antuerpiẽsi, sicuti in Corbeiensi. Vnde codices nostros ad illorũ normã componẽdos existimarem. Feliciſſimus alterius turmæ caput est in eodem M. Vetustissimo, & alibi incerto loco signatus, intra Africam reponendus apparet, quia in libris nostris, & Corbeiensi eisdem Africanis cœlitibus succenturiatur. Aptius etiam scribi videtur Feliciſsimus ex plurium codicum fide, quam vnius Corbeiensis auctoritate in duo diuisus, vt Felicis, & Simonis.

In Spania. Ianuarius alijs etiam editis martyrologijs ignoratur.

In Macedonia. Sub Vitale ductore duodecim martyres Macedones numerantur in libris nostris, totidemq; in Corbeiensi. Non nisi octo in M. Antuerpiẽsi; in eo enim deficiunt duo Petri, alter Victorinus, & Magnilius, qui etiam in libris nostris desideratur. Dum tamen ad explendum duodenarium numerum in ijsdem Victorinus, & Petrus repetuntur, horum, sicuti & Africanorum, & Nicomediensium, qui sequuntur, Acta mihi in obscuro latent.

In Italia. Pro S.Quirino Italiæ martyre bina martyrologia Antuerpiense, & Corbeiense, cũ omnibus ferè sacræ Galliæ scriptoribus, S. Quintinum martyrẽ exhibent Angustæ Viromandorum, seu potius Veromanduorum, Galliæ Belgicæ vrbe, nunc diruta, & eius sede Nouiodunum translata. In oppido vocato Sancti Quintini, nunc arce inexpugnabili, seruatur corpus, vbi veneratum docet Sauffayus, qui eius Acta vberiùs prosequitur, sicuti eiusdem memoriam agunt omnia ferè latinorum martyrologia cum Romano. Rabanus non modo S. Quintinũ in Gallijs sub Maximiano martyrio coronatum refert, sed post annos LII. reuelante Angelo inuentum, & sepultum fuisse viij. cal. Iulij. Quo die etiã in martyrolog. Vetustiori nostro ex Gallicis additamentis annotatur. Sanctum vero in Italia Quirinum hoc die veneratum inuenire non licuit, neque Ferrarius, alioquin cœlitum Italicorum diligens, scrutator meminit; ex quatuor,

enim

enim, quos exhibet sub Quirini nomine martyres nullum in Italia celebrem hũc diem habuisse docet, potuit tamen aliqua translatio eundem S. Quirino sacrum reddere. S. Quirini martyris meminit inter Sanctos, qui in Italiæ Arce Canusiæ erant ipsius tutelares, in obitu Magnæ Comitissæ Matildæ, Præsbyter Domnizo rudis Poeta in eius vita cap. de cultu erga Deum.

KALENDIS NOVEMBRIS.

Litanias Indicendas.

Nouember habet dies XXX.

Lvgduno Galliæ Ciuitate depositio S. Genesi Episcopi, & Confessoris. Pictauis Ciuitate Festiuitas Sancti Hilarij Episcopi, & Confessoris. Petri. Mammeri. Saturnini. In Macedonia Iacobi dedicatio, & Iohanis Apostoli. In Trãcina natalis Sanctorum Meldagasi. Iuliani. Victoris. Felicis. Crisentis. Item Felicis. Satti. Perseueranti. Octauiæ. Caffic. Maxime. Riste. Saturnine. Donate. Simplicij. Cesarij. Et in Cesarea Cappadociæ natalis Sancti Macedoni, & alibi Sanctorum Ianuarij. Vitalis. Petri. Crisentis. Victorini martyris. *In Ligonica Ciuitate Castrodioni. Benigni. Primi martyris, & Sanctæ Mariæ mart. & S. Melanti. Augustiduno Galliæ depositio Sancti Primi Episcopi.*

NOVEMBRIS 1.

NOn dum Festum omnium Sanctorum, vel vniuersalis Ecclesia susceperat, vel vbique celebrandum sanciuerat, cum Vetustius M. in codicibus nostris, aut M. Antuerpiensi exaratum, quoniam fuit in fronte calend. Nouẽbris eiusdẽ non meminerũt. Quando verò celebrari ceperit, sub Bonifacio quarto, aut Gregorio item quarto omnes ferè sacrorum scriptores signant, præcipuè qui notas sacramentarijs, aut martyrologijs addiderunt, Galesinius, Baronius, Menardus, & alij. Tempore Caroli Magni non dum vbiq; celebritatem hanc susceptam esse, plura suadent, Cathnuphus in primis epistola ad Carolũ Magnum, dum ipsum orat, vt diem statuat in honorem Omnium Sanctorum. In codicibus nostris mutilum exordium huius mensis agnoscimus, & Gallicum antiquarium fortasse Fontanellensem, demptis aliquibus martyribus, additamentum ex cælitibus suis apposuisse. Saniores ergo ex M. Antuerpiensi Vetustissimo sacras huius diei ferias exhibemus, vt ex his nostrorum codicum lacunã suppleamus. *Kal. Nouembris. In Assia natal. Macedonis, Iuliani, Victoris, Felicis, & in Melitia Cristatis, Petri, Mammeri, Saturnini. In Macedonia Vigilanti, Nundini. In Terracina Moldacasi, Iuliani, Victoris, Felicis,*

Felicis, Crescentis. Item Felicis, Satti, Perseuerantí, Octauia, Cassiæ, Maximæ, Faustæ, Saturninæ, Donatæ, Simplitiæ, Primæ. In Cæsaræa Cappadociæ Macedoni, & alibi Ianuarii, Vitalis, Petri, Crescentis, Victorini, Macroti. Rotemis Galliæ ciuitate Lengonensi Benigni presbyteri, & martyris, & alibi Sanctæ Mariæ, & S. Melanti. Augustoduno Primini Episcopi. Eadem mutilatione laborat martyrol. Corbeiense, ac codices nostri, etiamsi in illo aliqua addita videantur, quæ in his non prostant, nimirùm. *Kal. Nouembris Litaniæ indicendæ. Festiuitas Omnium Sanctorum. Petri, Mammeri, Saturnini, Magni. Et passio Eustachij martyris cum vxore, & filijs. In Macedonia Basilis, Iacobi, & S. Ioannis Euangelistæ. In Terracina natalis Sanctorum Meldegasi, Iuliani, Victoris, Felicis, Sati, Perseuerantí. Octauiæ, Cessiæ, Eristei, Saturnini, Simplitii, Primi, Casarii, Magni, Iusti. In Cesarea natalis S. Macedonii. Et alibi natalis SS. Ianuarii, Petri, Crescentis, Victorini, & aliorum martyrum. Castro Dinione passio S. Benigni presbyteri, & martyris, & S. Melanti. Augustoduno S. Primi Episcopi. Baiocas ciuitate S. Vigoris Episcopis, & Confessoris. Sitio Monasterio depositio S. Audomari Episcopi, & Confessoris. Pictauis ciuitate dedicatio Basilicæ S. Hilari Episcopi, & Confessoris.*

Lugduno. S. Genesium ex Fontanellensi Abbate Lugdunensem Episcopum pluribus Saussayus prosequitur hac die obitus, quamuis propter omnium Sanctorum celebritatẽ translata eius solemnia fateatur ad pridie Nonas Nouẽbris, & in Dypticis Lugdunensis Ecclesiæ cõsignetur xviij. Kal. Maij. At nuper vir doctissimus Theophylus Raynaudus in Hagiologio Lugdunensi, dum plura de S. Genesio Abbate Fontanellensi, & Bathildæ Reginæ ab eleemosynis in apertũ proferat cathedrã illius Ecclesiæ tenuisse docet sub annum Christi 670. & dum ex Lugdunense calendario sanctum eius obitum signat calẽdis Nouembris, testatur etiam corpus eius in Calensi, agri Parisiẽsis Abbatia quiescere. Quæ confirmant Sammarthani in Genesio 42. Episcopo Lugdunensi, aliquantulum intempore Sedis à Raynaudo idissidentes, dum Lamberto successori annum signant 668.

Pictauis. Quam Festiuitatem vocant libri nostri, alij translationem appellant. Ita hoc ipso die Galesinius, Molanus, & Ferrarius in nouo catalogo Sanctorum, ex Tab. Ecclesiæ Pictauiẽsis, in aliã diem transpositam ob Festum omnium Sãctorum refert: S. Hilarium magnum Ecclesiæ fulcimẽtum vocat S. Hieronymus, & ad Dominum migrasse refert in chronico anno 369. Plurima de eo habent Sammarthani in octauo Pictauiensi Episcopo, & vberius omnia de eo cumulat pie memoriæ Ioannes Bollandus Societ. IESV ad diem 13. Ianuarij. Tanti doctoris translationem mirum non est; festiuitatem Pictauiensem vocasse, qui ad Vetustius martyrologio additamentum posuit.

Petrus. In Asia primùm, vt vidimus, quatuor martyres veneratur martyrol. Vetustissimum, nempe Macedonem, Iulianum, Victorem, & Felicem, quos non modo in libris nostris deficere dolemus, sed etiam ex alijs codicibus confirmari, & dilucidari à nobis non posse. Ante Petrum, Mammerium, & Saturninum, Cristatus in eodem Antuerpiensi martyrolog. tanquam dux alios sacros palestritas præcedit, quibus in M. Corbeiẽsi additur Magnus. Locus siue passionis, siue venerationis, neq. in hoc, neq. in libris nostris exprimitur; in illo verò apertè dicitur *Melitia*, quæ ità adamussim scripta vrbs, vel regio apud Geographos non mihi comparet Melita Cappadociæ vrbs non procul ab Euphrate est Solino, & Plinio, Melitine Ptolemæo in Armenia minori contermina regione. Melitena vrbs est, & regio Cappadociæ Ptolemæo, & Stephani epitomatori. Melitinæ, seu Melitenæ scribẽdum esse propendeo; tùm quòd hæc metropolis regionis cognominis sit in Armenia minore

nore, ad quam Imperatores diuertere cõsueuerant, vt notat Ferrarius nouæ Topographiæ in martyrol. Romanum p. 76. tùm quòd ibi aliorum martyrum carnificinam fuisse sæpe doceat idem Rom. martyrol. præcipuè ad diem 13. Febr. 19. Aprilis, 5. Septemb., ac frequenter etiã in Vetustiori martyrolog. nostro, veluti pluriorũ martyrũ mater memoretur.

In Macedonia. Et hic etiam dolere cogimur detruncationem M. Vetustioris in M. Corbeiensi, & libris nostris; pro eo enim quod in Antuerpiensi Macedoniæ tribuuntur Vigilantius, & Nũdinus martyres, in illo scribitur. *Basilis, Iacobi, & S. Ioannis Euangelistæ.* In codicibus verò nostris legitur *Iacobi dedicatio, & Ioannis Apostoli.* Ex his tamen simul educerem, legendum esse. *Dedicatio Basilicæ S. Iacobi Apostoli, & S. Ioannis Euangelistæ*, quæ an fuerit Macedoniæ solemnis, vel alibi diuinandum mihi non est. Consimilis dedicationis celebritas recolitur etiam, tùm postridie huius diei, tùm 3. Nonas Nouembris. Ad Macedoniæ, siue dedicationem Basilicæ, seu martyrũ memoriam præcedit in martyrol. Corbeiẽsi veneratio S. Eustachij martyris, cum vxore, & filijs; quæ tamen cum non extet in libris nostris, neq. in M. Antuerpiensi, eiusq. festum, tàm in latinorum Hagiologijs, quàm Græcorum Menologijs celebretur die 20. Septembris, ex pia alicuius Antiquarij deuotione illic additum existimarem.

In Tarracina. Sexdecim martyres, partim viros, partim mulieres indicat M. Antuerpiense, totidemq. libri nostri: hac tamen differentia, vt licet in vtroque agmen ducat Moldocasius, siue Maldagasius, postremus in illo nõ est Cæsarius, sed inter sanctas mulieres turmam claudit, quæ nomine Prima est in libris nostris & pro Cæsario substituitur, post hunc M. Corbeiense addit Magnum, & Iustum. De Magno, frequenter in hoc codice apud Dacherium addito, fluctuaui, an potius titulus esset celeberrimi martyris more Græcorum in Menologijs, vel proprium nomen. Bis in hodiernis fastis Magnus additur in martyrol. Antuerpiensi, in libris nostris præteritus, nempe ad Melitinenses, & hos Terracinenses. An Saturninus, quia celeberrimus esset in regione illa, magnus ideo diceretur, vt Cęsarius, celeberrimus Terracinę vocari potuit, ignoro; dubium excitasse sufficiat, decernant alij. Iustus in libris nostris, aut M. Antuerpiẽsi nequaquam memoratur, & fortasse ad sequentem diem pertinet. In eodem M. Corbeiensi, quamquã duo hi martyres addantur, sacri agminis numerus xv. nõ excedit. Deficit enim Crescentius, alter Felix, Maxima, & Donata. In nostris verò libris pro Faustæ nomine Rista legitur, quæ Eristeus in Corbeiensi est. Ex vbertimo tamen sanctorũ martyrũ choro, qui ex vrbe Latij Terracina in adductis mss. vnanimiter producũtur, Iulianus tantũ presbyter, & Cæsarius diaconus memorãtur in Romano, & aliis latinorũ martyrologijs. Quamquã vero in Actis apud Surium post Iulianũ & Cæsariũ in mare mersos, nõnisi Felicis, & Eusebij martyriũ adnotetur, cũ Leõtis Consularis in Christi confessione fortunatissimo obitu; ex verbis tamen Cæsarij ad Luxuriũ, antequam mergeretur, constat sub eodem Tarracinensi equite primario, sine permissione Consularis, plures martyres, ac sanctas virgines per ignem fuisse coronatas; ita enim Luxurio propinquam mortem minatus est Cæsarius. *Te verò Luxuri hodie comedet coluber, vt cognoscat omnis hæc regio, quòd vindicet Dominus sanguinem seruorum, suorum, & virginum, quas tu ignibus cõcremasti.* Vnde sanctarum mulierũ, quæ hoc die numerantur, duplex esset corona, virginitatis, & martyrij. Eusebium monachũ, & Felicẽ presbyterũ, qui in hac classe non recensentur, post aliquos dies à nece SS. Cæsarij, & Iuliani, martyrium fecisse, & forte 12. Nouembris, vt ibi adnotabimus, ex iisdem Actis palam est. Quod autem plures S. Cæsario socij addantur, neque vnus tantùm felix, sed duo numerentur, dubium mouet, an Cæsarius

rius ille diaconus, cuius corpus Romæ in Basilica Heleniana seruabatur, & vnius pars etiam Lucæ die sequenti veneratur, idē sit, cū eo, qui hoc die in Vetustiori Mnostro inter Tarracinēses martyres postremo loco recolitur; & an virgines illæ, incendio concrematæ sub Luxurio, esse potuerint Domitilla, Theodora, & Euphrosina, quas, vt habetur in Actis SS. Nerei, & Achillei, viuicomburio necatas, Cæsarius Diaconus Terracinā veniens sepeliuit. Diuersos esse Molanus existimauit, Cæsarium diaconum, & aliū simpliciter martyrū hoc die in additionibus ad Vsuardum memoratum. Hausit id Molanus ex Bellino de Padua, qui post agonem Cæsarij diaconi Tarracinæ expressum, *eodem die* Kal. Nouembris addit *S. Cæsarij martyris*. Alius pariter S. Cesarius martyr, cum alijs socijs veneratur à Græcis die 20. Aprilis, penes quos Cæsarius diaconus Africanus cum præsbytero Iuliano Terracinæ in mare demersus recolitur die 7. Octobris. Apertissimū hoc est in Menologio Canisij, vnde fortasse excerpsit Bellinus de Padua. Siquidem hac ipsa die Kal. Nouembris in eo memoria agitur *SS martyrum Cæsarii, Dasij, & aliorum quinque*; qui detenti in vrbe Damasco, varijsque cruciatibus vexati, ense obtruncati sunt. Verùm sub Cæsarij nomine plures cœlites in Vetustiori martyrol. numerantur. Bini in Cappadocia ij. Nonas Septemb. & Nonis Nouembris, alter 2. Idus, nisi idem potuerit iterata veneratione signari; ex his aliqui etiam in Romano martyrol. indicantur, & amplius Cæsarius martyr Arabissi die 28. Decembris. Celebrioris tamen diaconi memoriā hoc ipso die agunt Vetus Fronti calendariū, & S. Gregorij sacramentarium, vbi Mepardus alios antiquos codices adducēs, vel corrigenda Acta SS. Nerei, & Achillei, vel duos olim Cæsarios Tarracinæ floruisse monet. Antiquum ms. Hieronymianum Kal. alias adductum, ita etiam habet *Kal. Nouembris omnium Sanctorum, & S. Cæsarij*, & ijdem verbis loquitur aliud Kalendarium vetusto Breuiario nostro hactenus præfixum. Hæc etiam die natalem S. Cæsarij Diaconi in eius actis strictim collectis habet Rabanus, & post eum Petrus de Nat. lib. x. c. 2. & Ferrarius in catalogo SS. Italiæ, vbi ex Baronio notat, corrigenda esse S. Cæsarij acta apud Surium, dum Menardus facilius acta SS. Nerei, & Achillei emendari posse credidit.

Cæsarea Cappadociæ. De sancto hoc Cæsarienſi Macedonio meminisse tantū in editis MM. video appendicem ad Adonem. Macedonium martyrem sub Iuliano Apostata cum Tatiano, & Theodulo recolunt Græci die 12. Septembris. Sed locus passionis non exprimitur in Menologio Canisij, & de illis silet Menologium Basilianum.

Et alibi. Deficit ex hac sanctorum classe Vitalis in martyrol. Corbeiēsi, qui tamen in martyrol. Antuerpiensi exprimitur, quinimmo & his Macrotius iungitur, facile in libris nostris vitio librarij in ociosum martyris titulum conuersus. In M. Corbeiensi post enumeratos Ianuarium, Petrum, Crescentium, & Victorinum perpessus laboris librarius, duobus amputatis nominibus, fortasse scripsit *& aliorum martyrum*.

Castro Dionis. Castro Diuionense habet Gregorius Turonensis de Gloria martyr. c. 51. & ita etiā legitur initio Actorū S. Benigni presbyteri apud Surium T. xi. Diuione hodie dicitur in Episcopatu Lingonensi. Huius S. Benigni gesta diffusiùs prosequitur Saussayus, qui eum vocat Burgundiæ Apostolum, & Protomartyrem; vnde quod additur in libris nostris post Benigni nomen *Primi martyris*, non pro singularis martyris proprio nomine, sed pro titulo laudis accipimus; nempè illius Lingonensis regionis fuisse Protomartyrem. Dicitur cum missum fuisse in Gallias à S. Polycarpo, quod habetur etiā in Hagiologio Franco Galliæ Lebbei, & in martyrol. ms. sancti Sauini de Leuitania, præter ea, quæ extant, in Notis Baronij ad Romanum M.

Mirum

Mirũ quod presbyter fuerit, & Lingonũ Apostolus, & tamen inter illius vrbis Episcopos non numeretur, & primus Lingonensis Episcopus apud Sammarthanos Senator consignetur; tamen in Vetustiori martyrolog. nostro Gallicum additamentum suadet martyrol. Antuerpiense; in quo prius superadditi memorantur S. Amantius, & Lusorius in Gallijs Episcopi de quibus infra ij. Nonas.

S. Mariæ. Interpolatio Sãcti Benigni, alioquin antiqui martyris mutilum fecit martyrol. Corbeiense, ac deprauatum, dum relicta S. Maria martyre, Melantiũ alium martyrẽ videtur S. Benigno adnectere. Sed diuisos esse ab illo, tam Mariam, quam Melantium docet martyrol. Antuerpiense, in quo scribitur, *& alibi S. Mariæ, & S. Melanty*. Incertus locus *alibi* neque in Romano M., neq. apud Bedam, Rabanum, Vsuardum, Adonẽ, Notkerum, Bellinum de Padua, & alios exprimitur. Ex seruili genere claram martyrem, & prodigijs illustratam, dum ad mortem quæritur à Præside, in sinum magni lapidis exceptam ad Dominum migrauisse sub Adriano Imperatore refert ineus Actis Vincentius in speculo Historiali lib. 2. cap. 86. & 87.; & ex eo Surius To. xi. Ex horum lectione educeretur, passam esse in Veronensium ciuitate, nisi ad oram libri ex varia lectione haberetur *Netromensium*, & nisi Petrus de Nat. lib. x. cap. 4. dum eadem Acta percurrit, *Nicomediæ* passam esse disertè doceret, & ex eo, vt facile est credere Maurolycius ad hunc diẽ. Vnde pro *Netromensium* vrbe apud Vincentium restituendum videtur *Nicomedienſium*. Quod placuisse puto etiam Ferrario, qui Kal. Nouembris in catalogo SS. Italiæ sanctæ huius Mariæ Veronensis non meminit, & nuper Arcturo à Monasterio in sacro Gynecęo, qui eam Kal. Nouembris Nicomediæ tribuit. Melantium socium eius fuisse non explicatur in Actis illis, vnde *alibi* passum cum martyrol. Antuerpiensi affirmari potest.

Augustoduno. Hoc S. Primi Episcopi Augustodunensis auctarium legitur etiã in Appendice ad Adonem, & apud Saussayum in supplemento Gallicani martyrologij Kal. Nouembris, ex Petro Galesinio, quem laudat, quòd S. Primum Episcopum Æduensem ex tabulis Græcorũ primus restituerit. At Galesinius hoc die Alexandriæ, non Augustoduni S. Primum Episcopum recolit, quartum ab Apostolis illius sedis successorem, & rectè ex Tabulis Græcorum, vt in Notis addidit, potuit Alexandrinum Episcopum indicare, difficillimè vero Æduensem, inter quos Episcopos Sammarthani Primo locum non assignant.

IIII. Nonas Nouembris.

DEdicatio Basilicæ Sanctorum Sixti. Eppoliti. Laurenti. In Africa natalis Sanctorum Poliani. Victoris. Hermetis. Iusti. Vital. Papæ.

NOVEMBRIS 2.

EXulat à libris nostris Theodoti Episcopi Laodiceni memoria, quã per errorem Bedæ, Vsuardi, & Adonis inductam esse in Romano martyrolog. ex Rufini interpretatione putat nuperus editus scriptor Vallesius in dissertatione de martyrolog. Romano p. 317. Hunc vt hæreticum Arianum, & Arianorum præcipuum fautorẽ à sanctorum albo remouendũ existimat, ex ibi adductis rationibus. Quod, cum non cuiusque sit decernere, sed illorum tantùm, quibus à Romano Pontifice correctionis munus demandatum fuerit, in-

dicasse nobis sufficit. Ex ijsdem tamen rationibus, sicuti non iniuria vetus Rosueydi martyrologium arguitur non esse Romanum, quia hoc,& alijs erroribus scateat, ita cũ in libris nostris Theodotus ille non extet, viceversa videtur, Vetus quod damus, esse Romanum M. ac sincerum. Neque re vera Theodotus iste in M. Antuerpiensi Vetustissimo memoratur, sed ab illo, vt à nostris codicibus, ita abest. *IIII. Nonas Nouembris. In Africa Puplianj, Victoris, & Puplia, Syxti, Ippolyti, & Laurentij, Hermetis, Iusti, Vitalis, Papæ.* Deficit in M. Corbeiensi dies integer quarto Nonas Nouẽbris, vnde an in eo Theodotus indicatus fuerit, affirmare non licet. In perantiquo quidem Kalendario Hieronymiano sæpe adducto Theodori memoria non extat, sed tantum *IIII. Nonas Victoris, & Iusti*. Exulat etiam à Martyrologio Rabani, in quo tantum prostat *IV. Nonas. In Africa natalis Publij, Victoris, Hermetis, Iusti, & Papæ.* Luxatum hic tamen video M. Antuerpiense, & ex nostro restituẽdum. Quæ enim dedicatio Ecclesiæ est S. Sixti, Hippolyti, & Laurentij, ac horum sanctorum Romana celebritas, non passionis natale, duplici errore veluti Africana signatur, & sancti tres celeberrimi martyres inter Africanos miscentur. Igitur primo loco restituenda est dedicatio Basilicæ S. Laurentij, Sixti, & Hippolyti, deinde recolendi seorsim martyres Afri.

Dedicatio. Quamquam Sixtus secundus in cœmeterio Callisti via Appia coronatus dicatur, ibiq; in Ecclesia sui nominis sepultus, cum tamen S. Laurentij Archiadiaconi sui præceptor extiterit, & martyrij aotesignanus, non malè cũ SS. Laurẽtio, & Hippolyto, in Agro Verano via Tiburtina sepultis, proprio nomine titulum dedit Basilicæ, cuius dedicationis memoria hoc die indicatur in codicibus nostris. Forte celebritas fuit dedicatæ Basilicæ S. Laurentij à Pelagio secundo, qui vt Anastasius in eius vita auctor est, *Fecit supra corpus Beati Laurẽtij martyris Basilicam à fundamentis constructã*, vel illius Ecclesiæ dedicatio fuit, quã antiquitus Constantinus edificauerat via Tiburtina, vel festũ fuit ex dedicatione alicuius Basilicæ in Oriẽte. Graci enim, vt patet in Menologio Canisij, Sixtũ interfectũ fuisse cũ SS. martyribus Laurẽtio, & Hippolyto existimabãt ad 4. diẽ Augusti. *Post S. Stephanum ordinatus est Pontifex Sixtus, interfectus & ipse postea cum sanctis martyribus Laurentio, & Hippolyto.* Nihil de hac celebritate inuenire licuit apud Bedam, alios q. latinos: quod tamen, vt pluries diximus, confirmat Vetustius hoc M. ad vsum fuisse Ecclesiæ Romanæ.

In Africa. Quatuor ex Africanis hisce martyribus recolit Romanum martyrol. Publium nempe, Victorem, Hermetẽ, & Papiam: Iustum, & Vitalẽ addunt codices nostri. Pro Publio, Publiã retinet martyrolog. Antuerpiense, & qui in codicibus nostris Polianus est, illi Puplianus dicitur, Publius Rabano: sicuti qui Papia apud eundem, & Romanũ M. dicitur, Papa nuncupatur in eodem Antuerpiensi, & libris nostris. De quatuor primis ex Beda agit etiam Galesinius ex libris ms. Iustum confirmat Rabanus. Cætera me latent.

III. Nonas Nouembris.

DEdicatio Basilicæ Sancti Andreæ. In Africa Cappadociæ natalis Sanctorum Germani. Theofili. Cesari. Egrili. Vitalis. Et Alibi passio Sancti Agricolæ.

Romæ

NOVEMBRIS 3.

ROmæ Basilicam S. Andreæ constructit Symmachus Papa, qui obijt anno DXIIII. Ita enim liber Pontificalis. *Hic fecit Basilicam S. Andreæ Apostoli apud Beatum Petrum.* Probabile autem est eandem dedicauisse, qui & ædificauit, præcipuè cum Symmachi pro eiusdem Ecclesiæ ornamento donaria idem liber recenseat. Ante Symmachum verò Simplicius, qui obijt anno ccccl xxxiij. aliam Basilicam S. Andreæ in Exquilijs erectã dedicauit, cuius dedicationis memoriam disertè indicat liber Pontificalis. *Hic dedicauit Basilicam Sãcti Stephani in Cælio Monte in Vrbe Roma, & Basilicam Beati Apostoli Andreæ iuxta Basilicã S. Mariæ.* Perijsse hãc Basilicam affirmat Baronius, & quædã carmina ibi olim musiuo opere descripta, & à Platina seruata profert, in quibus Ecclesiam, non à Simplicio, sed cuiusdam testatoris pietate fundatã, Simplicium dedicauisse refertur,

Simplicius Papa sacris cælestibus aptãs
Effecit verè muneris esse tui.
Ne quod Apostolici deesset limina nobis
Martyris Andreæ nomine composuit.

Ædificauit etiam D. Gregorius Magnus in vrbe Roma Monasterium sub B. Andreæ nomine, cuius prodigia aliqua pariter refert. An huius vel alterius dedicatio in libris nostris celebretur, non affirmarem, in eam, quæ à Simplicio peracta fuit, vtpote vetustiorem, & dedicationis nomine donatam propenderem. Meminit huius dedicationis pariter in sacris hodiernis fastis M. Corbeiense loci, vel vrbis præterito nomine. *III. Nonas Nou. Dedicatio Basilicæ S. Andreæ Apostoli. In Cæsaria Cappadociæ natalis SS. Germani, Theophili, Cæsarij, Egrili, Vitalis. Et alibi Agricolæ Virginis, & martyris. Item Felicis, Crescentij.* Dedicationem, de qua egimus, omnino præterit martyrol. Antuerpiense, dum vberiores alioquin cælites exhibet. *III. Non. Nouembris. Cæsarea Cappadociæ natalis Germani, Theosili, Vitalis, Iusti, & Hermetis, Gobbani, Germani, Teosili, Cessari, Egrili. Vitalis. & alibi passio Agricolæ* non Agricolæ.

In Africa Cappadociæ. Insignem librarij lapsum, pro Cæsarea scribentis ofcitanter in Africa, emendandum hìc fateor, nisi aliquos martyres, ex Africa numeratos ante Cappadoces, aliunde constaret. Germanum, Theophilum, Cæsarium, ac Vitalem optimè fecisse martyrium in Cappadocia Cæsareæ testatur Romanum martyrol. cui suffragari notat Baronius, Bedam, Vsuardum, Adonem, & Petrus de Natalibus. Is lib. x. cap. xviij. ex alio à nostro diuerso, Vetustiori martyrol. S. Hieronymi nomine insignito, SS. Germani, Theopoli, Cæsarij, & Vitalis martyrum apud Cæsaream Cappadociæ in persecutione Decij agonem refert, tardum, sed perfectum, quòd in ea persecutione volentibus non permittebatur occidi. Rabanus Domninum aliis præteritum ita addit *III. Nonas in Cæsarea Cappadociæ natale Germani, Domnini Theophili, Vitalis, Iusti, & Hermetis.* In alio Vetusto martyrolog. Egrilius additur, atq. 3. Nonas Nouembris, ita scribitur. *III. Nonas Nouembris dedicatio Basilicæ S. Andreæ Apostoli. In Cæsarea Cappadociæ Natalis SS. Germani, Thechali, Cæsarij, Egrili, Vitalis.* Sed nomen Theophili vsitatius est, atque ita scribitur in adductis alijs martyrologijs, in quibus pariter Egrilius ante Vitalem recensetur. Abundant alij cælites in M. Antuerpiensi, nempe Iustus, Hermes, Gibbanus; & repetuntur Germanus, Theophilus, & Vitalis, quibus cum de more non addatur particula *item*, suspicionẽ mouent de ociosa iteratione librarij. Ex his aliqui iterum recoli videtur Pridie Idus Nouembris.

Et alibi. Sanctus alius Agricola à Bononiensi diuersus hìc indicari vide-

tur; & si enim Vitalis hoc ipso die veneretur, ab Agricola tamen seiunctim, & inter Cæsariénses Cappadociæ martyres recolitur. Vtriusq; simul memoriam renouat Bononiæ martyrologiũ Romanũ pridie huius diei, vbi Baronius aliqua notat, & testẽ vocat Vsuardũ, qui hac die potius Molanus est in Additionibus ad Vsuardum. Vsuardus enim de illis agit die 27. Nouemb.. De eorundem corporibus à D. Ambrosio inuentis clara sunt quæ habet Gregorius Turonensis. Certũ autem redderetur, sanctos Vitalem, & Agricolam, Bononiæ sepultos, hic non referri, si Agricola non modo vir nõ esset, vt Bononiensis, cuius seruus erat Vitalis; sed mulier, & virgo, vt eam signat martyrol. Corbeiense. Verùm & si sancti Agricolæ, non sanctæ in libris nostris nomen scribatur, & Agricoli in M. Antuerpiense, aliũ tamen esse docẽt, tũ dies, qui ad amussim Vitalis, & Agricolæ Bononiensium celebritati non respondet, tùm quòd *alibi*, non Bononiæ assignetur, tùm quia Agricola cum Vitali expressè recẽsetur Bononiæ in M. Vetustiori nostro v. Kal. Decembris, & rursus Agricola tantùm Bononiæ iij. Nonas Decembris, & Vitalis pariter Bononiæ die 29. Aprilis.

II. Nonas Nouembris.

IN Africa natalis Sanctorum Primi. Cesari. Gregori. Porfiri. Saturi. Amanti. Publi. Secundi. Victorini. Perpetuæ. Victoris. Quarti. & in Nicea natalis Sancti Domnini. *Augustiduno Galliæ depositio Sancti Proculi Episcopi. Rotenis Galliæ depositio Sancti Amanti Episcopi. In Gallia Ciuitate Beturicas depositio Sancti Lusoris pueri, & Confessoris.*

NOVEMBRIS 4.

ITerum Africa martyribus exuberat. Sub Primo enim aliorum antesignano duodecim alij nominibus signati in libris nostris producuntur, quorum septẽ tantùm Galesinius exhibet ex Beda, & libris scriptis. Deficiunt penes illum Saturus, nisi forte pro eo accipiendus sit Saturninus, deinde Secundus, Perpetua, Victor, & Quartus; & pro Victorino, Victorina scribitur, aptiùs quam in libris nostris ex fide M. Vetustissimi ita testãtis. *II. Nonas Nouembris. In Africa natalis Primi, Cæsari, Gregori, Porfiri, Amanti, Saturi, Cæsari, Victorinæ, & Perpetuæ, Subli, Secundæ, Victoris, Quarti. In Nicea Domnini. Augustiduno Proculi Episcopi.* Duodecim pariter numerantur in M. Corbeiẽsi, quia alter Cæsarius non additur, vt in Antuerpiensi, in quo ideo xiij. sunt. Emendandi ergo videtur libri nostri, dum Victorina pariter nõ Victorinus in illo dicitur, videlicet. *Pridie Non. Nouemb. In Africa natalis SS. Primi, Cæsary, Gregory, Porphyri, Saturi, Amanti, Publi,* (non Subli) *Secundæ, Victorinæ, Perpetuæ, Victoris, Quarti. In Nicea natalis S. Domnini. Augustiduno depositio Proculi Episcopi. Rotenis ciuitate depositio S. Amanty Episcopi, & Confessoris. Butaricas depositio S. Lusoris pueri, & Confessoris.* Ex tot Africanis martyribus nullus in Romano martyrologio indicatur. Ex Græcis Porphyrius Ephesinus martyr additur, omnino ab Africano diuersus, vt habetur in Menologio Canisij, & fusiùs in Basiliano; vbi à leone ipso, & per ludum baptizatus Porphyrius ab Angelis prodigioso plausu exceptus dicitur.

Et

Et in Nicæa, S. Domnini Nicæni natalem, editis alijs martyrologijs latinorum ignotũ video, præter quã Rabano, qui etiam aliquos ex Africanis adductis martyribus ita signat. II. Nonas. *In Nicæa Domnini. In Africa natale Primi, Cesarij, Gregorij, Porfirii, Amantij, Saturini, Victorinæ, Perpetuæ.* Græci in Menologio Sirleti binos sanctos Domninos proferũt ad diem primam Octobris, omnes Thessalonicenses. Alterum in Persida coronatum, alterũ verò à Maximiano Imperatore cruciatum, agonem pariter Thessalonicæ compleuisse in Menologio Basilij additur. Alter etiam cum Philemone passus recolitur in Menologio Canisij die 21. Martij, qui non indicato certaminis loco, an Nicenus fuerit ignorare me fateor.

Augustoduno. Nulla Episcopalis dignitatis addita nota S. Proculi martyris Augustoduni meminit Petrus de Natal. lib. xi. n. 309. ex antiquis martyrologijs. Ita etiam retinet Romanum, vbi Baronius Vsuardum, & Adonem adducit: sed Appendix ad Adonem non Ado omnino legit *Augustoduno S. Proculi Episcopi.* Vetus Hagiologium Labbei Pridie non. Nouembris tantùm retinet *Augustoduni S. Proculi martyris.* Episcopus autem diserte dicitur in libris nostris, M. Corbeiensi, & Antuerpiensi, & apud Rabanum, vbi omnia quæ in mss. codicibus prostãt Gallica additamenta ita signãtur. II. Nonas *Augustoduno B. Proculi Episcopi Rotenis*, siue Ruthenis, *Gallia natale S. Amantii Episcopi. In Galliis Biturigas depositio S. Inluforis pueri, & Confessoris.* Ita etiam in ms. martyrologio S. Sauini de Leuitania hoc die cũ alijs SS. Æduẽsibus Episcopis. *Augustoduno depositio S. Geneſii Episcopi, & Confessoris, & S. Quarti, & S. Proculi Episcopi.* Episcopum simul & martyrẽ post S. Andochiũ Æduensibus pastorem fuisse ex Augustodunensis Ecclesiæ Tabulis breuissimè indicato agone refert Saussayus in Galli. cano Hagiologio. Vndecimum Episcopum Æduensem numerant post S. Pragmaticum Sammarthani, sepultum in Ecclesia S. Symphoriani post annum 517.

Rotenis Galliæ. Rutenæ vrbis in Gallia Episcopi S. Amantij vitam habet Surius To. xi. & aliqua de eo narrantur in vita S. Quintiani primò Rutenensis, deinde Aruernorum Episcopi, qui S. Amantio successit apud eundem Suriũ die 13. Nouembris. Recolitur idẽ hac ipsa die in Romano M. vbi Beda, Vsuardus, Ado, & alij à Baronio adducuntur. Amantinus vocatur in M. Antuerpiensi calẽdis Nouembris, vbi eius verba adduximus. At vbiq; Amantium dictum inuenio, vt in veteri Hagiologio Labbei pridie non. Nou. *In Galliis ciuitate Rotinus S. Amãtij Episcopi, & Confessoris.* Segodunum Rutenorum vrbẽ, Rotenum etiam vocauit Aimoinus, cuius primum Episcopũ S. Amantium numerant Sammarthani, qui Galesinium emendant, Redonensem Episcopum scribentem pro Rutenense, affinitate nominum deceptum.

In Gallia. S. Lusorij, siue Lusoris pueri, & confessoris memoriam ita exhibet M. Vetustissimum Kal. Nouembris, ibi adductum. *Betoricas Lusoris Confessoris*, qua etiam die ita vetus Hagiologiũ Labbei. *In Gallia territorio Biturigo nuncupante Dolis vico Sancti Lusoris pueri, & Confessoris.* Meminit Molanus in additionibus ad Vsuardum, & Gregorius Turonensis de eo aliqua habet apud Surium To. xj. ad diem quartam Nouembr. qua die in fastis Bituricensis Ecclesiç venerari testatur Saussayus. Inlusorium vocat, vt vidimus, Rabanus, nobis facilè librario illudente.

In

Nonas Nouembris.

IN Cesarea Cappadociæ natalis Sanctorum Domnini. Cesari. Antonini. Epifani. Gregori. Appiani. Saturnini. Amanti. Publi. In Campania Ciuitate natalis Sanctorum Marcis, & Secundæ. Capua Ciuitate natalis Sanctorum Eurasi, & Quarti.

NOVEMBRIS 5.

ACcuratum magis hac die M. Antuerpiense Cæsareæ Cappadociæ Dõminum tantùm martyrẽ tribuit, dũ alios alibi agonẽ compleuisse ita monet. *Nonis Nouembris. Cæsareæ Cappadociæ Domnini. In Capua Quarti confessoris. In Ecas Marci Episcopi, Cesari, Antonini. Et alibi Epifani, Gregorÿ, Appiani, Saturnini, Amanti, Pupli. Campaniæ ciuitate Capua Marci, & Secundæ, Quarti.* S. Domnini incerto loco martyris cum socijs Theotimo, Philoteo, Siluano, & aliorum memoriam ipso quidem die, sed præteritis Timotheo, Dorotheo, & Cartherio, renouat M. Romanum emendatum, vt ibi notat Baronius, ex Græcorum Menologio. At nisi vir summus alio vsus sit Menologio, quam Sirleti, sepè ab eo adducto, hos S. Martyres inde haurire potuisse nõ video, cum in hoc die v. Non. vel proximis diebus de illis mentio non compareat, sicuti neque apud Bellinũ de Padua, qui sub Romani M. nomine ab aliquibus adducitur: neq; Vsuardus, neq; Ado, neq; alius ex latinis fama claris meminit. Galesinius tãtùm sanctos illos martyres producit, *quorum* (inquit in Notationibus) *martyrium græcè explicatum latinè interpretati sumus*. Manifestissimè id quidem ex Menologio Basilij, quod apertè interpretatur, & quod aliqui putant etiã vidisse Baronium. Cum autem inter eos Domninus, & Siluanus recenseantur coniectari licuit, hos ex illis sanctis martyribus esse, qui Cæsareæ Palestinæ, non Cappadociæ sub Vrbano Præside Nonis Nouembris agonem cum Syluano presbytero, & confessore inchoarunt, nõ autem perfecerunt, dum S. Domninus illustris alius confessor, viuus combustus est. Eusebius quidem in libro de martyribus Palestinæ sub Maximo cap. 7. eadem penè refert, quæ habet ex codice, seu Basilij Menologio Galesinius, præter Domninum, & Siluanum, alijs præteritis. Inquit enim post Theodosiæ virginis certamen interprete Valesio. *Die quinto mensis Dÿ, hoc est vt Romani dicunt Nonis Nouembris in eadem vrbe Cæsarea Siluanus, qui etiam tum presbyter, & confessor erat, sed paulo post ad Episcopatus honorem euectus martyrium consummauit, & alii quidam eius comites; cum pro vera pietate constantiam ostendissent ad opus in ijsdem metallis* (apud Phœnum Palestinæ) *faciendum, ab eo quẽ dixi præside condemnati sunt; decretumq; vt pedum iunctura candente ferro prius ipsis debilitarentur*. Hos verò, quamuis non integrè coronatos, cum Domnino recenseri putarem, quia incertus alioquin dies passionis eorum Eusebio esset, & ne ab ipso Domnino seiungerentur, subdit namq; statim Eusebius. *Eodem temporis momento, quo aduersus istos sententiam tulerat, virum quendam innumeris alijs confessionibus nobilitatum Domninum nomine, qui ob singularem in dicẽdo libertatem vniuersis Palestinis erat notissimus, viuum comburi præcepit*. Alibi Siluanum Gazæ Episcopum ad metallũ

in

in Phæno damnatum, cum vnde quadraginta socijs fuisse martyrio coronatum narrat, vt idem certò videatur esse. Rectius proinde M. Antuerpiense, & iuxta Eusebium, Domninum tãtum Nonis Nouembris ex Eusebio ipso signat Cęsareæ martyrem, licet in hoc antiquarius errauerit, quòd Cappadociæ nõ Palestinę martyrẽ dixerit: quo pariter librariorum errore implicantur libri nostri, & M. Corbeiense. In his etiam extra Eusebij narrationẽ esset, quòd Cæsarius, & reliqui septẽ martyres Cæsarienses sint, & Domnino socij tribuantur, cum in alijs locis ex fide accuratioris illius codicis videãtur venerati. Quamquam nihil vetaret alibi, hoc est apud Phænum Palestinæ ad metalla damnatos in eadem persecutione agonem compleuisse. Ita verò sacros fastos exhibet M. Corbeiense.

Non. Nouemb. In Cęsarea Cappadociæ natalis SS. Domnini, Cæsarij, Epiphanij, Gregorii, Appini, Saturnini, Amantii, Publii mart. In Campania natalis SS. Marcię, & Secundæ. Capuæ ciuitate nat. SS. Euraſi, & Quarti, Ioci, Ludi.

Cæsari. Antequam reliquorum octo martyrum seriem explicet M. Vetustissimum, Quartum Capuanum confessorem exhibet. Sãcti Quarti die x. Maij Ecclesia Capuana natalẽ celebrat cũ Quinto, qui simul via latina Romæ passi, Capuã trãslati fuerunt, vt testatur Ferrarius ad diẽ illam, & nos ibi diximus; sed aliũ Quartum cum Marcellino Capuæ item dedimus Nonis Octobris. Duos Capuæ, sub eodem Quarti nomine, in hodiernis fastis profert M. Vetustissimum, quorum alter confessor dicitur. In Breuiario antiquo Capuano ab eodem Ferrario adducto in catalogo SS. Italiæ, Quartum Episcopum fuisse signatur, vt etiam contendit Michael Monachus in Sanctuario Capuano; sed Beda eum tantùm presbyterum vocat, & eius memoriam recolit nonis Nouembris, illius nempe, qui Iuliani, & Cæsarij martyrum corpora, quæ Tarracinæ ad mare peruenerant, vehiculo imposita in suam domum pertulit, cuius etiam meminit Rabanus. Sed & alium Quartum martyrẽ die sequenti v. Nouembris cum Euro, & Pardo ex Tabulis, vtputo, Ecclesiæ Capuanæ numerat Vghellius in Capuana Metropoli Italiæ sacræ, qui postremo loco huius diei ab his martyrol. mss. & à libris nostris adducitur, adeo vt tres saltem cęlites Capuanos martyres, siue passionis, siue venerationis tempore, distinguere liceat. Primus cum Quinto martyr. Secundus præsbyter, & confessor. Tertius martyr cum Euraſio. Fortasse, & quartus Quarti nomine cum Marcello, quorum postremi Ferrarium aufugerunt. Igitur enumerato Quarto Capuano confessore, M. Vetustissimum *In Ecas* Marcum Episcopũ refert, deinde Cæsarium, & Antoninũ tantũ, ex octo martyribus, qui post Domninum Cæsarienſem in libris nostris, siue ex septem, qui in martyrologio Corbeiensi signantur. *Ecas* vt alibi diximus, huius Antuerpiensis M. scriptori pro Ægа, librarii vitio positum esse coniectauimus, quòd in ea Ciliciæ litoralis vrbe, nunc diruta, & passim Ægea in martyrol. Rom. nuncupata, aliorum sanctorũ martyrũ locus palestrę fuerit, vt in eodem martyrol. obseruare licet die 23. Aug. 27. Sept. & 30. Octobris. Ægæ igitur Marcus Episcopus, Cæsarius, & Antoninus coronam acceperunt, si fas est non vrgentibus coniecturis inniti, dũ Ecas locus, vel vrbs apud Geographos inuenire mihi non licuit. Marcus Episcopus deficit in libris nostris, Antoninus in martyrol. Corbeiensi.

Epiphani. Sex cum Epiphanio ductore martyres recolunt adducti codices nostri, & Corbeiensis, sed Domnino Cęsarienſi succenturiati. *Alibi* incerti loco magis accuratè signat martyrol. Antuerpiense, qui omnes tamen mihi in obscuro sunt; nisi ex damnatis ad metalla fuerint, & ex Siluani socijs, vt supra coniectauimus.

In Campania Ciuitate. Nomen ciuitatis silet martyrol. Corbeiense, innuunt tantùm, non explicant libri nostri. Martyrol.

tyrol. Antuerpiense, cum Marcum, siue Marcium, Secundam, & Quartam Capuæ disertè tribuat, quodamodo docet, vrbẽ illã Cãpaniæ eandem esse Capuã; sed in duos ordines distinctos, martyres esse diuersos. Marciam, & Secundam Campaniæ martyres notat martyrologio Corbeiense. Marcium, & Secundum libri nostri in primo ordine. Expressius vero Capuæ codices nostri in secundo ordine indicant Eurasium, & Quartum. Ex Appendice Adonis deficeret Pardus ita enim nonis Nouembris legitur. *Capuæ ciuitate Eurás, & Quarti, & Pardi martyrum*. Ex M. Corbeiensi deessent locus, & Ludus. Horum non meminit Ferrarius, neq; Caracciolus, qui cum Baronio ad 3. Septembris dolet sacrorum Campaniæ monumentorum iacturam, & signanter nobilissimæ Capuanæ Ecclesiæ per varios bellorum turbines Acta martyrum fuisse deperdita cap. 2. de sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis.

VIII. Idus Nouembris.

IN Nicomedia natalis Sanctorum Adriani. Iuliæ. Eusebi. In Africa natalis Sanctorum Donati, Pauli. Balsami. Domnini. Primi. Dulij. Fortunati. Ianuarij. Forti. Et in Tonize Africæ natalis Felicis. Et in Erigia natalis Sanctorum Ianuarij. Attici. Barici. Mammari. Venericini, & Veneriæ. *In Ciuitate Redonis in Gallia depositio S. Mamiliani Episcopi, & Confessoris.*

NOVEMBRIS 6.

QVamquam M. Corbeiense magis libris nostris consonum in hodiernis festijs comparet, & tribus magis vetustis libris fidendum esse videatur, quam vnico; quia tamen in huius laterculi initio accuratius, ac distinctius apparet M. Antuerpiense, nón modo illud primo loco exhibemus, sed eidẽ magis standũ esse conijcimus, nimirum. *VIII. Idus Nouembris Nicomedie natalis Eusebi, Iulie, & in Adriopoli Eustasi, & Eusebi. In Africa Donati, Pauli, Balsami, Domnini, Prime, Dubia, Fortunati, Ianuarij, & Quarta. Et in Tonizá Africa Felicis: Et in Frigia Ianuarii, Attici, Barici, Mamari, Verecini, & Veneriæ. Rodonis ciuitate Gallie depositio Mebelai Episcopi.* Martyrologium verò Corbeiense ita ad collationem proferimus. *VIII. Idus Nouẽbris. In Nicomedia natalis SS. Adriani, Iulie, & Eusebia. In Africa natalis SS. Donati, Pauli, Balsami, Domnini, Prima, Dulie, Fortunate, Ianuarie, Quarte. Et in Tonizá Africe natalis S. Felicis. Et in Phrygia natalis SS. Ianuarii, Attici, Barici, Mammari, Venericini, & Veneriæ: Regidona natalis S. Melanij Episcopi, & Confessoris.*

Nicomedia. Quæ inter adductos codices differentia intercedit, ex vulgaris martyrologijs vix emendari potest, cum vnũ ex Nicomediensibus, nullos ex Africanis, paucos ex Phrygiæ martyribus reddant. Eusebium, & Iuliam tantum signat M. Antuerpiense, Adrianum addunt libri nostri, & M. Corbeiense, in quo Eusebia pro Eusebio legitur. Hæsitaui, an Adrianus, pró Adriopoli librarius antiquus scripserit, cum in martyrol. Antuerpiensi alter Eusebius cum Eustasio addatur, non Nicomediæ, sed Adriopoli, siue potius Adrianopoli, vt alibi diximus, sed aliunde vitium agnoscere, & emendare non licet, imò Adrianum confirmare ex Maurolycio, qui Nicomediæ Hadrianum martyrem refert, & aliorum libri eundem esse indicat, cum eo, quem.

recolit

recolit 6. Idus Sept. Calendarium perantiquum Hieronymianum Canic. Lucenſium *VIII. Idus Adriani* tantùm memoriam renouat. Die ſequenti Euſtaſius, Euſebius, & Iulia Nicomedię pariter exhibentur in libris noſtris, & Adrianus etiam cum aliis includitur, vt fauere codicibus illis videatur pro Adriani legiptimo nomine. Sanctorum martyrum memoriam aliàs notauimus aliquando iterari, ex ſociorum in alium diem translato agone, ne in pœnis, & confeſſionibus ſociati in die venerationis diſiũgantur.

In Africa. Sacri nouem pugiles Afri in MM. Antuerpienſi, Corbeienſi, & noſtro pariter nominibus ſub anteſignano Donato explicantur, ſed ex aliorum fide poſtremum nomen Forti commutãdum eſt in Quarti, ſeu Quartæ: Primus, & Dulius in Primam, & Duliam: Fortunatus, & Ianuarius viri ſunt in codicibus noſtris, & in Antuerpienſi; mulieres verò in Corbeienſi.

Tonize. Ita Vrbẽ prope Hipponem vocat Antoninus in Itinerario, quæ Thiniſſa aliis eſt in Prouincia Numidiæ. Tonizę Epiſcopus ſubſcribit Cõcilio Chartaginenſi ſub S. Cypriano apud D. Auguſtinum lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 13. penes quem etiam extat S. Felicis memoria Tract. in Pſ. 127. qui memoratur hoc pariter die in Rom. martyrol. Vſuardo, Adone, & reliquis recentioribus.

In Phrygia. Phryges ſex martyres ſunt nominatim indicati in allatis omnibus codicibus: ex his vnicum tantùm Atticum refert martyrol. Romanum ex Vſuardo, quem malè Africæ tribuit Bellinus de Padua, & ex eo Maurolycius. In Phrygia aptiùs Galeſinius repoſuit ex Vſuardo. Venericinum retinent libri noſtri, & martyrol. Corbeienſe, Verecinũ Antuerpienſe.

In Ciuitate Redonis. Mamilianũ Epiſcopum, & confeſſorem exhibet ad calcem huius laterculi Gallicus auctor Appendicis, ſed nominis errore pro Melanio; ita enim pluribus Galliæ ſcriptoribus nuncupatum video. Menelaum tamen vocat martyrolog. Antuerpienſe S. Villibrordi (cuius depoſitionem hodie veneratur Rabanus,) Melanium habet mſ. martyrologium S. Sauini in Pirenæis die 6. Nouembris. *In Gallia ciuitate Redonas depoſitio S. Melanii Epiſcopi, & Confeſſoris*. & viij. Idus Ianuarii Melanium etiam vocat Hagiologium vetus Labbei, qua die ſanctam eius obdormitionem recolit Sauſſayus cum Romano martyrol. De eo aliqua ſcitu digna ibi colligit Baronius, latiùs verò, & omnia ferè Bollandus To. 1. qui vitam exhibet pluribus monumentis locupletatam. Octauum Epiſcopum Redonenſem numerant Sammarthani, quẽ Concilio Aurelianenſi I. ſubſcripſiſſe referunt anno 511. & fragmentum eius vitæ ex mſ. adducunt. In libris noſtris etiam illa die memoria S. Melanij agitur, in qua ſimul ordinatio, translatio, & depoſitio celebrantur, ſicut apud Notkerum: quãquam Sauſſayus in ſupplemẽto Gallicani martyrol. & Sammarthani diem hunc 8. Idus translationis eſſe celebritatem affirment in Gallica, ſeu minori Brittannia, vrbe Rhedonis. Redonunum vocat Antoninus.

VII. Idus Nouembris.

IN Nicomedia natalis Sancti Euſebi. Pobiſi. Euſtaſi. Mari. Primi. Iuliæ. Ianuarij. Optati. Adriani, & alibi natalis Sanctorum Simphronij. Nicoſtrati. Gaudij. Victoris. Caſtori. Balſami. In Africa natalis Sanctorum Rogati. Donati. Primi. Iulij.

AMmutato ordine Africanos cœlites ad calcē martyrol. noſtri veneratos, in capite ita ſignat M. Antuerpienſe, ſeu S.Vuillibrordi Epiſcopi, cuius hodie glorioſæ depoſitionis memoria aliqua recentiorum martyrologia,& nos cum illis grati animi deuotione veneramur. *VII.Idus Nouembris. In Africa natalis Rogati, Pauli, Primæ, & Balſamæ. Nicomedia Euſebi, Pobiſi, Euſtaſi, Mari, Primi, Iuliæ, Ianuarij, Rogatiani, Optati, Andriani, & alibi natalis Simphorii, Nicoſtrati, Gaudi, Victoris, Caſtori, Balſami.* Breuiorem ſanctorum ſyllogen refert martyrologiū Corbeienſe. *VII. Idus Nouembris. In Nicomedia natalis S.Euſebii, Probiſi, Euſtaſii, Marii, Primi, Iuliæ, Ianuariæ, Rogatianæ. Optati, Adriani. Et in Africa natalis SS.Rogati, Donati, Primæ, Iuliæ.*

Nicomediæ. vii. Idus Calendarium mſ. perantiquum canonic. Lucenſium *Euſebii* tantūm meminit. Galeſinius ex mſſ. codicibus Nicomediæ quidem Euſebium profert, ſed Rogatiano, & Donato ſociatum. At hi potius ex Africanis martyribus ſuppleti, ex minus probatis codicibus viderentur, niſi eruditus Bollandus ad diem 21.Ianuarij agens de S.Euſtaſio Nicomediæ, in Bithynia coronato, pollicitus eſſet ad diem 7. Nouembris acturum ſe de alio Euſtaſio à martyrol.S.Hieronymi,aliiſq;memorato *cum Poliſio, Primo, Rogatiano*. Quaſi in noſtris codicibus omnino Rogatianum deſiderare cogamur, cum præſertim alij codices Hieronymiano ſuo, ſeu potius Vetuſtiſsimo Antuerpienſi conſonent in Rogatiano inter Nicomedienſes exprimendo, qui tamen Rogatiana eſt martyrol. Corbeienſi. In hoc Pobiſius, ſicuti in codicibus noſtris ſcribitur, nō Bliſius, qui poſt Euſebium ductoré numeratur. Iulia tantùm pro ſancta muliere in libris noſtris, ſicuti in martyrol. Antuerpienſi recolitur. In Corbeienſi eiuſdem ſexus indicantur Ianuaria, & Rogatiana. Decé ergo martyres vtriuſque ſexus in MM. Corbeienſi,& Antuerpienſi Nicomediēſes exhibentur, nouem in libris noſtris, quia deeſt Rogarianus, vel Rogatiana.

Et Alibi. Frequens vbiq; in perſecutionibus, præſertim Diocletiani, martyrum carnificina fuit: plures ſub eodem nomine,etiam ijſdem copulatis nominibus, variis in locis dare cælites potuiſſe non admodum mihi difficile eſt credere, & de immenſo martyrum numero aliqua in prævijs admonitionibus diximus. Quid enim vetat in Indiculo, vbi nomina tantum,& dies paſſionis ſignabantur, vſitatiora nomina,quamtumuis repetita, diuerſis martyribus aptari potuiſſe, quæ omni alia nota diſtinctiua, quam loci carerent? Hic incerto martyrij loco *alibi* prænotantur Symphonius, ſeu Simphorius, Nicoſtratus, & Caſtor; qui cum Romanis poſtridianis martyrum nominibus conueniant,eoſdem eſſe non negarem, licet Gaudius, Victor,& Balſamus, diuerſi nimirū ſocij,ſuadere poſſēt diuerſos eſſe; quia tamen eos retinet M. Corbeienſe in hodiernis faſtis,& alia poſtridie explicanda ratio eoſdem eſſe docet, magis Corbeienſi, quam Antuerpienſi martyrologio acquieſcimus.

In Africa. Siue Rogatum, ſiue Rogatianum dixeris, tres alios martyres ignotos aliis martyrologiis fateri mihi expedit; præterquam Rabano, qui vii. Idus habet. *In Africa natalis Rogati, Donati, Iuliæ, Ianuarii.* Donatam iam diximus à Galeſinio Nicomedienſibus miſceri. De Primo, ſeu Prima præter adducta mſs. martyrologia nemo me docet, niſi repetitio aliqua, vel confuſio ſit à martyribus Nicomedienſibus in Africanos.

Romæ

VI. Idus Nouembris.

ROmæ natalis Sanctorum Simphronis. Claudij. Castori. Nicostrati. In Africa natalis Sanctorum Primi. Machari. Iusti. Amaranti. & aliorum xviij. In Nicomedia natalis Sanctorum Eusebi. Celesti. Eustasij, & Marij.

NOVEMBRIS 8.

CVm eodem die, non tamen eodem anno, vt testatur Ado in martyrologio suo, Romæ sub Diocletiano quatuor sacri athletæ triũphauerint, Seuerus, Seuerianus, Carpophorus, & Victorinus vj. Idus Nouembris; in eadem Ecclesia sepulti, ex quadruplici victoria quatuor Coronati dicti fuerunt. Romæ pariter celebres fuerant in eadem Ecclesia, biennio vetustiores Claudius, Nicostratus, Symphorianus, Castorus, & Simplicius. De his tantùm, & non de illis secluso Claudio agit M. Vetustissimum, & codices nostri; de quatuor verò coronatis silent, quia horum nomina priscis ante Miltiadem temporibus exciderant, & ignorabantur, quæ &si reuelata deinde fuerint, permansit tamen sub eodẽ quinque martyrum numero, minus quidem appositè, quatuor Coronatorum veneratio. Quod cum non modo iam dictus Ado doceat, sed Beda, Vsuardus, & omnes, qui de sacris ritibus scripserunt id disertè narrent tam Vetustissimum M., quam nostrum ante reuelata quatuor Coronatorum nomina esse scripta suadent. Non negarem tamen quatuor tantum nomina, ex quinque à Romano M. Beda, Vsuardo, & Adone recensitis exhiberi in libris nostris, & M. Antuerpiensi, fortasse vt quatuor Coronatis, quodamodo accomodarẽtur minori dissonantia. Pro Simphronio tamen ita Simphorianum exhibet M. Vetustissimum. *VI. Idus Nou. Romę natalis Simphoriani, Claudi, Nicostrati, & Castoris. Et in Africa Primi, Custori, Nacharii, Iusti, Amaranti, & aliorum xxviii. In Nicomedia Eusebii, Celesini, Marii.* E cõtra M. Corbeiense, quoniam scriptũ fuerit post reuelata coronatorum nomina, quinque primos martyres, & quatuor coronatos singillatim ita explicat. *VI. Idus Nouembris. Romæ natalis SS. Simplicii, Symphroni, Claudii, Nicostrati, & Sanctorum quatuor coronatorum Seueri, Seueriani, Carpophori, Victorini. In Africa natalis Sanctorum Primi, Macharii, Iusti, Amaranthi, & aliorum nonaginta quatuor. Et in Nicomedia natalis SS. Damiani, & Eusebii, Celesti, Eustasi, & Marii, Magni.* Calendarium Hieronymianum Lucense perantiquum nonnisi quatuor primos martyres ita refert *VI. Idus natalis SS. Claudii, Nicostrati, Symphoriani, & Castoris.* Simplicium addũt cum Romano martyrologio, Latinorum reliqui. Acta diffusiora, vnde aliqua martyrologia accepisse videntur, prostãt etiam in vetusto Hagiologio nostro. Cum verò primi quinque in Pannonia lapidicidæ essent, ibiq; sub Diocletiano Sirmium progrediente passi sint, vt etiã Petrus de Natalibus docet lib. 10. c. 36. cumq; inde Romã translata eorũ corpora, & via Lauicana sepulta, ac venerata fuerint vj. Idus Nouembris, celebritas hæc facilè translationis non cõsummati certaminis fuit. Cum ergo pariter incertum esset non modo dies, sed qua vrbe Pannoniæ acciderit eorum martyriũ, potuit ex inde in martyrologio Antuerpiensi, & libris nostris ad tollendam cõfusionem pridianis fastis signari incerto loco *alibi*. Seuerus quidem Seuerianus,

Carpophorus,& Victorinus milites cornicularij,Romæ plumbatis iussu Diocletiani cæsi,& coronati in Romano martyrol. dicuntur; in Actis verò Hagiologij nostri scribitur,nuntiatum esse Imperatori Diocletiano, quòd reluctantes sacrificare noluissent. *Hos illico iussit,vt ante ipsum simulacrum ictibus plumbatarum cesi deficerent, qui cum ducerentur emiserunt spiritum*. Non in ipso plumbatarũ tormento : non quatuor, aut quinque, sed vniuersim. Vnde coronati videntur vocari in Sacramentario Gregorij (nondum nominibus quatuor coronatorum vulgatis) Symphoniani socij; ille enim tanquam aliorum magister in allatis mss. Actis enunciatur; in Missa quippe, & oratione illius diei legitur. *Vt qui gloriosos martyres Claudium, Nicostratũ, Symphonianum, Castorium, atq; Simplicium fortes in sua confessione cognouimus pios apud te in nostra intercessione sentiamus*. Neque etiam in Præfatione coronatorum numerus exprimitur, sed tantum dicitur. *Celebrantes Sanctorum natalitia Coronatorum*. Varietas nominis Simphroni pro Simphoriano obseruari potest in variis martyrologiorum libris, in quibus diuersimodè scribitur, vt apparet etiam in antiquis codicibus ad Sacramentarium Gregorij à Menardo adductis, vt potè qui apud aliquos Symphronianus, vel Sympronianus, apud alios Symphonianus, vel Symphorianus dicatur. Ibi vero idem Menardus vix admittit, obliuionem quatuor coronatorum sub Melchiade Papa, Diocletiani ipsius temporibus, quando eo in Romana cathedra sedente multi Christiani supersti tes, qui eos nouerant, eorum nomine facilè docere potuerant. Sed Diocletianea Ecclesiarum deuastatio, & innumerabilis Christianorũ carnificina non mihi obliuionẽ tam difficilẽ reddũt. Vnde ex Alcuino nec difficile redditur, non modo nomina per incuriam fuisse deperdita,sed etiam diem natalẽ neglectũ; ac ideo statutum esse, vt in eorũ Ecclesia quinque cæterorum martyrum natalis celebraretur. Negare item plurimorum codicũ fide non auderem,in libris nostris, & M. Antuerpiensi Simplicium esse addendũ, sed an,cum nomina quatuor coronatorũ ignorabantur,Simplicius cum alijs quatuor nominibus expressis veneraretur, incertum mihi esse fateor. In Bedæ quidem martyrologio ms. habetur, Melchiadem Episcopum statuisse, vt anniuersarius quatuor coronatorum dies, sub nominibus Sanctorum quatuor martyrum (non quinque) recoleretur, quẽadmodum in venerãdæ vetustatis codice testatur Aringhius scriptum esse lib.4. cap.x. n.21. vbi Bedæ fragmẽtum affert. Vtiq; in libris nostris Simplicij nomen neq; additur hodie, neq; præterito.

In Africa. Editis alijs martyrologijs ignotos martyres ex feracissima Africa proferunt codices nostri, partim nominibus signati, partim anonymi. Concinunt in nominibus MM. Antuerpiense, & Corbeiense; dissonant in Anonymorum numero: xviij.tantum recẽsent libri nostri: xxviij. M. Antuerpiense. Exuberat M. Corbeiense *& aliorum nonaginta quatuor*. Amaranthus martyr in vrbe Albigensi pridie huius diei à Romano martyrologio, aliisq. latinis recolitur, qui alius ab Africano videtur.

Nicomediæ. Et ex aliunde ignoratis Nicomediensibus athletis tres tantum refert martyrol. Vetustissimum,Eusebiũ, Celesinum, & Marium. Celestem pro Celesino habent libri nostri, qui Eustasium etiam socium addunt. Martyrol. Corbeiense nõ Eusebium antesignanum signat, sed superadditum Damianum, Calestum pro Cælestе retinet,& postremo Magnum,quem aliàs metuimus titulum esse non nomen.

In

V. Idus Nouembris.

IN Nicomedia natalis Sanctorum Theodori, & Damiani. Et alibi natalis Sanctorum Donati. Reſtituti. Victorini. Salutaris. Creſcentis. Demetri. Nemeſi. & Exurgi. Romæ natalis Sanctorum Clementis, & Simproni. Et in Spanijs natalis Sanctorum Fauſtini. Ianuarij, & Martialis martyris.

NOVEMBRIS 9.

FRequentes Nicomediæ, vbi acerbiores Chriſtiani nominis hoſtes ſedem habuerunt, martyres referũt Eccleſiaſticæ tabulæ. An qui Theodorus dicitur cum Damiano, Tyro ille ſit, quem cum Romano latinorum martyrologia hac die venerantur, non affirmarem, cum is Amaſeæ, in ardentem caminum iniectus, martyrium aſſecutus ſit, non Nicomediæ. Hunc ab alio duce, diſtinguit Baronius. Sed expreſsè in Caniſij Menologio, tam ad diem 17. Febr., quam 8. Iunij, vbi relatio reliquiarum eius ad Euchaitas celebratur, dux exercitus dicitur, nõ Tyro. Sed vt in ſacris monumentis verſatiſſimus Bollãdus animaduertit ad diem 7. Febr. in Commentar. præuio nu. 3 & 4, per errorem, cum in Nouella Manuellis Comneni 7. Februar. Theodorus dux celebretur: 17. Theodorus Tiro. Cum vero vterq; ſepultus ſit Euchaitis, non difficile fuit ex altero in alterũ errare. Ex diuerſo ſocio Damiano, & Nicomediæ loco equidem alium eſſe Theodorum putarẽ, in libris noſtris indicatum, & qui in M. Antuerpienſi, & Corbeienſi deſideratur; In illo nimirum his ſignatis martyribus. *V. Idus Nouembris. In Nicomedia Damiani. & alibi Rogati, Reſtituti, Victori, Salutaris, Creſcenti, Demetri, Nemeſi, Georgi. Romæ Clementis, Simproni. In Spanijs Fauſti, Ianuarij, & Martialis.* Hi in martyrol. Corbeienſi nonnihil confuſi indicantur. *V. Idus Nouembris. In Nicomedia natalis SS. Damiani, Donati, Reſtituti, Victorini, Salutaris, Creſcentis, Demetri, Nemeſii, & Euxergij. Romæ natalis SS. Clementis, Symphronii. In Hiſpanijs natalis SS. Fauſti, Ianuarii, Martialis mart.*

Theodori. In Actis latinis mſſ. ex codice Reginæ Sueciæ, quæ Bollandus exhibet To. 4. p. 89. in addendis ad diem 7. Febr. Sãcti Theodori ducis geſta narrantur, & agonem S. martyrem compleuiſſe notatur *menſe Nouembrio, die nono intrante*. Vitiatum à librario codicem ibi ſuſpicatur Bollandus, Tironem enim fuiſſe docuerat, qui die 9. Nouembris martyrium fecit. Cleonicus non Damianus, poſt aliquod tempus ſocius Theodori fuit in agone, ac idem pariter cum eo tirocinium peregerat in legione, quę dicebatur *Marmaritinorum*, vt habet vetus Hagiologium noſtrum mſ. in quo huius Theodori Tironis acta ſinceriora latinè habentur, & in his dies Vivicomburij ſignatus comparet. *V. Idus Nouembris.* Ex his tamen nodus non ſoluitur. Si enim hic Theodorus Tiro recolitur, Amaſię eſſe debet agonis locus, & Euchaitæ venerationis non Nicomediæ. Alium quapropter Theodorum Nicomedienſem hic vt diximus, ſuſpicamur ſuperadditum, vel ab inſcio antiquiario pro Nicomedia Amaſiam fuiſſe repoſitam; nec additamenti ſuſpicionem minuit ſilentiũ martyrol. Corbeienſis, & Antuerpienſis. Damianum confeſſorem à S. Theodoro ſeiunctim Nicomediæ hoc die ſignat Maurolycius.

Et alibi. Qui poſt Damianum martyres Nicomediæ videntur tribu in martyrol. Corbeienſi *alibi* incerto loco, tam

in

in martyrol. Antuerpienſi, quam libris noſtris venerantur, nempe cum Donato anteſignano cælites viij. Pro Donato tamen martyrol. illud Vetuſtiſsimum retinet Rogatum, & cum noſtro Georgium, non Euxorgium.

Romæ. Ex fragmento antiquiſsimo martyrologij à Bucherio edito, non modo Clementẽ, & Simproniũ Romæ hoc die veneratos video, ſed etiam Claudiũ, & Nicoſtratum ſuperadditos. *V. Idus. Clementis, sempronianí, Claudi, Nicostrati in Comitatum*. Verùm hi ijdem ſancti martyres eſſent, cũ illis, qui pridie huius dici in omnibus fere martyrologijs habentur, niſi Clemens pro Caſtorè, ſiue Caſtorio exhiberetur. Sin verò Clemens, & Simpronius retineri debent, vt confirmãt martyrologia Corbeienſe, & Antuerpienſe; hi ſanè alij eſſent à quatuor, vel quinq; martyribus præcedentis diei, quibus ex communione ſepulcri alios potuiſſe ſociari non negarem. S. Clemens martyr etiam Romæ recolitur infra die 21. Appendix ad Adonem hac ipſa die ita cũ libris noſtris conſonat. *Romæ SS. Clementis, & Symphoriani*.

In Spaniis. Conſonat etiam Appẽdix eadem cum noſtris codicibus in Hiſpanis martyribus. *In Hiſpania SS. Fauſti, Ianuarii, & Martialis martyrum*. Pro Fauſtino Fauſtum retinet etiam Maurolycius, qui Ianuarium præterit. Fauſtum pariter legunt martyrol. Antuerpienſe, & Corbeienſe, & parua hæc differentia in libris noſtris emendari poteſt.

IIII. Idus Nouembris.

IN Antiochia natalis Sanctorum Demetri Epiſcopi. Anieſi Diaconi. Euſtoſi; & ſociorum eius. Ianuarij. In Africa Natalis Sanctorum Saturnini. Donati. Annij. Bonij, & aliorum xvij. Romæ depoſitio Sancti Leonis Epiſcopi. *Et in Ciuitate Aurelianis depoſitio Beati Mutoris Epiſcopi*.

NOVEMBRIS 10.

DEmetrium Epiſcopũ Antiochiæ cũ Aniano Diacono, Euſtoſio, & ſociis xx. veneratur hoc die martyrol. Romanum, cum Beda, Vſuardo, ac aliis recentioribus. Conſentit Rabanus cum aliqua tamen in nominibus differẽtia. *In Antiochia Demetri, Epiſcopi, Anneſi, Euſtachii, & ſociorum eius*. Subſtiti ad nomen Demetrij Antiocheni Epiſcopi, an forte Demetrianus ille Antiochiæ Eccleſiæ Epiſcopus eſſet, cuius Dionyſius Alexãdrinus meminit in Epiſtola ad Cornelium Papam apud Euſebium lib. 6. cap. 46. & rurſus inter illuſtriores Epiſcopos, mollito iam ſub Gallo perſecutionis furore, eundem numerat Dionyſius pariter Euſebianæ hiſtoriæ lib. 7. c. 5. At Demetrianus nullibi mihi martyr cõparuit. Vixit quidem ſub Stephano Põtifice, ac octaua Valeriani perſecutione vir catholicus, & cum Romana Eccleſia prorſus ſentiens, neq. difficile eſſet talẽ Epiſcopum perſecutionũ tempore martyriũ ſubiiſſe; ſed nihil certum hucvſq. ſuccurrit. Hæſitaui etiam an aliquorum codicum Anianus pars nominis Demetriani eſſet, in duo diuiſi Demetri, & Aniani. At dum nulla alterius vetuſti codicis fide coniectura fulcitur, nihil mouendum duxi, præſertim quod Demetrium ſine Aniano retineat cum libris noſtris Rabanus, & M. Antuerpienſe. *IV. Idus Nouembris. In Antiochia Demetri, Anieſi, Euſtoci, & ſociorum eius. In Afri-*

ca

ca Saturnini. Annibonię, & aliorũ xviii. Romæ depositio Leonis Episcopi. Aurelianis Galliæ depositio Monitoris Episcopi. Ab adductis codicibus, maximè in Antiochenis martyribus discrepat martyrol. Corbeiense; pro Demetrio enim Primum legit hoc ordine. *IV. Idus Nouemb. In Antiochia natalis SS. Primi, Macharii Diaconi, Eustasii, & sociorum eius. Ianuarii, Candidiani. In Africa natalis SS. Saturnini, Donati, Annibonię, & aliorum septemdecim. Romę depositio S. Leonis Episcopi. In ciuitate Aurelianis depositio Beati Monitoris Episcopi, & Confessoris.* Verùm quamquam Demetrium fileat, & pro Aniano Diacono Machariũ exhibeat martyrol. adductum Corbeiæ, vtrũque tamen cum Vsuardo exhibet Appẽdix ad Adonem. *Antiochiæ SS. Demetri Episcopi, Aniani Diaconi, Eustosii, & sociorum eorundem.* Vsuardus pro indefinitis socijs alios xx. anonymos enumerat, sicuti Bellinus de Padua. Maurolycius pro Eustosio Eustathium refert, cũ Demetrio, & Aniano, seu Hadriano. Sed quam variè nomina hæc Antiochẽsium martyrum apud veteres signantur? Petrus de Natal. lib. 11. nu. 314. ita ex antiquis martyrologiis scripsit. *Demetrius Episcopus, Amatus Diaconus, Eustochius, & alij xx. martyres Antiochiæ passi sunt IV. Idus Nouembris.* Pro Aniano Anicsium retinet M. Antuerpiense, & Annesium Rabanus, quibus parua differentia astipulantur codices nostri. Nihil hic memoratu dignum addit eruditissimus Baronius. Martyrol. verò Corbeiense, non modo Ianuarium in nostris libris indicatũ exhibet inter alterius classis Antiochenos, sed Candidianum addit alijs ignotum.

In Africa. Nec maiori luce in alijs martyrologijs donantur Africani martyres sub duce Saturnino; cui tres nominibus signati commilitones succenturiantur, & Anonymi xvii. in libris nostris. In Antuerpiensi, & Corbeiensi anonymorum numerus congruit, sed ex binis nominibus Anni, & Bonij in illis Amniboniæ vnicum nomen conflatur. Distinctiora ego libentiùs sequor.

Romę. Pluries diximus, incertam admodum esse temporum rationem de sede Romanorum Pontificum, tam in libro siue Damasi, siue Bibliothecarij, quam in alijs Pontificalibus historijs, in quibus dies ordinationis, & duratio sedis adnotatur. Non me hìc latet, ex communi ferè sententia S. Leonis Pontificis primi obitum signari 4. vel 3. Idus Aprilis, quinimo in Romano martyrolog. eius memoriã venerari iij. Idus Aprilis. At dubitare licet diem illum non depositionis, sed alicuius translationis celebritatem esse, quãdo Hilarij successoris subrogationẽ in mensem Nouembrem incidisse docent Acta Romani Concilij, sub eodẽ Hilario congregati: ex quibus, & eiusdẽ Epistolis elicitur, eo tempore Romæ cõgregatam Synodũ fuisse, quando eiusdem Pontificis dies natalis erat. Nullus autem alius dies natalis Pontificis dicebatur, quam anniuersarius electionis suæ, seu vt etiam vocant ordinationis, quod præter alibi dicta disertè ostendũt primi S. Leonis ipsius Pontificis sermones. Concilium autem illud sub Hilario celebratum, & vnica sessione completũ in diẽ natalẽ Hilarij incidisse, habet epistola ad diuersos Galliæ Metropolitanos his verbis. *Præsidente fratrum numeroso Concilio ex diuersis Prouincijs ad diem natalis nostri, in honorem B. Petri Apostoli per Dei gratiam congregato.* & rursus epist. 2. ad Tarraconenses. *Lectis ergo in Conuentu fratrum, quos Natalis mei festiuitas cõgregauerat, literis vestris, &c.* Cum verò transmissę de Hispania epistolæ in ipso Concilio lectæ sint, vt patet ex cap. 5. eiusdem Romani Concilij, iam constare videtur, Hilarij natalem, seu ordinationis diem anniuersarium cũ die celebrati Concilij coincidisse, hoc est cũ xv. calendas Decẽbris anni 467. Acta enim illius Synodi sessione vnica consummatæ, ita incipiunt. *Flauio Basilisco, & Herminerico viris clariss. conss. sub die xv. cal. Decembris, residente viro*

ve-

venerabili Hilario Papa,&c. Igitur ordinatio Hilarij, qui S. Leoni succeſſit, fuit die xvii. Nouembris, ex quo ſi detrahantur ſeptem vacatę ſedis dies, iam obitus S. Leonis decimo Nouembris in noſtro martyrolog. indicatus mirè cõgrueret. Equidem liber Pontificalis, & Albo Floriacenſis vnanimiter notant, non amplius, quam dies ſeptem vacuam fuiſſe Romanam ſedem in obitu S. Leonis I. Interregnum enim ſeptem menſiũ, quod alioquin Baronio ſummo viro placuit, & poſt eum Binio in notis ad adductum Concilium, nimis amplum eſt, & nulla vel inſigni ratione, vel vetuſti ſcriptoris auctoritate roboratur. Quinimmo in ciuſdem S. Leonis electione, tanquam quid illis temporibus ſingulare, adnotatur à Proſpero in Chronico, quadraginta amplius diebus Romanam Eccleſiam Paſtore fuiſſe deſtitutam, quòd mirabili patientia aduentus ipſius S. Leonis, tunc Diaconi, & abſentis expectaretur; nimirum inquit, *vt electi meritum, & eligentium iudicium probaretur*. Corrigendus igitur Marianus Scotus videtur, qui pridie Idus Nouembris ordinationẽ Hilarij Papæ poſuit, quoad diem, non quo ad menſem, & in libro Pontificali, aliiſq. conſimilibus reponendum *IV. Idus Nouembris* non *III. Idus Aprilis*. Feſtum S. Leonis, ſeu Natale celebratur in Sacramentario Gregorii IV. Kal. Iulii, ſicuti apud Bedam, & Vvandelbertum, ſed eodem die in vetuſto calendario Fronti nõ obitus ſignatur, ſed *Translatio corporis S. Leonis*. In calendario verò Hieronymiano Canonic. Lucenſium perantiquo Nouembris *IV. Idus S. Leonis Papæ* celebritas reponitur, & conſonat Rabanus *IV. Idus Romæ depoſitio S. Leonis Epiſcopi.*

Aurelianis Mutoris Epiſcopi nomen malè ſcribitur in libris noſtris, cum vbique Monitoris ſit. Aliqua de eo habet Romanum M. vbi Baronius, Bedam, & Adonem adducit, hoc eſt Adonis appendicem. Sancti etiam Monitoris meminerunt Petrus de Natal. lib. xi. n. 315. Maurolycius, Galeſinius, & Molanus ad Vſuardum. Plura de eo habet Sauſſayus, aliqua Sammarthani, qui duodecimum Aurelianẽſem Epiſcopum recenſent circa finem quinti ſæculi, quos adire poterit huius Gallicæ additionis ſtudioſus

III. Idus Nouembris.

RAuenna Valentini. Feliciani. Octaui. Felicis. Ianuari. Erundini. Victorini. Felicis. Niſi. Iuliani. Vincenti. Ianuari. Giddini. Bonifatij martyris. Minace. Domni. Firmæ. Mariæ. Felicitatis. Feliciæ. Innocentiæ. Fortunatæ. Principe. Domnecelle. Clementine. Ianuariæ. Victoriæ. Alexandria Metropoli natalis Sancti Minatis. Et in Gallia Ciuitate Turonis depoſitio Sancti Martini Epiſcopi, & Confeſſoris. *Lugduno Galliæ depoſitio Verani Epiſcopi, & Confeſſoris.*

NOVEMBRIS 11.

EX Rauennatis Eccleſiæ monumentis potuiſſet Vetuſtius martyrolog. pluribus his SS. martyrum nominibus ditari, quando poſitus Rauẽnæ Ado in fronte martyrologij ſui Vetuſtius idem apponendum curauit, niſi eoſdem à ſuperaddita S. Martini celebritate interpolatos exhiberet martyrolog. Vetuſtiſsimum Antuerpienſe, quod omnino S. Villibrordi opera à Laurentio Epternacenſe ſcriptum Adonis ætatem antecedit, vt ex generali præfatione ad

Acta

Acta SS. T. 1. Bollandi clarum est. In hoc ita Rauennates vtriusq. sexus cælites signantur. *III. Idus. Nouembris. Rauennæ natalis Felicis, Valẽtini, Nouelli, Octauii, Ianuarii, Herundinis, Saturninæ, & Amniboniæ. Gallia ciuitate Turonis Sancti Martini, Victurini, Felicis, Nisæ, Iuliani, Vincenti, item Ianuarij, Goddini, Bonifacij, Mirasi, Domni, Firmi, Mariæ, Felicitatis, Feliciæ, Innocentiæ, Fortunatæ, Principiæ, Domnicellæ, Clementini, Ianuariæ, Victuriæ. In Alexandria Sancti Minatis. Et in Lugduno Verani Episcopi.* Sine vlla verò interpolatione Rauennates martyres, ita scribũtur in M. Corbeiensi, quod interim libris nostris conferre libuit, & differentias annotare. *III. Idus Nou. Rauennæ natalis SS. Valẽtini, Feliciani, Octani, Felicis, Ianuarij, Eurundini* (Erundini) *Victorini, Felicis, Nisei* (Nisi) *Iuliani, Vincenti, Ianuarij, Giddini, Bonifaciæ mart.* (Bonifatij martyris) *Minaci,* (Minacæ) *Domni, Firmæ, Mariæ, Felicitatis, Feliciæ, Innocentiæ, Fortunati,* (Fortunatę) *Principiæ, Domnicellæ, Clementini* (Clementinæ) *Ianuariæ, Victuriæ* (Iuliani). Post Erundiniũ M. Antuerpiense Saturpinũ refert, & Amniboniã, quæ martyres sũt Africæ in pridianis Tabulis, & in hodiernis fastis M. Corbeiensis, & librorũ nostrorũ desiderantur. Vnde nihil mirũ si vltra xxvij Rauennates cælites ad xxix. extendãtur in Vetustissimo M. siquidẽ in Corbeiẽsi xxviij sunt, quia postremò Iulianus additur, in codicibus nostris præteritus. Ex tanta cœlestium pugilum classe Romanum M. non nisi Valentinum, Felicianum, & Victorinum exhibet, suffraganibus, vt ibi notat Baronius, Adone, Tabulis Rauennatis Ecclesiæ, & Hieronymo Rubeo. Sed Appendix Adonis, non Ado, habet tantùm *Rauennæ SS. Feliciani & Victurini martyrum*, nec amplius Maurolycius, & Galesinius. Neque supra Baronium aliquid addit Ferrarius in catalogo SS. Italiæ, nisi diuersos hos esse à Valentino, Solutore, & Victore, de quibus agitur die huius mensis 13. An. inter mulieres martyres Domnicella celebris illa sit, cuius agonem cecinit III. Idus Nouẽb. Vvandelbertus, ignorare me fateor. Domicella minima nominis differentia ita vocatur à Vvandelberto,

Exilium, flagella, minas, tormenta, necemq;
Pro Christo perpessa simul Domicella triumphat.

Victorem in Italia martyrem ita hoc ipso die refert Menologium à Canisio editum. *Commemoratio S. Martyris Victoris sub Antonino Imperatore, & Sebastiano Duce pro Christi confessione in Italia passi.* aliumq; eodem die Victorem, cum Vincentio, & Mena recolit idem Menologiũ. Sed Vincentius in Menologio Basiliano Augustanus est, & Victor idem Italus sub Antonino passus, non cum Mena, seu Memna. Hic sub Maximiano, vel vt habet Rabanus, sub Diocletiano agonem ab eo descriptum perfecit, quamuis eodem die in Menologio illo veneretur vnico elogio simul comprehensus. Ex Græcis quidem Galesinus accepit.

Alexandriæ. Diem festum S. Memnæ martyris esse vndecimũ Nouembris Syris, Ægyptijs, Græcis, & Latinis testatur Bollandus ad diem 13. Ianuarij, qua die etiam obijt S. Ioannes Eleemosynarius. Vnde pro nomine S. Miniatis in libris nostris reponendum esse videtur *Mennę*, vel *Mennatis*. Menantem legit Maurolycius, sed malè. Nam in Actis S. Menas dicitur, atq; ita etiam in narratione miraculorum S. martyris Menæ. Mennatem vocat Ado, sententiam in sanctum ex tabella dictam referens. Menam habet martyrol. Corbeiense; nisi ita emendauerit Dacherius. Sanctus quidem Minates dicitur in martyrol. Antuerpiensi, vt in libris nostris. Acta habet Surius ex Metaphraste, & contractiora Petrus de Nat. lib. 10. cap. 48. Templum insigne habebat in Ægypto, & maxima Alexandrię veneratione celebrabatur, vt ex adducta narratione miraculorũ Timothei Alexandrini Episcopi deducitur. Passus est in Cotyentium Metropoli, vt narrant

Acta, vnde forte in libris nostris Metropolis additur. Magnus martyr in Menologijs dicitur, & in Basiliano Ægyptius quidem genere asseritur, & miles, qui Cotiaij Phrygiæ vrbe sub Numerio Imperatore meruerit. In vita sanctæ Apollinaris filiæ Imperatoris Arthemij die 5. Ianuarij apud Surium, non modo habetur, ad S. Menæ sepulcrum peregrinationem in vsu fuisse, sed vel Alexandriæ, vel non longè ab illa. Ita enim legitur cap. 6. *Eamus ad Alexandriam vsq. & Sanctum Menam adoremus.*

Turonis. Sancti ac Thaumaturgi Martini omnia ita nota sunt, vt hìc aliqua repetere non expediat.

Lugduno. S. Veranus Episcopus recolitur, tam in Romano martyrol., quam apud Bedam, Vsuardum, & Adonis Appendicem. Episcopum non Lugdunensem, sed Gabalitanum affirmat Petrus de Natal. lib. 1. cap. 50. At præter martyrol. Antuerpiense, Corbeiense, & nostrum confirmat Lugdunẽsem Episcopum etiã Vetus Labbei Hagiologium, & pluribus prosequitur Saussayus. Alium verò fuisse Veranum Cauallicensium Episcopũ à Lugdunensi probat Raynaudus in Hagiologio Lugdunensi p. 85. vbi Petrum de Natalibus emendat. Alium quoque Veranum Venetiẽsium Episcopum refert ad quem scripta sit Hilarij Papæ Epistola à Baronio indicata. Hunc Lugdunensem ad Dominum migrasse putat anno Xpi 460. Raynaudus. Sammarthani eũdem numerãt in cathedra Lugdun. xxi. & subscripsisse narrãnt epist. Ceretij, & Sabonij ad Leonem Papam, deq; eo scripsisse Gennadium cap. 63. de viris illustr: ex additis tamen ad Vetustius martyrol. non dubitarem.

II. Idus Nouembris.

IN Africa natalis Sanctorum Mauruli. Publi. Et in Cæsarea Cappadociæ natalis Sanctorum Germani. Theofili. Cesari. & Sancti Eusebij.

NOVEMBRIS, 12.

CArdinalis Baronius vir summus Bedam hìc redarguit, siue sub Bedæ nomine martyrologiũ, quod Aurelium, & Publium Africæ cõsignauerit, cum Episcopi Asiæ fuerint, atq; ita in Romani martyrol. sacris fastis restituit; putat enim primùm esse Aurelium Cyrenium martyrem, secundum verò Ælium, Publium, Iulium Deuelsi Coloniæ in Thracia Episcopũ, ex epistola Serapionis Antiocheni. Hos sanctos Episcopos, siue martyres, siue strictim confessores cõtra Apollinarẽ, & Cataphryges scripsisse, idẽ docet apud Eusebium lib. 5. Hist. cap. 19. Verùm cũ Episcopi illi Thraciæ fuerint, pro Africa minori labore substituerentur Thracia, si re vera hìc de illis ageretur, non vero de Africanis martyribus, vt præter Bedam scriptum vidit Galesinius in mss. ab eo adductis, & retinet cum libris nostris Rabanus II. Idus. *In Africa natale Sanctorum Inaruli, Publi.* M. Corbeiense, in quo Africanis cælitibus Vincentius ita additur ità legit. *Pridie Idus Nou. In Africa natalis SS. Auruli, Publii, Vincentij. In Casaria Cappadoriæ natalis SS. Germani, Theophili, Cesarii, & S. Eusebij.* Aliter verò retinet hos sanctos martyres martyrol. Vetustissimum, & vt vereor librarij errore; cum S. Euticius, qui in Africa tantùm numeratur, etiam postridie repetatur cum S. Antonino Cæsariẽsi Cappadoce; quin Maurulius, & Publius inter Cæsarienses computentur hoc ordine. *II. Idus Nouembris in Africa Eutici,*

tici. In Cæsarea Cappadociæ Antonini, Murili, Pupli, Eusebi, Germani, Theophili, & Cæsari. Euticius hac certè die, vel postridie inter Africanos martyres nō refertur in libris nostrsi, aut Corbeiensi M. sed die sequenti inter Thraces. Maius negociū facit, quòd in Cappadocia Cæsareæ Germanus, Theophilius, & Cæsarius etiam supra referantur iij. Nonas Nouembris, vt hìc frustra iterari videātur. Sed vt aliàs diximus, cum ibi alij socij sint, hìcq; etiam addatur Eusebius, vel diuersi martyres sunt, vel ex accepta à socijs in varijs diebus corona, ne disiūgantur, repetita veneratione, recoluntur. Nostrorum codicum, & Corbeiensis sinceriorem lectionem confirmat Appēdix ad Adonem his verbis. *In Cesarea Cappadocia natale SS. Germani, Theophili, Cæsarii, & S. Eusebii*, quos tamen in alijs martyrologijs memoratos inuenire non licuit, neq. aliam lucem addere, nisi supra adducta confirmare, nimirùm diuersum nomen Mauruli, siue Maurilij in Africanis martyribus nobis suadere, non esse Aurelium Thraciæ Episcopum, qui in fastis nostris recolitur, quod etiam confirmat kalendarium Hieronymianum perantiquum Canonic. Lucensium, in quo legitur Nouembris *ij. Idus Maruli.* Non negarem tamen apud Canisium ad oram martyrologij Rabani pro *Africa* scriptum esse in *Asia*, & pro *Inarulo, Aureliū*; sed vnde is cōtra plurium codicum fidem variā lectionem acceperit ignoro.

Idus Nouembris.

IN Tracia natalis Sanctorum Edicti. Euthecis. Felicis. Hermogenis. & Aggesti. In Cæsarea Cappadociæ natalis Antonij. Gebennæ. Germanc. Manicæ. Et Adriani cum socijs suis. In Rauenna ciuitate natalis Sanctorum Valentini. Solutoris. Victoris. *Et Rotanus Ciuitate in Gallia depositio Sancti Amanti Episcopi, & Confessoris. In Turonis Ciuitate Galliæ depositio Bricci Episcopi, & Confessoris.* Et alibi depositio Sancti Iacobi.

NOVEMBRIS 13.

MOnuimus, vel pridianas Tabulas librariorū vitio in martyrol. Antuerpiensi fortasse laborare, vel hodiernas; quoniā in Africa Euticius repetatur, & in Cappadocia Cæsareæ Antonius. Ita enim in illo scribitur. *Idus Nouembris. In Africa Eutici, & in Cesarea Cappadociæ Antonini. In Thracia Edisti, Tesis, Felicis, Euticis. Item Felicis, Hermoginis, Egisti, Zebennę, Germani, Mannirę, Andrani cum sociis suis. Rauennis ciuitate Valentini, Solutoris. Gallia ciuitate Rotonis depositio Amandi Episcopi. Turonis depositio Brictionis Episcopi. & alibi depositio S. Iacobi.* Propius ad codices nostros ita accedit martyrol. Corbeiense: *Idus Nou. In Thracia natalis SS. Ædicti, Eutici, Felicis, Hermogenis, & Agiestis martyrum. Et in Cesaria Cappadociæ natalis SS. Antonii, Gebennę, Germani, Mannisæ, Adriani cum sociis suis. Rauenna ciuitate natalis SS. Valentini, Solutoris, & Victoris. Et alibi depositio S. Iacobi Apostoli. Rotenas ciuitate depositio S. Amantij Episcopi, & confessoris. Turonis ciuitate depositio S. Briccij Episcopi, & confessoris.*

Thracia. Euticium Africæ tribuit M. Antuerpiense, tam in hodiernis, quam pridianis ferijs, & nisi lapsus librarij sit, alius quidem à Thrace; qui enim Thra-

ciæ assignatur cum Edicto, siue Edisto anteligniano, & Euthecis in libris nostris pro Euticio vocatur; socios plures habet, & loco distinguitur. In socijs multa intercedit dissonãtia inter libros nostros & M. Antuerpiense. Si quidẽ in hoc sacri pugiles vndecim sunt, quinque tantùm in illis, & martyrol. Corbeiensi: cum reliqui Cæsareæ Cappadociæ tribuantur. Deficit hìc ad emendationem, & lucem aliorum codicum fides. Rabanus enim S. Bricij tantùm meminit.

Cæsarea Cappadociæ. Antoninum hìc Cæsariensem Cappadocem numerat M. Vetustissimum, quem etiam pridie huius diei recensuit. Vereor tamen, ne ex vrbe Cæsarea Palestinæ, Cæsaream Cappadociæ diuerterit, qui Vetustius martyrolog. concinnauit, & cælites inde translati ex Palestinis Cappadoces euaserint. Menologium à Canisio vulgatum non hoc die, sed præcedenti sub Maximiano Imperatore, (Maximino potius) Antonium, Nicephorum, Zebinam, Germanum, & Manatham virginẽ Cæsareæ obtruncatos refert, sed an vrbs Palestinæ fuerit, vel Cappadociæ non exprimit. Romanum M. Cæsarienses Palestinos recolit Antoninum, Zebinam, Germanum, & Ennotam virginem, ibiq. Baronius, Græcos in Menologio hac die testes adducit, cum Eusebio lib. 8. c. 19. Menologium quidem Basilij die hoc 13. Antonini, Nicephori, Germani, & sociorum certamen exhibet, sed inter socios Manetho tantùm Scythopolitana numeratur, quæ siue binomia fuerit, siue nomen corruptum sit, eadem est cum Ennata Romani martyrol.; vt ex agonis genere dignoscitur. Nullus tamen in hoc Menologio palestræ locus exprimitur, Galesinius, qui hoc ipso Græco codice Basiliano vsus est, Palestinos martyres Antonium, Zebinam, & Germanum cum Ennatha virgine seorsim numerat, deinde in Græcia Antoninum, Nicephorum, & socios. At eosdem esse, signatus Palestinorum dies apud Eusebium tertius decimus mensis Dij, *quod est 14 dibus Novẽb.* suadere potest: & quamquam non eiusdem agonis Ennathas virgo socia dicatur, eodem tamen die nobili martyrio coronata narratur in Cæsariensi vrbe, recrudescẽte sub Maximino Imperatore, & Firmiliano Præside persecutionis incendio. Eosdem hos putat sanctos martyres, ad caput 9. libri de martyribus Palestinæ nuperus Eusebij interpres eruditus Valesius cum iis, qui in Græcorum Menologio exprimuntur, licet Antoninum, non Antonium ibi dictum, ætate seniorem, non presbyterum, siue Sacerdotẽ animaduertat, & Manatho pro Ennate, & Nicephorum socium additum videat. Dies equidem agonis conuenit, nomen vrbis, & aliqua etiam ex martyribus nomina non valde discrepant, puta pro Antonio Antoninus, Gebenna pro Zebina, qui mulier non erat, sed iuuenis patria Eleutheropolitanus, Germanus omnino conuenit, & Manices, seu Maneises, aut Mannires pro Manetho, seu Ennethe, vel Ennathe substitui potest. Supereesset Adrianus, siue Andrianus cũ socijs, quorum neq. Eusebius, neq. Menologia meminerunt. Diuersi ordinis fortasse martyres sunt in eadem vrbe. Hæsitaui, proinde an Adrianus esset, qui cum Eubulo ex Regione Manganea Cæsariensium martyrum certamina vltimus obsignauit apud eundem Eusebium de martyribus Palestinæ cap. xi. Sed duo videbantur obstare, primum quòd Adrianus quinto die mensis Dystri, ideſt ante diem tertium Nonas Martias martyrium cõsummauerit; deinde quòd plures socij hìc indicarentur, & Eusebius nonnisi Eubulam recensuerit, qui ipsis Nonis Martij agonem compleuerit. Alius perinde Adrianus succurrebat, qui sub Decio Imperatore Cæsareę martyrium fecerat in Menologio Canisii, sed neq. socij vlli indicabantur, neq; dies conueniebat quarta Februarij. Immò in Menologio Basiliano tertia die Februarij Adrianum eundem esse agnoscebam, qui cum Eubulo in Vanea natus, leonibus obiectus, capite multatus Cæsareæ fuerit

rit, quemadmodum etiam Eusebius narrat. Nec diuersus venerationis dies à sententia dimouebat, quòd nō rarò apud Græcos diuerso die à consummato agone martyres venerari contingat. Vnde faciliùs Baronio eruditissimo acquieui, & pro Cæsarea Cappadociæ restituendam esse Cæsareā Palestinæ non detractaui; alios enim plures martyres ab his qui nominibus apud Eusebium exprimuntur, fuisse Cæsareæ coronatos docent, quæ idem subdit, vrbem totam fuisse humanis cadaueribus ossibus, visceribusq. insepultis refertam, instaurata sub Firmiliano Præside persecutione. Vnde sicuti Nicephorus à Græcis numeratus, inter illos esse potuit, quos Eusebius nominatim non exprimit, ita & Adrianū cum socijs reputaui.

Rauenna. Tres Rauennates martyres Valentinum, Solutorem, & Victorē hoc die recolunt cum Romano M. Beda, Vsuardus, Ado, & recentiores, inter quos Galesinius animaduertit tres fuisse sub Valentini nomine martyres Rauuenates. Primus, cuius meminerunt Acta S. Dalmatij, & hic cum Solutore, & Victore refertur, alter cum Feliciano supra iij. Idus Nouembris, tertius cum Nouale, & Agricola xvij. cal. Ianuarij sub Diocletiano, primum fecisse martyrium etiam Ferrarius ad hanc diem, animaduertit cum Romano martyrolog. ex tabulis Ecclesiæ Rauennatis. Victorem prætermisit M. Antuerpiense librarij fortasse incuria, vt facilè est credere.

Rotanus. Redonis in Armorica Galliæ S. Amandum Episcopum refert Saussayus die sequenti xviij. Kal. in supplemento. Verùm Appendix ad Adonem Rotanis cū libris nostris ita retinet Idibus Nouembris. *Rotanis ciuitate S. Amātij Episcopi, & confessoris.* Amantium pariter vocat M. Corbeiense, sed Amandū M. Antuerpiense cum libris nostris, & ms. martyrologio S. Sauini de Leuitania die 13. Nouembris, *Rodenis ciuitate S. Amandi Episcopi, & Confessoris*, die tamen 14. nulla adducta auctoritate veneratum referunt S. Amandum septimum Episcopum Redonensem Sammarthani.

Turonis. S. Brici, siue Britij, siue Britionis confessoris, & in sede Turonensi S. Martini successoris memoriam hoc die agunt ferè omnia latinorum martyrologia, & Hagiologium Franco Galliæ Labbei. Eius vitam habet Surius ex Gregorij Turonensis lib. 2. Hist. Francorum: aliqua notat Molanus, & nonnulla Baronius, quæ vt notiora relinquimus. Quartum Episcopum Turonensem numerant Sammarthani, anno Arcadij, & Honorij secundo.

Et alibi depositio S. Iacobi. Cuius nam S. Iacobi memoria hic recolatur incertū mihi est, & si etiam eiusdem depositio signetur in M. Vetustissimo sine vlla alia additione. At martyrol. Corbeiense pressiùs signat Iacobum Apostolum. Fortasse S. Ioānis frater, cuius sedem sub Herode Tetrarcha in vrbe Cæsareæ Palestinæ memorat Menologiū Basilij post biduum, hoc est die 15. Nouembris, & breuissimè Menologium Canisij. Translationem reliquiarum sub depositionis titulo hic memorari crederē, quòd dies martyrij in aliud tempus inciderit vt diximus ad Indiculum Apostolorum.

XVIII. Kal. Decembris.

IN Eraclea ciuitate Traciæ natalis Sanctorum Clementini. Theodote. Filomini, & aliorum multorum, quorum nomina Deus scit. & Eracli.

Apertius

NOVEMBRIS 14.

APertiùs, & vberiùs, quã libri noſtri hodiernos faſtos proſequitur M. Corbeienſe. *xviij. Kal. Decembris. In Eraclea ciuitate Traciæ natalis SS. Clementis, Clementini, Theodotæ, Philomini, & aliorum multorum, & ipſa die natalis S. Eraclij.* Strictiùs martyrolog. Antuerpienſe. *xviij. Kal. Decembris. In Eracla Clementini, & Theodoti, Filomoni.* Clemens, quem primo loco inter Heracleoticos martyres ſignat martyrolog. Corbeienſe, in aliis deſideratur. Martyrologium enim Romanum cum Beda, Vſuardo, Vvandelberto, & aliis recentioribus Clementinum, Theodotũ, & Philomenum tantum Heracleæ in Thracia venerantur, nec amplius addit Baronius. Clementium tamen non Clemẽtinum exhibet Maurolycius, quẽ Pontificem, ſine Epiſcopum vocat, atque illi pariter Theodorum, & Philominum ſocios iungit. Vnde vero acceperit Clementium fuiſſe Epiſcopum me latet; ex vetuſtioribus accipere profitetur in Epiſtola ad Cardinalem Amulium. Clemẽtis non Clementini nomen videtur fauere martyrol. Corbeienſi, in quo Clemens & Clementinus diſtinti producũtur; ſed Clemens non alibi mihi comparet. Rabanus Clentinum dicit, niſi vitium librarij ſit, & ſupra alios Martialem, & Donatum exprimit, ſed poſt Eraclium. Petrus de Natal. cap. vltimo lib. xi. nu. 321. Ex vetuſtis martyrologijs Clementinum nõ Clementem agnoſcit. *Clementinus, Theodorus, & Philomenus mart. apud Thracũ ciuitate Heraclea paſſi ſunt xviij. Kal. Decembris.* In Kalendario Hieronymiano Lucẽſi ſupra adducto xviii. Kal. Decembris Dementini nomen legitur pro Clementino, qui magis ad Clementinũ, quam Clemenſium accedit. Plurimorũ, qui additur in libris noſtris M. Corbeienſi, & Rabano ſine nomine martyrum chorus in Antuerpienſe, & reliquis editis martyrologiis deſideratur.

Et Eracli. Seiunctim ab aliis Thraciæ martyribus Eraclius additur, tam in codicibus noſtris, quam Corbeienſi, & ſine alia additione, tanquam martyr ſub Natalis titulo veneratur: & licet in Appendice Adonis Epiſcopus, & confeſſor ita vocatur 18. cal. Nouembris. *Item S. Eracli Epiſcopi, & Confeſſoris,* apud Rabanum non modo martyr eſt, ſed neque ſeorſim, aut poſtremo loco numeratur, *xviij. Kal. Decembris. In Heraclea ciuitate Thraciæ natalis S. Clentini* (Clementini, vt ad oram libri notat Caniſius) *& Theodotæ* (Theodoti) *Filomini* (Philomeni) *Eracli, Martialis, Donati, & aliorum multorum ſanctorum.*

XVII. Kal. Decembris.

IN Africa natalis Sanctorum Secundi. Fidentiani. Varici, & Martialis. In Africa ciuitate natalis Sanctorum Siddini. Saturnini. Seruij. Calendionis. Galani. Primigeni. Secundi. Theodoti. Demetri. Parentis. Saturæ. In Antiochia natalis Sanctorum Donati. Reſtituti. Valeriani. & Fructuoſe cum alijs numero xij.

Duplicem

NOVEMBRIS 15.

DVplicem Afrorum martyrum turmam explicat hodierne tabulæ in omnibus, quibus innitimur codicibus. Secundæ tamen classis locum agonalem martyrol. Vetustissimo debemus: *xvij. Kal. Decembris. In Africa Secundini, Fidentiani, Varisi, & Martialis. In Africa ciuitate Ipponẽsi Sydidini, Saturnini, Serui, Kalendionis, Galani, Seolindi, Theodoli, Demigri, Parentis, Stratori. Antiochiæ Donati, Restituti, Valeriani, Fructuosæ, Matronę, & aliorum xiij.* Ex primo Africanorum pugilum ordine tres tantùm recolit Romanum M. Secundum, Fidentianum, & Varicium, cui consentire Baronius testatur Bedam, & vetera mss. Deficit tamen in illis Martialis, quem cum libris nostris & Rabano ita profert Corbeiense M. *xvij. Kal. Decemb. In Africa SS. Secundi, Fidentini, Varici, Martialis. In Africa ciuitate nat. SS. Siddini, Saturnini, Serui, Calendionis, Galani, Primi, Genni, Secundæ, Theodoti, Demetri, Parentis, Saturæ, Firmæ. In Antiochia natalis SS. Donati, Restituti, Valerianæ, & Fructuosæ cũ aliis duodecim. Depositio S. Machuti Episcopi.* Ex vtroque ordine Africanorum martyrem vnum refert Kalendarium perantiquum Hieronymianum *xvij. Kal. Secũdi, Saturnini.* Sed præterito Saturnino ita reliquos exhibet Rabanus *xvij. cal. In Africa natale SS. Secundi, Fidentiani, Varici, & Martialis.*

In Africa ciuitate. Nomen vrbis, quod incuriosus librarius omisit, tam in libris nostris, quam Corbeiensi Hippon est, vt retinet M. Antuerpiense. Dubiũ tamen remanet adhuc, an Hippon Regius vrbs Africæ maritimæ sit Episcopalis D. Augustini sedes, vel Hippon Diarrythos eiusdem oræ ciuitas inter Tabracam, & Vticam. Maioris famæ primam fuisse, Regibus dilectam, vt cecinit Sylius Ital. lib. 3. & vnde Regij nomen acceperit, Geographis palam est, & hanc esse sine alia additione accipiendam putarem. Hipponenses martyres decem sunt in M. Corbeiense, vndecim in libris nostris quia in illo Primigenius deficit, à martyrol. Corbeiensi in duos martyres diuisus, nempe Primum, & Gennum. Hinc tredecim martyres exurgerent, quia Firma in eodem M. postremo loco additur post Saturam, seu Stratorium, vt in martyrol. Antuerpiensi scribitur. Quia vero alibi in editis libris hi martyres nõ comparent, neq; aliquas in nominibus differentias emendare, aut confirmare licet.

Antiochiæ. Donatum cum tribus socijs nominibus distinctis præferunt vnanimiter codices, ex quibus Vetustius M. nostrum confirmatur. Anonymi verò xij. in libris nostris, & Corbeiensi computati, tredecim sunt in M. Antuerpiense, ex quo Fructuosam, nõ Fructuosum legẽdum esse monemur: præsertim addito Matronæ titulo: nisi hoc nomen martyris non conditionis fuerit; siquidem Matronæ proprium nomen frequens inter martyres fuisse, pluries in martyrolog. nostro vsurpatum & quinquies in Menologio Canisij docere potest.

XVI. Kal. Decembris.

IN Africa natalis Sanctorum Rufiniani, Marci. Valeri. Victoris. Pauli. Honorati. Donati. Barici. Vitalis. Ianuari. Iusti. & alibi natalis Sanctorum Fidentiani. Martialis. Donati. Valeriani. Petiani. Item alio loco in Africa natalis Sanctorum Neri. Pauli. Adriani. Secundiani. Martialis

tialis. Victoris. Anteconi. Aureliani, Marcelli. Marini. Secundini. Fronloni. In Antiochia Augustini. Iusti. Aurici. Pontiæ. Fructuosæ. Matronæ. Fructæ. Vicentiæ. Marci. Atispici. Mariæ. Fistæ. Fortunatæ. Felicitatis. In Capua natalis Sanctorum Vitalis. Ianuarij. Iusti, Agustiani. Iustæ. *Lugduno Galliæ depositio Euceri Episcopi.*

NOVEMBRIS 16.

A Capuanis martyribus sacros huius diei fastos exorditur martyrolog. Antuerpiense; ex quibus etiam cælestium athletarũ agmen claudit. *xvi Kal. Decembris. In Capua Augustini, & Felicitatis. In Africa Vitalis, Ianuarij, Iustæ. Et alibi Videntiani, Marcialis, Donati, Valeriani, Poetiani, Secundiani, Rufiani, Marci, Valeri, Victoris, Pauli, Honorati, Donati, Barici, Vitalis, item Ianuarij, Iusti. Item Africa Neri, Pauli, Adriani, Secundiani, Marcialis, Victoris. Antigona, Aureliani, Marcelli, Marina, Secundine, Frontoni. In Antiochia Augustini, Iustæ, Aurica, Pontiæ, Fructuosæ, Matronæ, Fructæ, Vincentiæ, Marcialis, Picimariæ, Fostæ, Formatæ, Felicitatis. Et in Capua Vitalis, Ianuarij, Iustæ, Iusti, Augustini. Lugduno Cæsari Episcopi.* Repetitos Capuanos martyres infra simul iungunt, sed imminutos Vetustius martyrolog. nostrum, & Corbeiense, ita inter se collata ad ipsius Corbeiensis normam. *xvi. Kal. Decẽb. In Africa natalis Sanctorum Rufiniani Marci, Valeri, Victoris, Pauli, Honorati, Donati, Barici, Vitalis, Ianuarii, Iusti. Et alibi natalis Sanctorum Fidentiani, Martialis, Donati, Valeriani, Poetiani* (Petiani) *& natalis Sanctorum Nerei,* (Item alio loco in Africa natalis SS. Neri) *Pauli, Adriani, Secundiani, Martialis, Victoris, Victori* (deficit iteratum nomen in libris nostris) *Anteconi, Aureliani, Marcelli, Mariana* (Marini) *Secundi* (Secundini) *Frontoni, Maulini,* (deest in libris nostris) *In Antiochia Augustini, Iustæ, Auricæ* (Aurici) *Pontiæ, Fructuosæ, Matrondæ* (Matronæ) *Fructæ, Vincentiæ, Marci, Aruspici,* (Atispici) *Mariæ, Fistæ, Fortunatæ, Felicitatis, Siluani* (deest Siluanus in libris nostris) *Et in Capua natalis Sanctorum Vitalis, Ianuarii, Iusti, Augustiani, & Iustæ. Lugduno Galliæ depositio Sancti Eucheri Episcopi, & confessoris.*

In Africa. Dies martyrum regio iterum plures martyres ad venerationem educit. Ex his Rufinum, Marcum, & Valerium tantùm recolit Romanum M. cum socijs, numero, & nominibus non expressis. Testes ibi venerationis hodiernæ adducit Baronius vetera mss. & Petrum de Natalibus, qui etiam lib. xi. nu. 322. Honoratum ita addit, *Rufinus, Marcus, Valerius, & Honoratus martyres in Africa triumphum percipiunt xvi. Kal. Decembris.* Galesinius præter tres à Romano martyrologio, Bellino de Padua, & Molano indicatos, Paulum, Honoriũ, Vitalem, & Ianuarium addit ex libris scriptis, Honorium, nempe pro Honorato reddens, sicuti & Maurolicius, penes quem non nisi quatuor à Petro de Natalibus signati recoluntur. Ex his Rabanus non nisi duos profert. *Et in Africa Vitalis, Ianuarij.*

Et alibi. Hos etiam à primis Africanis seiũctos, alibi in eadem regione martyrium fecisse suaderent verba illa in libris nostris pro tertia Africanorum cælitum classe reposita. *Item alio loco in Africa.* Fidentius Episcopus Patauinus (si tamen Fidentius cum Fidentiano idẽ est) S. Maximi successor hac die memoratur à Ferrario ex Tabulis Ecclesiæ Patauinæ, & Scardeonio, qui tamen non martyr, sed confessor in pace quieuerit;

quod

quod Bellino de Padua congruit in Patriæ Ecclesiæ monumentis, vt par est credere, versato, qui hac ipsa die S. Fidentij Episcopi, & Confessoris, tertij Episcopi Patauini memoriam celebrat. Alium Fidentium Episcopum, & martyrem Armenum, Altini passum habet Petrus de Natalibus lib. x. cap. 66. & hac die viui comburio coronatum, quem Maurolycius eundem esse putauit cum Fidentio Patauino: sed nulli huic socij ascribuntur, & nomen nonnihil variat. Fidentianus secundæ classis martyrum antesignanus est, sub quo in martyrol. Antuerpiense sexdecim commilitones numerantur, qui in libris nostris, nonnisi quinque sunt; alij enim in primo ordine referuntur: ex quo confirmari videtur, omnes tam primi, quam secundi ordinis cœlites Africanos esse. Vitalis, Ianuarius, & Iustus, qui postremi sunt in primo ordine librorum nostrorum, primum ipsum ordinē constant in M. Antuerpiēsi, quod confusum in vtroque choro fateri expedit ex aliorum codicum consonātia.

Alio loco in Africa. Duodecim martyres, alterius loci in Africa Christianos bellatores numerat M. Antuerpiense, totidemq. habent libri nostri: quatuordecim M. Corbeiense, iterato nimirum Victore, & addito Maiulino cæteris præterito.

Antiochiæ. In Antiochenis etiā martyribus exuberat M. Corbeiense: qui enim in Antuerpiensi decimotertio numero clauduntur, quindecim in illo sunt. Differentia est, quòd Siluanus postremo loco indicatus in Corbeiensi, desideratur in alijs. Ex duobus verò nominibus M. Antuerpiensis, tres in Corbeiensi conflantur: In illo scribitur *Marcialis*, *Picimariæ*: in hoc *Marci*, *Aruspici*, siue potius Alispici, *& Mariæ*. Vnde excepto Siluano quatuordecim numerarētur in adductis omnibus codicibus. De Siluano, frequenter addito in M. Corbeiensi, aliàs suspicionē nostram dedimus. S. Barlaamū Antiochenū, Christianæ fortitudinis Sceuolam hac die recolūt Græci in Menologio, sed is in Vetustiori Martyrologio nostro non memoratur.

Capuæ. Duplicem seriem sanctorum, qui Capuanam Ecclesiam sacro eorum sanguine fœcundarunt, affert hoc die M. Antuerpiense, quorum tamen nullibi memoriam inuenire licuit. Augustinum, & Felicitatem profert in limine laterculi M. Antuerpiense, & in fine Vitalem, Ianuarium, & Iustum, qui Africani etiam in eodem codice sunt, & iterum Augustinum, & Iustam. An fuerint ex sanctis, qui in Diocletiani persecutione ex Romana vrbe ad Campaniæ litus appulerunt, vt in Actis S. Sebastiani legitur, nō affirmarem. Hi cum multa millia fuerint, non vno in loco quieuisse credibile est, & Capuam, quæ S. Athanasio in epistola ad solitarios Metropolis erat Campaniæ, facile est multos secessisse, ibiq. aliquos fuisse coronatos. Sed diuinandum non est. Qui bis dicitur Augustinus in martyrol. Antuerpiensi, Augustianus est in libris nostris, & Corbeiensi M. sed Augustinus apud Rabanum *xvi. Cal. in Capua natale Augustini*.

Lugduno. Cæsarium Lugdunensem Episcopum habet M. Antuerpiense in apographo nostro pro Eucenio Rabani, seu vt libri nostri habent Eucherio. Nullum Cæsarium Episcopum Lugdunensem referunt, vel Saussayus, vel Raynaudus, vnde pro Cæsario restituendus videtur Eucherius senior, & iunior eadē die venerati. De his eruditè disserens videndus est idem Raynaudus in Lugdunensi Hagiologio. S. Eucherij clarissimi scriptoris memoriam agit Romanum M. cum Beda, Rabano, Vsuardo, Adone, & cæteris latinis hoc ipse die 16. cal. Nou. Sammarthani Raynaudum sequuti duos Eucherios, alterum seniorē, xx. Episcopum Lugdunensem, alterum xxvij. iuniorem numerant, secundo tamen sanctitatis titulum non attribuunt: de primo multa cumulant, & de secundo aliqua ad ipsius ætatem spectantia proferunt.

XV. Kal. Decembris.

IN Cappadocia Ciuitate Campaniæ natalis Sanctorum Auguſtini. Euſarij, & Felicitatis. In Nicomedia natalis Sancti Ammoni. In Aſia natalis Sanctorum Syriæ Matronæ. Teclæ virginis. In Ciuitate Hierapoli natalis Sanctorum Victoris, & Alfi, & Romulæ, quorum geſta habentur. Romæ TransTyberim natalis Sancti Cecili. In Nicomedia natalis Sanctæ Ammone. In Aſia natalis Sanctorum Diobidis Matronæ. Teclæ virginis, & Didæ. In Eraclea Ciuitate natalis Sanctorum Gregorij, & Victoris. In Ceſarea natalis Sanctorum Theodote. Alphei. Zachei. Romani. Carthagine Africæ Dubitatitij. Valentini. Sancti. Calendionis. *In Gallia Ciuitate Aurelianis depoſitio Aniani Epiſcopi, & Confeſſoris.*

NOVEMBRIS 17.

MAlus Geographus, noſtrorum codicum librarius, Cappadociam vrbem in Campania inuenit, nimirum ex breuiato nomine Cap. Cappadociam enormi errore cõflans; facile tamen tolli poteſt ex fide M. Corbeiẽſis, quod cum noſtro collatum primo loco producimus. *XV. Kal. Decemb. In Capua Ciuitate* (additur in noſtro Campaniæ) *natalis SS. Auguſtini, Euſurijs* (Euſarij) *Felicitatis. In Nicomedia natalis S. Ammoni. In Aſia natalis Sanctorum Phileæ* (Syriæ) *Matronę, Teclæ virginis. In ciuitate Hierapoli natalis Sanctorum Victoris, & Alfei* (Alfi) *& Romulę* (additur in noſtris quorum geſta habentur). *Roma Tranſtyberim natalis S. Cecilij. In Nicomedia natalis S. Ammoni* (ſanctæ Ammonæ) *In Aſia Sanctorum Diobidis, & Didæ*) Matronæ, Teclæ virginis, & Didæ). *Et in Heraclea ciuitate natalis Sanctorum Gregorię,* (Gregori) *Victoris, & Gemini* (deeſt Geminus) *In Cæſarea natalis Sanctorum Theodotæ, Alphei, Zacchei, Romani. Cartagine Africa Dubitati, Tuſci,* (deeſt Tuſcus) *Valentij* (Valentini) *Sancti Calendionis, Montani* (deeſt Montanus) *Aurelianis ciuitate depoſitio Aniani Epiſcopi, & confeſſoris.* Capuanos martyres hic nõ habet martyrol. Antuerpienſe, eos ſiquidẽ pridie recoluit, Auguſtinum nempe, & Felicitatem, Euſurium, ſiue Euſarium libri noſtri, & M. Corbeienſe addunt, æquè mihi cum alijs aliunde ignotos. Vetuſtiſsimũ ergo illud ſacras hodiernas Tabulas, in multis varias à noſtris, ita ſignat. *XV. Kal. Dec. In Nicomedia Ammonis. Et in Aſia Matronę, & Teclę virginum. Hierapolim Victoriæ, Alboi, & Rumuli, Ammoni, Romæ, Tranſitę, Herabę, Cecili. Nicomedię Sanctorum Diophidis, Matronę, Tollæ, Didæ. In Eraclea Gregoriæ, Victoris. In Cęſarea Theodotæ, Alfi, Sacchei, Romani. Kartaginis Africa Dubitati, Tuſci, Valentini. Et in Gracia Sancti Galendionis. In Gallijs Aurelianis Epiſcopi, & Confeſſoris.*

In Nicomedia. Nicomedienſem Ammonium, præter quam in allatis codicibus memoratum, alibi non inuenio, nisi in Molani additionibus ad Vſuardum ex Vetuſto martyrol. Cameracenſe.

In Aſia. De Tecla celebri in Aſia martyre egimus ad diem 23. Septembris, vbi etiam huius nominis plures fuiſſe

martyres

martyres annotauimus. Die vero 12. eiusdem mensis ex Adonis Appendice Diophilam Matronam, & Theclam virginẽ in Asia veneratas adduximus, quas Nicomediæ præferunt illo die codices nostri. Martyrol. Antuerpiense non modo virginitatis laude Teclam ornat, sed etiam Matronam. De Tecla hac ipsa die ita Maurolycius. *Item S. Theclæ virginis.* Phileam, quæ Syria in libris nostris dicitur, alibi memoratam non video, nisi Diophila sit malè à librario habita, quæ Matronæ, & Theclæ socia in Asia fuerit.

Hierapoli. Victoris, Alphi, & Romuli res præclarè gestæ, tempore quo vetustius nostrum martyrologium concinnatum fuit, præ manibus erant: nunc me latere fateor. Hierapolim Phrygiæ intelligerem, quòd alij martyres ibi coronati in Vetustiori nostro alibi memorentur.

Romæ Transtiberim. Vnisoni sunt in Transtiberini Cecilij veneratione libri nostri, & Corbeiensis. Antuerpiense vero M. pro verbis illis *Transtiberim natalis*, duo martyrum nomina inserit *Transitæ, Herabę.* Vtra lectio melior sit aliorum codicum multiplex fides docere poterit. Vereor ne ex nomine Cæcilij librarius pro Transita, & Hereba repo fuerit Transtiberim, quia in ea regione domus S. Cæciliæ clarissimæ martyris fuerit, vt in eiusdem sanctæ translatione sub Paschale I. legitur apud Bosium. Cæcilium Romanum martyrem alibi non legi.

Nicomediæ. Iterum Ammonius Nicomediensis producitur in M. Corbeiensi. In Antuerpiensi verò Ammonius inter Hierapolis cælites reponitur, non Nicomediæ. Aptius fortasse in libris nostris *Sanctæ Ammonę* memoria agitur, & repetio S. Ammonij tollitur.

In Asia. Diobidem, & Didam Asianos martyres tantùm indicat hac die M. Corbeiense. Pressius locum agonis in Asia Nicomediam signat M. Antuerpiense, & Diophidi (ita enim legit non Diobidi) socios addit Matronam, Tollam, & Didam. Libri nostri consonant, sed pro Tolla Teclã virginẽ exhibent, quæ cũ hoc ipso die in Asia iã supra memoretur, ne ociosè repetatur, facilius Tolla virgo substituenda videtur pro Tecla.

In Eraclea. Gregorium, & Victorem æque refert M. Antuerpiense, ac nostrũ. Corbeiense Geminum addit aliis ignotum. Eracleam Ponti inter plurimas huius nominis vrbes, vt pote celebrioré acciperem, & quia in Ponto sub Diocletiano talis martyrum laniena fuerit, vt *ipso dicto*, quæ gesta ibi sunt, incutiant horrorem, quemadmodum Eusebius notat lib. 8. Hist. cap. 12. Confirmat coniecturam nostram Appendix ad Adonem, in qua legitur XV. cal. Dec. *Item Natal. S. Gregorii Episcopi, & martyris, apud Pontum.*

In Cæsarea. Palestinæ martyres Cæsarienses fuisse Alphæum, & Zacchæum dubitare non finit Eusebius Cæsariensis lib. de martyribus Palestinæ interprete Valesio. Cap. enim primo post Procopij primi illius vrbis martyris recensitum agonem, ex plurium numero confessorum hos fortissimos pugiles selegit ad historiam, quos post omnis generis tormenta abscisis capitibus interijsse signat xv. cal. Decembris. Additur Romanus statim cap. 2. apud eundem Eusebium, quia eodem die passus est, & Palestinus Cæsariensis Ecclesiæ Diaconus fuit; quamquam fortissimo, ac prodigioso certamine Antiochiæ non Cæsareæ agonem compleuerit. Huius certamen idẽ Eusebius alibi narrauit, nempe lib. 2. de Resurrectione, & Ascensione Christi, vbi quædam adduntur, quæ in libro de martyribus Palestinæ, vel 8. Historiæ desiderantur. Ibi Valesius eruditus eiusdem interpres, & scholiastes errorem Græcorum in Menæis arguit, qui duos Romanos martyres, eodem die Antiochiæ coronatos, distinguunt, & miratur id Baronio placuisse in notis ad martyrolog. Equidem Menologium à Canisio editũ die sequenti 18. duos Romani nomine pugiles præfert excisa lingua loquentes,

dum tamen vnum tantùm cum puero coronatũ refert Menologium Basilij. Duos in Vetustiori nostro Romanos numeratos video: alterum hoc die xv. Kal. veneratum, alium die sequenti. Sed ex his quæ ibi affert Rabanus, vnus esse videtur, in hodiernis fastis fortasse numeratus, ne à socijs apud Eusebium disiungeretur: sequenti verò die, quia natalis eius fuit. Alpheo, & Zaccheo Diacono Gadirensis Ecclesiæ Micheam socium addit idem Menologium Canisij, & inter Ecclesiarum præsules numeratos fuisse, ex eodẽ primo capite Eusebij elici posse videtur, quamquam cap. 6. lib. 8. Ecclesiarum Antistites enumerans, nõ modo Episcopos, sed præsbyteros Diaconos, Exorcistas, & Lectores complecti videatur. Quæ nam verò fuerit Theodota, quæ in Corbeiensi, & Antuerpiensi MM. Zacchæum, & Alpheum præcedit, cum apud Eusebium, aut Græcorũ Menologia, hoc die non memoretur, subijt dubitare, an Theodosia Cæsariensis sit mater Procopij martyris, quam Græci venerantur die 8. Iulij: sed duodecim mulieres ordinis senatorij, eodem tempore obtruncatæ, hìc non referuntur. Theodosia etiam virgo Cæsareæ coronata apud Eusebium habetur cap. 7. sed quar. to nonas Aprilis. Non Theodotam, sed Theodotum, æque mihi ignotum, habẽt libri nostri; huius non meminit Romanũ martyrologium, dum Zacchæum, & Alphæum recolit.

Cartagine. Dubitatus Tuscus, & Valentinus Carthaginẽses martyres numerantur in martyrol. Corbeiensi, & Antuerpiensi. In codicibus nostris deest Tuscus vitio librarij, qui Dubitatium scripsit pro Dubitato, & Tusco. Galendionẽ, siue Calendionem in Græcia, non Africa reposuit martyrol. Antuerpiense, sæpe, vt diximus, in distinguendis locis magis accuratum, & socium illi addit Montanum Corbeiense martyrol.; sed apud Græcos Galendionem non dum licuit inuenire.

In Gallia. Sancti Aniani Episcopi Aurelianensis verus Franco Galliæ Hagiologiũ disertè hoc die meminit, sicuti Romanum martyrologium, Beda, Rabanus, Vsuardus, Ado, & recentiores. Aliqua hic notat Baronius, & pluribus Saussayus S. Aniani gesta prosequitur. Antuerpiense martyrol. scripturæ vitio laborat; qui enim Anianus fuit, dicitur Aurelianus, Episcopalis sedis nomine vocatus, non proprio. Sancti Aniani vitam habet Surius postremæ Colonien sis editionis T. xi. ex Tabulis Ecclesiæ Aurelianensis, quem floruisse testantur tempore S. Leonis I. De eo Sammarthani inter Aurelianenses Episcopos pluribus agũt ex Gregorij Turonensis Hist. lib. 2. & post vrbem suã ab Attilæ sæuitia liberatam in Domino obijsse referunt 17. Nouemb. an. 453. tumulatum in æde B. Petri Apostoli, nũc dicta ab eius nomine Regalis collegiata S. Aniani in vrbe.

XIIII. Kal. Decembris.

IN Antiochia Ciuitate Romani Monachi. Barale, & Isici martyris; & in Spania Corduba Ciuitate Acisli martyris. Hac die colliguntur ibidem Rosæ. Et in Cesarea Bonoli Victoris. Maximi. Luciani. Casteri, & Marciani. In Eraclea item Casteri, & aliorum xl. Et in Tuscia Lucca Ciuitate depositio Sancti Frigiani Episcopi.

Plures

NOVEMBRIS 18.

PLures cælites purpuratos, Romani nomine insignitos, diuersis diebus & locis recolit M. Vetustissimũ, de quibus illillud usurpari aptius potest, quod ad inanem gloriæ ostentationẽ ille dixit *Fortia facere, & pati Romanũ est.* Quæ enim fortiter passi sunt Romani duo à Græcis celebritati in Menologio, à Canisio edito, quamque generosè vterque fidem Christi testatus sit, nemo non mirabitur, nisi ex vnico Antiochiæ coronato martyre Romano, duos Græci conflauerint, vt pridie huius diei diximus. Duos, vel vnicum duplici die recolit martyrol. nostrum: vnum nempe cum Eusebio xv. Kal: alterum hoc ipso die, quem etiam ita memorat martyrol. Antuerpiense. *XIIII. Kal. Decembris. In Antiochia natalis Romani, Barili, & Isici martyris. In Spanis Cordoba ciuitate Asiclę martyris. In Cæsarea Beuoli, Victoris, Maximi, Lusiani, Cartheri, Marciani. In Heraclea item Cartheri, & aliorum xl.* Nec dissimilia habet M. Corbeiense *XIV. Kal. Decembris. In Antiochia ciuitate Romani Monachi, Barala, & Hesychij mart. In Hispania Cordnba ciuitate Asiscla martyris. In Cæsaria, Bonuli, Victoris, Proximi, Luciani, Cartherÿ, & Martiani. In Heraclea item Cartherÿ, & aliorum xl.*

Romani Monachi. Ad alterius Romani Cæsarienſis Diaconi discrimen Monachus hic videtur appellari. Quamquam enim vtriusq; Romani acta simul confusa facile esse potuerint, etiam apud Prudentium, sicuti de Sanctis duobus Hippolytis animaduertit doctissimus Baronius; vnicum tamen esse Romanum, Cęsariensem Diaconum adductę à Vallesio rationes credere non compellunt. Non semel Eusebius inculcat Romanũ, cuius certamen describit c. 2. de martyr. Palestinæ, eiusdẽ regionis fuisse indigenam, & tanquã Palestinũ, licet Antiochiæ martyrio defunctum, xv. cal. Decembris inter Palestinentes martyres recensuit. Alium verò Monachum Antiochensem describunt Acta apud Petrum de Natalibus ex proceribus illius vrbis, qui metu populi in carcere præfocatus fuerit, iussu præfecti Asclepiadis xiiij. Kal. Decembris. Sed ne gesta ab alijs recentioribus accipiamus, sed ab ipso Eusebio, repetenda ab ipso sunt. Is octaui lib. Hist. de Palestino, seu primo affirmat coram Imperatore, lingua abscissa in carcerem detrusum, cum eiusdem Imperatoris, nempe Diocletiani iam Vicennalia adessent, fractis laqueo faucibus vitam dedisse. Nihil ibi dicitur de Pueri Christum testantis martyrio, nihil de martyre abscissa lingua loquente, aut de igne cælitùs extincto annotatur; quæ tamen ab eodẽ Eusebio de alio Romano martyre videntur memorata in libro, seu serm. 2. de Resurr. & Ascens. cap. 92. Quinimo altervtrius certaminis diuersa adducitur causa. Romanus Diaconus Cæsarienſis dicitur, eo ipso temporis articulo, quo Ecclesiæ destruebantur, & persecutionis initio, Antiochiam ingressum esse, dumq; ingẽtem multitudinem virorum simul, ac mulierũ cum paruulis sacrificare Idolis vidisset, diuino zelo tactum inclamauisse, & illos obiurgasse, vnde ad tribunal raptum igni statim tradẽdum esse decerneretur. Aliũ verò ab Eusebio serm. 2. de Resurrect. & Ascens. memoratum, nõ ob hanc causam martyriũ subijsse narratur, sed quòd Ecclesiam Antiochenam ex plurimorũ casu, & fidei abnegatione periclitantem vidisset, se vltro obtulisse ad certamen. Additur etiã quòd non statim ad ignem dãnatus sit, sed omnia prius tormentorũ genera pertulerit, tanta vni Iudex impertiens, *quanta omnibus, qui fuerant superati.* Extra vrbẽ ad viuicomburiũ deinde perductũ esse dicitur, & cũ ignes accendi vi pluuiæ, & tempestatis non potuerint, Tyrannum propterea illũ liberari iussisse narratur; sed Iudicem illi linguam prȩcidi voluisse, & in carcerẽ retrudi; vbi prodigiũ illud acciderit, hoc est, vt

qui

qui antea balbus, ac lingua impeditus erat, deinceps rectissimè, & sine lingua queretur. Verisimilius autem est, sanctũ athleatam antea solitarium (religiosus dicitur apud Eusebium ex versione Sirmundi) sponte prosilientem ad certamẽ, diuino singulari impulsu id peregisse, ac Deum pro causa sua periclitanti præcipuè adstitisse, & prodigia addere voluisse: puerũ nẽpe, de veritate fidei interrogatũ, testimoniũ dantẽ, tùm voce, tùm sanguine. Quomodo verò Eusebius, qui in libro de martyribus Palestinis iteratò docuit, Romanum illum fuisse Diaconũ Cæsarienſem, ac Palestinum, aliũ Romanum, quem in serm. de Resurr. & Ascens. etiam oratorio stylo laudat, si Cæsarienſis fuisset, talem esse tacuisset, & eũ Peregrinũ tãtùm illò adueniſſe notaret? & dũ sua magnificare est assuetus, tãtum patriæ suæ decus prætermittere voluisse credendũ est. Romano Diacono abscisſã fuisse linguã pariter quidã docet Eusebius, non tamen absq. lingua locutum. Ignis tormentum infrequẽs martyribus nõ erat, neq; linguæ abscissio, vt præter alios in Menologio Canisij proximo die 19. in Heliodoro martyre legi potest. An Antiochenus, vel potius peregrinus, & monachus Romanus in carcere occisus sit laqueo, Eusebius non docet in adducto 2. lib. de Resurr. & Ascens. In eo sanè Acta S. Romani Monachi differunt apud Petrum de Natal. lib. x. cap. 75. quòd illum Antiochenum, & nobili prosapia ortum affirmet, Eusebius verò peregrinũ illò adueniſſe perhibeat. Qua propter, quæ vir doctus Valesius in Not. ad cap. 2. Eusebij de martyr. Palestinæ argumenta profert, cõfusa quidem vtriusq; Romani acta in menologio Canisij, & apud Prudentium suadere possunt, non tamen vnum tantùm Romanũ esse mea sententia cõuincunt. Romanũ, Monacum nuncupatum, illum fuisse, qui cum puero, in testimonium adducto, martyrium subijt, Barelæ socij nomen hic superadditum probat. Baralas enim infans dicitur apud Bedam, Adonem, & Vsuardum, qui testimonium Christo fecit, & ante Romanum, astante matre, & hortante ad coronam, abscisso capite triumphauit. Puerum adhuc ferè lactentem pingit Prudentius, & infantulum vocat Rabanus. De Romano, & Baralo cum Zocio præsbytero, & aliis egit etiã martyrol. noſtrum ad diem 15. Februarij: de Hesychio vero alio socio Romani Antiocheni seorsim agunt martyrologiũ Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, ac recentiores, Petrus præcipuè de Nat. lib. x. cap. 76.

In Hispanis. S. Aciſclum cum Victoria Cordubẽſem martyrem recolit martyrol. Romanum cum Beda, Vsuardo, & Adone die præcedẽti xv. Kal. vbi aliqua Baronius cumulat ex Breuiario Toletano, & alijs sacræ Hispaniæ scriptoribus. S. Aciſclum quidem, nihil de Victoria addens, memorat ita Prudentius

Corduba Aſciſclum dabit, & Zoellum.

Neque Victoriam hac die indicat etiam M. Vetustius noſtrum cum Aciſclo, sicuti neque M. Antuerpienſe, aut Corbeienſe: cum tamen prodigium erumpẽtium Rosarum festo die SS. Aciſcli, & Victorię referant Vsuardus, & Ado, ex quibus Maurolycius, & Galesinius acceperunt. Id in Rom. martyrolog. præteritum innuunt libri noſtri breuissimè, Aciſclo tãtum tribuentes his verbis, *Hac die colliguntur ibidem Roſæ*, quemadmodum Vsuardus, & Ado addunt, *ad commendationem pretioſæ mortis*. Acta SS. Aciſcli, & Victoriæ habet Ioannes Tamayo in Martyrologio Hispanico ex tribus mss. antiquis legendarijs die xv. cal. Decembris, ad quorum calcẽ hæc legi testatur. *Eorum paſſio euenit anno CCCIII. Imperante Diocletiano. Ad quorum tumulos olim in die commemorationis eorum, Roſa diuinitùs orta colligebantur ad laudem D. N. I. Chriſti*. Quæ adducta velim ad prodigiosam Rosarum eruptionem ex Cordubensibus monumentis confirmãdam, ac vt martyrolog. illud me vidisse cordati lectores sciant, neq. ignauiæ arguãt, sed cõsultò me illũ alibi prætereire

voluiſſe

voluisse patiantur. Rosis, & malis Februario mense à Dorothea martyre ad Theophilum transmissis, eundem sibi martyrē Deum asciuisse, Acta illius narrant. Coronas coruscantes Rosis, & liljs albescētes Cęciliç,& Valeriano Cælitus allatas dedit Angelus, & in passione eius legitur, quarū odore illectus etiā Tiburtius prima hausit Christianæ veritatis indicia. In Rosa per annū seruante viriditatē suam, Deiparā aliquādo assensum præbuisse, Immaculatæ Conceptionis suæ octauū venerabilē diem esse, auctores docent à Raynaudo adducti in Pietate Lugdunēsi pag. 323: vt hinc nō semel Rosis ad excitandam, siue fouendam pietatem vsum esse Deum appareat; Præcipuè verò sacros scriptores martyrij decorem, sacrumque martyrum sanguinem, & passionem Rosarum coronā dixisse testis est Sāctus Cyprianus ep. 9. Ibi enim Ecclesiam laudans, & in Ecclesia fidelium candidos mōres, & purpurea martyrum certamina, inquit, *Floribus eius, nec lilia, nec Rosæ desunt.* In SS. Aciscli, & Victoriæ tumulis enasci consueuisse Rosas refert etiam die 17. Nouembris Saussayus, antequam eorum corpora ex Hispania in Galliam, & sub Carolo magno Tolosam asportarentur. Vnde per festiuas Rosas, hyeme iam incipiente ad Ascisli tumulum sponte exortas, aliquos ad fidem vocatos, plures in fide roboratos, par est credere.

In Cæsarea. Sex Cæsariēsibus martyribus in libris nostris indicatis, ac à MM. Antuerpiensi, ac Corbeiensi confirmatis, nil addere licuit, neq; ex Cæsariensi Eusebio, neq; alijs.

In Heraclea. Ponticam Heracleā' ex alias dictis intelligimus. Casteriū cū Anonymis xl. alibi indicatū nō habemus, præterquam in Appendice ad Adonem hoc ipso die xiv. Kal. *In Hispanys ciuitate Corduba S. Acisoleni* (lege Aciscli) *Item Eraclea S. Cortheri, & aliorum xl.*

S. Frigiani. S. Fridianum, seu Frigianum, (ita enim vocant aliqua vetusta monumenta) Epscopum Lucensem, & præcipuè in Aquis Thaumaturgum hac die Ecclesia illa veneratur, nō quo felicissimi eius obitus sit natalis, quemadmodum signauit Petrus de Nat. lib. x. c. 78. sed solemnis translationis dies. Vnde quæ depositio dicitur, repositio potius vocanda videtur. In vetusto quidē Lucensis Ecclesiæ Kalendario, Vetustiori nostro M. præfixo, ita eius depositio nōtatur *xv. Kal. Aprilis depositio S. Frigiani*, dum hoc die xiiij. Kal. Decembris tātum scriptum est, *Sancti Frigiani Episcopi, & Confessoris.* Hæc etiam ad amussim retinet Kalendariū Hieronymianū per antiquum Canonic. Lucensiū, & disertè patent in eius vita tum ex pluribus hædinis codicibus Canonicorum eorundem Lucensium, tum ex vetusto nostro Hagiologio. Translationem hanc superadditam putarem M. Vetustissimo in codicibus nostris ab Ecclesiæ Lucensis clericis: nec tamen eam esse crederē, quæ in dedicatione Basilicæ S. Fridiani celebrata est ab Eugenio III. anno 1146.: quia recentior hæc videtur, quam codicū nostrorum characteres patiātur, & quia diuersa die, pura vj. Idus Februarij cum illius Basilicæ consecratione recolebatur: potius verò eam existimarem, quæ sub Ioanne Episcopo ex prodigio mortuæ excitatę puellæ solemniter peracta fuit: cum huius Episcopi iussū solemnis translationis dies celebrari cęperit die xiiij. Kal. Decembris, vt antiqui hædini codices passionales Canonic. Lucensium apertè docent. Hanc translationē Franciottus noster in Hist. SS. Lucensium, & vita S. Fridiani refert in annū DCCLXXXII. quamuis paulo recensiorem fuisse nos validis rationibus ducti existimauerimus in dypticis Lucensis Ecclesiæ nondum editis. Extat S. Episcopi vita per lectiones distributa in eius officio Florentiæ edito 1590. in qua disertè docetur S. Virum extremum mortalis vitæ diem compleuisse die xv. Kal. Aprilis: & tamen in die celebratæ translationis S. Fridianū venerantur Romanum martyrologium Maurolycius, Molanus, Galesinius, & alij. Plura habet Ferrarius in catalogo SS. Italiæ, & Franciottus idem in Histor. SS. Lucensium, nosq; Deo dante fusiùs omnia prosequemur in Dypticis nostris.

In

XIII. Kal. Decembris.

IN Cesarea Maximi. Muciani. Neoferi. Tubis. Ianuarij. Vitalis. Casteri. Marciani. Dicenti. Zefori. In Eraclea Sancte Mulieri, cum Viduis numero xl. *Augustiduno Simplici Episcopi:*

NOVEMBRIS 19.

HAerebã anceps, cui nam Cæsareç tribuendi essent decem pietatis athletæ, qui in libris nostris Cæsariensi vrbi tribuuntur. An Palestinę, vel Mauritaniç, vel Cappadociæ. Cum autem eorum singillatim Eusebius de martyribus Palestinæ non meminerit, Cæsaream Palestinẽsem reijciebam, non ita tamen cõstanter, vt inter plures anonymos ab eodem Eusebio indicatos, & præteritos contineri non possent. Martyrol. Corbeiense nulla pariter addita distinctiua nota Cæsariam, siue Cæsaream ita exprimebat. *XIIJ. Kal. Decembris. In Cesaria Maximi, Mutiani, Neoferi, Tobis, Ianuarÿ, Vitalis, Carterÿ, Martiani, Dicenti, Zephori. In Heraclea Sanctæ Mulieris, cum sex suis quadraginta. Augustoduno Simplicÿ Episcopi.* Dubitationem abstulit martyrol. Antuerpiense, quamquam in recensenda martyrum turma nonnihil mutilum compareat; illos enim Cæsareæ Cappadociæ, ita disertè asseruit. *XIII. Kal. Decembris. Cesarea Cappadocia Maximi, Muciani, Neophiti, Tobis, Ianuarÿ, Vitalis, Ianuarÿ, Dicenti, Zophori. In Eracla Sanctæ mulieris cum viduis numero xl. Austiduno Simplici Episcopi.* Deficiunt in Cæsariensium serie Carterius, & Martianus, & pro his alter Ianuarius additur; in alijs à libris nostris non differt. Verùm Rabanus, qui Cappadociæ vrbem confirmat, nonnisi tres cælites Cæsarienses habet. *XIII. Cal. In Cæsarea Cappadocia natale Maximi, Muciani, Neophiti, & aliorum xl.* Anonymis his Cæsariensibus succenturiatas Heracleoticas sanctas viduas seiunctim in libris nostris numeratas vix esse dubitarem.

In Eraclea. Ex proximitate Regiæ Nicomediensis vrbis in Bithynia Heracleam Ponti accipio, vbi non parua fidelium laniena sub Diocletiano fuit. An vero sanctæ Mulieris proprium nomen sit, vel Sãcta, vel mulier, vel vtraq; non benè liquet. Facile est propriũ reticeri, & appellatiuũ tantũ apponi, vt scilicet à viduis xl. distingueretur matrona, siue sancta mulier viro iuncta. Quadragenæ verò Viduæ, à reliquis mulieribus distinctæ, & vno choro trucidatæ sanctam aliquam viduarum societatem innuunt, quam alibi, saltem tam numerosã, me legisse non memini, nisi apud Eusebium de laudibus Constantini cap. xvij. Numerat is inter miranda Dei opera post Ecclesiarum euersiones, ipsis etiam viuentibus persecutoribus, eaidem illustriores, vel à fundamentis erectas, vel renouatas, & post tantas fidelium clades sacrarum mulierum non minus, quam virginum floruisse Gynæcea. *Quis* inquit ex eiusdem Valesij versione, *post tot, ac tantas persecutionis procellas, & in ipso discriminum feruore innumerabiles vera philosophiæ sectatores, Deiq. cultores viros, sacras etiam mulieres, & virginũ choros, quę perpetuæ animi, & corporis castitati se addixerant, diuinæ doctrinæ suę præceptis, atque institutis per vniuersum orbem continuerit, ciboq. & vino ad multos dies libentissimè abstinere, & duram, ac seueram vitam agere cum singulari*

lari modestia, ac temperantia docuerit? Vbi aduersus Christophorsoni interpretationem vir doctus Valesius animaduertit, sacras mulieres à virginibus distingui, & sub voce Gynæcon Eusebium mulieres sacras intellexisse, à Parthenopæis, seu sacris virginum locis distinctas; mulieres nempe, quæ viris orbatæ Viduitatem suam Deo consecrabant. Sanctarum verò viduarum, simul aduientium cætum nullibi magis mihi comparuit, quam in numero quadragenario simul coronaturũ viduarum in libris nostris adnotato, quem numerum viduarũ non facilè admisissem, nisi etiam à martyrol. Vetustissimo Antuerpiensi assereretur, & confirmaretur ab Adonis Appendice. Ex his quidẽ non dubitarem, in martyrol. Corbeiensi pro eo quod scriptum malè est, *cum sex suis quadraginta*, restituendum esse, *cum Viduis xl.* licet in Appendice ad Adonem Eracleæ plurali numero *Sancta mulieres cum viduis quadraginta* numerentur. Minus enim videtur probabile, plures nuptas mulieres, à viris suis segregatas simul aduixisse, vt facile de Viduis esse potuit. Quod quia non ita vbiq. obvium, placuit in re sacra, à martyrologio nostro indicata cum sacræ antiquitatis studiosis immorari, post explicatum sequens Gallici Antiquarij additamentum.

Augustoduno. Simplicium Augustodunensem Episcopũ ex additis ad Vetustium martyrol. suadet etiam Appendix ad Adonem hoc ipso die. Meminit Hagiologium vetus Franco Galliæ Labbei, & diuersum Saussayus putat à S. Simplicio Augustodunensi Episcopo, quem Ecclesia illa colit die 25. Iunij. Aliqua de S. Simplicio habet Ferrarius in nouo, ac generali catalogo Sanctorum. Plura Sammarthani, qui sextum Æduensem Episcopum referunt, & subscripsisse Sardicensi Concilio, & Agrippinensi anno 346. Non tamen alium Simplicianum agnoscunt, quam qui martyrologio recolitur die 24. Iunij.

De Vetustis, sacrisq; Viduarum cœtibus, ac earundem Ecclesiasticis Officijs.

EXERCITATIO XV.

DAbitur & hoc Sanctis in Ecclesia Viduis peculiare decus, vt turmatim aliquando pro Christo sanguinem fuderint, nec minori vbertate, quam sacræ virgines die 24. Decembris, quadragenarium numerum æquauerint. De bono Viduitatis gemina Ecclesiæ lumina, Ambrosius, & Augustinus scripserunt. Alter eas virginibus æquiparat non longe ab initio libri de Viduis. *Et prope modum*, inquit, *non inferioris virtutis est, eo abstinere coniugio, quod aliquando delectauerit, quam coniugij oblectamenta nescire*. De bono Vniviratus, in secundis nuptijs alioquin claudicans, ita scripsit Tertullianus lib. 1. ad vxorem cap. 8. *Vidua habet aliquid operosius, quia facile non est appetere, quod nescias, & auersari, quod desideraueris nunquam. Glorioſior continentia, quæ ius suum sentit, quæ quod viderit nouit. Poterit virgo felicius haberi, vt vidua laboriosior*. Et quamuis cũ D. Paulo Augustinus virginitatem præferat laudatæ viduali continentiæ, in ministerium tamen Ecclesiæ, etiam ab Apostolorum æuo palam est non virgines, sed Viduas seligi consueuisse. Quinimò Viduas collegia, & cætus habuisse ante

virgines, quamuis hæsitanter, affirmauit Oecumenius. Quærens enim cur D.Paulus 1. ad Timotheum cap.1. Virginei cœtus non meminerit, sed Viduarum, per interpretem inquit, *Virgines fortasse adhuc non erant*. Iamq. Viduæ sub Petro cœtum componebant,& congregabantur. Circumsterunt eum Viduæ in vrbe Ioppe flentes,& ostendentes ei tunicas, & vestes, quas illis faciebat defuncta Dorcas; eandem Petrus suscitauit,& cum *vocasset sanctos, & Viduas assignauit eam viuam* cap.9. Act. Vnde chorus Viduarum videtur à fidelibus, seu reliquis Sanctis fuisse quid segregatum, ac distinctum. Sed ante necem Stephani in ipsis nascentis fidei crepundijs nonne cap.6. *Crescente numero discipulorum factũ est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quòd despicerentur in Ministerio quotidiano Viduæ eorum*? An hæ, siue Græcorum, siue Hebræorum Viduæ in mensis fidelium, ac illorum communione ministrabant, vel eis de communi mensa fidelium ministrabatur? Vtrumque puto fuisse: & viduæ, quæ ministrarent, & Viduæ,quibus ministraretur,in prima Ecclesia erant, & per aliqua deinde sæcula. Pauperes fuisse Viduas, quæ despicerentur,interpretatur Oecumenius; nam facto murmure, ne duodecim Apostoli à Diuini Verbi prædicatione retardarentur, septem Diaconi successerunt, qui huiusmodi ministerio incumberent, hoc est quotidianas eleemosynas ex publico Christianorum penu distribuerent. De ministrantibus interpretatur Cornelius 1. ad Timoth. cap.5. Viduis nempe, quæ præessent mensis,& eleemosynis,in quarum loco successerint Diaconi, siue administratores.Sed murmur Græcorum aduersus Hebræos ex vtroque capite oriri potuit, & quòd eorum Viduæ seniores, & magis probatæ mensis non ministrarent, & ita veluti minùs aptæ despicerentur, vel pauperiores, & indigæ, quasi non essent,despectui haberentur. Segregatas vero, & seorsim Græcæ linguæ Viduas ab Hebræis vixisse, videtur inde elici, quòd hæ non fuerunt despectæ. Apertius in Epistolis S.Ignatij Apostolorum coæui cõgregationes sanctarum Viduarum iam in vsu Ecclesiæ fuisse apparet ex ep.v. ad Philippenses. *Saluto collegium Virginũ, & cœtum Viduarum*. Eas verò in quanta extimatione habuerit, & habendas esse voluerit, ita epist.iiij. ad eosdem Philippense ostendit. *Eas, quæ in Virginitate degunt in pretio habete, veluti Christi Sacerdotes,Viduas in pudicitia permanentes, vt altare Dei*. Vnde ad Policarpum scribens epist.xj. tanquam Episcopo dignum munus,eidem Viduas commendat, *Viduæ non negligantur*. Longiorem de Viduis sermonem D.Paulus instituit in prima ad Timotheum epistola, in qua manifestum est duplicis eas generis constituere in Ecclesia; aliæ quæ desolatæ, & pauperes sumptibus Ecclesiæ pasci deberent, aliæ quæ ad ministerium seligi oporteret; vtrasq. tamen verè Viduas nuncupari posse voluit. Non enim Viduas omnes ab Ecclesiæ gazophylacio nutriri debere mandauit, sed quæ verè Viduæ essent hoc est (vt apud latinos ab Etrusco antiquissimo verbo *Iduare*, & diuidere) diuisæ essent, nõ modo per mortem à viris suis, sed à sæculo, & humano auxilio destitutæ. Quæ enim continentiam seruantes, sed cum filijs vitam agentes rem familiarem curabant, hæ non propriè Ecclesiasticæ Viduæ erant, neq. de his locutus est D Paulus cap.5. vbi inquit. *Quæ autem verè Vidua est, & desolata speret in Deum*. Ab Ecclesia sanè non alebantur, quæ filios, aut nepotes haberent; voluit enim Apostolus has primùm domus suas regere, & si parentes habuerint, eis suas vices reddere:excludit etiam quæ aliunde viuere possent, *vt non grauentur Ecclesiæ*. A verè Viduis pariter adolescentes seiunxit,quas nubere magis cõsuluit :excepit quoque inhonestas, otiosas, garrulas, curiosas, vagantes, &c. Alias verò Viduas pingit D.Paulus electiuas, & quę in ministerium Ecclesiæ admitti deberent. Has enim seniores & quæ non minus sexaginta annis essent,

eligi

eligi debere voluit. In his cõditiones aliquas requirit, quas explicat, nẽpè, quod vnaqueq; verè Vidua primùm sit; deinde, *in operibus bonis testimoniũ habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsequta est*. Hæ in cætum sacrum admittebantur, & integritatis, seu continentiæ votum emittebant, ab illo vsque Apostoli Pauli tempore. Id sacri expositores ex Apostoli verbis deducunt de damnatis Viduis, & quæ *primam fidem irritam fecerunt*, fidem pro voto explicãtes, quæ interpretatio D. Hieronymi est ep. xi. & D. Augustini in lib. de bono Viduitatis, & aliorum passim. Primi generis Viduas, hoc est desolatas, & humano sæculi auxilio destitutas, & quibus de cõmuni fideliũ penu ministrari oporteret, curæ fuisse Ecclesiæ, sequẽtibus etiã post Apostolos annis patet, ex verbis epistolę Cleri Romani ad Clerũ Carthaginensem de secessu Cypriani inter eius epistolas secũda, nimirũ *sine Vidua, sine Thlibomeni*, [hoc est egẽtes, siue Clinomeni, & Chænici, vt legit Rigaltius] *habere debent, qui eis ministrent*. & sub Cornelio Papa furentibus persecutionibus, dũ Eusebius ex eius epistola ordines Ecclesiæ recẽset lib. 6. c. 43. post Ostiarios Romæ vixisse perhibetur *Viduas cũ infirmis, & egentibus plusquam mille, & quingentas, quibus vniuersis gratia, & benignitas Dei alimenta suppeditabat*, & S. Ioannes Chrysostomus Homel. 67. in Matthęum, siue hom. 33. ad populum Antiochenum, testatur Ecclesiam Antiochensem sua ætate, quamuis mediocres reditus possideret, plusquam tria millia Viduarum, & Virginum aluisse quotidie. Quamquam verò ab his Viduas adolescentes D. Paulus videatur reiecisse, non tamen eas ab Ecclesia negligi voluit, quæ ab eodem laudatę, sancto conseruandæ castitatis proposito, vel secundas nuptias detrectarent vel omnino essent desolatæ, vel aliqua infirmitate ita ad labores inhabiles, vt vitam operosam sustinere non possent. Equidem iuniores, vt ait D. Hieronymus ep. 9. quę poterãt proprijs manibus laborantes victũ sibi parare, ab Apostolo non reiiciuntur. Nec est credibile eas sine cura Ecclesię fuisse, sed à probatis, & senioribus seiunctim vixisse probãdas, vt in cætum deinde vel Gynicæum reciperentur. De debilioribus in Concilio Carthaginensi quinto anno 398. cap. 10. patres illi, D. Pauli decreta quodammodo explicantes statuerunt, vt *Viduæ adolescentes, quę corpore debiles sunt, sumptu Ecclesiæ, cuius Viduæ sunt sustententur*. Erant ergo Viduæ Ecclesiasticę, aliæ ex desolatione, vel necessitate verè Viduæ, alia electiuæ, & ad munera quædam pietatis ab Ecclesia addictæ, vel ex voto, & sacro velamine inducto continentiam, & Vidualem integritatem seruantes. Has Professas, & verè Viduas vocat Auctor epistolæ de septem ordinibus Ecclesiæ inter Diui Hieronymi spurias. Ex primis, & desolatis, indicatas ab Apostolo conditiones habentibus, non modo sacros cœtus, & Collegia Viduarum composita fuisse crederem, sed ex his etiam, quę domi ad sexagesimum vsq. annum in bonis operibus probatę permãsissent: quinimo ex his illas præcipuè fuisse selectas, quæ Ecclesiæ inseruire deberent, & Diaconissæ nuncupabantur, hoc est administratrices, in adductis supra D. Pauli verbis docetur. Testimonia enim bonæ actæ vitæ D. Paulus enumerans, præcipuè eas Viduas eligendas monet, quę hospitalitatem, & in afflictos eleemosynas exercuissent, quę pietatis opera in pauperrimis, & desolatis vix inuenire licuisset. Iam initio Apostolicæ prædicationis Viduas votum castitatis emisisse ex eodem D. Paulo vidimus, & apud S. Patres, & Concilia proximis sequentibus sęculis seruatũ constat. In adducto Concilio Carthaginẽsi quarto cap. 104. de Viduis legitur, quòd quæ stipendio Ecclesię sustentabantur, aliquæ se deuouebant Domino, *& veste laicali abiecta sub testimonio Episcopi, & Ecclesiæ religioso habitu induebantur*, & assiduæ in Dei opere esse debebant,

vt ex meritis, & orationibus suis Ecclesiam adiuuarent. Hæ si ad nuptias sęculares transiuisset erāt excommunicatæ, vt in eodem capite decernitur. De Viduis professis meminit Concilium Arelatense secundum can.27. sub Siricio Papa circa annum 390. In sancto huiusmodi proposito Vidualis conditionis decus omne consistere docuit his verbis D.August. cap.12. de bono Viduitatis. *Bonum ergo continentię vidualis luculentius decet, cum pro illo vouendo, & profitendo possunt contemnere fœmina, quod & libet, & licet. Sed post voti professionem perseueranter frenandum, & vincendum est quodlibet, quia iam non licet*, Iam verò cap.8. idem Sanctus Doctor verbà illa D.Pauli, *Volo igitur iuniores nubere*, declarans addit. *Proinde, quę se non continent, nubant antequam continentiam profiteantur, antequā Deo voueant, quod nisi reddant iure damnantur.* In Concilio Arausicano 1.can.27. votum, siue professionem Vidualis continentiæ in manus Episcopi emitti, & violatæ religionis reas esse, quæ fregerint, ita habetur cautum anno 1. S I.conis magni, hoc est 441. *Viduitatis seruandę professionem coram Episcopo in secretario habitam, impositā à presbytero veste Viduali, non esse violandam.* De peculiari veste Viduarum videatur D.Augustinus ep.199. ad Ediciam, reprehendens eā, quòd inscio marito vestem laicam deposuisset. Hinc deduci potest, non omnes re vera marito orbatas fuisse, quæ Viduarum sacrarum nomine vocabantur, & vestem vidualem, seu sacrā accipiebant; Virgines enim aliquas probatæ castitatis, & seniores in eorum censu fuisse receptas infra ex D. Epiphanio constabit. Nigellas huiusmodi vestes fuisse, & à matronali veste diuersas, ibi S. Augustinus innuit, dum reprehendit Ediciam his verbis, nonnihil pro rè nostra decurtatis. *Est quidam pro modulo personę habitus Matronalis à Viduali veste distinctus. Hunc te maritus si deponere noluit, ne te veluti vidua illo viuente iactares, puto quia non fuerat in hac re vsque ad dissentionis scandalum perducendus, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quam in nigellis vestibus repugnare.* Erant ergo Viduæ aliquæ, & coniugatæ continentiam profitentes in proprijs domibus, etiam sacro, non laicali habitu indutę. Monachalem vocat D.Augustinus ita Ediciæ subdens. *Quia & si te indumentum Monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset, marito obseruato, exoratoq. sumi, quam illo inconsulto contemptoq; presumi.* Nigram fuisse vidualem vestem confirmat Chrysostomus in opusculo ad Viduā iuniorē To.5. de Viduis loquēs, quæ *omnes nigra, ac luctui accomodata stolas amictę*, ætate sua erant. Ita & continentes Episcoporū, & Præsbyterorū vxores incedebāt, vt de S.Niceti coniuge refert Greg.Turon. lib.2. Hist.c.17. Hinc apertius sequentibus annis in Cōcilio Toletano quarto, anno 633 Viduæ religiosæ dicebantur, quæ licet sacrum velamen non recepissent, in habitu sacro presbyteris, & Ecclesiæ se manifestas dedissent, vt legitur can.85. *Duo sunt genera Viduarum sęculares, & sanctimoniales. Sęculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt, quę iam mutato habitu sæculari, sub religioso cultu in conspectu Sacerdotis, vel Ecclesię apparuerunt. Hæ si ad nuptias transierunt iuxta Apostolum non sine damnatione erunt.* Erant quę spōte crines tōderent instinctu professionis. Has lege lata Theodosius ab Ecclesiæ foribus arceri mandauit, & Episcopis contra Ecclesiasticam libertatem vetauit, ne fœminas tonso capite introire in Ecclesias permitteret lib.27. de Episcop. Forte quia id nimis frequens erat, & contra Apostoli præceptum, ante sexagesimū annum Viduę iuniores inter Diaconissas numerari conabantur, vt ex eadem lege colligitur. Velamen verò sacrum dare Viduis non cuicumque licebat, sed consulto Episcopo presbyteris. In Concilio ergo Parisiensi sub Gregorio IV. anno 829. cap.40. cautum est, vt Viduæ inconsulto Episcopo non velentur, & cap. 43.

Abbatissi

Abbatiſſis aliquibus, quę ſibi ius velandi Viduas vſurpauerant, munus huiuſmodi interdictum eſt. Velamen hoc ſacrum Viduarum fuiſſe coloris albi deducit Garſias Loayſius in Notis ad Concilium quartum Toletanum, quia etiam nunc Viduæ ſæculares Hiſpaniarum pro capitis tegumento geſtent prolixum albu n. velum, quaſi profeſſionis antiquę Vidualis indiciũ. Sed in Cõcilio Toletano decimo ſub Vitaliano Pontifice circa annũ 655. decernitur, ſacras Viduas in manus Sacerdotis, ſcripto chirographo profeſſionẽ facere, & ne profeſſio reuocaretur in dubiũ, pallio purpurei, vel nigri coloris caput cõtegere debere. Luteũ fuiſſe apud Romanos nuptarũ flammeũ, quo vultus earũ velabatur, ex Lucano, & aliis auctoribus Philologi deducũt, & Chriſti flammeũ, dixit Hieronymus, virginale velum in epiſt. ad Sabinianum. Eiuſdem coloris ſemper, & vbiq; velum fuiſſe in Virginibus, & Viduis non putarem. Ætate ſua Petrus Abaelardus epiſt. 8. aliud eſſe velum virginum voluit, aliud aliarum mulierum. *Vela earum*, inquit, *non de ſerico, ſed de tincto aliquo lineo panno fiant*. Virginalia velamina: *Crucis ſibi ſignũ habeant impreſſum* in ſummitate nempe capitis *candidis expreſſum*, aliarum verò mulierum, ſeu viduarum vela hoc ſigno inſignita noluit. In Ægypto, & Syriæ Monaſterijs morem fuiſſe teſtatur D. Hieron. ep. 48. *vt tam Virgo, quam Vidua, quę ſe Deo vouerint*, crinem Monaſteriorum matribus offerret, capite deinde ligato *ac velato*. Iam verò ab Epiſcopo Viduæ ſacro velamine donatæ, in Eccleſiaſtico ordine computabantur, & in Concilio Matiſconenſi 2. anno 588. Can. 12. decernitur, *vt Viduę velata ab Epiſcopis ſine Epiſcopo à iudice ſæculari non iudicentur*: Vnde ab Oecumenio Ordo Vidualis tanquam pars Eccleſiaſticæ Hierarchiæ numeratur, & vt talium de eis agit Iſidorus lib. 2, Officiorum cap. 17. poſt Virgines. Vbi obiter noto, ex verbis S. Pauli 1. ad Timoth. 5. Viduas eligendas eſſe non minus lx. annorũ ſcriptum eſſe, fortè vitio librarij xl. In Concilio quidem Agathenſe ſub Symmacho anno 507. ſtatuitur, *vt Sanctimoniales, quantumlibet vita earum, & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur*. & Canone 15. Synod. Calcedon. & Synod. 6. in Trullo, ætas, quam Apoſtolus præſcripſerat 60. annorum relaxatur ad annos 40. Viduæ, quæ continentiam vidualem ſacro ſuſcepto velo profitebantur, benedictæ dicebantur, vt docet Concilium Turonenſe ſecundum, circa annum 570. celebratũ Can. 24. ex vetuſtiori Cõcilio Epaunenſi. *Illud verò, quod aliqui dicunt, Vidua quę benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cum omnes ſciant, quòd nunquam in Canonicis libris legitur benedictio Vidualis, quia ſolum propoſitum illi ſufficere debet, ſicut in Epaunenſibus Canonibus*. At canone 21. Concilij Epaunenſis ſub Symmacho, vt monet Binius anno 509. id his verbis cauetur. *Viduarum conſecrationem, quas diaconas vocant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus, ſolam eis pœnitentiæ benedictionem, ſi conuerti ambiunt imponendo*. Diuerſa ergo erat Viduarum benedictio à conſecratione, & ita videtur diſtingui in Sacramentario Gregorij, vbi benedictio veſtis Viduæ à conſecratione Virginum diſtincta oratione ſecernitur. Hinc de velo Viduarum ſanctimonialium diuerſa ſcripſiſſe antiquos Patres monet Garſia Loayſa, in Notis ad Concilium quartum Toletanum: & Gelaſius Papa, qui Apoſtolicam Sedem tenuit ab anno 492. & ſub quo celebratum fuiſſe Concilium illud Epaunenſe aliqui ſcribunt, in epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ vetauit, ne Viduæ velarentur, quòd in ſacris conſtitutionibus, id ſtatutum non eſſet. *Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas diuina delegat, nec canonum forma præſtituit*. & infra. *Nam de Viduis ſub nulla benedictione velandis, ſuperius latè, ſufficienterq. prędiximus. Quaſi propria voluntate profeſſam priſtini coniugij caſtitatem mutabili mente calcauerint,*

periculi

periculi earum interierit, quas li Deũ debeant ſatisfactione placare, quia (iuxta Apoſtolum) primam fidem irritam fecerunt. Ex his autem patet benedictionem, ſeu conſecrationem diaconæ, ex ordine Romano mox adducendam poſt Gelaſij tempora in vſu fuiſſe reuocatam, niſi, vt de eo viri docti ſuſpicantur, à Gallico antiquario in hoc etiam ordo Romanus interpolatus ſit. Velum quidem conuerſionis, ſeu quod pœnitentiæ dicebatur in Viduis, prohibitum eſſe non videtur. In Decreto enim 27. q.1. cap. *Vidua*, legitur ex Concilio Aurelianenſi, *Viduas quæ ſpontanea voluntate ab altari connerſionis ſacrę velamen ſuſcipiunt, decreuit ſancta Synodus in eodem propoſito permanere*, & huiuſmodi Viduas ſponte, & ex ſe velamen ſacrum, ſeu Pœnitentiæ ſuſcipere conſueuiſſe videtur elici, ex decreto Nicolai PP. diſt.27. cap. *Quod interrogaſti de fœmina, quę poſt obitum mariti ſui ſacrum velamen ſuper caput ſuum impoſuit, & finxit ſe ſub eodem velamine ſanctimonialem eſſe, poſtea verò ad nuptias redyit*; mandat enim Pontifex eandem pœnitere, & reuerti ad id quod ſpopondit, etiam ſi ab Epiſcopo, vel presbytero velum non acceperit. Plura ſanè Concilia, & Patres declarant publicum continentiæ propoſitum, ſpontaneo velamine, vel habitu demonſtratum, ſufficiens fuiſſe teſtimonium, Viduas illas continentiam vidualem eſſe profeſſas. Verùm hæ, quæ ſibi etiam ſine conſenſu Sacerdotum velum imponebant, ut Baſilicarum excubatrices, & adminiſtratices euaderẽt, diſplicuerunt Concilio Pariſienſi, vt infra animaduertimus. Et quidem in ordine antiquo Romano ſub rubrica *Ordo ad Diaconam faciendam*, ſacri ritus continentur, quibus diaconæ voto pudicitiæ, ſeu continentiæ emiſſo *in Miſſa ad Diaconam conſecrandam* benedicebantur; leguntur autem initio hæc verba, *Epiſcopus cum Diaconam benedicit, Orariũ in collo eius ponit. Quando autem ad Eccleſiam procedit, portat illud ſuper collum ſuum, ſic vero, vt ſummitas orarij ex vtraque parte ſub tunica ſit.* Diaconam, quam ibi Epiſcopus, vel conſecrat, uel benedicit, Viduam eſſe conuincunt, quæ præſertim habentur in cõſecratione vocata, ſeu præfatione. Dicitur enim ibi arduum, & laborioſum eſſe propoſitũ Diaconę, *nec ſatis diſtãs à perfecta virginitate*, imò cum Viduis illi præcatur ſexageſimus fructus, & Annæ Phanuelis ſanctæ, & intemeratæ viduitatis exemplum adducitur. Velum nõ ab Epiſcopo imponebatur, ſed à ſemetipſa ex altari ſuſceptum; quod congruit cum iam adductis ex libro decretorum; & ità retinet ordo Romanus. *Tunc ponat Epiſcopus orarium in collo eius: ipſa autem imponat velamen capiti ſuo, palam omnibus de altari acceptum.* Accipiebat, quidẽ ab Epiſcopo annulum, & torquẽ, & poſt miſſam paſtorali banno ad pacis confirmationẽ tangebatur. Erant etiã apud Græcos antiquitùs, non modo Diaconiſſæ, ſed (niſi idẽ ſit) Viduæ præsbyteræ, hoc eſt ſeniores; quas apud aliquos præcipua quadã cœremonia ordinatas, videtur elici ex Laodiceno Concilio ſub Silueſtro. Canone ſiquidem undecimo in Dionyſij exigui uerſione ſtatuitur. *Quod non oporteat eas, quæ dicuntur presbyteræ, vel præſidentes Eccleſijs ordinari.* Quod ita Iſidorus Mercator paraphraſticè interpretatur. *Mulieres, quæ apud Græcos Presbyterę appellantur, apud nos autem Viduę ſeniores, vnivirę, & matriculariæ nominantur, in Eccleſia, tanquam ordinatę conſtitui non debere.* At Theodorus Balſamo ad Can.14. Concil. Calced. teſtis eſt, ſuo tempore illarum ordinationem exoleuiſſe. Verũ quia apud Græcos Presbyteræ, & Epiſcopæ uocabantur, nõ tam Viduæ Epiſcoporũ, & presbyterorũ, quã vxores, quæ etiã ipſis viuentibus ex condicto continentiam propoſuerant, ità vt eorum viri ad ſacros ordines exinde fuerint promoti, facilè eſt Conciliũ illud prohibuiſſe, ne propter periculũ, aut ſuſpicionem incontinentiæ, Viduæ huiuſmodi voluntariæ Eccleſijs præficerentur in miniſterium, neue ita viris olim ſuis proximiores eſſent. Poſteriora

quippe

quippe concilia plura de hoc ſanciuerunt, ut patet præcipuè ex Canone 20. Cõcilij Turonenſis 2. ad annum 570., vbi apertè Præsbytera, Diaconiſſa, & Subdiaconiſſa accipiuntur, pro uxoribus ſeparatis à Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, ibiq. docetur, qua cautela inter se conuerſare debeant. Verùm, quæ proprie dicebantur Diaconiſſæ, licet ut plurimum ex Viduis eligerentur, non tamen id ita perpetuũ erat, vt etiam ex Virginibus ſenioribus eas accipere nõ liceret. Docet id manifeſtè D. Epiphanius lib. 3. Comp. doctr. fidei Cathol: his per interpretem verbis. *Diaconiſſæ conſtituuntur in miniſterium mulierum ſolum propter reuerentiam. Si opus fuerit balnei gratia, aut viſitationis, aut inſpectionis corporum, & ipſæ ſint etiam, quæ in vnis nuptijs viduitatem ſeruauerint, aut ſemper virgines ſint.* Quia autẽ rarò ex Virginibus Diaconiſſæ accipiebantur, vbi eodem libro ſtatus vitæ perfectioris enumeratur, primò virgines S. Epiphanius recenſet; deinde ſolitarios, poſtea continentes, inde Viduas, & nuptos. His omnibus Sacerdotes præfert, qui eligebantur plurimũ ex virginibus, deinde ex ſolitarijs, mox ex continentibus in matrimonio, poſtremo ex unis nuptijs Viduitatẽ ſeruantibus; & ne à ſacrarum Viduarum cœtu Vidui quodammodo uiderentur excluſi, ſubdit. *Qui ab initio continens Viduus fuerit, poteſt habere locum Epiſcopi, Presbyteri, &c.* Ordinem Diaconiſſarum in Eccleſia fuiſſe agnoſcit S. Epiphanius Hæreſi 89. Collyridian. id ita per interpretem docens, *Miniſtrarum quidem, Diaconiſſarum appellatarum, ordo eſt in Eccleſia*, non ita tamen, vt Diaconiſſarum verus ordo, aut conſecratio eſſet; non enim manus ipſis imponebatur. Vnde can. 10. vulgato magni Concilij Niceni legitur. *Meminimus autem de Diaconiſſis, quæ in eadem ſpecie ſunt* (ſecularium nempe) *quia manus impoſitionem aliquam non habent, vt omnino inter laicos computentur.* Quale verò eſſet Viduarum Diaconiſſarum officium explicat idem S. Epiphanius. Diaconiſſarum munus erat, non ſacrificare, ſed miniſtrare, non loqui in Eccleſia, non viris dominari, ſed alijs mulieribus miniſtrare, aut propter horam Balnei, aut viſitationis, aut affectionis, aut laboris propter honeſtatem. Omnes quidem diaconiſſæ viduæ appellabantur, nõ omnes Viduæ erant diaconiſſæ, ſed ex his ſeniores eligebantur. *Obſeruandum eſt autem*, inquit, *quòd Diaconiſſis ſolum, indicuit Eccleſiaſticus ordo, Viduaſq. eas nominauit, & ex his adhuc ſeniores aniculas; nuſquam tamen præsbyteras, aut ſacrificulas conſtituit.* Vt hinc ſciamus Præsbyterę, vel Epiſcopę titulum non fuiſſe officij, ſed vt diximus anteacti coniugij, & probatæ continentiæ nomen, tanti quidem in Eccleſia exiſtimatum, vt etiam poſt mortem virorum præsbyteroruin, & Epiſcoporum viduis illis continentibus nubere Eccleſia ſub excommunicationis pœna prohibuerit; ut in Concilio Toletano 1. Canone 18. circa annum 400. diſertè ſancitur. Seniores etiam Viduas Nonnas vocatas innuit D. Hieronymus ep. 22. dum quaſdã non verè Viduas damnat, *quæ Viduitatis præferunt libertatẽ, caſta vocãtur, & Nonna*; vnde apud nos Etruſcum Nonnarum ſeniorũ mulierũ nomen manauit. Diaconiſſę autẽ Viduę, vel ſanctimoniales eligebantur ad miniſteriũ baptizandarum mulierũ præcipuè. Hæc ex Canone XII. Concilij 4. Carthaginenſis anno 398. tam inſtructę eſſe ad officiũ debuerant, *vt poſſerat apto, & ſano ſermone docere imperitas, & ruſticas mulieres tempore, quo baptizandæ eſſent, qualiter baptizatori reſpondeãt, & qualiter accepto baptiſmo viuãt.* Forte ex his aliquę ad omne officiũ miniſtrandi Eccleſię alicubi ordinabantur & nuncupabantur Diaconiſſę omnimodę, quę ad benedictionẽ populi capita nõ ſubmittere, tanquam de Clero præſumebant. Vnde hoc vetitum video in Cõcilio Arauſicano I. tẽpore Leonis I. can. 26. *Diaconiſſæ omnimodæ non ordinandæ: ſi quæ iã ſunt benedictioni, quæ populo impenditur, capita ſubmittant.* Viduarũ etiam

etiam sacrarum officium in aliquibus Ecclesijs irrepserat, vt ad Ecclesias exci barent, quod vetitum fuit Concilio Parisiensi sub Greg. IV. cap. 42. non mo his, qui sine consensu Sacerdotum sibi velum imponebant, sed etiam presbyt ris, ne in Basilicis sibi commissis huiusmodi obsequium admitterent. Ex senio ribus,& probatis Viduis custodes, & præsides sacrarum virginum seligi consu uisse videtur aperte etiam deduci ex decreto 74. Concilij magni Niceni in cod ce Arabico iuxta Turriani editionem. *Vt Monasteria non relinquantur, sine sen ribus, inter quas erunt mulieres Vidua.* De harum electione ea ferè in canone il lo adduntur, quę in Viduis requirenda mandauit D.Paulus ad Timotheum. *H autem ex his eligantur, qua non malè audiant, ex eo vsque tempore, quo fuerunt ado lescentulę, sintq. annos nata sexaginta, sicut B. Paulus ordinauit. Et huiusmod diaconissæ ad hoc solum paratæ sint, vt fœminas in Baptismo suscipiant.* Ex his nō modo discimus, Viduas mulieres aliquas in Monasterijs, siue Virginum, siue sa crarum mulierum continentium, vitam duxisse, sed easdem in ministerium præ cipuè fœminarum pro Baptismo selectas fuisse, & Diaconissas nuncupatas. Quod equidem congruere videtur cum illorum sententia, qui verba D.Pauli iam ante adducta de electione Viduę, existimant, non de quacumq. viduata, aut derelicta esse accipienda, sed de Præfecta Viduarum, vt ex Epiphanio, & Tertulliano de ducunt Baronius ad annum Christi 34. & Cornelius a Lapide in D.Pauli, adduc tā epistolam, vbi ea non tantum de Præfecta intelligit, sed de electis Viduis ad collegium, & Monasterium Viduarum, vt multis rationibus probare nititur. Iam verò collegia, cœtus, siue Monasteria Viduarum tempore acerbioris in Chri stianos persecutionis fuisse in Ecclesia, patet euidenter ex allatis supra verbis Eusebij Cæsarienſis, qui *in ipso discriminis feruore, sacras mulieres, & virginum choros*, perpetuę castitati se addixisse narrat, hoc est ipsa vigente Diocletiani, & Maximiani dirissima carnificina, quando agonem compleuisse quadraginta sanctas mulieres, ac Viduas in Martyrologio nostro memoratas, admodum probabile videtur, siue Viduę desolatę, & verè Viduę fuerint, siue mulieres continentes, & sponte quodamodo à viris suis religiosis viduatę, quas sub Viduę nomine comprehendi docent passim Philologi. Diaconissas simul conuiuere cōsueuisse, & huiusmodi cœtus in Ecclesia Occidentali fuisse educitur ex lege 17. Theodosij senioris data Mediolani, in qua cauebatur, vt refert etiam Sozomenus lib. 7. c. 6. ne mulieres, nisi filios haberent, & sexagenariæ essent caput tonderent, uel in Diaconissarum consortium admitterentur. Verba legis contra ius Ecclesiasticū emanatæ, & D. Ambrosij admonitionibus repressę hęc sunt. *Nulla nisi emensis sexaginta annis, cui votiua domi proles sit, secundum præceptum Apostoli, ad Diaconissarum consortium transferatur.* Tonsas fœminas infra vocat Theodosius, & contubernia habuisse indicat. Eodem quidem tempore ex Viduis, & Virginibus conuentus Romę, & Collegia fuisse, testis est D. Augustinus, qui ętate sua in Vrbe vidisse testatur Viduarum, & Virginum domus simul sub regula, & vnius regimine viuentiū lib. 1. de moribus Eccles. Cath. cap. 33. *Multis Viduis, & Virginibus simul habitantibus, & lana, ac tela victum, quęsitantibus, præsunt singulæ grauissimæ, probatissimaq, non tantum instituendis, componendisq. moribus; sed etiam instruendis mentibus peritæ, ac paratę.* Has Viduarum domus Gręci apud Suidam Cherambas vocabant, quasi Gynecęa quędam Viduis tantùm ad inhabitandum assignata; vnde martyres quadraginta Viduę ad pugnam exire potuerunt, & coronari. Quærere autem quis posset, cur Ecclesia de Viduis mulieribus ita solicita, non modo easdem ex proprio Gazophylacio nutrierit, sed de his tanquam de peculiari ordinis Ecclesiastici parte in die Parasceues orationem instituerit,

idq;

idq; vetustissimo tempore, ut patet ex Sacramentario S.Gregorij, in quo post Exorcistas, Lectores, Ostiarios, & Confessores in eadem oratione expresè *pro Virginibus, & Viduis* Ecclesia orat, & seiunctim ab *omni populo sancto Dei*. De Viduis autem viris non tantum, & præcipuè collegia, aut monasteria non inuenio, sed neq; de ipsis Ecclesiã singulariter, vt de Viduis mulieribus curam gessisse video. Causam esse putarem, quòd præter fœmineam imbecillitatem, ac necessariam honestatem, si viri vidui religionem profitere vellent facilis esset mutatio; nam vel in Monachorum cœtu, & monasterijs, vel in clericali ordini facilè susciperentur. Cœterùm licet eodem modo de mulieribus Viduis cautum esset, vt vniuiræ tantùm in diaconissarum ordinem, aut ministerium Ecclesiæ acciperentur, ita neque Polygami ad clericalem ordinem promouerentur; attamen notabilis hæc differentia intercedebat, vt statim atque viri Vidui religionis habitũ accipiebant inter Monachos, vel Clericos, altioris, quam Viduarum ordinis, cõputabantur, vel saltem inter continentes numerabantur, qui supra Viduas in Ecclesiastico ordine à D. Epiphanio uidimus recensèri. Si verò pauperrimi Vidui essent, & imbecilles eodem modo, quo Viduæ desolatæ, & ex publico Ecclesiæ penu, & fidelium eleemosynis nutriebantur, ita, & ab Ecclesia sub pauperis clinici nomine non reijciebantur, & nisi aliunde alimoniam sibi comparare possent inter Thlibomenos reputabantur. Fragilem sexum difficillimam continentiam profitentem præcipuis orationibus adiuuit Ecclesia, *quia in ipsis*, vt D.Chrysostomus docet, *ob habitum coniugij difficilior, & procliuior erat continentia*. Viduas ergo, quæ uerè Viduę erant, honorandas Episcopis mandauit Apostolus ad Timotheum, & earum pręclarum ordinem commendauit semper Ecclesia, & pro eis etiam, vt reliquas ad perfectiorem vitam alliceret, publicè orabat. Sancti Patres de bono viduitatis òb id scripserunt, & Viduas laudauerunt, non quia tantùm viduatę essent, & nõ *ex professione, sed ex merito, & virtute*, vt ait S.Ambrosius. Talis fuit Anna Phanuelis prima Vidua *de claritate Euangelij*, quę verbis D.Hieronymi epist. 9. *Saluatorem Mundi prima suscepit*, tam proxima virginitati, ut de ea Beatus Isidorus de Diuinis Officijs lib.2.cap.18.scriptum reliquerit, *cuius quidem gradus Virginitati penè coniunctus est; vnde, & Christum, quẽ Virgo peperit, Vidua prima cognouit*. Tales quadraginta coronatę Viduę ex hodiernis fastis antiquitùs veneratæ, quę sanguinis purpurã indutę, accensis charitatis lampadibus, ad secundas Æterni sponsi nuptias, maiori gloria, quam ad primas plures virgines transierunt. Quam multę erant optimę notæ primis sæculis Viduæ, & in quantam admirationem gentiles trahebant? De ethnico præceptore suo narrat D.Chrysostomus in opusculo ad Viduam iuniorẽ, interprete Flaminio Nobilio nostro, quòd audiens Sancti discipuli matrẽ, quadragesimum annum natam, iam à luiginti in viduitate permansisse, exclamauit. *En quales mulieres apud Christianos sunt?* quibus uerbis epiphonema addit Chrysostomus. *Tanta non modo apud nos, sed etiam apud gentiles Viduitatis laus est, & admiratio*.

XII. Kal. Decembris.

IN Eraclea Bassi. Dionysi. Orionis, & Dassi. In Cæsarea Agapiti, In Sicilia Ciuitate Mesana. Ampeli, & Gagi. In Hispanijs Maxi Presbyteri

byteri. Calendionis. Marci. Victoris. Felicis. Mellini. Fausti. Crispini. In Antiochia Basili, & Diunisi. Taurinis Ciuitate Octaui. Solutoris. Aduentoris. & Agapæ Virginis. Baseliſci. Saturnini. Emereti. Secundi.

NOVEMBRIS 20.

HEracleę in Thracia Bassum, Dionysium, & Agapitum cum aliis xl. hoc die recolit Romanum M. vbi Baronius testem Bedam adducit, & vetera mss., seu potius Galesinium, qui non optimę notę codicibus utitur. Agapitus certè in mss. nostris inter Heracleticos martyres non comparet, quos hoc ordine recenset M. Antuerpiense. *XII. Kal. Decembris. In Eraclea Bassi, Dionysi. Et in Cæsarea Cappadocię Agapiti, Orionis. Ciuitate Mesana Ampli, Gagi. In Spanis Maximi presbyteri. Kalendionis, Marci, Victoris, Felicis, Melliani, Fausti, Crispini. Antiochia Baseli, & Dionysi. Taurinis ciuitate Octaui, Solutoris, & Agapia virginis, Basilici, Saturnini, Emeriti, Secundi.* Neq; etiam Agapitus, qui Cęsariensis est, inter Heracleotas numeratur à M. Corbeiensi uidelicet. *XII. Kal. Dec. In Heraclea Bassi, Dyonisi, Orionis, & Dassi. In Cæsarea Agapito. In Ciuitate Missana in Sicilia Amphely, Caij. In Hispanys, Maximi presbyteri, Calendionis, Marci, Victoris, Felicis, & Mulini, Fausti, Crispini. In Antiochia Basily, & Dionysij, Rusticij. Taurinis Ciuitate Octaui, Solutoris, Aduentoris, & Agapę Virginis, Basillei, Saturnini, Emeriti, Secundi.* Prętер Dionysium, & Bassum Heracleæ coronatos Orionis, & Dassi memoriam exhibent cum adducto M. Corbeiensi codices nostri. Sed Orionem cum Agapito Cęsareę tribuit M. Antuerpiense; Dasium uerò, siue Dassum, Dorostoli apud Istrum assignat Menologium à Canisio editum, & Basilianum, ex quo accepit Galesinius. Episcopus Dorostori in Mysia S. Dasius dicitur in M. Romano, qui cum nollet in Festo Saturni impudicitijs eius consentire, sub Basso prędide cæsus sit. De numero militum sorte electus, non Episcopus dicitur S. Dasius in Menologio Canisii, ut Saturno sacrificaretur de more, post integri mensis voluptates; sed sacius sibi reputans sanctus Miles pro Christo, quā pro dæmone mori, Christum professus, & uaria supplicia passus obtruncatur sub Bassio. Militem, & insigni forma adolescentem Dasium pingit etiam Menologium Basilij, voluptates detrectantem, & pro Christi nomine post multa supplicia gladio cæsum. Vnde alius omnino Dasius hic esset ab Episcopo. Suspicari autem licet in autographo M. Vetustioris Dorostoli scriptū aliquando esse, & à librarijs deinde prætermissum, vel Orionis nomen substitutum.

In Cæsarea. Non vnum tantùm Agapium Cæsareæ Palestinæ martyrem, secundo anno persecutionis Diocletianæ sub Vrbano Præside numerat Eusebius, sed duos: Alterum nēpe cū Tecla apud Gazam vrbem Palestinæ ad bestias dānatum: alterum verò cum Dionysio, alijsq. octo, apud Cæsaream præcilis capitibus interijsse narrat lib. de martyr. Palestinæ cap. 4. sed ex his secundum excludit passionis signatus dies vigesimus quartus mēsis Dystri, seu nono ca'. Aprilis; primum verò esse, & locus passionis, & tempus pariter non videretur permittere, cum initium secundi anni persecutionis incidat in finem Martij mensis, vel Aprilis. Verū ipsissimum illum esse Agapium, cū Thecla ad bestias damnatum esse suadet omninò Eusebius. Etenim Agapius ad quartum vsq. persecutionis annum in carcere seruatus, rer eductus, & ter ad alia certamina dilatus, tandem prælente Maximino Imperatore

peratore Vrſæ obiectus, & laniatus, dieiſpatio in carcere ſuperuiuens, medio tandem mari lapidibus ad pedes appenſis ſubmerſus eſt, & memorabile martyrium fecit, ipſo atteſtante Euſebio de martyr. Paleſt. cap. 6. *Viceſimo menſis Dij, quod eſt ante duodecimum Calendas Decēb.* Emendandus ergo Rabani codex, in quo, Baſſo, & Dionyſio Eracleæ tributis, *in Cappadocia, Cæſareę Agapiti*, vel Agapij, vt ad oram libri ſcriptū eſt, memoria recolitur. Corrigendus etiam eſt antiquarius M. Antuerpienſis, qui vt aliàs annotauimus, Cappadociæ nomen non ſemel Cæſareæ addidit, dum Paleſtinæ addere debuiſſet; neſcio tamen cur Orionem Agapio ſocium eadem fide addiderit. Emendandus quoque eſt librarius codicum noſtrorum, & Corbeienſis, qui Agapitum pro Agapio ſcripſit.

In Sicilia. Legendum in Ciuitate Meſſana, qua etiam vrbe SS. Ampelium, & Caium veneratur Rom. martyrologium, cum Vſuardo, & Adone, aliiſque recentioribus. Pro Caio, Gagiū habet Beda, vſitato etiam ſtylo martyrologij noſtri. Horum meminit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ; nihil verò addit; niſi aliquos Siculos ſcriptores exiſtimare, ſub immani Diocletiani perſecutione fuiſſe coronatos. Maurolycius Siculus, & Meſſanenſis præter nuda nomina nihil amplius cumulat. Mampelum non Ampelium vocat Petrus de Nat. lib. xi. n. 3.

In Hiſpanijs. Pro Maxio Maximum reponendum ex fide MM. Antuerpienſis, & Corbeienſis non dubito; in quibus pariter octo ſacri Athletæ recenſentur, in alijs editis codicibus deſiderati; ſicuti Antiocheni Baſelius, ſiue Baſilius, & Diuniſius. Baſſum, & Dionyſiū memorat hoc die Kalendarium perantiquū Hieronymianum Lucenſe. *XII. Kal. Baſſi, & Dionyſi.* Sed Dionyſium, & Baſſum ſocios Eracleoticos facilius accipiendos eſſe apparet: tùm quia in alijs martyrologijs memorantur, tùm quia coniunguntur.

Taurini. Octauium, & Solutorem tātum ex Taurinenſibus martyribus refert M. Antuerpienſe, ſed Aduentorem addunt libri noſtri, & M. Corbeienſe. Aduentitium, non Aduentum vocat S. Maximus ſerm. 77. inter opera S. Ambroſij. Ex legione Thebæa milites fuiſſe Hiſt. martyrum Thebæorum Taurini edita docet, & ex ea Ferrarius in catalogo SS. Italiæ eorundem geſta breuiter concinnauit ad hanc diem. Octauius, & Aduentor, ſiue Aduentius Auguſtę Taurinorum agonem compleuerunt; Solutor verò apud Duram Balſiam prope Eporediam, dum Chriſtum prædicaret, & Deorum cultū deteſtaretur, gladio cęſus eſt. Corpus Taurinum ad ſocios delatum, conſtructo eius nomini templo, cum illis ibidem veneratur, hoc martyrij natali die; eorum quippe translatio ex Taurinenſis Eccleſię Tabulis die 22. Ianuarij recolitur. Taurinum pro Octauio habet Petrus de Natal. lib. xi. nu. 326. vrbem ità in martyrem vertens.

Et Agapæ Virg. Cum Sanctæ huius Virginis inter adductos Taurinenſes cęlites nulla extet memoria, eandem cum ſociis ab illis diſiungendam eſſe credimus. Plures ſub Agapę, ſeu Charitatis nomine Sanctæ mulieres in Martyrologio Romano memorantur, aliq apud Ferrarium. Nulla cum his ſociis, vel hac die recolitur.

XI. Kal. Decembris.

IN Antiochia Baſilei. Auxilij. Saturnini. Zeppiri, & Matroni. Baſeliſci. Carali. Eutichi. Calendionis. Romæ natalis Sancti Clementis. In Ciuitate Auſtis Demetri. Honori. Maximi. Quintiani. Siſinni. Staſi. Tuti. Stefani. Pioni. Eracli. Macedoni. Veri. Teodoli.

NOuem Antiocheni martyres, apud alium editum Martyrologiũ non licuit inuenire. Vetustissimum Antuerpiense eos hoc ordine signat, *XI. Kal. Decembris. Antiochiæ Natalis Basili, Zephiri, Matronæ, Anxili, Saturnini, Basilisci, Heracli, Eutici, Kalendionis. Romę natalis S.Clementis. In ciuitate Astis Dimetri, Honori, & alibi Maximi, Quintiani, Sisinni, Eustasi, Stephani, Pioni, Heracli, Macedoni, Veri, Sedoli.* Antiochenis hisce athletis Euelpistũ addit M. Corbeiense, qui nequaquã in libris nostris memoratur, in quibus pro Heraclio Caralus legitur, quemadmodũ in M. Corbeiense hoc pacto exhibetur. *XI. Kal. Dec. Antiochiæ Basilei, & Anxilij, Saturnini, Zephiri, & Matronæ, Basilisce, Caroli, Euthicis, Calendionis, Euelpisti. Romæ natalis S.Clementis confessoris. In ciuitate Austis Demetri, Honorij, Maximi, Quintiani, Sisinnij. Stasi, Tuti, Stephani, Pion, Heracli, Macedoni, Veri, Theodoli.* Supplendus ergo Euelpistus ex huius fide in M. Vetustiori.

Romæ. S.Clementem Romanum Põtificem deinceps die 23. recolunt omnes ferè latini cum Romano M., & præter Galesiniũ nullus ex editis libris hoc die Clementẽ Romæ veneratur, itavt ex Galesinio accepisse Baronium in Romano martyrolog. emendãdo suspicari liceat. Etsi enim ad firmandam Romæ Clemẽtis, & Celsi hodiernam venerationem adducat mss. Monasterij S. Cyriaci in vrbe, Godefridus tamen Henschenius vir doctus, & candidus, dum in Actis SS. ad diem 23.Febr.ex Menęis Græcorum Clementem gladio percussum adducit, non Romæ, sed in Græcia, vel alibi alia prouincia coronatum, addit ex mss. MM. Antuerpiensi, seu S. Hieronymi, & alio Richenouiensis hoc ipso die S.Clementem Romæ veneratum, Celsũ verò fuisse in Romano M. superadditum agnoscit, quoniam in apographo martyrologij S.Cyriaci de Vrbe, neq. Clementem, neq. Celsum inuenerit. Sed vir summus Baronius in tam magna Annalium Ecclesiasticorũ mole distractus, ex mss.à Galesinio adductis fortè accipiens, amanuensis culpa potuit mss. S. Cyriaci pro ms. Galesinij adducere, qui in notis librum scriptum in Celso, & Clemente producit.

In Ciuitate Astis. Ex eodem S. Cyriaci pervetusto codice apud Ostia Tiberina Demetrium, & Honorium addidit in Romano M. Baronius Hostiæ tantum habet Demetrium, & Honorium Galesinius, & ante eum Maurolycius, quod nomen propiùs accedit ad ciuitatem Astis, sicuti apertè legitur in M. Antuerpiensi: obscurius verò sub nomine Austis in martyrol. Corbeiense, & libris nostris. Astam hìc intelligerem Liguriæ vrbem mediam inter Eporediam, & Genuam, quæ Asta Pompeia dicitur, vbi alij etiam martyres coronam acceperunt, vt Secundus sub Adriano, cuius meminit martyrol. Romanum ad diẽ 29. Martij, & alius Secundus sub Diocletiano, de quo ibi agit Baronius ex Mombritio. Rericere autem nolo die sequenti in martyrol. Antuerpiensi Demetrium, & Honoratum in vrbe Ostia memorari, qui tamen in martyrol. nostro infra indicantur die xi. cal. Ianuarij.

Maximi. Vndecim martyres, qui post Honorium numerantur in libris nostris, & martyrol. Corbeiensi, non Astis tribuendos esse monet M. Antuerpiense sed *alibi* incerto loco. Hæreo, an Maximus is fuerit presbyter, quem Ado, & ex eo Petrus de Natal. recolit lib.x.c.85. & in latinorum martyrologijs biduo ante, nempe xiij. Kal. Decembris memoratur, quando ad Rom. martyrologium notat Baronius, ex mss. codicibus S.Mãriæ ad martyres, & in persecutione Decij è Põte precipitatum fuisse S.Maximum com-

Commentarienſem nõ affirmarem, quoniam diuerſi ſocij ſunt, & diuerſa die in Romano M. venerantur, ſecunda nempe Decembris. Deficit in M. Antuerpienſi Tutius, vnde nonniſi x. martyres retinet, obſcuros mihi non minus loco, quam certamine.

X. Kal. Decembris.

ROmæ Sanctæ Cæciliæ virginis. Valeriani. Tyburtij. Maximi. In Alexandria Felicis. Demetri. Zeti. & in Afrigia Criſogeni. Cleti. Verociani. Demetri. Zeti. In Cappadocia Longini. Euticiani. Leonti. & Fauſti. *Auguſtiduno Pragmati Epiſcopi.*

NOVEMBRIS 22.

DE Sancta Cæcilia tantũ Miſſam profert Sacramentarium Gregorij, & illius ſeorſim à SS. Tiburtio, Valeriano, & Maximo meminit Rabanus, & calendariũ Fronti *die* 22. *Nou. Natalis Sanctæ Cæciliæ*. Certaminis tamen ſocios non diſiungere, M. Veruſtioris morem eſſe, alibi animaduertimus. Hinc in libris noſtris S. Virgo cum Tiburtio, Valeriano, & Maximo, quamquam diuerſis diebus agonem compleuerint, ſimul memoratur, quemadmodum etiam in martyrol. Corbeienſi, quod vti noſtro in hodiernis faſtis magis conſonum, minuſq; confuſum primo loco exhibemus. *x. Kal. Decemb. Romæ Cæciliæ virginis, Valeriani, Tiburtij, Maximi. Alexandriæ Felicis, Demetri, Zeti. Et in Africa Chryſogoni, Cleti, Verociani. Item Demetri. Item Zeti. In Cappadocia Longini, Euthici, Leonti, & Fauſtiniani. Auguſtoduno Pragmatis Epiſcopi.* Loco motum in hodiernis faſtis agnoſco martyrol. Antuerpienſe; inter Sanctam enim Ceciliam, & ſocios, alij à malè cauto librario exlites interponuntur, vt palam ita eſt. *X. Kal. Decembris. Romæ Cæciliæ. Et in Alexandria Felicis, Zeti, & in Oſtea Demetri, & Honorati, Valeriani, Tiburtij, Maximi, Alexandri, Griſogo, Cleti, Verociani. Item Demetri, item Zeti. In Capua Longini, Euteci, Nini. Leonti, & Fauſti. Lẽduno Galliæ Pragmati Epiſcopi.*

Cæciliæ. SS. Tiburtij Valeriani, & Maximi natalis in Veruſtiori martyrol. noſtro recolitur die xviij. Kal. Maij, vbi videnda ſunt, quæ diximus. Eoſdem tamen cum S. Cæcilia hoc ipſo die recolũt Græci in Menologio à Caniſio edito, & quod reſpuendum eſt ſub Diocletiano Imperatore, quem tamen errorem non retinet Menologium Baſilij. Alia Cæcilia eſt, quæ ſub Diocletiano martyrium fecit, vt ex Actis SS. Saturnini, Datiui, Felicis, & ſociorum martyrum habetur apud Surium To. 2. ad diem xi. Februar. Corrigendus etiam Vſuardus, cum alijs, qui ſub Commodo paſſam eſſe Cæciliã volunt, cum luce clarius ſit, vt notat etiã Baronius, ſub Alexandro martyrium ſubijſſe. Sanctum ſpiritum, poſtquam à ſemiabſciſſione capitis per triduum ſupervixiſſet, Deo reddidiſſe *menſis Nouembris xxij.* die, teſtantur Acta ex Metaphraſte apud Suriũ T. xi. & ſepultam via Appia, vbi plurimi SS. martyres, & Epiſcopi quieſcebant, hoc eſt in cœmeterio Calliſti. Plura de S. Cæcilia habet in Annotationibus ad hãc diem Baronius: omnia ferè Antonius Boſius in Hiſtoria Paſſionis SS. Ceciliæ virg. & ſociorum; qui quamuis una die coronati non fuerint, quoniam prius Tiburtius, & Valerianus

rianus fratres, mox Maximus præfecti cornicularius, siue vt dicitur in Menologio Basilij Maximus Caplicarius, deinde celeberrima Cæcilia; omnes tamen simul venerari non est incongruum.

In Alexandria. Felicem, Demetrium, & Zetum Alexandrinos exhibent libri nostri, & M. Corbeiense. Demetrium non Alexandriæ, sed vrbi Ostiæ cũ Honorato tribuit M. Antuerpiense. Verum interpolationem esse suadet à S. Cæcilia sociorum abscissio.

In Frigia. Alter ex nostris codicibus Phrygiæ signatos martyres assignat, alter Africæ. Martyrol. Antuerpiense Alexandrum confusè addit, Grisozum pro Chrysogono habet, & Cletum, Verocianum, alium Demetrium, aliumq; Zetum ab Ostiensibus, seu Romanis martyribus non seiungit. Martyrologiũ Corbeiense alteri ex nostris codicibus sauet, & in Africa Chrysogonum cum socijs suis recolit, quibus magis assentiendum videtur.

In Cappadocia. Longinum Centurionem cum duobus commilitonibus ad diem 16. Octobris memorat Græcorum Menologium, quod Canisius edidit, Basilianum verò Longini tantum elogium texit, & quamquam origine Cappadocem affirmet, & per Cappadocem cœcã mulierem caput eius in fouea inuentum addat, dum tamen id Hierosolymis euenisse asserit, consentire videtur per capitis abscissionem martyrium in Hierosolymitana vrbe S. Longinum perfeciſſe. Longini Centurionis, seu militis, quem lancea latus Domini aperuisse perhibetur, memoriam exhibet Romanum martyrol. ad diem xv. Martij; quo pariter die cum Longinus sine socijs, & Cappadociæ in M. Vetustiori nostro memoretur, alium ex additis socijs hic, & à Centurione diuersum indicari putarem. In M. Antuerpiensi Longino sociantur Eutecius, Ninus, Leontius, & Faustus: in libris nostris Ninus non exprimitur, nisi lateat librarij vitio sub Euticiano, pro Euticio, & Nino sicuti in M. Corbeiense latere potest sub Faustiniano pro Fausto, & Nino. S. Longini in Cappadocia meminit hac die Maurolycius, & in Calendario Hieronymiano Canonicorum Lucensium ita legitur. *X. Calend. Natale S. Cecilie, & S. Longini*, & Longinum Centurionem expressè hoc die veneratur Rabanus eius acta percurrens.

Augustoduno. Leodunum habet pro Augustoduno M. Antuerpiense, & Pragnatum pro Pragmatio alter ex codicibus nostris. S. Episcopi memoriam venerantur Romanum martyrolog. cum Vsuardo, Maurolycio, & Galesinio. Videndi hic sacræ Galliæ scriptore, in Gallici antiquarij Vetustioris Martyrologij additione.

IX. Kal. Decembris.

ROmæ Maximi. Natalis Sancti Clementis Episcopi, & martyris. Grisogoni, & Sanctæ Felicitatis. Maximi. Marci Episcopi. In Cæsarea Cappadociæ Verociani, & Euticis. In Tuscia Sanctæ Musculæ. Felicis. Vitalis. Marciani. Bonifatiani. *Bitoricas Sancti Fateri presbyteri. In Italiæ Monasterio Bobio depositio Columbani Abbatis.*

Ex

NOVEMBRIS 23.

EX frequentissimo Maximi nomine plures cognominesRomani martyres in sacris Tabulis emerserunt. Duo inhodiernis fastis numerantur, alter in pridianis. Ad diem 13. Kal. huius mensis alium martyrem Maximum innuimus, qui ex codice S.M. ad martyres apud Baronium, per pōtem præceps actus in Tiberim, ab Eusebio sepultus fuit in cęmeterio Callisti; quod ex eiusdem codicis fragmento legitur etiam apud Aringhium Romæ subt. lib. 3 cap. 11. nu. 14. Ex vberrimo hoc cœmeterio, & ex corpore S. Maximi martyris inde extracto, vt patet ex literis assertorijs D. Ioannis Baptistæ de Alterijs Episcopi Cameracensis, tunc in vrbe Pontificij Vicarij vices gerentis, dono mihi datum fuit anno 1642. die primi Martij os integrum bracchij, quod eodem anno Lucæ in Episcopali curia probatum die 16. Iulij, manu Bernardini Pieronij Cancellarij, sacris virginibus S. Teresæ in Castro Camaioris Lucensis ditionis largitus sum, penes quas deuotè quot annis recolitur S. Maximi martyris memoria die vndecima Septembris, quæ translationis fuit. An is, vel alius à nobis indicatus supra die 4. Septembris ex cœlitibus sit in sacris huius martyrologij ferijs memoratus, sicuti pro certo non assererem, ita loci vnde extractum S. corpus fuit, valida coniectura id mihi suadere fateor. Vnum tantùm Romæ Maximum martyrem in anniuersarijs hisce ferijs ita signat M. Antuerpiensis. *VIIII. Kal. Decembris. Romæ Clementis Episcopi, & in Cimiterio Maximi, Felicitatis. & in Capua Niceani, Crisogoni, Sancti Marci Episcopi. Cæsarea Cappadociæ Verociani, Enticis. Alexandriæ Petri Episcopi. In Tuscia Musculæ, Felicis, Vitalis, Marociani, Bonæ, Facienti, Betoricę, Fauesti presbyteri. In Italia Monasterio Bobio Columnani Abbatis.* Plurimùm autē ab his differunt sacri in M. Corbeiensi expressi fasti, in quibus duo Maximi pariter, sicut in libris nostris exprimuntur. *IX. Kal. Dec. Romę Maximi, Natalis S. Clementis Episcopi, & martyris, Chrysogoni, Sanctæ Felicitatis, Maximi. Et Cedecas S. Marci Episcopi. In Cæsarea Cappadociæ Verociani, & Enticis. In Alexandria natalis S. Episcopi. In Tuscia Musculæ, Felicis, Vitalis, Martiani, Bonifatiani. Bituricas Sancti Fauesti presbyteri. In Italia Monasterio Bobio depositio Sancti Columbani Abbatis. In Gallia Vico Sarcingo depositio S. Theodonis presbyteri, & Confessoris.*

Romæ Maximi. Ad diem quartū Septembris de duobus Romæ Commentarijensibus Maximis egimus. Cœmeteriū Maximi vocatum, partem fuisse cœmeterij Callisti via Appia etiam diximus ad diem x. Iulij. Vnde dubitari posset, an benè scriptum sit in martyrol. Antuerpiensi, *in Cœmeterio Maximi Felicitatis.* S. Felicitas Mater fuit septem filiorum martyrum, vt ibi indicauimus; qui filij ex Actis apud Surium T. 7. neq; vno tēpore, neq; sub vno iudice consummati sunt. Et quamquam in illis videatur S. Felicitas cum tribus filijs abscisso capite coronata, non tamen eadem die, sed eodem tantum martyrij genere intelligi posset. Quandoquidem apud Petrū de Natalibus lib. x. cap. 99. per menses quatuor cum dimidio, post filiorum necem in carceribus macerata, gladio agonem compleuerit ix. Kal. Decembris. Vnde nonnihil dubium remaneret, an nomen Maximi cœmeterio aptādum esset, vbi S. Felicitas quieuerit, an tanquā alterius martyris nomen seiunctim foret accipiendū. At cum S. Felicitas cum Alexandro, Vitale, & Martiale tribus postremis filijs sepulta sit via Salaria, non Appia in cœmeterio sui nominis, vel Iordanorum, tollitur omnis hæsitatio, &

probanda

probanda magis apparet noſtrorum codicum lectio. De cœmeterio S. Felicitatis via Salaria, vbi cum tribus filijs humata fuit, videndus eſt Aringhius lib. 4. cap. 29. Sanctam Felicitatem matrem ſeptem filiorum martyrem ſub Antonino recolit etiam hoc ipſo die M. Rabani.

Clementis. Natalem S. Clementis Pontificis Romani, & martyris exhibẽt etiã hoc die idẽ Rabanus, & Vetus Frõti calendarium cum S. Gregorij Sacramẽtario. Seueranus in Italico libro de ſeptem vrbis Eccleſijs fragmẽtum antiqui martyrologij Vaticanæ Baſilicæ S. Petri affert, in quo conſecratio altaris S. Sudarij, & S. Mariæ ad Præſepe ita indicetur. *IX. Kal. Decembris. In Feſto S. Clementis.* Hieronymianum pariter perantiquum calendarium Canonicorum Lucenſium S. Clementis memoriam ita veneratur. *IX. Kal. Clementis Papæ, & Felicitatis.* In die etiam S. Clementi Papæ dicato conſonant M. Romanum, Beda, Vſuardus, Ado, ac cæteri latinorum, deq. eius corporis in vrbem translatione agit idem martyrologium, vbi videndus Baronius. Acta ex Metaphraſte habet Surius T. xi. & Petrus in catalogo lib. x. cap. 98. Breuiora quidem quam in peruetſto Hagiologio noſtro proſtent, vbi diffuſiora leguntur. In Menologio Græcorum Sancti Clementis Romani memoria agitur cum Petro Alexandrino pridie huius diei, & in Menologio Baſilij die 25.; vbi eius exilium non ſub Traiano, ſed ſub Domitiano ſtatuitur his verbis, interprete Arcudio, quæ ideo adducere libuit, quia varia ſunt ab adductis etiam Hagiologij noſtri actis, & aliorum latinorum, *Epiſcopus Romanus factus à Domitiano Imperatore malè multatus in Ancyrã Galatiæ relegatus; vbi paricte incluſus obſtructa lapidibus ianua, atque legumine tantum ſuſtentatus, in hoc ſqualore, luctuque exceſſit è vita. Cuius prætioſa reliquia ab Idolatris in profundum proiecta in lictus, vt fideles referunt eiecta ſunt in hanc vsque diem miraculorum celebritate inſignes.*

Griſogoni. Cum S. Felicitate (de qua ſupra in Maximo dictum eſt) Chriſogonus, alter Maximus, & Marcus Epiſcopus S. Clementi ſociantur, vt Romæ habuiſſe natalẽ, tam ex libris noſtris, quam M. Corbeienſi affirmare liceat. De Sãcto Griſogono poſtridie memoria agitur in Romano M., in Gregorij ſacramentario, in antiquo Frõti calendario, & apud Bedam, Rabanum, Vſuardum, Adonem & cæteros latinos. Maximum, & Felicitatẽ tantum poſt Clementem ſignat Martyrol. Antuerpienſe; Chriſogonum enim poſt Niceanum cum Marco Epiſcopo Capuæ veneratos fuiſſe diſtinguit. Inter Epiſcopos Capuanos S. Marcus nõ legitur apud Vghelliũ. Michael monachus in Sãctuario Capuano Marcũ Epiſcopũ agnoſcit inter ſocios S. Caſtrenſis ad Campaniæ lictus ex Africa appulſos. Sed hunc confeſſorem, non martyrem a Ferrario veneratum die 14. Iunij fatetur; Verũ Epiſcopũ fuiſſe Bouini Apuliæ vrbis, & in Eccleſia Beneuentana veneratum, ex Tabulis illius Eccleſiæ teſtatur Ferrarius. Addit idem monachus in martyrologio ſuo ms. ſcriptum eſſe. *Nonis Octobris in ciuitate Ecanæ S. Marci Epiſcopi, & Confeſſoris.* Ecæ ſiue Ecana ciuitas eſt Apuliæ, pariter ſub Metropoli Beneuẽtana: vnde difficile Capuanæ Eccleſiæ Marcus ille Epiſcopus tribui poſſet. Libri noſtri nullum peculiarem locum Sãcto Marco Epiſcopo aſſignant. Martyrologium verò Corbeiẽſe Cedecas videtur natalem locum S. Marco aſſignare, mihi penitus ignotum. Cum verò apertè Niceanum, Chryſogonum, & Marcum Epiſcopum Capuæ veneratos doceat Martyrol. Antuerpienſe, inter illius celeberrimæ vrbis ignotos hucvſq. martyres relinquimus.

Cæſarea Cappadociæ. Conſonãt MM. adducta mſs. cum libris noſtris in Cæſarienſibus athletis Verociano, & Euticio; ſed alia lux mihi non affulget.

In Thuscia. Etruſcos quinque martyres ſub anteſignana Muſcula conſtanter referunt, tam libri noſtri, quam martyrologiũ

tyrologiũ Antuerpiense, & Corbeiense, quorum postremus Bonifatianus in Vetustissimo illo in duos martyres diuiditur Bonam, & Facientium. Multæ vrbes in Tuscia sunt, sed nulla apud Ferrarium de Sanctis Italiæ, nulla apud Siluanum Razzium, qui Italicè scripsit de Sanctis Etruriæ, in qua Muscula cum socijs veneretur, mihi succurrit. Sanctum Marcianum in Tuscia, ac Lucensi vrbe Kalendis Februarij ex ms. habet Bollandus T.1. de Actis SS. ad diem 29. Ianuarij. *In Luca ciuitate Sanctorum martyrum Marciani, Valerij, & Emilie.* Calendarum Februarij diem inuentionis fuisse aliquorum Sanctorum corporum, non natalis, addit idem Bollandus, & verè quoad mensẽ, dies enim in monumentis Ecclesiæ S. Paulini Lucensis, & sepulcralibus S. Valerij, & Imilij in scriptionibus non notatur, sed corpora inuenta esse anno MCCI. mense Februario vbique affirmatur. Fateor tamen de S. Marciano nihil hucvsq; inuenire mihi licuisse. Plurima sine nomine SS. martyrum corpora in eadem Basilica quiescere ex prisca, præsertim sub Nerone fidelium laniena, constans fama est, & plura sanctorum martyrum ossa seorsim in magna arca lapidea, vbi corpus S. Paulini primi Lucensis Episcopi, & D. Petri Apostoli discipuli venerantur, seruata sine nomine vidi. In Indiculo Sanctorum corporum in eadem Ecclesia quiescentium, S. Marcianus an non signatis nominibus numeratur.

Bituricas. Phaletrum præsbyterum, & confessorem, non Faterium vocant eius Acta apud Labbeum Bibliothecæ T.2., quæ ex Legendario Ecclesiæ Carobrianæ in finibus Biturigũ, & Turonum, vbi ipse cursum consummauit, sanctum eius obitum signãt IX. Kal. Decebr. qui sibi sepultus iacet pluribus coruscãs miraculis. Officium S. Phaletri editum est Parisijs 1647., vbi eius vita, & aliqua miracula continentur. Memimit Hagiologium vetus Franco Galliæ, hoc eodem die his verbis mense Nouembris ix. cal. *Bituricas ciuitate Vico Carebrinas* (Carobryas dicitur in eius vita) *S. Faretri presbyteri.* Faretrum vocat M. Antuerpiense, Faterium cum codicibus nostris M. Corbeiense. Phaletrum Saussayus, quo eius vitam percurrit.

Bobio. De S. Columbano clara sunt omnia. Vitam scripsit Ionas eius coæuus apud Surium T.xi., Romanum martyrol. eundem recolit xi. Kal. Decembris cum Vsuardo, Adone, Vuandelberto, & alijs recentioribus. In Hist. Ionæ apud Surium legitur S. Columbanum in cœnobio Bobiense vita functum beatam animam Cœlo reddisse ix. Kal. Decembris, neq; editionis est error, cum etiam apud Baronium ad annum DCXV. ex eodem Iona obitus adnotetur nono cal. Decembris, sicuti in Vetustiori martyrol. reposuit, qui Auctarium fecit, & Rabanus habet viiij. Kal. *Et in Monasterio Bobio depositio S. Columbani Abbatis.*

VIII Kal. Decembris.

IN Aquileia Ciuitate Sancti Grisogoni, & Eleutheri, & Maximi, & Anthiroditi Episcopi. In Africa Mammeri. Saturai. Rogati. Donati, & aliorum xxx. In Perusia Tusciæ S. Feliciſſimi.

NOVEMBRIS 24.

SIue Romæ, siue Aquileię S. Chrysogonus recolatur, eundem esse non dubitarem. Romæ ponitur in martyrologio Antuerpiensi. *VIII. Kal. Decembris. Romę natalis Crisogoni. In Africa Sirici, Donati, & aliorum xl. Item Romæ Eleutheri, Maximi, Anthirotici Episcopi. Et in Africa Mammari, Regati, Sarici, Donati, & aliorum xxx. Et in Perusio Tuscię Felicissimę.* Aquileiæ verò ita tribuit S. Chrysogonum libris nostris consonum M. Corbeiense. *VIII. Kal. Decembris. In Aquileia ciuitate S. Chrysogoni, Eleutheri, & Maximi, & in oppido eiusdem Anthirodoti Episcopi. In Africa Mammeri, Saturi, Regati, Donati, & aliorum xx. In Perusia Tuscia S. Felicissimi.* Romæ quidem S. Chrysogonum venerantur Beda, Rabanus, Vsuardus, Ado, & alij recentiores. In martyrol. tamen Romano legitur, Aquileiæ martyrium abscissione capitis compleuisse. Quòd Romæ ascribatur causa est, quoniam ciuis Romanus erat, & ibi in carceribus per biennium confessor mansit, Basilicâque habuit insignem, celebremq. Natalē hoc ipso die viij. Kal. Decembris, vt ex Sacramentario, & Antiphonario Gregoriano patet, & Kalendario Fronti. Ado, qui eius acta strictim refert, passum esse docet viij. Kal. Decembris, & v. cal. eiusdem mensis conditum. Baronius ad hāc diē monet, Græcos sanctum Chrysogonum colere die xvi. Aprilis. Sed in Menologio Sirleti, quo vsus est vir doctissimus, à Canisio edito, post memoriam Irenę, Agapę, & Chioniæ sub Diocletiano coronatarum additur tantùm, *quo tēpore Chrysogonus martyr ab eodem Imperatore gladio percussus est.* At eius natalis post Anastasiam ita die 22. Decemb. in eodem Menologio recensetur. *Eodem die natalis S. Martyris Chrysogoni in vrbe Roma sub Diocletiano Imperatore.* Fusius eadem die sancti martyris certamen prosequitur Menologium Basilianum, in quo S. Chrysogonus Christianorum doctor, & S. Anastasiæ Romanæ præceptor dicitur, ac post diuturnū carcerē, Niceā iussu Diocletani deportatum, & ab eo obtruncatum, non tamen eodem die cū Irene, Agape, & Chionia. Eadem quidē die in eodem Menologio Basilij legitur S. Chrysogonum, post capitis abscissionem, Zoilo cuidā seruo Dei per quietem apparuisse, & pronunciauisse tres illas sorores, quæ idem cum eo stagnum incolerent, citra diem nonum fore, vt cū Anastasia in nobile certamen descenderent, quod euenisse testatur. Hęc autem, aut his consimilia prostāt etiam in Actis S. Anastasię iunioris apud Surium ex Metaphraste To. xij. Differunt tamen quòd Roma Aquileiam, non Niceam ad Diocletianum perductum Chrysogonum fuisse narrant, ac tyrannum iussisse, vt ei in diserto loco caput amputaretur, quod factum est, proiecto corpore ad maris litus, vbi Sanctæ illæ sorores Agape, Chionia, & Irene, cum S. Zoilo præsbytero habitabant. Ferrarius addit ad locum Aquas Gradatas dictum S. martyrem extra Aquileiā securi percussum 8. cal. Decēbris, idq; ex Breuiario Romano, & Aquileiensi; nobilissimum quoq. Romanum fuisse inde arguit, quòd Diocletianus illum tanti fecerit, vt ad se Roma Aquileiam perducendum curauerit, & Præfecturā vrbis obtulerit. Superesse adhuc propè Aquileiā marmoreum tumulum in Villa Canciana, testatur Vghellius, in quo scriptum sit. *Hic iacet corpus S. Chrysogoni.* Vir autem doctissimus Lucas Holstenius in posthumis Animaduersis Rom. martyrolog. ad diem 24. Nouembris notat, S. Chrysogonum hùc laderæ in Dalmatia sepultum fuisse, vt & ipsam S. Anastasiam testatur Constantinus Porphyrogenitus lib. de Administr. Imperij cap. 29.

Et

Et Eleutheri. Mutilos hìc esse codices nostros, & martyrol. Corbeiense suadet Vetustissimum Antuerpiẽse, quod post Chrysogonum, & ante Eleutherium, Siricium, Donatum, & alios xl. in Africa recolit. Deinde Romæ non Aquileiæ Eleutherium, Maximum, & Anthiroticũ Episcopum exhibet. Romæ fortasse scriptum erat etiam in libris nostris S. Chrysogoni memoria, sed cum Aquileiæ agonem compleuisse antiquarius alibi inuenisset, pro Roma Aquileiam substituit, & reliquos martyres tanquam Aquileienses reliquit. Ita quidem accepit antiquarius martyrolog. Corbeiensis, nam in quodam opido eiusdem Aquileiensis ditionis Antirodithum Episcopum martyrem fuisse addit. De Maximo, pluribusque eius nominis martyribus Romanis diximus xi. Kal. Decembris, & alibi. De Eleutherio nihil succurrit addẽdum. An in martyrol. Corbeiense pro oppido scribendum esset in cœmeterio eiusdem puta Maximi, quod pars erat cœmeterij Callisti dubitari posset, non à me affirmari. Si verò Romæ Anthirotes, siue Anthirodicus Episcopus, siue Anthirothicus assignandus omnino est, suspicionem ingerit, ne Antherus is sit Romanus Episcopus in cœmeterio Callisti sepultus, cuius alibi memoria non extat in martyrologio nostro vetustiori. Anteros Græcis is dicitur, & Anterotes, vt exemplum est apud Eusebium c. 29. lib. vi. Neq. negotium facit, quod obijsse is dicatur in libro Pontificali iij. Nonas Ianuarij. Antheri, siue Antherotis tempus, quo supremum sacerdotium tenuit, incertissimum est. Damaso ascriptus liber duodecim annos illum sedisse affirmat. Eusebius illius æuo proximior cum Mariano Scoto, Pontificem non nisi per mẽsem agnoscit: opusculũ autẽ quartũ, seu Catalogus perantiquus Romanorũ Pontificũ apud Bucheriũ p. 269. *mense vno, diebus decẽ*, adiuxisse cõsentit. Si ergo concedamus Antherũ, vt omnes ferè consentire vidẽtur, martyrium fecisse iij. Nonas Ianuarij, quo die in sacris Romanis fastis, ac omnibus ferè latinis veneratur, breuissimumque fuisse ipsius regnum, iam dies natalis ordinationis, non longe erit à fine Nouembris; quinimmò si sedis eius spacium non lõgius quadraginta diebus fuerit, vt Cardinali Baronio placuit in Annalibus ad annum 328. hoc est per mensem, & dies decem, & vt Vetustissimũ illud Buckerij editum opusculum asserit, iam adnotatus dies in Vetustiori M. natalis ordinationis esset, & reliqua planè conuenirent, puta dies obitus, & vnica ordinatio Episcopi in mense Decembris. Natalem sanè diem ordinationis, seu cathedræ in SS. Pontificibus non semel à fidelibus veneratum alibi animaduertimus.

In Africa. In secunda Africanorum martyrum classe ferè conueniunt cum libris nostris martyrol. Antuerpiense, & Corbeiense; differunt tamen in anonymorum numero, cum triginta in codicibus nostris, & Antuerpiensi numerẽtur: viginti tantùm in Corbeiensi.

Perusia. Principem Etruscorum vrbem Perusium vocat Procopius Gothic. rer. lib. 1. & 3. vt iam post desolationem sub Octauiano Cæsare incendio partam, iterum in illustrem formam rest tutam fuisse pateat. Grassante aliqua persecutione Felicissimum ibi fuisse coronatum, docet cum adductis codicibus, & Vsuardo Romanum martyrologium. Felicissimam tamen vocat vnicum Antuerpiense martyrol. non Felicissimum, pro martyre tamen viro, non muliere exhibẽt Bellinus de Padua, & Ferrarius ex Ecclesiæ Perusinæ Tabulis, vbi sollicitè Acta S. martyris, sed frustra quesiuisse addit eiusque memoriam in agro Perusino extare. Galesinius confessorem vocat, sed testem assertionis non adducit. Cæsar Crispoltius, qui Italicè Perusiam Augustam descripsit testis est lib. 2. c. 5. corpus S. Felicissimi martyris requiescere in propria Ecclesia à Perusia duorum milliariorum interuallo distante, prope Pontem Felcinium. Non tamen alia monumenta affert, præter quam Romanum, & Vsuardi martyrologium.

VII. Kal. Decembris.

LVciani. Marciani. Claudiani. Cypriani. Martialis. Petri. Felicis. Vitalis. Iuliani. Victoris. Ianuari. Donati. *In Regensis Monasterio natalis S. Prosperi Confessoris.* Quiriaci.

NOVEMBRIS 25.

MIrum, quòd in nullo ex his codicibus, quibus Martyrolog. Vetustius confirmatur, celebris nunc S. Catharinæ, seu Æcatherinæ memoria recolatur; forsan quòd nõ dũ in Ecclesia latina eius celebritas inualuisset. Celeberrimam enim tũc euasisse, cum in expeditione Terræ Sanctæ, eius patrocinium Christiani experti essent, testatur Baronius ex Molano, seu potius ex Galesinio, qui hæc diffusè habet in notationibus. Vnde vetustas huius martyrologij confirmatur. Tredecim martyres in hodiernis fastis exibentur, sed incerto in omnibus codicibus loco. Hos ita primũ enumerat M. Antuerpiẽse. *VII. Kal. Dec. Luciani, Claudiani, Marci, Cypriani, Marcialis, Petri, Felicis, Vitalis, Iuliani, Victoris, Ianuarij, Donati, Kiriaci.* Nec latum quidem vnguem ab eo discedit M. Corbeiense. *VII. kal. Dec. Luciani, Martiani, Claudiani, Cypriani, Martialis, Petri, Felicis, Vitalis, Iuliani, Victoris, Ianuarij, Donati, Quiriaci.* Hinc patet, interpolitam esse in libris nostris, inter Donatum. & Quiriacum S. Prosperi commemorationem. In editis martyrologijs nihil de numerosa cęlestiũ Athletarũ serie licuit inuenire; nisi quod pro Marciano Marculũ accipiant, & Nicomediæ passũ sub Constãte referãt. Hũc Rabanus veneratur, & Marcum dixit martyrol. Antuerpiense. Maurolycius tantum ex his tres numerat, vt profitetur in epistola nuncupatoria ex antiquis libris, & suboscurè loçum passionis, siue veneratiõnis Antiochiam videtur innuere. *Antiochię S. Erasmi martyris. Item Sanctorum Luciani, Martiani, & Claudiani.* S. Catellinus additur in perantiquo kal. Hieronymiano, vt infra, nisi pro Catellino Catharina legendum esset.

In Regensis Monasterio. Translationem S. Prosperi Regiensis recolit apud eam vrbem Galesinius pridie huius dici, quam in notationibus celebratam narrat à Thoma Regij Episcopo anno Christi DCCI. Vitam S. Prosperi Aquitanici, sed Regiensis in Italia Episcopi, viri sanctitate, & doctrina conspicui refert Surius T. 6. ad diẽ 25. Iunii, quo eundẽ recolit martyrol. Romanum, & obiisse in eadem vita recentiùs scripta legitur. Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 7. obijsse confirmat vij. Kal. Iulii anno ccccl xv. & sepultum in Ecclesia S. Apollinaris, quã ipse construxerat iuxta Vrbem Regiensem. Ex hac Ecclesia, cui monasterium aliquod adhæsisse libri nostri innuere videntur, translatum esse sub Luitprãdo Longobardorum Rege anno dcci. idem Petrus ibi refert viii. kal. Decembris. Monasterium olim in honorem S. Prosperi constructum prope Ecclesiam S. Apollinaris habet pervetustum monumẽtum ab Vghellio exhibitum in Appendice ad Episcopos Regii Lepidi, quæ extat Italiæ sacræ Tomo v. pag. 1588. vbi translatio S. Prosperi sub Thoma Episcopo Regiense narratur ex illo monasterio, seu Ecclesia in ampliorem Basilicam, tempore Ioãnis VI. Pontificis; quamquam tempus ibi adnotatum calẽdis

dis Decembris erratum videatur amanuensis culpa: hoc enim ipso die in perantiquo Hieronymiano calendario Lucensi, ita signatur. *VII. kal. S. Prosperi Episcopi, & S. Catellini.* Translationem illam hic recoli dubitarẽ, superadditam quidem Vetustiori nostro martyrolog. à Monaco antiquario, cum eiusdem non meminerint martyrol. Antuerpiense, aut Corbeiense, & Monasterium S. Prosperi & Petri Rhegiensis Cassinensium Monachorum deinde fuerit, vbi corpus eiusdem S. Prosperi seruari declaratum esse in disceptatione, ibidem refert Vghellius. Saussayus S. Prosperum Regiensem in Gallia asserit, & depositionem recolit 7. cal. Iulii: translationem verò in supplemento, ad hunc ipsum diem vii. cal. Decembris. Sammarthani primum Reiensem Episcopũ sub Metropoli Aquensi in Gallia signant, sed allatis hinc inde rationibus pro Episcopatu, siue in Gallia, siue in Italia cum varijs scriptorũ sententijs, rem indecisam relinquunt.

VI. Kal. Decembris.

SAnctæ Iocundæ. Romæ Sanctorum Sirici Episcopi, & Saturnini. Et in Aquileia Valeriani Episcopi. Ammoni. Serene. Romane. In Alexandria Petri. In Africa Monne. Melisij. Berine. Victoriane. & Marcellini. *Augustiduno depositio Sancti Amatoris Episcopi.*

NOVEMBRIS 26.

EX Veteribus mss. S. Iocũdam virginem recolit pridie huius diei Romanum martyrol. vt ibi notat Baronius. Superadditam hic vereri possumus, cum alia, quibus innitimur, vetusta martyrologia eius nõ meminerint. Ad pridianos etiam fastos pertinere testantur Bellinus de Padua, Maurolycius, Molanus in Addit. ad Vsuardum, Galesinius. Sed disertè id docet Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, vbi discipulam S. Prosperi Episcopi Regiensis apud Regium Lepidi in Æmilia natam, virtutibus, ac meritis fulgentem ad sponsum migrauisse refert vii. Kal. Decembris ex antiquis monumentis Ecclesiæ Regiensis, ex quibus Hymnum antiquum refert. Huius quidem in anniuersariis hisce fastis non meminit martyrol. Antuerpiense Vetustissimum videlicet. *VI. Kal. Decembris, Romæ depositio Sirici Episcopi. Et in Aquileia Valentini Episcopi. Et in Capua Nicandri, Cassiani, & Felicissimi, Saturnini, Ammoni, Sereni, Heromana. In Alexandria Petri Et in Africa Nomię, Molesi, Berenę, Victurinę, Marcellini. Austiduno depositio S. Amatoris.* Nec dissidet martyrol. Corbeiense. *VI. Cal. Decembris. Romę Sanctorum Siricij Episcopi, & Saturnini. In Aquileia Valeriani Episcopi, & confessoris, Ammoni, Sereni, Romana. In Alexandria Petri. In Africa Monę, Melisi, Berinę, Victorina, & Marcellini. In Augustiduno depositio Sancti Amatoris Episcopi.*

Romæ. Inter vulgata martyrologia Siricium Pontificem hoc tantùm die venerantur Beda editus, & Rabanus, & si reliqui ferè scriptores cum Pontificali historia viii. vel ix. cal. Martii eiusdem depositionem consignent. Abbo Floriacensis legit 8. cal. Maii, facili in mensis nomine immutatione. De Siricij Pontificis sanctitate dubius saltem fuit Baronius ex epistola D. Hieronymi, & in Romano martyrologio non reposuit, nonnihil etiã cũ socordiæ in annalibus insimulans. In re dubia velitationem instituere

instituere libuit, rationum momenta subijcere, & auctoritates, quæ Vetustioris martyrologij assertioni pōdus augeant. Post huius diei notationes videat eas cordatus Lector, & in spongia incumbentes, si non arridēt, abstergat.

Saturnini. Nec Romanum martyrol. cum S. Siricio Saturninum exhibet, nec Antuerpiense. Illum tamen recolit martyrol. Corbeiense cum libris nostris, Rabano, & aliis mss. in sequenti Exercitatione adducendis. Saturninum martyrem fuisse vix dubitarem; alium tamen crederem ab eo, qui infra iij. calendis recolitur, ut ibi annotamus.

In Aquileia. Valerianum Episcopum Aquileiensem referunt libri nostri, & M. Corbeiense hoc ipso die; sequēti vero M. Romanum, ms. S. Cyriaci, & S. Maximi apud Bollandum, & Henschenium. Valentinum vocant martyrol. Antuerpiense, & Rabanus, non Valerianum. Equidem inter Episcopos Aquileienses Valentinus apud Vghellium T. v. Italiæ sacræ non legitur, sed Valerianus, cuius Acta ante Vghellium summatim protulit Ferrarius in catalogo SS. Italiæ, sed die sequenti, de quo videndus, Baronius, tùm in Annotationibus ad martyrolog. tùm in Annalibus: sæpius etiam eius meminit coæuus S. Hieronymus. Ferrarius Baronium emendat, quòd non Cromatius Valeriano successerit in Ecclesia Aquileiensi, sed Benedictus medius fuerit, quem tamen ignorat Vghellius.

Ammonij. Mutilos hic dolemus codices nostros cum M. Corbeiensi, videntur enim Ammonius, Serenus, & Romana Aquileiensi Valeriano Episcopo succenturiari, tanquam Aquileienses pugiles, cum tamen in vberiori, ac magis distincto M. Antuerpiensi Capuani sint. Nicandrus, Cassianus, Felicissimus, ac Saturninus ante tres alios indicati, in libris etiam nostris, & Corbeiensi memorantur, sed pro Romana Heromana scribitur. Rabanus, mutato nonnihil Nicandri nomine, & numero detruncato Capuanos esse ita cōfirmat *vi. cal. Et in Capua Nicanoris Cassiani, & Felicissimi.* Plures Capuanæ vrbis, primariæ olim in Campania, cælites in Vetustiori martyrol. referuntur, quos neq. apud Ferrariū, neq. apud alios Capuanæ Ecclesiæ scriptores inuenire licuit. Alium Saturninū Capuanum cum aliis socijs numerat Ferrarius ad diem 6. Octobris.

In Alexandria. Petrum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum martyrem, vt vocat Eusebius lib. 8. Hist. cap. 13. christianæ Religionis eximium doctorem exhibet etiam hac die martyrol. Romanum, & pridie huius diei Beda, Rabanus, Vsuardus, & Ado. In menologio Canisij memoratur die 24. cum Clemente Romano, sed in Basiliano die 25. in quo eius elogium texitur. Acta extāt apud Surium, ad quorum calcem dicitur commemorationem eius fieri calendis Septembris. Diffusiora interprete Anastasio Bibliothecario se vidisse Baronius testatur, ex quibus aliqua affert ad annum ccevi. & seq. & in Notationibus. An hæc eadē sint cū his, quæ Surius edidit dubitat Cōbefisius in notis ad fusiora, quæ Parisijs latinè reddita cum Græcis edidit 1660. In his profectò narratur virginē quandam iuxta Marci Apostoli cœmeterium orantem è cælo vocē venientem audisse. *Petrus Apostolorum principium; Petrus finis Martyrū.* Quod plane implectum est. Passus est clarissimus sacro martyr non sub Diocletiano, sed sub Maximino, & in hoc corrigenda esse Acta hæc Metaphraste antiquioria idem animaduertit Combefisius. Notatur in ijsdē dies passionis per capitis abscissionem consummatę *quinta supra vigesimam diē Nouembris.* Sed in excerptis chronologicis à Scaligero vulgatis legitur. *VIII. Cal. Decembris.* vel vt habet Petrus de Natal. lib. x. cap. 109. *VI Kal. Decembris.* ita enim corrigendus omnino est ex antecedentibus, & seq. capitibus ascriptus numerus *xvi. Kal.* Annum nonum persecutionis in fine signat lib. 7. Hist. Eusebius, qui in eius laudes pluries perorat,

&

& præsertim lib. 9. cap. 6. Hunc annum aduersus Baronium probat Valesius innotis fuisse 311. non 310.

In Africa. Sub Antesignano Monna quinque martyres, qui tam in libris nostris, quam adductis reliquis mss. signantur, in alijs vulgatis martyrologiis desiderari video.

Augustodano. De S. Amatore Episcopo agit martyrol. Romanum vbi aliqua notat Baronius. Meminerunt Beda, Rabanus, Vsuardus, Ado, & alii recentiores. Pluribus eundem prosequitur Saussayus. Breuissimè ita Hagiologium Vetus Labbei vi. Kal. Dec. *Augustoduno S. Amatoris Episcopi*, quemadmodum, & Appendix ad Adonem, & Petrus de Nat. ad extremum lib. xi. nu. 333. Primũ Æduensem Episcopum Sãmarthani cõstituunt Augustoduni in Poliandrio sepultum, vbi est Ecclesia S. Stephani instrata, tempus verò non signant.

De asserta in Vetustiori Martyrologio nostro Siricij Romani Pontificis Sanctitate.

EXERCITATIO XVI.

QVamquam in nostro, & pluribus vetustis martyrologijs sancti Siricij Episcopi, seu Romani Pontificis memoria veneretur, in emendato tamen Romano nequaquam recolitur, eiusque sanctitatem viros doctos illius emendationi præpositos siluisse constat. Cardinalis Baronius vidit quidem ad annum 398. num. 1. apud Bedam editum in martyrologio vi. Kal. Decembris scriptum esse. *Romæ Siricij Episcopi*, idemq; vidisse par est credere in ms. Martyrolog. Monasterij S. Cyriaci de Vrbe, ex quo plures cœlites, vel restituit, vel in Romano martyrol. restituendos curauit, & tamen vir summus non modo Siricium Episcopum in eodem emendato martyrologio tacuit, sed vbique propriis verbis sãctos eius mores silens, obiter, & in aliud intentus, apud scriptores insertas laudes adducit, ac aliqua in eius gestis minimè probat. Primũ verò nõ laudat, quòd Siricius exemplo Damasi in conscribendis epistolis Hieronymi opera vsus non sit, neq. eum, vt par erat, fouerit; deinde quòd parum æquus in S. Paulinum Nolanũ fuerit: Tertiùm, & quod maioris momenti est, quia tardus in frenãda Origenistarum hæresi incesserit, simplex, & improuidus fuerit in tolleranda Ruffini, & Melaniæ hæretica vafritiæ: in tantum, vt Siricius minus velociter periclitanti occurrens Ecclesiæ, cito etiam ex Deo prouidentia sublatus è vita sit, erecto interim super cathedram Petri acerrimo Origenistarum oppugnatore Anastasio. His quas ex eo colligere potui rationibus oculatissimus Baronius Siricij sanctitatem non asseruit, & in eadem suscipiẽda minùs etiam procliues lectores suos reliquit. A' postrema auspicabimur, vt pote, quæ culpabilem negligentiam sapere videatur. Sanè D. Hieronymus in Epist. 16. plurimùm laudat Marcellam, quia contra eosdem hæreticos, sub ouina pelle Romæ, latitantes insurrexerit, & de ea ita cum minori laude Siricij scriptum reliquit. *Postquam sensit* (Marcella) *fidem Apostolico ore laudatam in periculo violari; ita vt Sacerdotes quoque, & nonnullos monachorum, maximèq; sæculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de suo ingenio cæteros existimabant, publicè restitit.* Nihil hinc detractum

detractum Siricij sanctitati videtur, quin potius à D. Hieronymo animi eius, siue simplicitatem dicamus, siue candorem, tacitè laudari? Quid facilius erat, quam Ruffinum presbyterum, Romam Hierosolymis nuper cum illustri Melania redeuntem, fama morum, & doctrina clarum tollerare, & Origenem nondum in pluribus apud latinos malè audientem, quin etiam ipsius Hieronymi licet falsa auctoritate illustratum, non statim explodere: præsertim cum Romani Sacerdotes, & nonnulli monachorum assensum Ruffino præberent, & facile apud Siricium laudarent? A' dolo quidem Baronius Pontificem excusat, non verò à negligentia; culpabilem enim quodamodo videtur asserere, dum eundem diuina indignatione sublatum putat, ne errores Origenis magis diffunderentur. Hanc Siricij socordiam, vel si modestius placet, conniuentiam, in pauendum illorum Pontificum exemplum adducit num. 33. *Qui cansam fidei paulo segnius tractauerunt, ac remissius curauerunt, & à Christo primario omnium Pastore fuerint, quam celeriter ex hac vita subducti.* Verùm non leuem difficultatem habet, quòd celerrimè ex ira, vel prouidentia Dei sublatus fuerit Siricius, hoc est initio iuxta eiusdem Cardinalis computum, xiij. anni, cum in præcedentem xiii., & salutis 397. Baronius idem Siricii segnitiem, vel conniuentiam refundat. Atsi ex communiori calculo, quem etiam testatur mox adducendus Bollandus, sanctus Pontifex (ita saltem ex officio vocare libet) non tantùm annos quatuordecim incipientes sedit, sed & quindecim; non ita parum in Pontificatu adiuxisse videretur dicendum, quin multos in diuturnitate cathedræ æquauerit, plures superauerit. Senem admodum fuisse Siricium videtur ex Actis Liberii deduci. Cũ enim Liberio extra vrbẽ ab Arianis facto, etiá ex tardiori cõputo Baronij, anno illius sedis 8. & Christi 359. Diaconus ministrauerit Siricius, iam septuagenario maiore obiisse fatendũ est. Anni sedis Siricio XVI. ferè tribuũtur à libro Pontificali hoc est xv. & mẽses xi. dies xxv. integri: Anni verò xvi. à Prospero Aquitano in editione Scaligeri numerantur, quamquam apud Labbeum xiv. potius signentur. Sed xv. constanter habent Marcellinus Comes, Marianus Scotus, & epitaphiũ infra adducendum, ex quo in additionibus ad T. v. se corrigit Baronius, & communius vetustiores. Quantò autem senior Siricius obierit, eò minus dici posse videtur, sublatũ è medio esse ex ira Dei ante tempus, præsertim si à conniuentia errorum Ruffini, siue Origenis ad biennium supervixisset. Equidem suspicatus sum, Cardinalem Baronium pro pœna ignauiæ, vitæ breuitatem in Siricio ex D. Hieronymo quodamodo accepisse: quoniam ille post indicatam Pontificis simplicitatem narrare prosequatur, Ruffinum, eiusq. sectarios verentes, ne amplius latere possent, Ecclesiasticas epistolas obtinuisse, vt communicantes Ecclesiæ ex vrbe discedere viderentur, statimq. subdit. *Non multum tempus in medio succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius.* Verùm non in vltionis diuinæ argumentum, sequutam à concessis communicatoriis literis migrationem Siricij, accepisse sanctum Doctorem conuincunt verba, quæ de Anastasij laudatissimi Pontificis breuiori vita subnectit, hoc est, *Quem diu Roma habere non meruit*; malè enim eadem vitæ festinata abscissio, in vno ad insimulandam negligentiam eodẽ contextu induceretur, in alio ad sanctitatis indicium. Sed amplius ex eodem D. Hieronymo epistola septima ad Demetriadem de seruãda virginitate apparet, nó sub Siricio, sed sub Anastasio Origenis erroris Romam per Ruffinum, & Melaniã fuisse inuectos. Verba non modo libet integra adducere, sed necesse est. *Dum esses parvula, & sancte, ac beate memoriæ Anastasius Episcopus, Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæua tempestas, simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere, & labefactare conata est: sed vir dignissimę pan-*

pertatis, & Apostolicæ solecitudinis statim noxium percubit caput, & sibilantia Hydræ ora compescuit. Cum ergo communicatorias literas Ruffinus impetrauit à Siricio, cuius simplicitati ob id illusisse significare videtur Hieronymus, non dum hæresis patefacta erat; hoc enim tantum accidisse sub Anastasio adductum ipsius Hieronymi fragmentum demostrat, licet penes Marcellum, & alios Ruffini, & Melaniæ familiares, iam malè sanæ doctrinæ suspicio inualesceret. Nec quia Siricius aduiuens benè senserit de Ruffino, non dũ cognita eius venenata doctrina, à sanctitate decidit, sicuti neq. D. Augustinus, dũ ep. xv. vel 93. inter Hieronymianas. Ruffinũ cõciliare Hieronymo laborãs, illũ magni fecit: quamquã iam apologetica, & amarulẽta opuscula inter vtrũq. vulgarẽtur sub Anastasio. Hieronymi enim Apologiã in Ruffinũ scriptã esse patet ex libro tertio, nõ sub Siricio, sed sub Anastasio. Negari sanè nequit D. Hieronymũ à Sicicio nõ magni factũ initio Põtificatus, quòd Romani plures clerici, inuidia, & odio in sanctum doctorem flagrantes, persecutionem in eum mouerint, ac graue aliquod crimen sancto viro imposuerint; id enim ex illius epistolis colligitur, & monet Baronius ad annum 385. n. 8. Nec difficile erat magis, magisq; in eũ illos irasci, si palã eos ipse redarguebat, dũ Roesset, & in epistolis ad amicos post discessum datis, vehemẽter exagitabat, dũ *Pharisæorum Senatum* vocabat, & apertis verbis insicitiæ, atq. prauorum morum arguebat. Nec difficile etiam fuisset Pontificem Siricium criminosis relationibus aduersus Hieronymũ ita circumuentũ esse, vt ad sedãdos tumultus quodamodo coactus fuerit illum Romæ non retinere, sed sanctorũ locorum, & studiorum ardore inflammatum, sinere Hierosolymam regredi. De S. Doctoris secessione ab vrbe, ex veteribus historicis hæc adnotauit Rodulphus de Diceto Anglus in Abbreuationibus Chronicorum, & in indiculo virorum illustrium operi prefixo his verbis, anno 1147. *Hieronymus Ecclesiæ Romanæ presbyter, os Damasi Papæ, dum omnium iudicio dignus esse summo Sacerdotio decernitur, quidam ex clericorum, monachorumq. ordinibus diuersantes, ad effudendum vrbe Hieronymum insidias paranerunt.* Accessit quod S. Doctor in Iouianum Epicurum Christianorũ vehementer calamum stringens, ita virginitatem extulisse visus est, vt matrimonium quodamodo damnare crederetur. Quod licet ab ipsius mente prorsus abhorreret, communis tamen tunc Romæ inualuit opinio, nimium illũ fuisse in virginitate extollenda, & in nuptijs deprimendis; vnde Pamachius Romæ pariter coactus fuerit exemplaria opusculorum aduersus Iouianum subtrahere, quod S. Hieronymus ep. 52. ad ipsum Pamachium prudenter, & amanter factum laudauit, & exinde Apologiam pro libris aduersus Iouinianum scripsit, ac eidem transmisit magna quidem fiducia contestatus, nihil ea in re peccatum fuisse, vti re vera omnibus palam tunc apparuit. Verùm ea occasione Siricium commotum in Pamachium, nedum in Hieronymũ, ex omnibus ferè clamoribus, ita idem Hieronymus affirmat. *Audio totius in te vrbis studia concitata. Audio Pontificis, & populi voluntatem pari mente congruere.* An verò amarulentum illud, quod sequitur, in Siricium iactatum, sit hæreo. *Minus est tenere Sacerdotium, quam mereri*, sicuti an illud respiciat à Radulpho Anglo indicatũ, nimirùm quòd Hieronymus omnium iudicio existimatus summo Sacerdotio dignus, in electione Siricij post Damasum post habitus fuerit, non mihi benè liquet. Hoc vnum omnino crederem, ex opportunitate hæresis Manichęorum, emulis viam patuisse iterum, & maiori conatu Hieronymum calumniandi. Vigebant adhuc in vrbe Manichęorũ reliquiæ, & Priscillianistæ Manicheorum soboles Ecclesiam nuper quatiebant. In his radicitùs euellendis incumbebat Siricius. Manichæi nuptias inter cætera damnabant; quid mirum, si tunc aliquibus minus opportunu videbatur

batur nuptias, & matrimonia deprimere, ac virginitatem laudare? Hinc profectò aduersantes Hieronymo in ipsum arma sumpserunt, & ipsè aperte fatetur in eadem Apologia ad Pamachium his verbis. *Dum contra Iouianum presso gradu pugno, à Manichaeo terga mea confossa sunt. Nonne, quaso statim in principio operis mei ista praefatus sum? Neque enim nos Marcionis, & Manichaei dogma sectantes nuptijs detrahimus.* Affulsit tamen veritas, nec tantùm se luculenter purgauit Hieronymus, sed ipsius Pamachij opera à Siricio damnatus est Iouianus, quod idem est ac dicere, Siricium in sententiam Hieronymi iuisse. Sanctus ergo Pontifex non modo Manichæos exturbauit, sed Iouianum à Hieronymo iustè damnatum proscripsit. Et sicuti hinc patere potest, quantum Siricius Hieronymum fecerit, ita neq. de Siricio malè sensisse Hieronymum, patet ex his, quæ aduersus Ruffinum post illius decessum scripsit. Doluit sæpè Hieronymus, quòd communicatoriam Siricij iam defuncti epistolam iactabundus Ruffinus proferret, & quod illam mala fide extorquendo candido Pontifici ante ipsius obitum illuserit; sed non vtique Siricium subita, aut quam celeri morte sublatum, sed somno sanctorum in Domino obdormiuisse, ita scripsit, *Siricij iam in Domino dormientis profers epistolam*, cum re vera, vt iam diximus, non nisi in fine eiusdem sedis, vel potius post sancti Pontificis obdormitionem, detectæ fuerint in Origenis latinè redditis erroribus, Ruffini captiosæ artes; quippe qui communicatorias tantùm demortui Pontificis literas habens, nulli præsbytero, quousque catholicus crederetur, denegatas, opponebat viuenti Anastasio, non sine Hieronymi stomaco, qui in eiusdem Apologia lib. 3. nu. 44. subdit. *Tale quid contra Papam Anastasium disputans: vt quia Siricij Episcopi habes Epistolam, iste contra te scribere non potuerit.* Sed & aliæ rationes suppetunt, quibus suaderi possit, nõ sub Siricio, sed sub Anastasio Ruffinum cum suo Origene malè Romæ audire cępisse. Theophilus quidem Alexandrinus Episcopus anno circiter 399. cum iam ex ipsius Baronij, & Petauij computo, Siricius obierat, & Anastasius sedere cæperat, congregata Synodo, primus Origenem, & Origenistas damnauit, & huius damnationis Synodicas Romam misit ad Anastasium, & ad Orientis Episcopos. Anastasius non statim ac sedere cæpit Origenis errores proscripsit, cum neque ante annum 399. illius errores palam sint detecti. Patet id manifestè ex Epistola 64.; non ante enim hæreses Origenianæ, & mala Ruffini interpretatio Periarchita patuerunt, quam à Pamachio, & Oceano rogatus Hieronymus integrum idem Origenis Periarchjon latinum reddiderit, quod sanctus doctor non perfecit ante annum 399. ex ipsius Baronius computo nu. 31. Theophilum placidè prius Origenistas in viam rectam ducere laborantem, nõ antequam à D. Hieronymo excitaretur, sed antequam in Occidente aliquid Romanus Pontifex decerneret, Origenem, & Origenistas proscripsisse ex pluribus epistolis, tam Hieronymi, quã ipsius Theophili clarè deducitur, præcipuè vero ex epist. 78. ad Pamachium, & Marcellum. Inde enim constat iam annum præterijsse, ex quo cum latina interpretatione paschalis Epistolæ Theophili, ijsdem S. Doctor nunciauerat Origenianæ hæresis damnationem in Ecclesia Alexandrina. Quia verò deperditam illam fuisse timebat, primo vere sequentis anni nouam Theophili paschalẽ, & annuersariam epistolam, latinè redditam, ijsdem transmisisse apparet, in qua pariter Origenistarum errores, breuiùs tamen damnarentur. In hac secunda excusat Theophilum, quod minus Origenianos pulsauit. *Si quid autem hic minus aduersus Origenem dictum est: & preteriti anni epistola continetur, & hac quam modo vertimus, breuitati studens dicere plura non debuit.* Non dum Hieronymus certior erat, Romæ Anastasium Synodum Alexãdrinam de damnatione Origenis

probauisse

probauisse, & optabat prædicationem cathedræ Marci Euangelistæ à cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmari: interim tamen vulgari audiebat, ab Anastasio proscriptionem Origenis esse confirmatam. *Quamquam*, inquit, *celebri sermone vulgatum sit, Beatum quoque Papam Anastasium eodem feruore, quia eodem spiritu est, latitantes in foueis suis hæreticos persecutum, eiusque litera doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est.* Ante damnatos vtique à Theophilo Origenis errores D. Hieronymus sentẽtiam suam Romam non transmiserat, sed eodem tempore: in epistola enim 71. ad Theophilum scripsit. *Vox Beatitudinis tuæ in toto orbe personuit*, datis nempè Sinodicis literis, & subdit. *Ex dispensatione Dei factum puto, vt eo in tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes, & nostrã dum ignoras, sententiam roborares.* Cum ergo Origenis errores, ex mala Ruffini interpretatione ante Anastasium laterent; quid culpabile Siricius omiserit non apparet, & communicatorias literas Ruffino presbytero de more concedens, dum Ruffinus optimè apud omnes ante vulgatum Periarchion Romæ audiret, crimen nõ videtur vocandum. Quòd autem minus æqui animi in sanctum Paulinum Nolanum Siriciũ Põtificem fuisse, Cardinalis Baronius reputauerit, ex eiusdẽ Paulini Epistola hausit 1. ad Sulpicium Seuerum, in qua dolens, dum Romę fuit *Zelotyporum incendia clericorum*, addit. *Sed plenius indicare potuerunt conserui nostri pueri tui, quantam nobis gratiæ Dominicæ detrimẽtum faciat Vrbici Papæ superba discretio.* Infensum ex hoc Siricium Paulino deducit Baronius, & causas minoris extimationis venatur: vel quòd Pontifex Vrbicus, seu Romanus inter suos clericos computare illum noluerit, vel auersatus fuerit, quia repentè ex laico Paulinus vir Consularis, & Senatorius in Hispania presbyter, quamuis coactus, euaserit. Sed facile potuit ex eodem penu clericorum, & curiæ Paulinus criminari apud Siricium, & inuidiam in eum conflare, ut in Hieronymum, quòd iam Monachus contra laxioris vitæ clericos declamaret. Sed verè etiam fatendũ est, Paulinum ex humana ratione optimum non fuisse hominum, & eorundem morum extimatorem, dum Siricium superbæ discretionis insimulat, quem Hieronymus nimiæ simplicitatis, & innatæ bonitatis quodamodo coarguit; & quamuis sãctitate morũ Paulinus polleret, minus acris iudicij reputari potest, dum de vnoquoq. bonum præsumens, quemadmodum etiam Siricius, etiam Rufinum ex Palestina cum pace, & amplexibus Hieronymi discedentem magni fecerit, Vigilantium in longo Hispaniarum itinere non agnoscẽs laudauerit, & Melaniam Origenistarum errorum anteſignanam sanctam dixerit, & plurimis laudibus cumulauerit, vt animaduertit etiam Baronius ad annum 397. nu. 111. Cum ergo hæc sanctitati Paulini non detraxerint, ex eodem prorsus capite, Siricius in pluribus Vetustis martyrologijs vti sanctus veneratus, non videtur à sanctitate excidisse, quem etiam de dolo excusat Baronius, & de zelo in hæreses laudat liber Pontificalis. *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, & contra omnes hæreses, & dispersit per vniuersum mundum, ac per omnes prouincias, vt in omni archiuio Ecclesiæ conseruaretur ob oppugnationem contra omnes hæreses.* & Albo, seu Abbo Floriacensis in eius breuissimo elogio. *Qui etiam exosos habuit omnes hæreticos, maximè Manichæos.* Dolendum quidem est diuturnioris vitæ Pontificis acta plurimùm perijsse, dum tanta aduersus hæreticos gessisse constat: pugnauit cõtra Manichæos, Priscillianistas in pluribus cũ Manichæis sentientes, & cũ omnes radicitùs Romæ præsertim euellere non posset, legẽ à Theodosio impetrauit, vt sæcularibus pœnis tollerẽtur, qui arma spiritualia deludebãt, vt etiam coniectatur Baronius anno 389. nu. 63. Contra Flauianum sedis Antiochenæ minus legiptimum occupatorem, & Synodo inobediẽtem, pugnauit etiam iteratò

ad Imperatorem datis literis, & Capuanam ob id Synodum indixit, vt eodem tempore etiam Bonosum Macedoniæ Episcopum, in Beatissimam Virginem iniuriũ reprimeret. Iouianũ Epicurum Christianorũ præterea damnauit, & pro eradicandis gentilitatis reliquiis desudasse par est credere, tùm impetratis aduersus eos sæcularibus pœnis à Theodosio, tùm in Idolorum fanis Romæ destruendis, quemadmodum eo sedente factum esse Prosper in Chronico, & D. Augustinus testantur. Nec morum emendationem neglexit, & continentiam Monachorum, & clericorum, vt ex epistolis D. Hieronymi patet, in plurimis etiam Romæ infirmatam, restituere laborauit. Meminit Innocentius primus ad Exuperium Episcopum Tolosanum cap. 3. Siriciani decreti, dum continentiam sacerdotum, & leuitarum iterum inculcat, *iuxta beata recordationis Viri Siriaci Episcopi monita*. Zacharias primus etiam, qui sedere cæpit anno 741. in epist. ad Pipinum, & Episcopos Francorum cap. 26. decretum adducens contra incontinẽtiam Monachorum, & Monacharum, ex codice Siricij his verbis vtitur. *In libro decretorum Beati Siricy Papæ continetur*. Et licet sanctitatis titulum, quo in his verbis ornatur, officium, non mores respicere aliquis obiicere posset, meminisse tamen illum oportet, in tanto actorum eius penes coquos scriptores silentio, quanta optimæ vitæ extimatione Siricius Pontifex fuerit, & quam digno sanctitatis testimonio ornetur in epistola Valẽtiniani Imperatoris ad Pinianum Præfectum, ab ipso met Baronio relata ad annũ 385. n. 6. cũ optimus sacerdos in ipso statim limine, ita dicatur. *Populum Vrbis æternæ gaudere concordia, & optimum eligere Sacerdotem, populi Romani esse credimus instituti, & nostris gratulamur aduenisse temporibus*. Hæc de Siricij electione dicta esse nemo inficiabitur, & ex sequentibus conuincitur. *Et proinde quoniam Religiosum Siricium Antistitem sanctitatis, sic præesse Sacerdotio voluerunt, vt Vrsinum improbum acclamationibus violarent*. Plures ad Pontificatum aspirantes cohibitos esse videtur elici ex epistola eadem, non modo Vrsino, seu Vrsicino schismatico iterum improbato, sed & aliis explosis vnica populi acclamatione, quam tanti fecit Valentinianus, vt magnum inde innocentiæ, & probitatis in Siricio captauerit argumentum. *Si quidem*, addit, *magnum innocentiæ, & probitatis exemplum est, in vna acclamatione, & ipsum eligi, & cæteros improbari*. Quanti verò faciendum sit Valentiniani, non amplius pueri, nec ab Ariana Iustina matre per invia ducti testimonium, ab Ambrosio in eius funere dictæ laudes, & declamatæ virtutes suadere profectò debent, quas Baronius idẽ annotauit ad annum 392. num vij. Ne quis verò Valentiniani epistolam tanquam supposititiciam reijciat, quòd Siricius Pontifex dictus fuerit pridie Idus Ianuarij, epistola verò tam serò data sit vi. cal. Martij, animaduertat responsiuam esse ad Pinianum Præfectum, qui electionem Siricij Imperatori absenti nunciauerat. Vnde repetitas laudes, vel à Piniano scriptas, vel ab aliis Valentiniano relatas hìc potest agnoscere, ex multiplici fonte promanare. Quòd verò nec illis põdus aliquod sua auctoritate addiderit eruditissimus Cardinalis Baronius, neq. in asserẽda propalã Siricij sanctitate procliuis fuerit, & potius iram Dei super eius in hæresi Origenistarũ conniuentiã annotauerit, accidere facilè potuit, quòd nostra ætate inuenta plura Vetustioris martyrologij exẽpla nõ viderit, nec satis esse, Bedæ, ac martyrologium ms. S. Cyriaci ad astruendam Siricij sanctitatem, & ad conniuentiæ illius maculã diluendam tamen, quam non dolosam, sed reputauerit dignã, quæ à Deo celeri morte castigaretur, existimauit. Ita me sentire suasit, vir summus quòd anno 367. nu. 5. in Liberij sanctitate demõstranda, non aliis auctoribus vsus sit, quam eiusdem Bedæ, & Vuandelberti martyrol., nec aliis argumẽtis, quam dignis ticulis, quibus post abstersam maculam Arianæ ad tempus communionis

munionis à ſanctis Patribus, Ambroſio præſertim ornatum viderit, nempe ſanctæ, ac beatæ memoriæ, beati, ac beatiſſimi viri. Qui quidem digni, ac honorifici tituli, (euanida illius conniuentiæ nube, quam vir perſpicaciſsimus agnouit,) neque in Siricio deſiderantur. In Domino obdormiuiſſe ſcripſit D. Hieronymus nonnihil in eum commotus, vt fatetur Baronius ad annum 390. nu. 58. Beatæ memoriæ vir nũcupatur ab Innocẽtio I. poſt quadrienniũ ipſius Siricij, & Anaſtaſij in Romana ſede ſucceſſore, & à Zaccharia ad Pipinum B. Siricius. Optimus ſacerdos, Antiſtes ſanctitatis, magnum innocentiæ, & probitatis exemplum in acclamatione dicitur apud Valentinianum. Ab Ambroſio, & Mediolanenſi Synodo paſtorali vigilãtia laudatus, dignus prædicatur, quem oues Domini audiant, & ſequantur, vt ſparſim in hac Exercitatione prætulimus, & in infra adducendo epitaphio clauduntur. Gauiſus autem ſum plurimum, dum Bollandum, & Henſchenium Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ peritiſsimos, ac eruditiſsimos vidi in prætermiſsis diei 22. Februarii de Siricij ſanctitate fuiſſe ſollicitos, quamquam de eius cultu, & veneratione acta, & reliquorum martyrologiorum teſtimonia referenda diſtulerint in diem 26. Nouembris. Non enim interim mſſ. aliqua adducere prætermittunt, quæ Siricij ſanctitatem confirment, & quæ hic transferre non grauabor. In primis mſ. Martyrologium illud producunt Monaſterij S. Cyriaci de vrbe, quo ſummus vir Baronius, tam frequenter vſus eſt, & in quo ſcriptum eſſe teſtatur. *V. Cal. Decembris. Romæ S. Sirici Epiſcopi, & Saturnini.* Rabanum, non dum fortaſſe vulgatum, Baronius etiam non vidit, penes quem vi. kal. Decembris in martyrol. ſignatur. *Romæ depoſitio Sirici Epiſcopi, & Saturnini*, neq. vidit Molani additiones ad Vſuardum, neque Florarium Sanctorum, neque Auctarium Greueni. Sunt Martyrologia, quæ ad diem viij. kal. Martias memoriam S. Siricij recolunt, occaſione fortaſſe S. Sirici martyris etiam illa die in codicibus noſtris memorati, ſed quæ tamen in tanto Pontifice famam ſanctitatis confirment; Ita Calendarium antiquum S. Maximi Treuerenſis apud eoſdem Bollandum, & Henſchenium exhibet *VIII. Cal. Martii Natal. S. Ciricij Papæ*, ità Martyrologium Germanicum Caniſij. Vberiùs tamen eius ſanctitatem aſtruunt vetuſta, & optimæ fidei martyrologia ad diem 26. Nouembris, ab iiſdem eruditis ſcriptoribus adducta. In primis fauet Hieronymianum, ſeu Romanum à nobis Vetuſtiſsimũ Antuerpienſe vocatum, & iam in Notationibus productum, Richenouienſe, quod huius diei tabulas ita auſpicatur *VI. Kal. Decembris. Romæ depoſitio Sirici Epiſcopi*. Eadem confirmat mſ. Aquisgranenſe, in quo pro Siricio ſcriptum habetur *Cyricius*, & Tornacenſe S. Martini, in quo additur, *& Martyris* titulus. Alios etiam codices mſſ. Bedæ nomine ornatos ſubijciunt, qui hac eadem die Epiſcopũ Siricium Romæ conſignent. Sunt & alij mſſ. libri, qui licet dignitatem ſileant hac tamen ipſa die in eiuſdem ſanctitatem conſpirant, vt mſſ. Leodienſia ſancti Laurentij, & S. Lamberti apud eoſdem Bollandum, & Henſchenium. His addimus binos Lucenſes codices, & martyrol. Corbeienſe, tam in ſchedijs noſtris, quam apud Dacherium editum. Nec ſilebimus Petrum de Natalibus lib. xi. c. 3. qui de tempore ſedis cum pluribus conueniens, ſediſſe nempe Siricium annos xv. menſe xi. dies xxv. dũ omnia fere de vita eius ex libro Pontificali excerpit, non in cœmeterio Priſcillæ conditum refert, ſed S. Pontificis geſta claudens, ita inquit. *Dormiuit cum patribus ſuis, & ſepultus eſt ad Sanctum Petrum plenus ſanctitate*. Ante Petrum de Natalibus Ordericus Vitalis, qui, vt alibi diximus, ſenex anno 1141. ex veteribus hiſtoricis accepiſſe profitetur, nonmodo negligentiæ Siriciũ nõ inſimulat, ſed annos xv. eiuſdẽ ſedis enumerãs eũ (laudat) *quia circa gregem Domini valdè ſollicitus fuit*. Et Luitprandus adhuc vetuſtior, aut

quis

quis quis sub eius nomine latet, Siricium *Sanctæ memoriæ Papam* vocauit. Variat in nomine codices adducti ab alijs tã editis,quã mss.dum alij,Siritium,vt apud D. Hieronymũ, & in editione Conciliorũ prostat ; alij Cyriciũ, & Cyricũ, vt in calendario Treuirensi, & ms. Aquisgranensi iam adductis: alij Sericum, vt Prosper in editione Scaligeri: alij Sinisiũ,vt apud Optatum Mileuitanum lib. 2. contra Parmenianum. Sed Siricium omninò dicendum Valentiniani epistola docet, & vetus inscriptio in Ecclesia S.Pudentianæ à Panuino de septem Vrbis Ecclesijs & à Baronio relata ex vetusto lapide. *Salue Siricio Episcopo Ecclesiæ Sanctæ*: & in alia ad cœmeterium Priscillæ, vbi S.Pontifex memorias martyrum restituisse dignoscitur. In App. Antiq. Inscr. p. 1172. nu. 7.

Siricius pia nunc persoluit munera Sanctis,
Gratia quo maior sit bona martyribus.
Omnipotens Deus hunc conseruet tempore multo,
Mœnia sanctorum, qui nouat restituit.

Ridendus, qui Vrsinum in Prosperi chronico schismaticum improbatum reposuit, sicuti apud Hermannum Contractum in editione Basiliensi. Maius negociũ facit, quod martyr in aliquibus libris consignetur. Depositionis nomen, quo vtuntur M.Vetustissimum, Rabanus, & alii magis confessoribus proprium, quam martyribus,confessorem innuunt, sicuti ex D. etiam Hieronymo educitur.Id propalam docet Petrus de Natalibus, & ratio temporum suadet, silentibus sub Arcadio, & Honorio Romæ persecutionum procellis. Attamen martyris titulum addunt Greuenus in Auctario ad Vsuardum,non sine mendo, vt putant viri docti Bollandus, & Henschennius penes quos tamen Martyrol. S. Martini Tornacensis recolit *Romæ natale SS.Sirici Episcopi,& martyris*; dumq. codices nostri, ac M.Corbeiense Siriciũ Episcopum Romę cum Saturnino sine alia additione consignant,ex vsitata in iisdẽ codicibus martyres producendi formula,ambos martyres asseri videretur; subijt proinde hic dubitare, an Siricius Pontifex simplici animo præditus, & qui ex bonitate animi sui reliquos metiebatur, vt affirmat S. Hieronymus,potuerit re vera Pontificatui (vt recẽtiùs S.Cœlestinus) renunciare, & cœtui vndecim millium virginum cum S.Vrsula sociatum martyris palmam cũ ijsdem adipisci. Non me latet viros doctos existimare Acta SS.Virginum illarũ, ex hoc præcipuè capite de ignoto Romano Pontifice, castigatione indigere, sed interim negari nequit,Cyriacum Episcopum Romanum in sacro eorundem martyrum choro à pluribus esse numeratum. Verùm quia longioris indaginis historia SS. Virginum esset,pluraq; excutienda venirent, si quis harum rerum curiosus extiterit consulat Baronium in Notationibus ad diem 21. Octobris, & ad annum 383. & Colonienses huius rei scriptores Hermannum Fleica apud Lippelou. Petrum Mersæum Cratepolium in Hist. Episcoporum Colonienſium, & nuper Crombach in Vrsula vindicata. Ex his aliqui nonnullos Episcopos sanctas virgines comitantes admittunt ; Cyriacum omnes ferè negant vniuersalis Ecclesiæ Pontificem, sed ex Romani Pontificis aliquem fuisse suffraganeum. De Tempore triumphantis virginei cœtus variant scriptores. In postremis Damasi annis ante Siricium reposuit Cardinalis Baronius anno scilicet 383. Alij sub Attila Hunnorum rege earum certamen suscipiunt,ab anno scilicet 450. ad 455. ac proinde incerto omnino tẽpore.Cirycium, siue potius Cyriacum Pontificem fuisse, qui cũ sacro, & virgineo martyrum choro palmam acceperit, narratur, in reuelationibus S.Elisabeth virginis Schonaugiensis lib.4. ex inscriptionibus inuentis anno 1156. pag. mihi 140. Hæc autem inscriptio ità ibidẽ adnotatur. *S. Cyriacus Papa Romanus, qui cum gaudio suscepit sanctas virgines, & cum eis Coloniam reuersus*

martyrium

martyrium susceperit. Transmissi fuerant tituli à G. Abbate Tuicensi ad sanctam virginem, vt orationibus impetraret à Deo, vtrum eis *credendum esset, an non: habebat quippe suspitionem de inuentoribus Sanctorum corporum: ne forte lucrandi causa Titulos illos dolosè conscribi fecissent*. Reuelatum autem sibi esse inter cætera S. Virgo refert, Cyriacum ex Brittania nobili prosapia oriundum Apostolicam cathedram tenuisse per annum integrum, & vndecim hebdomadas, cum virgineus chorus Romam ingressus est, illumq. in serie Romanorum Pontificum fuisse, addit, decimũ nonum; cum vero Cyriacũ reclamantibus clericis ex diuina visione Episcopatui renunciauisse, & antequã Roma exiret successor illi Anterus datũ esse dicatur, ac cum sanctis virginibus paulo post Coloniam profectus martyrium fecisse, cumq; sancta Elizabeth in cathalogo Romanorum Pontificum illum quæsierit, & non inuenerit, sibi reuelatum subdit, *id ex indignatione Cleri accidisse, pro eo quod in ordine dignitatis suæ vsq. ad finem permanere noluisset*. Nec fuisse agonem completum sub Attila Rege Hunnorum, sed ante illum multorum annorum spacio, additur, nimirum sub Iulio Principe Hunnorũ, impulsoribus Maximo, & Aphricano Romanis proceribus, idq. in odium Christianæ fidei, metuẽtibus illis, ne per sacrũ cœtum multũ Christiana religio augeretur. Non me quidẽ latet S. Elisabethæ reuelationes omnibus nõ probari, & hanc narrationem aliqua minos probabilia continentem, ac suspicari posse, alijs reuelationibus superadditam fuisse. Sed quidquid de illa sit, apertum est, Cyriacum ibi memoratum, cum Siricio Pontifice, neque proprio, aut successoris nomine (nisi fortè quis pro Antero Anastasium legendum esse contendat) neq; sedis, aut certaminis tempore, congruere, vt asserto illius martyrio ea possint accomodari. Quapropter his relictis, cum constanter Siricij obitus à pluribus auctoribus non in vj. cal. Decẽbris, sed in viij. cal. Martij recensеatur, sepultusq. dicatur in cœmeterio Priscillæ, vel vt Petrus de Natalibus refert ad D. Petrum; dubitare liceret memoriã hìc recoli translationis à cœmeterio ad Basilicam Apostoli, nisi quis ex Saturnino socio martyre, alium voluerit Siricium Episcopum esse Romę coronatum, alterius quidẽ vrbis non Romanæ præsulem quemadmodum de Alexãdro ignotæ cathedræ Episcopo, Romæ hoc ipso die uenerato expressè docet Ado. Cũ autem esse possit, vt S. Siricius confessor sepultus in cœmeterio Priscillæ socium in loco sepulcri, & die celebritatis habuerit Saturninum martyrem, nihil vetaret vtrumq. eodẽ die recoli, alterũ confessorẽ, vt in pluribus codicibus depositionis nomen suadet, alterũ martyrẽ. Cęmeteriũ Saturnini certè pars erat Cęmeterij Priscillæ, & facile est Siriciũ in hoc cœmeterio, à Damaso antecessore restituto, fuisse sepultũ, vt infra de Saturnino cõstat die 29. Sũt etiã qui pro S. Siricio hac ipsa die S. Linũ S. Petri successorẽ recolant, vt Ado ipse, & Bellinus de Padua, sed plures cũ Martyrologio Romano nono cal. Octob. Linum exhibẽt. Cœterùm cum adducti plurimi codices S. Siricium Romæ Episcopum hac die in albo sanctorum referant, nihil immutandum putaui. Absterſa enim conniuentiæ macula nõ statim repressæ hæresis Origenianæ, non propalam, sed per falsam interpretationem Rufini callidè Romam inuectæ, reliqua omnia obiecta facile diluuntur. Quam verò Siricius in conuellendis hæresibus incubuerit, prẽter superius adductos testes, Diuum Ambrosium, qui malis blandiri nesciebat, cum alijs Liguriæ Episcopis proferre libet. Is acceptis, catholico zelo refertis Siricij epistolis de damnatione Iouiani, & sociorum epist. 80. ita ex Synodo cum suffraganeis suis rescripsit Siricio ep. 81. lib. x. *Recognouimus literis sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam seruas, & pia solicitudine Christi ouile custodias, dignũ quem omnes Domini audiant, & sequãtur*. Alias verò D. Ambrosio

brosio ad Siricium scriptas epistolas responsiuas, quas adducit Ludouicus Iacob S.Carolo in Bibliotheca Pōtificia nō profero, aut enim Siricio Pōtifici scripta nō sunt,vel eidē adhuc Leuitæ, aut Lectori, amoris quidē plenas non laudis,& in editione Parisina 1549.sub numero nō 7. & 21.sed 49. & 54. Addere hic autem pro coronide libet Siricij epitaphium ex Appendice Antiq. inscript. pag. 1171. nu.16. olim positum in cœmeterio Priscillæ, quoniam ex eo, non modo virtutes tanti Pontificis, sed sedis tempus annorum xv. omnino clarescunt.

Liberium Lector, mox & Leuita secutus.
Post Damasum claras totos quos vixit in annos.
Fonte sacro magnus meruit sedere sacerdos
Cunctis vt populis pacem tunc solidam daret.
Hic pius hic iustus felicia tempora fecit.
Defensor magnus multos vt nobiles ausus
Regi subtraheret Ecclesiæ aula defendens
Misericors largus meruit per secula nomen.
Ter quinos populum, qui rexit in annos amore
Nunc requiem sentit cœlestia regna potitus.

His auctoribus, his rationibus, & coniecturis fultus, benè de Siricio Pontifice sentire, ita illectus sum, vt omne sanctitatis eius iudicium sanctæ, cui præfuit Ecclesiæ,omnino relinquendum esse non ignorem.

V. Kal. Decembris.

IN Nicomedia Marcelli. Petri. Nomeri. Sereni. Melisi. Victorini. In Italia Ciuitate Bononia Agricolæ, & Vitalis. In Mediolano Lucæ. Andreæ. Iohannis. Seueri. Eufemiæ.

NOVEMBRIS 27.

NIcomedienses martyres duos numerat hac die Maurolycius, Petrum nempe,& Serenam,qui in libris nostris secundus,& quartus in ordine sunt eorum, qui sub Primicerio Marcello in libris nostris, & Corbeiensi producuntur. Ex Beda tamē, & alijs mss. quinque numerat Galesinius nempe Marcellum, Petrum, Numerium, Hierenam, & Melosum: id que etiam iuxta recentionem M. Vetustissimi Anerpiensis, in quo Victorinus alterius classis, & incerti loci ita discernitur. *V. Kal. Decembris. Nicomediæ Marcelli, Petri, Numeri, Herenæ, Molosiæ, & alibi Victorini. In Italia ciuitate Bononia Agricolæ, & Vitalis. Mediolano Lucæ, Andreæ, Ioannis, Seueri, & Euphemiæ.* Serenum non Herenam,& Melusium non Molosiam cum libris nostris habet,Martyrol. Corbeiense, in quo pariter Victorinus ab alijs Nicomediensibus non disiungitur. *V. Kal. Dec. In Nicomediæ Marcelli, Petri, Numeri, Sereni, Melisi, Victorini. In Italia ciuitate Bononia Agricolæ, & Vitalis, Magnili, Iuly. In Mediolano Lucæ, Andreæ, Ioannis, Seueri, Euphemiæ. In ciuitate Regiensi S. Maximi Episcopi.* Ex Nicomedienſibus martyribus quinque tātùm numerat Rabanus, Victorinum præteriens, alibi non Nicomediæ passum *V.Cal. In Nicomedia Na-*

tale

tale Marcelli, Petri, Numeri, Hierenę, & Meloſæ.

In Italia. Gallicus ſcriba in M. Corbeienſi non Italiæ, ſed Galliæ clariſsimos in Italia martyres Agricolam, & Vitalē aſſerit, vſus opportunitate cognominis vrbis Bononiæ in Gallia Belgica in Ora Picardiæ. Aruernis ſaltem eos tribuiſſet, vbi præſidente in Epiſcopali cathedra Namatio, translatæ fuerunt eorū reliquiæ à D. Ambroſio impetratæ, & eorundem nominī cathedralis Eccleſia dicata eſt, vt ex Gregorio Turonenſi deducit Sauſſayus in ſupplemento pridie non. Nouembris, qua die translationem etiam nunc recoli teſtatur. Verùm cum neque vrbis nomen, neq. dies venerationis congruant, minus appoſitè traductum Italicæ Bononiæ nomen ad Gallicam Bononiam dicendum eſt. Sanctorū Vitalis, & Agricolæ martyrium melleo ſtylo D. Ambroſius in exhortatione ad virgines deſcripſit, & multiplici pœnarum genere cruciatorum martyrum corpora, cū inueniſſet Bononię Italicę quieſcentia, extulit, & cum clauis, crucis ſigno, ac beato ſanguine, ſub ſacris illius vrbis altaribus locauit, vti etiam confirmat Paulinus in vita Ambroſij. Romanū Martyrol. die 4. Nouembris eorum memoriam veneratur, vbi Baronius, Vſuardum, & recentiores adducit in teſtes. Sed die illa Vsuardus ſaltem vetuſtioris editionis nō meminit, ex Bellino de Padua potius Molanus ea addit, quæ Vſuardus refert hoc ipſo die v. Kal. Decēbr. quando etiam Ado, Vitalis, & Agricolæ natalem cum Vvandelberto recolit. Videnda quæ diximus ad diem 3. Nonas Nouembris, & aliqua apud Ferrarium die 4. Nouembris. Nullibi tamen ſocios Mannilium, & Iulium à M. Corbeienſi memoratos video SS. Vitali, & Agricolæ iunctos, neq. etiam in alijs editis martyrologijs indicatos.

Mediolano. Translationem reliquiarum SS. Andreæ Apoſt. Lucæ, & Ioannis in Vrbe Aquileienſi venerari vidimus ad diem 3. Septembris, quando etiam Euphemia memoratur. An Aquileiam, & Mediolanum eadem ſacra Lypſana diuerſis diebus transferri contigerit, non eſt, qui mihi indicet. Nullus ex his martyribus Apoſtolico titulo inſignitur, vt alij fortaſſe martyres ſint ab Apoſtolis diuerſi. De his quidem apud ſacræ hiſtorię Mediolanenſis ſcriptores nihil adnotatum ſuccurrit.

IIII. Kal. Decembris.

IN Syria Tropomi. Theodoli. Expicaſi. Cuceri. Saturnini. Euſebij. & Iulij.

NOVEMBRIS 28.

VOs vnico choro includit ſacros pugiles martyrol. noſtrum, in duos ſeiungit vetuſtiſsimum Antuerpienſe. *IIII. Kal. Decembris. In Oriente natalis Trofimi, Theodori, & Pegaſſi, Eucheri. & alibi Euſebi, & Iulij.* Quatuor primos in Oriente veneratos, preſsius cum libris noſtris Syriæ tribuit, binis etiam additis incerti loci martyribus, hoc ordine Martyrologiū Corbeienſe. *IV. Kal. Decemb. In Syria Trophimi, Theodoli, Expectati, Encherij, Euſebij, Iulij.* In Menologio Caniſij die 23. Iulij; Trophimi, Theophili, ac ſociorum certamen ſub Diocletiano refertur, ſed neque locus agonis ſignatur, neq. Theodolus, ſed Theophilus dicitur, qui ſecundo loco producitur. Sicuti ergo coſdem eſſe nō difficile affirmarem, ita de illis nihil alibi

me inueniſſe fateor. Kalendarium enim Hieronymianum Lucenſe perantiquum, quod aliquos ſaltem Vetuſtioris martyrologij cælites proferre aſſolet, nihil aliud habet niſi. *IV. kal. Calixti*. Rabanus tamen excepto Saturnino, codicibus noſtris conſonat. *IV. Cal. in Syria Thophimi, Theodoli, Expicaſi, Euieri, Euſebij, Iulij*.

III. Kal. Decembris.

ROmæ Araſonis. Saturnini. Criſanti. & Dariæ. Mauri, & aliorum lxxij. *In Ciuitate Nametis Sancti Saturnini Epiſcopi, & martyris*.

NOVEMBRIS 29.

ARaſonis nomen, quod à M. Vetuſtiſsimo exulat, ſuſpicionem mouet, ne cęmeterij, ſeu loci, vbi Saturninus ſepultus, ſit potius quam martyris vocabulum. Ita fragmentum Vetuſtiſsimi M. apud Bucherium dubiũ auget, dum retinet. *III. kal. Decembris. Saturnini in Traſonis*, cęmeterio inquã, vt de more illius vetuſti monumenti ſupplendum eſt. Sanctum Saturninum, & Siſinniũ martyres à S. Thraſone in prædio suo via Salaria III. Kal. Decembris ſepultos cum ſancto coadiutore Ioanne, presbytero, docent eorũdem ſanctorum martyrum Acta, in geſtis S. Marcelli inſerta apud Surium T. 1. vbi de Saturnino ſene, & Siſinnio diacono, poſt varias illis inflictas ærumnas, ex equleo pendentibus capitalem ſententiam nuntiatã eſſe legitur. *Et depoſiti de Equleo deducti sũt in viam Nomentanam milliariò ſecundo ab vrbe, & ibi capite truncati ſunt. Eorum autem corpora collegit Thraſon cum Ioanne presbytero, & ſepeliuit in prædio ſuo via Salaria III. Calend. Decembr.* Sciunctim vero Saturninũ à Siſinnio ſepulcrũ habuiſſe docent carmina, quæ Damaſus ad eius tumulum inſculpi fecit, & quæ apud Gruterum habentur in Append. ad antiquas Inſcript. Cencius camerarius teſtis eſt in libro de Cœlibus cœmeteriũ Traſonis ad ſanctum Saturninum nũcupari conſueuiſſe, quumò ibi extitiſſe Ecclesiam D. Saturnini vocatam ex Bibliothecario habemus, qui Felicẽ quartũ refert, incẽdio abſumptam reſtituiſſe. Traſonis cęmeterium in partem cęmeterij Priſcillæ computatum obſeruat Aringhius lib. 4. cap. 33. Romæ ſubterr. atq; in eo ſanctum martyrem Thraſonem ſepultum fuiſſe arbitratur. Cum vero ſancti huius martyris memoriam recolat M. Romanum III. Idus Decembris, qua die pariter in Vetuſtiori M. noſtro memoratur, hìc reſtituendus videretur non modo pro Ariſone Thraſon, ſed etiam legendum *Romæ ad Traſonem Saturnini*. Reticet Traſonis nomen, vt diximus M. Antuerpienſe, videlicet. *III. kal. Decẽb. Romæ Saturnini, Chriſanti, Mari, Dariæ, & aliorum lx. In Spanis ciuitate Toloſæ natalis S. Saturnini Epiſcopi*. Nec ab eo valdè diſſentit M. Corbeienſe. *III. Cal. Decembris. Romæ Aroſonis, Saturnini, Chryſanthi, Darię, Mauri, & aliorum lxxij. In Gallia ciuitate Tholoſa natalis Saturnini Epiſcopi, & martyris*. De Saturnino meminit hac die Romanum M. Beda, Vſuardus, Ado, ac recentiores. Item Sacramentarium S. Gregorij hoc ipſo die, & Vetus Fronti Calendarium, cum peruetuſto Hieronymiano Canonicorum Lucenſium infra adducẽndo.

Chryſanthi. Communis quidem agonis ciuitas, & ſepulcri locus, tempus, ac martyrij genus Chryſanthum, & Dariã cum aliis Saturnino iungunt. De ſanctis coniugibus egimus ad diem 12. Auguſti, vbi

vbi aliqua de varijs eorũdem celebritati dicatis diebus adnotauimus. Romanũ Martyrol. de his agit die 25. Octobris, ad quem diem in martyrologijs mſſ. adductis nihil de SS. Chryſantho, & Daria annotatur, ſicuti neque apud Rabanum, aliaq. ædita Martyrologia, quæ adducit Menardus in Notis ad ſacramentarium p. 187. quo tamẽ loco III. Kal. Decemb. ad S. Saturnini memoriam in codice Remenſi addi teſtatur Chryſanthum: ſicuti in martyrol. mſ. Bibliothecæ Corbeienſis, alio ab eo, quod nuper edidit Dacherius, ſcriptum eſſe. *Ipſo die Romæ natale ſanctorum Chryſanti, & Dariæ virginis*, quæ verba etiam producit ex Adone, manuſcripto nempe aliquo: cum titulus virginis nequaquam Dariæ tribuatur in Appendice Adonis apud Moſandrum, vel Roſuueydum his verbis, *Item Romæ Araſonis, Saturnini, Cryſanthi, Mauri, & aliorum lxxij.* Virginem etiam nuncupatam in Calendario codicis Ratoldi Abbatis refert idem Menardus. *Romæ paſſio S. Saturnini, Criſanti, Dariæ Virginis*, & in paruo martyrolog. mſ. ad calcem codicis Remenſis. *III. Cal. Decembris. Namnetis ciuitate natale Sanctorum Saturnini Criſanti, Eulaliæ, Dariæ.* Abſq; titulo Virginitatis pariter in Vetuſto calend. Hieronymiano Lucenſi ita legitur. *III. Kal. Natale Sãcti Saturnini. Vigilia S. Andreæ, & S. Dariæ, & Chryſanthi.* Maurum, & Papiam milites ex prodigio S. Saturnini, tripodem æreum verbo ſoluentis, nomen Chriſto dediſſe, nec multò poſt martyrio coronatos refert Ado hoc ipſo die iij. Kal. Decembris. Cur vero Papias hic non memoretur, fortè ex diuerſo paſſionis die accidere potuit, vel etiam quia alius Maurus fuerit. Vuandelbertus non niſi Maurũ ad hãc diẽ ita producit. *Tertiam Saturnine tibi, Mauroq. dicamus*, cũ Chryſanthi, & Dariæ meminerit III. Idus Octobris. Menologium Caniſij cum Sanctis Iaſone, & Claudio, Maurum etiam fratrem veneratur die 19. Martij, & rurſus cum Iaſone fratre, & alijs die 17. Octobris: quo die in Menologio Baſilij Chryſanthi, & Dariæ Philoſophæ virginis, & vxoris Chryſanthi elogium texitur. Seiunctim ab alijs S. Maurum in cœmeterio Hilariæ via Salaria ſepultum fuiſſe habetur ex inſcriptione S. Damaſi, quæ apud Baronium To. 4. ad annũ 384. & alibi legitur. Cum vero in carminibus illis S. Maurus puer nuncupetur, aliũ à Mauro milite, cuius Ado meminit, fuiſſe ſuſpicari licet. Itam quidem S. Damaſus ſuadet, dum S. Maurum vocat in fine inſcriptionis in Appendice antiqu. inſcript. pag. 1172. n. 1.

Inſontẽ puerum, cui pœna nulla delicti, quem Hilariæ filiũ agnoſcere debemus, non militem adſtantem Saturnino, & Siſinnio, pro fide certantibus, vt deſcribit Ado. Anonymos ſexaginta tantùm ſuperaddit ſocios M. Antuerpienſe. Septuaginta numerantur die 12. Auguſti, ſed ſeptuaginta duo, tam in libris noſtris & Martyrol. Corbeienſi, quam in Appẽdice Adonis, ſine nomine ſocij Chryſanthi, Mauri, & Dariæ recolunrur. An hi ex militum numero fuerint, qui ad martyrium Chryſanthi, cum Claudio Tribuno, eiuſq. familia Chriſto nomen dederint, an verò ex pluribus vtriuſq. ſexus, qui ſolemnem eorundem martyrum diem via Salaria in ſpecu quodam propinquo celebrantes, obſtructo ſpelũcæ aditu, & demiſſa ſuperius terra Numeriani Imperatoris iuſſu, in ipſa diuinorum myſteriorum communione martyrij coronam ſummo cum gaudio perceperint, incertus hæreo; cum militum numerus in Actis ex Metaphraſte apud Surium T. x. non exprimatur, & aliorum eodem die feſto SS. Chryſanthi, & Dariæ coronatorum, numerus videatur exvberare; dicitur enim virorum, fœminarum, & puerorum multitudo incredibilis. Milites fuiſſe exiſtimarem, quia in ijſdem Actis apud Petrum de Nat. lib. 9. c. 105. ſeptuaginta fuiſſe narratur, & ingens martyrum ſuffocatorum numerus apud eundem recolitur Cal. Decembris lib. 1. c. 12. qua die Ado etiam hos à ſe-

ptuaginta militibus distinguens, Sanctorum Chrysanthi, & Dariæ historiâ percurrit, & in multitudine illa Diodorum præsbyterum, Marianum diaconum, & plures clericos agnoscit. Petrus idem de Natalibus Calendas Decembris non diem agonis SS. coniugum fuisse docet, sed dedicationis memoriæ illorum incrypta.

Saturnini Episcopi. De sancto Saturnino Episcopo Tolosate, ac multarum gentium Apostolo latè agit Saussayus ad hanc diem in M. Gallicano. Toleti etiam in Hispania ad biennium fuisse Episcopum idem Saussayus affirmat; vnde non male M. Antuerpiense Hispaniæ illum venerari docuisset, si pro Tolosa Toletum restitueretur. Obscurius mihi est, quòd in libris nostris Nannetis, seu Nametis eiusdem natalis ascribatur, sicuti etiam apud Rabanum hac ipsa die prostat *Nannetis Saturnini Episcopi, & martyris*. Vidit etiam Menardus loco superius adducto in Rabano difficultatẽ, nec aliter soluit, nisi mutilum ibi martyrologium illud, & post vocem Nannett interserendum esse putauit nomen alicuius sancti, qui ad hanc Armoricæ regionis ciuitatem pertineat. Sed nullibi mihi comparet supplẽdum beati nomen, qui hoc die Nanneti recolatur. Videant sacræ Galliæ scriptores ex quibus hoc additamentum profluxit, & nodum etiã circa martyrij tempus in Saturnino pluribus ambagibus inuolutum soluant. Præsertim in Petro de Natalibus lib. 1. cap. v., qui S. Saturninum à discipulis Apostolorum ordinatum docet, & passum tempore Decij, quod docet etiam Gregorius Turonensis. Rem in suspenso relinquut Sammarthani, qui scriptores hinc inde congerunt in Saturnino primo Episcopo Tolosano.

II. Kal. Decembris.

IN Prouintia Agagiæ Ciuitate Patras natalis S. Andreæ Apostoli. In Nicomedia Sanctorum Carinonis. Tyrionis. Et in Antiochia Dõnini. Merocli. In Mediolano Sancti Ambrosij Episcopi, & de perceptione Baptismi. Romæ Sancti Castori, & Euprepetis, & Saturnini. Crisanti. Mauri. Centuli. Theodoli, & Ianuarij.

NOVEMBRIS 30.

ANtiquarius codicũ nostrorum, quemadmodum pro Caio Gagiũ ferè semper reposuit, ita hìc pro Achaia Aghagiam Prouinciã scripsit, non minus mẽdosè, quam Achiæ, vt retinet hoc pacto M. Antuerpiense. *Pridie Kal. Decembr. In Achia ciuitate Patras natalis S. Andreę Apostoli. Roma Castuli, Eutrepitis; & in Mediolano Ambrosi Episcopi. Nicomedia Carionis, Tirionis. Antiochia Domna, Merolę, & aliki Centuli, Teodoli, Ianuarij.* Magis libris nostris consonum, emẽdatiuq; legit M. Corbeiense. *Prid. Kal. Decembris. In Prouincia Achaia ciuitate Patras natalis S. Andreę Apostoli, & martyris. In Nicomedia Sanctorum Carionis, Tirionis. Et in Antiochia Domnini, Merola. In Mediolano Sancti Ambrosij Episcopi de perceptione Baptismi. Romę S. Castuli, Theodoli, & Ianuarij.* De sancto Andrea Apostolo, præter ea, quæ ad Indiculum Apostolorum diximus, nihil nobis addendum superest. Corpus eius repositum primò esse Patras Achaiæ Peloponnensij habent Græci, tam in-

Meno-

Menologio Canisij, quam Basilij.

Nicomedia. Tam Nicomedienses Carionem, & Titionem, quàm Antiochenos Domninum, siue Domnam, & Merolam, siue Meroclem alibi in vulgatis martyrologijs inuenire non contigit.

Mediolano. Natalis dies S. Ambrosij infra notatur III. Nonas Decembris; hìc eiusdem Baptismus recolitur, quando raptus ad Episcopatum, non dum sacro fonte lauatus, initium sacrorum ordinũ suscepit, vt deinde in Episcopum sacraretur. Rabanus Baptismi non meminit, sed tantum habet *II. Cal. Et in Mediolano Ambrosij Episcopi*. Ordinatio enim Episcopatus 7. Idus Decembris fuit, vt Baronius annotauit ad annum Christi 384. & 397. siue potius sub Natalis titulo III. Nonas; vt codices nostri retinẽt, & ibi explicabimus. Mos non laudandus illis temporibus inoleuerat, vt Baptismus ad finem vsque vitæ differretur ad crimina in mortis periculo expianda, quod pluribus posset doceri, nisi satius esset in re nota præterire. Hanc suscepti Baptismi celebritatem, ob tanti viri memoriam in Ecclesia Occidentali retẽtam, non est mirandum, quando D. Hieronymus in Chronico testis est, Mediolani Ambrosio Episcopo constituto, omnem Italiam ad rectam fidem conuersam esse. Galesinius ex Beroldo Ambrosianorum rituum scriptore, & illius Ecclesiæ tabulis Sancti Ambrosij Baptismum hac ipsa die recolit, & postremo die Nouembris post Ecclesiasticam pompam in Ambrosiana Ecclesia Missã de Baptismo S. Ambrosij celebratã docet, quod ex verbis eiusdem Beroldi cap. 98. dissertationis Nazarianæ num. 12. ita affert Ioannes Petrus Puricellus. *Hic obseruatores debent cantare Missam de Baptismo S. Ambrosij ad altare eiusdem*. Beroldus ante quingentos annos scripsit Mediolanẽsis Ecclesiæ ordinem, vt habet idem Puricellus cap. 97.

Romæ. Romanos martyres binos tãtum refert M. Antuerpiẽse cum Rabano, nempe Castulum, & Eutrepitem, siue Euprepiotem: Saturninus enim Chrysanthus, & Maurus repetita ex pridianis fastis veneratione videntur superadditi in libris nostris, & M. Corbeiensi: Centulus verò, Theodolus, & Ianuarius, qui pariter in codicibus illis Romæ tribuuntur, in M. Antuerpiensi diuerso ordine, & maiori distinctione *alibi* incerto loco assignantur. Ex his Beda, Castolum, & Epreptum apud Galesinium memorat, quos ex mss. libris etiam educit, & Romæ venerationem habuisse testatur, sicuti in Romano M. etiam legitur, & à Baronio confirmatur.

KALENDAS DECEMBRIS

Litanias Indicendas.

December habet dies XXXI.

ROmæ Candidæ. Amboni. Filati. Lucij. Matronæ. In Africa Victori. Rogati. Mamminari. Aleguati. Quintasi. Natalis Sancti Cassiani. Calendionis. Pimini. Donati. Saturnini. Fortunati. Luciani, & Scioptati. *In Gallia Ciuitate Nouione Depositio S. Eligi Episcopi, & Confessoris.*

Marty-

DECEMBRIS 1.

MArtyrologium Antuerpiense, vt plurimum accuratè distinctum, Romæ tantùm ita Cãdidam profert. *Kal. Decembris. Romæ Natalis Candidæ. & alibi Oniboni, Filadi, Luci, Matronę. In Africa Victori, Rogati, Mammari, Elegatæ, Quintasi, Natalici, Cassiani, Kalendionis, Pinnini, Donati, Saturnini, Fortunati, Leutani, Optati.* Nec præter Candidam alios martyres Romæ assignat Beda editus. Lucium, Rogatum, & Cassianum Romanæ Candidæ, socios addit martyrol. Romanum ex veteribus mss., vt ibi addit Baronius, cum tamen Rogatus, & Cassianus constanter inter Africanos reponantur, tam à libris nostris, quam martyrol. Corbeiensi, & Antuerpiensi. In Calendario peruetusto Hieronymiano Lucensi ex his Africanis martyribus tantum Cassianus indicatur, & pro Cãdida, Candidus exhibetur. *Kal. Decembris Cassiani, & Candidi*, reliquos videtur ex Galesinio Baroniũ accepisse, & fortasse ex non optimæ notæ codicibus. Martyrol. Corbeiense ita hodiernos fastos distinguit. *Kal. Decembris. Litania indicenda. Romæ Sanctę Candidæ, Amboni, Filati, Lucі, Matronæ, Iustini. In Africa Victori, Rogati, Mammari, Alequatæ, Quintasię, & Natalis S. Cassiani, Klempimini, Donati, Saturnini, Fortunati, Luciani, & Optati. In Gallia ciuitate Nouiomo Sancti Eligij Episcopi, & Confessoris.* Rabanus Candidam Romæ veneratur, & pro Omnibone, vel Ambone *Viri boni, & aliorum xxx.* memoriã addit, quos alibi potius, quam Romæ passos agnoscimus. Filatius pro Filadio etiã in libris nostris dicitur, & in martyrol. Corbeiensi, reliqua ignorantur. Ferrarius nihil addit supra M. Romanum, & Galesinium. Martyrol. Corbeiense addit Iustinum aliis codicibus præteritum.

In Africa. Quatuordecim celites purpurati in Africa numerantur sub Antesignano Victore in M. Antuerpiensi. Tredecim tantùm recensentur in libris nostris, quia Natalis pro die festo Cassiani martyris scribitur, cũ potius Natalicus martyr sit, siue nomen martyris in Vetustissimo M.; duodecim tantum sunt in M. Corbeiensi non modo ex eadem Natalis voce, sed etiam quia ex Kalendione, & Pimino, siue Pinnino, vnus deprauato nomine martyr Klempiminius formatur. Elegata etiam Aliquatus in libris nostris, & Corbeiensi scribitur. Reliqua mihi de his Africanis pugilibus ignota fateor.

In Gallia. Addita ab Antiquario Gallico Nouiomi sancti Eligij depositio est, etiam in Romano M. & apud Bedam, Vsuardum, & Adonem memorabilis. Nouihomi Eligij Episcopi, & confessoris, cuius vitam admirabilem multiplex signorum numerus commendet, natalem diem indicat ipsis Calendis Decembris Hagiologium Vetus FrancoGallię Labbei. Nouiomum putant Geographi Oppidum esse, quod Nouiodunum dicebatur. Castrum ætate D. Medardi, nunc Picardiæ nobilis ciuitas. De S. Eligio aliqua Baronius colligit, & post eũ Saussayus. Diffusiorem vitam a S. Andoeno seu Dido scriptam habet Surius To. 12. dignam, quæ omnium manibus teratur. Plura ex eadem vita, & aliis cumulant de S. Eligio xx. Episcopo Nouiomensi Sãmarthani; qui eundem ex veteribus calendarijs migrauisse docent cal. Decembris anno 663.

H

Romæ

IIII. Nonas Decembris.

ROmæ natalis Primiti. Pontiani. Pimini. In Mauritania Veri. Securi. Ianuarij. Fortunati. Meggeni. Debbuchi. Victorini. Clemeni. Pontiani. Candidi. Mammeriæ. Agnetis. Donati. Primi. Victorij. Secundi. Septimi. Maximi. Donati. Saturini.

DECEMBRIS 2.

POntianum martyrem cũ anonymis quatuor anniuersario hoc die recolit Romanum martyrol., Galesinius ita illos enumerat. Romæ Pontiani, Priminij, Dimetri, & Iubiani. Tres tantum & diuersis nominibus ita indicat M. Antuerpiense. *IV. Nonas Decembris. Romę Pemeri, Pontiani, Pinimi. In Mauritania Veri, Seuri, Ianuari, Victurini, Fortunati, Meggini, Debathi, Item Victurini, Clemens, Pontiani, Candidę, Mammariæ, Agnetis, Donata, Primæ, Victurinæ, Secundæ, Septimæ, Maximæ, Donatæ, Saturninæ.* Pro Iubiniano à Galesinio indicato M. Corbeiense Iouianum, qui in libris nostris desideratur, hoc ordine refert. *IV. Nonas Decembris Romę natalis S. Primentii, Pontiani, Pimini. In Mauritania Seueri, Securi, Ianuarij, Victorini, Fortunati, Meggini, Debbuchi, Victurini, Clemeni, Põtiani, Candidæ, Mammariæ, Agnetis, Donatæ, Primæ, Victuriæ, Secundæ, Septimię, Maximę, Donatæ, Saturninæ.* Addit Rabanus Romanis martyribus supra libros nostros Iubianum, Daphrosam, & Dimetrium. Faustum, & Daphrosam filiam cum S. Viuiana martyre veneratur hac die Ado, & sepultam addit vbi mater, & soror eius Demetria iam sepultæ erant, vnde Demetria non Demetrium legẽdum esset. Iam vero qui Primitius nobis dicitur Primentius apud Rabanum vocatur sicut in M. Corbeiensi; Pemerius verò in Antuerpiensi, in quo pro Primino Pinimius legitur, vel Piminius, vt Rabano, & Corbeiensi placet: Dimetrius etiam apud Galesinium cum Iubiano recensetur pro Demetria. Ex his mutilationem maiorem in codicibus nostris agnoscimus: aliquam etiam in martyrol. Corbeiensi, & Antuerpiensi. Romanum emendatum alios Romę martyres ab his diuersos habet, Eusebium nempe, & socios. Bibianam etiam seorsim veneratur. Hæc quidem in adductis codicibus desideratur, sed in Calendario Hieronymiano Lucensi ita signatur. *IIII. Nonas S. Viuianę.*

In Mauritania. Pro Seuero antesignano Maurorum pugilum libri nostri cum M. Antuerpiensi, & Vvandelberto Verũ indicant, quibus ita consentit Rabanus. *IV. Nonarum Decembris. In Mauritania Veri, Securi, Ianuarij, Victorini.* Seuerum tamen legit Romanum M. cum Beda, & Galesinio, qui Securum, Ianuarium, & Victorinum sociant; sed inter Ianuariũ, & Victorinum alij cælites mediant, & adhuc plures subsequuntur in libris nostris. Verum, & Securum fratres vocat in Africa martyrio coronatos Vsuardus. Ex Adone Petrus de Natalib. lib. 1. c. 21. germanos fratres pariter vocat, at quod addit apud Africam passos sub persecutione Vandalica, neq. in edito Adonis, aut eius Appendice legitur, neque in optimæ notæ mss. Adonis nostro. Vnde etiam malè ex Petro accepit Maurolycius. Nullos Vuandalicæ persecutionis martyres in Vetustiori martyrol. nostro indicari, alibi diximus, quia Vetustius

est.

est. Sacer martyrum Maurorum chorus vicenarius prostat in libris nostris. Vnum superaddit martyrol. Corbeiense in quo etiam post Mammariam sanctas mulieres fuisse, quæ annotantur, apparet, & confirmat martyrol. Antuerpiense; quod cum etiam duos Victorinos recenseat, ex his vnum in libris nostris deficere suadet.

III. Nonas Decembris.

NAtalis S. Ambrosij. In Oriente Merobi. Claudici, & Felicis. In Nicomedia Vmbici. Felicis. Victori. Iulij. In Africa Crispini. Magni. Iohannis. Stephani. Victoris, Martini. In Bononia Sancti Agricolæ. Et in Tingi Cassiani.

DECEMBRIS 3.

AD die 3. Decembris, sed septima Natalem Cathedræ S. Ambrosij cum Mediolanensi aliæ quoque Ecclesiæ, tam Occidentis, quã Orientis recolebant. At 3. Nonas nõ nisi codices nostri, ex alicuius Antiquarij additamento. Romanũ martyrol. ordinationem eius eodem die 7. recenset. Menologium, tam à Canisio editum, quam a Basilio elogium laudabilis vitæ texunt, & obdormitionẽ in Domino illa die recolũt, non ordinationis natalem. Martyrol. Antuerpiense festum S. Ambrosij diem, neque 7. Idus, neq; hoc die retinet; sed sacros fastos ita prosequitur. *III. Nonas Decembris. In Africa Crispina, Mannæ, Martyris. In Oriente Merobi, Laudici, Felicis. Nicomedia Vmbici, Item Felicis, Victori, & Iuli. In Africa Crispina, Ioannis, Stephani, Victoris, Martini, Bononiæ Italiæ Agricolæ, & Intingi, Castiani.* Ita pariter S. Ambrosij natalem filet martyrol. Corbeiense. *III. Nonas Decembris. In Oriente Merobi, Claudici, Felicis. In Nicomedia Vmbici, Item Felicis, Victorici, Iulij. In Africa Crispini, Magna, Ioãnis, Stephani, Victoris, Martini, Sauiniani. In Bononia Sanctæ Agricolæ, & Intingi Cassiani, Crispini.*

In Oriente. Paululum immutato nomine Myropes, non Merobi legendum esse suadet Menologium Canisij, in quo hoc ipso die sãcta huius nominis martyr Ephesina recolitur, quæ ad sepulcrũ S. Hermiones, vnius scilicet ex filiabus S. Philippi, vnguentũ colligens, omnibus que tribuens, Myrope ob id dicta fuit & sub Decio apud insulam Chium propter fidei Christianæ confessionem vectibus grauiter verberata, & crinibus per vrbem tracta, spiritum Deo reddidit. Neque aliud obstat, quin Myropes nomen restitui debeat, quam socij Claudicus, siue Laudicius, & Felix, qui in adductis codicibus superadduntur. Rabanus cum libris nostris consonans ita habet. *III. Nonas in Oriente Metrobi, Claudici, & Felicis. In Nicomedia Ambici, Victuri, Iuli. In Africa Crispini, Magine, Ioannis, Stephani, Victoris. In Pannonia S. Agricolæ, & in Tingi Cassiani presbyteri.*

Nicomediæ. Vmbicium, vel Ambicium, Felicium, Victorem, & Iulium recensent cum libris nostris martyrolog. Antuerpiense, & Corbeiense; in quibus expresse *item Felicis* legitur, quamquã neque Romanum martyrol. cum Beda, & veteribus mss., vt addit Baronius, neq. alius codex, quem viderim, Felicem exhibeant inter Nicomedienses martyres. Pro Vmbico tamen plures Ambicum retinent.

In Africa. In duas classes Africanos martyres partitur martyrol. Antuerpiense, quarum altera in latereculi limine Crispinam, Marinam, & Martyriam producit. Secunda sub Crispina ductore alios quatuor martyres continet Ioannem, Stephanum, Victorem, & Martinũ. Ex duobus turmis vnica conflatur in martyrologio Romano, Corbeiensi, & nostro. At Claudius, qui ex Beda, & Galesinio Africanis additur, vel Romanus est, vel ex Claudico Orientis immutatus fuit. Quinque tantùm in Romano M. numerantur; septem sunt in martyrol. Corbeiensi; octo in Antuerpiensi in quo Martyria aliis ignorata in primo ordine reponitur. Sex tantum in libris nostris inuenio, quia in Corbeiensi Satinianus additur, qui etiam in Antuerpiensi desideratur. In Calendar. Hieronymiano Lucensi ex his duo tantum martyres indicantur. *III. Nonas. Ioanni, Stephani.*

In Bononia. In Pannonia non Bononia Romanum. Martyrol. retinet cum Beda, Galesinio, & vt notat ibi Baronius etiam veteribus mss. quibus addimus etiam Rabanum. Sed M. Antuerpiense Vetustissimum ita Bononiam retinet, vt Italiam etiam addat ad Pannoniam excludendam. Vitalis, & Agricolæ memoriam egimus Bononiæ in Italia die 27. Nouembris. Quamquam enim vna, & eadem die Vitalis seruus, & Agricola Dominus agonem non compleuerint, simul tamẽ, vt in passione socij, recoli potuerunt. Cũ autem re vera Agricola, dilato nonnihil martyrio, tardius coronam acceperit, in hanc diem natalem eius facile, & seorsim incidere, & celebrari potuisse nihil vetat.

Tingi. Librariorum errore tam in Martyrolog. Antuerpiensi, quam Corbeiense pro martyre *Intingi* scriptum videtur, sed facilis error ex omnibus ferè martyrologijs latinorum, qui Calsiani exceptoris memoriam prosequuntur, facilè etiam emendari potest. Videndus ad Rom. martyrologium Baronius, qui Prudentij de Tingitano Calsiano carmina affert. Malè apud Rabanum presbyteri titulus additur, & Crispinus socius in M. Corbeiensi nullibi comparet; nisi Crispina sit primo loco inter Africanos martyres repetita in M. Antuerpiensi.

II. Nonas Decembris.

SAnctorum Eraclij. Cristai. Pudenti. Miggini. Victori. Et in Laudocia Metropoli Felicis. Merubi. Filabi. Vmboni.

DECEMBRIS 4.

DIssonant inter se M. Antuerpiense, Corbeiense, & libri nostri in assignando agonis loco quinque primis pugilibus hodiernæ ephemeridis. Illud Vetustissimum primo repetit Orientales martyres pridie veneratos, deinde qui in codicibus nostris, sine agonis loco producuntur Nicomediæ disertè, & hoc ordine tribuit, *Pridie Nonas Decembris. In Oriente Merobi, Laodici, & Felicis. Nicomediæ Eracli, Cristiani, Potenti, Miggini, Victori. In Laodicia Metropoli Felicis, Metropoli, & alibi Filadi, Vmboni.* E contra martyrol. Corbeiense sacrorũ pugilum antesignanum Eraclium in vrbem conuertit Heracleam, quam locum agonis reliquis constituit. *II. Non. Decembris Heraclea Christiani, Pudenti. Miggini, Victuri. Et in Laodecia Metropoli Felicis, Macrobij, Faladi, Vmbuni.* At quamuis in binis codicibus martyrolog. nostri locum, siue certamenis, siue venerationis librarius incuriosus subticuerit

Eraclium tamen aliorum ducem refert non Heracleam, ſicuti eandem lectionē ita confirmat Rabanus. *Eodem die* (2. Non.) *Heracli, Chriſtiani, Prudentis.* Atq; idem docet Vvandelbertus. *Tam pridie cum Victorio, præcellit Heracleus.* Vt iam dubitandum non ſit Eraclium retinendū eſſe pro martyre, non Heracleam pro vrbe.

In Laodicea, Metropolis vox addita incertum relinquit, an de Laodicea Lydiæ ad Mæandrum poſita accipienda ſit, quoniā conuentus multarum vrbium, & Metropolis fuit, vel de Laodicea Syriæ, inter Heracleam, & Gabala, Vrbe item Archiepiſcopali, & Metropoli. De prima videretur intelligendum, quòd clariſſima eſſet, & XVI. vrbium non ignotarum caput. Sed adhuc dubium eſt ex inuſitato titulo Metropolis in Vetuſtiori M. ſæpius memoratę Laodiceę ſuperaddito, & nunquam alibi expreſſo, ne vox Metropolis nomen martyris potius ſit. Id ſuadere poſſet repetitum in martyrol. Vetuſtiſsimo nomen idem poſt Felicem, quod vrbi aptari nequit. Et licet in M. Corbeienſi, aut libris noſtris id iteratò non proſtet, potuit tamen à librario antiquo tanquam quid ociōſum, & repetitum auferri, & poſſet etiam illius venerabilis codicis fide reſtitui; ſed fortaſſe ſcribendum eſſet Metropoli, quo nomine ſanctus Epiſcopus nuncupatur III. Nonas Auguſti. In libris noſtris, & Corbeienſi martyrol. prope Felicem, Merobius ſcribitur, non Metropolis. Poſtremi duo martyres Filadius, ſiue Filabius, & Vmbonus in martyrol. Antuerpienſi non Laodiceni ſunt, ſed ab his ſeiuncti, & incerto loco *alibi* aſsignati.

Nonis Decembris.

NAtalis Sancti Criſpini. In Africa Humili. Felicis. Iuli. Potamiæ. Item Criſpini. Eracli. Miſſi. Victoris. Trophimi. Euoarpioni. & aliorum viij. Sanctorum. Candori. Mamſamoni. Pauli. Marci. Suſſi. Briuati. Fulgenti. Matronæ. Filadi. Sanctæ, & Mariæ. Sancti Amanti Epiſcopi.

DECEMBRIS 5.

AN Criſpinus, vel Criſpina legendum ſit ambigo. Martyrol. Romanum hoc die Thebeſtæ in Africa S. Criſpinam D. Auguſtini teſtimonio celeberrimam martyrem veneratur cum Beda, Vſuardo, & Adone, ac cæteris recentioribus, vbi S. Doctoris loca adducit Cardinalis Baronius. At non modo bini codices noſtri, & martyrol. Corbeienſe Criſpinum, eiuſq. natalem, nullo agonis indicato loco, venerantur; ſed & alium Criſpinum diſertè in Africa producunt addita particula *Item*, quæ omnino in illis ſcriptum etiam primo loco Criſpinum fuiſſe dubitare non ſinunt. Criſpinum etiam non Criſpinam habet Rabanus cum aliis huius diei cælitibus hac ſerie. *Nonis. Natale Dalmatij martyris. Natale S. Criſpini, Felicis. In Africa Ciuitate Togara natale Iuly, Potamiæ, & Grati, & aliorum vij.* Quos tamen ita vberius profert martyrol. Corbeiense. *Non. Dec. Natalis S. Criſpini. In Africa Humili, Felicis, Iulij, Potamiæ. Item Criſpini, Heracli, Miſſæ, Victoris, Trophimi, Euoarpion, & aliorum viij. Sanctorum Candori, Nanſamoni, Pauli, Marci, Iuſſi, Primati, Fulgenty, Matronæ, Feladi, Sanctæ Mariæ, Sancti Amanty Epiſcopi.* Sed de more accuratum magis martyrol. Antuerpienſe, & loca diſtinguit, & Criſpinam non Criſpinum ita primum exhibet.

Nonas

Nonas Decembris. Ciuitate Tegorá natalis Iuli, Potamiæ, Crispinæ, & aliorũ vij. In Misita natalis Crispini. In Africa Humili, Felicis, Eracli, Misi, Victoris, Trofimi, Serapioni, & aliorum vij. Gaudonami, Pauli, Marci, Sussi, Priuati, Fulgenti, Matronę, Feladi, Sanctę, Marię, & alibi Amanti Episcopi.

Crispini. Crispinæ legendum videretur cũ ediris ferè omnibus latinorum martyrologiis, vt diximus, nisi solitariũ Crispinum etiam indicaret martyrolog. Antuerpiense. Cumq; non incerto loco, sed *In Misita*, Crispinam signet, ei magis mihi videretur adhærendum, nisi Misita siue regio, siue vrbs incerta etiam mihi esset, & ignota. Alius ergo Crispinus erit à Crispina apud D. Augustinum celebris qui cum Iulio, & Potamia, & alijs vij. vel agonem compleuerint, vel venerationẽ habuerint in vrbe Tegora, seu vt habet Petrus de Natal. lib. x. cap. 130. nu. 3. in ciuitate Togara, vel vt emendatum martyrol. Romanum aptius legit Thagura Numidiæ, vrbe in Antonini Itinerario memorata. Vnde quæ in martyrologio Antuerpiensi Crispina dicitur Crispinus potius videtur Thaguritanus martyr omnino diuersus à Crispina, quæ in Colonia Thebestina certamen perfecit, & in libris nostris hac die prætermittitur.

In Africa. Sub duplici classe codices nostri omnes ferè huius anniuersarij diei martyres includunt; quin etiam loco nõ distinguunt. Septem Africani sunt, præter tres Thaguritanos, qui nominibus exprimuntur, tam in libris nostris, quam martyrol. Antuerpiensi, & Corbeiensi, sed anonymi octo in illis numerantur, nouem in Corbeiensi: secũda classis Africanorum post anonymos recensita in codicibus nostris Candorum antesignanum præfert, sicuti in martyrolog. Corbeiense; hic tamen in Antuerptensi desideratur; in quo agmen ducit Gaudonamus, qui Nansamonius in libris nostris, vel Nansamonius in Corbeiensi dicitur. In his sacri pugiles sub ductore Candorio decem sunt, nisi Sanctæ nomen pro martyris proprio, non pro titulo accipiatur, quemadmodum scriptum pro distincta martyre videtur in martyrolog. Antuerpiense: ita enim vndecim essent in codice Corbeiensi, & nostris.

S. Amantius Episcopus ex Africano cætu non est, id palam docente martyrol. Vetustissimo *& alibi*. An S. Amantij Ruthenorum Episcopi aliqua recolatur celebritas incertum mihi est, cũ sanctus huius Episcopi natalis iam indicatus sit die 4. Nouembris, & eiusdem Translatio in eius vita edita Tomo 2. Bibliothecæ Labbei inciderit in die 29. Iunij. S. Amãtius Remensis Episcopus apud Saussayũ in supplemento recolitur pariter pridie nonas Nouembris, quem tamen Sammarthani tertium Episcopum Remensem producunt; sed sanctitatis titulo nõ ornant, neq. diem obitus signant. Eadem die alium Amantium Episcopum Luteuę in Gallia Narbonensi producit Saussayus in martyrologio Gallicano. Hunc Episcopum non agnoscunt Sammarthani, qui Sancti Florensem Ecclesiam recentiorem accipere videntur pro Luteua, seu Lodeue vrbe Occitaniç. Vix autem credi potest sanctum hunc Amantium hìc recoli.

VIII Idus Decembris.

IN Africa Zeloti. Fortunati. Gaddi. Hermogeni. Rogati.

DECEMBRIS 6.

BReuissimè sacram Ephemeridem ex Africanis martyribus quinque implent libri nostri, ac Corbeiense martyrol. nempe *VIII. Idus Decembris. In Africa Zeloti, Fortunati, Gai, Hermogenis, & Rogatiani*. Plures refert martyrol. Romanum, sed ab his diuersos, & recentiores ex Vandalica persecutione. Ex vetustioribus hisce Rabanus tres indicat. *VIII. Idus. In Africa Zeloti, Fortunati, Gathi* pro Gaio. Sed multa telluris intercapedine, & non parua nominum differentia sacros Athletas hodiernos ita Antiochiæ tribuit in Apographo nostro martyrol. Antuerpiense. *VIII. Idus Decembris. In Antiochia Teguli, Fortunata, Agathæ, Zetali, & Gobani*. Zelotum pridie huius diei refert Kalendarium Hieronymianum Lucense pervetustum, & Gratum pro Gaio, siue Gatho Galesinius ex Beda. Putarem omninò alios esse Antiochenos martyres in martyrol. Vetustissimo indicatos, ab Africanis nostrorum codicum, & M. Corbeiensis, & ex vtrisque sacrum anniuersarium diem esse constandum, dum alia addere non licet.

VII. Idus Decembris.

IN Antiochia Ciuitate Policarpi. Theodoli. & Sapidici.

DECEMBRIS 7.

ANtiochenos martyres Policarpum, & Theodorum tantùm non Theodolũ veneratur in sacris hodiernis Tabulis Romanum martyrol. Beda, & antiqua mss., quæ addit Baronius. Plures profert martyrologiũ Corbeiense, quos eidem debemus, non alibi memoratos, *VII. Idus Decembris. Antiochia Polycarpi, Theodori, & Sapici, Severini, Secundini, Victorini, Clementis, & Primi. Passio Sancti Sauini Episcopi.* Ex his pro Sapicio, Sapidicium tantùm addunt libri nostri, quem tamen ad Antiochenos non pertinere ita monet martyrol. Antuerpiense. *VII. Idus in Antiochia Policarpi, & Theodori, & alibi Sapidici, & Romæ Euticiani Episcopi.* Rabanus Polycarpum, & Theodorum Antiochenos refert, & Sauini Episcopi Spoletani Acta percurrit, alios verò silet, quèadmodum Vuandelbertus, qui cecinit *Septenas retinet Polycarpus cũ Theodoro*. S. Eutichianus Romanus Pontifex in libris nostris postridie colitur.

VI. Idus Decembris.

ROmæ Euticiani. Eusebi Episcopi. Vrani presbyteri, & Successi Episcopi.

Sanctus

DECEMBRIS 8.

SAnctũ Eutichianũ Romanum Põtificem silet in hodiernis, his tãtum verbis expressis Tabulis, M.Corbeiense. *VI. Idus Decembris. Eusebij Episcopi, Vsanni presbyteri, Successi Episcopi.* Bis verò S. Eutichiani meminit M. Antuerpiense, & pridie, & in huius diei indiculo. *VI. Idus Decembris. Roma depositio Eticiani Episcopi, Eusebi Episcopi, & Tiranni presbyteri, & alibi Successi Episcopi.*

Euticiani. Sanctum Pontificem, ac martyrem Euticianum, siue Eutichianũ hac die veneratur cum Beda, Vsuardo, Adone, Vuandelberto, & aliis recentioribus Romanum M. quamquam liber Pontificalis, Pseudo Luitprandus, & Abbo Floriacensis agonem compleuisse affirment viij. Kal. Augusti. Vetustissimũ tamen fragmentum Romani M. apud Bucherium, ita natalem eius signat. *vi. Idus Decembris Eutychiani in Callisti*, puta cœmeterio. Consonat Vvandelbertus, Petrus de Natal. lib. 1. cap. 45. de quo videndus Cardinalis Baronius tam in Notationibus, quam Annalibus. Lucensem patriæ meæ ciuem aliqui ex nostris S. Eutichianum malunt, quam Lunensem. Sine vetusto monumento, aut auctore non affirmarem.

Eusebi. Suspicari liceret Eusebium hunc Episcopum Romanum esse, quòd nulla alia loci disiunctiua particula à Romanis cælitibus disiungatur, sicuti neque adductum antiquissimum fragmentum apud Bucherium loco distinguit ab Eutychiano Eusebium, dum sepultum vtrũque docet in cœmeterio Callisti; Eusebium tamen recolit vi. Kal. Octobris, cũ M. nostro, vt ibi diximus. Tirannus itẽ presbyter, siue Vsannus, siue Vranius ab Eusebio Episcopo non seiungitur, sicuti neque Successus Episcopus, qui in M. Antuerpiensi *alibi* incerto loco veneratus mostratur. Saussayus in supplemẽto Gallicani Martyrologij vj. Idus Decẽbris depositionem refert S. Eusebij, Vzani presbyteri, & Successi Episcopi, quorum memoriam ex Tolosana Ecclesia, & ex eius dipthycis accepisse profitetur. Sammarthani Successum inter Tolosanos Episcopos non recensent.

V. Idus Decembris.

IN Africa Petri. Successi. Basini. Victori. Tonini. Porphyri. Vrbani. Ianuarij. Mizini. Publiciani. Pascenti. Item Vrbani. Bonifatij, & aliorum xij. In Antiochia Geronti. Pollentiæ. Siluani. Valentini. Marij. Donati. Victorij. Agnelli. Inventij. Rogati. Hermogenis. Felicis. Euticiani.

DECEMBRIS 9.

AFricanorum martyrum cætum, sine palestræ nomine ita exhibet martyrol. Antuerpiẽse. *V. Idus Decembris. Natalis Petri, Successi, Turni, Puplicani, & aliorum xx. Vrbani, Ianuarij, Nizini, Pascenti, item Vrbani, Bonifatij, & aliorum xij. In Antiochia Geronti, Publẽtiæ, Siluanj, Valentiæ, Mariæ, Donatj, Victoriæ, Cantellæ, Inuentiæ, Rogatj, & alibi Ermogenis, Felicissimi, Euticiani.* Horum aliquos cum Anonymis xx. numerat etiam

etiam in Africa veneratos martyrologiũ Romanum, nempe Petrum, Succesum, Bassianum, Primitiuũ. Eiusdemq. assertionis testes adducit Cardinalis Baronius Bedã, recẽtiores, & vetera mss. Inter recentiores video Bellinum de Padua, qui tres tantùm ita promit. *In Africa SS. Petri, Successi, Bassiani*, & Galesinium totidem verbis. Maurolycius, qui pro Bassiano Bassinum refert, addit Porphyrium, & Vrbanum ex Petro de Natalib. lib. xi. cap. 130. nu. 4. *Petrus, Successus, Bassinus, Porphyrius, & Vrbanus martyres in Africa passi sunt V. idus Decembris.* Hęc autem libuit adducere, vt musilum nonnihil agnoscam M Antuerpiensę, cum in eo Bassianus, Primitiuus, & Porphirius desiderentur, quamquam Primitiuus etiã in libris nostris deficiat, quos cũ martyrol. Corbeiense ita conferre libuit. *V. Idus Decemb. In Africa Petri, Succesi, Basini, Victoris, Tonini, Porphyri, Vrbani, Ianuaria* (Ianuarij retinent codices nostri) *Maiani*, (Mizini Publiciani) *Basconti. Item Vrbani, Bonifacii, & aliorum viginti trium* (duodecim). *In Antiochia Geronti, Polintiæ* (Pollentia) *Siluani, Valentię* (deficit in nostris) *Valentinę, Mariæ*, (Marij) *Donatę, Victuriæ*, (Donati, Victorij,) *Agnillę*, (Agnelli) *Inuentiæ, Rogatę*, (Iuuentij, Rogati) *Hermogenis, Felicis, Luticiani, Flauiani*. Euticianus pro Luticiano codices nostri retinent, & Flauianum silent. In Anonymorum numero, quæ intercedit differentia non leuis est, puta à vicenario numero ad duodenarium. At vtrumq. retinendum esse docet martyrolog. Antuerpiense, in quo post Puplicianum adduntur & alij xx. vel cum Corbeiensi xxiij. post Bonifacium verò alij xij. vt retinent libri nostri: In Vicenario numero conueniunt martyrol. Romanum, & Rabani, in quo pro Tonino Turnus legitur, vt in martyrol. Antuerpiensi. *V. Idus. In Africa natale Petri, Successi, Turni, Publiciani, & aliorum xx.*

In Antiochia. Decem tantùm Antiochiæ martyres refert martyrol. Antuerpiense, mulieres omnes præter Gerontiũ antesignanum. Ermogenes, verò Felicissimus, & Euticianus, quos simul cum Antiochenis vnico choro referunt libri nostri, & Corbeiensis addito Flauiano, alterius loci sunt, incerti nimirum *alibi*. In his ergo codicibus distinguendi sunt, & in nostris à Gerontio ad Ermogenem prosanctis mulieribus accipiendi sunt, & ad fidem Vetustissimi, & Corbeiensis martyrol. corrigendi.

IIII. Idus Decembris:

VIctori. Consenti. Adriani. Eracli. Erumentium: Pudenti. Magni. Victoriani. Pauli. Vrbani. Mari. Crinicæ. Ceciliæ. Orbanellæ. Crispinæ. Polentiæ, Primati. Item Orbanellæ. Romæ depositio S. Damasi Episcopi. Germani. Euladi. Euangeli. Drasonis. Mauri. *Et in Ciuitate Aruernis Sancti Agricolæ, & Vitalis martyris.* In Hispania Ciuitate Almeri Sanctæ Eulaliæ virginis, & martyris.

DECEMBRIS 10.

SÆpe accuratius martyrolog. Vetustissimum agnoui, & prædicaui, aliquando tamen mutilũ, aliquando etiam deprauatũ inueni, quod in hodiernis fastis fatendum video. In frõte enim laterculi Romanos illos martyres exprimit, quos non modo ex fide librorum nostrorum, & Corbeiensis ad sequentem diem pertinent, sed in ipso Vetustissimo imminuti etiam postridie referuntur,

referuntur, vt conferre vnusquisq. poterit, & decernere. Hodierni quidem fasti ita in eo prostant. *IIII. Idus Decembris. Romæ Trosonis, Pontiani, Capitolini, Prætextati, & aliorum lxxij. & in Spanis Eulaliæ, Victuri, Currentis, Adriani, Eraclii, Erumenti, Prudenti, Miggini, Victoriani, Pauli, Marci. Emericæ Ciliciæ Orbanellæ, Crispinæ, Pulenti, Priuatæ, itē Orbanellæ. Romæ Damasi Episcopi, & alibi Germani, Eladi, Euangeli, Trasonis, Mauri. In ciuitate Aruernis Agricolæ, & Vitalis martyris, & in Spanis Iuliæ Virginis.* Martyrol. Corbeiense, quod plurimum cum nostro conuenit à Victorio pariter vberiorem sanctorum turmam exorditur, non indicato certaminis loco, & parua, quam adnotamus, cū libris nostris differentia. *IV. Idus Dec. Victori, Consenti, Adriani, Heracli, Erumentii,* (Frumentium legit alter ex libris nostris) *Pudenti, Migini* (Maggini) *Victuriani, Pauli, Vrbani, Marci* (Mari) *Ciriaici,* (Crinicæ) *Cæciliæ, Orbanellæ, Crispinæ, Polentiæ, Priuatæ, Vibianellæ* (item Orbanellæ) *Cyriaci, Iulii,* (deficiunt hi duo in nostris codicibus) *Romæ depositio Damasi Papæ* (Episcopi) *Germani, Eludi,* (Euladi) *Euangeli, Thrasonis, Mauri. Et in ciuitate Aruernis Agricolæ, & Vitalis martyrum. In Hispania ciuitate Emerita* (ciuitate Almeri) *passio S. Eulaliæ virginis.* In libris nostris suppressa Passionis voce, legitur *Eulaliæ virginis, & martyris*, quod idem sonat. An vero xviij. martyres, qui non indicato agonis loco in libris nostris recensentur, siue xx. in martyrologio Corbeiensi siue xvij. in martyrol. Antuerpiensi Hispaniæ sint assignandi, vt in eodem tribui post Eulaliam videntur, an incerto adhuc loco relinquendi, non decerno. Prudentius quidem in Hymno 3. pro S. Eulalia Emeritense non obscurè innuit in eadem vrbe persecutionem cōtra Christicolas inuenisse, vnde plures ibi martyres fuisse cōuincitur.

Romæ. De S. Damaso Romano Pontifice aliqua diximus ad diem secundum Iulij. Eiusdem memoriam renouant postridie huius diei Romanum martyrol. Beda, Vsuardus, Ado, Vvandelbertus, Rabanus, & alij. Plura de eo habet Cardinalis Baronius in Annalibus, & pluries eiusdem corpus fuisse translatum notat Aringhius lib. 3. cap. 12. nu. 17., vt procliue sit varias celebritates habuisse. Depositionem, siue sancti obitus diem mense Decembris omnes ferè fuisse testantur, nō omnes in vno die conueniūt. Marcellinus Comes in chronico defunctum signat mense Octobris, in quo à Baronio reprehenditur ad annum 384. num. xi.

Germani. Anceps fuissem, an post interpolatam S. Damasi memoriam, qui sequuntur martyres cum reliquis, siue Hispanis, siue incerti loci cælitibus, essent assuendi; sed distinctos, & ignotæ regionis docuit martyrol. Antuerpiense, in quo alij quatuor martyres sub Germano adducuntur, ijdem prorsus, qui in libris nostris, & Corbeiensi numerantur, qui tamen aliunde mihi non clarescunt.

Aruernis. Claramonte Aruernorum translationem reliquiarum SS. Agricolæ, & Vitalis ex vrbe Bononia Italiæ docet Saussayus sub Namatio Episcopo, & iam diximus ad diem 27. Nouēbris, sed illius translationis celebritatem pridie Non. Decembris adhuc in eadem Ecclesia recoli addit ipse Saussayus. Cur verò in hanc diem reposuerit Gallicus Antiquarius me fugit.

Ciuitate Almeri. Emeritæ non Almeriæ Eulaliam virginem, ac martyrem hoc ipso die venerantur Romanum martyrol. Beda, Vsuardus, Rabanus, Ado, Vvandelbertus, & alii, inter quos vidēdus est Card. Baronius. Duplicem Eulaliam martyrem in Hispania agnoscūt Bollandus, & Henschenius in Actis Sanctorum ad diem xij. Februarij; alteram Barcinonensem, alteram Emeretensem, de qua hoc die iiij. Idus omnes ferè latini agunt, & cuius illustrem agonem celebrat Prudentius. Rabanus non Emeritensem, sed Barchinonensem iiij. Idus

memorat,

memorat, Emeritensem verò ij. Idus Decembris. Barchinonẽsis Acta habet Petrus de Nat. lib. 1. cap. 54. sed vtriusque inter se confusa. Almerienſis alia etiam esset. Almeria enim Geographis vrbs est Hispaniæ Bethicæ litoralis ab Emerita Lusitaniæ veteris vrbe omnino diuersa; Eulaliæ huius Almerienſis Bethicæ recurrit etiam memoria insta die 12. Decembris, nisi librarij nostri errore Almeria, pro Emerita scriptum sit. Iuliam pro Eulalia postremo loco in hodiernis fastis recolit martyrol. Antuerpiense, quę S. Eulaliæ Barcinonẽsis socia fuit ex Petro de Natalibus lib. 1. cap. 55. & cuius omnes ferè latini meminerunt.

III. Idus Decembris.

ROmæ Sanctæ Eulaliæ. Traxonis. Pontiani. Capitulini. Pretextati, & aliorum sine numero multorum. In Alexandria Samnioni, & Meriti. In Hispania S. Eutici, cuius gesta habentur. In Antiochia Secundi. Zosimi. Pauli, & Cyriaci. In Gallia Ambianis Victorici, & Faustini martyris, & Sanctæ Mariæ.

DECEMBRIS 11.

DVm Martyrologiũ Vetustissimũ Antuerpiẽse memoriam S. Damasi; eiusq. depositionem repetit in hodiernis tabulis Trasonis, & sociorum venerationem iteratam promit post Eulaliam, hoc ordine. *III. Idus Decembris. Depositio Damasi, Eulaliæ, Trasonis, Pontiani, Capitulini, Prætestatę, & aliorum decem. In Alexandria Sammonis, & Emeriti in Spanis Eutici. In Antiochia Secundi, Zosimi, Pauli, & Cyriæ. In Gallijs Ambianis. Victurici, & Fusciani martyrum, & alibi Sanctæ Mariæ.* Eulaliam pariter Romæ tribuunt, vt in pridianis tabulis Damasum, libri nostri cum M. Corbeiẽsi, inter se nominibus collatis. *ij. Idus Dec. Romæ Sanctæ Eulaliæ, Trasonis, Pontiani, Capitulini,* (Prætestati addunt libri nostri) *& aliorum multorum sine numero. In Alexandria Sommoni, & Emeritæ, Vrbani* (Samnioni, & Meriti) *In Hispanis Euticiani* (Eutici cuius gesta habentur.) *In Antiochia Secundiani, Secundi* (deficit Secũdianus) *Zosini, & Pauli, Kyriaci, Iusti* (deficit Iustus) *Ambianis ciuitate* (In Gallia Ambianis) *natalis Victorici, Fusciani, & Gentiani martyrum*) in libris nostris tantum legitur, Victorici, & Faustini martyris) *& alibi natalis S. Mariæ, & aliorum multorum* codices nostri tantum retinent *& Sanctę Mariæ.*

Trasonis. Eulaliam inter Romanas martyres numeratam alibi non inuenio. Nisi cuius reliquias à cœmeterio, siue Callisti, siue Priscillæ extractas nostro sæculo, & Antuerpiam allatas ibidem veneration exposita narrat Bollandus in Actis SS. ad diem 28. Februarii. Trasonem martyrol. Antuerpiense Trosonem, vitio scribæ, dixit in pridianis tabulis, & socios nominibus expressos addidit Pontianum, Capitolinum, & Prætestatum, quem incautus librarius hoc die in Prętestatam vertit contra fidem librorum nostrorum, & Romani martyrol. in quo cum Beda, & aliis Thrasoni sociantur Pontianus, & Prætextatus. Thraso vir togatus, & Christianissimus laudatur in Actis S. Marcelli Papæ To. 1. Surij, & de SS. martyribus optimè alioquin meritus celebratur in Actis S. Sulannæ apud eundem Surium T. 9. in hoc præcipuè

cipuè quòd ornaret Acta martyrũ. Non Trasonem, sed Tarsonem vocat Petrus de Natal. lib. 1. cap. 58. eiq. tantum iungit Pontianum, & Præteſtatum, simul coronatos post obitum Marcelli Papæ sub Maximiano, seu potius Maxẽtio, vt Ferrarius animaduertit iij. Idus Decembris. Hæc Romano martyrol. Vsuardo, Adoni, & recentioribus consonant, & de cœmeterio Thrasonis aliqua colligit Aringhius lib. 4. Romæ subt. cap. 33. Capitolinum socium penes alios non vidi, & adductis codicibus debemus. Martyrol. Antuerpiense pridie huius diei anonymos addit septuaginta duos, hoc ipso die decem tantùm. Libri nostri numerũ ignorant, & cum M. Corbeiensi addunt multos sine numero; quod Maxentij post Diocletianum recrudescente carnificina credere non est arduum.

Alexandriæ. Sammonius, siue Sammion martyr Alexandrinus æquè mihi ignotus est, ac Vrbanus, nisi vt vereor, pro Emerita, & Vrbano legendum sit librariorum oscitantia *Emerita Vrbe* in Hispania Eutici, siue Euticiani. Sancti huius Acta prostare suo æuo testantur Vsuardus, Ado, Bellinus de Padua, & alij. Nemo tamen ex his explicat, an martyr, vel confessor fuerit. Petrus de Natalibus confessorem ita fuisse docet lib. xv. cap. 130. nu. 5. *Eutichis confessor cuius gesta habentur, vt dicit Ado. Cuius festum in Hispanijs agitur iii. Idus Decẽbris.* Sed Ado confessorem Eutichium non affirmat, imò martyrem agnoscit Baronius, & prope Gades passum refert ex Hispanis scriptoribus. Cum verò in omnibus ferè latinorum martyrol. sacer hic dies sit S. Damaso Pontifici dubitare subiit, an idem esse potuerit S. Eutichyus, qui simul cum eo Romã translatus, inuẽtus fuit nostro æuo in Ecclesia S. Laurentij, quæ Damasi etiam nũc vocatur, cum vetusta hac epigraphe. *Sub hoc altare condita sunt corpora Sancti Damasi Papæ, & Confess. & S. Chrysti martyris Eutichii*. Repugnat locus Hispaniæ in adductis codicibus expressus.

Antiochiæ. Abundat binis martyribus martyrol. Corbeiense supra libros nostros, & Antuerpiense martyrol. nempe Secundo, & Iusto, siue Secundiano, & Iusto, quos tamen omnes alibi memoratos non comperi.

Ambianis. Codices nostros hic nonnihil mutilos, & deprauatos agnosco. Faustinum pro Fusciano habẽt, & Gentianum prætereunt, qui tamen in Corbeiensi, & apud Rabanum ita exhibetur. III. Idus. *Eodem die Fusciani, Victurici, & Gentiani martyrum*. De ijsdem agit M. Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, & alij, præsertim sacræ Galliæ scriptores.

S. Mariæ. Non infrequens est inter martyres Mariæ nomen. Incerto hæc loco tribuitur, tam in martyrol. Antuerpiensi, quam Corbeiensi, in hoc vero plures sine nomine socij indicantur, in alijs adductis codicibus prætereriti.

II. Idus Decembris.

IN Hispania ciuitate Almiriæ Eulaliæ virginis, Hermogenis, Donati, & aliorum xij.

DECEMBRIS 12.

ITerum Almerienſis Eulalia virgo martyr producitur in codicibus nostris. Iterum dubitamus an pro Emerita, Almeria scriptum sit. Videnda quæ de duplici Eulalia indiximus iiij. Idus. Cum Eulalia pariter Hermogenẽ & Donatam non Donatum habet ita Rabanus. *II. Idus in Hispanis ciuitate Emerita natali Eulaliæ virginis Hermogenis, Donata, & aliorum xxii.* At Hermoge-

mogenem, & socios non Emeritæ, sed alio incerto loco ita signat martyrolog. Antuerpiense. *II. Idus Decembris. In Spanis ciuitate Emerita natalis Eulalia, & alio loco Ermogenis, Donata, & aliorum xxij.* Romanũ martyrol. pariter locum Agonis non signat, & cum Hermogene, & Donato non xij. sed xxij. commilitones asserit, ex Beda, Vsuardo, Vuandelberto, & alijs. vt notat ibi Cardinalis Baronius, qui ex Thesauro cõcionatorum in paludem demersos agonem perfeciſſe addit. Eulaliam silet martyrol. Corbeiẽse in reliquis ita consonans. *Pridie Idus Dec. Hermogenis, Donatę, & aliorum xxii.* De Hermogene, Mena, Callicelado, & Eugrapho Alexandriç sub Maximiano Imperatore coronatis agit Menologium à Canisio editum die x. Decembris. Et latius Menologium Basilij; in quo Hermogenes etiam creatus Episcopus dicitur, & cum suo Notario, qui fidem nostram amplexus erat, gladio certamen impleuisse. Alexandriæ quidem Hermogenem, Donatum, & alios xxij. tribuit Galesinius, vt credere par est, ex veteribus mss., quãquam testes adducat Bedam, & Vsuardum, sed apud Bedam Basilienſis editionis lego pro Donato Demetrium, & alios xxij. quos palam Alexandriæ non tribuit. Codex Blumanius, reliquis emendatior, & de quo plura in Addit. habet. *Et alibi Hermogenis, Donata, & alior. xxij.* post Ameriẽsẽ Eulaliã.

Idus Decembris.

RAuenna Tyrsioni, & Leucati Episcopi, & confessoris, & Valentini. Siracusa Ciuitate Siciliæ natalis Sanctæ Luciæ virginis. Sancti Sucensi. Saturnini. Casti. Pauli. Felicis. Quintiliani. Modesti. Titori. Victorini. Ianuarij. Egedini. Feliciani. Stercori. Felici. Donati. Valerij. Colonici. Saturnini. Vrbani. Maritimi. Victorij. Simplicij, & Securi.

DECEMBRIS 13.

VRsicinum natione Ligurem, professione Medicum à S. Apollinare ad Christi fidem perductum, & à Vitale milite nutantem in fide roboratum recolit vetustius martyrol. nostrum die 19. Iunii, vbi aliqua de eo collegimus. At cum Ferrarius in catalogo SS. Italiæ ad diem illam animaduertat, aliquos scribere S. Vrsicinum v. Kal. Maij per gladium coronam accepisse, adnotatum verò diem translationis fuisse, dubium mouere potest, an re vera cum M. Antuerpiensi Vrsicinus hic retinendus sit, vel Vrsion reponendus, vt habet M. Corbeiense, & Blumaniũ, vel Syrsion, vt exhibent libri nostri Illud quidem Vetustissimum ita prostat in Apographo. *Idus Decembris. Rauennæ Vrsicini martyris, & Leocadi confessoris, & Valentinæ. Siracusa ciuitate Siciliç natalis Sanctę Lucę virginis, & alibi natalis Succensi, Saturnini, Casti, Pauli, Felicis, Quintiliani, Modesti, Titoni, Victorini, Ianuarii, & Godini, Feliciani, Stercori, Iuliç, Donatę, Valeriç, Colonitę, Saturninę, Vrbanę, Martini, Victoriæ, Simplicię, Securi.* Corbeiense vero martyrol. Vetustiori nostro magis consonũ ita cum hoc collatum hodiernos fastos exhibet. *Idus Decembris. Rauenna ciuitate Vrsioni* (Tyrsioni) *& Leocadi confessoris* (Leucati Episcopi, & confessoris) *& Valentini martyris. Siracusa ciuitate Sicilia natalis S. Luciç virginis, & sancti Sicensi* (Sucensi) *Saturnini, Casti, Pauli, Felicis, Quintiliani, Modesti* (Titori) *Victorini, Ianuarij, Gerdini* (Egedini) *Feliciani, Stercoris, Felicię* [Felici] *Donatę,*

natę [Donati] *Valeriæ* [Valeri] *Coloniæ* [Colonici] *Saturnini, Vrbanæ*, [Vrbani] *Maritimi, Victurię* [Victuri] *Simplicia*, [Simplici] *& Securi, Datini*; horũ poſtremus deeſt in libris noſtris.

Tyrſioni. Vrſinum martyrem memorat hoc die Bellinius de Padua, vnde accepit Molanus in Additionibus, qui pariter Leucadium Rauennæ veneratum indicat; Vrſiniũ vocat, & cũ Leucadio Rauẽnæ recoli aſtruit etiam Galeſinius ex veteribus mſs. Vrſinum pariter dicit Maurolycius; ſed *Vrſicini martyris* potius legendum putarem ex fide martyrol. Antuerpienſis. Translationis S. Vrſicini celebritatem eſſe, non diem martyrij ex Tabulis Eccleſiæ Rauennatis teſtatur Ferrarius in nouo catalogo Sanctorum ad hunc diem Idus Decembris, & cum martyr expreſsè dicatur, nequit Vrion confeſſor eſſe, vt habet Galeſinius. Leucadius quidẽ confeſſor eſt, & palam dicitur in adductis omnibus codicibus. in noſtris verò Epiſcopus etiã vocatur. Eleocadius natione Græcus à B. Apollinare ad Chriſti fidem conuerſus, tertius fuit per columbam ad Rauennatem ſedem ſublimatus, qui antea ab eodem Apollinare Diaconus fuerat ordinatus. Leucadius enim dicitur in Hagiologio noſtro perantiquo, non Leuthadius, vt in edita S. Apollinaris vita legitur. Cum tamen is apud Ferrarium in catalogo SS. Italiæ è vita migrauerit 16. Kal. Martij, & idem ex Tabulis Eccleſiæ Rauennatis eius geſta percurrens translationem Ticinum ab Aſtulpho Longobardorum Rege factam quidem narret, ſed diem nõ ſignet, poſſet hęc indicta celebritas Idibus Decembris indicari, quemadmodum hic adnotatur, niſi potius vetuſtior reliquiarum Vrſicini apud Rauẽnates trãslatio aliqua in hunc diem inciderit, ſimul cum traslatione Valentini martyris. Plures huius nominis cęlites, vel pluries apud Rauennates recoluntur in martyrol. Vetuſtiori, nempe Valentinus, qui die xi. Nouembris, alter qui eiuſdẽ menſis die 23. recolitur, & alter qui apud Ferrarium etiam cum diuerſis ſocijs *Infra* die 16. Decembris memoratur, vt ibi docebimus. Pro S. Leucadio, ſeu Eleuchadio videndus Baronius 16. cal. Martij.

S. Luciæ virg. De S. Lucia virgine Siracuſana, martyre celeberrima omnia plana ſunt, tam apud Surium, quam in omnibus latinorũ Hagiologijs, ac Græcorum etiã Menologijs. Meminit Sacramentarium Gregorij, & Vetus Fronti calendarium, in quo plures Eccleſias S. Luciæ Romæ dicatas idẽ Fronto memorat, & alterius Romanæ Viduæ ab hac diuerſæ titulum ferre putat. Videndæ Notationes eruditiſsimi Baronij. Lucam virginem non Luciam vocat martyrol. Antuerpienſe, ſicuti etiam poſtridie, neſcio an vitio librarij.

Sucenſi. Succenſum plurium martyrum, qui ſequuntur anteſignanum vocat etiam martyrol. Antuerpienſe, quod vt aſolet accuratiùs illos diſtinguit patriæ à Siracuſana Lucia, dum alibi veneratos, vel paſſos apertè docet, & viginti, & tres diſtinctis nominibus recenſet. Datiuum his addit martyrol. Corbeienſe, ſed dum Titorum, vel Tironum ſilet ſupra noſtros codices non exuberat. Vberrimam tamen martyrum ſegetem, neque in Romano martyrol. neq. aliis indicatam inuenio.

XVIIII. Kal. Ianuarias.

IN Antiochia Druſi, & ſociorum eius numero iij. Zoſimi, & Theodori, & Sanctæ Luciæ virginis. *Lugduno Galliæ S. Viatoris Epiſcopi. Viennæ Lupicini Epiſcopi. Remis natalis S. Nigaſi Epiſcopi.* Et S. Anaſtaſij, & Sacrepias Pedice, Theudoli.

ANtiochenos martyres Druſum, Zoſimum, & Theodorum exhibent cum M. Romano, Beda, Vſuardus, Ado, & Rabanus. Pro Druſo tamen Druſinam ita cum alijs ſignat M. Antuerpienſe. *xviij. Kal. Ian. In Antiochia Druſinæ, & ſociorũ eius triũ, Zoſimi, & Theodori. S. Lucæ Virginis. Lugd. Galliæ Victoris Epiſcopi. Remis natalis Nicasij Epiſcopi, & alibi Sancti Aſpidę, & Theoduli. Vienna Lupicini Epiſcopi.* Druſum tamen retinet cum ſocijs tribus M. Corbeienſe parùm à noſtro diuerſum. *xviij. Kal. Ianuarij. In Antiochia Druſi, & ſociorum eius numero trium Zoſimi, & S. Luciæ Virginis. Lugduno Galliæ Sancti Victoris Epiſcopi, & Confeſſoris. Vienna Lupicini Epiſcopi. Remis S. Nicasij, & Sacrepi, Aſpediæ, Theodoli.* An S. Druſij tres ſocij ſint, qui ſequuntur Zoſimus, Theodorus, & Lucia virgo, an vero tres anonymi ab his diuerſi dubium remanet. Anonymi potius eſſe viderentur cum nõ tres, ſed duo tantum Zoſimus, & Theodorus in Romano martyrol. & apud cæteros latinos producantur. Rabanus verò eoſdem Druſi ſocios videtur aſſerere, cum alios non agnoſcat. *xix. cal. Ianuarii. In Antiochia natale Druſi, & ſociorum eius Zoſimi, & Theodori.* Luciam virginem à Siracuſana diuerſam crederem, ſed de qua nihil adhuc inuenire contigit.

Viatoris. Mirum quod ſub huius nomine Epiſcopus in ſerie Epiſcoporum Lugdunenſium non inueniatur, neque apud Raynaudum, neq. apud Sammarthanos. Victor apud aliquos non Viator nuncupatur, vt in martyrol. Antuerpienſi, & Corbeienſi, & hoc ipſo die 14. Decembris in mſ. Martyrol. S. Sabini de Leuitania ita ſegitur. *Lugduno ciuitate depoſitio S. Victoris Epiſcopi.* Neq. etiam ſub hoc nomine in Lugdunenſi Eccleſia S. Victorem Epiſcopum reperio. Viatorem non Victorem cũ libris noſtris vocant Beda, & Rabanus *Lugduno Galliæ S. Viatoris Epiſcopi.* Sanctum quidem Viatorem, qui Eccleſiæ Lugdunenſis lector, & ſocius Sãcti Iuſti Epiſcopi fuit recolit Raynaudus, eiuſque obitus in Romano martyrol. ſignatur die 21. Octobris, quo die Sauſſayus eius meminit, ſed confeſſoris titulo non Epiſcopali ornatur. Bergomenſem Epiſcopum S. Viatorem veneratur hac die 14. Romanum martyrol. ex Galeſinio, qui id ex tabulis Bergomenſis Eccleſiæ accepiſſe profitetur. Hũc prius Brixienſem Epiſcopum fuiſſe, deinde Bergomenſem, vnde ad cœlos euolauit, habet Ferrarius in catalogo SS Italiæ ex monum. Eccleſiar. Brixienſis, & Bergomenſis. Hæc tamen in die obitus differunt. Illa in antiquis lectionibus 19. Kal. Ianuarii migrauiſſe profitentur, hæc cal. Ianuarij. Sed Sanctus hic Viator Epiſcopus nihil habet cum Lugdunenſi commune, qui ſiue Victor ſiue Viator dicatur, ex fide plurium codicum Epiſcopum, Lugdunenſem fuiſſe non videtur negandum, quamquam neq. in Gallia Chriſtiana Sammarthanorum, neque in Indiculo Sãctorum Lugdunenſiũ Theophyli Rauynaudi indicatum inuenerim, alioquin Antiquario Gallico ad Vetuſtius martyrologiũ illum addenti benè notum, & in codice Blumanio, qui ſerius ad me peruenit Lugduno Galliæ Epiſcopus aſcribuntur.

Lupicini. De Viennenſi Epiſcopo S. Lupicino agit Appendix ad Adonem, in qua octauus illius ſedis numeratur. Meminit & Maurolycius. Martyrem vocat Sauſſayus, qui eius acta proſequitur. Octauum Viennenſis ſedis Epiſcopum numerant Sãmarthani fratres To. 1. Galliæ Chriſtianæ, ad quem S. Cornelij Papæ epiſtolam T. 3. Bibliothecæ PP. ſcriptam fuiſſe animaduertunt, non tamen illi ſanctitatis titulum aſcribunt, quemadmodum inter ſanctos recenſent codices noſtri, M. Corbeienſe, & Rabanus.

Nigasij.

Nigrtii. Vndecimus Remensis Episcopus S. Nicasius numeratur in serie illius Ecclesiæ Præsulum apud Sammarthanos, quem martyrium cum Eutropia sorore, & socijs fecisse, signant circa finẽ anni 407. siue à Vandalis, siue ab Hunnis die 4. Decembris, sine potius 14. acciderit. Acta habet Surius To. 12. & Frodoardus lib. 1. Hist., qui hyemali tempore xix. Kal. Ianuarii, eius memoriam celebrari consueuisse addit. Meminit Rom. martyrol. & cum eo Vsuardus, Ado, Rabanus, & alii recentiores. Florentium Diaconum, & Iocundum socios recenset Frodoardus. Cœterùm Anastasiũ, Sacrepium, Aspidam, siue Aspedicã [ita enim lego ex fine alterius nominis] & Theudolum, siue Theodolũ alterius ordinis esse crederem, incerti nimirum loci *alibi*, vt distinguit M. Antuerpiense, in quo sicuti in Corbeiensi Anastasius desideratur. Aspidiam, & Theodolum tantum numerat Rabanus.

XVIII. Kal. Ianuarias.

INter Africa Fausti. Luci. Candidi. Mathri. Marci. Ianuari. Victori. Ceciliani. Maximi. Marciæ. Fortunate. Machaome. Victoriæ. Secundę. Primi. Saturnini. Macrusi. Nini. Restituti. & Aliorum numero, xi. *In Ciuitate Aurilionis Maximi presbyteri, & Confessoris*. In Scalonia Alei. Promodi. Heliæ. Candidi.

DECEMBRIS 15.

INter frequentissimos Africæ martyres Romanum emendatũ M. non nisi septem sub ductore Faustino producit, varijs etiam nõ nihil nominibus apud Bedam. Vberiorem cætum exhibent libri nostri, & martyrol. Antuerpiense. *xviii. Kal. Ianuarii. In Africa natalis Fausti, Luci, Candidi, Caliani, Maximi, Victoris, Caeciliani, Marciæ, Masumiæ, Macharie, Victuriæ, Secundę, Primæ, Saturninæ, Macrosæ, Nimię. & aliorum numero xi. Macrosæ, item Nimię, Restitutæ, & aliorum numero xi. In ciuitate Aurelianensi Maximini presbyteri, & confessoris. In Ascaloninia Aleiæ, Candidi*. Antiquarius tam codicum nostrorum, quam Corbeiensis martyrol. iterato numero xj. deceptus sacros fastos decurtauit, & aliquos ex Africanis martyribus silentio inuoluit, vt ex serie vtriusque inter se, & cũ Antuerpiensi collari clarè patet. Corbeiense igitur ita se habet. *xviii. Kal. Ianuar. in Africa Faustini, Lucij, Candidæ,* [Candidum habent libri nostri, sicut & Antuerpiensis] *Materi, Marci, Ianuarii, Victori, Caciliani, Maximi, Marcię, Machaoniæ,* [Marciæ, Fortunatæ, Machaomæ) *Victorię, Secundæ, Primæ, Saturninæ,* (Primi, Saturnini) *Machrosę, Nimę, Restitutæ* (Macrusi, Nini, Restituti,) *& aliorum xi.* Interpolatur hìc in libris nostris Maximus presbyter Aurelianensis, & martyribus Ascalonitis adduntur Aleus, & Promodius, quos silet martyrol. Corbeiense, ita latérculum claudens. *In Ascalone Heliæ, Candidi. Aurelianensis ciuitate Maximi presbyteri, & confessoris*. Ex Africanis igitur Faustus, vbique antesignanus est, Faustinus in martyrol. Romano, & Corbeiensi nuncupatus, & in Vetere ms. Kal. Hieronymiano Lucẽsi *xviii. Kal. Faustini* nomen legitur, sicuti apud Bedam, & Rabanum, penes quos sanctæ aliquæ mulieres, masculinis nominibus signantur. Maximum addit Rabanus.

banus supra Romanum martyrolog. his verbis. *xviii. Kal. In Africa natale Fanstini, Lucii, Candidi, Celiani, Marei, Maximi, Ianuarii, & Fortunati.* Non tamen Rabanus vniuersum numerũ exprimit; Martyrologium Antuerpiense in duas turmas sacros pugiles diuidit; in eo partim hoc est xxi. anonymi sunt, partim hoc est numero decem, & nouem nominibus exprimuntur, quemadmodum in libris nostris; in quibus & si alter Ninus, vel Nina deficiat, abundat Fortunata, vel Fortunatus; qui cum in Corbeiensi desideretur, in eo non nisi decem & octo signati martyres comparent.

Aurilionis. Aurelianis scribendum nõ dubito, auctarium hic Gallici scriptoris agnoscens, & interpolationem. Maximinum vocant non Maximum martyrolog. Rom. cum Beda, Vsuardo, Adone, Vvãdelberto, Petro de Natal. lib. xi. c. 130. Saussayus item Maximinum vocat Abbatem Miciacensem, & confessorẽ, cuius gesta diffusius prosequitur hoc ipso die. Maximum tamen cũ adductis libris vocant Bellinus de Padua, & Maurolycius, atq. ita Vetus Hagiologium Franco Gallicum Labbei *xviii. In territorio Aurelianensium S. Maximi confessoris.* Præsbyterum vocat codex Blumianus.

Scalonia. Pro Ascalone scriptum nõ dubito, sicuti emendauit Dacherius in M. Corbeiensi, & emendandum est in M. Antuerpiensi, in quibus etiam duo sacri pugiles supplendi sunt; Aleus, siue Aleia, & Promodius in Corbeiensi; Primodius; & Helias in Antuerpiensi; quos codicibus nostris inter latinos debemus: à Græcis enim in Menologio Basilij ad diem 19. Decembris elogio celebrantur. Primus ibi dicitur, qui Promodius in libris nostris vocatur cum socijs Areo, & Elia; Erant hi genere Ægyptij, instituto Christiani sanctis confessoribus, & martyribus auxiliares. Profecti aliquando in Ciliciam, Ascalonæ à Portæ custodibus tanquam exploratores capti, & ad Firmilianum Præfectum adducti, Christianos se esse professi, flagris cõciduntur, deinde Aleus igne consumitur, Primus, & Elias per gladium coronantur.

XVII. Kal. Ianuarias.

RAuennæ Valentini. Naualis. Agricolæ. Concordi. *Arelato dedicatio Basilicæ, & Altare S. Genesii.*

DECEMBRIS 16.

IN Rauennatibus martyribus omnino congruunt libri nostri cũ M. Antuerpiẽsi videlicet. *xvij. Kal. Ianuar. Rauennæ natal. Valentini, Noualis, Agricolæ, Concordiæ. Sancti Genesii martyris.* Iustinum aliis ignotum addit ad Rauennates M. Corbeiense. *xvii. Kal. Ianuar. Rauennæ Valentini, Noualis, Agricolæ, Concordiæ, Iustini. Arelati dedicatio Basilicæ, & altaris S. Genesii martyris.* Quæ verba estant, præter Iustinum, etiam apud Rabanum. Neque pariter Iustinum profert Ferrarius, qui sub Diocletiano, & Maximiano narrat Valentinum magistrum militum, cum Concordio filio, a S. Dalmatio prodigiosè sanato, Baptismum suscepisse, ac deinde cum Nouale, & Agricola capitalem sententiam accepisse 17. cal. Ianuarii ex monum. Ecclesiæ Rauẽnatis, & Hieronymo Rubeo; animaduertit tamen tempus pugnare, quin à S. Dalmatio baptizari potuerint. Alius est Valentinus hic Rauẽnas ab aliis duobus pariter Rauennatibus, vt diximus die 13. Decembris. De S. Valentino magistro militum, Concordio filio, & socijs agit Romanum M. hoc ipso die, vbi Cardi-

nalis

nalis Baronius teſtes adducit Bedam, Adonem, & recentiores. Pro Adone tamen Vſuardus eſt ſubſtituendus, cum apud Adonem, tam editum, quam optimæ notæ penes me mſ. nihil de his legere contigerit. Concordium tamen Vſuardus ſilet, ſicuti Petrus de Natalibus lib. xi. c. 130. Bellinus de Padua, & Maurolycius, qui Naualem memorant; vel vt aliqui legunt Noualem; ſed Naualis etiã ita ſcribitur in Kal. Hieronymiano mſ. Lucenſe. *xvij. Kal. Valentini Naualis*.

Arelate. Minutiora hæc de ſingularibus Eccleſijs omnino Gallicum additamentum ſapiunt. De S. Geneſio Arelatenſe agit Romanum M. ad diem 25. Auguſti, noſq; ad illũ aliqua adnotauimus. Potuit ex Eccleſiæ dedicatione etiã hac die S. Geneſij natalis iterari.

XVI. Kal. Ianuarias.

IN Africa Victoris. Victoriani. Adiutoris. Quarti. Honorati. Simplici Ampamoni. Felicis. Vincenti. & aliorum ſimul xxiiij. Octoſi. Quinti. Victoriæ. Dioſcori.

DECEMBRIS 17.

MVtilum hìc agnoſcimus M. Antuerpienſe in Africanis martyribus ita numerandis. *XVI. Kal. Ianuarii. In Africa Victoris, Victoriæ, & aliorũ xxxiii.* Cõſimilem codicem nactus Galeſinius ita lectionem illam cõfirmat 16. cal. Ianuar. *In Africa SS. martyrum Victorÿ, Victoris, & ſociorum xxxiii.* Vberiores plurimùm ſunt codices noſtri, quibus ita conſentit M. Corbeienſe. *XVI. Kal. Ian. In Africa Victoris, Victoriani, Adiutoris, Quarti, Honorati, Simplicÿ, Ampamoni, Felicis, Vincenti, & aliorũ triginta nonẽ ſimul. Et Octori, Quinti, Donati, Victoriæ, Dioſcori, Iuſtiniani.* Deficit in libris noſtris Iuſtinianus, & anonymorũ numerus imminuitur in codice Blumanio; ex fide tamen M. Antuerpiẽſis, & mſs. Galeſinij reſtituerem triginta triũ anonymorũ numerum. Omnis martyrũ cætus in duas turmas diuiditur, quia vel locus in Africa diuerſus in agone fuerit, vel tẽpus. Si verò eoſdem cœlites die ſequenti in M. Antuerpiẽſi memoratos agnoſcimus, Dioſcorus loco omnino diſiunctus erit, *alibi* enim ſignatur. Victorem, & Adiutorem hoc ipſo die exhibet Kalendarium Hieronymianum mſ. Lucenſe.

XV. Kal. Ianuarias.

IN Laudocia ciuitate Theotini. Baſiliani. In Africa Quinti. Simplici. Pompini. Pauli. Aritife. Creſci. Digni. Datuli. Feliciani. Monſitis. Rogatiani martyris. Honorati. Euaſi. Victori. Priuati. Tinni. Saluatoris. Siti. Terſuri. Victorici. Victo. Ceciliani. Semtimini. Ruſtici. Lucaniæ. Honorati. Reductule. Victoriæ. Felicitatis. Quintulæ. Spinuce. Priuatulæ. Cęciliæ. Saturnini. Ceciliani. Namfononis. Felicis.

Vincenti.

Vincenti. Anesthi. Mulci. Adiutoris. Romæ Lucæ virginis, & Auctie Regis, simul & Antonini. Erenei. Theudori. Papeuse. Apolloniæ. Apamiæ. Penetis. Cosei. Arionis. Papisci, & Saturij. Victoris cum alijs viiij. & alibi passio S. Afræ. Victoris. Victorini. Basiliani. Honorati, cum alijs ccc.

DECEMBRIS 18.

AD Laodiceam Lydiæ clarissimam Metropolim, à Laodicea littorale distinguendā addit Romanum martyrol. Laodiceæ in Syria, quæ Archiepiscopalis pariter ciuitas est, ibiq. Theotimum, & Basilianum recolit cum Beda, vt addit Baronius, & veteribus mss,. Antuerpiense martyrol. vnam ab altera Laodicea nō distinguit, & Teotecnum non Theotimum ita exprimit. *XV. Kal. Ianuarii natalis Teotcni, & Basiliani. In Africa Victoris, Victoriani, Adiutoris, Quarti, Honorati, Simplici, Ampamoni, Felicis, Vincenti, & aliorū xxvii. Tuturi, Quinti, Donati, Victoria, & alibi Dioscori.* Conuulsum, & luxatum in hodiernis fastis esse M. Antuerpiense clamant libri nostri, M. Corbeiense, & Blumanium: Martyrol. Romanum, Beda editus, Rabanus, Galesinus, & alii; qui Africanos illos martyres non venerantur, qui in libris nostris, & martyrol. Corbeiensi pridie huius diei recensiti sunt, sed qui in hodiernis tabulis in ijsdem codicibus adnotantur, puta Quintus, Simplicius, & alij, qui in persecutione Decij, & Valeriani passi sunt. Ex his Galesinius Quintum, Dignum, & Honoratum, & seiunctim Moisetem in Africa promit hoc ipso die, sicut Rabanus, qui xv. cal. *Laodicea ciuitate Theotimi, Basiliani. In Africa Quinti, Simplicii, Pomponii, & Pauli* memoriam exhibet. Paulum tantùm ex his memorat xv. cal. Kalendarium Hieronymianum Vetus Lucense. Corbeiense verò martyrologium cum nostro compositum vberiores sub Quinto; anteseignano, Africanos cælites, ita exprimit: *XV. kal. Ianuar. Laodicia ciuitate Theotini Basiliani. In Africa Quinti, Simplici, Pompini* (deficit Paulus) *Artisea* (Aritisæ) *Chresti* (Crescí *Digni, Datuli* (desunt Felicianus, Monsitis, & Rogatianus in libris nostris memorati pro Vrbano, qui in illis reticetur.) *Vrbani, Martyri, Honorati, Enasi, Victurini, Saluatoris.* (desiderantur Priuatus, Tinnius, & Situs) *Terturini* (Terturi) *Victuria* (Victurici, Victo.) *Caciliani, Septimi* (Semtimini) *Rustici, Bessa, Viciciani* (in libris nostri hi postremi duo non comparent) *Honorati, Lucanis, Reductule, Victuria* (abundat hic in libris nostris Felicitas, Quintula, Spinuá) *Primatula, Cæcilia, Saturnini* (deest Caciliana) *Phamonis* (Namphomonis) *Felicis, Vincenti, Arestí, Musei, Siddini,* (delideratur Siddinus in codicibus nostris) *Adiutoris. Roma Lucia martyris* (Lucæ virginis) *& Anceia Regis simul, & Antonini, Erenei* (deest Theodorus) *Papensæ, Apollonia, Apamia, Poenicis,* (Penetis) *Cussenerionis* (Cusei, Arionis) *Papisses* (Papisci) *Saturi, Satarii,* (deest Satarius, sed additur Victori cū aliis viij.) *Passio S. Afræ virginis* (& alibi passio S. Afræ) *Victoris,* (Victorinus additur post Victorem) *Basiliani, Honorati, cum aliis xxii. martyribus*; cū alijs ccc. scribitur in libris nostris, quem numerum librariorum incuria exorbitare credimus, cum Martyrol. Corbeiense non nisi xxij. referat, quadraginta verò Martyrolog. Vetustissimum postridie huius diei, quando adducti Africani cælites in venerabili illo codice recensentur, cum alijs, qui ad hodiernas tabulas ex fide plurium librorum pertinent: xxxi. bonæ notæ codex Blumanius tantum exhibet. Non omnes Africanos, saltem

saltem eiusdem loci esse monet martyrol. idem Vetustissimum, in aliquibus etiã nominibus variũ non nihil,& mancum. In duas enim turmas illos partitur, quos libri nostri,& Corbeiẽse M.in vno Africanorum agmine concludunt. Primũ triginta quinque vtriusq. sexus cælites producit vsq. ad Cecilianam inclucluſiuè, quando *alibi* incerto loco, siue Africæ, siue alterius regionis secundæ turmæ alios octo numerat,ad Romanos vsque beatos martyres pertingentes. In hoc aptius scriptum videtur Nani, & Phamonis pro duobus, quam Namphamonis pro vno tantum martyre, vti scriptum est in libris nostris; Nanus enim in Corbeiensi M. desideratur. In prima Turma pro Pompino Pammorius, pro Aritisa, vel Artisa Artesius, pro Monsite, Moysetem, per Victorino Victuricã, pro Saluatore Solutorem, pro Bessa Lessam retinet M. Antuerpiense; quod iniurias scribæ, vel temporis passum quoque esse apparet, dum Euasius, Tirturius, Vicianus,& Spinua in eo prætermittuntur, & martyres in Corbeiensi omissi,& in nostro enunciati ab ea disertè confirmentur. Vnde in libris nostris,& secunda classe,Siddino restituto, Namphomone in duo nomina diuiso,nihil aliud videtur addendum, quam diuisionis nota,& diuersi loci distinctio *alibi* ante Nanum, & Phamonem. Romanum martyrol. in tres classes diuidit Africanos hodiernos martyres: in prima, vt diximus Quartum, Simplicium, & alios numerat: in secunda Moysetem seiunctim: in Tertia Victurium, Victorem, Victurinum, Adiutorem, Quartum, & alios xxx. Veritus aliquando sum, ne nomen Lucaniæ regionis esset,non martyris, sicut Apamiæ nomen vrbis, quibus sequentes adnexos martyres ascribi deberent; sed nulla distinctiua nota addita quieui. Alij fortasse codices id docere possent.

Romæ. Ex veteribus mss. monet Baronius xviij. Kal. Ianuarij in Romano martyrol. restitutos esse Irenæum, Antoniũ, Theodorum, Saturninum, Victorem, & alios xvii. ex persecutione Valeriani, quos ex Galesinio accepisse vix dubitarem. Aliter hos exhibet Maurolycius; addit enim cũ B. Luccia virgine,& Auceia Rege Persarum, ab ipsa ad Christi fidẽ conuerso,hos martyriũ compleuisse sub Ælio præfecto, Diocletiano imperante. Numerus martyrum non admodum differt ab his, qui hoc die recensentur, partim nominibus signati, partim tanquam anonymi in martyrol. Romano relati, vt eosdem non esse vix dubitandũ sit. Dubium magis est, quod Lucia virgo, & Auccia Rex Thessalonicæ, non Romæ tribuantur in Vetustiori martyrol. ad diem cal. Iunii, & rursus die 25. eiusdem mensis. Ibi adnotauimus differentiam inter scriptores aliquos, qui sãctos martyres cum socijs Romæ tribuũt, quia Lucia virgo, siue Luceia Romana fuerit. De Lucia siue Luceia Romæ ad diem 25. Iunij agit Romanum martyrol. cum socijs xxij. cui consentiunt Beda, Rabanus, Vsuardus, Ado, Notkerus, & Vuandelbertus. Acta Luceiæ virginis & Acciæ Regis eius Domini, qui Romã profecti ibi palmam acquisierint viij. kal. Iulij habet Petrus de Natal. lib. 6. cap. 4. Cum vero in tam dissitis locis, ac diebus diuersis, varijsq. socijs Luciæ virginis,& Acciæ Regis, siue Persarum, siue Barbarorum memoria peragatur, nisi alij sint Tessalonicenses martyres, alij Romani, non nisi ex aliqua solemni translatione reliquiarum euenisse crederem. Videantur, quæ ad dies illos adnotare contigit.

Et alibi. Plures Afræ nomine sanctas martyres hucusque exhibuit Vetustius nostrum martyrol. videlicet die 14. Iunij, 6. Augusti, atque 9. Octobris, quas ab hac esse diuersas signati nominibus diuersi socij,& incertus agonis locus viderentur docere, nisi & amplius insignis anonymorum commilitonum numerus idem confirmaret.

XIIII. Kal. Ianuarias.

IN Nicea Ciuitate Bithiniæ. Zosimi. Pauli. Secundi. Cyriaci. Anastasi. & Fiddini Episcopi. *Autisiodoro Beati Gregorij Episcopi*. Crisanti, & Darij.

DECEMBRIS 19.

NIcæę vrbi Bythiniæ Romanum martyrol. natalem tribuit in hodiernis ferijs sanctorũ Darij, Zosimi, Pauli, & Secundi, quorum, vt ibi notat Baronius, Darius tantum ab Vsuardo monstratur, reliqui ex mſ. Vetusto codice superadduntur. Cum Dario Zosimum refert etiam Vuandelbertus, sed Darium tantùm Niceæ præferũt Maurolycius, & Galesinius, ex Petro de Natalibus accipientes lib. xij. cap. 130. nu 14. & tamen Darius in MM. Corbeiensi, & Antuerpiẽsi, vbi plures Niceni martyres recensentur, desideratur. Fortasse in Corbeiensi ab inscio librario Chrisantus additus Dariã nõ Dariũ scribere fecit, sed post antiquarij Gallici interpolationẽ in libris nostris Crisãtus, & Darius nõ Daria cõparẽt. Pridie huius diei diximus M. Antuerpiense variũ ab alijs codicibus esse in huius diei martyribus assignandis; cũ plures, imò ferè omnes enumeret, quos supra externa die recensitos vidimus, quod monẽdum esse duximus, integram interim ephemeridem, alioquin luxatam exhibentes. *xiiii. Kal. Ianuarii. In Bithinia natalis Sancti Zosimi, Pauli, Cyriaci. Et in Susanis ciuitate Triplana Victoriæ, Paodicia ciuitate Theotici. In Africa Quinti, Simplici, Pomponi, Pauli, Antesi, Cresci, Digni, Datali, Feliciani, Moysetis, Rogatiani, Martyri, Honorati, Victorice. Primatt, Tinni, Salutoris, Siti, Victuri, Victurici, Caciliani, Septimi, Rustici, Lessæ, Lucanę, Honorati, Reduſtola. Item Victuria, Filicitatis, Quintola, Primæ, Primatole, Cęcilię, Saturnini, Caciliana. Et alibi Nani, Famonis, Felicis, Vincenti, Arestí, Murci, Siddini, Adiutoris. Romæ Lucia virginis, & Aucęa Regis, Antonii, Erenei, Theodori, Papecusi, Appollonia Apamia, Paenicis, Cussei, Arionis, Papisæi, Saturi, Victoris cum aliis viiii. Et alibi passio Afræ, Victoris, Victorini, Bassiliani, Honorati cum aliis xl.* Rabanus, qui aliquos ex Africanis martyribus in diem superiorem retulit, Zosimum, Cyriacum, Paulum, & Secundum, non Nicææ, sed Nicomediæ tribuit, similitudine nominis eius librario, vel amanuensi decepto, cũ prẽter libros nostros Niceę illos tribuat etiam hoc pacto M. Corbeiense. *xiv. Kal. Ianuarii. In Nicea ciuitate Bithynia Zosimi, Pauli, Secundi, Cyriaci, & alibi Sãctorum Anastasii, & Siddini Episcoporum Chrysanthi, & Dariæ martyrum. Autisiodoro Beati Gregorij Papę*. Ex his Cyriacum, Paulillum, Secundum, Anastasium, & Sindimium socios Nicomediæ tribuit M. Romanum, vt ex Beda, recentioribus, & veteribus mſſ. confirmat Baronius, seu potius, vt apparet ex Galesinio. Verum ex fide tam librorum nostrorum, quam Corbeiensis, primi videntur Niceæ relinquendi, Anastasius, & Siddinus Episcopi, vel alibi, vel Nicomediẽ tribuendi. Prætereaquamquod enim in hodiernis fastis Martyrol. Antuerpiense Zosimum, Paulum, & Cyriacum Bithiniæ, & Niceę tribuit, in postridianis, dum idem repetit, Cyriacum, Anastasium, & Siddinum Episcopum coniunctim Niceæ videtur ita ascribere. *In Nicea ciuitate Bithynia Zosimi, Pauli, Secundi, Cyriaci, Anastasi, & Siddini Episcopi*. Forte quia Cyria-

cus

cus cum alijs duobus, nõ eadem die cum Zosimo certamen compleuerint, & ne diſiungerentur, priores etiam cum alijs repetere maluit. Verùm cũ Anaſtaſius, & Siddinus, ſiue Siddimius Epiſcopi à Nicenis martyribus in Corbeienſi martyrol. diſiungantur, & Nicomediæ in Romano M. aſſignentur, concederem Nicomediæ, vel alibi coronatos, vel veneratos eſſe, quòd ab alijs Rabanus etiam diſtinguat, & Nicomediæ tribuat. Suſanis ciuitate habet M. Antuerpienſe Triplanam, & Victoriam, alijs codicibus ignotos martyres. Suſanam in Sarmatia vrbem inuenio Silio Italico memoratã, ſed vereor, ne regionis potius nomẽ ſit, & Triplana vrbs mihi ignota. Laodicenus etiam Theticus vereor, ne Theotinus, vel Theotimus ſit, præcedenti di in libris noſtris, & Corbeienſi martyrol. memoratus, cum hìc non bene habitum martyrologiũ Antuerpienſe à librario compareat.

Autiſiodoro. De S. Gregorio Epiſcopo Autiſſiodorenſi agunt Romanum M. Vſuardus, Ado, Rabanus. Beda enim vt notat Baronius deprauatè legit Gregorium Papam, quo in errore verſatur etiã M. Corbeiẽſe, licet excuſari poſſit, quòd titulus Papæ alijs Epiſcopis communis vetitus tantùm fuerit ſub Gregorio VII. Pontifice, ne alijs tribueretur, quam Romano. Gregorij Autiſſiodorenſis meminit etiam Hagiologium Franco Galliæ Labbei, & Sauſſayus. Decimus tertius Epiſcopus illius vrbis ſignatur à Sãmarthanis, & obijſſe dicitur die 19. Decembris; contra verò in Hiſt. Epiſcoporum Autiſſiodorenſium cap. 13. vitam depoſuiſſe narratur 14. Kal. Iunij, regnante adhuc Clodoueo Rege, & Iuſtiniano Imperatore, ac temporibus Siluerij, & Vigilij Pontificum ſedem per annos xij. tenuiſſe; ſanctus autem ibi non dicitur, neque apud Sammarthanos. Diſertè tamen ſanctitatem eius teſtatur mſ. martyrologium S. Sabini de Leuitania die 19. Decembris his verbis. *Autiſſiodoro ciuitate depoſitio S. Gregorij Epiſcopi, & Confeſſoris, qui tantæ (vt liber Actionis eius pandit) ſobrietatis fuit, vt in medio mundo potius nouus effulgeret eremita, ſeq. ſæpius multis declarauit virtutibus*. Interpolatos attamen hìc eſſe ab Antiquario Gallico libros noſtros non dubitamus.

Chryſanthi. Præter quam in Corbeienſi M. Sanctorum Chryſanthi, & Dariæ martyrum hoc die memoriam non inuenio. Translatas in Gallias Turonem beatorum coniugum reliquias circa annum quingenteſimum nonageſimum refert Sauſſayus ad diem 25. Octobris, qua die eorum memoriam agit M. Romanum In Vetuſtiori noſtro aliqua diximus ad diem xij. Auguſti; & xxix. Nouembris. Hìc vel indicatam Turonicam, vel aliam translationis celebritatem in Gallia memorari ſuſpicamur, ex Auctario ſcribæ Gallici, vel ab inſcio librario additum Dario martyri Chriſanthum pro Sanctæ coniugis Dariæ celebritate, mutato etiam Dario in Dariam.

XIII. Kal. Ianuarias.

IN Tracia Ciuitate Gildo Baiuli. Romæ Zepherini Epiſcopi. In Oriente natalis Theclæ, & ſancti Liberati.

LIberatum, & Baiulum Romæ simul veneratur M.Romanũ,vtrũq. recolunt libri nostri, sed disparatos; Baiulum nempe in Thracia, Liberatum in Oriente. Bedam hìc testem adducit Baronius, qui tamen apud Vsuardum Liberatum animaduertit Amphitreæ ignotæ vrbi assignari: Iulius à Baiulo diuersus Geldubæ Thraciæ ex Vsuardo in Rom. pariter martyrol. recolitur, quem fateor me eundẽ cum Baiulo reputauisse, vnius syllabę vel coniunctione, vel abstractione. Pro eo enim quod in libris nostris legitur *In Thracia ciuitate Gildo Bainli*, Vsuardum legisse existimabam *In Thracia ciuitate Gelduba Iulij*. Cum libris nostris cõsentit Rabanus. *XIII.Cal. in Thracia ciuitate Gildo Bainli*. E' cõtra vero Vsuardo consonat M.Antuerpiẽse, quod tamen ex vno in alterum diem luxatum agnoscimus. *XIII.Kal.Ianuarij. In Thracia natalis Iulij, & in Liconio Thecla,& Romæ depositio Zepherini Episcopi,& Ignati martyris, & Athanasii Episcopi*. Reliqua, quæ sequntur, ad pridianos fastos pertinere plures ibi adducti codices docent, non sine repetitione. De more tamen Vetustissimum codicem non mutilamus, sed subnectimus vt in Apographo prostat. *In Nicea ciuitate Bithyniæ Zosimi, Pauli, Secundi, Cyriaci, Anastasi, & Siddini Episcopi. Antisiodoro ciuitate Beati Gregori Episcopi, & alibi Chrysanthi, & Dariæ*. Fatemur autem neq. Geldum, neq. Gildo vrbẽ, vel oppidum in Thracia apud Geographos inuenisse. Geldubam Ortelius non agnoscit, nisi apud Vsuardum. Gelduba oppidum est ad Rhenum, siue Vrbs Germaniæ Taciti; & Gildo vrbs Lybię apud Stephani epitomatorem. Saussayus, ne Galliæ suę desit, in supplemento Gallicani Martyrol. Iulium Geldulæ ad Rhenũ tribuit, quamquam Thraciæ illum disertè Vsuardus assignet. Ferrarius Geldubam Vsuardi putat opidum Mysiæ in confinio Thraciæ, vnde Iulius reponẽdus esset in libris nostris,sicuti retinet M. Corbeiense. *XIII.Kal. Ianuar. In Thracia ciuitate Gildoba Iulij. Natalis Teclæ, & Sancti Libertini, Zosimi*. In reliquis quidem nõ ita fidendum esse Corbeiẽsi codici, monuerunt amici Parisini, valde enim in postremis anni diebus detritus liber est, ita vt etiam Dacherium diligẽtissimum non vltra x. Kal. Ianuarij in editione sua progredi coegerit, quia cætera legi non possunt. Iulium habet non Baiulum Petrus de Natal. lib. xi. cap.130. nu.16. *Iulius Martij in ciuitate Thraciæ Gelduba passus est xiij. Kal. Ianuarii*, quod emendationem librorum nostrorum iam indicatã cõfirmat, & omninò docet optimus codex Blumanius.

Romæ. Tanquam martyr S.Zephyrinus Romanus Pontifex hìc recolitur. De eiusdem martyrio dubitauit Baronius ad annum 221. nu.2. quamquam in Romano M. vti martyrem veneratum viderit, non tamen excluſit. S.Zephirini Papę,& martyris memoriam cum martyrol.Romano ad diem 26.Augusti agũt Beda, Vsuardus, Ado, & alij latinorum, qua etiam die sepultum via Appia in cœmeterio Callisti docet liber Pontificalis, & vi. Kal. Sept. Abbo Floriacẽsis; Silet martyrol.Vetustius nostrum de Zephyrino in mense Augusti,& xiij. cal.Ianuarij tantùm eius natalem refert, cui Rabanus hoc ipso die astipulatur. *Romę Zephyrini Episcopi*.& ex veteribus martyrologijs Petrus de Natal. lib.xi. c.130. nu.18. *Zepherinus Episcopus eodem die Romę in Christo quieuit*, videlicet 13. Kal. Ianuar. Videtur autem innuere in pace quieuisse, non martyris coronam accepisse:cum tamen eodem libro cap.2. affirmet,omnes Romanos Pontifices vsque ad S.Siluestrũ, excepto Marco martyrium

tyrium non euasisse. Vuandelbertus pariter Zepherinum antistitem decimo tertio Cal. Ianuarij veneratur, sicuti & Bellinus de Padua, & Maurolycius, & Molanus in Additionibus.

In Oriente. Ex hoc loquendi stylo, quo pluries vtitur Vetustioris martyrol. nostri compilator, ad Occidentalem Ecclesiam pertinere existimauimus, & titulum inde fecimus. In Oriente Theclam, & fortasse Liberatum recolunt libri nostri, cum Rabano, qui totidem verbis hoc ipso die inquit. *In Oriente Nat. S. Theclę virginis, & S. Liberati*. Iconiensem Theclam distinguit martyrol. Antuerpiense. Iconio enim non Liconio legendum esse vix dubitarem. Clarissimam martyrem ex transpositis reliquijs pluribus in locis, ac pluribus diebus venerari difficile non est affirmare. Græci eius celebritatem in Menologio Canisij indicant die 24. Septembris, & pridie illius diei in martyrol. nostro, vbi aliqua adnotauimus. An S. Liberatus Orientalis Ecclesię martyr sit, vel Confessor, non ita certum videtur. Petrus de Natalibus, qui ex vetustis martyrologijs profitetur accipere lib. xi. cap. 130. ad nu. 17. inquit. *Liberatus confessor, & Gregorius Episcopus eodem die* [xiii. kal. Ianuar.] *in Amphitrea clarucrunt*. In Amphirea Liberatum recolit Vsuardus tantùm, non Gregorium Episcopum. Amphyciam legit Maurolycius, in qua pariter Liberatum, & Gregorium Episcopum constituit. Pridie huius diei in Menologio Canisij Gregorius Grigentinus recolitur, & apud Bellinũ de Padua Gregorius Episcopus hoc ipso die recensetur, sed Episcopalis sedes nõ exprimitur. Grigẽtum pro Agrigenti dictũ existimarẽ, an verò pro Amphitrea, seu Amphirea, legendũ esset, vel Amphissiæ, vel Amphissæ, adhuc hęreo; altera esset Achaiæ vrbs, altemagnæ Græciæ: sed diuinandum mihi non est. Postridie horum SS. martyrum venerationem repetit martyrol. Antuerpiense, vbi Iulium Gildobæ, & in Ampatia ciuitate non tantum Liberatum, sed Bonidium, & Codiam recolit, ignotis mihi adhuc vrbibus. Translationem S. Ignatij martyris Roma Antiochiam aliqua latinorum martyrologia, vt Vsuardus, celebrant xvi. Kal. Ianuarij, sed hoc ipso die eius Natalem recolunt Græci, tam in Menologio Canisij, quam Basilij. S. Athanasius Alexandrinus Episcopus supra etiam memoratur III. Idus Octob. Horum sanctorum Episcoporum memoria in libris nostris non extat.

XII. Kal. Ianuarias.

IN Mesopotamia Ciuitate Edessa Translatio corporis S. Thome Apostoli, qui translatus est ab India; cuius passio ibidem celebratur v. Non. Iul. In Eraclea S. Pasi. Romæ depositio S. Innocenti Episcopi, & passio Sanctorum Victoriæ. Bitanze. Zosimi. Secundi. Aurili. Siliaci. & alibi passio Sanctorum Focc. Flori. & Honorati Episcopi, & Confessoris. *In Pennante Monasterio depositio S. Saiuuoldi presbyteri, atque Abbatis*.

De

DECEMBRIS 21.

DE S. Thoma Apostolo videantur ea, quæ diximus ad Indiculū Apostolorum. Rabanus in Calamia (aliis Calamina) Indiæ ciuitate lancea transfixum affirmat, ibiq. sepultum. Diem natalē, seu coronæ hunc non esse, libri nostri disertè docent, sed translationis celebritatem. M. Antuerpiense passionem in hodiernis fastis signat, sed in hoc etiam latercule confusum, aliquos sanctos martyres ita repetit. *XII. Kal. Ianuarii. Passio Thomæ Apostoli in India, & in Thuscia Ioannis, & Festi. In Thracia ciuitate Gildoba Iuli. Et Romę Zephirini Episcopi. In Oriente natalis Teclæ, & in Ampelia ciuitate Bonidi, Codræ, Liberatis. In Mesopotamia Zosimi, Aurulæ. Et in Eraclea Bassi. Et Romæ depositio Sanctorum Victoriæ, & Bothaniæ, Secundi, item Zosimi, & Seriaci, & alibi Foci, Flori, & alibi Honorati Episcopi, & confessoris.* Depilatū hìc agnosco martyrol. Corbeiense, siue à tineis corrosum, siue à librario malè multatum. Differt enim in multis à codicibus nostris, hoc est *XII. Kal. Ianuarii. In Mesopotamia natalis, & translatio S. Thomæ Apostoli, qui translatus est ab India, cuius passio ibidem celebratur. In Heraclea S. Passini. Romæ depositio Sancti Innocentii, & passio Sanctorum Focæ, Florii, Honorati Episcopi, & confessoris.* Ioannē, & Festum habent in Thuscia non modo adductum Antuerpiense martyrolog. sed cum Romano martyrol. Beda, Vsuardus, Ado, Rabanus, Petrus de Natal. lib. xi. nu. 19. & alij recentiores, vnde in codicibus nostris librarij vitio non extare verendum est. Nullibi in Tuscia veneratos cōparere, aut inuenire potuisse fatetur Ferrarius in catalogo SS. Italiæ. Fortasse iidem fuit, de quibus infra x. calēd. Ianuarij.

In Eraclea. Passum Eracleoticū martyrem, Passinum vocat M. Corbeiense. Sed Bassum dicit martyrol. Antuerpiense, cui concinit Maurolycius.

Romæ. S. Innocentij Romani Pontificis, siue Episcopi depositionem, siue sānctum obitum liber Pontificalis, & martyrol. Romanum referunt v. Kal. Augusti, quo pariter die sepultum in cœmeterio ad Vrsum Pileatum testatur Abbo Floriacensis, & confirmat Bellinus de Padua cum Molano ad Vsuardum. Galesinius in martyrologio Episcopum, & cōfessorem appellat, sed in notis vocatum ab aliis martyrem testatur, ac præcipuè à M. Romano, quod illud esse non dubito sub Romani nomine à Bellino de Padua editum, vbi v. Kal. Augusti legitur *Innocentij Papæ, & martyris.* Ex hoc accipiēs Molanus martyrium tacuit. Disertè tamen martyrem, & vocauit, & descripsit Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 149. sub Eudoxia vxore Arcadij, ab eo ex cōmunicati. Galesinius putat martyrem dictum fuisse ob admirabilem virtutē, summamq. constantiam, cum martyrum fortitudine comparandam, qua Chrysostomi causam contra Arcadium, & Eudoxiam suscepit. Cum verò martyrol. nostrum ad diem illum 28. Iulii nihil de Innocentio indicauerit, & in hūc reposuerit, videtur vel hāc diem natalis, vel trā. slationis alicuius celebritatem indicare: forte quando à Sergio secundo, vt Bibliothecarius testatur, translatum S. Innocentij corpus è via Portuensi in Equitij titulum fuit, ibiq. cum Anastasio prædecessore repositum: ex quo tempore supperaddi potuit, tam in martyrol. nostro, quam Corbeiensi, non vero in Vetustissimo Antuerpiensi. Ex indicnlo veteri mss. Bibliothecæ Vaticanæ ambos primùm sepultos fuisse *ad Vrsum Pileatū Portu* refert Aringhius Romæ subt. lib. 2. cap. 19. nu. xi. & Vuillelmus Malmesburiensis lib. 4. cap. 2. de Gestis Angl. enumerans sanctorum martyrum corpora, quæ via Portuensi quiescebant, Anastasium, & Innocentium inter alios profert.

Victoriæ.

Victorię. Quamquam cum Innocentio Romæ sepultos sex alios vtriusq. sexus martyres videatur indicare martyrolog. nostrum, expressius tamen Romæ tribuuntur in martyrol. Antuerpiense: Innocentio quidem, non nisi die venerationis fortasse, & sepulturæ loco copulati. Post Victoriam sequitur in nostris libris Bitanza, quæ in Vetustissimo illo Bothania dicitur; in hoc Secundus, Zosimus, & Siriacus tantum numerantur: in M. nostro Aurilius additur, ni forte Aurulus ille sit, qui cũ alio Zosimo Mesopotamiæ in Antuerpiensi martyrolog. ascribitur, & in nostro prætermittitur. In his omnibus mutilũ est M. Corbeiẽse.

Foca. De S. Foca, seu Phoca aliqua diximus ad diem v. Martij, & 14. Iulij. Alium tamen hunc esse putarem ex socio Floro. Alibi incerto loco, non Romæ veneratos esse docent libri nostri, & martyrol. Antuerpiense, quamquam decurtatum Corbeiense eosdem videatur Romæ tribuere.

Honorati Episcopi. Alibi sanctũ hunc confessorem, & Episcopum, & seiunctim à Foca, & Floro, veneratum docet expressè M. Antuerpiense. An ille S. Honoratus Episcopus Tolosanus sit, quem Saussayus postridie recolit, proximitas venerationis suspicionem inducere potest. Secundus is est in serie Tolosanorum Episcoporũ apud Sammarthanos; sed felicis obitus dies penes illos non signatur.

In Pennante. Huius S. Saiuuoldi presbyteri, & Abbatis à Gallico antiquario superadditi commemorationem alibi confirmatam non licuit inuenire, neq; in optimo Blumanio codice.

XI. Kal. Ianuarias.

IN Antiochia Sancti Basilei. Romæ via Lauicana inter duos lauros natalis Sanctorum ccc. martyrum, qui omnes vna die coronati sunt. Et Hostia natalis Sanctorum Demetri, & Honorati. Felicis. Flori, & in Porto Romano natalis Sancti Aristoni. Et in oppido Ciuit. Romæ via Portuense depositio S. Felicis Episcopi. Et alibi passio S. Theodotiæ, & Didimi Monachi.

DECEMBRIS 22.

BAsileum Antiochenum martyrem ex Beda, & mss. exhibet hoc die Galesinius. Episcopum vocat his verbis Appendix ad Adonem *XI kal. Ianuarij. In Antiochia S. Basilei Episcopi*. At si Basilia esset, vt in M. Antuerpiensi scribitur, non Basilius, frustra Episcopale munus adderetur. Ita profectò in illo legitur. *XI. Kal. Ianuarij. Antiochia Basilia. Romæ via Lauicana xxx. martyrum. Et in Ostea Dimetri, & Honorati, Felicis, Flori. Et in Portu Romę Aristoni. Item Romę depositio S. Felicis Episcopi, & alibi passio Theodosię virginis, & Didimi Monachi*. Basileum in Antiochia martyrem, non Basileam vocat Rabanus. *XI. Cal. In Antiochia natale S. Basilei*, atq. eodem modo martyrol. Corbeiense, in quo locius additur Serapion aliis ignotus, ni forte Schirion Alexandrinus sit, cuius hac die meminit Vsuardus, & ex Eusebio Romanum martyrol. *XI. Kal. Ianu. In Antiochia S. Basilei, Serapionis. Romę via Lauicana inter duas lauros natalis Sanctorum xxx. martyrum vna die coronatorum. Et Ostia Sanctorum Demetrii, Honorati, & alibi natalis SS. Felicis, Ioannis. Romę via Salense*

lense depositio S. Felicis, & passio Sanctæ Theodosiæ virginis, & Didymi Monachi.

Romæ. Triginta anonymos martyres, inter duas lauros via Lauicana vna die coronatos, explicat in hodiernis tabulis Romanum martyrol. cui astipulatur Beda editus, Vsuardus, Ado, Vuandelbertus, Rabanus, Petrus de Natalibus, Bellinus de Padua, Maurolycius, & ex libris scriptus Galesinius; qui omnes ferè affirmãt sub Diocletiano fuisse coronatos. Quamquam vero in maiori anonymorũ martyrũ numero exuberẽt libri nostri, & tercentos, nõ triginta signẽt: ex adductis tamen codicibus editis, & mss. Antuerpiensi, & Corbeiensi xxx. illos fuisse facile cõsentirem, licet in Diocletiani carnificina non magnum quid sit, triginta martyres vna die coronatos fuisse, cum dignior imuiani eius sæuitia numerus tercentorum esset. Ferrarius nihil addit in catalogo Sanctorum Italiæ.

Ostia. Apud Ostia Tiberina Demetrii, Honoratum, & Florum martyres indicat Romanum martyrol. Honoratum, Felicem, & Florum cum Dimetrio addit M. Antuerpiense, nostris codicibus prorsus consonum. Martyrol. Corbeiense Demetrium, & Honoratum Ostiæ tribuit, alibi verò cum Ioãne, Felicem. Vsuardus tres eosdem affert, quos etiam numerat martyrol. Romanum cum Adone, & recentioribus, Petro de Natalibus, Bellino de Padua, Maurolycio, Galesinio, & Ferrario. An iidem sint Demetrius, & Honorius, qui supra xi. cal. Decembris in M. nostro recoluntur suspicari licet, qui cũ Floro, & Felice hic repetantur, ne vt alibi monuimus, in cõfessione, ac tormẽtis socii, in veneratione disiungerentur.

In Portu Romano. Quamquam Ostiæ proximus sit Romanus Portus, non eadẽ tamen ciuitas erat, vt alibi diximus. Vnde recte Aristonis memoria ab aliis Ostiensibus martyribus seiungitur. Antiquissimum fragmentum Romani martyrol. apud Bucherium mense quidem Decembris Aristonem in Porto memorat, sed Idibus, non xi. Kal. At sicuti legendum est in Porto non in Ponto, ita fortasse vitium esse potuit in nota diei. Aristonis non meminit martyrol. Corbeiense, sed cum libris nostris martyrol. Antuerpiense.

Et in Oppido. Pro via Portuense, via Salense scriptum est in codice Corbeiẽse, tam à Dacherio edito, quam in schediis piæ memoriæ Dusresnij ad me transmissis. Confirmatur librorum nostrorũ fides ex Appendice ad Adonem, in qua legitur xi. kal. Ianuarij. *Romæ via Portuẽsi depositio Sancti Felicis Episcopi*, & ex Beda, & Rabano totidem verbis. An pro eo, quod scriptum est in codice Corbeiensi Via Salense reponendum esset *ad Insalsatos*? Ita scriptum inuenio in codice hædino Canonicorum Lucensium, vbi multa ad vrbem Romam spectantia prostant, & xxi. cœmeteria nũmerantur, inter quæ legitur *Cœmeterium ad Insalsatos ad S. Felicem via Portuense*. Ad Insalatas vocatum esse locum, vbi erat Ecclesia S. Felicis via Portuensi, elicit pariter ex libro de mirabilibus Vrbis Aringhius lib. 2. Romæ subterr. cap. 18. nu. 3. quo capite disputat à quo S. Felice martyre cœmeterium S. Felicis via Portuense nomen acceperit, putatq. à S. Felice Papa huius nominis secundo à Constantio expulso. Quamuis enim Bibliothecarius S. Felicis corpus via Aurelia conditum fuisse doceat ex actis tamen Liberij vita Portuensi in prædio suo sepultum fuisse colligit, & fortasse à fidelibus ex via Aurelia transpositum esse ad prædiolum suũ via Portuẽsi, vbi à sede depositus habitauit. Sed neque locus, vbi coronatus fuit, neque dies martyrii idem est apud omnes. Capite truncatum cum multis clericis, & fidelibus iussu Cõstantij refert Abbo Floriac. num. 38. & occultè extra murum ad latus formæ Traianæ sepultũ 3. Idus Nouembris; sed inde à Damaso presbytero translatum, & sepultum via Aurelia 17. kal. Dec. Anastasius, siue liber Pontificalis, sibi inuicem aduersus, aliter scribit in vita Liberij, aliter in vita Felicis; In illa depositum ex Episcopatu

habitasse

habitasse narrat in prediolo suo via Portuense, *vbi & requieuit in pace 4. cal. Augusti*. In hac verò refert S. Felicem constructisse Basilicam via Aurelia miliario ab Vrbe secundo, cum presbyterij honore fungeretur, & emptum agrum eidem Ecclesiæ obtulisse, sed de eius passione ita scribit. *Qui etiam passus est in ciuitate Corona cum multis Clericis, & fidelibus occultè iuxta muros vrbis ad lacus Traiani III. Idus Nouembris, & exinde raptum est corpus eius à presbyteris, & clericis nostris cum Damaso presbytero, & sepultum est in Basilica supradicta, quam ipse Via Aurelia construxerat XII. kal. Decembris miliario secundo*. Liber qui sub nomine Luitprandi editus est, nihil de translatione corporis addens tantum inquit, *Constantij precepto, capite truncatur in ciuitate Goranna III. Idus Nouembris*. At ad diem hanc vndecimam Nouembris, nihil in martyrolog. Vetustiori nostro de S. Felice Episcopo annotatur: sicuti neq; xij. Kal. Decembris, aut xvi., vt alij codices retinét. Nec difficile esset pro vrbe Corona, siue Corana, Coram oppidũ inter Latinos, & Volscos, adhuc non magnum persistens, intelligere: opidani enim eius Corani apud Plinium dicuntur lib. 3. cap. 5. Facilis emendationis lapsus esset librariorum nostrorum, & restitui posset. *Et in oppido Cora, & Rome via Portuense S. Felicis episcopi*. Sed Cære potius legendũ suadet vir sũmus Baronius, quòd oppidũ illud Latij via Aurelia occurrat: vnde liber Pontificalis, & alij minus accurati scriptores accipere potuerunt, via Aurelia S. Felicem fuisse sepultum. Agylla prius Cære vocabatur, vrbs Hetruriæ quondam scriptoribus antiquis clara, & Cærites oppidani vocati, siue Cæretani. Adhuc in hoc Oppido 17. ab vrbe lapide, sacras S. Felicis reliquias venerari, testis idem est Baronius, tũ in Notationibus ad diẽ 29. Iulij, tũ in Annalibus ad annũ 357. n. 46. festumq. diem illic peragi addit, relicta nimirum ibidem aliqua reliquiarũ parte, vt de alijs accidit, cum à Damaso, alijsque fidelibus raptũ est corpus, & delatũ ad viam Portuensẽ. Potius igitur in libris nostris restituendũ existimarẽ. *Et in oppido Care, & Roma via Portuense S. Felicis Episcopi*. Ruunt ex his quæ dicta sunt, & ex veterũ MM. fide, quæ cõtra Felicem, eiusq; dubiam sanctitatẽ ex Rufino recẽtiores aliqui deducunt apud Ferrariũ in catalogo SS. Italiæ die 29. Iulij, & fides codicis Eugubini nutat in eo, quòd Felicẽ supervixisse Constãtio in schismate vsq. ad Valẽtem, & Valentinianũ doceat, quinimo etiã arguitur auctor vitę S. Athanasii apud Photium in excerptis nu. 758. qui S. Felicem martyrem non agnoscit, sed peste obiisse consumptum tradit. Ex loco igitur sepulturæ, aliquos à S. martyre Felice primo, in S. Felicem secũdum deflexisse suspicor, præsertim, in Basilica constructa via Aurelia, vbi sepultus fuerit; hoc enim legitur in vita S. Felicis primi. De die vero, siue necis, siue translationis, quanta fides sit adhibẽda libro Bibliothecarii, siue Damasi, docti omnes norunt, qui sæpè de malè adnotatis numeris, siue annorum, siue dierum conqueruntur, & Baronius in primis. Incertus equidem dies migrationis, siue martyrij est, & contra alios Marcellinus presbyter, alioquin schismaticus, & Luciferianus, sed æuo Felicis proximior, & quẽ in re notissima alios decipere voluisse vix esset credibile, apud Baronium anno 357. num. 48., bis Vrbe pulsum Felicem narrat, & in secunda expulsione inquit, *Decimo Kal. Dec. migrauit è vita*. Dies ergo, qui translationi in libro Põtificali ascribitur apud Marcellinũ schismaticũ migrationis est. Vnde fortasse dies 22. Decẽb. in nostris, & adductis codicib⁹ signatus, facile trãslationi congrueret, & facile à Damaso, & aliis clericis post mensẽ circiter corpus eius raptũ, & alibi depositũ esse potuit. Vox equidẽ depositionis, qua plures codices vtũtur, in vetustiorib⁹ martyrol. natalibus martyrũ minus vsitata, trãslationi optimè conueniret. S. Felicem Põtificis Vicarium, & Episcopum consecra-

tum vices Liberij exulantis tenuisse, atq; Ecclesiam loco Pontificis gubernasse, nequaquam verò fuisse Pontificem videntur docere Optatus Mileuitanus, & D. Augustinus: alter lib. 2. contra Parmen: alter epist. 165. Cum enim seriem Romanorum Pontificum retexunt, post Liberium Damasum enumerant, & Felicem omittunt. In lapsu quidem Liberii, vexillum catholicorum erexisse Felicem, & fidelibus penè omnibus ad eum confluentibus, pro vero Pontifice habitum non inficior; cum verò post reditum Liberii Romam parùm advixerit, & Liberius resipuerit, non est cur schisma fouisse dicatur. Baronius quidē anno 357. nu. 50. cum iam paratus esset S. Felicem ex albo sanctorum, quantum in se esset proscribere, miraculosè in Diaconia SS. martyrum Cosmæ, & Damiani inuētum sacrum corpus testatur, & litē diremisse, cum esset hac lapidea inscriptione munitum. *Corpus S. Felicis Papæ, & martyris qui damnauit Constantium.*

Theodotiæ. Theodoram communiùs vocant Hagiologia omnia, quam cum Didymo recolunt die 28. Aprilis, vt Romanum martyrol. Beda, Vsuardus, Ado, ac reliqui latini, nec incerto loco, sed Alexandriæ. Eiusdem mensis die v. Menologium Græcorum, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, sub Præside Alexandriæ Eutratio, Theodoræ, & Didymi memoriam celebrat, & rursus die 27. Maii in eodem Menologio Canisij fusius eorundem Sanctorum certamen describitur, maximo Christianæ charitatis exemplo. Theodotia hic dicitur, Theodosia in martyrolog. Corbeiensi, & Antuerpiensi, & Didymus Monachus etiā hocipso die dicitur à Rabano. *Et alibi Theodosiæ virginis, & Didymi Monachi.* Antiochenam Theodoram fuisse, non multo ante ætatem suam scribit lib. 1. de Virgin. S. Ambrosius, & Antiochiæ miro Dei fauore per Didymum è lupanari ereptam, narrat eleganti stylo. Ex hoc fortasse, quòd aliqui Alexandriæ, alii Antiochiæ mirabile certamen ascribant, accidere potuit, vt in Vetustiori martyrol. incerto loco *alibi* tribueretur.

X. Kal. Ianuarias.

IN Ciuitate Nicomedia natalis Sanctorum ccxlv. martyrum simul, quorum nomina Dominus scit. Romæ natalis Sanctorum Egeni. Eleutheri. Vrbani. Corneli. Traiani. Euaristi. Metelli. Victoris. Ticiani, Cleti. Siriani. Basilini. Niceti. Flauiani. Felicis. Pullij. Ancleti, Sopatri. Saturnini. Eufrosini. Castulæ, & aliorum Dcc. similiter, & Calesti. Euticiani, & sociorum eius simul. Petri. Apolloni. Thelij. Xisti. Item Xisti. Solani. Eucaristilli. Basillimi. Zeferini. Galliti. Corneli. Et alibi natalis Sanctorum Iohanis, & Felicis.

DECEMBRIS 23.

VEtustate detritū codicem martyrolog. Corbeiensis nō nisi paruulas lineas hodiernæ sacræ tabulæ exhibet, nullas postridianæ, & quantum coniectari licet, à codicibus nostris, & Antuerpiēsi martyrol. varias nimirum. *X. kal. Ianuar. Depositio S. Victoriæ Romæ sub Decio, quæ cum esset desponsata viro pagano, & Rel....* neq. enim libri nostri Victoriæ Eugenio despon-

desponsatæ agonem, præter morem etiã eiusdem Martyrol. Corbeiensis referunt, neque M. Antuerpiense Vetustissimum, in quo anniuersarius hodiernus circulus ita describitur. *X. kal. Ianuar. In Antiochia natalis martyrum xxxv. & in alio loco Euaristi, Victoris, & aliorũ Dccexxxiij. Sisti, Apollinis. Roma Eugeni, Eleutheri, Vrbani, Cornelij, Atriani, Euaristi, Metelli, Victoris, Titiani, Eliti, Siriani, Basselini, Niceti, Flauiani, Felicis, Pulli, Anicleti, Sopatri, Saturnini, Euphrosini, Cartula, Calesti, Euteciani, & sociorum eius. Item Petri Apostoli, Lini, Telij, Sixti, Solani. Euaristuli, Basilini, Zephirini, Gallini. Item Corneli, & alibi Ioannis, & Festi.* Quam facile numerales notæ vitientur in antiquis manu exaratis libris omnes norunt, & dolent. At non modo codices nostri in anonymorũ numero ab Antuerpiensi differunt, sed in loco passionis. In hoc Antiochiæ natalis martyrum xxxv. exprimitur. In illis non Antiochiæ, sed Nicomediæ numerus martyrum ad ccxlv. extenditur. At sicuti in loco passionis Rabanus codicibus nostris fauet, ita in numero primi ordinis anonymorum cum Antuerpiensi conuenit. X. cal. post Victoriæ sub Decio recensitum agonem subdit. *In Nicomedia natale martyrum xxxv. & in alio loco Euaristi, Victoris, & aliorum dxxxij.* ita in numero secundi ordinis, & incerti loci martyrum etiam ab illo discrepat.

Nicomediæ. In hac sub Diocletiano regia vrbe martyrum plurimorum carnificinam fuisse diserte docet Eusebius lib. 8. Hist. cap. 6. Post Anthimi enim Nicomediensis certamen subdit. *Huic adiuncta est ingens martyrum multitudo*, deinde cum falsę suspicionis de incendio insimularẽtur Christiani, quotquot erãt Nicomediæ Dei cultores, aceruatim cũ suis familijs gladio, vel flammis consumptos perijsse addit. *Sed alios quoque innumerabiles vinctos, & scaphis impositos carnifices in profundum mare proiecere.* Vt potius mirandum sit, tam in martyrol. Romano, quam Vsuardo, Adone, & aliis recentioribus Nicomediẽses ignotis nominibus martyres ad viginti tantũ extendi, quam in M. Antuerpiensi, & Rabano ad xxxv. atq; in libris nostris magis ad Eusebij historiam accomodatis ad numerum ducentorum quadraginta quinque.

Romæ. Tantam martyrum Romanorum segetem aliunde comparere non video, nisi ex Adonis Appendice, in qua numerus octingẽtorũ, & triginta duorum sine nomine martyrum Romæ ita videtur tribui ad diem x. Kal. Ianuarij. *Item Roma natalis Eugenii, Eleutheri, Vrbani, Cornelij, Traiani, Victoris, Castulæ, Eutichiani, & sociorum eius, & aliorum octingentorum triginta duorum.* Numerus sociorum Euthiciani in M. Antuerpiensi non exprimitur, & in libris nostris non Eutichiano, sed Castulæ succenturiantur septingenti martyres simul; Hos supra octingentos refert cũ Adonis Appendice Vetustissimum Martyrol., non quidem Romæ, aut Antiochiæ, seu Nicomediæ, sed alibi incerto loco cum Euaristo, & Victore, qui in codicibus nostris desiderantur: vnde eos suspicor mutilos, & luxatos, quod etiam monet Rabanus. Restituendum ergo in illis putarem post Nicomedienses anonymos, *& alibi Euaristi, Victoris, & aliorum Dccexxxiij. vel xxxij. simul.* Non ita tamen certus sum, restituendos etiam esse Sixtum, & Apollinem, qui populosæ anonymorum turmæ super adduntur in martyrol. Antuerpiensi; videntur quippe ex nominibus Romanorum reperiti, qui in libris nostris ad triginta quatuor nominibus signati extenduntur, sicuti etiam in eodem Vetustissimo martyrol. recensentur. Hi in duas classes distinguntur. Primam ducit Egenius, siue Eugenius, secundã in libris nostris Calestus, in illo Petrus. Aliqua quoq. sed parua in nominibus differẽtia intercedit. In prima pro Troiano Atrianus scribitur in M. Antuerpiensi, pro Cleto, Elitus, pro Castula Cartula. In secũda pro nominibus Petri, & Apollonij librarius Epternacensis in vetustis-

simo Martyrolog. incuriosè posuit Petri Apostoli, Lini, & pro Gallito, Gallinum.

Et alibi. Ioannem, & Festum, incerti loci martyres, pro Ioanne, & Felice nostrorum codicum hic refert martyrolog. Antuerpiense. Subijt autem dubitare an Ioannes, & Festus, qui xij. cal. Ianuarij in Romano martyrol. Bedæ, Vsuardi, & Adonis, Rabani, & aliorum in Thuscia venerantur, & tunc in codicibus nostris prætermittuntur, ijdem esse possint. Eadem quidem nomina sunt in martyrol. Antuerpiense; in nostro nonnihil differunt, dum pro Ioanne, & Festo Ioannes, & Felix exhibentur incerto loco *alibi*.

VIII. Kal. Ianuarias.

IN Tropoli Ciuitate Luciani. Romæ natalis Sanctorum Metrobi. Pauli. Zenoti. Theotini. Thimisti. In Antiochia Syriæ natalis Sanctorum Virginum xl. Canonicarum, & aliorum duo simul Drosi, & Donati

DECEMBRIS 24.

VIm neque in codicibus nostris, neque in martyrol. vetustissimo Vigilia Natiuitatis Domini in hodiernis fastis indicetur, ansam præbuit dubitādi, non esse hoc dic in Ecclesia vetustissimi vsus, vel saltem certum esse in vetustioribus martyrologijs vigilias non indicari. Thomasinius in Bibliotheca Patauina Martyrologium D. Hieronymi in membranis se vidisse testatur, quod non à die 25. Natalis Domini, vt nostrum inciperet, sed à vigilia Natiuitatis, vt Ado à Rosuueydo editus. Antuerpiense quidem ab initio Ianuarij Anniuersarium Sanctorum circulum auspicatur, & nihil de vigilia ita habet. *VIIII. Kal. Ianuarij. In Tripoli natalis Luciani. Et Romæ Metrobi, Pauli, Zenoti, Theotini, Timisti. Antiochiæ Syriæ Sanctarum virginum numero xl. & aliarum duo Drusi, & Donati.* Neq. Rabanus vigiliæ meminit, & nonnihil immutatis nominibus eadem ferè exhibet. *IX. Kal. Ianuarij. In Tripoli ciuitate S. Luciani, & Natale SS. Metrobi, Pauli, Zenoti, Theotini, Timisti. In Antiochia Syriæ, natale SS. Virginum, vii. Canonicarum, & aliorum duorum simul Drosis, & Donati.*

Tropoli. Thropoli ciuitate etiam legitur apud Bedam, sed omninò legendū Tripoli. Ex gemina autē huius nominis vrbe, altera quæ Phœniciæ emporium Tripolis Syriæ dicitur, altera Africæ litoralis, quæ ab Europęis Tripolis Barbarica vocatur, quæ nam hic indicetur, non ita constat. Lucianum Tripoli tantùm tribuunt, non modo codices nostri, sed M. Antuerpiense, Rabanus, Vsuardus, Bellinus de Padua, Petrus de Natalibus lib. xi. nu. 21. licet is non martyrē, sed confessorem vocet, & ex illo Maurolycius. In Romano verò martyrolog. non tantùm Lucianus, sed Metrobius, Paulus, Zenobius, Theotimus, & Drusus, Tripoli tribuuntur, qui nostro, & Antuerpiensi Romani sunt præter Drusum. Baronius ibi adducit testes Bedam, Vsuardum, & Adonem cum Veteribus mss. At Beda quidem Lucianum, Metrobium, Paulum, Zenotum, Theutinam, & Drusum Thropoli, seu Tripoli tribuit: Vsuardus verò Vetustioris editionis Louanienſis, quem nunc præ manibus habeo, non nisi Lucianum signat. Apud Adonem, siue editum Mosandri, aut Rosuueydi, siue in ms. nostro, aut in eiusdem Appendice, neq. Lucianum, aut alium

ex Tripolitanis martyribus inuenire mihi licuit. Vnde martyres illos ad hunc quidem diem spectare, Lucianum vero tantum Tripoli tribuum video.

Romæ. Metropium, Paulum, & Lucianum ex veteribus non optimæ notæ mss. Galesinius Romæ tribuit, sed Lucianum iterum Tripoli cum Vsuardo assignat, Rabanus quinque martyres sub anteſignano Metrobio à Luciano distinguit: quamuis locum agonis, vel venerationis prætereat. Romæ constanter illos venerari docent, tum bini codices nostri, tũ martyrol. Antuerpiense. In hoc Cenotus pro Zenoto dicitur, nõ Zenobius, & Theotinus, seu Theutinus pro Theotimo martyrol. Romani, sicut Timistius pro Drusio, qui alterius ordinis est. Alia me latent.

In Antiochia Syriæ. Sanctas Virgines quadraginta varijs tormentis cruciatas, & coronatas in Deciana persecutionem omnia ferè vulgata martyrologia recolunt, Romanum videlicet, Bedæ, Vsuardi, Adonis, Rabani, Vuandelberti, & recentiorum. Canonicas vero fuisse, hoc est sub regola viuẽtes, præter Rabanũ, & codices nostros alibi expresè non legi. Vuandelbertũ, id quidem significare voluisse crederem, dum de quadraginta virginibus cecinit, *Vitam voto, & virtute cœlo dedicauisse*, hoc est moniales fuisse. Expresse Menologium Græcorum à Canisio editum Calendis Septembris vocat quadraginta mulieres martyres virgines, & Moniales, quæ tamen cum non Antiochię, sed Adrianopoli Macedoniæ natæ dicantur etiam in Menologio Basilij, & cum præceptore Ammone Diacono plurimum ibi cruciatæ, deinde Heracleam Thraciæ ad Licinium Tyrannum transmissæ, partim gladio partim igne agone pro Christo complexerint, diuersæ videtur esse ab Antiochenis, hoc die veneratis. Septem Virginum Canonicarum pariter meminit martyrol. Antuerpiense v. Idus Aprilis, vt ibi diximus. Sacras Virgines voto obstrictas in Asceterijs, seu sacris Gynecæis simul aduixisse, etiam ante Decij persecutionẽ, ita clarum esse existimo, vt quod Eusebius aperte testatur lib. 2. Hist. cap. 17. alia probatione non egeat. Præter ea autem quæ obiter dicta sunt Exercitat. XVI. sufficiat, in re nota testem adducere, ethnicum scriptorem Ammianum Marcellinum lib. 18. sub finem. *Inuentas tamen alias virgines Christiano ritu, cultui diuino sacratas custodiri intactas, & religioni seruire solito more nullo vetante, præcepit.* Ita vir paganus de Rege Persarum scripsit Gynecæa, & Monasteria Christianorum sub Constantio, & Iuliano describens. Quadraginta harum Canonicorum martyrum memoria Ghinių ausugit, dum Canonicorum natales vndique congessit.

Drosi, & Donati. Pro Drosio Drusũ legunt, vel Dusum martyrol. Antuerpiẽse, & Rabanus; Drusus quidem in Romano martyrol. inter Tripolitanos martyres recensetur, cum potius inter Antiochenos, seiunctim à xl. virginibus numerari debere videatur in adductis codicibus. Sed optimus liber Blumianus, vt in Additionibus constabit, virginibus quadraginta Canonicis Antiochenis *aliorum SS. simul Drusi, & Donati* memoriam signat.

Sacrarum Ephemeridum in vtroq. Lucensi codice Anniuersarius Circulus, hucvsq; protractus, ità clauditur, vt dies idem VIII. Kal. Ianuarij in calce indicatus, Ecclesiastico pariter Anno finem imponat, ac illius exordium ijsdem verbis reuocet in memoriam.

VIII. Kal. Require retro ad Festa Apostolorum.

Sequitur

Sequitur deinde Oratio, siue scriptoris, qui Vetustius Martyrologium sub Hieronymi nomine adornauit, siue librarij, qui illud priscis characteribus exarauit. Eandem libuit apponere, ne lectores meos, vel minima parte eiusdem Martyrologij fraudarem, & eadem pia coronide Animaduersionibus quibuscumq; meis optatum finem imponerem.

Martyres Christi intercedite pro me apud Dominum, simulque Confessores, aliique omnes quatenus, quorum Sacratissima nomina literis formauit, sententiam eorum auxilium ad Dominum in præsenti vita, & in futuro consequar æternam.

Cum verò die XII. Martij, Magno Gregorio Pontifici dicato, hisce Notationibus postremam manum imponere contigerit, demissè procumbens in genua Sanctum Doctorem rogo, vt qui Beatorũ Martyrũ codicẽ, in Romanæ Ecclesiæ quotidianis Sacrificiis probauit, & Vetustioris Martyrologij specimen ità in Epistolis suis expressũ reliquit, vt à me quoq; luscioso dignosci potuerit, Deum, Dominum, & Iudicem meum mihi placabilem reddere, ac ei, QVI GLORIFICATVR IN CONCILIO SANCTORVM, gratias referre dignetur, quòd me à pluribus annis in eorũ memorijs immeritò versatum, nihil proficientem, & veritatem per sæculorum caligines obnubilantem potius, quam detegentem, patienter tollerauerit. Beatissimam quoque Virginem, omnium Sanctorum plenitudinem supergressam, auxiliatricem expostulet, vt suis, aliorumque cælitum suffragijs Diuinam prouocet miserationem, quoysque deletis per lauacrum pœnitentiæ criminibus, humillimo mihi seruulo ad Sanctorum vestigia prouoluto liceat in æternum concinere. CONFITEANTVR TIBI DOMINE OMNIA OPERA TVA, ET SANCTI TVI BENEDICANT TIBI.

PAruum Hieronymianum, siue Martyrologium dixeris, siue Calendarium, damus ex pervetusto membranaceo libro Bibliothecæ Canonicorum Lucẽsium, qui Comes S.Hieronymi per anni circulum inscribitur. Adiecimus, vt datam fidem exoluamus, ex alio hædino codice fragmentum, diuerso, & inclinato charactere proximè notatum, quod licet in prototypo Martyrologij Bedę titulum præferat, vix indiculus ex Beda contractus esse dignoscitur.

Kal. Ianuarij. Octaua, & Circumcisio Domini N. IESV Christi secundum carnem. *Kal. Ianuarium S.Seuera Confess. S.Concordy Martyris.*

IIII. Non. S.Ysidori Episcopi,& martyris. *IIII. Non. S.Martinæ. S.Euphrosinæ.*

III. Non. S.Genouefæ. *III. Non. S. Macharij Abb.*

II. Non. S.Ageti. *II. S..... Virginis.* Nonis Simeonis Confessoris.

VIII. Idus Theophania scm. *VIII. Idus Epiphania D.N. IESV Christi.*

UII. Idus Iuliani. Venantij. *VII. Idus SS. Iuliani..... Lessi.*

VI. Idus In Græcia Thimotei. *VI. Idus S.Seuerini presbyteri.*

V. Idus SS.Fortunati. Reuocati. S. Basilij. *V. Idus S.Basilij Confessoris.*

IV. Idus S.Pauli primi Heremitæ.

III. Idus In Cartagine S.Siluani. *III. Idus S.Felicitatis.*

II. Idus In Achaia Cyriaci. *II. Idus SS. Rogati, & Modesti.*

I. Idus In Pictauis Hilarij, & S.Saluij. *Idus octaua Epiphaniæ Domini.*

XIX. Kal.Febr. In Græcia S.Felicis. *XIX. Kal. Feb. S.Felicis presbyteri.*

XVIII. Kal. Abacuc,& Micheas. *XVIII. Kal. S.Mauri Abbatis.*

XVII. Kal. Romæ Marcelli Papæ. *XVII.Kal. S.Marcelli PP.& martyris.*

XUI. kal. Depositio Antoni Monaci.

XV. kal. Priscæ Virginis. *Sol in Aquario.*

XIV. Kal. SS.Marij,& Martæ filiorum. *XIV. SS.Marij, Marthæ, & Audifax.*

XIII. Kal. SS.Fabiani, & Sebastiani.

XII. kal. S.Agnes Virginis.Fructuosi Episc.

XI. kal. S.Vincentij martyris,& Anastasij.

X. kal. S.Emerentianæ virg.& Macarij.

IX. kal. Eustasij martyris. *IX.kal. S.Timothei Apost.*

VIII. kal. Conuersio S.Pauli,&S.Pieĉti. *VIII. Conuersio S.Pauli, & Pietti.*

VII. kal. Policarpi episcopi.S.Paulæ *S.Iuliani Episc. VII. kal. Polycarpi S. Paulæ.*

VI. Kal. S.Aldegundæ virginis. *VI. kal. S.Iuliana Virg.*

IV. kal. In Treueris Valerij episc.. Pauli. Victoris.

III. kal. In Antiocenæ Hyppoliti cũ cxxiv. martyribus.

II. kal. Gelasij. Tyrsi. *II.kal: SS.Eugenij. Vindemialis.*

Nox habet hora xvij. FEBRVARIVS habet dies xxviij.& quando Bissextus euenerit habet xxix. Luna Uero xxix.

Kal. Februarij. S. Geminiani. *Kal.Febr. S.Geminiani Episc. & S. Brigidæ Virginis.*

IV. Non. Purificatio S.Mariæ virginis.

III. Non. Blasij mart. *III.Non.S.Blasij Episc. & mart.*

II. Non. S.Brigidæ virginis. *II. Non.Agnetis Virg.*

Non. S.Agatæ martyris. *Non. In..... S.Agatæ virg.*

VIII. Idus Soteris virginis. Dorothecæ. *VIII. Idus Rmn. S.Dorotheæ virg.*

VII. Idus Aguli. Marij. Lucij.

UI. Idus S.Seueri. *VI. Idus S.Alexandri, & Ammonis.*

V. Idus Romæ Pauli Episc. *& Sauini Canusinæ. V.Non. S.Sauini Episcopi.*

IV. Idus Scholastichæ Virginis.

III. Idus Passio Zachariæ Profetæ. *III. Non. Ildegundæ Abb.*

II. Idus Felicis Episcopi.

Idus Stephani Episcopi.
XVII. Kal. Mart. SS. Ualentini. Uitalis. Felicu-
læ, & Zenonis.
XUI. kal. Faustini. Iouitę. *Sol in Pisce.*
XIV. kal. S. Iulianæ virg.
XIII. Kal. S. Romuli martyris.
XII. kal. Rutuli. Damasi.
XI. kal. Publi.
X. Kal. Potamij. Gagi Confessoris.
IX. Kal. Veroli. Sirici.
VIII. kal. Cathedra S. Petri Apostoli. *VIII. Kal. In Antiochia Cathedra S. Petri.*
VII. kal. Polycarpi cum alijs xij. Presbyteris.
VI. kal. S. Matthiæ Apostoli.
V. kal. Donati. Ingenui.
IV. kal. Alexandri. Felicis.
III. Kal. Antigoni. Datiani.
II. kal. Cæleris. Pupilli. *II. kal. ..... & Vfuldus.*

MARTIVS habet dies xxxi. Luna xxx.

Kal. Martij. Depositio Albini. *Kal. Martij S. Albini .....*
UI. Non. Eraclij. *VI. Non. S. Simplicij Papæ.*
V. Non. Felicis. Lucioli.
IV. Non. Lucij Papæ, & DCCC. Martyres.
III. Non. Euoli. Petri. Eusebij.
II. Non. Victorini. *II. Non. SS. Victoris, & Victurini.*
Non. Felicitatis, & Perpetuæ.
UIII. Idus Cyrilli, & Rogati.
VII. Idus XL. Martyrum.
VI. Idus Agapi. *VI. Idus SS. Felicis.*
V. Idus Candidi, & Ualeriani.
IV. Idus Gregorij Papæ.
III. Idus Macedonij.
II. Idus Leonia Episcopi, & martyris. *II. Id. S. Leonis Episcopi.*
Idibus Paulini. *Idib. S. Longini.*
XVII. Kal. Apr. Ibernia Patrici epis. & Castoris.
XVI. kal. Hierosolymis Quiriaci.
XV. kal. Depositio S. Frigiani epis. *Sol in Ar.*
XIV. kal. Theodori. Florenti.
XIII. Kal. Uigilia S. Benedicti abbatis. Cyrilli. *XIII. Kal. In Antiochia S. Iacobi.*
XII. kal. Depositio S. Benedicti Abbatis.
XI. Kal. Pauli Confessoris.
X. kal. Verona Proculi Episcopi.
IX. kal. Romuli. Columbæ.
VIII. Kal. Incarnatio D. N. IESV Christi. *VII. kal. Annunciatio.*
VII. kal. Castuli. Petri. Passio Iacobi fratris Domini.
VI. kal. Resurrectio Domini secundū carnē.
V. kal. Rogati. Dorothei.
IV. kal. Pastoris. Theodoli. *IV. kal. Ordinatio S. Gregorij PP.*
III. Kal. Domnini.
II. kal. Anesij. Felicis.

APRILIS abeth dies xxx. Luna vero xxix.

Kal. Aprilis. Agapeti. Quintiani. Erenei.
IV. Non. Niceti Confessoris. *IV. Non. Quiriacæ, & Pertulæ.*
III. Non. Theodosiæ Virginis.
II. Non. In Mediolano depositio Ambrosij Episcopi.
Nonis Agatæ, & Apolloniæ.
VIII. Idus Firmij. Romani. *VIII. Idus Epiphanij.*
UII. Idus Uictoris.
VI. Idus Maximi, & Solutoris.
V. Idus S. Mariæ Heremitæ. *V. Id. S. Antonij Confessoris.*
IV. Idus Ezechiel Propheta. *IV. Id. Danielis Prophetæ.*
III. Idus Leonis Papæ, atque Doctoris.
II. Idus Romæ Iulij Episcopi. *II. Idus S. Iulij Episcopi.*
Idibus Natale S. Euphemiæ virginis.
XVIII. Kal. Maij. Tiburtij, Valeriani, & Maximi.
VUII. Kal. Maronis. Messoris. *XVII. Kal. S. Lucij martyris.*
XVI. Kal. Martialis. Calisti. *XVI. SS. Petri Diaconi, & Hermes.*
XV. kal. Petri. Hermogenis. *Sol in Tauro. XV. kal. S. Mariæ Heremitæ.*
XIU. Kal. Eulcherij episcopi. S. Caliceri.
XIII. kal. Crispini. *XIII. Kal. SS. Rufi, & Vincentij.*
XII. kal. Seueriani.
XI. Kal. Fortunati.
X. Kal. Gagij. *X. Kal. S. Laurentini.*
IX. Kal. Georgij martyris.
VIII. Kal. Sidrach, Misach, & Abdenago.
UII. kal. Lætaniæ maiores. & Marci Euangel.
UI. Kal. Aurilij. Leonidis. *VI. Kal. S. Cleti Papæ.*
V. kal. Anastasij Papæ. Antimi. Antonij M.
IV. Kal. Vitalis. *IV. kal. S. Vitalis martyris.*
III. kal. S. Tropis. *III. kal. S. Tropis martyris.*
II. kal. Dorothi. Quirini. *II. Kal. Romæ S. Cyrini Episcopi.*

Kal. MAII habet dies xxxi. Luna vero xxx.

Kal. Maij. Philippi, & Iacobi Apostoli fratris Domini.
VI. Non. Athanasij epis.
U. Non. Alexandri, Euentij, & Theodoli. Inuentio S. Crucis.
IU. Non. Antonij. Siluani. Senesij martyris.

IV. Non. S.Senesij martyris.
III. Non. Ascēsio Domini nostri ad celebrādū.
II. Non. S.Ioannis Apostoli ante Portam latinam. *II. Non..... Porta latina, & S. Victoris.*
Non. Iuuenalis. S.Domitillæ. *Non. Flauiani Episcopi.*
VIII. Idus Victoris. Inuentio Michaelis Archangeli.
VII. Idus Pachomij Abbatis.
VI. Idus Gordiani, & Epimachi. S.Christinę.
V. Idus Mamerti Episcopi, qui instituit Litanias maiores.
IV. Idus Nerei Achillei, atq; Panchratij.
III. Idus S.Mariæ ad martyres.
II. Idus Romæ Bonifacij.
I. Idus Pentecosten. Timothei. Digni. *Idib. S.Simplicij.*
XVII. Kal. Iunij. Aquilini.
XVI. kal. Peregrini. Nicandri, & Marciani.
XV. kal. Rotamonis. *Sol in Geminis.*
XIV. Kal. Pudētianæ Uirginis. in Luca Theodori Episcopi.
XIII. Kal. Romæ Basillæ. Placidus. Eustochius.
XII. kal. Victoriæ.
XI. kal. S.Iuliæ, & S.Rufini.
X. kal. Quinti. Luci.
IX. kal. Seruoli.
VIII. kal. Vrbani Papę. Caprazij. Sentij episc.
VII. kal. Augustini presbyteri.
VI. kal. Aquili. Quinti. *VI. k.....olani Aquilini.*
V. Kal. Epicrati. Germani.
IV. Kal. Sisinni. Alexandri.
III. Kal. Crispoli. SS.Cantianorum.
II. Kal. Petronillæ virginis.

IVN. habet dies xxx. Luna xxix.

Kal. Iunij. Dedicatio S.Nichomedis.
IV. Non. Marcelli, & Petri.
III. Non. Quirini, Abdiani.
II. Non. Zosomi. Camasi. *II. Non. Quirici.* Nonis. Marciani. Felicitus.
VIII. Idus Amantis. & Litey.
VII. Idus Pauli. Fortunati.
VI. Idus Medardi.
V. Idus Primi, & Feliciani.
IV. Idus Basilæ, & Cassiani.
III. Idus Barnabæ Apostoli. Restituta.
II. Idus Basilidis. Cirini. Naboris, & Nazarij.
I. Idus Luciani. Fortunati.
XVIII Kal. Iulij. Antonij.
XVII. kal. Viti, Modesti. Candidi. Crescentiæ.
XVI. kal. Diogeni. Cirini.
XV. kal. Quiriaci. *Sol in Cancrum.*
XIV. kal. Marci, & Marcelliani.
XIII. Kal. Geruasij, & Protasij.
XII. Kal. Pauli. Ciriani.
XI. Kal. Eusebij episcopi.
X. kal. Iacobi Apostoli. Idem Alphei.
IX. kal. Vigilia S.Ioannis Baptistæ.
VIII. kal. Natiuitas S.Ioannis Baptistæ.
VII. kal. Vigilia Ioannis, & Pauli.
VI. kal. Natale SS.Ioannis, & Pauli.
V. Kal. Crispi.
IV. Kal. Leonl Papæ. & vigilia Apostolorum Petri, & Pauli.
II. kal. Albini Confessoris.

IVLIVS habet dies xxi. Luna xxx.

Kal. Iulij. Aaron Sacerdotis.
VI. Nonis Processi, & Martiniani.
V. Non. Translatio S.Thomæ Apostoli. *V. Non. Mustioli.*
IV. Non. Translatio S.Martini.
III. Non. Agathonis. *III. Non. S. Agatonis Diac.*
II. Non. Octaua Apostolorū Petri, & Pauli.
Nonis. Apollonij. Pupli.
VII. Idus Sustratij. Eraclij. *Obijt Vazo Episcopus Leoducensis.*
VII. Idus Floriani. Anatholiæ virginis.
VI. Idus Septem fratrū filiorum Felicitatis.
V. Idus Translatio S.Benedicti Abbatis.
IV. Idus Naboris, & Felicis. S.Pelagiæ.
III. Idus Passio S.Margaritæ martyris. *III. Idus. S. Margaritæ virg.*
II. Idus Petri. Iusti Confessoris. *II. Id. Sāctorum XI. fratrum.*
I. Idus Theodoti. *Idus S. Philippi.*
XVII. kal. Aug. S.Quirici martyris, & Iulitte. *XVII. kal. SS. Quirici, & Iulitæ.*
XVI. Kal. S.Abundij Diaconi. *XVI. Transl. S. Abundy, & Alexandri, & Domitillæ.*
XV. kal. S.Mamæ martyris. *Sol in Leone. XV. Kal. S. Arnulfi Confess.*
XIV. Kal. Rustici Episcopi. *XIV. kal. S. Arseny Monachi.*
XIII. Kal. S.Ruphinæ.
XII. Kal. S.Praxedis.
XI. Kal. Cirilli. *XI. Kal. S. Mariæ Magdalenæ.*
X. kal. Apollinaris episcopi.
IX. *Kal.* Valentis episcopi. *IX. kal. S. Valētis Episcopi, & Vig. S. Iacobi Ap.*
VIII. Kal. Iacobi Apostoli. Christophori martyris. Christinæ. *VIII. kal. S. Iacobi Apostoli, & Christophori.*
VII. Kal. Pantaleonis martyris.
VI. Kal. Symeonis Monachi.
V. Kal. Nazarij, & Celsi.

IV. kal. Simplicij. Fauſtini, & Beatricis. *VI. Kal. Felicis. Simplicij. Fauſtini.*
III. Kal. SS. Abdon, & Sennem.
II. Kal. S. Germani Epiſcopi *Autiſiodorenſis*

AVGVSTVS habet dies xxxi. Luna xxviiii.

kal. Auguſti. Machabeorũ. Abſolutio Petri Apoſtoli. *kal. Aug. Abſolutio B. Petri à Vinculis, & SS. Machabeorũ, & Felicis.*
IIII. Non. Stephani Epiſcopi. *iiiii. Non. S. Stephani PP.*
III. Non. Euphroni. Ermoli.
II. Non. Iuſti, & Creſcentiani.
Non. Eraclij, & Erenei.
VIII. Id. Sixti Epiſcopi. Feliciſſimi. Agapiti, & Transfiguratio Domini. *VIII. Idus Trasfiguratio.*
VII. Id. S. Donati Epiſcopi. S. Afræ.
VI. Id. Ciriaci Martyris.
V. Id. Vigilia S. Laurentij Martyris, & S. Romani.
IV. Id. S. Laurentij Martyris.
III. Id. S. Tiburtij Martyris.
II. Id. S. Eupli Diaconi.
I. Idus Ipoliti, & Caſſiani Martyrum.
XVIIII. kal. Vigilia S. Mariæ, & Euſebij Presbyt.
XVIII. kal. Aſſumptio S. Mariæ Virginis.
XVII. Kal. Emili. Orionis.
XVI. Kal. Octaua Laurẽtij Diac. S. Euphemiæ.
XV. kal. S. Agapiti. *Sol in Virgo.*
XIV. kal. S. Magni Martyris.
XIII. kal. Valentiniani.
XII. kal. Priuati.
XI. Kal. Timothei. & Simphoriani.
X. kal. Fortunati. Triũm Puerorum.
VIIII. kal. S. Bartholomei Apoſtoli.
VIII. Kal. Geneſij. Pontiani. Euſebij. Peregrini. Vincentij.
VII. Kal. Alexandri.
VI. kal. S. Rufi Martyris.
V. kal. Auguſtini. & Ermetis.
IV. Kal. Sauinæ. Decollatio S. Ioannis Baptiſtæ.
III. kal. Felicis. & Audacti.
II. kal. Paulini Epiſcopi.

SEPTEMBER habet dies xxx. Luna xxx.

Kal. Septemb. Reguli Epiſcopi. & Proſci Mart.
IIII. Non. S. Gorgonis.
III. Non. S. Euphemiæ.
II. Non. Ioſephi Iuſti Epiſcopi.
Non. S. Recudiani.
VIII. Id. Eleutherij. & Adriani.
VII. Id. Cledoaldi Confeſſoris.
VI. Id. Natiuitas S. Mariæ Virginis.
V. Id. Gorgonij, & Tiburtij.
IV. Id. Elarij Papæ.
III. Id. Natalis Proti, & Iacinti.
II. Id. Luceiæ Sacerdotis.
I. Id. S. Mammiliani.
XVIII. kal. Octobris. Exaltatio S. Crucis. Cornelij, & Cipriani.
XVII. kal. S. Nicomedis Martyris.
XVI. Kal. Euphemiæ. Luciæ. Geminiani.
XV. kal. Valeriani, & S. Lumberti Martyr. *Sol in Libra.*
XIV. kal. S. Euſtorgij Presbyteri.
XIII. kal. Theodori Epiſcopi
XII. kal. Vig. S. Matthei Apoſtoli. S. Ianuarij.
XI. kal. S. Matthei Apoſtoli, & Euangeliſtæ.
X. kal. S. Mauricij cum VI. mill. DCLXVI. *X. kal. S. Mauriti cum ſocijs ſuis.*
IX. kal. Lini Papæ, & Teclæ Uirginis.
VIII. kal. Conceptio S. Ioannis Baptiſtæ.
VII. kal. Eucarpi. Marci.
VI. kal. Euſebij Epiſcopi, & SS. Cypriani, & Iuſtinæ Virg.
V. Kal. SS. Coſmæ, & Damiani.
IV. kal Iuſtini Presbiteri, & Martialis.
III. Kal. Dedicatio S. Michaellis Archangeli.
II. kal. S. Hieronymi Presbyteri.

OCTOBER habet dies xxxi. Luna xxx.

kal. Octobris. S. Remigij. *kal. S. Remigij Epiſc.*
VI. Non. Euletherij. Primi. *VI. Non. S. Leodagarij Martyr.*
V. Non. Audacti, & Marcelli. *V. Non. S. Candida Virginis.*
IV. Non. Marci. Marciani.
III. Non. Plati. Fauſti. *III. Non. S. Balbinæ Virg.*
II. Non. Rogati. Emilij. *II. Non. Sergij, & Bacchi, & dedicatio S. Martini.*
Non. Depoſitio S. Marci Papæ. *Non. S. Marci Papæ.*
VIII. Id. Reparatæ Virginis.
VII. Id. Domnini. Dioniſij cum alijs quatuor Martyribus.
VI. Id. S. Cerboni Epiſcopi.
V. Id. Andronici. *V. Id. S. Venantij Epiſc.*
IV. Id. Calixti, & Agri. *IIII. Idus S. Anaſtaſij Epiſcopi.*
III. Id. Athanaſij. *III. Id. S. Caſſii Epiſcopi.*
II. Id. S. Calixti Papæ.
I. Id. Lupini. Fortunati. *Idus S. Fortunati Papæ.*
XVII. Kal. Nou. S. Galli Confeſſoris.
XVI. kal. Ianuarij. *XVI. kal. S. Auſterij, & Deſiderij. Sol in Scorpio.*
XIV. Kal. Proculi. Auſteri. Deſiderij. *XIV. Kal.*

S. Pelagiæ Virg.
XIII. kal. Dasij. Zosomi. Luci. *VIII. kal. S. Caprasij Mart. & Translatio corporis S. Pontiani.*
XII. kal. Ylarionis. *XII. Kal. S. Hilarionis Martyris.*
XI. kal. Philippi. *XI. kal. S. Philippi Episcopi, & Martyr.*
X. Kal. Seueri. *X. kal. S. Seuerini Episcopi.*
IX. Kal. Vitalis. Felicis.
VIII. kal. Crispini, Crispiniani. Miniatis. *VIII. kal. SS. Chrysanti, & Dariæ, & Ia.....ti Martyris.*
VII. kal. Luciani. Dedicatio S. Ioannis Baptistæ. *VII. Kal. SS. Valerij, & Verlastri.*
VI. kal. Uigilia Apostolorum Simonis, & Iudæ.
V. kal. Natalis SS. Apostolorum Simonis, & Iudæ.
IV. kal. Quinti. Lucini. *IIII. kal. S. Quintiani Martyris.*
III. Kal. Germani Episcopi Capuani.
II. kal. S. Quintini. Vigilia omnium Sanctor.

NOVEMBER habet dies xxx. Luna xxx.

Kal. Nouembris. Omnium Sanctorum, & S. Cæsarei.
IU. Non. Victoris, & Iusti.
III. Non. Hilarij Episcopi.
II. Non. Vitalis. Agricolæ.
Non. Cesaris. Domnini.
UIII. Idus Adriani.
VII. Idus Eusebij.
VI. Idus Natalis SS. Claudij. Nicostrati. Symphoriani, & Castoris.
V. Idus Theodori Episcopi, & Martyris.
IV. Idus S. Leonis Papæ.
III. Idus S. Martini Episcopi, & Mennæ Mart.
II. Idus Maruli.
I. Idibus Turonica. Brici Episcopi.
XVII. Kal. Decembris. Dementini.
XVII. kal. Secundi. Saturnini.
XVI. kal. Fidentiani. Neri.
XV. kal. Augustini. Aniani. *Sol in Sagittario.*
XIV. Kal. S. Frigiani Episcopi.
XIII. kal. Maximi. Ianuarij.
XII. Kal. Bassi. Diuisi.
XI. kal. Gelasij Papæ.
X. Kal. Natale S. Ceciliæ, & S. Longini.
IX. kal. Clementis Papæ, & Felicitatis.
VIII. Kal. Chrisogoni, & Columbani Abbatis.
VII. kal. S. Prosperi Episcopi, & S. Catelini.
VI. kal. S. Iocundæ.
V. kal. S. Dalmati.
IV. kal. Calixti.
III. kal. Natale S. Saturnini. Vigilia S. Andreæ, & SS. Dariæ, & Chrysanthi.
II. kal. Natalis S. Andreæ Apostoli.

DECEMBER habet dies xxxi. Luna xxviii.

Kal. Decembris Gassiani, & Candidi.
IV. Non. S. Uiuianæ.
III. Non. Ioannis. Stephani. *& SS. Iasonis. Mauri, & Hilariæ.*
II. Non. Barbaræ Uirginis.
Non. Zeloti.
VIII. Idus S. Nicolai.
UII. Idus Octaba S. Andreæ. S. Sauini Episcopi
VI. Idus Dedicatio Ecclesiæ S. Zenonis.
V. Idus S. Proculi.
IV. Idus Passio Eulaliæ Virginis.
III. Idus Ambrosij Episcopi.
II. Idus Damasi Papæ. Mansueti Episcopi.
I. Idus Luciæ Uirginis.
XVIIII. Kal. Ian. Drusi. Zosomi.
XVIII. Kal. Faustini.
XVII. Kal. Valentini. Naualis.
XVI. kal. Victoris. Adiutoris.
XU. Kal. Pauli. *Sol in Capricornum.*
XIV. Kal. Gregorij Spoletini.
XIII. kal. Zosimus, & Darius.
XII. Kal. Passio S. Thomæ Apostoli.
XI. Kal. S. Demitrij.
X. kal. S. Eugeniæ.
IX. Kal. Metropi. Vigilia Natiuitas D. N. Iesu Christi.
VIII. Kal. Natiuitas Domini, & Passio Anastasiæ Uirginis.
UII. kal. S. Stephani Protomartyris.
UI. Kal. S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.
V. kal. SS. Innocentium.
IV. Kal. Felicis. Dominici.
III. kal. Florentis. Mansueti.
II. kal. Depositio S. Siluestri Episcopi.

De Blumanij Viẽnẽſis codicis Martyrologio coniecturæ, & à noſtro diſcrepantium lectionum ſeries.

NOtationum additamenta, quæ per Calcographi quinquennalem remoram cogitaueram, in aliud tempus, ſi Deus dederit, ineluctabiles, variæque occupationes differre compulerunt. Quia verò deſignatum Auctarium in id præcipuè collimabat, vt Vetuſtiori noſtro Martyrologio ex alijs antiquæ fidei libris pondus accreſceret, inſperatò accidit, vt Nobiliſs. & Eruditiſs. Baronis Henrici Iulij Blumanij Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarij incomparabili humanitate conſimilis codex, nongentis ab hinc annis ſcriptus, Vienna ad me Lucam fortunatiſſimè dirigeretur; Sed varijs infortunijs in itinere retardatus, non niſi ferè abſoluta operis impreſſione peruenit. Nolui tamen ſacræ antiquitatis ſtudioſos, meque ipſum tanta auctoritate fraudare, quin potius collato cum libris noſtris prototypo illo, variantes ſyntaxes, & diuerſimodè ſonantia nomina excerpere libuit, ac ita annotare, vt ex concordia Martyrologio noſtro firmitas, ex diſcrepantia facilior, ſi opus eſſet, emendatio conſurgeret. De perantiqui codicis Blumanij cum noſtris conſonantia clariſſimi, ac doctiſs. Soc. Ieſ. Theologi Godefridus Henſchenius, & Daniel Papebrochius me pridem monuerunt, mox deſiderio, quo flagrant, Sanctorum in Deo gloriæ vndequaque promouendæ, in eiuſdem Nobiliſſimi Baronis notitiam conatus meos deduxerunt. Generoſus verò ille, non modo ſpecimen propria manu exaratum, ſed antitypum ipſum ad me tranſmittere dignatus eſt, tam ſplendido beneficio, vt cum grates aliunde referre non valeam, hìc ſaltem publicè teſtatas eſſe voluerim. Licuit per otium venerabilem librum rimari, deque ipſo aliqua præfari non piguit. Membranaceum volumen eſt, quarto, vt dicunt, folio compactum, optimè quòad nomina ſcriptum, ſed vel incurioſi, vel laboremque pertæſi librarij culpa, pluribus ſparsìm Martyrum nominibus eſt decurtatum; licet rarò aliquibus ſupra libros noſtros abundet. Inſuper næuos illos patitur, quos in ipſa collatione indicamus. Minutiora quædam, vel tranſpoſitæ nonnihil recenſionis, vel additæ vocis *Natalis*, vel diſſonantis literulæ, præterquam in Sanctorum nominibus exprimendis, conferentes negleximus. Ex his tamen vniuersìm animaduertimus, peruetuſti codicis librarium, non benè vbique de orthographia meritum, & à cunctis interpunctionibus alienum, frequenter pro Antiochia Antiociam, pro Alexandria Alaxandriam, pro Macedonia Machedoniam, pro Cæſarea Cæſariam, pro Cœmeterio Cymitirium, pro Victoria, Fortuna, alijſq; conſimilibus nominibus Victuriam, & Furtunam reddere, ſicuti pro Martiale Marcialem, & pro Vrbano Orbanum ſignare. Supra purum antiquiſſimum Martyrum codicem, recentiorum, ſiue Galliæ, ſiue Germaniæ Sanctorum additionibus locupletatum eſſe non dubito: quin etiam, ſiue Fontanellenſis monachi, ſiue Autiſſiodorenſis clerici interpolationibus aliquando eſſe confuſum. Ex Traiectenſi ad Moſam Eccleſia vetuſtius ectypum defluxiſſe Sancti Seruatij Traiecti, vel Tungrorum primi Epiſcopi memoria, capitalibus literis die 13. Maij, ornatiùs ſcripta, *& Sanctiſſimi* præter morem titulo ornata ſuadere poteſt; quemadmodum etiam ad diem 22. eiuſdem menſis dedicatio Eccleſiæ Sancti Michaellis, in Ciuitate Traiecto indicata confirmat. Sed excerptum inde antiquitùs volumen ad vſum poſtmodum fuiſſe Monaſterij S. Petri Veiſſemburgẽſis, non modò ex primæ paginæ fronte conuincitur, vbi recentiùs ſcriptum legitur, *Codex Monaſterij S. Petri in Vuiſſemburgo*; ſed paſsim in ipſius codicis marginibus peruetuſto charactere indicatæ occurrunt dedicationes, & propriæ celebritates Veiſſemburgenſis Eccleſiæ. Caſtrum Veiſſemburg-

semburgum, seu vt ibi scribitur Huuizenburg, inter Argentinam, & Spiram reponitur, & adhuc in Spirensi Diœcesi Abbatiam S. Petri Veissemburgensis Benedictini ordinis esse, Sammarthani in Gallia Christiana testantur. Ætatem Blumanij huius libri, suadere facile possent marginea quædam octaui desinentis, & noni incipientis sæculi parerga, anni nempe DCCXCVIIII. ad VI. Idus Aprilis, & anni DCCCIII. ad V. Kal. Febr. quæ illius æui charactere signata, & post scriptum Martyrologium appositа, non esset ambigendum. Verùm omninò ex primæ paginæ excerptis quibusdam chronologicis constat, scriptum esse codicẽ anno Christi DCCLXXII. Scriptor enim ille supputationis summã colligens, inquit. *Ab initio mundi vsque ad Christum anni V. millia, deinde ab Incarnatione Christi DCCLXXII.* Solitarius quidem liber est, nec prẽter aliqua ad gnomones, & vmbras, computumque Paschalem spectantia, Calendarium vllum, siue alium Sanctorum indicem adnexum præfert, neque vti Vetustius nostrum cum Adonis martyrologio iungitur: quippe quòd ante Adonem Viennensem, anno circiter 875. demortuum, scriptus omnino sit. At cum Antuerpiense, seu Epternacense Bollandi Martyrologium à nobis ideo Vetustissimum nuncupatum sit, quòd omnes hucusque agnitos consimiles codices vetustate antecellat, cumque post vnum tantùm, aut alterius sæculi dimidium D. Gregorij ætate posterius sit, & formam illam retineat, quam Sanctus doctor in Romana Martyrum Collectione vidit, & expressam in epistola ad Eulogium reliquit, iam æui non repugnante proximitate, & structura, cæterisque alibi indicatis conspirantibus, facile est credere, illud cum Gregoriano, omnibus penè noto, vnum, & eundem codicem esse per diuersa antigrapha vulgatum. Quia verò Blumanium, seu Veissemburgense, de quo loquimur, martyrologium post Epternacense nõ magna temporis differentia scriptum est, & paucis exceptis, eadem ferè continet, idem etiam cum Gregoriano, seu Romano Martyrum cathalõgo esse, fateri expedit. Nec diuersimodè statuendum videtur de alijs nonnihil recentioribus, vt Corbeiensi, nostroque, cum eodem prorsus stilo, ijsdemq; martyrum per singulos dies nominibus construantur. Si quis ergo dixerit martyrologium, quod Ado, cum Rauennæ moraretur, exscripsit, consimile imò idem fuisse, cum Gregoriano, à scopo non aberrabit. Fuit enim, Adone ipso iudice, *venerabile, & perantiquum Martyrologium ab Vrbe Roma Aquileiam cuidam Sancto Episcopo à Pontifice Romano directum.* Quomodo autem vocare illud perantiquũ Ado potuisset, si nono iam sæculo labente, à sexto saltem, quo Magnus Pontifex aduixit, exaratum esse non agnouisset? Quin etiam si quis dixerit Vetustius, quod dedimus, ipsum esse ab Adone exscriptũ, ac operi suo, vt profitetur, præfixum, temeritatis argui non deberet; quia, & antiquissimis consimilibus libris congruit, & in ambobus codicibus nostris, nimirum DD. Canonicorum Lucensiũ, & paruulæ nostræ Bibliothecæ, Adonis eiusdem martyrologio, vt ipse polliçetur, cõnectitur. In paucis quidem exemplum alterum ab altero differre non inficior. Sed quis non facilè consentiet, varios per sæcula exceptores, quantum libet accuratos, ita prototypi amussim imitari potuisse, vt vel nolentes ab ea deflectere non contingeret, & in tanta nominum varietate, ac repetitione aliquid, vel immutare, vel omittere in procliui non esset? Quid verò peccare non poterant incurioſi mercenarij? Fortè etiam accidit, vt qui amanuensibus præerant Antiquarii, quidquid non benè illis arrideret, pro libitu, & ex humana licentia in nouis apographis immutarent. Nouorum quidem Cælitum superinducta per sæcula fuisse auctaria negari nequit, vel innata patriæ beneuolentia, vel vt credere satius est, ad indigenarum pietatem per domestica exempla promouendam. Præter insignes iam indicatos hiatus, exceptorum leuiores lapsus etiam in Blumanio codice animaduertimus, rariores tamen quam in codicibus nostris, cum quibus sicvti magis quã reliqua martyrologia con-

consonat, ita etiam plurimùm in Galliæ, & Germaniæ Sanctorum additamentis cõgruit. Præcedunt in hoc ad oras præmissi Paschalis computi, ab anno DCCLXIII. ad DCCCXLIIII. annotata quædam historica, recentiori manu, sed illius ævi apposita, quæ, ne pereãt, accepta inde subiungimus. Et licet variæ lectiones, ex hoc peruetusto codice excerptæ, diuerso, & inclinatiori charactere signentur, notulam tamen *Cod. Bl.* aliquando interposuimus, vt quæ reuera illius verba sunt, maiori additæ distinctione clarescerent.

DCCLXIII. Hiems valida,

DCCLXVI. Hiems Grandis.

DCCLVII. Pipinus Rex defunctus est viii. Kal. Octobris.

DCCLXXI. Carlamannus defunctus est ii. non. Decembris.

DCCLXXIIII. Dominus Karolus Italiam capit.

DCCLXXVII. Ludouicus filius karoli Imperatoris natus est.

DCCLXXXXII. Hæresis Felicriana condepnata, & coniuratio Pibpini contra patrem.

DCCCI. Dominus Karolus Roma Imperator ordinatus est. xi. kal. Iul. natus est Drugo.

DCCCXIII. iii. Idus Sept. Hludouicus Imperator factus est. v. kal. Febr. Karolus Imperator defunctus.

DCCCVII. Hlutharius Imperator factus est.

DCCCXXIII. Idus Iunij natus est Karolus filius Iudith. Eodẽ die ordinatus est Drugo.

DCCCXXIIII. Karolus ordinatus est Dux super Alsatiam, Alamaniam, & Rictiã. Eodem anno iii. non. Decẽbris primo diluculo apparuit lux magna ab Oriente. Conspiratio contra nostros.

DCCCXL. Hludouicus Imperator obijt. Eodem anno iii. non. Maij hora quasi vii. tenebræ dies fuerunt.

DCCCXXXVI. Lux magna in nocte apparuit. Eodem anno Ecclesia B. Petri Apostoli à Paganis capta, & dispoliata est, qui cum redire ad propria cum ipsa spolia voluissent, digno super illos Dei iudicio ruerunt omnes in mare, & perierunt.

Paschalem computum excipit epistola Cromatij, & Heliodori Episcoporum ad Hieronymum Præsbyterũ, & huius ad illos, vt inscribitur, rescriptum. In his pauca sunt à nostris codicibus exorbitantia, & quæ magis obseruatas Grammaticæ leges, quam sententias respiciant. Frater non Pater ab Episcopis S. Præsbyter dicitur, ad obiectum inde deductum fortiùs diluendum. Reliqua, ne tædiũ legentibus ingerant, omittimus. Epistolarum vetustas, vt de Antuerpienli diximus, ex ipsa codicis vetustate conuincitur.

Pro Apostolorum Indiculo eorundem Breuiarium subsequitur, quod ab Hippolyto, & Occumenij Anonymo diuersum, integrè etiam obsignato titulo, prætermittere noluimus.

Incipit Breuiarium Apostolorum ex nomine, vel locis, vbi prædicauerunt, vbi orti, vbi obiti sunt.

I. *Simon, qui interpretatur obediens, Petrus agnoscens, filius Iohannis, frater Andreæ dicitur. Ortus vico Betsaida prouincia Gallileæ, qui propter Simonem Magum licet Dei occulto nutu Romã peruenit. Ibiq; prædicans Euangeliũ xxv. annorum spacio eiusdem Vrbis tenuit pontificatum. sexto autem & tricesimo anno post passionem Domini sub Nerone Cesare, vt voluit cruce suspensus est, cuius natalicium celebratur. iii. Kal. Iulias.*

II. *Paulus, qui interpretatur pius, ortus ex tribu Beniamin. Apostolus gentium, hic secundo post Ascensionem Domini anno baptizatus, & sub Nerone Roma eodem die quo Petrus capite truncatus, ibique sepultus est.*

III. *An-*

III. *Andreas. qui interpratatur virilis, vel decorus frater Petri. hic pradicauit Sitiam, & Acaciam. Ibiq; in Ciuitate Patras cruce ſuſpenſus eſt. pridie kal. Decembris.*

IIII. *Iacobus. Qui interpratatur ſubplantator, filius Zebedei frater Iohannis. Hic Spaniã & Occidentalia loca predicatur, & ſub Herode gladio caſus occubuit. Sepultuſq; in Achaiam Marmaricam viii. kal. Auguſti.*

V. *Iohannis. qui interpratatur gratia Dei Apoſtolus, & Euangeliſta filius Zebedei frater Iacobi dilectus Domini prædicatur Aſia in Epheſo. vi. kal. Ianuarias ſepultus. Natales alij. viii. kal. Iulias dicuntur quando, & Sancti Iohannis Baptiſtæ.*

VI. *Thomas. qui interpratatur abiſſus, Didimus hoc eſt Chriſti ſimilis. hic Parthis, & Medis predicatur. Et diſtinans Orientalem plagam. Ibiq; Euangelium predicauit, lantia enim ibi transfixus occubuit, in Calaminia Indie ciuitate. Ibiq; ſepultus eſt in honore xii. Kal. Ianuarias.*

VII. *Philippus. qui interpratatur os lampadis a Bethſaida Ciuitate ortus eſt, vnde & Petrus. Gallis pradicauit Chriſtum. Deinde in Frigia prouincia crucifixus eſt; & lapidatus obyt. Ibiq; cũ filiabus ſuis quieſcit. Cuius natalicũ. kal. Maias celebratur.*

VIII. *Iacobus Frater Domini Hieroſolimorum primus Epiſcopus. hic dum Hieruſalem Chriſtum Dei filium predicaret de Templo a Iudeis precipitatus. Lapidibuſque obpremitur, ibique iuxta templum humatur. Eius natalicium, & ordinatio vi. kal. Ianuarias creditur.*

VIIII. *Bartholomeus. Apoſtolus nomen ex Siria lingua ſuſcepit. & interpretatur filius ſuſpendentis aquas. Licaoniam predicauit, ad vltimum in Albano maioris Arminiæ vrbe viuens a barbaris decoriatus adq; per iuſſum Regis Aſtragis decollatur, ſicque terræ conditus viii. Kal. Septemb.*

X. *Matthæus. Apoſtolus, & Euangeliſta, qui interpratatur Donatus. hic etiam ex tribu ſua Leui ſumpſit cognomen. Ex publicano electus primũ quidem in Iudea euangelizauit. poſt modo in Macedonia, & paſſus in Perſida requieſcit in montibus poſtorum xi. kal. Octobr.*

XI. *Simon Zelotis; qui interpretatur Zelus. hic prius dictus eſt Chananeus, zelo Dei feruens, par in cognomento Petri, & ſimilis in honore. hic accipit Ægypti principatum, & poſt Iacobũ iuſtum cathedram dicitur tenuiſſe Hieroſolimorum. poſt annos exx. meruit ſub Atriano per crucem ſuſtinere martyrium. paſſus iacet in Perſoro. eius natalicium celebratur v. kal. Nouemb.*

XII. *Iudas. qui interpretatur Confeſſor, Iacobi frater in Meſopotamiam, atq; interioribus Ponti prædicauit. ſepultus eſt in Merito Arminiæ vrbe, cuius feſtiuitas celebratur v. Kal. Nouembris.*

XIII. *Matthias. de ſeptuaginta Diſcipulos vnus, & pro Iuda ſcharioth duodecimus inter Apoſtolos ſubrogatus. Electus ſorte, & ſolus ſine cognomento. Cui datur Euangelium predicare in Iudeam.*

Verùm in ipſo Martyrologij capite Blumanius codex à noſtro diſcrepat, quòd anniuerſarium Sanctorum circulum à Calendis Ianuarij, ad ciuilem potius communis anni, quam Eccleſiaſtici vetuſtioris normam accomodatus, exordiatur. Occidentalis quidem Eccleſiæ antiquiſsimum morem in eo ſeruare videtur, quòd ad diẽ VIII. Calend. Ianuarij omnem Dominici Natalis celebritatem, maioribus, & purpuriſſo ornatis characteribus præferat, quemadmodum in antiquis alijs martyrologijs, ad recentiorem ſtylum aptatis, animaduertere licet. In horum plurimis, non modo ſacri huius diei initium, veluti totius libri veſtibulum, capitalibus literis, & minio adornatur, ſed in eodẽ etiã die, vt Romanum quoque emendatum retinet, tanquam noui anni limine, annorum præteritorum computus firmatur, & futuræ inde ſextæ ætatis initium incipit numerari.

IANVARII

EGo die prima has variantes a nostro lectiones Blumanij codicis annotamus.

1 Acti-Leuthi-S. Seueri Episcopi *Appi-Lenci-S. Seueri Confess.*

2 Stracmi-Arionis-Heriſſi *Stratonici-Acucionis-Heriſi.*

3 In Helespontò ciuitate Paretia Cirici. Primi. Eugeni &c. *In ciuitate Parechia Cirici, Primi. Theugenis. & in ciuitate Thomis Claudionis Eugeni &c.*
Fili Episcopi. Digo. Iuni. Rogati. *Feli Episc. Digolani. Rogatiani.*

5 Acuti. Sermi. *Cauti. Serini.*

6 Anastasi. *Anastasiæ.*

7 Faloronis. *Philoronis.* Euoti. *Enesti.*

8 Phisti. Flori. Tili. *Phisci. Floritis.*

9 Abundant in nostris libris Quirinus, & Secundus.
Saturi. *Saturnini.* Post Possessorem in cod. Bl. abundat *Ianuarius.*

10 Iusti. *Nirthi.* Milciadis Episc. *Melciadis Episc.* Felicitatis qui. *Felicitatis, Quinti.* habet Astasis. *habentur. Artasis.*

11 Ordo est immutatus. cod Bl. legit. *In Africa Pirolomi, Ingenui, Quinti, Ianuary, saturnini, Vincenti. In Hispanis Argenti, Donati, Augustini, Saluy, Felicis, item Felicis, Donati presb. Flori.* Stephanus. Hortensi. *Stephana, Hortensi.*

12 Morcenti-Ciuitas Arabiæ- quod transiens-fronte-Caratici-Pironio. *Moscenti-Ciuitate Arabiæ-qui transiens-Fronem-Capitii-Firomi.*

13 Variat & deficit cod. Bl. in aliquibus martyribus videl, *In Campania Neapolim Ciriaci, Cliceri, Ianuarij, Secundi. Via Lauicana corona militum XL. & alibi Quosquomo &c.*

14 Cleti. Saturi- Floridi. Eusrati Episc. *Cleri-Saturnini-Floridæ. Eufraxi.*

15 Gainiti. Genomi. *Gagnici, Genononis.*

16 Via Salaria-Priscillæ. *Via Salutaria-Prescellæ,* & post Audemum martyrem in cod. Bl. interpolatur additamentum Fontanellense in nostris postremo loco positum.
Ladoni Abbatis. *Landoni Episc. & Cõfessoris.*
Saturnini. Flauiani. *Saturnini, Fauſtini, Fraiuanic*

17 Teuſæ-Veneniriæ-Sanctæ. *Fecuſæ, Veneris, Sata.* Albæ. Mosei. *Albemosci.* In Oriente Rubentis, & Malteri-Ligonis. *In Oriente natal. Rubentis, & Marteris-Linguis.*

18 Desunt in cod. Bl. depositio Sanctæ, & gloriosæ B. M. &c. & verba etiam illa Romæ S. Priscæ Virg. Dedicatio S. Petri dicitur *dedicatio Cathedra S. Petri.* In Ponto ciuitate Astæ. *In Ponto Ciuit. Asiæ.* Theleriani. Pauliani. Iulij. Lucis *Feleriani, Pauli, Marcelli, Luci.* Saturnini. Floredi. Luciri. *Saturninæ, Floridæ, Luriæ.*

19 Genuari-Tyberiani-Saturnini. Floridi. Calisti. *Ianuary, Tyberiani, Saturninæ, Floridæ, Calistæ.*

20 In Cœmeterio Marii, Marthæ, Audisax, & Abbacuc-Leuci-Celedoniæ. *In Cymiterio Mariæ, & Marthæ, Audisax, & Abacuc-Luci-Cœledomæ.*

21 Anguri-Candidi-Salutaris-Sancti Fructuosi. Elogi. *Angeriæ-Candei-Salutoris-Sanctorum Fructuosi-Eologi.*

22 Et Martyrum XUIII-Fici. & *Martyrum XVII-Tyrsi.*

23 Seuerini-Mamici-Ancyra Galatia-Clemẽte. *Seueriani-Munici-Ancyra Galaciæ-Clemati*

24 Cum tribus paruulis-Maisuni, Tuppi-Eustasi Episc. *Cum tribus parum-Musuni-Ruppi-Eustasi Confess.*

25 Riti-*Viti.* Incod. Bl. deest in Carthagine.

26 In Nicea Smyrnæ-Policarpi-Anthemasius cum XXXVI. *Initia Smyrnæ-Pulicarpi-Arthemi Asius cum XXXV.*

27 Ipictili-Castigani. *Episioli-Casti, Gai.*

29 Sanctæ Paulæ. *Sancti Pauli.*

31 Gerimmi-Policarpi. *Gemini, Pollicarpi.*

FEBRVARII.

Die 1. Mauriniani-Picti Episcopi. *Mauri, Lalli-Picti presbyt.*

2 Ad verba illa Purificatio B.M dẽptis alijs additur in cod. Bl. *Quando reprehesentatus est IESVS in tẽplo.* Forosimproni Via Flaminia miliario ab Vrbe CLXXIIII. *Forosimprosi Via Flaminia, miliario ab Vrbe CLXIIII.*
Cappe-Fodosi. Proni-Saturnini. *Pappiæ-Forosiæ, Pruni-Saturnini.*

3 Cerelinæ *Celerinæ.*

4 Donati-Gemini. *Donatæ-Gemini.*

5 In Sicilia Catania. deficit in cod. Bl. nomen Cataniæ.

6 Sotheris *Sothyris.*

9 Sueno *Sueno.* Interpositum additamentum S. Ansberti Episc. legitur in cod. Bl. post Alexandrum, & Ammonium, eidem etiam tributo titulo *Confess.* Chunisi-& dep. S. Thoma Apost-Iulili. Tyrsi. Romi-Muli. Guti-Agathori-Bustamij. *Dionysi, & dep. Thomæ-Iuli-Tirsirono-Miligui-Agathon-Bastamon.*

10 Dep. Abstrch-tanæ &c. *In Pauliaco Monast. dep. Anisterbertana Abb.* In Roma-passio S. Andreæ Apostoli. *Roma passio Sancti Andreæ, Apori.*

11 Eu-

11 Eulici. *Tulici.*
12 Eulialiæ. *Eulaliæ.* in cod. Bl. deest memoria Leodecarij Abb.
13 S. Italianæ. *Sancti Iulani.*
14 Cyriani. *Cyrion.* deest in cod. Bl. Valentinus, & post verba in Licia nat. Sanctorum additur. *Germani, & Iuliani. In Alexandria nat. SS.*
Barsion- Emonius- Leucorus. *Basion- Arimonius- Leuonus.* Post Plebium additur. *Item Dionysius Episc.* Poliasti - Breconi- Moysę- In Tera miliario- Arthemi- Theoni- Præconi. *Poliarti- Preconi- Moysei- In Thera milites- Athoni- Thioni- Præconi.*
15 Foebi-Baralæ- S. Agapæ- Auanti. *Poebi-Barodæ Sanctæ Agapi- Auenti.*
16 Iouittæ, & Aloblæ, Sidonia. *Iouentiæ, & alibi Blesi, Diunysi.* Post Honoratum, & Marum adduntur in cod. Bl. antiquo sed alio charactere. *Item natalis S. Iulianæ mart. & Virg.* Fissimari- numero V. milia. *Fissinari- numero V.*
17 Salini- & aliorum LXXIIII- Gundiniæ- Ianuarij- Saturni- Gypionis- Rutulæ, *Saloni- & aliorum LXXXIIII. Guddinis- Item Ianuari- Saturnini- Gypronis- Rutuli- Siluani* qui additur.
18 Integrum, quia varium cod. Bl. laterculum damus. *In Africa natalis Sanctorum Rutuli, Siluani, Classici, Secundini, Fructuli, Damasi. In Terrapis Pauli, Maximi, Marcelli, Mororobi, Marcialis, Gemini, Rumuli, Siluinæ, Cassici, & Fructuli.*
19 Pro Rutulo, & ijs qui sequntur martyribus vsque ad Baccheum cod. Bl. sequentia nomina exhibet, fortasse cum die superiori confusa. *Publi, Iulliani, Maruli. Item Iuliani, Barachei* pro Bacchco.
Tullij- Maruli. *Tuly- Maluli.*
20 Et alij. *& alibi.*
21 Verolæ- & alij- Grippini- Secundi- Securi. Massedi. *Veroli- & alibi- Crispini Sancti. Securi. Item Masseri.*
22 Palati- Fortunati- Syrmium- In Nicomedia- Donatillæ. Liboſæ- Luciani. Amæ. *Palatini. Furtunæ- Sirminis- Item in Nicomedia. Donatulæ, Liboſæ- Lucianæ, Amiæ.*
23 Zmyrna- Carmiani- Sincritis. *Smyrna*, & ita alibi legendum. *Cariniani, Sinerotis.*
24 Absolanas- Crescentiæ- Gemelianæ- Victoriei- Iuliæ. Luciani- Ianuarij- Euitiæ- Nicophori. Serapionis. *Absalonas- Crescentiæ- Gemelliana- Victuriæ- Iuliæ, Item Luciani- Ianuariæ- Æuitij- Nicophori, Claudiani, Serapionis.* Deficit in cod. Bl. Maria sicuti abundat Claudianus.
25 Herenni- Ianuarij- Pamfilia. *Herenna- Ianuariæ- Tamphyliæ.*
26 Epioni- cum Socijs suis. *Epion- cum Socijs eorum.*
27 Antinoguni. *Antiogum.*
28 Pupilli- Euthiciariæ- Astritæ. *Pulli- Euthetiæ- Astatæ.* A Ianuario vsque ad Seruilliam quinq; interpositi Martyres desiderantur.
Mamirtæ. *Manirtæ.*

MARTII.

Die 1. S. Albini Episc. *S. Albani Episc.*
2 Lucij Episc. *Lucæ Episc.*
3 Florini- Item Emeteri. Felicis. Item Celedoni- Item Iuli- Saliani- Astri. Socij- Asciliri. Frunumi. *Floriani- Item Emeteri, item Celedonis Felicis- Item Iulæ- Sabiani- Asterij, Focij- Asclipi, Frunumi.*
4 Arcillai- Fortunati. Gagi- Frunini. *Archillai- Furtunati, Item Gagi- Frunumi.*
5 Heribi- Maris *Heri, Bumaris.*
In Antiochia Victoris. *Antiosi, Victoris.*
Adriadi *Adriani.*
Saturnini. Iusti. Syriæ. Saturni. Martini *In Antiocia. Saturnini, Martini.*
Chariatonis *Chariotonis.*
Sathyri. Marcij *Saturnini, Martij.*
6 Victuri, & Neocepuli *Victurini, & Neocepuli.*
Mercuri. Perpetua *Mercuri. Item Claudiani, Perpetuæ.*
Saturni Carsi. Nicephori. *Nicomedia Saturni, Cassi, Victoris cum alijs duobus, Papiæ, Nicephori.*
Filatagoniæ *Filafagoniæ.*
Sattiri *Item Sattiri.*
Plamfagionii Petroni *Plamfagonij, Italiæ. Petronij.*
7 Iocundi. Seruani. *Iocundi, Saturnini. Seruani.*
Dandæ. Leunucæ. Sutundæ. Artaxi. Quinti. Nestoris. Secundi. Ferri. Qecatus. Idem Dandæ. *Dandi, Leonuci, Secundi. Artaxi, Quinti, Nestoris, Equini, Saturnini, Renocati, Secundi, Ferri, Ocatus. Item Dandæ.*
8 Heremæ. Felicitatis Orbanilli Episcopi. *Heromæ, AErome, Felicitatis, Orbani, Cyrilli Episcopi.*
9 Deficit in fine laterculi in cod. Bl. additio S. Ansberti.
10 Inter Palatinum, & Firmianum additur etiã in cod. Bl. Fontinellensis lacinia, & Sancto Ansberto additur titulus Episcopi, & Confessoris.
Gaiperi. *Gaipeni.*
11 Eunuci *Eunuchi.*
12 Egdoni presbyt. & aliorum VIIII. *Eggedoni presbyteri, & aliorum VII.*
Sofogatorum *Suffocatorum*

& Nethar *& Neonas*
Iohandi. *Iohannis*
& in Albya Syluani. *Andi, & in Albina Saluiani.*
Rigini *Rugini*
Modesti presbyteri Zosimi presbyteri *Modesti presbyteri, Domiciani presbyteri, Zosimi presbyteri.*
Zmirna *Smirnæ.*
13 Macedoni. Mitritiæ *Machedoni, Matriciæ.*
Sillui-Basillei *Salui- Basilissæ.*
Parti frigiæ *Partis frigiæ.*
Hestoris filiæ *Horis filiæ Virginis.*
Nisithei. Nimphadobæ Arabiæ *Misithei, Nini Padobæ, Arabæ,*
Duoni-Scaleruæ. *Duomi, Scalleriæ*
Fronimi-Siluani, *Fromini-Saluiani.*
14 Naboris mart. Prontonis *Naboris Mart. Prontonis.*
In Thessalonica *In Thera lonicæ*
15 Luci Episc. *Lucini Episc.*
Salutoris *Salutaris*
deest in cod. Bl. memoria vtriusque S. Iacobi Apostoli
16 Aspiphodati *Asclipiodoti*
17 Ianuariæ. *Ianuarij*
Marinę. Mariç. deest Marina in cod. Bl.
Teuduli Diac. *Teodoli Diac.*
18 Vunepti *Nunepti*
Pamponi *Pamponij*
Quartini *Quarti*
Generoli *Iemsoli*
Uogonueti *Vogonucti*
Aplis *Aprilis*
19 Lucilli-Frisciani. *Lucelli-Fisciani*
Pomoeni. Iosem *Pomeni, Iojeri*
Quinti Quintili. deest Quintilus
Vonetę *Bonoetæ*
20 Valentini *Valenti*
Fontanella depositio Vuasrammi Episc. *Fontanellæ Monasterio dep. S. Vulframmi Episc.*
21 S. Benedicti Abbatis memoria ita in cod. Bl. habetur in fine latereuli. *Capua Castro Casino transitus S. Benedicti Abbatis.*
Chotinionis. Nonuni. *Chotini, Bonis, Nomini*
22 S. Pauli Episc. *S. Pauli Conf.*
Decronis. Arionis *Decroni, Orionis.*
23 Agatonis-Fidelis. *Agatus- Item Fidelis*
24 Firosi. Duorum *Physon, Duori*
Saturniai- Salutaris, & aliorum XV. *Saturnini-Salutoris & aliorum XVI.*
25 Deest passio S. Iacobi Apostoli, & alia de Annúciatione ita initio latereuli signatur *Adnunciatio S. MARIAE per Angelum*
Victorinę Euphrastę. *Victurini- Enfrathæ*
& CCC. Mart. *& CCCC. Mart.*
Iuuini Burgo *Iuuini Burgũ*
26 in Cimiterio Uia. *In Cimiterio eiusdem Viæ.*
In Eraclea *in Aracleo*
Maximi-Hyrmi *Maxime-Irini.*
27 Pennari. Succesę *Pinnari, Succesi*
31 Lacinia transinutationis SS. Vuandonis Abb. Asberti, & Uualfranni Episcoporum additur in fine.

APRILIS
Die 1. Pastini. Quintiniani. *Partini, Quintiani.*
Ciuitate Victoris *Ciuitate item Victoris*
In Ægypto Sanctorum. *In Ægypto passio SS.*
2 Et aliorum III. *Et aliorum IIII.*
Theudoli. Agathopi *Theodoli, Agathopi*
Niceti Episc. *Niceti Episc. & Conf.*
3 In Nicea *In Sicia*
Passerati. In Mirea. *Pancratii. In Misia.*
Palestinæ *Palisti*
Ampliuni *Ampliani*
6 Hermei *Hermei*
Quiriacæ-Secundæ. *Quiriaci-Secundi*
& aliorum XL. *& aliorum XI.*
Serafionis. Ammoni *Serafionis Lectoris*
Apricis-Tegulianæ *Paricij-Theguliani*
7 Machari. Maximi *Macarię, Maximæ*
Piluti *Peluti*
8 Mecari-Pinnari *Macari-Pinari*
9 Natal. VII. Uirg. *Natal. VII. Virginum Canonicarum*
10 Post Concessum additur *cum cæteris Sanctis, & Domnini Episcopi.* Reliqua omnia desunt in cod. Bl.
11 Desunt hac etiam die omnia vsque ad *In Salona Dalmaciæ.*
& militum VII. *& milia VII.*
& Dalmati. deest in cod. Bl. sicuti infra post Eustorgium Presbyteri titulus, & nomen Nestoris.
12 Maior vtique in hoc latereulo comparet lacuna. Pro Agazone Agathone, & pro Hestula Herulam, pro Secundo Secundam, pro Butto Inittum legit, & post Titianum *Item Victoris.* sed post Sirillam sexaginta sex nomina Martyrum desiderantur.
Vnapingua *Vuapingo*
Costantini *Beati Constantini*
Cyrillæ-Istialis *Cyrilli-Stialis*
Migginæ. Acutinæ. *Miginæ, Item Acutinæ*
& alibi Eufemiæ *Euphimiæ*
Primæ *Primi*
13 Aroazoniæ *Aro Azatoniæ*
14 Tiburtij- Pertinæ. *Tiburti- Fruntinæ*
Tatuli *Tiruli*
Transitus Domni Lamdiberti
Depositio Landiberti
Anurni. Domnæ *Vurni, Domina*
Item Optati. *& alibi item Optati*

Arcillai-Prontini. *Archilai-Frontini*
15 Arcillai *Archelai*
& Dioninæ *& Deoninæ*
deest in cod. Bl. interpolatio de SS. Paterno, & Scubilione
In Audia Galati. *In Tandia Galaciæ*
Arcilati-In Spaniæ. *Archilai-In Spanys*
Fortunati-Gorgij. *Furnati-Giorgij*
qui Priuate *qui Briuate*
16 Leoni Diaconi. Lotæ. *Leonedis, Lotæ*
Caritonæ, Celestæ. *Caritoni Calistæ*
Calliniæ. Municiæ *Gallinicæ, Monicia*
Bariliæ *Basiliæ*
In Ponto in Sclacelli. *Insela celli*
Fausti, Fortunati. *Fausti, Felicis, Fortunati*
Goamali. Partiali. *Gumali, Parcilai*
Leone, Disnicæ *Leonedis, Micæ*
17 Barucis, Quintj *Barnci.* deest Quintus in cod. Bl. sicuti Fontanellensis interpolatio, & sequentia verba. Item in Africa
Meconi *Mecconi*
18 In Salonica *In Salona*
Anchiæ *Antiæ*
19 Deest initio Lacinia Fontanellensis
Hermonis *Hermogenis*
Heladij. Hermogenis. *Heladij, Serciani Hermogenis*
cum alijs duo. *cum alijs duobus*
20 Cornilliæ *Comiliæ*
In Cœmeterio Militario. *In Cimit. miliario.*
In fine additur in cod. Bl., alio, sed vetusto charactere, *& natal. S. Genesi mart.*
21 Fortunati-Oratoris. *Furtunatæ-Aratoris*
22 S. Philippi Apostoli. deest Apostoli
Quiriaci *Quiriciaci*
23 deest in cod. Bl. S. Georgij
Romæ Naboris. Item Vitalis. Item Felicis. *Roma Naboris. Item Silui, Itē Vualis, Item Felicis*
In fine laterculi additur. *& commemoratio Georgij, & Sancti Pulionis*
24 Coronatæ *Coronæ*
Fortuni *Furtunati*
Post Siluanum deest *Item Siluani*
Vrbani-Fortunatæ *Orbani-Fortunæ*
Ianuarij. Secundi *Ianuary item Secundi*
Vrbani, Luci. *Vrbani, Herus, Luci*
& hac die *& hunc diem*
numero XXIIII. *numero XXXIIII.*
& commemoratio Georgij &c. deest in cod. Blum.
25 In Africa Nobil. *In Africa Nubilis*
Rustici Episc. *Rustici Episc. & Conf.*
26 deest in cod. Bl. Recharius Conf.
Pollionis-Germiani. *Pulionis-Germiani*
27 Anchini Episc. *Ancini Episc.* in cod. Bl. deficit Eppedius presbyt. fortasse est qui post Hilpidiū ita addditur *Heppei presbyt.*
Aiouiæ. In Capra. *Aluinæ, In Capria*
Casti Diaconi *Capti Diaconi*
Husandi Pāni. Priami. *Husandi Priani*
cum alijs VII. Gemilliani. *cum alijs VI. Gemellini*
Thimiæ, Mauri, Atti. *Thunicæ, Mauri Attī Diaconi.*
28 in cod. Bl. deest natalis S. Vitalis
Astodis. *Afrodisi*
Prouintia Numidiæ. *Prouincia Dum-Mediæ*
Manili. Luciani, Uicturini. *Donati Maurini, Lucati, Victurini*
cum alijs CLX. cum alijs *CCLX.*
Ciuitate S. Eusebi. *Ciuitate depos. S. Eusebi*
29 Codomom. Basili. *Eqdomoni, Baseli*
Pagatæ-& Perosinum *Bagatæ-Persinum*
Benoniæ *Bononiæ*
30 Maioricæ. Victoris *Maioricæ, Item Victoris*
Rogati. Felicis *Rogati. Item Felicis*
Secundini Episc. *Secundiani Episc.*
Afferodi-Marciani. *Affrodi-Mariani*
Post Cassium in cod. Bl. desunt nomina Fasili, Florenti, Demetri. & additur.
Starili, & post Crispinum *Item Crispini*
Diodori *Diodri*
Saturninæ *Saturnini*
Monasteri translat. Eriberti Episc. *Monastyrio depos. Erimberti Episc.*

MAII
Die 1. De initio prædicationis *Initium Predicationis*
In Africa Hierapoli natalis SS. Philippi Apostoli. Quintiani *In Africa natalis S. Philippi Apostoli Iacobi, Quintiani*
In Gallia Nanti &c. deest hæc lacinia in cod. Bl.
Saturnini. *Saturninæ*
Serienti Episc. *Orienti Episc.*
Becora *Begorra*
2 Calestini-Felicis. *Germani, Celestini, Felicis*
Cetici-Bellaci *Caetini-Bellapi*
Sanciani presbyteri *Sciani presbyt.*
3 ab Helena *ab Helena Regina*
4 In Nicomedia natal. S. Senesij. Antonij &c. *In Nicomedia Antonie*
Inter Felicem, & Romanū deficit in cod. Bl. nomen Vrbani
In Nuricopense locorum *In Nuricore pense loquorque*
Corporum S. Codoni Diac. & Conf. in Basilica S. Amatoris. *Corporis Sancti Corcedoni Diac. & Conf. In Basilica S. Amatorum, Eutini Diaconi*
5 Euthimi Diaconi memoria in cod. Bl. est ad finem antecedentis diei

Arcilai *Arthelai*
In fine laterculi additur diuerso sed antiquo charactere *Ascensio Domini.*
6 Celebritas S. Matahei, & initij Martyrum deest in cod. Bl.
In Gallia Ciuitate. *In Galleis Ciuitate*
Helioclori-Mediolani *Helioclori- Mediolano*
Marsuni-Domuli. *Massimi-Domori*
Possisini *Possinna*
Post Massillam vsq; ad Aurisiodorensē Episcopum Valerium silent in cod. Bl. viginti quinque Martyres, in libris nostris nominibus expressi, præter plures anonymos.
7 Insignis etiā lacuna adest in cod. cod, Nonis Maij, vbi pro Eutherio scribitur Euthecius. Deest titulus Episcopi in Augustino, tertio locō repetito, & pro Gagio, & Antio vnicum nomen legitur *Gagianti*. Sed à Marciale vsq; ad Tunidum sexaginta quatuor nominibus in libris nostris expressos Martyres antiquus librarius expunxit
Floriani *Floridiani*
Eustuci *Eutici*
Passio S. Gorgij. *Passio S. Iorgij*
8 Fortasse etiam longioris laterculi pertæsus antiquus librarius sparsim in hodiernis fastis codic. Blum. plura martyrum nomina decurtauit: aliqua interim varia signamus.
Maiæ *Marciæ*
Post Iohannem sequentes notē Martyres codicum nostrorum in Bl. desiderantur, sicut Niger, Rusticus, Felicia, Datiua, Tutianus, Datica, Gundonius. Pro Honesto Honestam, pro Tertulo Tertulam, pro Cælestina, Celestinum, pro Atala Stialam, pro Fortuna Fortunium, pro Sido Tidum, pro Hereuso Bereusū, pro Matronida Matronā, & pro Citino Chitinū retinet. Interim etiam deficiunt alter Victor, Cenerus, Rogatus, Donatus, alter Rogatus, Saturninus, alter Rogatus, Satutnina, Rufus, & alter Victor.
9 Pro Tarso Ciliciæ malè scribitur *Tarsu Cilie*-deest in cod. Bl. Mediolanensis Apostolorum celebritas.
Promoli *Promoli*
10 Efmaci *Epimaci*
Et Maioris Coni *& Maioris Confessoris*
Probati-Lucellæ. *Probatæ-Lucellæ*
Iterum codex Blum. lacunas patitur.
Post Dionem deest Acacius, & post Zenonem quatuordecim martyres desiderantur, nisi pro Silicio Cilicius exhibeatur. Post Sacusam, & Bonosam deest Victurina, Post Matulum, non Matulum deest Maxima, & Ianuarius, deinde post Saminum vndecim cælites omittuntur, sicuti post Ianuariam Fortunata, post Theclaciā Donatus. Pro Secundo tamen, Secundam. & pro Saturnino, & Donato, Solutorem reddit, pro Cotideo Coddeum, pro Marciano Marciam, pro Fortuno Fortinū, pro Piriaco Birocium, pro Ianuario Ianuariā, pro Satira Saturā, pro Tuia Tinam. Post Victorinam rursus vsque ad Zebberiam sexdecim Martyres incuria librarij omittuntur.
Saturnæ. Cyrilli. *Saturnæ, item Cyrilli*
11 In Sirnii-Fortunatæ. *In Sirnia- Fortunati*
Septimi, Comini. *Semtimi, Commini*
Achelli. Sipponi *Achilli, Sippionis*
Epimini *Timini*
Episcopi *Episcoporum*
12 Achillei, & S. Prancratij. *Achillei fratrum, & nat. S. Pancradi*
& Rotheris Uirginis. *& Soteris Virginis*
Sotheris *Rotheris*
Morei *Moysei*
In Africa Pancrati. *In Africa Prancati*
13 superaddita in medio laterculi S. Seruatij memoria sic in fronte cod. Bl. scribitur. *In Tretecto depositio Sanctissimi SERVATII Episc. & Conf.* & præterito Ciuitatis Alexandriæ nomine post Afrodisium Agrippā nō Agriffam legit, sicuti pro Grippo Giulū Alexandri. Traiecto &c. *Alexandriæ Ægippæ Ageris &c.*
S. Marcellini Episc. *S. Marcelliani Episc.*
14 Audacti *Adaucti*
Sanctorū CCCIIII. Sanctorū CCCCIIII.
cum S. Cyriaco *cum Sancto Cyrico*
dedicatio Ecclesiæ, ac Regulę *dedicatio Ecclesiæ Sanctæ Acreculæ*
15 Chorutiæ- Cyriaci *Chotidiæ-Cyrici*
Anduci-Diuisiæ *Andrei- Diuisiæ*
Protece Episc. *Praetece Episc.*
16 In Eusarea. *In Cæsaria*
Heracri-Manerini *Heracli-Manerensi*
Declitiano *Dioclitiano*
Guiono *Gaiono*
S. Peregrini primi. *S. Peregrini primi Episcopi*
17 Pathyni-Minerci. *Parthini- Mineris*
18 Cerron-Hermon. *Cesson-Hermone*
qui multum *qui multa*
Eusuchi-Egipnæ *Esuchi- Æginæ*
19 Patemi. Galigori *Paterni, Galitori*
Incidi-Poliocli *Indici Puliochi*
Emili. Pretestati. *Emili, Basili, Pretestati*
20 Marcellonæ *Marcelloſæ*
Via salaria *Via salutaria*

Nusce-

Nuſcæ-Saudeli. *Nuſcæ-Baudeli*
& Fauſtini Epiſc. *& Fauſti Epiſcopi*
Augſtregiſſeli Epiſc. *Auſtregiſeli Abbatis*

21 Poliæ. Eutici Diaconi. *Poli. Eutici Diac.*
Politæ. Viti *Poli. Euiti*
Victori *Victuræ*
& alibi Nat. S. Matthiæ Ap. deeſt in cod. Bl.
Depoſitio Pauli &c. *Depoſ. Beati Valis presbyt. & Confeſſ.* & alio charactere *Natal. S. Valentis Mart.*

22 Inter Emilium, qui dicitur Emelius, & Plaſſium, qui dicitur Blaſius, in codice Blumanio, hæc Martyrum nomina adduntur. *Cotti, Rogari, Maxenti, Felicis, Ianuarij, Conceſſi, Albani, Rogatiani. Item Caſti, Item Emeli*, qui Romæ, non Africæ tributi in noſtris libris deſiderantur. Additur etiam in fine. *In Ciuitate Traiecto dedicatio Baſilicæ Sancti Michaelis Archangeli*

23 Aptoni Baſili. *Oproni, Baſeli*
Item Aptoni *Item Oproni*
Emiliæ-Almeridæ. *Emeliæ-Almiridi*

24 In Iſtria *In Stria*
Zeoli-Timiſſi. *Zeoli Timini*
Striæ *Striæ*

25 Sentiani *Sentianæ*
Dep. Dioniſ-Epiſc. *Dep. Dioni Epiſt.*
Septimi. In Epheſo Iohannis Apoſtoli. Saturnini. Saturi-Timidi-Sciali *Septimi. In Epheſo Saturnini, Saturi-Timini-Sciali.*

26 Anteon. Quadrati *Antemi. Quarati*
In Tuturaratinæ. *In Tuturtina*
Feliciſſimi *Feliciſſimæ*
Mauri. Saturi. *Maurini Item Saturi*
Themedi *Thomedi*
Quociaco *Quotiaco*
innumera multitudine. *numera in multitudine.*

27 Presbyteri, & aliorum. *Presbyteri, Euangeli, & aliorum*
Sciabili *Stiabili*

28 Zotoli-Nonna. *Zetoli-Nonni*
Piriani-Ance *Priani-Ame*
Vforiæ. Vippia. *Vroriæ, Viapiæ*
Colloniæ-Comini *Cilloniæ-Commini*
Flumini. Item Marcianæ. *Flumini, Marciani*

29 Pulliemi-Carchi *Pullieni-Carelli*
Alexandri Martyris. *Alexandri, & Martyri*

30 Natalis Sici. *Natalis Sanctorum Sici*

31 Natalis S. Petronillæ. deeſt in cod. Bl.
In Ciuitate Sythæ *In Ciuitate Sirthæ*
Donatianæ *Donaciana*
& Martiniani *& Martiani*
In ciuitate eorundem. *In Ciuit. eorundem*
Victoris-Ciliciæ. *Victuræ-Ciciliæ*
Item Germani Siluani *Item Germani. Item Siluani*
Leuticæ-Fortunatæ *Lauticæ-Fortunati*
Tertuli *Tertula*

IVNII

Die 1. Acuci Regis. *Aucia Regis*
Ciciliæ-Coteuſi. *Cecilie-Coteuſæ*
Caſſiæ-Quietiæ *Carræ-Quietæ*
Donati. Martiani *Donati, item Marciani*
Ianuariæ *Januarij*
Nouellæ. Item Ianuarij, Goſiæ. Fedoſæ Victorinæ. Matronæ. *Iannis, Sotiæ, Fœdoſæ, Matronæ.*
Poſt Matronam viginti duo martyres deſiderantur in cod. Bl.
Horminſi. Item Saturnini. Melchi. *Horminſi, Malchi*
Poſt Siluanum, Quintinum, & Felician pro Silleſa, Silleſam præfert cod. Bl. & omiſſis altera Ianuaria, Fortunata, Victoria, Mariam exhibet, & præterita Prima, Gemellinam numerat. Deinde omiſſis quindecim Martyribus, Meloſam, Metunum, Moloſam recenſet, & alijs ſex relictis Surdidam adfert. Ita decem alijs ſilentio inuolutis, Publium cum alijs CXX, Lupũ cum alijs XIII. enunciat, ablatis interim ad Iohannem, & Maximum viginti Martyrum nominibus. Maximam tamen pro Maximo ſignat, cum anonymis LXXV. & Claudio Epiſc. Vrennenſi.

2 Interpolatam detruncationem pariter exercuit librarius cod. Blumanj 4. Non. Iunij. Marcellini presb. *Romæ Marcellini presb.*
In Cãpania Eraſmi martyris memoria non adeſt in fronte codicis Blum. in quo Thomocum ſequitur Rogatus &c.
Maximi *Maximo*
Pauli. Rauli. Iuliæ. deeſt Raulus
Florentinæ *Florentini*
Fluiæ. Matronæ *Flauiæ, item Matronæ*
Fortunati-Tertullæ. *Fortunatæ-Teſtulæ*
Euanci-Samnatræ *Euantiæ-Samnatæ*
Maſculæ-Datuli *Muſculæ-Datulæ.*
Item Maximæ. Caſtulinæ. *Item Maximæ. Item Felicis, Tertullæ. Caſtulinæ.* Deeſt deinde Dontola in cod. Bl. & pro Samina legitur Sarnina. deeſt etiam altera Iuliæ, & poſt Honoriam quatuor ſequẽtes Martyres cod. ille ſilet, & poſt Calponiam omittit Extricatam, & Saturninam, & poſt Cænonam, & Primoſam, alijs tribus prætermiſſis

ritis Fauſtum, & Fonteum ſignat, & poſt alios quatuor omiſſos refert Ianuarium, & Adiutorem. Ita neglecta Fortunata, pro Nominatia Nomitiam ſcribit, cui ſine Rogata, Victoria, & Donata ſociat Mauorũ, Primam, Tunninum, Senetionem, Marcianam, Nondinarum, Caſtum, Datum, Piſcinam, Caſtulum, Victurianum, Ninam, Nundinum, Ceciliam, Marinam, Luciosam, Forminam, amputatis interim, qui in codicibus noſtris interponuntur Poſſina, Vrbana, Ianuaria, Iulia, Florentina, Victoria, Saturnina, Felicia, Maxima, Prima. Poſt Formiñ etiã duodecim nomina Martyrum decurtantur, & poſt aliã Saturninã, non Saturninũ *cum aliis*, non XLVIII, ſed *XXVI.* alios ſex Martyres nominatim expreſſos tacet. Thamati, Honorati, Seleuci. Porphiri, Paphili, Paleſtini, Rogatæ. Lugduno Galliæ XLVIII. Martyr. *Thamati, Seleuci, Pamphili. In Campania Heraſni. Lugduno Galliæ XLVII. Martyres*

Hi ſunt, qui in Cæſarea ſpiritum reddiderunt *Hy ſunt, qui in carcere ſpiritũ reddiderunt cum aliis XVII. Martyr.*

Neque adhuc à detruncatione librarius abſtinuit, decem enim, & octo in Martyrologio noſtro computati in codice illo deſiderantur, & fortè ſunt, qui tantum corrupto numero XVII. indicantur.

Lugduni Vincentij, cui ante Epagatum, & Emiliam, ſiue Ameliam ſex martyres ſociantur prætermiſſi in cod. Bl. ſicuti poſt Epagatum, & Emiliã deſideratur Donata.

Barbarini *Barbarum*

Humiti. Euaſi *Humati*

Honoratæ. Rogatæ. *Euaſi*

3 Papo. Zinei. & aliorum CXLII. *Papo Zinci. & aliorum CXLVI.*

Sãcte Iulianæ Virginis. *Sãcti Iuliani Mart.*

Deſunt in cod. Bl. Nat. S. Thomæ Apoſtoli, & parùm infra nomina Vrbani, & Felicis.

Victorini-Paulæ *Victurinæ-Paulæ*

Victorinæ Siluani. *Victurinæ, Siluanæ, Siluani*

Papori *Naporis*

Emiriti Fructi *Emiritæ, Sexti, Fructi*

Titonij *Titonij*. Donati, Ianuarij Seneri Honorati. *Donatæ, Ianuariæ Seueræ, Ianuarij, Honoratæ.* Maturi, *Maturæ.* Obercæ *Oberci.* Valeriæ, Siluani, Veneriæ. *Valeriæ, Felicis, Veneriæ*

Veranti *Verani.*

Siluani cum alijs XCIII. *Siluani cum aliis LXXXIII.*

Emeritæ, Septimini. Saturnini. Amaſi, Oraſi. *Emeritæ, Septimini, Oraſi, Saturnini, Amaſi*

4 Iuliæ Saturninæ. deeſt Saturnina in cod. Bl. & aliorum XX. *& aliorum XXII.*

Natalis S. Pieti *natalis S. Pictæ*

Expergenti-Ruſtuli *Expegenti-Ruſtichi,*

Iei Aconi Mones. *Ieiaconi Monnæi*

In Sabaria Ruſtuli *In Sabaria ciuitate Ruſtuli.*

5 Iappæ-Ruſtiani. *Fappæ-Rutiani*

Candidæ-Feliciani, Fortunati. *Candidæ-Felicianæ, Fortunatæ.*

deeſt in cod. Bl. additio S. Bonifatij Epiſc.

6 Alexandri Donati. *Alexandri, Alexandriæ, Donati.*

Poſt Claudium Epiſcopum additur *Gracinopolæ Cerati Epiſcopi*, qui in M. noſtro memoratur initio diei ſequentis.

7 Pauli. Fortunati. *In Begarecium Pauli Fortunati.*

Acaci Monãc. *Chacaci Mon.*

Poſt Spiſinam deeſt in cod. Bl. Quirillus, & additur poſt Lucianum Martyrẽ, *& Paſſio Bonifacij Epiſcopi, qui paſſus eſt in Vuefſtrachia.*

8 In ciuitate Doreſtoro. *In ciuitate Doroſtero*

Natalis Sancti Uitici *Natalis Vitici*

Carolapis-Saluſtiani *Carolapidis-Sancti Luſtiani*

Nazari in Cæſarea Doroſtoli Marciæ. *Nazarii. In Doroſtoli Marciæ*

Ianuariæ, Donate, Spinæ *Ianuariæ, Helij, Donatæ, Spiſmæ*

Medardi Epiſcopi, additur *Confeſſoris*

9 In Gallia Popeie. *In Gallia Pompeiæ Martyris.*

10 Romæ mil. . . . Baſilidis. Auriſi. *Romæ mil. Baſilidis Auſiri.* Ianuarij, Caſſiani deeſt nomen Caſſiani

Sancti Zachariæ. *Sancti Macharia*

11 & tranſlatio corporis. *& alibi tranſlatio corporis.* Et Sanctorum Naboris, & Felicis. *& alibi natalis Sanctorum Naboris, & Fecis.*

12 Romæ Aureli Baſelidis, *Romæ Aurelij Mil. M. Baſelidis*, & alio antiquo charactere *Cirini, Naboris. & Nazarij.*

13 Deeſt in cod. Bl. natal. S. Bartholomei

Romæ Feliculi. *Romæ mil. VII. Felicu li.*

14 In Pagacia. *In Pagia.* Antoni. *Anteoni.*

15 In Doroſtori. *In Doroſtoro.* In Aquileia Cantiani Potiti. *In Aquileia Sanciani Protuti.*

Cantianæ *Cantiani.* In Lucana natalis Niuiti. *In Lucana Niuij.* Gentiani *Cancianæ*

Cantianelli *Cantianellæ.* In Sicilia natalis Sanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiani.

ni. *In Sicilia Sanctorum Modesti, & Crescentis*

16 In Sicilia Saturnini. *In Sicilia ciuitate Saturnini.* Quirici, & Iulittæ. *Cyrici, & Iulittæ.* S. Similini *S. Smiliani*

17 Quiriaci. *Romæ Quiriaci.* Aurelia Ciuitate *Aureliani ciuitate*

18 Emili-Marij. *Emeli-Marie*

19 In Fiscamno Monast. dep. Childeomaræ. *In Fiscámo Monastbirio Cbildomaræ.*

20 Ciriaci *Cariaci.* Fontanellensis addito est in fine laterculi cod. Bl. cum titulo Confessoris.

21 Pellici *Bellici.* In Sicilia Rufini. *In Sicilia ciuitate Rufini.* In Cesaria depositio S. Eusebi Episcopi. *In Cæsaria dēp. S. Eusebi Episc.* additio interlinearis inter Sterciam, & Hieriam in cod. Bl. habet *Albani Mart.*

22 Gandalici *Gantalica.* Deest celebritas S. Iacobi Alphei. Nola Paulini. *Nola natal. S. Paulini.* Depositio Sanctæ memoriæ Nicei Episc. *Alibi dep. Sanctæ Memoriæ Nicæ Episcopi.*

23 Deest Inuentio corporis S. Quintini. Alisi *Alicis*, & in fine additur *Exmzami Lectoris*

24 deest nomen ciuitatis Sebastiæ, & memoria S. Ioannis Euangelistæ in Epheso

25 Elegi potius paruum laterculum cod. Bl. dare, quam differentias notare. *Thessalonica Lamtani, Thessalonicæ. Epin eadem ciuitate Luceiæ Virginis, & Aceiæ Regis.*

26 Emeriti *Emeretæ.* deest Agathon, & SS. Ioannis, & Pauli natalem in fine ita signat cod. Bl. *Romæ passio martyrum Iohannis, & Paulj*

27 Crispini. Crispiniani. *Crispi Crispiani.* Crescentis. Miliani *Crisentis, Iuliani.* Nouantiani. *Nouactiani.* Zaddini. Himnustici. *Zeddini, Felicis, Himnustici.* Tutici. *Tucci.*

28 Fabiani, Elaphi *Fabiani, Felicis, Elaphi.* Astecij *Astefyi.* Physocius præmitticur Apollonio, & Amphamoni. Seneri, *Sereni* Pasteti. *Pastasi.* Phesci. *Phesici.* Ambenjari. *Anbemari.* omittuntur in cod. Bl. Dioscorus, Turbannus, Capitulinus, alter Orion, & Simiras, Sinirus dicitur quemadmodum Leonidus, Leonus, Hereneus Episcopus Herenus, Potamiena, Potamiema scribitur, præteritis altero Leonide, Plutarcho, Sereno, & Marcella.

29 Nauariani, & aliorum DCCCCLXXX. *Nenariani, & aliorum DCCCCLXXXII.* omittitur in cod. Bl. natalis Sanctorum Simonis, & Iudæ

30 Italiæ Cursici. *Italiæ Gelasi, Gittæ Cursici.* In Agrippina Aschimi Paphilij *In Agrippinæ Asclini, Pamphyli.*

IVLII

die 1. Luciæ Virginis. *Luceiæ Virginis.* Post Processum deest Martinianus. Cum alijs VI. & aliorum &c. *Cum alijs VI. Orion cum alijs VIII. & aliorum &c.* Idonij cum alijs. *Idonicum filijs.* Leoni Episcopi *Leontij Episc.* deest memoria S. Simonis, & Iudæ; & pro Separco scribitur Eparcus

2 Ad discrimen agnoscendum breuem sed vberiorem cod. Bl. ephemeridem apponimus. *Romæ Damasi. & mil. II. Processi Marciani, Calesti. Natal. Euti, & dep. Mel. ade Pape, Hesicij, Amidæ, Amigradi, Arixi. Turonus S. Monegundæ Conf.*

3 Menelai. Cyrilli. *Menelai, Cyrionis, Cyrilli.* Cyrionis. Honestus. In Tharso Serenæ. *Cyrionis, Horestis. In Tharso Serenæ.* Strategi. *Strateti.* Paseni. *Partheni.* Eusemię, Acaci, *Eusimiæ Accaci.* Triphoni. Menelai. Cerealis. Heracli. *Tropon, Menelai, Cerialis Heraclæ.* Iuliano. Heliodori. Amminiti. Martiniani. Cyoni. *Iuliani. Heliodori. Ammiæ. Martyri, Amichioni*

4 S. Iocundiani in Syria. *In Africa Iocundiani, In alto... missi. In Syrmia.* cum alijs XXV. *cum alijs XXX.* Martini Episcopi. *Martini Episcopi, & Confessi.* Beturicę &c. *Beturiæ Ciuitate nat. S. Lauriani Epise. & Confess. & Mart.*

5 Meroni. Macrini. *Meronæ. Magnini. Tecbi Rodosiæ.*

6 Arithonis. *Arithosi.* Omittuntur in cod. Bl. octaua Apost. & post Amandum Sichetis, & pro Legontito scribitur Legontius

7 Codomuni. *Eodomuni.* Patherni. Parmi. Ammias. Pidmij. *Partheni, Parmi, Ammias, Pimidij.* Alexandri. *& alibi Alexandri*

8 deest In Austria &c. In Sirminia. *In Syrmia.* In Cesarea Procopi. *In Cæsarea Cappadociæ Procopi.* Pramiati. Eladij. Electi. Apollipius cum alijs XVIIII. *Pranchati. Elachij. Elemi. Apola. Tius cum alijs XVIIII.* Anthcologi. Agreti. *Antheologi. Egretti*

9 Rufini. Euangelij. Agniti. *Rosinæ, Euangeli, Vrsi, Agnitis.* Vitalis *Vitalis*

10 Prægdit in cod. Bl. *Romæ Prisillæ, & natalis Sanctorum VII. Germanorum.* Inter Prætestatum, & Proculum, mediat, *& S. Ianuarij.* Fromedi. Aniceti. Ateri. Ualenti. Castri. Cretæ, Pollani. *Fromedi. Anicii. Azeri. Valentini. Castrici; & Apolloni.* Ianuarij. Marini. *Iannarij, Marinæ*, & Milium XII. *& alibi milia XII.* Milionis. Iosomodis. Antoreni. *Milionis, Diomedis,*

Antoni, Anacisi.

11 Codici Blumanio debemus post Ianuarium, & Pelagium non Pelagiam de eorum passione sequentia. *His tormentis subdui, qui non solum vngulis, sed & testa corpora eorum vsque in diem quartum ad eadem passione habuerunt.* Ne tamen incuriosus librarius nimis daret post Militonem triginta Martyrum nomina detruncauit, relictis tantummodo de Romanis martyribus Flauio, Nicaone, Aurilio, Cyriono, & Castro. Pro Perdicia Proditum scripsit, & interpolatum Aduentum Corporis S. Benedicti in Galliam aptius ad finem transmittit

12 & Armigeri. In Sicilia nat. S. Agathę Virg. *Armagri. In Sicilia ciuit. nat. S. Agnetis Virg.* In Mediolano Namoris, & Primitiui. *Mediolano Namoris, Felicis, & Primitiui.* Carnilisi. *Corminsi*

13 Meneo Presb. Trosinę Virg. *Menę presbyteri, Trosemę Virg.*

14 Donati. *Donatę* Antiocj. *Antiochi.* Mari. Dagioni. Menelidei. *Maridagiona. Menesi, Dici.* & S. Foci Episc. *& alibi S. Foci Episc. & Conf.* S. Iusti Episcopi. *S. Iusti Episcopi, & Conf. Amici Episcopi.*

15 hOc est in Hisclea. *hoc est. In hisclea.* Forenti. Pollutanæ. Iuliæ similiter, & Iustæ. *Florenti, Pollutanæ, Iuliæ simul, & Iustæ*

16 Migetiæ & Natalis Sanctorum Valentini Theoni, Deocletis. Migeti. *& alibi nat. Sanctorum Valentini, Theoni, Diocletis*

17 In Asia Nazarij. Ianuarij. *Inansia Nazarij Veturi, Ianuary.* Cautate. *Cutate.* Bessæ. Maximæ. deest Maxima in cod. Bl. & pro Persyriana *Syriana* scribitur.

18 Miliario natalis S. Sempherosę. *Mil. VIIII. nat. Sanctorum Semperosa.* Ciuini Crestini. *Cuuini, Felicis, Cristini.* Vetusę *Fecusa.* Ianuarię, Titianę. *Ianuariæ. Item Ianuaria. Titiani, Hessæ, & Falbei Episc.*

19 In Spania nat. S. Iusti. *In Hispanijs nat. Sancti Iusta*

20 Cassi. Macrobi. *Magropi Cass.* Nerstiæ Theodoli. Calocerj. Macrini. Amarini. *Neratiæ. Theodoli. Calocirj. Marini. Merini*

21 Stercoris. Emiliani. Hugal. Sophię. *Stercory. Emiliani, Huzal Saphy.* Dimesi *Dimeli* Dotheri. *Deotheri.*

22 In cod. Bl. desût in Gallia, & reliqua post nomen *Vuădregiseli Abb.* Pro Tebella legitur Tebellus, pro Gallacia Galatia, & pro voce Militanarum *Milanarum*

23 Mil. XVIII. *Mil. XVIIII.* In Landocia Frigię. *In Laudadatia Frigia.* Uia Acula. *Via Acculæ*

24 Miliario LXXXIII. *Militis LXXXIII.* Emirita cum fratribus II. *Emirita Ciuit. Fratris duobus*

25 Sancti Aconiti. Nonni. Passio S. Iacobi Apostoli Agathenis. *Sancti Aconti, Nonni, Iacobi, Agathensis*

26 In Laudicię & Laudaci. *Laudatia. Laudagæ*

27 Natalis S. Felicis. Additur in cod. Bl. *de ordinatione Episcopatus. Multa mirabilia fiunt*, Etherio Episcopo additur titulus *Confessoris*

28 Laudicię Frigię. *Laudacia Ciuit. Frigiæ* Theophili *Thyophely.* Interpolatio Sanfonis Abbatis est additio ad calcem lateculi. Bessię-Septimię. *Birsiæ. Septimi*

29 A Fontanellensi additamēto incipit cod. Bl. *In Fontanella Monasterio depositio Gennardi Presbyteri, & Confess.* Romę Via Puerinse nat. Sanctorum Absfeodi Rusi, Felicis, Abdi. Pontiani. tres hîc Martyris desiderantur. *Romæ Via Puerinse nat. Sanctorum Absfeode, Pontiani.* Beatricis. *Viatricæ.* B. Prospero additur titulus *Episcopi*, & Fontanellensis dedicatio omittitur.

30 Ad Ursum pileatum. *Ad Vrsum pilatum.* Tuburtulo Cęsarię *Tiburtu Lucernaria* Optronis. Ammonici. Donatuli. *Optronis Ammoni. Donatulæ*

31 In Africa ciuitate *Sinada.* In *Africa Ciuit. Sinadæ.* Aunachara Episc. de ordinatione Episcopati. *Aunadiari Episcopi ordinatione Episcopati*

AVGVSTI

die 1. Machabeorum VI. fratrum sub Antiochio Rege. *Machabeorum septem fratrum sub Antioco Rege.* Et consecratę, & absolutio eius à vinculis in cod. Bl. non profitant. Sinodos-Cyrillę-Secundinę-Manandri. Profuni. Gerunda. *Synodus-Cyrilli-Minandri-Posuni-Ierunda*

2 Rome S. Stephani. *Romæ in Cimiterio Sancti Stefani*

3 Acellai-Diogenis-Nichodemi. *Acellæ. Dragens. Nicomedi*

4 Natal. S. Crescentiani. *Natalis Sancti Laurentii Martyris, Criscentianæ.* Sanchinti-Sergi. *Sachinti-Setæ.* Adduntur in cod. Bl. *Natalis Sanctorum Herenis, Heracli, Dassi, sive Bassi*, qui in libris nostris initium dici sequentis constituunt, pro Herento tamen legitur Herenenti

5 Aeliopolim. *In Axiopolim.* Catalonis-Mimini. *Catalaunis-Mimi*

7 Sim-

7 Simfonij Uenerij Sanctorum. *Sumfronij Veneriæ Sancti.* Auxentius, & Carpenforus in cod. Bl. deſiderantur. Martyrum XXVI. *Martyrum numero XXVI.* reliqua in codice non ſignantur

8 Carpofori Cyrici Secundini. *Carpori Cyriaci Secundi.* Albanus, Victorianus, & Iuliana in cod. Bl. omittuntur

9 initiò natalis S. Romani deeſt. Permeni. Creſcentiani Annitiodori. Nomidiani Carpofori. Samaracdi Saſtiri. Monodiani. Ladicis Iſtriani Priuinſis. *Permoni, Cruſcitiana Anni, Teodori, Nomi, Diana Corpori, Iamaragdi Santiri, Nimidiani, Ladicis Briuinſis*

10 Creſcentionis Gemini Creſcenti Seſſi. *Criſcentionis Geminæ Creſti Seui.* numerus *nomina*

11 In Gallia ciuitate Camaracum. *In Camaraco*

12 Cataniæ Nericię Regio & in Iſtria. *Catbonas Veretie Religio Inſtria*

13 Ypoliti. *Epoliti.* Omittitur in cod. Bl. Caleſtus, & pro Antiocheno Epiſcopo ſcribitur Antiochus, & pro Antiocho Lugdunenſi ſupplendo in Martyrologio noſtro ex emendationibus legit *S. Anoci Epiſcopi*

14 Demetri cum ſocijs. *Dimetri* tantum. Hermi Bermię. Heraeli cum ſocijs. *Hermeberuna, Heraęli cum tribus.* Felicis. Fortunatę, Uincentię. In Vembera Syriç. *Felicis Vincentię. Vindara Syrię.* deeſt etiam Proſpolinus

15 Additur Aſſumptioni S. MARIÆ, *Matris Domini Noſtri IESV Chriſti*, & in fine *cum ſocijs eorum*

16 S. Tyrſi cum ſocijs ſuis. *Sancti Terſi cum ſocijs eorum*

17 Nat. S. Mammetis Monachi. Additur ante *In Ceſaria.* Nat. Sanctorum Orionis. Item Mammetis deeſt in cod. Bl. vbi pro Emilio, & Diſco legitur *Emeli, Diſſei*

18 Preneſtina ciuitate miliario ab Vrbe XXXIIII. *Priſtina ciuit. mil. ab Vrbe XXXIII.* In Ponto Amiſiæ ciuitate. *Et in Ponto Amatia ciuit.* Ziaci. *Eziaci*

19 Faliouis. Roſini Gardę. *Filionis, Roſſini Gadda.* Sanctorum Orionis *Sancti Orionis*

20 In Lucania nat. S. Valentiniani. *In Lucania nat. Sanctorum Valentini, Amiani.* Diomedis Coloni conf. *Dimedis Colonicensi presb.* deeſt dep. Philiberti Abb. in cod. Bl. Turonico caſtro. *Toronico Kanone caſtro,* & additur in fine. *In Æri Monaſt. dep. Filiberti Abb.*

21 Quadrati Semi. Item Quadrati Epiſc. *Quarati Saui.* Silet Quadratum Epiſc. cod. Bl. & pro Aſtoiso retinet Astorium, & poſt Zoticum addit Azatarium, ac pro in Gaualis legit *In Ganalus*

22 Romæ Via Oſtenſe Aurcli. *Rome Via Oſtinſi Aura.* In Gallia nat. *In Gallia ciuitate Auguſtoduno*

23 Sancti Fortunati Hermonis. *Sanctorum Fortunati, Hermogenis.* Poſt S. Laurentium, deeſt in cod. Bl. & etiam puerorum, ſicuti omittuntur quatuor Martyres in Prouincia Liciç. Pro Arcilao legitur *Archilai.* Mineruij Eliaga cũ filijs VII. *Mineruij, Eleazarij cum filijs VIII.* Synodi Epiſc. *Sidonij Epiſc.*

24 In Gallia ciuitate Rodomo depoſ. S. Audeni Ep. & Conf. *dep. Beati Audomi Epiſcopi Rodomagenſis vrbis.* Pro Zenobio cod. Bl. legit *Genobi.* Omittit Emerete, Italiçæ & in Indis S. Bartholomei Ap. Pro Pectrico Abb. retinet *Patrici Abbatis, & Conf. & in Territurio ciuitatis ipſius Vico Luperiaco dep. S. Geldori presbyt. & Conf.* & in fine addit charactere diuerſo, ſed antiquo *& Natale Sancti Bartholomei Apoſtoli cum ōm*

25 In cod. Bl. deeſt nat. S. Pontiani. In Prouintia Syria. *In Prouincia Syria,* qui meruit. *quiqs meruit.* Via Nomētana milites XVIII. *Via Numentana miliario XVIII.*

26 Ciuitate Solona. *Ciuitate Solana.* Poſt Anaſtaſium Martyrem adduntur ſequentia in cod. Bl. *Hic fidelis fuit, quique fidei ſuæ merito inter Martyrum numero meruit coronari, Apolia ciuitate* pro Apolli noſtrorum codicum. Primi, Victoris. *Primi, item Victoris*

27 Aronti. *Oranti.* In Tuma ciuit. *In Tumu ciuit.* de additamento Gallico hæc tantùm habet cod. Bl. *In Gallia Arelato ciuit. dep. S. Siagri Epiſcopi*

28 Via ſalaria. *Via Salutaria Vetere.* Poſt Serapionē deeſt nomen Hermetis. Aruernis Vrbi Briuatenſe. *Aruernis Vrbis Vico Briuatins.* Sancti Iuliani Epiſcopi *Sancti Vibiani Epiſcopi*

29 Sebaſtia *Sabaſtia.* S. Iohannis Baptiſtæ *qui paſſus eſt ſub Herode Rege.* Nicei, & Pauli. *Nicei, & Pauli.* Romæ Via Hoſtienſi Felicis. Candidi. Forigæ Adauſiæ. *Roma nat. Sanctorum Felicis, Candedi Virg. Foricie Adauſie.* Additur in fine cod. Bl. alio charactere, ſed antiquo *Rome Sancte Sabine Mart.*

30 & nat. Sanctorum Felicis, & Adauctī. Ad-

ditur etiam in fine latterculi cod. Bl. alio antiquo charactere.

31 ad memoriam S. Paulini Episcopi; & Confess. additur in cod. Bl. *Qui cum pro fide Catholica à Constantio Imp. filio Constantini Imp. exulatus fuisset ibidem requieuit.* Ancyria Gallia- Iulli. Iulij *Ancyra Galatiæ- Iustæ-Iuliæ*

SEPTEMBRIS

Die 1. deest in cod. Bl. memoria S. Reguli. In Tuturtina Tusciæ nat. S. Terrentiani. *In Tuturnina Tusciæ nat. Sanctorum Terentiani.* deest etiã In Villa Herdona Eustij- Calisti- Tasci- Donati- Bellausia. *Eustij-Calistæ-Tasciæ-Donata. Becausia.* Cenomannis. *Cenomannis.* Additur in fine, *Et in Aquiscium passio Sancti Vincentij Episcopi, & mart.*

2 Theotæ *Theodotæ.* deest, & Antonini, & in fine dedicatio Basilicæ

3 Uico Aprocauito, *Vico apercauitu*

4 In Angira Gall. *Ancira Gallatæ.* Macelli- Hepidi. Antonini Eustichi- Vitalici- Cassi *Marcelli-Helpidi. Antonini Antonini Eostici- Vitalicæ- Cassi.* Romæ in Cimiterio Maximum Via Salaria *Rome in Ciuitate Maximi. Via Salutaria.* Post Magnum omittuntur Castus, & Saturninus. Caualloncntum *Cauillonens.* deest Titulus Martyris Marcello, & depos. S. Paulini

5 Saturnini- *Saturnini.* Inter Ægyptios Martyres omittuntur in cod. Bl. Taurinus, & Saturninus

6 Natalis S. Adriani. Romæ Via Salariâ nat. *Rome Via Salaria milia ab vrbe natal.* cum socijs suis *cum socijs eorum*

7 Beneuento- Sesonti- Anastasij mart. *Beneabento- Senoti- Anastasij Mart. cum socijs suis.* Gallicam additionem diuersimodè habet cod. Bl. *Arelate ciuitate Galliæ dep. Sancti Enorti Episc. & Conf. & in seruitio Pariseorum Vico Nouigento dep. Beati Chlodoaldi Regis, & Conf. Edua ciuit. in Gallia locum Alisiane nat. Sanctæ Reginæ mart. cuius gesta habentur.*

8 Matris Domini, & natalis S. Adriani *Matris Domini nostri IESV Christi.* deest in cod. Bl. memoria S. Adriani, Pausti, item Pij, Ammoni, Serapionis, Demetri, quamquam inter lineas charactere diuerso, sed antiquo addatur *Natalis S. Adriani.* reliqua ita differunt. Teofili- & aliorum XVIII. *Theopholi- & aliorum XXII.* Peneti- Achilli- Magitæ- Orosci. Siluani- Serapionis, & aliorum DXXIII. *Paneti, Achillæ, Migitæ, Orusci, Siluani, Aropionis, & aliorum DCCVI.* & in fine additur, *In ea die collecti multorum Martyrum corpora*

9 Intra duos Lauros. *Inter duos Lauros*

10 Eupli- Caprici- Aloponi- Mezerori- Achillei- Orosoni- Numesini- Hylari- Victor- Doletatuli. *Euplæ- Cupsici- Alupon- Merisori- Acellei- Oropon- Nimesini- Helari- Victurius Doletatulæ.* Post Nicetum in cod. Bl. desiderantur item Ammonius, Herosius, Siluanus, & post Panemodum Nicentius.

11 Via Salaria vetere. *Via Salutaria vetere* Proti, & Iacinti. *Proti, & Iacenti, qui fuerunt Doctores Christianæ legis*

12 Ciuitate Catina. deest Catina. Protini, Santini *Proti, Sanctini.* Natalis Sanctorum Diefoli Matrone Teclæ Virgo *Virg. nat. Sancti Ammonæ Matronæ, Teclæ Virginis.* B. Euéti Episcopi, deest nomen Euentij

13 Mancus in hodierno segimento est codex Bl. ad nostros cõparatus. Exhibemus integrè. *Idus Sept. Felicissi, Secundini, Nectarii Ep. Tironis S. Litori Episcopi Andeganis Manril. Episcopi*

14 Exaltatio S. Crucis. *Exaltatio S. Crucis Domini nostri IESV Christi.* Romæ in Cimiterio Via Appia natalis Corneli Episcopi. *Rome Via Appiam Cimiterio Calesti natalis Sanctorum Cornili Episcopi.* Demetri. Zeti. *Demetri. Zetæ.*

15 deest in cod. Blum. nat. S. Nicomedi mart. In Alexandria natalis Sanctorum Cyrini *In Alexandria natalis Sanctorum trium fratrum Cyrini.* Ancira Gallia *Ancyra Galatiæ.* In Aquira depositio S. Pauli Apostoli. *In Anquira depositio S. Pauli Episcopi.* Castro Tremorcio *Castro Tremoremo*

16 Calcedonia nat. Sanctæ Eufemiæ Uirginis. *Chalchidonia natalis S. Eufemiæ Virginis, & Martyris*, & in Via Numentana ad Capua, *& in Via Numenta ad Capua.* Sanctorum Pafies. Felicis. Victoris. Sperate. Nauati. Chorenti. In cod. Bl. omissis Felice, & Victore alij ita signãtur *Pafies, Sperati, Nauisi, Chorinthi.* In Nocerea Prisciani. *In Nocera Prisciani*

17 In Nocera Natalis SS. Constantini, *& in Nocera natalis Sanctorum Constanti.* In Leodico natalis *In Leodico Villa passio S. Landiberti Martyris.*

18 Sanctorum Trofini *Sancti Trofimi*

19 Pacli. Nili. Parmadi. Heli. *Palei, Nilipa- ti, Madi. Heli.* Musicii cum aliis CLIII.

Musicij

Muſcij cum alijs CL. Bectoria ciuit. Vico Villauna natalis Sancti Marciani. In Nocerea Heremæ. *Beturio Ciuitate Vico Villauno natalis Sancti Mariani. In Nocteria Hermæ*

20 Poſt Conſtantium primo loco numeratam additur, & in *Noceria Felicis, Conſtantiæ qui paſſi ſunt ſub Nerone.*

21 In Perſida Ciuitate Tarſeum. *In Perſida Ciuitate Tarrii*, & in Peralice. *& in Piralice*

22 Ciuitate Sedunis mar. Sanctorum Mautici &c. *Ciuitate Seduniſe Voſiodero valenſe locum agaunum nat. Sanctorum; ideſt Mauricij &c.* cum ſocijs V. millium DLXXXV. Mart. *cum ſocijs ſuis VI. milia DLXXXV. Mart.* exceptio S. Germani. *exceptio corporis S. Germani.*

23 In Seleucia natalis Teclæ Virginis quæ Romæ igne depoſito euaſit. & in Alexandria &c. *In Seleucia natalis Sanctæ Teclæ, quæ a Roma igne depoſitâ euaſit, & ideo multum natal. habet, & in Alexandria &c.*

24 In Macharonta Caſtello conceptio S. Iohannis Baptiſtæ. *Maceronta Caſtello nat. S. Iohannis Baptiſtæ, & Martyr.*

25 Bardumani. *Barduniani.*

26 S. Euſebi Epiſcopi. *S. Euſebi Epiſcopi, & Conf.* & Sancti Magigni. *& alibi natalis Sanctorum Migigni.* Apollinari additur titulus *Epiſcopi*

27 Adacia ciuitate. *Adutia ciuit.* In Effuſo, & *Epheſo*

28 Gurgili-Victoris-Longeræ-Lucioſæ. *Gurguli-Victuriæ-Longeſæ-Lucie.* Longæ Victoriæ deeſt Victoria in cod. Blum., & *Priſci*, non Priſcæ legitur, ſicuti pro Stacta S. Stacteus recolitur

Octobris

Dies 1. Inter Ianuarium, & Alexandrum additio Fontinellenſis non mediat in cod. Bl. ſed poſt Donatum ante Paſſicum additur *Item Dignæ. Remus Ciuit. tranſlatio corporis S. Remedij Epiſcopi, & Confeſſoris. In Adrauetis dep. B. Vedaſti Epiſcopi, & Confeſſoris Paſſio Praſpi Thomis Thomis Chryſti. In Gallia Ciuit. Antiſiodorenſe S. Germani Epiſcopi, & Confeſſoris*, reliqua omittuntur

2 Initio laterculi non adeſt paſſio S. Leodegarii, ſed in fine alio charactere ſignatur. *In Gallia nat. Sancti Leudegarii Epiſcopi, & Martyris*

3 In Ægypto deeſt Marcus, & pro Maſſio ſcribitur Marſius.

5 Eutici. *Enti*

6 Inter Africanos Martyres omittitur Saturninus, ſicut inter Apulos ſiue *in Apolia* Emilius, & alter Saturninus. Nat. S. Fidis *Nat. Sanctæ Fidis*

7 Sancti Marcelli, & Marci Epiſc. *S. Marcelli Epiſc. & Marci Epiſc.* Sergi. Bacchi. *Syrgi*, & alio charactere ſuperadditur, *Bacchi.* deeſt natalis S. Matthei, & ad Auguſtum presbyt. additur titulus Confeſſoris.

8 S. Reparata omittitur

9 S. Domninus martyr non memoratur. Diodori-Luddoni. *Dindori-Luddoli.* poſt Afri Martyrem additur. *In Ciuitate Vienna multorum Martyrum.* Eleutheri Diaconi, & Ruſtici presb. & conf. *Eleutheri presbyt. & Ruſtici Diacon.* Gemuini *Genuini*

10 Seiendi. Salſi. Niceti Firmini. Agripini-Maruſi. *Secunda-Salſæ-Necæ-Firminæ. Agripina-Mallus*

12 Euacri, & Proſini. *Euagri, & Proſiriæ*

13 Godoba ciuit. *Cordoba ciuit.* Adriani. Fauſti. *Adriani, item Fauſti.* Athanaſio additur titulus *Confeſſoris*

14 deeſt natal. S. Caliſti. Placidis-Aurelij-Iuſti Epiſcopi. *Placidi-Aurliæ-Iuſti Epiſcopi, & Conf.*

15 In Gallia Colonia Agrippini. *In Gallia Colonix Agripieni.* Lupibli. Uia Aurelia. *Luplili via Aurilia*

16 Suſis-Mirei. *Suſſi-Merei*

17 Mariani-Creſcentiani-Memmæ. Yzitiani. *Mariane-Criſcenciani-Mamma, Yzciani*

18 Luci. Victorini-Porta Romana-Agnetis-Pitioli-Boreſi-Victoricis. *Luca, Victorina-Porto Romano-Agnitis-Potioli-Bereſi-Victricis.*

19 Poteolis-Proſdoti, & Nicee Matris eorum-Aſtibuſti. *Potiolis-Prosdoci, & Nica Matris eius-Aſti Buſti*

20 Ponteolis-Dorothei-Euticij-Luci. *Potioli-Dorothæ-Euticis-Lucæ.* Poſt Bermiacum in cod. Bl. deeſt Item Suſſimi. Innuarij. Abundat verò interlinearis additio. *Et eſt dedicatio ſecretarij Andreæ, & Martini in Vuiz.*

21 Modeſti. Eutici. Materi. In cod. Bl. deficit Euticius. Bithini-Macharis-Puteoli-Euticii, & Macharii. *Bittinia-Machari-Puteoli-Euticij.* deeſt Macharius alter.

22 In Atriopoli. *In Atrionopoli.* Poſt Seuerum, in cod. Bl. deeſt. In Tracia item Seueri. S. Legati. *S. Lengati*

24 Flauiani. Iuſti, & Victoris. Omiſſo Victore legit cod. Bl. *Flauini, Iuſti.*

25 Aſthentari-Seſſonis. *Aſteri Cari-Seſſionis*

26 Inter Lucianum, & Forum cod. Bl. addit *Mariani*

Mariani

27 Diudori-Martani-Tarsei. Comini *Diudori-Mariæ-Tarrei, Commini*

28 Mauri[illegible], *Mariane*

29 Sanecincti, *Sancti*

30 Passio Sanctorum Martyrum. *Tussi sunt Martyres*

31 Bonifatii. Casti. Secundi. Gallici-Victorij. Felicissimi. *Bonifacie, Caste, Secunde, Gallicæ-Victorie, Felicissime.* Rustiani-Angelasi. *Rustiani Angelasi.* Post Felicem in cod. Bl. deest alter Donatus. In Italia passio S. Quirini Martyris. *In Gallia passio Sancti Quintini Martyris*

NOVEMBRIS

Die 1. deest in cod. Bl. Lugdunensis depositio S. Genesi-Picrauis ciuit. Festiuitas. *Pictauis Ciuit. dedicatio Festiuitatis.* Iacobi dedicatio, & Iohannis Apostoli. *Dedicatio Basilicæ Iacobi, & Iohannis Apostoli.* In Trancina. *In Terracina.* Inter Sattum, & Octauiam deest Perseuerantius, sicut inter Simplicium, & Cæsarium abundat *Prima.* In Ligonica ciuit. Castrodioni Benigni Primi martyr. *Et Linzonice ciuit. Castro, Dioni, Benigni presbyteri Mare.* Additur in fine post Primum Episcopum *In Sidio Monasterio depositio S. Andomari Confessoris*

2 Poliani *Popliani*

3 Deficit in cod. Bl. dedicatio Basilicæ Sancti Andreæ. Sancti Agricolæ *Sancti Agricole*

4 Secundi. Victorini. Sancti-Amanti. *Secunde, Victorinæ. Beati. Amandi*

5 Epifani. Appiani. Marcis. Eurasi. *Epefani. Appini. Marcis. Euras.*

6 Primi. Dulii. Fortunati. Ianuarii. Forti. & in Tonize-Venericini. Mamiliani. *Prima, Dulie, Furtunate, Ianuarie, Quarte. & in Tonizæ-Venericini. Milsani*

7 Inter Ianuarium, & Optatum deest in cod. Bl. Rogatianus. Primi. *Prime.* In fine additur dedicatio Oratorii S. Angeli in ...

8 Simphronis *Simphroni*

9 deficiunt in cod. Bl. nomina Theodori, & Damiani, & alibi natal. Sanctorum. Et Exurgi-Faustini. *Et Exuorgi-Fausti.* in fine alio charactere additur *& natal. S. Theodori*

10 Anicsi Diac. Eustosi. Donati. Annii. Bonimutoris. *Anicesi Diac. Eostosi. Donate Annibonie. Muntoris*

11 Rauenna Valentini. Erundini. Nisi. Giddini. Bonifatii. Minacæ. Principe Domnecellæ. Clementine. *Rauenna natalis SS. Valentini. Eurnudini. Nisæ. Ygiddini. Bonifacie. Minaci. Principie. Domne Celle, Clementini.* Verano Episcopo additur titulus *confessoris*

12 Theofili. *Thiofili.* Additur in fine alio sed antiquo charactere. *Castro Hunizmburgo militario vno, via Montana dedicatio Oratorij Sanctæ ✠ & Sanctæ Mariæ Virginis anno DCCCIII.*

13 Germanæ-Rotamus-Bricci. *Germani. Rotemus. Bricionis*

14 Et Erach. *Et Eracli in ipso die*

15 In Africa ciuit. Galani. Primigeni. *Africa ciuit. Gelani. Primi. Geni*

16 Vitalis. Ianuarii. Poetiani. *Vitalis, item Ianuarii Poetiani.* Post Secundianum in cod. Bl. deest Martialis. Victoris. Aureliani. Marinæ. Fronloni. Iusti. Aurici. *Victoris. Aurelie. Marine. Fronimi. Iuste. Auricæ.* Post Augustianum in fine deest Iusta in cod. Bl.

17 Syriæ. Gregorii. Dubitatitii. Valentini. *Filie. Gregorie. Dubitati, Tusci, Valentini*

18 Aciseli martyr. hac die colliguntur ibidem. Rosæ. *Aciseli martyr. hac die Rosa ibidem colliguntur.* deest in codice Bl. depositio S. Frigiani

19 deest in cod. Bl. nomen Casteri

20 Messina Ampeli. Maxi. Agapæ. Emereti. *Missina Ampheli. Maxoni. Agapi. Emerici*

21 Zeppiri. Basclisci. Euticii. Demetri. Theodoli. *Zepperi. Basilisce. Eutici. Dimitri. Teodoli*

22 In Afrigia Crisopeni. Demetri. Zeti. *Africa Crisogoni. Item Demetri, Item Zeti*

23 Grisogoni, & Sanctæ Felicitatis. Verociani, & Euticis. Musculæ. *Crisogoni, & Sancti Felicitatis. Verouani, & Euticis. In Alexandria natalis Sancti Episcopi. Musiolæ.*

24 Et Anthiroditi. *Et in Oppido ciuitatis eiusdem Anthirotidi.* Saturni. In Perusia. *Saturi & in Perosia.* in fine additur in cod. Bl. *& nat. Iacobi*

25 In cod. Bl. deest additamentum S. Prosperi, & post Donatum sequitur Quiriacus

26 deficit S. Iocunda, & ad Valerianum Episcopum additur in cod. Bl. *& Confessoris.* deest etiam Ammonius, & pro Victoriana scribitur *Victurinæ*

28 Tropomi. Cuceri. *Thropymi. Euceri*, & in eodem cod. Bl. desideratur Saturninus. Legitur hæc additio in fine, diuerso sed antiquo charactere. *est commemoratio fratrum nostrorum, qui in nostra congregatione obiit sunt.*

29 Ara-

29 Arasonis. Saturnini - Crisanti. *Arosonis, Nani, Saturnini, Crisanti;* post numerum LXXII. additur in cod. Bl. *quorum nomina habentur in libro vitæ. In Gallia Ciuitate, Namtas* pro Nametc. In fine alio antiquo charactere. *Castro Hunizunburgo militario vno in Monte dedicatio Oratory Sancti Pauli Apostoli egregij prædicatoris*

30 Agapiæ - Carinonis - Castori - Theodoli. *Achaia - Carionis - Castoli - Theudoli*

DECEMBRIS

Die 1. Filati - Mamminari. Aleguati - Quintasi - Calendrionis - Fortunati - Scioptati - Nouione. *Falati - Mammari, Alequatæ, Quintasæ - Klē - Fortunatæ - Sancti Optati - Nouiomo*

2 Primiti - Ianuarii, Fortunati - Candidi. Mammeriæ - Donati. Primi. Uictoris. Secundi. Septimi. Maximi. Donati. Saturini. *Primenzi - Ianuarij Vitalrini Fortunati - Candidæ, Mammariæ, Donatæ, Primæ, Victuric, Secundæ, Septimiæ, Maximæ, Donatæ Saturninæ.*

3 deest in cod. Bl. nat. S. Ambrosij, & inter Nicomedienses Martyres Felix.

4 Cristai - Filabi. Vmboni. *Cristiani - Filachi, Vmbuni,* additur in fine. *Longoritomonasterio transitus S. Stramni*

5 Potamiæ - Eusarpion - Briuati. *Potamiæ - Euo carpion - Priuati*

6 Gaddi. *Gatti.* In fine antiquo, & diuerso charactere additur. *Et dedicatio Basilicæ S. Michaellis, & S. Iohannis Baptistæ*

7 Theodoli. *Theodori.* In fine additur. *Romæ Euticiani Episcopi,* qui in codicibus nostris sequentes fastos orditur.

8 deest Romæ Euticiani.

9 Victori - Porphyri - Ianuarij - & aliorum XII. Siluani. Valentini. Marij. Donati. Victorij. Agnelli. Inuentij. Rogati. *Victoris - Purpuri - Ianuariæ - & aliorum XI. - Siluanæ, Valentinæ, Mariæ, Donatæ, Victuriæ, Agnillæ, Inuictæ, Rogatæ*

10 Maggini - Priuati - Germani - Drasonis - Sancti Agricolæ. *Miggini - Priuatæ - Germanæ - Trasonis - Sanctæ Agricolæ*

11 Traxonis - Samnioni, & Meriti - Faustini. *Trasonis - Sammoni, & Emeriti - Fusciani*

12 In Hispania ciuitate Almiriæ Eulaliæ Virginis. *In Spania ciuit. Almeriæ, Eulaliæ Virginis, & Martyris.* & aliorum XII. *& aliorum XXII.*

13 Zyrsioni, & Leucati Episcopi - Luciæ - Sucensi. *Vrsioni, & Leucati Confessoris - Lucæ - Siccesi.* Inter Castum, & Felicem in cod. Bl. deest Paulus. Eggedini. *& Gedini.* Deest etiam Felicianus ante Stercorium. Felici. Donati. Valerij. Colonici. Saturnini. Vrbani - Simplicij. *Felicis, Donatæ, Valeriæ, Coloniæ, Saturninæ, Vrbanæ - Simplicis;* deest etiam Victorius inter Vrbanam, & Simpliciam.

14 S. Luciæ - S. Uiatoris - S. Nigati. *S. Lucæ - S. Victoris - S. Nicasy.* deest in cod. Bl. S. Anastasius. Sacrepias Pedice. *Sucrepi, Aspedæ.*

15 Mathri - Machaomæ - Saturnini. Macrusi. Nini. Restituti - Aurilionis - In Scalona Alei. *Mathers. Machaoniæ - Saturninæ, Macrosæ, Ninæ, Restitutæ - Aurilianis - Ascalona, Ælei.*

16 & altare. *Altaris* - Genesij. *Genisi mart.*

17 & aliorum simul XXIIII. Octosi. Quinti. Victoriæ. *Et aliorum XIIII. simul, Octori, Quinti, Donati,* qui deest in cod. nostro, *Victuria*

18 In Laudocia ciuitate Theotini - Crescimonsitis - Martyris. Honorati - Victori - Tersuri - Ceciliani - Spinucæ - Cecilieni - Namsomonis - Anesthi. *In Laudo ciuitate Theoni - Cresti - Moysitis - Marthyri, Horati - Victuriæ - Tetuti - Caliani.* Deest Victo, & additur inter Rusticum & Lucaniá in cod. Bl. *Basæ - Spinæ Caciliana - Nasamonis - Aresti.* Post Muscum additur etiam *Siddini - Erenei - Penetio - Cosei,* & immutato nonihil ordine Apolloniæ - Victorini - cum alijs CCC. *Æreneæ - Pœnecis - Cusei - Apollinis - Victorinæ - cum aliis XXXI.*

19 Bithiniæ - Cyriaci, Anastasij, & Fiddini Episcopi *Vttiniæ - Cariaci, & alibi Sanctorum Anastasy, & Siddini Episcoporum.*

20 Gildo Baiuli. *Gildoba Iuly, &*

21 Edessæ - Bitanzæ. Zosimi. Secundi - Sibiacis. *Edissæ - Bithanæ, Secundæ, Zosimi, & Siriaci.* deest in cod. Bl. additamentum S. Saluoldi.

22 Sanctorum CCC. Martyrum. *Sanctorum XXX. Martyrum.* S. Theodoræ, & Didimi Monachi. *Sanctæ Theodosiæ Virginis, & Didimi Monachi*

23 Sanctorum CCXLV. Martyrum simul quorum nomina Deus scit. In cod. Bl. valdè numerus imminuitur *Sanctorū XXX. martyrum,* & post supradicta verba adduntur nomina *Sistis Apolloni.* Cleti. Ancleti - & aliorum DCC. similiter, & Calesti. *Cleti - Basillini* pro Basilino - *Aninclitis, & aliorum DCCCXXX. similiter, & Celesti.* Eucaristilli. Basillimi. *Eucharis, Tili, Basilimi.*

24 Thi-

24 Thimisti- Drosi. *Thomisti- Drusi*

25 In Bethleem Natiuitas Saluatoris Domini nostri Iesu Christi. Scribuntur hęc verba in cod. Bl. maioribus, & miniatis literis. Acelli- Ignati- Datilii. *Acellei - Agnati - Datini*

26 deest in cod. Bl. & Apostoli, sed additur diuerso, & antiquo charactere inter lineas. *& est dedicatio ipsius Basilicæ in Hunizemburgo*

27 Et medio Pascha. *& medio Paschæ*

28 Sanctorum Infantium. deest in cod. Bl. & Lactantium, Ancyra Galis - Domitiani - Gatticæ. *Ancyra Galatiæ- Domitiani Diaconi-Gatiæ.* Post Saturninam additur, *Et in Tracia Gaiani, Domiciæ*

29 deest in cod. Bl. & Romæ Felicis. In fine latercüli additur diuerso, & antiquo charactere. *Et est dedicatio Basilicæ Sancti Iohannis Euang. in Hunizimburg.*

30 Donatæ- Policliti- Papiani. *Donati-Policliti Pampiani*

31 Rogati- Ratiaria- Exorcista- Sicilia - Catenensis- Pomiani- Floruli- Quotte- Secundi- Sennionis. *Rogatæ-Ritiaria- Exorcistæ- Siciliæ - Catensi- Pontiani- Floredi. Cottæ- Sci. Senonis.* In fine additur. *Explicit.*

Ex commissione Eminentissimi, & Reuerendissimi D. D. Hieronymi Cardinalis Bonvisii, Episcopi Lucani, & Comitis, &c. Ego infrascriptus legi perquàm seriò, & diligenter *Vetustius Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium &c. Clariss. Viri D. Francisci Mariæ Florentinij Nobilis Lucensis*. In quo non modò nihil reperi, quod Sanctæ Fidei, aut bonis moribus aduersetur; quin potiùs opus mihi videtur exquisita industria factum, & eruditum, ac res omnes rationibus, & authoritatibus probatæ, & clarissimorum virorum sententijs, magno iudicio, egregièque confirmatæ. Quarè iudico dignissimum, vt publicam lucem videat ad plurimorum fructum, & vtilitatem.

Lucæ die 2. Aprilis. Anno Salutis 1663.

Ego Ioannes Franciscus de Podio.

Imprimatur,

Vt ad vniuersalem Christianæ Reipublicæ vtilitatem tantum opus semper viuat, & in memoria aterna sit Auctor, singulari Eruditione, Doctrina, & Prudentia iam celebris.

Flaminius Nobili Vic. Gen.

Vidit Petrus Phamuccius Præpos. Off. I. die 3. Aprilis 1663.

INDEX SANCTORVM.

Qui in hoc Vetuſtiori Martyrologio, ac eiuſdem Notis per dies recoluntur, ordine alphabetico digeſtus, & inclinatiori charactere ex Notationibus diſtinctus.

Aaron Sacerd. 1. Iul.
Abata in N. 24. Mart. p. 396.
Abbacuc 20. Ian. proph. 15. Ian.
Abbanus in N. 2. Ian. p. 220.
Abda 31. Mar.
Abdenago 24. Apr.
Abdus 29. Iul.
Abdis ſiue Abdes 30. Iul.
Abdo 30. Iul.
Aber in N. 1. Aug. p. 693.
Abibon 3. Aug.
Abſalonus 2. Mar.
Abſeodus 29. Iul.
Abſolon 24. Febr.
Abundantius 27. Febr. 1. Mar.
Abundius, ſiue Habundius 23. Aug.
Acacia 29. Mar.
Acacius 30. Mar. 10. Maij. 3. Iul. 9. *Sept. in N. p.* 810.
Accidia 29. Maij.
Aceia Rex 1. Iul.
Aceia virgo 25. Iun.
Acelleus 10. Iul. 11. Iul.
Acellius 25. Dec. 3. Aug.
Achacius 7. Iun.
Achacia 29. Mar.
Achaicus 7. Maij in N. p. 512.
Achanareus 10. Aug.
Achas in N. 1. Aug. 693.
Achellius 11. Maii.
Acheneus 30. Iul.
Achilleus 12. Maj. *In N. 25. Dec. pag.* 208. 10. Sept. diac. 23. apr.
Achillus 8. Sept.
Achillis 12. Maii.
Aciſclus 18. Nou.
Acontius 25. Iul.
Actus 1. Ian.
Actores 23. Feb.
Acucis Rex 1. Iun.
Acuta 2. Ian. 3. Ian. 15. apr. 6. maij.
Acutus 5. ian. 6. ian. 27. mar. 7. ſept.
Acutina 12. apr. 12. apr.
Adauctus 4. oct.
Adauſia 29. aug.
Adeodatus 14. maii.
Adiutor 2. Iun, 17. dec. 18. dec.
Adraſtus 1. mar.
Adria in N. 13. oct. p. 915.
Adrianus 4. mar. 5. mar. 5. mar. 21. iul. 6. ſept. 8. ſept. 13. oct. 6. nou. 7. nou. 13. nou. 16. nou. 10. dec.
Adrianitis 21. iul.
Adrion in N. 17. Maij. 535.
Aduentor 20. nou.
Aduocatus 14. febr.
Æduus Epiſc. in N. 4. Ian. p. 213.
Aenes 17. iun.
Æmilianus Epiſc. in N. 8. Febr. p. 305.
Aeran 18. maij.
Aeretus 11. iun.
Afferodius 30. apr.
Affroditus 12. maij.
Aframius 14. maij.
Afra 14. iun. 6. aug; 10. *Aug. in N. p.* 746. 9. oct. 18. dec.
Afrea 7. aug.
Afrus 5. aug.
Afrigis 21. oct.
Afrodis 28. apr.
Afrodiſius 9. maij. 10. maij. 13. maij
Afroditius 11. iul.
Agape 25. ian. virg. 15. feb. Virg. 8. Aug. Virg. 20. Nou. 17. Feb 10. Mar. 1. Apr. 5. Apr. 1. Iun. *ſeu Charitas 23. Iun. p.* 622. 8. *Aug. in N. p.* 741. 10. Aug.
Agapius 12. Apr. 31. Oct. 28. Apr.
Agapia 31. Maii. 1. Iun.
Agapita in N. 31. Oct. p. 941.
Agapitus 14. Mar. *in N. 14. Ian. p.* 253. 26. Iun. 8. *Aug. in N. p.* 740. 6. Aug. 17. Aug. 17. Aug. 20. Nou. 1. Maii.
Agapitis 21. apr.
Agatha 3. apr. virgo 5. feb. 12. iul.
Agathenis 25. iul.
Agathonus 12. mar. 26. Iun.
Agathonia 30. mar.
Agathonis 4. apr. 5. iul.
Agathopus 2. apr.
Agatus 23. mar. 8. maii.
Agathinus 20. aug.
Agaton 9. feb.
Agatopus 9. aug.
Agazon 12. apr.
Aggeus 4. ian.
Aggeſtus 13. Nou.
Aggius 9. Sept. in N. p. 810.
Agnatus 16. aug.
Agnellus 9. dec.
Agnes 31. dec. virgo 21. ian. virgo 18. oct. 28. ian. 2. dec.
Agnitus 9. iul.
Agretus 8. iul.
Agricola 3. nou. 27. nou. 3. dec. 10. dec. 16. dec.
Agriffa. 13. maii.
Agrippæ Baſilicæ tranſlatio, & dedicatio 13. maii.
Agrippianus 20. iul.
Agrippinus 10. oct. epiſc. 1. Ian.
Agris 13. maii.
Agutianus 6. maii.
Aiaboſus 22. Iul.
Aiaricus 21. apr.
Aiaxius in N. 2. Iul. p. 640.
Aiouius 29. apr.
Albanus 8. aug.
Alba 17. Ian.
Albina 17. feb. 2. iun.
Albinus 22. Iun. 22. *Maij in N. p.* 544. Epiſc. 1. mar. Ep. 15. ſept.
Alciator 21. feb.
Aleus 15. dec.
Alequatus 1. dec.
Alexander 9. feb. 26. feb. 27. feb. 28. feb. 6. mar. 10. mar. 11. mar. 12. mar. 13. mar. 13. mar. 14. mar. 14. mar. 15. mar. 17. mar. 23 mar. *in N. eadem die p.* 394. 24. mar. 24. mar. 24. mar. 25. mar. *in N. 27. Mart. p.* 406. 28. mar. 3. apr. 5. apr. 10. *April. in N. p.* 427. 20. apr. 24. apr. 24. apr. 30. apr. 1. maii. 3. maii. 12. maij. 14. maii. 15. maii. 29. maij. 2. Iun. 6. Iun. 9. iun. 28. iun. 7. iul. 9. iul. 21. iul. 28. iul. 27. aug. 28. aug. 9. ſept. *in N. 9. Sept. p.* 810. 10. Sept. 16. ſept. 1. oct. 17. oct.
Alexandrinus in N. 23. Iul. 678.
Alexius 7. maij.
Alfius 17. nou.
Alitus 23. iun.
Alla in N. 7. Maij p. 514.
Almerida 23. maii.
Alodius Epiſcopus 28. ſept.
Alolanus N. 11. Ian. p. 247.
Aloponius 10. ſept.
Alpheus 17. nou.
Alphius 8. iul.
Alpinianus in N. 30. Iunii p. 636.
Alſolanus 11. ian.
Alternus 31. oct.
Amabilis 20. Iul.
Amacia 17. aug.
Amandus 14. feb. 9. iun. 6. iul. 26. *Oct. in N. p.* 931.
Amantius 15. ian. 11. feb. 6. iun. 4. nou. Epiſc. 4. nou. Ep. 13. nou. 5. nou. 5. dec.
Amarantus 28. oct. 8. nou.
Amarinus 20. iul.
Anaſius 3. iun.
Amator 21. feb. 21. mar. 1. maii. Epiſcopus 26. nou.
Amauxius 1. ſept.
Ambeniarius 28. iun.
Ambonus 1. dec.
Ambroſius 3. dec. Epiſc. 30. nou.
Ambutus 29. ſept. 29. ſept.
Amia 22. feb.
Amella 31. maii.

INDEX

Amefius 7. maii.
Amfelicius 21. apr.
Amida in N. 2. Iulij p. 640.
Amideanus ibidem. Amigradina ibid.
Amius 3. iul.
Amilia 2. iun.
Amininitus 3. iul.
Ammon in N. 1. Maij p. 490.
Aminonius 31. dec. 18. ian. 31. ian. 1. feb. 11. feb. *in N. 7. Febr. p. 304.* 12. feb. 13. feb. 14. feb. *in N. eadem die p. 319.* 19. mar. *in N. 22. Martij p. 393.* 26. mar. 21. mar. 6. apr. 8. *Ap. in N. p. 424.* 3. iul. 30. iul. 8. Sept. 8. sept. 9. sept. 10. sept. 10. sept. Presbyt. 5. oct. 17. nou. 26. nou.
Ammonis 7. feb. 9. feb. 9. feb. 9. feb.
Ammonius in N. 11. Non. p. 963.
Ampamouius 17. dec.
Ampelius 20. non.
Amphamon 28. Iun.
Amphianus 2. apr. 5. apr.
Amphiunus 3. apr.
Ampliatus 26. feb.
Ampodius 1. oct. 14. oct.
Amponius 2. oct.
Ananias 24. apr.
Anastasia 25. dec. 5. ian. 8. ian. 29. iul.
Anastasius 25. dec. 6. ian. *in N. 24. Ian. p. 280.* 11. *Apr. p. 428,* 26. aug. 7. sept. 14. dec. 19. dec.
Anatholius 7. feb. *in N. 20. Martij p. 391.*
Anatholia 9. iul. 10. iul.
Ancia 28. maij.
Anchia 18. apr.
Anchinus Episcopi 27. apr.
Ancius 29. sept.
Ancletus 23. dec.
Andochius 24. sept.
Andreas 7. feb. 22. iul. 22. iul. *in N. 19. Aug. p. 763.* 27. nou. apost. 30. nou. apostol. 9. maij. Eiusdem Basilicę dedicatio 3. nou. eiusdem Episcopatus ordinatio 5. feb. Passio 10. feb. translatio 3. sept.
Andreus 15. maij.
Andrus in N. 12. Mart. p. 375.
Andronucus 5. apr. 13. maij. 27. sept. 9. oct. 10. oct.
Anesius 31. mar.
Angelasius 31. oct.
Angilantius 31. oct.
Anianus Episc. 14. iun. Ep. 19. nou.
Anicetus in mar. 2. Sept. p. 803.
Anicius 11. iul.
Anicitus 10. iul.
Aniesus diac. 10. nou.
Anicius in N. 10. Iul. p. 655.
Animias 7. Iul.
Anitia in N. 10. Maii. p. 522.
Anno in N. 1. Maii p. 490.
in N. 17. Aug. p. 757.
Annius 10. nou.
Annitiodorus 9. aug.

Anonymi

Anni in N. 15. Oct. p. 920.
Centum quadrag. Sept. 3. iun.
Centum quinquag. tres 29. maij. Item 19. sept.
Cent. Septuag. 28. apr. 28. apr.
Cent. Sexaginta quinque 6. aug.
Centum viginti 1. iun.
Cent. viginti tres 30. ian.
Decem 20. feb. 9. aug. 15. iul. 20. iul.
Decem octo 8. sept. 8. iul. 7. iul. 8. nou.
Decem octo cum Socijs 22. ian.
Decẽseptẽ 21. feb. 10. apr. 10. nou.
Ducenti 23. dec.
Ducenti quadraginta 11. apr.
Ducenti septuaginta 16. oct.
Ducenti septuaginta duo 21. oct.
Duc. sexaginta quatuor 1. iul.
Ducenti viginti 30. oct.
Duo 29. apr. 13. maij. 29. apr. 10. ian. 4. iun. 13. mar. 19. apr.
Duodecim 30. apr. 15. nou. 9. dec. 12. dec. 11. ian. 15. feb. 23. feb. 5. mar. 26. mar.
Duodecim mille 21. oct.
Filia Filiæ Episcopi. 4. feb.
Filij Idonij 1. iul.
Filij Septem Eliage 23. aug.
Emiliani 22. aug.
Theodote 2. aug.
Theothæ 2. sept.
Fratres Tres 3. ian.
Fratres Augusti. 7. maij.
Germani Septem 27. iun. 29. maij.
Machabei Septem 1. aug.
Mater Sept. Machab. 1. aug.
Matres lactantes Innocẽtiũ. 28. dec.
Mauri 15. oct.
Milites duodecim 10. iul.
Mil. quadraginta 13. ian.
Mil. quatuor 10. iul.
Mil. quindecim 9. iun.
Mil. septem 5. iun. 11. apr.
Milites nouem 16. ian.
Milites octoginta quatuor 14. febr.
Milites quadraginta 9. mar.
Milites septuaginta 22. aug.
Milites triginta 1. ian.
Milites triginta tres 1. maij.
Multi 19. ian. 7. maij. 30. maij. 11. aug. 14. nou. 11. dec.
Multoum translatio 31. iul. 19. sept.
Nonaginta tres 3. iun.
Nongenti 29. aug.
Nongenti octoginta 29. iun.
Nouem 1. ian. 1. mar. 5. mar. 12. mar. 19. mar. 22. mar. 12. apr. 1. iul. 18. dec.
Octo in N. 31. Oct. p. 940.
Octingenti 4. mar.
Octingenti octoginta nouẽ 22. iun.
Octingenti sex 10. sept.
Octingenti tredecim 22. iun.
Octo 18. mar. 1. iul. 10. sept. 5. dec.
Palatini duo 4. apr.
Parvuli tres 24. ian.
Presbyteri sex 9. iul.
Quadraginta 6. apr. 4. maij. 7. maij. 27. aug. 8. sept. 8. sept. *in N. 24. Nou. p. 997.*
Quadraginta duo 10. mar. 12. apr. 1. iun. 6. maij.
Quadraginta octo 19. oct. 2. iun.
Quadraginta quat. 27. ian. 12. mar.
Quadraginta quinque 25. feb.
Quadrag. quatuor 16. iun. 14. maij.
Quatuor 1. ian. 29. martij. 18. maij. 25. maij.
Quatuordecim 1. feb. 18. ian. 2. apr. 27. maii.
Quindecim 1. feb. 11. mar. 24. mar.
Quingenti quatuor 12. maii.
Quingenti viginti duo 8. sept.
Quinquaginta quatuor 26. feb.
Quinque 16. apr. 10. sept.
Quinque mille 16. feb.
Quinque mille quingenti octog. quinque 22. sept.
Sacerdotes quindecim 31. ian.
Septem 28. maii. 27. apr. 3. iun. 7. iul. 9. ian. 19. mar. 6. apr. 12. apr. 2. aug.
Dormientes in Epheso 10. Aug. p. 746.
Septingenti 23. dec.
Septuaginta duo 28. apr. 29. nou.
Septuaginta octo 23. iun.
Septuaginta quatuor 17. feb.
Septuaginta quinque 1. iun.
Septuaginta sex 2. iun.
Septuaginta tres 2. feb.
Sex 16. ian. 29. apr. 28. iun. 1. iul. 9. iul. 7. aug. 10. aug.
Sexaginta 8. iul.
Sexaginta duo 22. feb.
Sexdecim 4. mar.
Sicilihani 17. *Iul.*
Socij Adriani 13. nou.
Calesti 15. ian.
Calesti 13. aug.
Clementis 23. ian.
Concessi 11. apr.
Cyrini 6. maii.
Demetri 14. aug.
Eleusi 4. sept.
Eustosi 10. nou.
Eutice 25. aug.
Euticiani 15. aug.
Euticiani 23. dec.
Feliciani 30. oct.
Felicis 26. feb.
Ferrucionis 5. sept.
Florentini 31. aug.
Gemelline 29. aug.
Heleutheri 26. aug.
Heracli 14. aug.
Ingenui 5. sept.
Iuliani 12. aug.
Mammite 17. aug.
Optati 31. aug.
Prisci 26. mart.
Quiri 22. ian.

Quottidi 6. sept.
Syrici 23. feb.
Taritoni 3. sept.
Tyrsi 18. ian
Ypoliti 25. aug.
Ziaci 17. aug.
Trecenti 18. dec. 22. dec. 25. mar.
Trecenti decem 9. maii.
Trecenti decem septem 9. oct.
Trecenti triginta 10. oct.
Tredecim 16. ian. 1. iun.
Tres 2. apr. 2. apr.
Triginta 10. aug. 4. oct. 24. nou.
Trginta octo 9. feb. 19. ian.
Triginta quinque 28. ian.
Triginta sex 23. feb. 26. feb. 10. iul.
Triginta tres 4. mar. 24. maii. 30. aug. 14. dec.
Viduæ quadraginta 19. nou.
Viginti 6. maii. 4. iun. 10. iun. 10. feb. 28. sept.
Viginti duo 24. iun.
Viginti octo 22. feb. 31. oct.
Viginti quatuor 1. mar. 24. apr. 30. apr.
Viginti quinque 4. iul.
Viginti septem 4. mar.
Viginti sex 26. feb. 7. aug. 25. sept.
Viginti tres 20. iul. 17. dec. 27. feb.
Virgines quadraginta 24. dec.
Virgines quinque 9. apr.
Virgines septem 15. maij.
Canonica in N. 9. Ap. p. 425. 9. apr.
Vndecim 9. aug. 8. sept. 15. dec.
Vxor Parteni 19. maij.
Ansbertus Ep. 9. feb. 9. mar. 10. mar. 31. mar.
Anteconius 16. nou.
Antemiasius 26. ian.
Anteon 21. maij. 26. maij.
Antheolocus 8. iul.
Antherus in N. 24. Nou. p. 997.
Anthius 26. feb.
Anthimasius 25. ian.
Antiochianus in N. 11. Ap. p. 428.
Anthiocus 14. iul.
Anthirodicus Ep. 24. nou.
Anthis Diac. 8. maii.
Antolianus in N. 6. febr. p. 303.
Anthonius 11. iul. 11. iul. 2. sept. 30. sept.
Antius 7. maii.
in N. 13. febr. p. 314.
Antiga 22. feb.
Antigonus 23. febr. 3. mar.
Antimus 11. maii.
Antineus 31. aug.
Antinogunus 27. feb.
Antiochus Ep. 13. aug.
Antiocus Ep. 13. aug.
Antiquius 8. maii.
Antiquirius 31. aug.
Antolianus 6. feb.
Antonia 12. apr. 2. iun.
Antonius 17. ian. 3. mar. *siue Antoninus in N. 27. Apr. p. 463.* 4. maii. 14. iun. 1. iul. 13. nou.
Antonina 22. feb. 2. iun.
Antoninus 6. ian. 4. mar. 27. apr. 4. maii. 10. iul. 9. aug. 2. sept. 3. sept. 4. sept. 5. nou. 18. dec.
Apamia 18. dec.
Apion 31. dec.
Apodomus 22. ian. 15. apr.
Apollinaris 1. feb. 21. iun. 23. iul. 23. aug. 26. sept. Ep. 5. oct.
Apollo 26. apr.
Apollonius 15. feb. 19. mar. 10. apr. 18. apr. 1. maii. 2. iun. 5. iun. 28. iun. 7. iul. 25. dec.
Apollonia 18. dec.
Apollonis 10. feb. 5. apr.
Apolupius 8. iul.
Appianus 30. dec. 5. nou.
Appia 20. iul.
Aprus 8. iul.
Apricius 3. iul.
Apricis 6. apr.
Aprilis 18. mar. 24. mar. 22. aug.
Apronius 3. iun. 3. iun.
Aprunculus Episcopus 22. apr.
Aptonius 23. mai 25. maii.
Apuleius in N. 23. Sept. p. 827. & 7. Oct. p. 901.
Aquila 23. ian. 17. iun. 1. aug.
Aquilius 16. maii.
aquilina 4. feb. 30. mar.
aquilinus 4. ian. 15. maii. 16. maii. 17. maii. Presb. 27. maii. 27. iul. 17. iul. 18. iul.
Ep. 18. Oct. in N. p. 923.
arabe 13. mar.
arabus 1. iun.
arabia 13. mar.
Aradius in N. 20. Apr. p. 448.
araiacius 20. apr.
arap[illegible]ines 5. sept.
arason 19. nou.
Arata 1. Aug. in N. 693.
aratus 9. feb.
aratonus 12. apr.
Arbata in N. 14. Febr. p. 319. & 6. Iul. 646.
arborus 3. maii.
arburus 12. apr.
arcelladius 28. oct.
arcellaus 15. apr.
archadius episcopus 1. aug.
archanareus 10. aug.
archelaus 11. iul.
archellaus 10. iul.
Archelaus in N. 28. Ian. p. 631.
archetis 6. iul.
Archillæus in N. 5. Sept. p. 811.
archis 15. sept.
archion 15. sept.
arcis 20. aug.
arcilaus 5. maii. 23. aug.
arcilatius 15. apr.
arcillaius 4. mar. 14. apr.
arcontius 5. sept.
arecis 4. iun.
arenus diac. 19. maii.
arestus 3. apr. 3. sept. 18. dec.
arestinus 8. maii.
arfasius 14. feb.
argeus 3. iun.
argirius 1. ian.
arion 8. sept. 23. feb. 22. mar. 20. iun. 18. dec.
arippinus 15. iul.
aristeus 2. iun.
aristoippus 3. sept.
aristolius 5. sept.
ariston 22. feb.
aristonicus 19. apr. 29. apr.
arithon 6. iul.
aritise 18. dec.
arition 23. iun.
Arius in N. 5. Iun. p. 579.
Arixius in N. 2. Iul. p. 640.
armasa 26. ian. 9. feb. *in N. 11. Febr. p. 321.* 14. *febr. p. 319.*
armenia 19. apr.
armigerus 11. iul.
arminia 19. apr. 28. maii.
armulphus in N. 18. Aug. p. 760.
aroazonia 13. apr.
arogantius 21. ian.
arontius 27. aug.
aropion 8. sept.
arpotis 5. iul.
arraxis 9. ian. 7. mar.
artemius 17. maii. 8. iul.
arreon 16. iun.
arthema 26. ian.
arthemius 26. ian.
arthenius 14. feb.
artilasius 3. mar.
aschlinius 30. iun.
asclipius 3. mar.
asclipiades 4. mar. 4. mar. 2. iun.
asclipiodotus 16. mar.
astaxius 2. ian.
asterius 18. ian. 3. mar. 4. mar. 11. *Apr. p. 428. in N.* 23. aug. 25. *Oct. in N. p. 934.*
astesius 28. iun.
asthentharius 25. oct.
astus 23. maii. 19. *Oct. in N. p. 917.*
astibustius 19. oct.
astosius 21. aug.
astura 28. feb.
aterius 20. iul.
athanasius episcopus 13. oct. *in N. 10. Sept. p. 810.*
atheneus 20. iul.
athenogine 24. iul.
ation 12. ian.
atrianus 1. mar. 3. iul.
attalus 31. dec. 4. iun. 6. iun. 13. iul.
attus 27. apr.
atticus 9. oct. *in N. 13. Maij p. 524.* 30. oct. 6. nou.
attilius 2. iun.
auceia rex 28. dec.
audactus 28. mar. 14. maii. 30. aug.
audemus 16. ian.

audosius epiſc. in N. 15. *maij p.* 531.
audifax. 10. ian.
aunachara epiſc. 31. iul.
auentius 15. feb.
auentinus 22. ian.
aufidius 16. oct.
aufidia 6. maii.
augſtregiſſelus epiſc. 20. maii.
augulius epiſc. 7. feb.
auguſtalis epiſc. 7. ſept.
auguſta virgo 28. iul.
auguſtus 29. apr. presb. 6. oct.
auguſtianus 16. nou.
auguſtidunenſis Eccleſiæ dedicatio 31. iul.
auguſtina 8. maii.
auguſtinus 11. ian. ep. 7. maii. 7. maii. ep. 28. aug. 16. nou. 17. nou.
auida 7. maii.
auidius 3. iun.
auitus 11. ian. epiſc. 5. feb. 3. maii. presb. 17. iun. 23. iun. 6. *Oct. in N. p.* 898.
auittia 28. maii.
aulianus epiſc. in N. 31. *Aug. p.* 797.
aureus 20. maii.
aurelius 27. ian. 26. *Apr. in N. p.* 46. 10. iul. 22. aug. 14. oct.
aurelianus 10. iul. 16. nou.
aurius 22. iul.
auricius 16. nou.
auriga 1. ian.
aurilius 24. feb. 25. feb. 18. mar. 26. apr. 3. iun. 12. iun. 12. iun. 11. iul. 21. iul. 21. dec.
aurilla 18. mar.
aurifius 10. iun.
auteritus 10. iul. 11. iul.
auſona 2. iun.
auſterius 18. oct.
auſtrebertana abbatiſſa 10. feb.
auſtrichianus, ſeu ſtratodinianus in N. 30. *Iun. p.* 636.
auſumius 16. maii.
auticius 10. iul.
auxentius 28. iul. 7. aug.
auxilius 21. nou.
azardus 17. iul.
azarias 24. apr.
azatangelus in N. 21. *Aug. p.* 765.

B

Balutius 30. apr.
Bacchus 6. oct.
Baccirius 8. maii.
Bafrobitus 6. maii.
Baianus 1. iun.
Bainus Epiſcopus 20. iun.
Baiulus 20. dec.
Balbina 6. oct.
Baldegunde 10. feb.
Baltamus 6. nou. 7. nou.
Bapticius 8. maii.
Baptiſterii dedic. 29. iun.
Barachus 24. apr. 8. maii.
Barala 15. feb. 18. nou.
Barbalabia 5. mar.
Barbarus 1. iun.
Barbarinus Presb. 2. iun.
Bardumanus 25. ſept.
Barecheus 19. feb.
Baricius 12. apr. 1. iun. 4. oct 6. nou. 16. nou.
Barilia 16. apr.
Barlaamus in N. 16. *Nou. p.* 971.
Bartholomeus 4. aug. apoſt. 13. iun. apoſt. 24. aug.
Barucis 17. apr.
Baſeledes 12. iun.
Baſelius 29. apr.
Baſelidus 28. iun.
Baſeliſca 21. nou.
Baſeliſcus 20. nou.
Baſella 28. feb.
Baſelus in N. 19. *maii p.* 540.
Baſianus 24. feb.
Baſileus 25. dec. 28. aug. 21. nou. 22. dec.
Baſilius 11. feb. 3. mar. 4. mar. 15. *Mart. in N. p.* 381. epiſc. 13. maii, 20. nou.
Baſilianus 11. feb. 18. dec. 18. dec.
Baſilides 10. iun. 9. *Sept. in N. p.* 810.
Baſilia 19. mar. 22. apr. 17. maii. 19. maii.
Baſiliſſa 6. ian. 12. mar. 13. mar. 10. maii.
Baſilla 13. ian. 13. mar. 11. iun. 27. aug. virg. 29. aug. 11. ſept. 22. ſept. 17. oct.
Baſillius 24. ian. 26. aug.
Baſillimus 23. dec.
Baſinius 11. iul. 9. dec.
Baſius in N. 12. *Mart. p.* 377.
Baſſus 19. mar. 13. apr. 29. maii. 18. iul. 20. nou.
Baſſilinus 23. dec.
Baſſion 24. feb.
Baſſamus 9. feb.
Baſſula 17. feb.
Bathiſius in N. 15. *Maii. p.* 531.
Baudelius 20. maii.
Beatus 9. maii. Epiſc. 19. ſept. 10. oct. 21. oct.
Beatrix 29. iul.
Bellacus 2. maii.
Bellus 23. ian.
Bellicus 4. maii *in N.* 22. *Ian. p.* 279. 21. iun,
Benedictus 21. mar. 11. iul.
Benignus 20. mai. *in N.* 17. *Ian. p.* 260. 3. apr. 3. apr. 6. *Iun. in N. p.* 582. 1. nou.
Benonia 29. apr.
Berbea in N. 5. *Sept. p.* 809.
Berina 26. nou.
Bermiacus 20. oct.
Bermia 24. aug.
Berome 8. mar.
Beronicius 19. oct.
Betle 17. iul. *in N.* 18, *Dec. p.* 1034.
Beſſia 17. iul, 28. iul.
Biblis 2. iun.
Bigatius 25. iun.
Bitanza 21. dec.
Bitus 20. ian. 25. ian.
Biturius 17. iul.
Blandinius 2. iun.
Blaſius 17. iun.
Bleſus in N. 16. *feb. p.* 324.
Bolia in N. 21. *Iul. p.* 655.
Bonifatianus 23. nou.
Bonifatia 6. maii.
Bonifatius 31. oct. Ep. 29. dec, Ep. 5. iun. Ep. 4. ſept. 11. nou. 9. dec.
Bonius 10. nou.
Bonolus 18. nou.
Bonoſa 10. maii. 15. iul.
Boreſius Epiſc. 18. oct.
Borthazar in N. 17. *Aug. p.* 757.
Boſonus 27. ian.
Bricius Epiſcopus 13. nou.
Briuatula 2. feb.
Bublaſa 1. iun.
Buddulus 9. oct.
Budentius 29. apr.
Bullodius 1. iun.
Burrus in N. 12. *Oct. p.* 913.
Buſtaſius Presb. 18. maii.
Buſtus in N. 19. *Oct. p.* 927.
Buttarus 12. apr.
Buttus 12. apr.

C

Cacmarius 19. ian.
Cacra 16. oct.
Caianus in N. 11. *Apr. p.* 428.
Caitus 10. oct.
Ca.corus 17. maii.
Caledius 13. mar.
Calendinus 16. apr.
Calendion 31. dec. 31. oct. 31. oct. 30. oct. 15. nou. 17. nou. 20. nou. 21. nou. 1. dec.
Caleſtus 10. ian. 16. *Apr. in N. p.* 449. 13. aug. 12. oct. 14. oct. 23. dec. 16. apr.
Caleſtinus 31. dec.
Caliſta 16. apr. 25. apr.
Callinius 25. *Iul. in N.* 682.
Callenicus 27. ian. 31. ian.
Callinia 26. apr.
Calliſtus 19. ian. 1. ſept.
Calocerus 19. maii. 20. iul.
Calpouia 2. iun.
Camas 4. *Iun. in N. p.* 578.
Camaſius 6. iun.
Camerinus in N. 21. *Aug. p.* 766.
Candedus 5. ian. 11. mar. 15. iun. 10. iul. 17. aug. 29. aug.
Candedianus 7. ian. 14. feb. *in N.* 10. *Nou. p.* 961.
Candedia 10. maii.
Candida 7. ian. 5. iun. 9. *Sept. in N. p.* 810. 28. ſept. *in N.* 3. *Oct. p.* 892. 2. dec.

Candidus 3. ian. 21. ian. 2. feb. 11. iul. 22. sept. 2. oct. *in N.* 7. *Oct. p.* 906. 15. dec. 15. dec.
Candorus 5. dec.
Canisius in N. 16. *Apr. p.* 442.
Canonica Virgines 7. *in N.* 9. *Apr.* 425.
Cantius 28. ian. 31. mart. 17. iun.
Cantiana 17. iun.
Cantianella 31. maij. 14. iun.
Cantianellus 15. iun.
Cantianus 31. maij. 15. iun. 15. iun. 15. iun. 17. iun.
Capelledius 18. mar.
Capiton 23. iun. 27. iun. 24. iul.
Capitulinus 8. mar. 28. iun. 28. iun. 24. aug. 31. dec.
Caprasius 20. oct.
Caralus 21. nou.
Carasius 1. mar.
Carellius 29. maii.
Careticius 12. ian.
Caricia 6. maii.
Carilippus presbyt. 28. apr.
Carinon 30. nou.
Carisius 6. mar.
Carisius 16. apr.
Carisimus 3. mar.
Carita 13. apr.
Caritona 16. apr.
Caritou 24. iul. 25. iul.
Carmianus 23. feb.
Carolapis 8. iun.
Carpa 2. feb.
Carpus 12. mar. Epiſc. 13. apr.
Carpia 27. maii.
Carpiſtus 23. maii.
Carpoforus 8. aug. 9. aug.
Carporus 12. feb.
Carra 1. iun.
Carſius 6. mar.
Carulus 15. apr.
Carus, ſeu Primicarus 23. apr.
Caſus 18. maii.
Caſſericus 6. maii.
Caſſius 30. apr. 6. maii. 1. iun. 20. iul. 30. iul. 9. oct.
Caſſianus 19. ian. 22. ian. Ep. 26. mar. 3. iun. 20. iun. Ep. 5. aug. 12. aug. 13. aug. *in notis* 26. *Nou. p.* 979. 1. dec. 3. dec.
Caſſicus 18. feb.
Caſſia 1. nou.
Caſſon 16. mar.
Caſta 22. feb. 25. feb. 1. iun.
Caſterius 18. nou. 18. nou. 19. nou.
Caſtus 17. feb. 24. feb. 3. mar. 4. mar. 1. *Apr. in notis p.* 412. 27. apr. 8. maii. 22. maii. 2. iun. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 4. ſept. 4. ſept. 1. oct. 2. oct. 5. oct. 5. oct. 31. oct. 13. dec.
Caſtiganius 27. ian.
Caſtinius 21. ian.
Caſtola 1. iun. 22. feb.
Caſtolus 23. ian. 25. ian.
Caſtolinus 12. ian.
Caſtori 28. dec. 16. mar. 28. mar. 27. apr. 7. nou. 8. nou. 30. nou. 19. ſept.
Caſtrenſis in notis 11. *Feb. p.* 311.
Caſtrus 10. iul. 11. iul.
Caſtula 25. ian. 2. feb. 15. feb. 24. mar. 25. mar. 7. maii. 28. maii. 31. maii. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 5. iun. 23. dec.
Caſtulus 12. ian. 12. ian. 15. feb. 16. mar. *in N.* 22. *Maij p.* 544. 2. iun.
Caſtulina 2. iun.
Caſtulinus 1. iun.
Caſſius 30. *Sept. in notis p.* 889.
Caſus in notis 17. *Oct. p.* 913.
Catharina in notis 25. *nou. p.* 998.
Catellinus in notis 25. *nou. p.* 998.
Catina 25. ian.
Catonius 17. mar.
Cato 28. dec.
Cattula 7. maii.
Catulinus 23. apr. Diac. 15. iul.
Catullinus 19. mar.
Cauco 19. apr.
Cautata 17. iul.
Cecilius 7. maii. 17. nou.
Ceciliana 18. dec.
Ceciliauus 22. ian. 18. dec.
Cecilia 8. maii. 2. iun. virgo 11. aug. virgo 16. ſept. virgo 22. nou. 10. dec. 18. dec.
Ceciria 8. iul.
Cedeceſis 9. mar.
Celeanus 24. aug.
Celedonius 29. ſept.
Celedonia 20. iun.
Celeriana 24. ſept.
Celerina 28. ſept.
Celerinus 14. feb. 6. maii. 7. maii. 7. maii.
Celeris 28. feb.
Celeſta 16. apr.
Celeſtis 29. iul. 8. nou. Ep. 14. oct.
Celeſtina 8. maii.
Celeſtinus 22. ian. 27. ian. 17. feb. 2. maii. 2. maii. 4. maii.
Celianus 22. ian.
Celiſtorius 5. ian.
Celledonius 3. mar. 3. mar.
Celſa 28. iul.
Celſus 6. ian. 19. iun. 20. iul. 28. iul. 30. oct.
Celſion 22. ian.
Cendeus 20. ian. 9. mar. 11. mar. 10. maii.
Cendeus 16. iun.
Cenerus 8. maii.
Cenona 12. iun.
Cenion 18. maii.
Cenonus 2. *Iun. in N. p.* 568.
Cenſurius Epiſc. 10. iun.
Centulus 30. nou.
Cerbonius Epiſc. in N. 10. *Oct. p.* 912.
Cereyra in N. 28. *Apr. p.* 466.
Cerarus Epiſc. 7. iun.
Cerealis 3. iul. 4. *Sept. in notis p.* 831.
Cerelina 3. feb.
Ceremonius 21. apr.
Ceruaſius 30. maii.
Ceſariana 21. iul.
Ceſarius 21. apr. Epiſc. 27. aug. 1. nou. 3. nou. 4. nou. 5. nou. 12. nou.
Ceſſius 11. iul.
Ceticius 21. maii.
Cetula 17. feb.
Chariagonus 5. mar.
Chariſtius 6. mar.
Charus 25. *Oct. in N. p.* 934.
Chilbertus Epiſc. 19. apr.
Childeomara 19. iun.
Chindimus 17. iul.
Chionia 1. apr.
Chiriſtus 3. apr.
Chiſta 4. iun.
Chodoaldus Rex 7. ſept.
Chorentius 16. ſept.
Chorus 21. apr.
Chotinion 21. mar.
Chotitia 25. maii.
Chriſtina in N. 15. *Maii. p.* 532.
Chriſius 10. iul.
Chriſtianus 4. dec.
Chriſtina Virgo 24. iul.
Chriſtophorus 25. iul. 24. ſept.
Chritus 1. oct.
Chronia Virgo 5. apr.
Chroniana in notis 20. *febr. p.* 233.
Chryſa, ſive Aurea in N. 3. *Aug p.* 772.
Chudion in notis 9. *Sept. p.* 820.
Chunifius 9. febr.
Cicilus 16. feb.
Ciciliana 21. ian.
Cicilia 1. iun.
Cilicia 31. maii.
Cimaſus 4. iun.
Ciminus 13. ian.
Cinzamus, ſeu Cinnamus in notis 23. *Iun. p.* 621.
Cipeurus 4. mar.
Cipriauus 12. apr.
Ciriacus vide etiam Cyriacus
12. ian. *in notis* 16. *Iun. p.* 598. 20. ian. 21. ian. 1. feb. 9. feb. *in notis* 13. *Feb. p.* 314.
Ciriacitis 8. aug.
Ciricus 3. ian. 3. mar.
Cirillus 9. mar. *in N.* 28. *Iun. p.* 631.
Cirinus Epiſc. 4. iun. *in notis* 25. *Martii p.* 398.
Ciſellus in notis 21. *Aug. p.* 766.
Citinus 8. maii.
Cittinius 21. apr. 27. oct.
Citurninus 25. dec.
Ciuinus 28. iul.
Clacinius in notis 31. *Oct. p.* 942.
Claonius 13. mar.
Claſcerus 13. ian.
Claſſicus 19. feb.
Claudius 20. mar. 30. apr. Epiſc. 12. iun. Ep. 6. iun. 22. aug. 23. aug. 9. *Sept. in notis p.* 820. 8. nou.
Claudianus 24. feb. *in notis* 25. *Febr. p.* 350. 28. febr. 3. mar. 6. mar. 5. apr. 24. oct. 25. oct. 25. oct. 25. nou.

Claudius 3. dec.
Claudia 2. ian.
Claudius in notis 2. ian. p. 220.
Cleasius 9. sept.
Clemens 2. dec.
Clementius 3. apr.
Clementia 12. apr.
Clementinus 14. nou.
Clemens 22. ian. *in N. 30. Dec. p. 213. 23. ian.* Presbyt. 20. *ian.* 30. apr. 15. iun. 27. iun. 18. iul. 25. iul. 9. nou. 14. *Nou. in N. p. 968.* 21. nou. 7. *Dec. in notis p. 1022.*
Clemens in notis 9. nou. p. 959.
Clerus 30. ian. 27. aug. Diaconus 14. ian.
Clericus 10. iul. 11. iul.
Cletus 30. dec. 22. nou. 23. dec.
Clonicus 29. maii.
Clusius Presbyt. 6. apr.
Codomus Diac. 4. maii.
Colondola 24. mar.
Collegius Diac. 28. mar.
Colocerus 28. apr.
Colonica 19. maii.
Colonicus 23. dec.
Colosius 30. apr.
Coleus 9. feb. Diac. 28. mar.
Colouius 20. aug.
Colũbanus Presbyt. 19. oct. 23. nou.
Columba Virgo 31. dec.
Comanus 14. apr.
Comitia 20. apr.
Cominus 11. maii. 27. oct.
Commodus 31. ian. 2. iun.
Comessio 8. Apr. in N. p. 424.
Concellus 9. mar. 12. mar. 23. mar. 8. apr. 9. apr. 10. apr. 21. apr. 22. *May in N. p. 544.*
Concordius 30. apr. 16. dec.
Concordia 17. feb. 22. feb. 6. maii. 2. iun.
Condinos 14. aug.
Conexus 8. apr.
Conus 10. maii.
Conitus 24. apr.
Cosconianus, sive Coscomanus in N. 28. iulii p. 685.
Consentius 10. dec.
Constantius 3. ian. 15. sept.
Constantia 10. maii. 19. sept. 20. sept. 20. sept.
Constantinus 29. ian. Episc. 12. apr. 25. sept.
Coprica 3. apr.
Corion 10. iul.
Choriton 8. aug.
Cornelius 31. dec. 23. ian. Episc. 14. sept. 23. dec. 23. dec.
Cornelia 24. apr.
Cornisius 19. ian. 2. iun. 13. aug.
Cornisianus 3. feb. 8. iul.
Cornilia 30. mar. 20. apr.
Corninsius 22. iul.
Coronata Virgo 24. apr.
Coronatus 25. maii.
Corona 1. ian. 20. feb. 23. apr. 14. maii. *sive Stephanides in N. 14. maii p. 513.*
Cosma 27. sept.
Cocensa 1. iun.
Cotideus 10. maii.
Cotidia 30. apr.
Cottius 22. maii in N. p. 544.
Conuenius 15. feb.
Credulus 13. maii.
Crescentius 7. feb. 25. feb. 19. maii. 28. iun.
Crescentiana 9. aug.
Crescentianus 13. iun. 15. iun. 4. aug. 8. aug. 14. *sept. in notis p. 831.*
Crescentia 24. feb. 4. iun.
Crescens 27. iun. 9. nou.
Crescius 18. dec.
Crestinus 18. iul.
Creta 10. iul.
Cridula 23. maii.
Crinica 10. dec.
Crisanta 22. aug.
Crisantius 29. nou. 30. nou. 29. dec.
Criscentius 29. dec. 7. maii. 7. maii. 1. oct. 10. oct. 10. aug.
Criscentianus 17. feb. 31. maii. 17. oct.
Criscentia 10. aug.
Criscentinus 27. mar.
Criscention 10. aug.
Criscens 3. iun. 31. oct. 1. nou. 1. nou.
Criscouius 15. ian.
Crisinus 21. iun.
Crispus 19. mar.
Crispina 10. aug. 5. *dec. in N. p. 1021.* 10. dec.
Crispinus 12. apr. 12. apr. 18. apr. 19. *apr. in notis p. 448.* 30. apr. 30. apr. 6. maii. 1. iun. 18. iun. 20. iun. 29. iun. 25. oct. 20. nou. 3. dec. 5. dec. 5. dec.
Crispinianus 27. iun. 25. oct.
Crispon 10. maii.
Crispolus 10. iunii. 11. iun. 29. maii. 30. maii.
Cristus 3. iul.
Cristis 8. iun.
Crocus 25. sept.
Crucis Inuentio 3. maii.
Apparitio 18. aug.
Exaltatio 14. sept.
Cruceffius N. 14. ian. p. 253.
Crusio 30. mar.
Cucufates vide Quoquofates
Culleius 21. feb.
Cupsicus 10. sept.
Curentius 18. mar.
Cutesus 28. maii.
Cursolus 10. iul.
Cursicus Presbyt. 30. iun.
Cuscouius 23. feb. 26. sept.
Cusarius 18. dec.
Cyenus 3. iul.
Cyonia 3. iul.
Cyprus 3. iun.
Cyriacites 3. aug. in notis p. 740.
Cyprianus 15. apr. Episc. 14. sept. 25. nou.
Cyriaca 16. mar. 17. mar. *in notis 20. mart. p. 391.* 10. aug.
Cyriacus 25. dec. 13. ian. 31. ian. 11. feb. 14. feb. 22. feb. 2. apr. 7. *apr. in notis p. 423.* 14 *apr. in N. p. 437.* 12. *maii in notis p. 525.* 1. iun. 18. iun. 20. iun. 20. iul. 8. aug. 20. *dec. in notis p. 1025.* 11. dec. 19. dec.
Cyrianus 3. iul.
Cyricus 15. maii. 30. iul. 31. iul. 16. iul.
Cyria 17. iun.
Cyrilla 12. apr. 13. maii. 13. maii. 1. aug.
Cyrillus 20. mar. 8. *martii in notis p. 369.* 10. maii. 10. maii. 29. maii. 3. iul. *in notis 2. iulii p. 641.* Episc. 4. iul. 10. iul. 11. iul. 22. iul. 10. aug. 18. aug. 9. *sept. in notis p. 830.*
Cyrinus 10. iul. *in notis 9. sept. p. 820.* 15. sept.
Cyrion Presbyt. 23. mar.
Cyrionus 10. iul. 11. iul.
Cyrionis 3. iul.
Cyrinus 6. maii.

D

Daama 27. maii.
Dacianus 24. feb. 16. mar. 4. iun.
Dacius 27. ian.
Daconus 31. oct.
Dalmata in notis 11. apr. p. 438.
Dalmatius 11. apr. 5. *dec. in notis p. 1020.*
Damasus 2. iul. Episc. 10. dec.
Damasia 11. apr.
Damasius 29. feb.
Damianus 22. febr. 27. sept. *in notis 8. nou. p. 957.* 9. nou.
Daoatianus 6. aug.
Dandi 7. mar. 7. mar.
Danelus 10. iul.
Dania 21. iul.
Daphrosa in notis 2. dec. p. 1017.
Daria 29. iul. 12. aug. 29. nou.
Darius 12. apr. 19. dec.
Dasius 18. oct. 20. oct. 21. oct. 3. oct.
Dassus 5. aug. 20. nou.
Datus 24. ian. 10. maii. 2. iun.
Datianus 31. maii. 27. feb.
Datica 8. maii.
Datilis 5. dec.
Datiua 21. feb. 8. maii. 10 maii.
Datiuus 28. ian. *in N. 25. dec. p. 208.* 17. feb. 14. mar. 13. mar. 30. *martii in notis p. 409.* 10. maii. 10. maii. 18. maii. 18. maii. *in notis 13. dec. p. 1029.*
Datula 2. iun.

Datulius 18. dec.
Danetus in notis 13. maii p. 528.
Debbuchius 2. dec.
Decima 14. apr.
Decimus 12. apr. *in notis 14. apr. p. 435.*
Declitianus 16. maii.
Decomminus 9. feb.
Decronis 22. maii.
Defensor 17. oct.
Demetrius 30. apr. Diac. 9. apr. 12. apr. 30. *apr. p. 471.* 11. maii 3. iul. 24. aug. 8. sept. 8. sept. 14. sept. 9. nou. Epis. 10. nou. 15. nou. 21. nou. 22. nou. 22. dec.
Demetria 3. iun.
Democritus 31. iul.
Denegorhia 1. oct.
Deocletis 16. iul.
Derecutia in N. 14. maij p. 529.
Desiderius 19. oct. Epis. 23. maii. 7. sept. *in N. 30. Sept. p. 888.*
Dexter 12. apr. 7. maii.
Dicaeus 30. apr.
Diceus 21. oct.
Dicentius 13. feb. 19. nou.
Didalus 18. ian.
Dida 17. nou.
Diddius 24. feb.
Didimus 9. feb. 20. feb. Presbyt. 5. apr. 8. sept. 10. *Sept. in N. p. 823.* 22. dec.
Didunius 10. sept.
Digna 1. oct. 7. *Aug. in N. p. 739.* & 1 *Oct. p. 889.*
Dignus 15. maii. 18. dec.
Dimelus 21. iul.
Dimetrius in N. 2. Decembr. p. 1017.
Dinaris 21. feb.
Dinocius in N. 4. Iun. p. 575.
Diobides 17. nou.
Diocles 24. mau.
Diocletianus in N. 14. Apr. p. 435.
Dioditus 10. iul.
Diodolus 31. mar.
Diodorus 6. mar. 6. mar. 10. *Sept in N. p. 823.* 9. oct.
Diodrus 30. apr.
Diosolus 12. sept.
Diogenes 6. apr. 7. apr. Diac. 15. apr. 16. iun. 17. iun. 26. iun 10 iul. 3. aug.
Diomedes 9. iun. *in N. 17. Apr. p. 444.* 11. iul. 8. aug. 20. aug. 21. aug. 10. *Sept. in N. p. 823.*
Diona 13. mar. 14. mar.
Dionius 13. mar. 13. mar.
Dionina 15. apr.
Dion 10. maii.
Dionysia in N. 15. Maij. p. 532.
Dionisyus, & infra Dionisius 26. dec. 8. feb. 14. feb. Ep. 14. feb. 16. mar. 23. mar. 23. mar. 1. apr. 2. apr. *in N. 18. Apr. p. 445.* 10. maii. Epis. 25. mai. 28. iun. 16. iul. 18. iul. 7. *Oct. in N. p. 906.* Epis. 9. oct. 10. oct. 20. nou.
Dionisinia 28. iun.
Diophius 24. mar.
Dioscodes 9. feb.
Dioscorus 24. feb. 27. apr. 18. maii. 18. maii. 17. iun. 28. iun. 20. aug. 17. dec.
Diseus 17. aug. 17. *Aug. in N. p. 758.* 21. oct.
Disia in N. 17. Aug. p. 758.
Dilmica 16. apr.
Disseus 17. aug.
Dilta 28. iun.
Dindorus 28. feb. 27. oct.
Diudurus 23. feb.
Diugenes 26. mar.
Diuus 12. iul.
Diumsins 1. feb.
Diunisius 27. feb. 17. mar. 18. mar. 31. iul. 9. aug. Epis. 9. aug. Epis. 14. sept. 20. *Sept. in N. p. 846.* Epis. 8. oct. Ep. 9. oct. 20. nou.
Diunisia 17. maii.
Decimus in N. 14. Apr. p. 435.
Doga 3. iun.
Doletatulus 20. sept.
Domata 31. dec.
Domicus 29. dec.
Domicianus 13. mar. 13. mar.
Domicia 28. dec.
Dominanda 31. dec.
Dominicus in N. 29. Dec. p. 252.
Domion Epis. 21. apr.
Dominianus Presbyt. 13. mar.
Domitius 3. iun.
Domicianus 28. dec. 1. aug. 9. *Sept. in N. p. 820.*
Domna Virgo 12. mar. Virg. 14. apr. 2. iun. Virgo 19. oct.
Domnecella 11. nou.
Domnus 18. apr. 10. iul. 10. iul. 11. nou.
Domnina 10. iul. 23. *Aug. in N. p. 770.*
Domninus 30. mar. Epis. 11. apr. 23. *aug. in N. p. 770.* 9. oct. *in N. 3. Nou. p. 949.* 4. nou. 5. nou. 6. nou. 30. nou.
Domulus 6. maii.
Donatius in N. 16. febr. p. 324.
Donata 4. feb. 4. feb. 12. feb. 17. feb. 22. feb. 3. mar. 6. apr. 12. apr. 12. apr. 20. apr. 7. maii. 7. maii. 7. maii. 8. maii. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 3. iun. 7. iun. 8. iun. 17. iul. 18. iul. *in N. 29. Iul. p. 689.* 8. *Aug. in N. 2. Sept. p. 803.* & 16. *Sept. p. 837.* 28 sept. 29. *Sept. in N. p. 884.* & 12. *Oct. p. 913.* 17. oct. 1. nou.
Donatella 1. mar. 12. iun. 30. iul.
Donatellus 6. Octob. in N. p. 898.
Donatianus 25. Iulij in N. p. 681.
Donatus 30. dec. 31. dec. 31. dec. 11. ian. Presbyt. 11. ian. 23. ian. 25. ian. 27. ian. 12. feb. 16. feb. 17. feb. 17. feb. 17. feb. 22. feb. 25. feb. 28. feb. 1. mar. 3. mar. 4. mar. 27. mar. 3. apr. 6. apr. *in N. 7. Apr. 425.* 9. apr. 10. apr. 11. apr. 12. apr. 12. apr. 17. apr. 18. apr. 19. apr. 19. apr. 20. apr. *in N. 20. Apr. p. 249.* 24. apr. 24. apr. 30. apr. 7. maii. 7. maii. 7. maii. 7. maii. 7. maii. 8. maii. 8. maii. 10. maii. 10. maii. 10. maii. 21. maii. 23. maii. 31. maii. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 3. iun. 3. iun. 3. iun. 3. iun. 6. iun. 14. iul. 20. iul. 22. *iul. in N. 676. in N. 1. Aug. p. 696.* Epis. 7. aug. 1. sept. 1. sept. 1. sept. 4. sept. 5. sept. 9. sept. 11. sept. 1. oct. 10. oct. 17. oct. 30. oct. 31. oct. 31. oct. 6. nou. 7. nou. 10. nou. 14. *Nou. in N. p. 968.* 15. nou. 16. nou. 16. nou. 24. nou. 25. nou. 1. dec. 2. dec. 9. dec. 12. dec. 13. dec. 17. dec. 24. dec. 9. nou. 2. dec.
Donatianus 31. maii. 24. maii. 1. iun. 17. feb. *in notis 24. Feb. p. 348.*
Donatiuus 26. feb.
Donator 19. maii. 19. maii.
Donatula 22. feb. 24. feb. 24. feb. 12. apr. 30. iul. 1. aug. 24. sept.
Donnus Epis. in N. 2. Ian. p. 220. in notis 14. Oct. p. 917.
Dontola 2. iun.
Dorimedon 19. Sept. in notis p. 844.
Dormidonus 20. sept
Dorostolus 26. dec. 8. iun. 17. iun.
Dorostorus 25. maii.
Dorotha 20. sept. 6. feb.
Dorothea 12. feb.
Dorotheus 12. mar. 28. mar. Presbyt. 30. apr. 20. oct. 23. oct. 2. *Iunij in notis p. 570.*
Dotherus 21. iul.
Drusius 24. dec.
Dubitatus 1. sept. 2. sept.
Dugdus 30. apr.
Dula 25. mar.
Dulius 6. nou.
Dunetrius 19. sept.
Dunus 12. mar.
Duominus 23. mar.

E

Ebasius 15. feb.
Ebonius 3. maii.
Ebicianus 12. ian.
Ebustius 4. iun.
Edictius 23. nou.
Edistus 12. oct.
Editius 24. feb.
Efimacus 10. maii.
Egdonus Presbyt. 12. mar.

Ege-

Egedinus 13. dec.
Egemonius Episcopus 8. ian.
Egenus 23. dec.
Egia 14. feb. 23. aug.
Egigna 18. maii.
Egodditis 27. ian.
Egrilius 3. nou.
Eladius Episc. 8. maii. 8. iul.
Elaphus 28. iun.
Elarius 27. ian. 13. mar.
Elasius 18. aug.
Elasippus 17. ian.
Elegius Episcopus 1. dec.
Eleutius 8. iul.
Eleusius 4. sept. Presbyt. 7. apr.
Eleutherius 27. sept. Episc. 18. apr. Episc. 6. sept. 2. oct. Diac. 9. oct. 14. nou. 23. dec.
Eliaga 23. aug.
Elianus 22. iul. 9. *Sept. in notis p.* 820. *bis*
Elia 8. iul.
Elladius Episc. 31. aug.
Elorentina 2. iun.
Elpis seu Spes in N. 23. *Ian.* 622.
Emasia in notis 17. *Iul. p.* 668.
Emeliianus 18. ian.
Emerentiana in notis 23. *Ian. p.* 280.
Emerentianitis 16. sept.
Emereta 22. feb. 24. aug. 27. *Aug. in notis p.* 780.
Emeretus 26. iun. 20. nou.
Emeria 6. maii.
Emenon 3. iul.
Emerita 1. maii. 3. iun.
Emeritus 3. iun. 11. iun. 23. iun. 25. iul. 11. dec.
Emeterius 3. mar. 3. mar.
Emilius 22. maii. 28. maii. 18. iun. 18. iun. 20. iun. 20. iul. 20. iul. 26. iul. 26. iul. 16. aug. 17. aug. 28. sept. 5. oct. 5. oct.
Emilianus 8. feb. 9. feb. 30. apr. 30. apr. 10. iul. 11. iul. 18. iul. 21. iul. 22. aug. 31. aug.
Emilia 17. feb. 19. maii. 23. maii. 2. iun. 2. iun.
Emirita 24 iul.
Emonius 14. feb.
Emmerianus in notis 21. *Sept. p.* 851.
Enianus 16. apr.
Enimius 8. iul.
Entatus 17. iul.
Enucculus 13 mar.
Eobanus Episc. in notis 5. *Iun. p.* 581.
Eobotus 22. ian.
Eodomonus 29. apr.
Eodomunus 7. iul.
Eofraxius 11 feb.
Eologius 3. iul. 3. iul. 3. iul.
Eononis 25. ian.
Eorapius 22. apr.
Eothyopus 25. iul.
Epafroditus 7. maii.
Epagarius 22. iun.
Eparcus Episcopus 24. sept.
Epasius 2. iul.
Epegatus 28. maii.
Epicatus 28. maii.
Epictatus 9. ian.
Epictitus 24. ian. 23. maii. 22. aug.
Epiminius 11. maii.
Epion 26. feb. 26. feb.
Epiphanius 5. nou. Episc. 6. apr.
Epitimus 9. feb.
Epititus 25. ian.
Epolitus 30. ian. Episc. 29. ian. 31. ian. 2. feb. 6. aug. 11. sept. 2. nou.
Eppedius Presbyt. 27. apr.
Eppepodius 22. apr. Diac. 13. mar.
Eptatus Presbyt. 24. aug.
Equinius 7. mar.
Erachilius in notis 9. *Sept. p.* 820.
Eracleus 7. iul. 11. oct.
Eraclius 1. ian. 10. mar. 11. *Mart. in notis p.* 372. 26. maii. 26. maii 3. iul. 8. iul. 5. oct. 7. *Oct. p.* 906. 10. oct. 10. oct. 26. oct. 14. nou. 21. nou. 4. dec. 5. dec. 10. dec.
Eraclia 1. iun. 29. sept.
Erasmus 2. iun.
Erberti Episc. translatio 30. apr.
Ercoles 7. maii.
Ereneus 18. dec.
Ericius 13. ian.
Erisogenus 22. nou.
Ermes Exorc. 31. dec. 1. ian. 1. ian. 4. ian. 21. ian.
Ermis Presbyt. 21. ian.
Erous 7. mar.
Erudius 9. feb.
Erulius 10. m[illi].
Erundinus 11. nou.
Eficius 1. iul. 3. iul.
Etius bis in notis 9. *Sept. p.* 820.
Ethemia 26. apr.
Etherius Episcopus 27. iul.
Euactius in notis 9. *Sept. p.* 820.
Euacrius 12. oct.
Euagrius 3. apr. 1. oct. 12. *Oct. in notis p.* 913.
Euancia 27. apr. 1. iun.
Euangelus 13. iul. *in notis* 27. *Maij p.* 554.
Euantius 2. apr. 22. apr. Episc. 12. sept.
Euaristus 23. dec.
Euasius 1. iun. 2. iun. 5. iun. 7. iun. 18. dec.
Euasia 26. apr. 2. iun.
Eucapia 13. apr.
Eucaristus 12. oct.
Eucarpius 25. sept.
Eucerius Episc. 16. nou. 28. nou.
Euchus in notis 11. *Mart. p.* 372.
Eucharistillus 23. dec.
Encolus 8. iul.
Eudemon 8. iul.
Euelpistus 31. dec. *in notis* 21. *nou. p.* 990.
Eufemius 1. maii.
Eufemia 11. apr. 3. iul. 17. aug. Virgo 16. sept. 19. sept. 17. sept. 27. nou.
Eufimia 13. apr. 3. sept.
Eufra in notis 14. *Ian. p.* 253.
Eufrasius 14. mar. Ep. 14. ian.
Eufrasia 13. mar.
Eufrates 25. mar.
Eufrodisius 10. iul.
Eufronius Episcopus 3. aug.
Eufrosius 14. mar.
Eufrosinus Episc. 1. ian. 23. dec.
Eufuchus 18. maii.
Eugenda 2. ian.
Eugenius 3. ian. 11. ian. 23. ian. 24. ian. 1. feb. 12. mar. 20. mar. 27. iun. *Episc.* 6. *Sept. in notis p.* 812. 10. aug. *in notis p.* 746.
Eugenia 3. ian. 16. mar. 11. sept. Virgo 25. dec.
Eugentius 3. ian.
Euglerius 9. iul. 10. dec.
Euitia 24. feb.
Euladius 10. dec.
Eulalia 12. feb. Virgo 30. mar. Virgo 10. dec. 11. dec. Virgo 12. dec.
Eulelia in notis 12. *febr. p.* 314.
Eulodius 21. aug.
Eulogius Diac. 21. ian.
Euminius in notis 12. *Febr. p.* 313.
Euminus 27. oct.
Euminia 27. oct.
Eunomia in notis 7. *Aug. p.* 739.
Eunosius in notis 9. *Sept. p.* 820.
Eunuclius 18. iun.
Eunuchus 11. mar. 28. apr.
Eunuculus 28. feb.
Euoarpion 5. dec.
Euodius 25. apr. *in notis* 2. *Aug. p.* 718.
Euotius 7. ian. 19. iun. 1. sept. Episcopus 7. sept.
Euphemia in notis 11. *Iul. p.* 656.
Euplius 2. sept. 10. sept. 12. sept.
Eupolites in notis 2. *May p.* 492.
Eupolus 12. aug.
Euprepetis 30. nou.
Euprobus 1. oct.
Eurasius 5. nou.
Eusarius 17. non.
Eusebius 28. dec. 5. mar. 5. mar. Episc. 28. apr. Presbyt. 28. apr. 25. maii. Episc. 21. iun. Episc. 1. aug. 14. aug. 4. sept. Episc. 12. sept. Episc. 26. sept. Episc. 2. oct. 8. *Oct. in notis p.* 906. 10. oct. 10. oct. 22. oct. 30. oct. 6. nou. 7. nou. 8. non. 12. nou. Episc. 8. dec.
Eusebij Presbyt. translat. 3. maii.
Euseuius 28. apr.
Eusis in notis 28. *Apr. p.* 467.
Eusschius 1. *nou. in notis p.* 945.
Eustasius 21. ian. 24. ian. Presbyt. 12. mar. Presbyt. 13. mar. 28. maii. 11. iul. 16. iul. Presbyt. 12. oct. 6. *nou. in notis p.* 954. 7. nou. 8. nou.

Euſtatius 20. iul.
Euſtichius 4. ſept.
Euſticius 4. iun.
Euſtorgius Presbyt. 11. apr.
Epiſc. 18. ſept.
Euſtoſius 10. nou.
Euſtucius 7. maii.
Euſtulus Epiſcopus 8. iun.
Eutecis 18. oct.
Euthecaria 28. feb.
Euthecis 13. nou.
Euthetius 24. oct.
Eutus 21. maii.
Eutica 25. aug.
Enticetus 25. dec.
Eutichius 21. nou.
Euticius 7. feb. 3. mar. 4. mar. 12. mar. 27. apr. 8. maii. Diac. 21. maii. 4. iun. *in N. p. 640.* 2. *iul.* 11. iul. 11. iul. 10. aug. 24. aug. 29. ſept. 4. oct. 21. oct. 11. dec. 28. dec.
Euticianus 8. aug. 9. aug. 25. aug. 22. nou. 8. dec. 9. dec. 23. dec.
Euticia 7. maii.
Euticis 20. oct. 21. oct. 23. nou.
Eutimius Diac. 5. maii.
Eutimia 26. Apr. in N. p. 460.
Eutirius 22. feb.
Eutricius Epiſcopus 27. maii.
Eutropia in N. 7. Aug. p. 739.
Euuolus 5. mar.
Excritatus 10. maii.
Expeditus 18. apr. 19. apr.
Expergentius 4. iun.
Expicaſius 28. nou.
Extricata 2. iun. 2. iun.
Extricatus 3. iun.
Exuorgius 9. nou.
Exuperantius 31. dec. 1. iun. 10. aug.
Exuperius 20. mar. 22. ſept.
Exuperia 3. iun.
Exuppius 24. feb.

F

FAbianus 31. dec. Epiſc. 20. ian. 26. ian. 16. feb. 25. maii. 28. iunii.
Falbeus Epiſc. 18. iul.
Falſon in N. 10. Maij p. 522.
Faluens in Notis 18. Iulij p. 671.
Famoſa 8. maii.
Faſilius 30. apr.
Fatorus Presbyt. 23. nou.
Fatuſtina 8. maii.
Fatius in N. 4. Mart. p. 361.
Fauianus 25. ian.
Fauſtaſius 10. iu'. 11. iul.
Fauſtatus 21. ian.
Fauſta 15. mar. 15. apr. 16. apr. 24. apr. 2. iun.
Fauſtus 22. ian. 10. maii. 23. maii. 2. iun. 21. iul. 8. ſept. 8. ſept. 4. oct. 11. oct. 13. oct. 13. oct. 20. nou. 22. nou. 15. dec.
Fauſtina 17. feb. 6. maii. 1. iun. 3. iun. 24. ſept.
Fauſtinus 16. ian. 16. feb. 16. apr. 23. apr. 24. apr. 6. maii. 6. maii. Epiſc. 7. maii. 8. maii. 8. maii. 10. maii. 22. maii. 9. iul. 29. iul. 6. aug. 7. aug. 8. aug. 9. aug. 26. ſept. 28. ſept. 1. oct. 5. oct. 8. oct. 18. oct. 9. nou. 11. dec.
Febus 18. apr.
Fedoſa 1. iun.
Felicius 13. dec.
Feliciana 24. feb. 20. iun.
Felicianus 1. feb. 17. feb. 18. *Martij in N. p. 386.* 5. iun. 9. iun. 9. iul. 21. iul. 29. oct. 30. oct. 11. nou. 13. dec. 18. dec.
Felicia 13. apr. 26. 27. apr. 7. maii. 8. maii. 10. maii. 1. iun. 1. iun. 11. nou.
Felicion 21. mar. 10. maii.
Felix 29. dec. 29. dec. 1. ian. 5. ian. 7. ian. 9. ian. 11. ian. 13. ian. 14. ian. 20. ian. 21. ian. 21. ian. 22. ian. 23. ian. 27. ian. 2. feb. 3. feb. 5. feb. 11. feb. 12. feb. 14. feb. 17. feb. 18. feb. *in N. 23. Febr. p. 238.* 23. feb. 24. feb. 26. feb. 28. feb. 1. mar. 3. mar. 3. mar. 3. mar. 3. mar. 3. mar. 4. mar. 8. mar. 9. mar. 13. mar. 24. mar. 31. mar. 12. apr. 12. apr. 12. apr. 15. apr. 15. apr. 16. apr. 16. apr. 20. apr. 21. apr. 21. apr. 23. apr. 23. apr. 23. apr. Presbyt. 23. apr. 24. apr. 26. apr. 27. apr. 30. apr. 2. maii. 4. maii. 6. maii. 7. maii. 7. maii. 8. maii. 10. maii. 10. maii. 10. maii. 14. maii. 15. maii. 19. maii. 22. *Maij in N. p. 544.* 23. maii. 24. maii. 28. maii. 1. iun. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 3. iun. 5. iun. 11. iun. *in N. 15. Iun. p. 596.* 18. iun. 18. iun. 20. iun. 26. iun. 27. iun. 8. *Iulii in N. p. 648.* 9. iul. 10. iul. 10. 12. iul. 17. iul. 18. *Iul. in N. p. 671.* 20. iul. 21. iul. 26. iul. 27. iul. 29. iul. 29. iul. 1. aug. 2. aug. 6. aug. 8. aug. 9. aug. 14. aug. 22. aug. 27. aug. 29. aug. 30. aug. 1. ſept. 1. ſept. 2. ſept. 11. ſept. 5. *Sept. in N. p. 811.* 14. ſept. 16. ſept. 16. ſept. 19. ſept. 20. ſept. 20. ſept. 24. ſept. 2. oct. 18. *Oct. in N. p. 923.* 24. oct. 25. oct. 30. oct. 31. oct. 1. nou. 1. nou. 6. nou. 11. nou. 11. nou. 13. nou. 20. nou. 22. nou. 23. nou. 25. nou. 3. dec. 3. dec. 4. dec. 5. dec. 9. dec. 13. dec. 17. dec. 18. dec. 22. dec. Epiſc. 22. dec. 23. dec. 23. dec.
Feliciſſima 26. Apr. 5. mart. 2. iun.
Feliciſsimus 24. ian. 24. feb. 16. maii 9. aug. 10. aug. 13. ſept. 31. oct. 24. nou. *in N. 26. Nou. p. 999*
Felicitas 25. dec. 10. ian. 13. ian. 19. ian. 2. feb. 3. feb. 17. feb. 6. mar. 7. mar. 8. mar. 3. iun. 5. iun. 9. iul. 10. iul. 11. nou. 16. nou. *in N. 16. Nou. p. 970.* 17. nou. 18. nou.
Felicula in N. 14. Febr. p. 317. in N. 5. Iun. p. 579.
Feliculus 13. iun.
Felionus 10. maii.
Felippus 10. iul.
Felippianus 30. ian.
Fenonus 9. iul.
Fermus 5. ian.
Ferolus 19. ſept.
Feroli baſ. dedic. 19. ſept.
Ferriolus 5. ſept.
Ferrucion 5. ſept.
Fertulla 1. iun.
Feſtus 17. ian. 19. oct. 21. oct. 1. *Dec. in N. p. 1040.*
Feſtiua 14. iun.
Feuus 7. mar.
Fidelius 23. maii.
Fidelis 23. mar. 23. mar. 30. maii.
Fidentianus 15. nou. 16. nou.
Fidentius Ep. in N. 16. Nou. p. 970.
Fidis 5. oct.
Fidolus Presbyt. 16. maii.
Filabus 4. dec.
Filadius 5. dec.
Filathagonia 6. mar.
Filatius 1. dec.
Filius Epiſcopus 3. ian.
Filibertus 20. aug.
Filia 22. feb. 13. mar. Epiſc. 4. feb.
Filii Martyrum, vide inter anonym.
Filion 18. aug.
Filiſtinus 5. aug.
Filocula 5. iun.
Filocuſius 29. apr.
Filomus Epiſcopus 11. mar.
Filominius 2. iun. 14. nou.
Filonius 11. apr.
Filoron 7. ian. 14. febr.
Filucaſius 29. apr.
Finodius 29. maii.
Firianus 24. apr.
Firmatus Diac. 4. oct.
Firma 30. oct. 11. nou. 15. *Nou. in N. p. 969.*
Firmus 2. ian. 3. ian. 10. ian. 1. feb. 10. mar. 12. mar. 6. apr. 9. 9. *Maii in N. p. 518.* 23. maii. 9. aug. 27. *Sept. p. 878.*
Firmianus 10. mar.
Firminus 9. ian. *Epiſc. in Notis 1. Sept. p. 798.* 10. oct. *in N. 4. Sept. p. 807. & 24. Sept. p. 855.*
Firon 24. mar.
Fiſcianus 29. mar.
Fiſsimarus 26. feb.
Fiſtus 24. iun. 7. ſept.
Flaccus in notis 1. Sept. p. 800.
Flauius 6. maii. 27. Oct. *in N. p. 936.* Epiſc.

Episc. 7. maii. 11. iul. 5. iun.
Flauiana 22. feb. Virg. 4. oct.
Flauianus 24. feb. 24. febr. 22. apr. 2. iun. Episc. 23. aug. 24. oct. 25. oct. 9. Dec. in N. p. 1024. 23. dec.
Flauia 7. maii. 7. maii. 8. maii. 2. iun. 3. iun. 3. iun.
Flauius 22. apr. 25. maii. 24. oct. 5. iun.
Fledius 5. iun.
Floreda 18. mart.
Floredus 18. ian.
Florentinus 30. dec. Episc. 3. ian. 22. feb. 19. mar. 30. apr. 16. maii. 17. iun. 31. aug. 10. oct.
Florentina 2. ian.
Florentius 24. feb. 6. apr. 31. aug. 27. sept.
Florensis 27. oct.
Florus 8. ian. 11. ian. 20. ian. 21. ian. 22. ian. 20. Febr. in N. p. 330. 23. iun. 3. iun. in N. 26. Oct. p. 937. 26. oct. 31. dec. 21. dec.
Floriana 6. maii.
Florianus 4. mar. 24. apr. 4. maii. in N. 4. Maii. p. 499. 6. maii. 9. iul. 5. aug.
Floride in N. 16. Iul. p. 667.
Floridus 14. ian. 19. ian.
Florideus 7. maii.
Floria 30. apr.
Florilus 31. dec.
Florinus 3. mar.
Fluminius 28. maii
Flusculus Episc. 2. feb.
Foca 5. mar. 21. dec.
Focens Episc. in N. 22. Oct. p. 923.
Focis 3. mar. Episc. 14. iul.
Focas in N. 15. Apr. p. 440. in N. 8. Iun. p. 585.
Fontelus 15. ian.
Forentius 15. iul.
Forus, siue Florus 6. ian. 26. oct. 8. ian.
Fortana 24. apr.
Foriga 29. aug.
Formina 2. iun.
Fornus in N. 3. Sept. p. 805.
Forosius 2. feb.
Forrius 6. nou. 4. mar.
Fortunata 17. ian. 22. ian. 22. feb. 24. feb. 26. apr. 26. maii 11. mart. 31. mart. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. ian. 2. iun. 5. iun. 3. iun. 3. iun. 14. iul. in N. 22. Octob. p. 923. 24. octob. in N. 15. Oct. p. 930. 22. nou. 26 nou. 29. dec.
Fortunatus 30. dec. 30. ian. 28. ian. 29. ian. 29. ian. 27. ian. 2. feb. 22. feb. 24. feb. 25. feb. 26. feb. 28. feb. 3. mar. 4. mar. 11. Mart. in N. p. 372. 9. apr. 11. apr. 15. apr. 16. apr. 17. apr. 18. apr. 19. apr. 20. apr. 21. apr. Epis. 25. apr. 25. apr. 3. maii. 3. maii. 6. maii. 6. maii. 7. maii. 7. maii. 8. maii. 8. maii. 19. maii. 21. maii. 26. maii. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 3. iun. 5. iun. 5. iun. 7. iun. Episc. 10. iun. 13. iun. 24. iul. 19. iul. 25. aug. 23. aug. in N. 30. Aug. p. 796. 1. Sept. 9. Sept. 5. Sept. in N. p. 811. 12. oct. 30. oct. 31. oct. 6. nou. 6. dec. 8. dec. 6. dec.
Fortuna 24. apr. 8. maii.
Fortunius 30. mar. 4. mar. 24. apr. 24. apr. 30. apr. 7. maii. 10. maii. 10. mart. 24. maii. 4. iun.
Fortunion 17. feb. 29. feb. 4. mar. in N. 24. Mar. p. 379. 31. maii. 16. mart. 4. iun.
Fortunius 10. maii.
Fotius in N. 28. Iun. p. 631.
Fratres vide inter anonymos.
Fratrensis Episc. 9. iul. Ep. 29. sept.
Fraustinus 26. ian.
Frigianus 18. nou.
Frominus 13. mar.
Frontonus 7. maii. 14. nou.
Fronto 22. ian.
Frontonus 14. apr.
Fructa 16. nou.
Fructus 30. iun. 10. iul.
Fructulus 18. feb. 19. feb.
Fructuosa 15. nou. 16. nou.
Fructuosus 21. ian. Episc. 31. ian. 16. feb.
Frunimus 3. maii. 3. mar. 14. mar.
Fulgentius 5. dec. *in N. 1. Ian. p. 219*
Fulion in Notis 10. Maii. p. 522.
Fulogia 21. ian.
Furius 8. maii.
Fuscianus in N. 10. Dec. p. 1027.
Fuscus 24. apr. 2. iun.
Fustula 6. maii.

G

Gabianus 3. mar.
Gabinius 30. mart.
Gabrius 30. apr.
Gaddus 6. dec.
Gadianus 21. ian.
Gaggius, siue Gaius 2. ian. 15. dec. 31. dec. 4. ian. 19. ian. 21. ian. 20. feb. Episc. 20. feb. 28. feb. 3. mar. 4. mar. 4. mar. 5. mar. *Vt Martyr in N. p. 388.* 2. apr. 6. apr. 18. apr. 19. apr. 22. apr. 2. maii. 7. maii. 8. maii. 13. maii. 1. iun. 3. iun. 3. iun. 5. iun. Pp. 1. iul. 10. iul. 11. iul. 9. aug. 21. oct. 25. oct. 20. nou.
Gagis 3. iun.
Gagilius 28. sept.
Gaius 24. feb.
Galanus 8. dec. 27. feb. 20. apr. 30. apr. 6. mart. 6. maii. 1. iun. 15. iun. 21. iul. 31. aug. 4. sept. 4. sept. 2. oct.
Gaimus 15. ian.
Gaiola 3. mar.
Gaiosa 4. mar.
Gaiola 3. mar.
Gaipen 20. mar.
Gaifucus 4. sept.
Gaius in N. 31. Ian. p. 292. in N. 11. Mart. p. 376. 16. Maii. in N. 534. 9. Sept. in N. p. 820.
Galacius 2. feb.
Galanus 10. iul. 15. nou.
Galatha 13. mar.
Galatus 15. apr.
Galdianus 4. iun.
Galeius 24. ian.
Galicius 7. maii.
Galigorus 29. maii.
Galla 3. mar. 16. apr. 8. maii.
Gallus 17. apr. *in N. 22. Febr. p. 336.*
Gallica 2. iun.
Gallicus 31. oct.
Gallicia 3. ian.
Galligorus 17. maii.
Gallinicius 18. ian. 20. ian.
Gallitus 23. dec.
Gallon 16. feb.
Galogorus 2. mar.
Gamaliels 3. aug.
Gandalicius 22. iun.
Gargilius 24. sept.
Garpentorus 7. aug.
Garporus 30. sept.
Gasimus 10. iul.
Gallula 2. iun.
Garda 18. aug.
Garderius 8. mart.
Gartheus 28. feb.
Gattica 28. dec.
Gaudentius 26. iun.
Gaudentia Virgo 30. aug.
Gaudianus 27. sept.
Gaudius 7. nou.
Gaudola 16. mart.
Gaudolus 12. iun.
Gauna 6. maii.
Gauinus 6. mart.
Gaulienus 31. maii.
Gaurcus Episcopus 11. aug.
Geldardus Episc. in N. 8. Iun. p. 584.
Gebenna 15. nou.
Gegolus 4. feb.
Gelasius 31. ian. 4. feb. 5. feb.
Gema 20. apr.
Gemeblius 15. feb. 21. ian.
Gemella 12. apr. 2. iun.
Gemellianus 15. feb.
Gemellina 1. iun. 1. iun. 29. aug.
Gemellinus 26. aug.
Gemiliana 24. feb.
Gemillinus 27. apr.
Gemina 20. apr. 1. iun.
Geminus 4. ian. 4. feb. 28 feb. 19. maii. 2. iun. 17. Nou. p. 972. *in N.*
Gemmianus 6. apr. 2. iun. 16. *Sept. in N. p. 836.*
Gemmus 4. feb. 10. aug.

Generalis in N. 14. *Sept. p.* 831.
Generolus 18. mar.
Generosa 17. iul. 18. iul. 16. *Sept. in N. p.* 836.
Generosus 15. feb.
Genesius 27. apr. 25. aug. 1. nou. 24. aug.
Genesij bas. dedic. 16. dec.
Genonus 15. ian.
Genosius 27. apr.
Genoueta Virgo 3. ian.
Gentianus in N. 8. *Maij p.* 517. *in N.* 1. *Dec. p.* 1026.
Gentius 29. maii.
Genuarius 19. ian.
Genuinus 9. oct.
Georgius in N. 15. *Nou. p.* 969.
Georgius 3. mar. 23. apr. 24. apr.
Gerarus 13. mar. *in N.* 3. *Aug. p.* 770.
Gerson qui, & Malsius in N. 10. *Oct. p.* 921.
Germinus 31. ian.
Germana 27. apr. 13. nou.
Germanus 19. ian. 9. feb. 26. apr. 27. apr. Presbyt. 29. apr. 29. apr. 2. maii. *alius in N.* 2. *Maij p.* 492. 7. maii. 7. maii. Episc. 28. maii. 31. maii. 31. maii. 1. iun. 1. iun. 3. iul. 18. iul. Episc. 31. iul. 10. *Aug. in N. p.* 746. 22. sept. Episc. 1. oct. 30. oct. 3. nou. 12. nou. 10. dec.
Germani Baptisterii dedic. 25. apr.
Germius 12. feb.
Gerontius 14. ian. 19. ian. *in N.* 23. *Febr. p.* 345. Episc. 6. maii. 9. dec.
Gerusius 19. iun. 28. iul. 30. oct.
Getulla 1. iun.
Gildinus 10. maii. 11. nou.
Gibbanus 3. nou.
Gildardus Presbyt. 24. aug.
Gilfienus 16. apr.
Girtheius 1. mar.
Glaudrosa 8. maii.
Glitherius 8. iul.
Gloriosa 10. maii. 26. iul.
Gloriosus 21. feb.
Goamalus 16. apr.
Goarus in N. 6. *Iul. p.* 646.
Gobanus 6. *Dec. in N. p.* 1022.
Gordianus 3. apr. 9. maii. 10. maii. 11. iul. Episc. 15. sept.
Gorgius 15. apr. 7. maii. 5. *Iun. in N. p.* 579.
Gorgodianus 10. iul.
Gorgonius 3. mar. 10. mar. 12. mar. 10 iul. 2. sept. 9. sept.
Gorgonia 3. iun.
Gosia 1. iun.
Gothia 2. oct.
Gradinus in N. 2. *Iul. p.* 640.
Gradus 22. maii.
Granius 10. apr.
Graphius 22. iun.
Grata 2. iun.
Gratus 29. apr.
Gregorius 2. feb. 4. mar. Episc. 12. mar. 5. maii. 5. iun. 4. nou. 5. nou. 17. nou. Episc. 19. dec. 20. *Dec. in N. p.* 1039.
Grippus 13. maii.
Grippinus 21. feb.
Griscon 23. feb.
Grisogonus 31. maii. 15. iun. 24. nou.
Gaddenes in N. 18. *Iul.* 671.
Gudodianus 24. ian.
Gududus 3. apr.
Guionus 16. maii.
Gummi 14. iul.
Gundinus 17. feb.
Gundonius 8. maii.
Guntherannus Rex 28. mar.
Guouilius 17. feb.
Gurdianus 17. sept.
Gurdinus 28. iun.
Gurgilus 28. sept.
Gurgonius 22. feb. 11. mar. 11. iul.
Gurius 9. feb.
Gypton 17. feb.

H

HAbundius 23. aug.
Heclanus 26. aug.
Hedentius 6. maii.
Hedistus in N. 12. *Oct. p.* 913.
Heladius 19. apr.
Helaus 7. iul.
Helarius 2. feb. 2. feb. 12. mar. 12. mar. 16. mar. 17. mar. 10. apr. 11. apr. Episc. 5. maii. Episc. 7. maii. 5. iun.
Helarianus 4. mar. 6. maii.
Helatia 22. aug.
Helbanus 3. mar.
Helena Virgo 22. maii.
Heleocherius 2. maii.
Heleutherius Episc. 26. aug.
Helus 21. iul.
Helvana Virgo 17. aug. 8. *Iun. in N. p.* 585.
Helias 27. mai. 28. aug. 25. dec.
Helius 19. sept.
Heliodorus 6. maii. 3. iul.
Heliseus Propheta 29. aug.
Hilya 26. dec.
Hemesis 22. ian.
Hepidius 4. sept.
Herachius 5. aug.
Heraclia 12. sept.
Heraclius 12. feb. 15. maii. 17. maii. 28. iun. 3. iul. 5. aug. 14. aug. 14. aug.
Heractius 16. maii.
Herais 28. *Iun. in N. p.* 631.
Herculianus 5. sept.
Herchius 16. maii.
Herema 8. mar. 19. sept.
Heremis 6. maii.
Herena 10. feb. 5. apr. 5. maii.
Herenens 25. feb. 1. apr. 25. maii. 6. maii. 28. iun. 18. iul.
Herenentius 5. aug.
Herenius Diac. 6. apr. Episcopus 28. iun.
Herennius 25. feb. 5. aug.
Herentius 6. maii.
Hereusius 8. maii.
Heribius 5. mar.
Herineus Episc. 6. apr.
Heriffus 2. ian.
Hermemphius 25. apr.
Hermes 14. ian. 28. feb. 1. mar. 25. aug. 27. aug. 28. aug. 28. aug. 18. oct. 22. oct. 30. oct. 2. nou. 3. *Nou. in N. p.* 949.
Hermilius 3. aug.
Hermiporspolmius 14. aug.
Hermis 27. apr.
Hermogenes 2. maii. 6. dec. 17. apr. 19. apr. 25. apr. 27. apr. 3. maii. 1. sept. 13. nou. 9. dec. 12. dec.
Hermogeratus 25. aug.
Hermon 18. maii. 28. apr. 28. apr. 29. apr. 23. aug.
Herolius 15. maii. 2. mar.
Herosius 10. sept.
Herothus 28. iun.
Herotis 23. feb.
Herous in N. 5. *Sept. p.* 809.
Herulius 23. feb. 24. feb.
Herus in N. 24. *Apr. p.* 452.
Hessa 18. iul.
Hestula 12. apr.
Hetor 17. mar.
Heuthecius 7. maii.
Hierapius 26. feb.
Hieria 21. iun.
Hieriphelus 4. mar.
Hierotis 3. mar.
Hilarius vide Hylarius 1. feb. Episc. 13. ian. 9. apr. 17. *Sept. in N. p.* 631. 1. iun. Episc. 10. sept. *Episc. in N.* 25. *Oct. p.* 934.
Hilarinus 16. iul.
Hilarius 19. apr.
Hilion 3. iul.
Hilpidius 27. apr. 25. apr. 2. maii.
Hilpis 3. iun.
Hina 1. iun.
Hinnusticus 27. iun.
Hiperides 21. iun.
Hirmius Diac. 26. mar.
Hispanus 19. ian.
Hius 27. maii.
Hominius 28. mar.
Honorata 2. iun.
Honoratus 19. dec. 1. ian. Episc. 16. ian. 18. ian. 19. ian. 21. ian. 27. ian. 29. ian. 2. feb. 16. feb. 24. feb. 4. mar. 12. apr. 26. apr. 30. apr. 30. apr. 7. maii. 10. maii. 1. iun. 2. iun. 3. iun. 8. iul. 27. aug. 16. nou. 17. dec. 18. dec. 18. dec. 18. dec. Ep. 21. dec. 22. dec.

Honorius

Honorius 30. dec. 5. ian. 6. ian. 16. feb. 5. apr. 30. apr. 10. maii. 31. maii. 19. iun. 14. sept. 21. nou.
Honoria 2. iun.
Honorosa in N. 15. Iul. 663.
Honosia 2. feb.
Honosteus 8. maii.
Horestes 3. iul. 3. iul.
Horminsius 1. iun.
Horosius 19. sept.
Hortasius Presbyt. 18. maii.
Hortensius Episcopus 11. ian.
Hospis 30. iul.
Hugal 21. iul.
Humatus 2. iun.
Humilius 5. dec.
Husandus 27. apr.
Hylarius 2. iun. Episc. 1. nou. PP. 19. sept.
Hysarina 31. dec.
Hylarinus 3. ian.
Hymnarius 6. apr.
Hynus 28. iun.
Hyperechius in N. 5. Iun. p. 579.
Hyromeus 13. mar.
Hysicius 10. sept. *in N. 2. Iul. p. 640.*
Hysidorus 8. sept.

I

Iabellus 24. ian.
Iacentius 10. aug. 9. sept.
Iacintus 18. sept.
Iacob in N. 1. Aug. 693.
Iacobus 30. apr. 6. maj. 20. maii. Episc. 15. iul. 1. nou. 13. nou. Apost. 15. mar. Ap. 1. maii. Ap. 1. maii. Apostol. 25. iul. Eiusdem Apostoli ordinatio 27. dec. Frater Domini 15. mar.
Iacobus Alphei 22. iun.
Iaffer 24. feb.
Iamaracdus 9. aug.
Iamnica 2. iun.
Ianuariana 20. oct.
Ianuaria 25. dec. *in N. 26. Dec. p. 209.* 6. ian. 22. ian. 24. feb. 28. feb. 2. mar. 8. maii. 10. maii. 12. maii. 23. maii. 1. maii. 1. maii. 2. maii. 2. maii. 3. maii. 3. maii. 7. maii. 8. maii. 3. *ian. in notis p. 575.* 17. iul. 18. iul. 27. iul. 11. nou.
Ianuariffa in notis 3. Iun. p. 575.
Ianuarius 28. dec. 5. ian. 7. ian. 11. ian. 14. ian. 22. ian. 22. ian. 22. ian. 11. feb. 14. feb. 15. *Febr. in notis p. 322.* 17. febr. 17. febr. 17. febr. 24. febr. 25. febr. 27. feb. 28. febr. 1. mar. 3. mar. 13. mar. *in notis 15. Mart. p. 381.* 17. mar. 18. mar. 8. *Apr. in notis p. 424.* 12. apr. 12. apr. 13. apr. 17. apr. 18. apr. 24. apr. 7. maii. 8. maii. 10. maii. 10. maii. 10. maii. 10. maii. *in notis 10. Maii p. 522.* 11. maii. 14. maii. 19. maii. 22. *Maii in notis p. 544.* 1. iun. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 3. iun. 3. iun. 9. iun. 10. iun. *in N. 13. Iun. p. 593.* 21. iun. 10. iul. 11. iul. 11. iul. 15. iul. 17. iul. 18. iul. *in N. 18. iul. p. 671.* 10. aug. *in N. 14. Aug. p. 753.* 7. sept. 30. *Aug. in N. p. 796.* 19. sept. 5. *Sept. in N. p. 809.* 29. sept. 1. oct. 5. oct. 8. oct. 11. oct. 13. oct. 17. oct. 18. oct. 19. oct. 20. oct. 20. oct. 27. oct. *in N. p. 936.* 30. oct. 30. oct. 30. oct. 31. oct. 1. nou. 6. nou. 6. nou. 7. nou. 9. nou. 10. nou. 11. nou. 11. nou. 16. nou. 16. nou. 19. nou. 25. nou. 30. nou. 2. dec. 9. dec. 13. dec.
Ianulus 6. mar.
Iason 12. aug. *in N. 11. Iulij p. 657.*
Idsomodes 10. iul.
Idonyus 1. iul.
Ieiacoqimones 4. iun.
Ieronymus Presbyt. 30. sept.
IESV CHRISTI Circûcisio 1. ian.
Crucifixio 25. mar.
Epiphania 6. ian.
Natiuitas 25. dec.
Prædicationis initium 1. maii.
Resurrectio 27. mar.
Transfiguratio in N. 6. Aug. p. 736.
Ignatius 25. dec.
Ignens Dias. in N. 30. Apr. p. 471.
Iminandus 23. feb.
Importuna 6. maii.
Incidius 19. maii.
Iodica 19. maii.
Indicius 20. maii.
Inditius 20. maii.
Ingeniam 2. apr.
Ingenua 15. mar. 18. mar. 19. *May in N. p. 536.*
Ingenuus 11. ian. 13. ian. 2. feb. 26. feb. 5. iun. 5. sept. 11. sept.
Iogenula 17. ian.
Innocentes 28. dec.
Innocentius 28. aug. 4. iul. 7. *Sept. in N. p. 814.* 22. sept. Episc. 21. dec. Episc. 12. mar.
Innocentia 10. aug. 26. nou.
Inpula 24. feb.
Insisius 9. Sept. in N. p. 820.
Iste rquintius 9. ian.
Intrampis 28. feb.
Ioanna in N. 24. May p. 548.
Ioannes 15. feb. 20. apr. 21. apr. 27. *Apr. in N. p. 464.* 8. maii. *in N. 4. Maij p. 500.* 12. maii. 25. maii. 1. iun. 26. iun. 8. iul. 19. iul. 21. iul. 27. aug. 3. *Sept. in N. p. 806.* Apost. 9. maii. *Ante portã Latinã in N. 6. Maij p. 503.* Ap. 25. maii. 9. *Sept. in N. p. 820.* Ap. 2. nou. *Epist. 13. Sept. in N. p. 816.* Euang. 24. iun. *in N. 22. Dec. p. 1042.* Euang. 27. dec. 13. dec. *in N. 21. Dec. p. 1040.* 3. dec. 27. nou.
Ioannes Bapt. 24. iun. Decollatio 29. aug.
Conceptio 24. sept.
Ioannis translatio 3. sept.
Iob Propheta 10 maii.
Iocius in N. 29. Apr. p. 468. 5. *Iun. in N. p. 579. in N. 19. Iul. p. 672.*
Iocunda 10. maii. 27. iul. 26. nou
Iocundianilla in N. 2. Iulii p. 640.
Iocundus 5. ian. 6. ian. 8. ian. 9. ian. 16. feb *in N. 20. Febr. p. 331.* 6. mar. 7. mar. 17. *Mart. in N. p. 384.* 18. *Mart. in N. p. 387.* 26. *Mart. in N. p. 404.* 21. *Apr. in N. p. 452.* 11. *Maii in N. p. 524.* 21. *Maii in N. p. 542.* 23. *Maii in N. p. 546.* 29. *Maii p. 558. in N. 4. Iun. in N. p. 578. in N. 8. Iun. p. 585. in N. 15. Iun. p. 596. in Notis 18. Iul. p. 671. in N. 10. Oct. p. 911.* 30. Apr. *in N. 9. Maii p. 518.* 3. iul.
Iocus in N. 5. Nou. p. 953.
Iocundianus 4. iul. *in N. 28. Maii p. 556.*
Iohandus 22. mar.
Iona 14. feb.
Ionella 16. feb.
Iorgius 2. mar.
Ioseph 10. mar. 24. mar. 2. sept.
Ioseppus 21. mar.
Ioserius 19. mar.
Iouenianus 11. mar.
sive Iouinianus in N. 11. Oct. p. 912.
Iouentius 1. iun.
Iouianus 2. iun. 15. iun. 26. iul. *in N. 2. Dec. p. 1017.*
Iouinus 25. dec. 21. feb. 13. *Maii p. 527.*
Iouiniana 2. iun.
Iouitta 16. feb.
Ipictilus 27. ian.
Ippia 9. feb.
Ippius 9. feb.
Ippolitus 23. feb.
Irenes in N. 5. Apr. p. 419. in N. 5. Iun. 579.
Isacius in N. 15. Maii p. 532.
Isalios in N. 4. Aug. p. 723.
Isicius 3. mar. 31. maii. 15. iun. 17. iun. 18. nou.
Istialus 12. apr.
Italus 6. iun.
Italica 27. iun. 24. aug.
Italicus 7. mar.
Italia 30. iun.
Italius 4. iun.
Iubianus 28. aug.
Iubiani Episc. translatio 25. oct.
Iudas Episc. 1. maii. Ap. 29. iun.
Zelotes 1. iul. 1. *Aug. in N. 693.*
Zelotes 28. oct.

Iudith 6. maii.
Iuinus 16. maii.
Iuliana 27. ian. 2. feb. siue Iuliana 13. feb. 29. mar. Virgo 3. iun. 5. iun. 3. iul. 8. aug. 8. aug.
Iulianus 26. dec. 6. ian. 6. ian 28. ian. 12. febr. 12. *Febr. in N. p.* 313. 14. feb. 24. *Febr. in N. p.* 348. 16. feb. 18. feb. 18. feb. 5. *Martii in N. p.* 362. 9. mar. 13. mar. 16. mar. 16. *Mart. in notis p.* 383. 23. mar. 29. mar. 2. apr. 4. apr. 12. apr. Presbyt. 17. apr. 18. *Maii in notis p.* 356. 23. maii. 23. maii. 25. *Maii in notis p.* 550. 22. iun. 3. iul. *in notis 6. Iulii p.* 646. 11. *Iul. p.* 657. 20. iul. *in notis* 21. *Iul. p.* 675. 25. iul. 26. iul. 9. aug. 9. aug. 12. aug. 12. aug. 21. aug. 25. aug. 28. aug. 31. aug. 1. *Sept. in N. p.* 798. 24. sept. 9. *Sept. in N. p.* 820. *in N.* 5. *Oct. p.* 900. 8. oct. 31. oct. 1. nou. 11. nou. 25. nou.
Iuliani Altaris dedic. 25. apr.
Iuliani traslatio 19. sept.
Iulia 27. feb. 24. feb. 24. feb. 12. apr. 8. maii. 10. maii. 19. maii. 22. maii. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 4. iun. 4. iun. 25. iul. 27. iul. 30. iul. 6. oct. 6. nou. 7. nou.
Iulius 6. ian. 18. ian. 19. ian. 22. ian. *Papa in N.* 8. *Febr. p.* 306. 19. feb. 19. feb. 3. mar. 3. mar. Epiſc. 4. mar. *in N.* 12. *Mart. p.* 374. Epiſc. 23. mar. *in N.* 13. *Mart. p.* 394. *in N.* 4. *Apr. p.* 418. Epiſc. 12. apr. 26. apr. 30. apr. 7. maii. 11. maii. 12. *Maii in N. p.* 524. *in N.* 25. *Maii. p.* 551. 25. *Maii in N. p.* 551. 27. maii. 2. iun. *in N.* 8. *Iun. p.* 585. 28. *Iun. in N. p.* 630. 3. *Iulii in N. p.* 642. 12. *Iulii in N. p.* 659. 24. *Aug. in N. p.* 977. *in N.* 1. *Oct. p.* 890. *in N.* 4. *Oct. p.* 894. 18. *Oct. in N. p.* 923. 19. *Oct. in N. p.* 927. & *p.* 928. *in N.* 11. *Nou. p.* 963. 21. aug. 22. *Aug. in N. p.* 769. 25. aug. 31. aug. *in N.* 2. *Sept. p.* 801. Epiſc. 2. sept. 9. *Sept. in N. p.* 819. 9. oct. 10. *Sept. in N. p.* 813. 7. nou. *in N.* 27. *Nou. p.* 1011. 28. nou. 10. *Dec. in N. p.* 1025. 3. dec. 5. dec.
Iulilius 9. feb.
Iulitta 16. iun.
Iunella 17. ian.
Iunius 3. ian.
Iunula 3. mar.
Iurianus 9. aug.
Iuſippus Diac. 15. feb.
Iuſta 17. feb. 22. feb. 3. iun. 2. iun. 15. iul. 2. aug. 8. *Aug. in N. p.* 1741. 16. nou.
Iuſtinianus in N. 17. *dec. p.* 1033.
Iuſtus 10. ian. 21. feb. 21. feb. 25. feb. 26. feb. 3. mar. 5. mar. 11. apr. 27. *Apr. in N. p.* 464. Epiſc. 1. maii. 4. *Maii in N. p.* 498. 31. maii. 2. iun. 2. *Iun. in N. p.* 568. 3. iun. 3. iun. *in N. 5. Iulii p.* 645. Epiſc. 14. iul. 18. *Iulii in N. p.* 671. 19. iul. 30. iul. 4. aug. 4. aug. *in N.* 22. & 23. *Aug. p.* 769. & 70. 25. aug. 31. aug. *in N.* 9. *Oct. p.* 909. 21. oct. *in N.* 23. *Oct. p.* 931. 24. oct. 1. *Nou. in N. p.* 945. 2. nou. 3. *Nou. in N. p.* 949. 8. nou. 16. nou. 16. nou. 16. nou. *in N.* 10. *Dec. p.* 1017.
Iuſti Epiſcopi traſlatio 14. oct. *puer* 18. *Oct. in N. p.* 923.
Iuſti Baſilicæ dedic. 2. sept.
Iuſtianus 7. maii.
Iuſtinus 27. iun. 30. *Nou. in N. p.* 1016. *in notis* 13. *Sept. p.* 846. *in Notis* 16. *Dec. pagina* 1032. 17. *iul. in N. p.* 668. 17. *Aug. in notis p.* 757. 27. *Sept. in notis p.* 878. 29. *Sept. in notis p.* 884. 18. *Oct. in notis p.* 923.
Iuuenidius 7. maii.
Iuuinianus in N. 24. *Aug. p.* 776.
Iuuentius 9. dec.
Iuuenalis 3. *Sept. p.* 820.
Iuuinius 25. mar. *in N.* 15. *Iun. p.* 596. *in N.* 9. *Sept. p.* 819

K

Kilianus 8. iul.

L

Laborius 6. maii.
Lacius 13. mar.
Lactantes Matres Innocentium 28. dec.
Ladicius 9. aug.
Lambesis 23. feb.
Lamosa 15. maii.
Lampadius 19. iul.
Lampasius 19. feb.
Lamtanus 25. iun.
Lancia 17. aug.
Landebertus Epiſc. 17. sept. Epiſc. 14. apr. eiuſdem Baſilicæ dedic. 1. oct.
Landonus 18. ian.
Largus 17. mar. 8. aug. 9. aug.
Lasa 9. feb.
Latina 2. iun.
Laudate 26. iul.
Laudicius 9. aug.
Laurentius 2. feb. 11. apr. 3. iun. 6. aug. Archid. 10. aug. 23. aug. 24. sept. 18. sept. 2. nou.
Laurianus Epiſcopus 4. iul.
Laurinus in N. 14. *Apr. p.* 437.
Laura 1. iun.
Laurica 31. maii.
Lazarius 11. apr.
Leacius 27. ian.
Leander 27. feb. 25. *Febr. in N. p.* 354.
Lea 28. sept.
Legatus 22. oct.
Legiſſima 27. apr.
Legontius Epiſc. 8. iul.
Leiſardus Præsbyter 3. iun.
Lelius 27. iun.
Lemetius 9. *Sept. in N. p.* 810.
Leocius 7. mar.
Leocippus 10. aug. 10. aug.
Leodecarius 12. feb.
Leodegarius 2. oct.
Leonides 28. iun. 22. apr. 26. apr. 28. apr. 8. aug.
Leoninus 1. mar.
Leo 30. iun. 16. apr. Ep. 22. apr. Ep. 1. iul. 2. oct. Diac. 16. apr. Epiſc. 10. nou.
Leontius 20. ian. 21. ian. Epiſc. 19. mar. 10. iul. 11. iul. 10. aug. 21. aug. 11. *Sept. in N. p.* 824. 15. sept. 2. oct. 22. nou.
Leucatus Epiſcopus 13. dec.
Leucius 11. ian. 17. ian. 18. ian. 20. ian. 13. oct.
Leucon 14. feb.
Leudocius 25. ian. 26. ian.
Leunilla 17. ian.
Leunuca 7. mar.
Leuthius 1. ian.
Liaſtamonus 9. feb.
Liberius 19. apr. Epiſc. 17. maii. Epiſc. 23. sept.
Liberalis 24. apr.
Liberatus 20. dec.
Libius 23. feb.
Libor 22. feb.
Libosius 1. feb. 3. iun. Epiſc. 29. dec.
Licerius Diac. 15. ian.
Lictiſsimus 26. apr.
Lidorida 13. sept.
Licorius Epiſc. 15. sept.
Liuer in N. 16. *Apr. p.* 442.
Legni in N. 27. *Oct. p.* 936.
Longa 28. sept
Longeſa 24. sept.
Longinus 27. iul. *in N.* 23. *Oct. p.* 931. 22. nou.
Longinus 15. mar.
Loquuntas 15. feb.
Lorigius 27. oct.
Lora 16. apr.
Lubricſus 12. ian. 15. apr.
Lucinia 28. dec.
Lucas 13. mar. *in N.* 20. *Mart. p.* 391. 3. iun. *in N.* 3. *Sept. p.* 806. 30 oct. 27. nou. Euang. 21. sept. Euang. 15. mar. Virgo 8. dec.
Lucæ tranſlat. 3. sept
Lucæ Euang. tranſl. 18. oct.
Luceia 24. iun. Virgo 25. iun. 16. *Sept. in N. p.* 836.

Lucella 16. feb. 25. mar. 7. maii. 10. maii. 10. maii. 10. aug.
Lucerius Diac. in N. 7. Iun. p. 242.
Lucerella 13. mar.
Lucieſa in N. 2. Martii. p. 356.
Lucius 8. ian. 19. ian. 19. ian. 21. ian. 7. feb. *in N. 8. Febr. p.* 306. 15. febr. *in N.* 14. *Febr. p.* 319. 24. feb. Epiſc. 2. mar. 4. mar. *PP. in N. 4. Mart. p.* 359. Epiſc. 15. mar. 21. mar. 12. apr. 24. apr. 8. maii. 13. maii. 18. maii. 23. maii. *in N.* 28. *Maii. p.* 556. 2. iun. 6. iun. *in N. 7. Iun. p.* 585. 9. aug. 14. oct. 17. oct. 18. oct. 18. oct. 20. oct. 27. oct. 28. oct. 1. dec. 15. dec.
Luciana 22. feb. 18. maii. Virgo 6. feb.
Lucianus 5. ian. Presbyt. 7. ian. 1. feb. 24. feb. 24. febr. Presb. 24. feb. 18. mar. 15. apr. 16. apr. 16. apr. 28. apr. 28. apr. 30. apr. 30. apr. 27. maii. 2°. maii. 7. iun. 8. iun. 13. iun. 19. iul. 30. iul. 13. aug. 14. oct. 26. oct. 30. oct. 18. nou. 25. nou. 1. dec. 24. dec.
Lucideus 3. ian.
Lucia 1. iun. 3. iun. Virgo 25. iun. Virgo 1. iul. Virgo 13. dec. 14. dec.
Lucillus 19. mar.
Lucina in notis 10. Maii. p. 522.
Lucinus 10. maii. 10. maii. 29. oct.
Luciniranus 23. feb.
Luciola 3. mar.
Luciolus 3. mar.
Luciosa 25. feb. 2. iun. 24. ſept. 28. ſept.
Luciolus 18. maii.
Lucirius 8. ian.
Lucis 18. ian. 4. mar.
Lucus 27. ian.
Lucuſa 10. maii. 21. maii.
Lucuſta 19. maii.
Luddonus 1. oct.
Ludus in N. 5. Nou. p. 953.
Luparius 16. ſept.
Lupus 31. maii. *maii in N. p.* 492. 1. iun. *in N. 15. Iun. p.* 596. Epiſcopus 29. iul. Epiſc. 1. ſept. Epiſc. 14. ſept. 14. oct. *in N. 14. Oct. p.* 917.
Lupicinus Epiſcopus 3. feb. *in N. 3. Mart. p.* 357. 17. *Apr. in N. p.* 421. 27. *Apr. in N. p.* 464. Epiſc. 14. dec.
Luplibius 16. oct.
Luſius 9. feb.
Luſorius 4. nou.
Luratus 18. iul.
Luxorius 24. ſept.
Luxurius 21. aug.
Lyſimachus 3. Sept. in N. p. 810.

M

Macedo in N. 1. Nou. p. 941.
Macedonius 12. mar. 13. mar. Presbyt. 13. mar. 1. nou. 21. nou.
Macedonia 2. apr.
Macellus 6. ſept.
Maceulus 29. apr.
Machabæus 1. Aug. in N. 693.
Machadorus 19. iul.
Machaoma 15. dec.
Macharius 2. ian. 23. ian. 7. apr. 13. apr. 12. apr. 2. iun. 10. iul. 28. iul. 11. aug. *in N. 17. Aug. p.* 767. 11. oct. 8. nou.
Macharia 28. feb. 6. apr.
Machutus Epiſc. in N. 16. Nou. p. 969.
Macharis 21. oct.
Machar in N. 3. Aug. p. 643.
Marianus 15. iun. in notis p. 526.
Macidaleris 22. iun.
Macrobius in N. 13. Iulij p. 660.
Macioſa 2. iun.
Maconius 17. apr.
Macrinius 20. iul. 25. iul.
Macrobius 20. iul. 17. ſept. 7. maii.
Macrotius in N. 1. Nou. p. 946.
Macrufius 25. dec.
Madiaria 26. mar.
Magarius 27. feb.
Magignus 26. ſept.
Maginus in N. 26. Maij p. 553.
Magita 8. ſept.
Magnus 4. feb. 14. feb. 25. feb. *in N. 20. Iul. p.* 174. *in N. 29. Iulij p.* 689. *in N. 9. Aug. p.* 743. 4. ſept. 19. *Aug. in N. p.* 761. *qui & Andreas in N. 19. Aug. p.* 762. 27. *Aug. in N. p.* 781. 5. *Sept. in N. p.* 809. 11. *Sept. in N. p.* 825. 8. *Nou. in N. p.* 957. 16. *Sept. in N. p.* 836. 22. *Oct. in N. p.* 931. 1. *Nou. in N. p.* 944. 3. dec.
Magnilius in N. 31. Oct. p. 942.
Magnilus in N. 1. Sept. p. 798. & 17. *Oct. p.* 923.
Magrinus 17. ſept.
Magropius 6. maii.
Mamicus 13. ian.
Manius 11. maii.
Maiora 1. iun.
Maiorus 1. iun.
Maiorica 29. apr. 29. apr.
Maioricus 6. maii.
Maios 20. maii.
Maiſunus 24. ian.
Maiulinus in N. 19. Apr. p. 447.
Maiulus 10. maii. *in N. 15. Iun. p.* 657.
Malcus 10. maii.
Maliza 28. apr.
Malliſius 10. oct.
Mamilianus 13. ſept. Epiſc. 6. nou.
Mamimarius 14. iul. 31. oct. 6. nou.
Mamma 18. iul.
Mammerius 14. mar. *in N. 5. Iun. p.* 580. 1. nou. 14. nou.
Mammeria 2. dec.
Mamineius 11. maii.
Mammetes 16. iul. 17. aug. 17. aug.
Mamminarius 1. dec.
Mammita 17. aug.
Mamon 9. aug.
Mamyrra 18. feb.
Manaes in N. 24. Maij p. 549.
Manetho, ſive Manius 13. Nou. in N. p. 966.
Manica 13. nou.
Manilius 7. mar. 8. mar. 15. *Mart. in N. p.* 381. 12. apr. 28. apr. 29. apr. 11. maii. 11. maii.
Manilius in N. 27. Nou. p. 1001.
Manuis 27. aug.
Manſuetus 30. dec. 28. feb. 28. mar.
Manymas 21. ian.
Mappalicus 11. feb. 17. apr. 18. apr. 7. maii.
Marandus 18. oct.
Marca 25. apr.
Marcella 10. maii. 3. iun. 28. iun. 28. iun.
Marcellus 17. feb. Epiſc. 16. ian. Ep. 17. ian. 18. feb. 18. feb. 10. apr. 15. maii. Epiſc. 1. iun. 3. iun. 19. iun. 27. iun. 17. iul. 4. ſept. Epiſc. 3. oct. 3. oct. 6. oct. 7. *Oct. in N. p.* 903. 11. oct. 13. oct. 16. nou. 27. nou.
Marcellianus 1. iun. 1. iun. 18. iun. 18. iul.
Marcellina 24. feb. 24. feb. 2. iun. 17. iun.
Marcellinus 3. ian. 16. feb. 30. mar. 2. apr. 6. maii. 7. maii. 1. iun. Presbyt. 1. iun. 2. aug. 23. aug. 6. oct. 9. oct. 10. oct. 26. nou.
Marcellini Epiſcopi translatio, & depoſitio 23. iun.
Marcellona 22. maii.
Marcus 5. ian. *in N. 8. Ian. p.* 243. 6. ian. 16. feb. 16. feb. 19. feb. 13. mar. 18. mar. 12. apr. 13. apr. 1. maii. *Papa in N. 7. maii p.* 537. 1. iun. 1. iun. 8. iun. 18. iun. *in N. 12. Aug. p.* 749. 9. ſept. Euang. 23 ſept. 23. ſept. 25. ſept. *in N. 3. Oct. p.* 893. 4. oct. Epiſc. 6. oct. Epiſc. 7. oct. 30. oct. 16. nou. 16. nou. 20. nou. Epiſcopus 23. nou. 5. dec.
Marcialis 29. apr. 7. maii. 22. aug. 5. oct.
Marciana 5. apr. 26. apr. 28. maii. 28. maii. 2. iun. Virg. 27. aug.
Marcianus 14. feb. 14. feb. 12. mar. 15. apr. 15. apr. 16. apr. 17. apr. 26. apr. 27. apr. 29. apr. 29. apr. 8. maii. 10. maii. *in N. 27. Maij p.* 536. 18. maii. 5. iun.

5. iun. 8. iun. 10. iul. 21. iul. 24. iul. 26. iul. Epiſc. 1. ſept. 19. ſept. *in N.* 3. *Oct. p.* 894. 4. octob. 30. oct. 26. *Oct. in N. p.* 935. 18. nou. 19. nou. 23. nou. 25. nou. *in notis* 23. *nou. p.* 995.

Marcianus 28. feb.

Marcia 20. ian. 3. mar. 6. apr. 14. apr. 14. apr. 20. apr. 24. apr. 8. maii. 2. iun. 8. iun. 18. iun. 21. iun. 13. oct. 25. dec.

Marcius 5. mar. 5. nou.

Marcilius 28. maii.

Marcopus 16. feb.

Marcotus 31. oct.

Marcuſtus 1. maii.

Marcuſius 19. ian. 21. ian.

Mardunus 24. ian.

Mareas 12. mar.

Mariana 10. mar.

Marianus 9. mar 3. maii. 6. maii. 11. iul. 18. aug. 17. oct. 27. oct.

Maricius 2. feb.

Maridagiona 14. iul.

Maria 19. ian. 24. feb. 13. mar. 17. mar. 18. mar 1. *Apr. in notis p.* 422. 10. maii. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 8. iun. 29. iun. 10. aug. 1. nou. 11. nou. 5. dec. 19. dec.

MARIÆ Deip. depoſitio 18. ian.
Purificatio 2. feb.
Annunciatio 25. mar.
Aſſumptio 15. aug.
Natiuitas 8. ſept.
Baſilicæ dedicatio 5. aug.

Marina 17. ian. 22. feb. 6. apr. 6. mai. 1. iun. 8. iun. 12. iul. *in notis. Iul. p.* 645.

Marinus 21. ian. 24. ian. 3. mar. 3. mar. 18. mar. 27. mar. Presbyt. 30. mar. 8. maii. 17. iun. 10. iul. 18. *Iul. in notis p.* 671. 22. aug. 16. nou.

Mariſmus 13. dec.

Marius 16. feb. 20. ian. *in notis 7. Febr. p.* 303. 4. mar. 12. mart. 9. apr. 25. *Maii in notis p.* 549. 18. iunii. 30. oct. 28. ſept. 7. nou. 8. nou. 10. dec. 9. dec.

Maroſius 18. feb.

Marolus 27. mar.

Marona 22. feb.

Maronis 15. apr.

Matrobius 18. feb.

Maroſus 27. ian.

Marſus 26. feb.

Marſius Presbyt. 3. oct.

Marſuus 6. maii.

Martharius 18. iun.

Martha 16. ian. 19. ian. 20. ian. 29. feb.

Martius 18. mar. 3. *Martii in notis p.* 364.

Martia 16. iun.

Martialis 3. ian. 9. ian. 11. ian. 12. ian. 2. feb. 16. feb. 16. feb. 13. mar. 15. apr. 16. apr. *in notis* 16. *Apr. p.* 442. 4. maii. 17. maii. 1. iun. 2. iun. 5. iun. Epiſc. 30. iun. 9. iul. 13. iul. 23. aug. 24. ſept. 28. ſept. 1. oct. 8. oct. 11. oct. 18. oct. 30. oct. 9. nou. 14. nou. *in notis pagina* 968. 15. nou. 16. nou. 16. nou. 25. nou.

Martianus 26. dec. 4. ian. *in notis* 3. *Martii p.* 357. 16. apr. 30. apr. 1. iun. 1. iun. 1. iun.

Martinus 5. mar. Presbyt. 20. apr. 30. apr. 8. maii. Epiſc. 11. maii. 1. iun. 1. iun. 10. iun. Epiſc. 4. iul. 9. aug. Epiſc. 13. nou. 3. dec. baſilicæ dedic. 4. iul.

Martinianus 31. maii. 2. iun. 2. iul. 2. iul. Epiſc. 26. mart.

Martiria 20. iun. 21. *Maii in notis* 563. 3. *Dec. in notis p.* 1019.

Martirius 3. iul. 29. *Maii in notis p.* 558. 17. aug.

Martilla 10. maii.

Maruſius 3. oct.

Maſcula 1. iun.

Maſſa 17. aug.

Maſſedius 23. feb.

Maſſerius 24. feb.

Maſſilia 1. mart.

Maſſilla 6. maii.

Maſtiſius 2. apr.

Maſterius 28. ian.

Maſurus 10. maii.

Matres martyrum. Vide inter anonymos.

Matesius 21. oct.

Matherius 25. dec.

Matricia 23. mar.

Matrona 6. maii 10. maii. 10. maii. 10. maii. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 3. iun. 12. ſept. 15. nou. *in notis p.* 969. 16. nou. 17. nou. 17. nou. 21. dec. 25. dec.

Matronus 22. nou.

Matronides 8. maii.

Matrophilus Epiſc. 3. aug.

Matthæus Ap. 1. maii. Ap. 6. maii. Apoſt. 21. ſept.

Eiuſdem Apoſt. natiuitas 6. oct.

Matthia Ap. 21. maii. *in notis* 28. *Febr. p.* 346.

Maturus 2. iun. 3. iun.

Marutius 29. mart.

Mauritius 22. ian. 4. apr.

Mauentius 24. apr.

Mauius 7. iun.

Mauilus 19. feb.

Maulinus 22. ian.

Maulenus in notis 28. *nou. p.* 970.

Mauorius 2. iun.

Maurella 10. maii. 15. maii.

Maurus 18. mar. 11. *Apr. in notis* 428. 12. apr. 27. apr. 27. apr. 26 maii. 5. iun. 12. aug. 29. aug. 30. nou. 10. dec.

Mauri CCL. Martyres in notis 15. *Oct. p.* 910.

Mauriana 28. oct.

Mauricius 10. iul. 22. iul. 23. ſept.

Maurilion Epiſc. 13. ſept.

Maurinus 1. feb. 27. maii.

Maurinianus 1. feb.

Maiſulus 12. nou. *ſine Mauvillus in N.* 28. *Apr. p.* 466.

Maxentius 24. feb. 6. maii 22. *Maii in N. p.* 544.

Maxus Presbyt. 20. nou.

Maxima 16. feb. 22. feb. 22. mar. 26. mar. 26. mar. 8. apr. 8. maii. 10. maii. 10. maii. 10. maii. 18. maii. 28. maii. 31. maii. 1. iun. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 10. iul. 17. iul. 17. iul. 26. iul. 30. iul. 30. iul. 2. aug. 1. nou.

Maximus 14. feb. 16. feb. 16. feb. 16. feb. 18. feb. 7. apr. 8. apr. 10. *Apr. in N. p.* 417. 11. apr. 14. apr. *in N.* 14. *Apr. p.* 436. 14. apr. 21. apr. 26. apr. 27. apr. 7. maii. 7. maii Presbyt. 8. maii. 8. maii. 12. *Maii p.* 525. *in N.* 13. maii. Epiſc. 29. mart. 1. iun. 1. iun. Presbyt. 9. iun. 10. iul. 10. iul. 16. *Iulii in N. p.* 666. 15. iul. 17. iul. 20. iul. 20. iul. 10. aug. 31. aug. 4. ſept. 4. ſept. *in N.* 16. *Sept. p.* 837. 25. oct. 13. *Oct. in N. p.* 918. 30. *Octobris in N. p.* 939. 18. nou. 19. nou. 21. nou. 21. nou. 23. nou. 24. nou. 2. dec. Presbyt. 15. dec.

Maximianus 2. ian. 14. maii.

Maximiliarius 16. aug.

Maximinus 14. maii. *in N.* 24. *Maii p.* 548.

Mecliarius 8. apr.

Meconius 15. apr.

Medacius 18. *Sept. in N. p.* 840.

Medadulus 20. iul.

Medardus 22. aug. Epiſc. 8. iun.

Medebens 18. *Sept. in N. p.* 840.

Medion 14. maii.

Meen 18. ian.

Mefonius 3. iun.

Meggenus 2. dec.

Melanius 1. nou.

Menaſippus 17. ian.

Melchias 1. iun.

Melciades PP. 2. iul. 9. aug.

Meldagaſius 2. nou.

Melerus 23. iul.

Melitius 9. *Sept. in N. p.* 810.

Meliſius 27. nou. 26. nou.

Melitius Epiſc. 25. ſept.

Mellinus 28. nou.

Mellinus 18. iul.

Meloſa

Meloſa 2. iun.
Meluius 28. iun.
Meminius 26. feb.
Memma 17. oct.
Memmerius 24. apr.
Memmia 8. aug.
Memmius in N. 28. Iun. p. 630.
Memorij Præsbyt. tranſlatio 2. maii.
Mena ſiue Mina in N. 11. Nou. p. 963.
Menalippus 23. feb. *in N. 17. Febr. p. 352.*
Menander 1. aug.
Menedina 26. maii.
Menelaus 3. iul. 3. iul.
Menelampus 18. ian. *in N. 28. Mart. p. 407.*
Menelaurius 23. feb.
Meneo Præsbyt. 13. iul.
Menerius 16. maii.
Menerinus 16. maii.
Meneruius 15. maii.
Meneruinus 31. dec.
Meneſideus 14. iul.
Mengenis 16. maii.
Mennon 22. ian.
Mercurius 6. mar. 26. aug.
Mercius 16. oct.
Mercurius in N. 6. Mart. p. 365.
Merendinus 13. aug.
Mereronius 10. ſept.
Meritus 30. apr.
Meritida 3. apr.
Merobius 3. dec.
Meroclius 30. nou.
Meronius 5. iul.
Merubius 15. ſept. 4. dec.
Meſſor 15. apr.
Metellus 14. ian. 23. dec.
Metorina Virgo 19. apr.
Metrobius 27. oct. 24. dec.
Metrodora Virgo 8. aug.
Metuana 3. iun.
Metunus 2. iun.
Meturius 24. apr. 30. apr.
Mica 16. iun.
Micallus 9. Sept. in N. p. 820.
Michaelis Archang. Baſilicæ dedic. 29. ſept.
Michæas Proph. in N. 15. Ian. p. 255. 17. Nou. in N. p. 974.
Maicion 18. apr.
Migdonius Præsbyt. 22. mar.
Migdunus 22. mar.
Migetia 16. iul.
Miggina 22. apr.
Miggius 4. dec. 10. dec.
Migmias in N. 17. Apr. p. 444.
Migitia 25. iun.
Migonius 22. apr.
Milex in N. 2. Mart. p. 492.
Milius 9. feb.
Miliades Epiſc. 20. ian.
Milianus Epiſc. 16. ian.
Milia 2. iun.
Milion 20. iul.
Miliſa 26. mar.
Miliſana 27. apr.
Militaris 24. iul.
Milites, vide inter anonymos
Militius 8. maii.
Militina 29. apr.
Militon 22. iul.
Milix in N. 30. Iul. p. 690.
Miminus Epiſc. 5. aug.
Mimina 24. ian.
Mimmius 31. oct.
Minaca 22. nou.
Minander 1. aug.
Minates 22. nou.
Mindina 26. maii.
Mina 9. iul.
Minandius in N. 12. Martii p. 374.
Minelampus 15. ian. 29. ian.
Minercius 17. maii. 22. *Aug. in N. p. 769.*
Mineruius 13. aug.
Mingius 15. iun.
Minireus 23. iul.
Minurius in N. 23. Ian. p. 279
Mirella 21. maii.
Mirdanus in N. 12. Mart. p. 376.
Miſach 24. apr.
Miſeliamus 27. ian.
Miſis 20. feb.
Miſſus 5. dec.
Miſsia 27. mar.
Miſſor 24. ian.
Miſſurianus 27. ian.
Miſtianus 27. ian.
Miſurianus 27. ian.
Mittſorus 8. ſept.
Mittorus 4. maii.
Mittunus 8. maii.
Mitunus 1. iun. Præsbyt. 4. maii.
Mizinus 9. dec.
Mocharus 16. iul.
Mochus 3. iul.
Moderata 6. apr.
Modeſta 23. mar.
Modeſtus 12. ian. *in Mira Ian. p. 251.* 9. feb. Præsbyt. 22. mar. 28. *Mart. in notis p. 407.* 6. apr. 15. iun. 14. oct. 21. oct. 22. oct. 23. dec.
Modeſtinus 23. mar.
Modianus 2. ian. 9. iun.
Moeca 10. maii.
Monis in notis 10. Iul. p. 655.
Molaus 24. mar.
Molendſon 19. ian.
Moloſus 1. iun.
Moinminus 30. apr.
Monegundes 2. iul.
Monicia 16. apr.
Monidianus 9. aug.
Monna 26. nou.
Monnus 10. maii.
Monolappus 2. ſept.
Monorgius 16. maii.
Monſius 28. dec.
Montana 23. maii.
Montanus 22. maii. *in notis 24. Feb. p. 348. 23. maii. 3. iul. 22. iul. 17. nou. in notis p. 972.*
Morcentius 22. ian.
Moreus 22. maii.
Moſeus 17. ian.
Moſitis 15. apr.
Moyſes 18. ian. 24. feb. 14. febr. 6. apr. *in notis 22. Aug. p. 765.*
Moyſitis 22. maii.
Mucianus 29. nou.
Mulierus 29. nou.
Multi martyres. Vide inter anonymos.
Munatus Præsbyt. 26. mar.
Muricus 22. apr.
Muſca 27. iun.
Muſcus 28. dec.
Muſcius 29. ſept.
Muſcula 22. apr. 23. nou.
Muſtacius 26. ſept.
Muſtila 2. feb. 28. feb. 22. apr.
Muſtolus 27. oct. 5. iun.
Mutacus 20. maii.
Muciana 8. iun. 26. iul.
Mutianus 22. apr.
Mutor Epiſc. 20. nou.

N

NAbor 22. apr. 22. apr. 24. apr. 8. iun. 22. iun. 22. iun. 20. iul. 26. ſept.
Nabotis 24. mar.
Namſomon 28. dec.
Namor 24. maii. 22. iul. 24. iul.
Namſamonus 5. dec.
Namus in notis 28. Dec. p. 1035.
Naporius 3. iun.
Nappolus 20. maii.
Narciſcus 2. ian. 3. ian.
Naſeus 25. iul.
Naſomoſus 20. maii.
Naualis 26. dec.
Nauarus 26. ſept.
Nauatiahus 29. iun.
Nauida 7. maii.
Nauigius 7. maii.
Nauorius 23. apr.
Nazaria 28. iul.
Nazarius 8. iun. 29. iun. 17. iul. 28. iul. 8. aug. 30. oct.
Neander 26. dec.
Necar Diac. 22. mar.
Necdonis 20. iul.
Nectarius 5. maii. Epiſc. 13. ſept.
Nectanius 22. aug.
Nemanius 20. maii.
Nemeſius 27. iun. 8. ſept. 20. ſept. 9. nou.
Nemfidius 5. ſept.
Nemoratius 5. ſept.
Neocepulus 6. mar.
Neon 17. ian. 23. aug.
Neopolis 2. maii.
Neotherius 8. ſept.
Neporius 3. iun.
Nepos in notis 3. Sept. p. 806.
Nepotianus 7. feb. 22. maii.
Neptunalis 3. iun.

Neracia 20. iul.
Nereus 11. maii. 11. maii. 12. maii. 16. oct.
Nerius 16. nou.
Nericia 12. aug.
Neſtira 20. iul. 20. iul.
Neſtorius 12. mar. 4. maii.
Neſtor 25. feb. 26. feb. 7. mar. 7. mar. 11. apr. 8. iun.
Neucerus 22. feb.
Niandrus 5. iun.
Nicander 17. iun. *in notis* 17. *Maii. p.* 536.
Nicandrus in notis 26. *nou. p.* 999.
Nicaonus 11. iul.
Nica 17. ian. 16. apr. 28. iun.
Nicea 19. oct.
Niceanus in notis 23. *nou. p.* 994.
Niceforus 3. mar. 6. mar. *in notis* 13. *nou. p.* 966.
Niceus 29. aug. Epiſc. 22. iun.
Nicentius 20. ſept.
Niceta 28. iul.
Nicetus 23. dec. Epiſc. 2. apr. Ep. 5. maii. 6. maii. 29. iul. 2. aug 10. ſept. Epiſc. 19. ſept. 10. oct.
Niceti Epiſcopi ordinatio. 19. ian.
Nichanor 5. apr.
Nichodemus 3. aug.
Nichomedus 15. ſept.
Nicia 23. maii. Virgo 28. apr.
Nicodimes in N. 16. *oct. p.* 922.
Nicoforus 24. feb. 1. mar. 27. apr.
Nicoporus 28. feb.
Nicoſtratus 25. mar. 7. nou. 8. nou.
Niderunus 16. maii.
Nigatus Epiſc. 14. dec.
Nigia 16. apr.
Nigorus 6. mar.
Nigrandus 5. iun.
Nigrus 8. maii.
Niſus 19. ſept. 19. ſept.
Niſianus 27. iun.
Nimiſinus 10. ſept.
Nimphadoba 13. mar.
Nimpodora 13. mar.
Nina 24. feb. 6. maii. 8. maii. 8. maii. 10. maii. 10. maii. 2. iun. 2. iun. 2. iun.
Ninus 17. oct. 15. dec.
Ninna 8. maii.
Ninnita 4. iun.
Nirouicus 10. iul.
Niſus 11. nou.
Niſitheus 13. mar.
Niuicta 24. feb.
Niuitus 15. iun.
Nobilis 25. apr. 24. ſept.
Nobilitana 17. oct.
Nocerus in N. 27. *Oct. p.* 956.
Noconus 27. oct.
Noe egreſſio de Arca in N. 26. *Apr. p.* 461.
Nomenſis 30. apr.
Nomerius 27. nou.
Nomidianus 9. aug.
Nominanda 31. dec.
Nominata 2. iun.
Nondinarius 2. iun.
Nonna 17. mar. *in N.* 23. *Apr. p.* 451. 23. maii. 28. maii.
Nonnius 16. mar. 25. iul.
Nonnicia 28. iun.
Nonnina 20. iul.
Nonnus in N. 17. *Iul. p.* 668.
Nonunus 21. mar.
Noſtinus 10. iul.
Nouantianus 27. iun.
Nouaſius 6. iul.
Nouella 12. apr. 1. iun. 1. iun. 1. iun.
Nouellus in N. 11. *Nou. p.* 963.
Nucius 15. iun.
Nundinarius 16. feb.
Nundinus 2. iun. 31. oct. 31. oct.
Nuſca 20. maii.
Nuuius 9. oct.

O

Obercius 3. iun.
Obtacus 12. apr.
Orcarus 7. mar.
Occominus 11. feb.
Octanus 18. ſept.
Octauius 28. dec. *in N.* 5. *Martij p.* 362. 15. mar. 1. iun. 10. iul. 11. iul. 11. nou. 20. nou.
Octauianus 17. feb 7. maii.
Octauia 15. apr. 1. nou.
October 2. iun.
Octorus 17. dec.
Octubrius 28. maii.
Odemara 7. maii.
Dioſcorus 18. iun.
Olius 27. aug.
Onion 9 aug.
Opinion Præsbyt. 12. oct.
Oppolitus 21. aug.
Optata 1. iun.
Optatus 22. ian. 12. apr. 14. apr. 14. apr. Epiſc. 3. aug. 7. nou.
Optati Epiſc. tranſlatio 2. maii.
Option 30. iul.
Oraſius 3. iun.
Oratius 20. apr. 2. iun.
Orator Præsbyt. 21. apr. *ſine Arator in N.* 6. *Iunij* 646.
Orbana 12. feb. 12. apr. 12. apr. 19. maii. 19. maii. 19. maii.
Orbanella 10. dec. 10. dec.
Orbanus 4. apr.
Orbanilſus Epiſc. 8. mar.
Oroicus 5. iun.
Oridion 9. febr.
Orion 22. ian. 22. ian. 9. feb. 10. feb. *in N.* 18. *Febr. p.* 319. Diac. 12. mart. 28. iun. 28. iun. 1. iul. 16. aug. 17. aug. 18. aug. 19. ſept. 20. nou.
Oriſius 28. iun.
Oroponus 10. ſept.
Oroſcus 8. ſept.
Oroſius 30. dec.
Orphanus 9. feb.
Orphaſius 24. feb.
Ortiſianus 17. ian.
Orus 24. feb.

P

PActa 13. mar.
Padis 29. apr.
Pafenius 3. iul.
Paſia 16. ſept.
Pagara 29. apr.
Pagatus 1. iun.
Palamarcius 5. mar.
Palatus 22. feb. *in N.* 5. *Mart. p.* 364 6. iul.
Palatinus 22. feb. 24. feb. 4. mar. 5. mar. 10. mar. 10. mar. 30. mar. 7. maii. 30. maii.
Paleus 19. ſept.
Paleſtinus 2. iun.
Pallachius Epiſc. in N. 8. *Maij p.* 516.
Palladius 7. ian. 24. feb.
Palmus 18. maii.
Palpetrus 24. feb.
Pambon 28. iun. 5. *Iunii in N. p.* 579.
Pamphilius, vel Pamphilus. 2. feb. 16. feb. *in N.* 17. *Febr. p.* 327. 5. mar. 18. apr. 20. aug.
Pamphilus in N. 17. *Maii p.* 536.
Pamphamon in N. 17. *Maii p.* 556.
Pampina 16. mar.
Pampirius 9. feb.
Pamporius 28. mar.
Pamaephius 10. ſept.
Pancratius Epiſc. 3. apr. 5. apr. 12. mart. 12. maii. 8. iul.
Panemodius 10. ſept.
Panetius 8. ſept.
Pannus 28. iun.
Pantaleon 26. iul. 28. iul.
Pantalimonus 23. apr.
Panta nonius præsbyt. 18. maii.
Panterus 18. maii. 18. maii. 1. apr. 18. maii.
Panuberus 28. iun.
Papa, ſine Papates. 28. iun.
Paperus 24. oct.
Papeuſa 18. dec.
Paphiis in N. 16. *Sept. p.* 837.
Paphilus 2. iun. 30. iun.
Papianus 30. dec.
Papia 25. ian. 25. ian. 9. feb. *in N.* 24. *Febr. p.* 349. 28. feb 3. mar. 6. mar. 20. apr. 21. apr. 22. apr. 27. apr. 14. *Iul. in N.* 661. 16. ſept.
Papilla in N. 14. *Iul.* 661.
Papirus 25. oct.
Paſiſcus 18. dec.
Papo 3. iun.
Pappalicus 6. maii.
Paraſceues in N. 20. *Mart. p.* 391.
Pardus in N. 5. *Nou. p.* 954.
Parent 5. nou.
Parilli in N. 18. *Mart. p.* 386.
Parimidus 19. ſept.
Parmidiſ-

Parmidifeus 14. aug.
Parminius 7. iul.
Parnus 7. iul.
Parta 13. mar.
Partenius 19. maii. 1. apr. 18. apr. 7. iul. 7. iul.
Partialis 16. apr.
Partifrigia 13. mar.
Partimus 20. iul.
Partinius 19. maii.
Paſcentius 9. dec.
Paſſamon 14. feb.
Paſſa 13. apr.
Paſſemius 3. iun.
Paſſer, ſive Paſſerius in notis 30. *Iul. p.* 674.
Paſſeria 30. iul.
Paſſus 21. dec.
Paſſicus 1. oct.
Paſſimus 28. iun.
Paſsimonius 29. maii.
Paſtephius 28. iun.
Paſtinus 1. apr.
Paſtor 20. iul. 25. dec. 29. mar. 30. mar. Epiſc. 30. apr. 10. aug. 25. aug.
Paramon 18. maii.
Patemius 19. maii.
Paternus 12. apr. Epiſc. 15. apr. 19. ſept.
Paternica 30. iul.
Pathinus 17. maii.
Patus 14. apr.
Patiens 11. ſept.
Patinus 12. apr.
Patricia 12. mar. 13. mar.
Patricius 3. apr. 11. apr.
Patria 13. mar.
Patroclus 21. ian. 21. iul.
Patruina 29. iul.
Paula 29. ian. 22. feb. 3. mar. 2. iun. 3. iun. 20. iun. 20. iul.
Paulianus in notis 11. *Apr. p.* 428.
Paulinus in notis 26. *mart. p.* 404.
Paulus 30. dec. 31. dec. 14. ian. 19. ian. 22. ian. Epiſc. 8. feb. 9. feb. 14. feb. 16. feb. 16. feb. 16. feb. *in notis* 24. *Febr. p.* 346. 4. mar. *in notis* 11. *martii p.* 373. 12. mar. 15. mar. 20. mar. 22. mar. 23. mar. 4. apr. 12. apr. 12. apr. 13. apr. Diac. 13. apr. 26. apr. 27. apr. 15. maii. 15. maii. 16. maii. 16. maii. 17. maii. 22. maii. 26. maii. 26. maii. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 7. iun. 18. iun. 20. iun. 26. iun. 3. iul. 16. iul. 17. iul. 18. iul. 20. iul. 14. aug. 29. aug. Epiſc. 17. ſept. 6. nou. 16. nou. 16. nou. 5. dec. 10. dec. 11. dec. 13. dec. 18. dec. 19. dec. 24. dec. Apoſt. 29. iun.
Pauli Apoſt. tranſlatio 25. ian.
Depoſitio 15. ſept.
Octava 6. iul.
Pulianus 18. ian.
Paulica 31. maii.
Paulina 31. dec. 10. maii. 1. iun.
Paulinus 16. maii. 26. maii. 31. maii 22. iun. Epiſc. 31. aug. Epiſc. 4. ſept. *Epiſt.* 14. *Oct. in notis p.* 918.
Pauſalmus 11. ian.
Pecculus 4. mar.
Pectricus 24. aug.
Peculiaris 7. maii.
Pedica 14. dec.
Pelagius 11. iul. 4. oct. *Epiſc. in notis* 8. *maii p.* 517.
Pelagia 29. iul. 8. oct. 19. oct.
Peleſtus 1. maii.
Pelleonicus 11. feb.
Pellianus 3. ian.
Peluianus 4. mar.
Penetis 18. dec.
Penis 1. feb. 1. feb.
Pennarus 27. mar.
Pennica 3. ian.
Peregrus 6. iun.
Peregria 10. maii.
peregrina 22. feb. 24. feb.
peregrinus 5. maii. Epiſc. 16. maii. *in notis* 27. *maii p.* 536.
perenthus 8. iul.
perentius 8. iul.
perfidus 16. feb.
Pergentinus in notis 3. *Iun. p.* 575.
permonius 9. aug.
perſia 29. ian.
perpetua 27. ian. 6. mar. 7. mar. 4. nou.
perpetuus 2. feb. Epiſc. 30. dec.
perſeus 21. iun.
perſeuerantius 1. nou.
perſyriana 17. iul.
peſsianus 16. feb.
petamia 2. iun.
petecon 9. feb. Diac. 18. maii.
petedondus 18. maii.
petianus 16. nou. 16. nou.
petiuus Diac. 5. maii.
Petrodius in notis 13. *mart. p.* 376.
petrus 5. ian. 6. ian. 8. ian. 11. ian. 12. ian. 22. ian. 21. feb 23. feb. 24. feb. 5. mar. 5. mar. 12. mar. 14. mar. Epiſc. 26. mar. 12. apr. Diac. 17. apr. 4. maii. 6. maii. 10. maii. 10. maii. 15. maii. Exorc. 2. iun. 2. iun. 3. iun. 19. iun. 18. iul. 19. iul. 30. iul. 1. aug. 27. aug. 3. ſept. 30. oct. 31. oct. 31. oct. 1. nou. 1. nou. 25. nou. 26. nou. 27. nou. 9. dec. 23. dec.
Petrus Apoſt. 29. iun.
Eiuſdem octava 6. iul.
Cathed. Romæ. 18. ian.
Cath. Antioch. 22. feb.
Baſilicæ Dedic. 22. iul.
29. iul. 1. aug. Abſol. à vinc. 1. aug.
petronius 6. mar. 13. mar.
petronilla 31. maii. *in notis* 29. *maii p.* 558.
petronius 11. mar. 13. mar. 15. mar. 1. iun.
petunus Epiſcopus 12. mar.
Phamonus in notis 18. *Dec. p.* 1035.
phaſicus 28. iunii
pheuicius 28. iun.
Philippa in notis 20. *Sept. p.* 447.
Philippianus in notis 17. *Apr. p.* 444.
Philoclimon 9. *Sept. in notis p.* 810.
Philemon in notis 4. *nou. p.* 951.
philippus 4. mar. 9. mar. 4. iun. 6. iun. 15. iun. 6. iul. 9. iul. 15. iul. 19. iul. 28. iul. 29. iul. 29. iul. 15. aug. *in notis* 18. *Oct. p.* 925. 31. oct. Epiſc. 22. oct. Ap. 22. apr. Apoſt. 1. maii.
philippolus 30. mar.
philocalus 21. mar.
philocarpus 21. mar.
philopholus 30. mar.
phion 10. mar.
phiſtius 8. ian.
Photina in notis 20. *martii. p.* 391.
Photius in notis ibidem.
Phocides in notis ibidem.
phylancia 17. aug.
phyſocus 28. iun.
piaton 1. oct.
picaria 19. ian.
picius 13. mar.
pictus 4. iun.
pia 19. ian.
pierus Epiſc. 1. feb.
pius 8. ſept. 8. ſept. Diac. 19. ſept.
Pilion in notis 12. *Oct. p.* 913.
piluſius præsbyt. 7. apr.
piminus 1. dec. 2. dec.
pinnarius 8. apr.
pinnatius 10. apr.
piomus 13. mart.
pionus 21. nou. præsbyt. 12. mar. 13. mar. 14. mar.
piperon 11. mar.
piriocius 10. maii.
pirolomus 11. ian.
piſcina 2. iun.
piſion 25. feb.
Piſtis ſeu Fides 23. *iun. in notis p.* 623.
piſtus 20. aug. 21. aug.
pitinus 2. oct.
placidus 2. feb. præsbyt. 7. maii. 28. ſept. 29. ſept. 4. oct. 11. oct.
placides 14. oct.
plamfagonius 6. mar.
Plauſius 22. *Maii in n. p.* 545.
plaſtus 22. maii.
placion 2. oct.
platon 22. iul.
plaudus 29. ſept.
plauſius 10. feb.
Plautus in notis 5. *Apr. p.* 419.
plebius 14. feb.
plenus 23. apr.
pleſſeus 9. feb.

ploſius 28. iun.
plutarchus 28. iun. 18. iun.
pobiſius 7. nou.
poebius 15. feb.
poemus 9. feb.
poemis 11. feb.
poentalis 29. mar.
pofunius 1. aug.
polecliius 30. dec.
polecoſten 7. ian.
polecratus 25. maii.
polentia 10. dec.
polianus 2. nou.
Polianus in N. 13. Feb. p. 314.
poliaſtus 7. ian. 14. feb.
policarpus 31. ian. Epiſc. 26. ian. Epiſc. 1. feb. Epiſc. 23. feb. Epiſc. 13. apr. 9. aug. 9. aug. 27. oct. 7. dec.
polictus 14. feb.
polieti oratorii dedic. 9. apr.
Policronius in N. 17. Febr. p. 328.
policutus 21. maii.
polia 21. maii.
polienus 28. aug.
polioclius 19. maii.
polioctus 7. ian.
polita 21. maii.
poliuctus 22. maii.
pollanus 10. iul.
pollentia 9. dec.
pollion 26. apr. 28. apr. 29. maii. *in N. 28. Aug. p. 783.*
pollutana 15. iul.
pomenius 19. mar.
pomianus 31. dec.
pomodianus diac. 30. apr.
pompeia 2. iun. 2. iun.
pompinus 15. feb. 18. dec.
pomponius 3. iun.
pontecus 2. iun.
pontius 2. oct.
pontianus 29. iul. 10. aug. Epiſc. 13. aug. 25. aug. 2. dec. 2. dec. 11. dec.
pontia 16. nou.
pontimus 17. aug.
pontinus 1. iun.
popeia 9. iun.
popica 23. ian.
porfirius 2. iun. 4. nou. *& in N. eodem die p. 950.* 9. dec.
porforus 3. iul.
portius 31. mar.
portinus 28. maii.
poſſeſſor 2. ian. 3. ian. 9. ian. 10. ian. 14. aug.
Poſſeſſus 29. Sept. in N. p. 884.
poſtina 2. iun. 2. iun.
poſſinnus 22. feb.
poſſiſinus 6. maii.
poſtinania 29. iul.
poſtumus 30. apr. 6. maii. *in N. 25. Aug. p. 696.*
potamius 15. apr.
potamia 15. apr. 30. iul. 5. dec.
potamiena 26. iun.
potamina 20. feb.
potaminus 28. iun.
potamorus 9. feb.
potentella 7. maii.
potius 27. oct.
potiolus 25. ian.
potitus 15. iun.
potomus 17. aug.
pragnatius Epiſc. 22. nou.
preconius 14. feb. Diac. 14. feb.
prepius 1. oct.
preſens 16. feb.
preſtabilis 15. maii.
preteca Epiſc. 15. maii.
pretextatus 19. maii. 25. maii. 10. iul. 6. aug. 11. dec.
primus 27. apr. 28. maii.
prima 3. ian. 12. apr. 6. maii. 10. maii. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 17. oct. 7. *Dec. in N. p. 1022.*
primus 3. ian. 19. ian. 21. ian. 27. ian. 2. feb. 16. feb. 6. maii. 6. maii. 19. maii. 21. maii. 21. maii. 28. maii. 29. maii. 2. iun. 5. iun. 9. iun. 21. iun. 9. aug. 21. aug. 26. aug. 1. oct. 2. oct. 25. oct. 1. nou. Epiſc. 1. nou. 4. nou. 6. nou. 7. nou. 7. nou. 8. nou. *in N. 15. Nou. p. 969.* 2. dec. 15. dec.
primianus 1. ian. 29. dec.
primicarus, ſeu potius, primus, & Carus. 22. apr.
primigenius 15. nou.
primina 9. oct.
Priminus in N. 17. May p. 535.
primitus 2. dec.
primitiua 24. feb. 23. iul.
primitiuus 22. ian. 2. mar. 7. mar. 26. *Apr. in N. p. 460.* 27. iun. 12. iul. *in N. 9. Dec. p. 1024.*
primolus 22. apr. 24. *Febr. in N. p. 348.* 9. maii. 11. maii. 12. maii. 21. maii. 29. maii. 8. iul.
primoſa 2. iun.
primoſus 30. apr. 30. apr. 7. iun.
primulus 7. maii.
primuſius 25. feb.
principa 11. nou.
priſca 1. iun. Virgo 18. ian. 2. iun. 3. iun. 28. ſept.
priſcus 26. maii. 30. iul. 1. ſept. 9. *Sept. in N. p. 810.* 1. oct.
priſcianus 18. apr. 16. ſept. 12. oct.
priuata 2. maii. 7. Iun.
priuatus 10. maii. 5. iun. 22. aug. 19. ſept. 20. ſept. 8. oct. *in N. 14. Oct. p. 918.* 5. dec. 20. dec. 18. dec.
priuatianus 7. maii.
priuatula 18. dec.
probatus 18. dec. 20. maii.
probus 5. apr. 13. maii. 27. ſept. 9. oct. 20. oct.
proceſſa 6. maii.
proceſſus 27. ian. 7. maii. 8. maii. 31. maii. 1. iul. 2. iul.
procus 2. iun.
proclina 15. apr.
procopius 8. iul.
procula 2. apr. 3. iun.
proculus 2. apr. 12. apr. 14. apr. 18. apr. 2. maii. 14. maii. 1. iun. 2. iun. 10. iul. 19. oct. 22. oct. 21. oct. Epiſc. 4. nou.
prodentius 15. apr.
prodicia 11. iul.
Proferia in N. 12. Oct. p. 913.
promacius 20. oct.
promodius 15. dec.
promton 14. mar.
pronius 2. feb.
prontinus 14. apr.
propilus 13. iul.
propolus 13. iul.
profalamus 14. aug.
prosdotus 19. oct.
proſducus 14. apr. Diac. 29. apr.
proſinus 12. oct.
proſperus 29. iul. 25. nou.
proſpolimus 14. aug.
protaſius 20. maii. 19. iun. 28. iul. 30. oct.
protheus 18. feb.
prothus 9. feb. *in N. 22. Ianuarii p. 277. in N. 14. Febr. p. 318.* 31. maii. 14. iun. 15. iun. 11. ſept.
protidius 14. feb.
protina 14. apr.
protinus 12. ſept.
prudentius 29. apr.
pruſducius 15. apr.
publaſius 1. iun.
publius 19. ian. 21. ian. 27. ian. 31. ian. 1. feb. 18. feb. 2. apr. 4. apr. 24. apr. 1. iun. 3. iun. 3. iun. 7. iul. 4. nou. 5. nou. 12. nou.
publianus 24. ian. 25. ian. 27. ian.
publicianus 9. dec.
pudentius 29. apr. 28. iul. 4. dec. 10. dec.
puerus 13. mar.
pulion 24. apr.
pullienus 29. maii.
pullius 23. dec.
puluerius 7. maii.
pulumus 21. ian. *in N. 23. Febr. p. 280.*
pupidus 28. feb.
pupis 1. feb.
puſinnus 25. feb.
puſsitimus 21. feb.
puttius 12. apr.
pydjuus 7. iul.
pylicus 4. mart.

Q

Quadraginta Martyres, & eorum diſtincta nomina in N. 9. Martij p. 370.

Quadratus 21. maii. *in N.* 7. *Maij. p.* 513. 26. maii. 21. aug. Ep. 21. aug.
Quapileus 19. sept.
Quarta 13. mar.
Quartus 12. apr. 10. maii. 14. maii. 8. iul. 6. *Aug. in N. pag.* 735. 6. oct. 4. nou. 5. nou. 17. dec.
Quartia 2. iun.
Quartilla 18. mar. 19. mar. 6. apr.
Quartinus 18. mar.
Quietus 9. ian.
Quietia 1. iun.
Quindeus 9. maii.
Quintalus 10. maii.
Quintasius 18. mar. 10. oct. 17. oct. 1. dec.
Quinta 7. maii.
Quintus 4. ian. 9. ian. *in N.* 11. *Ian. p.* 247. 11. ian. 12. ian. 19. ian. 21. ian. 7. mar. 18. mar. 19. mar. 5. april. 12. april. 17. apr. 6. maii. 6. maii. 7. maii. 10. maii. 10. maii. 19. maii. 21. maii. 21. maii. 23. maii. 27. maii. 1. iun. 3. iun. 3. iun. 10. aug. 5. sept. 28. oct. 29. oct. 30. oct. 17. dec. 18. dec.
Quintianus 31. dec. 17. feb. 30. apr. 1. maii. 6. maii. 14. iun. 15. iun. 21. nou.
Quintilius 19. mar. Epiſc. 8. mar.
Quintilianus 22. ian. 4. apr. 13. dec.
Quintillus 27. ian.
Quintinus 28. feb. 1. maii. 1. iun. 23. iun. 26. aug.
Quintinianus 1. apr.
Quintula 18. dec. 10. *Maij in N. p.* 522.
Quintulus 21. apr.
Quirus 22. ian. 3. mar.
Quiriaca 16. mar. 6. apr.
Quiriacus 20. ian. 12. feb. 2. apr. 6. apr. 14. apr. 22. apr. 17. iun. 21. iun. 10. aug. 23. aug. 29. nou.
Quiricus 16. iun.
Quirillus 11. mar. 9. maii. 17. iun. 2. oct.
Quirinus 4. mar. 12. mar. Epiſc. 30. apr. 3. iun. 4. iun. 4. iun. 31. oct.
Quomal 15. apr.
Quoquofates 16. feb.
Quoſcomus, ſiue Quirion 13. ian.
Quotta 31. dec.
Quottidius 6. ſept.

R

RAdegunda Regina 13. aug.
Radicius 9. Sept. in N. p. 810.
Raditis 8. ian.
Raſius Epiſc. 22. mar.
Recumbus 9. feb.
Reducta 12. iun.
Reductus 30. apr.
Reſientius 19. maii.
Regina 12. feb. 2. apr.
Regula in N. 11. *Sept. p.* 824.
Regulus 1. ſept.
Remaclus Epiſc. in N. 2. *Sept. p.* 802.
Remiſurinus in N. 30. *Apr. p.* 471.
Remedius 1. oct. Epiſc. 15. ian. Epiſc. 3. feb.
Remus in N. 24. *Febr. p.* 348.
Reotrus 28. ian.
Reparata 8. oct.
Repoſita 21. ian.
Reſpectatus 20. iul.
Reſtituta 18. dec.
Reſtitutus 12. apr. 10. mai. 27. *Maij in N. p.* 555. 29. maii. 10. *Iun. in N. p.* 590. 11. iun. 13. oct. 9. nou. 15. nou. 15. dec.
Reuocata 6. feb.
Reuocatus 9. ian. 10. ian. 5. feb. *in N.* 12. *Febr. p.* 312. 6. mar. 7. mar. 7. mar. 12. apr.
Richarius 26. apr.
Riginus 12. mar.
Regulus in N. 15. *Mart. p.* 383.
Riſta 1. nou.
Rodius 3. ian.
Rodiana 2. iun.
Rodicianus Diac. 30. apr.
Rodilia 2. iun.
Rodocianus Diac. 30. apr.
Rodoſia 5. iul.
Rodon 3. ian.
Roductula 18. dec.
Rodus in N. 7. *Iulij p.* 647.
Roſſinus 18. aug.
Roſina 6. apr. 24. apr. 10. iul.
Rogata 31. dec. 2. feb. 18. mar. 8. maii. 10. maii. 19. maii. 31. maii. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 5. iun.
Rogatus 28. dec. 31. dec. 3. ian. 12. ian. 17. ian. 15. feb. 7. mar. 7. mar. 8. mar. 8. mar. 9. mar. 11. mar. 18. mar. 18. mar. 18. mar. 24. mar. 28. mar. 30. apr. 30. apr. 6. maii. 7. maii. 7. maii. 8. maii. 8. maii. 8. maii. 10. maii. 22. *Maij in N. p.* 544. 31. maii. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 10. iun. 5. oct. 24. oct. 25. oct. 7. nou. 24. nou. 1. dec. 6. dec. 9. dec.
Rogatiana 2. feb. 17. feb. 22. feb. 1. iun. 3. iun.
Rogatianus 25. feb. 7. maii. 7. maii. *in N.* 22. *Maij p.* 544. 24. maii. 1. iun. Epiſc. 2. iun. 3. iun. *Præsbyt. in N.* 31. *Oct. p.* 941. *in N.* 7. *Nou. p.* 956. 18. dec.
Rogatia 2. iun.
Rogatina 10. maii.
Rogatula 24. feb.
Romana 6. apr. 6. apr. 19. maii. 21. iun. 16. nou.
Romanus 15. feb. 6. apr. 4. maii. 20. iul. 9. aug. Epiſc. 6. oct. 31. oct. 17. nou. 18. nou.
Romonus 3. iun.
Romula 17. nou.
Romulus 17. feb. 18. feb. 24. mar. 27. mar. 19. *Aug. in Notis p.* 761.
Ronus 9. feb.
Ropodianus 30. apr.
Roſarum Feſtum 18. nou.
Roſula in N. 15. *Maij p.* 532. 14. *Sept. p.* 831.
Rotheris Virgo 12. maii.
Rota in N. 2. *Iun. p.* 569.
Rotus 4. mar.
Rotilius 1. iun.
Rubens 17. ian.
Rudigius 10. iul.
Ruffina 28. feb.
Ruffinus 12. apr. 4. ſept.
Ruffinianus 24. feb.
Rufus 3. apr. 19. apr. 19. apr. 8. maii. 14. iun. 29. iul. 30. iul. 1. aug.
Rufina 1. iun. 3. iun. *in N.* 17. *Aug. p.* 757. 25. aug.
Rufinus 15. feb. 6. apr. 3. maii. 26. maii. 21. iun. 22. iun. 9. iul. 27. aug. 31. aug.
Rufinianus 17. oct. 16. nou.
Rumadus 24. feb.
Rumetina in N. 30. *Apr. p.* 471.
Ruppius 24. ian.
Ruſtianus 5. iun.
Ruſticianus in N. 31. *Oct. p.* 941.
Ruſticus 8. ian. 9. ian. 21. feb. 4. mar. 5. mar. 10. mar. *in N.* 25. *Mart. p.* 394. Epiſc. 25. apr. 8. mar. 14. maii. Epiſc. 4. iun. *in N.* 4. *Iun. p.* 578. Præsbyt. 19. iul. 9. aug. Epiſc. 24. ſept. Præsbyt. 9. oct. 18. dec.
Ruſticianus 17. oct. 31. oct.
Ruſtulus 4. iun. 4. iun.
Rutilius 1. iun.
Rutula 2. ian.
Rutulus 17. feb. 19. feb. 23. feb. 24. feb. 25. feb.

R

SAbaſtus 27. iul.
Sabaſtianus Epiſc. 13. mar.
Sabatia 4. & 24. iul.
Sabatius in N. 19. *Sept. p.* 844.
Sabbatus 29. apr.
Sabbatia 4. iul.
Sabenus in N. 23. *Aug. p.* 771.
Sabianus 26. ian. 3. mar.
Sabina 2. iun. *in Notis* 29. *Aug. p.* 786.
Sabinus 25. ian. 20. iul. 20. iul.
Sabinianus 27. aug.
Sacerdon 9. Sept. in N. p. 820.
Saccus 27. maii.
Saccintus 29. oct.
Sacerdos Epiſc. 12. ſept.
Sacrepia 14. dec.

Sacrinus 5. iun.
Sactirus 9. aug.
Saferius 6. maii.
Sailis 1. iun.
Saiuuoldus Presbyt. 21. dec.
Salamona, & Salominides in N. 5. Aug. p. 693.
Salda 18. mar.
Saleosius 17. sept.
Salinus 17. feb.
Salonius Epiſc. 28. sept.
Salpornia 2. iun.
Salta 20. maii.
Salsius 10. oct.
Saltus 16. sept.
Saluator 18. dec.
Salucianus 27. maii.
Saluius 11. ian. 17. ian.
Salunius 23. apr. 24. apr.
Saluſtius 2. feb. 19. maii. 21. maii.
Saleſtia in N. 14. Sept. p. 831.
Saluſtianus 8. iun.
Salutaris 21. ian. 24. mar. 9. nou.
Saluarius in N. 29. Sept. p. 884.
Salutor 15. mar.
Sambachia 24. apr.
Samina 2. iun.
Saminus 10. maii.
Sammatia 21. iun.
Sammonius 11. dec.
Sanchincus 4. aug.
Sancta 25. mail. 5. dec.
Sanctius 31. dec.
Sanctiani Presbyt. tranſl. 2. maii.
Sanctina 2. maii.
Sanctinus 13. sept. 17. sept.
Sandrus 20. iul.
Sanſon 28. iul.
Sapida 9. maii.
Sapidicius 7. dec.
Sappa 5. iun.
Sarapion 24. feb.
Sarmacia 2. iun.
Sarmatenia 26. mar.
Sata 17. ian.
Sathyrus 5. mar.
Satius 13. ian.
Satira 10. mali.
Satirus 7. mar. 6. *Apr. in N. p. 422.*
Sattheus 8. ian.
Sattius 11. nou.
Sattirus 6. mar.
Sattyrus 7. mar.
Satullus 30. mar. 2. apr. 10. maii.
Saturarus 24. nou.
Satura 15. nou.
Saturnus 19. Maj in N. p. 536.
Saturus 28. dec. 29. dec. 2. ian. 9. ian. 10. ian. 12. ian. 14. ian. 22. ian. 24. ian. 5. feb. 17. feb. 24. feb. 18. mar. 30. apr. 10. maii. 24. maii. 25. maii. 26. maii. 26. maii. 21. iun. 5. iun. 14. sept. 19. sept. 22. oct. 24. oct. 24. oct. 25. octob. 4. nou.
Saturius 18. dec.
Saturinus 2. dec.
Saturna 7. feb. 10. maii.
Saturnus 17. feb. 5. mar. 14. apr. 10. maii. 3. iun.
Saturnius 12. apr.
Saturnilla 9. feb.
Saturnina 3. Iun. in N. 575. & 12. Nou. p. 963.
Saturninus 28. dec. *in N. 3. Ian. p. 223.* 30. apr. 6. maii. 7. maii. 8. maii. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 5. *Iun. in N. p. 580.* 21. iun. 26. iul. 1. oct. 2. nou. 25. dec. 29. dec. 31. dec. 31. dec. 1. ian. 2. ian. 9. ian. 9. ian. 11. ian. 16. ian. 17. ian. 18. ian. 19. ian. 19. ian. 21. ian. 22. ian. 23. ian. 24. ian. 31. ian. 1. feb. 2. feb. 5. feb. 6. feb. 6. feb. 7. feb. 14. feb. *in N. 19. Febr. p. 330.* 21. feb. 28. feb. 5. mar. 6. mar. 6. mar. 7. mar. *in N. 7. Martii p. 367.* 13. mar. 18. mar. 19. mar. 22. mar. 24. mar. 24. mar. 24. mar. 26. mar. 27. mar. 29. mar. 30. mar. 1. apr. 2. apr. 4. apr. 10. apr. 12. apr. 12. apr. 12. apr. 14. apr. 23. apr. 24. apr. 30. apr. 30. apr. 30. apr. 1. maii. 1. maii. 2. maii. 3. maii. 6. maii. 7. maii. 8. maii. 8. maii. 10. maii. 10. maii. 13. maii. 24. maii. 24. maii. 25. maii. 26. maii. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 3. iun. 3. iun. 4. iun. 4. iun. 5. iun. 26. iun. 27. iun. 29. iul. 2. aug. 4. sept. 4. sept. 5. sept. 5. sept. 5. oct. 5. oct. 5. oct. 14. oct. 16. oct. 25. oct. 27. oct. *in N. p. 936.* 31. oct. 1. nou. 9. nou. 16. nou. 15. nou. 20. nou. 21. nou. 26. nou. 28. nou. 29. nou. Epiſc. 29. nou. 30. nou. 5. dec. 13. dec. 13. dec. 15. dec. 18. dec. 23. dec.
Saturnini Epiſc. tranſlat. 30. oct.
Satyrus 21. ian. 20. iul. 18. sept.
Saturus in N. 14. Oct. p. 913.
Sauina 7. maii.
Sauinus 26. ian. 8. *Febr. in N. p. 306.* 13. maii. 13. maii. 8. sept. 25. oct. *Epiſc. 7. Dec. in N. p. 1022.*
Sauinianus 25. ian. 3. mar. 3. *Dec. in N. p. 1019.*
Saulus 16. feb.
Saurius 7. mar.
Scalerna 13. mar.
Sichirion in N. 31. Dec. p. 1041.
Sciabilis 27. maii.
Scialus 25. maii.
Sciopratus 1. dec.
Scolaſticus 6. feb.
Sconiſius 18. ian.
Scubilion 25. apr.
Sebaſtianus 19. ian. 20. ian. 8. feb. 9. mar. *in N. 20. Mart. p. 391.*
Secunda 27. ian. 16. feb. 21. feb. 6. apr. 8. maii. 2. iun. 12. iun. 10. iul. 17. iul. 18. iul. 28. iul. 30. iul. 16. sept. *in N. p. 837.* 15. dec.
Secundus 29. dec. 5. ian. 9. ian. 13. ian. 19. ian. 21. ian. 25. ian. 27. ian. 28. ian. 2. feb. 16. feb. 16. feb. 17. feb. 7. mar. 1. apr. 12. apr. 13. apr. 24. apr. 24. apr. 6. maii. 7. maii. 10. maii. 21. iun. 3. iun. 5. iun. 15. iul. *in N. 17. Iul. p. 667.* 20. iul. 31. iul. 2. sept. 10. oct. 10. oct. 31. oct. 4. nou. 5. nou. 15. nou. 15. nou. 20. nou. 2. decemb. *ſine Secundianus 10. Dec. in N. p. 1027.* 11. dec. 19. dec. 21. dec.
Secundianus 2. feb. 17. feb. 30. apr. Epiſc. 30. apr. Epiſc. 6. maii. 6. maii. 7. maii. 14. maii. 5. iun. 9. aug. 2. oct. 2. oct. 16. nou. 11. *Dec. in N. p. 1026.*
Secundica 1. iun.
Secundidus 8. aug.
Secundilla 28. feb. 1. mar.
Secundina 1. aug.
Secundinus 19. feb. 21. feb. Epiſc. 30. apr. 5. iul. 8. aug. 13. sept. 16 nou. 7. *Dec. in N. p. 1021.*
Secundola 1. feb. 22. feb. 2. mar. 8. maii. 1. aug. 24. sept.
Secundolus 21. feb. 7. mar. 24. mar.
Securus 30. dec. 21. feb. 2. dec. 13. dec.
Secur 24. febr.
Secuſa 10. maii.
Secutor 13. apr.
Seleucius in N. 11. Sept. p. 814.
Seleucus 16. feb. 24. mar. 19. maii. 2. iun. 15. sept.
Seleuga 10. maii.
Sellaris 24. feb.
Sellemidas in N. 5. Iun. p. 579.
Seluolus 18. mar.
Seluius in N. 12. Oct. p. 913.
Semphoroſa 18. iul.
Semtiminus 18. dec.
Senator 8. iul. 26. sept.
Senerus 14. feb. 6. maii. 28. iun.
Seneronus 23. feb.
Seneſius 4. maii.
Senicion 2. iun.
Sennus 5. ian.
Sennis 30. iul.
Sennon 31. dec.
Senterus 10 maii.
Sentianus 25. maii.
Seodolus 21. nou.
Sepaca 2. iun.
Sepacus 2. iun. Epiſc. 2. iul.
Separgius 2. oct.
Sepenus 8. iul.
Septem Dormientes in Epheſo 10. Aug. in N. p. 746.

Septemia 7. maii.
Septemina 19. maii.
Septimus 10. maii. 11. maii. 9. oct. 19. oct. 2. dec. Diac. 18. apr.
Septimia 28. iul. 30. iul.
Septiminus 3. iun. 10. oct.
Septimius in N. 11. Apr. p. 428. in N. 30. Aug. p. 796.
Septunus 25. maii.
Sequens 31. dec.
Sercianus in N. 19. Apr. p. 447.
Seraion 18. maii.
Serapion Episc. 13. sept.
Serapion 9. feb. 28. feb. 29. mar. 21. mar. 6. apr. 27. apr. 13 iul. 27. aug. 28. aug. 8. sept. 8. sept. 11. sept. 15. sept. *in N. 21. Dec. p. 1441.*
Serarus 24. apr.
Serena 3. iul. 17. *Aug. in N. p. 757.* 10. oct. 26. nou.
Serenus 30. dec. 2. feb. 16. mar. 28. iun. 1. iul. *in N. 4. Iulii p. 644.* 27. nou.
Sergus 4. aug. 7. oct.
Sericianus 19. apr.
Serientius Ep. 1. maii.
Seruaci baſ. dedic. 1. oct.
Seruanus 7. mar. 10. apr.
Seruaſia Præsbyt. 13. maii.
Seruius 15. nou.
Seruilius 14. maii. *in N. 18. Mart. p. 386.* 5. iun.
Seruilianus 27. feb. 17. oct.
Seruilia 28. feb. 28. feb.
Seruolus 21. feb. 24. maii. *27. Maii in N. 554.*
Seſinus 10. iul.
Seſinna 10. iul.
Seſontius 7. sept.
Seuera 17. oct.
Seuerus 1. ian. *in N. 5. Ian. p. 234.* 11. ian. Epiſc. 1. feb. 1. feb. 30. apr. 10. maii. 3. iun. 3. aug. 6. iul. 8. iul. 8. sept. 8. sept. 22. oct. 23. oct. 23. oct. 24. oct. 27. nou.
Seuerianus 12. feb. 27. feb. 1. iul. 8. aug. 9. *Sept. in N. p. 820.*
Seuerinus 23. ian. *Presbyt. in N. 8. Ian. p. 244.* 13. mar. *in Dec. in N. p. 1022.*
Seueriolus 10. maii.
Seuirini in N. 3. Sept. p. 806.
Seuus 10. aug. 21. aug. 22. aug. 26. aug.
Seuerius 23. oct.
Sextus 3. Ian. in N. p. 575.
Siagrius 11. apr.
Sicaria Virgo 2. feb.
Sicius 9. mar. 30. maii.
Sicimodus 29. maii.
Siddinus 8. maii 25. nou. Epiſc. 29. dec.
Sidius 8. maii.
Sidion, vel potius Dionyſius 16. feb.
Sidon 26. ian.
Sidora 10. aug.
Sidrach 24. apr.
Sigiſmundus Rex 1. maii.
Sigona 29. sept.
Sigon Præsbyt. 19. sept.
Sildinus 2. iun.
Sileucus 10. maii.
Silacius 21. dec.
Silicus 10. maii.
Silleſa 3. iun.
Sillus 9. ian.
Sillira 3. iun.
Siluana 1. iun. 3. iun. 3. iun. *Siluanius in N. 8. Ian. p. 585.*
Siluanus 17. feb. 17. feb. 19. feb. 6. mar. 10. feb. 7. mar. 8. mar. 13. mar. 13. apr. 15. apr. 16. apr. *in N. 22. Apr. p. 452.* 24. apr. 24. apr. 26. *Apr. in N. p. 461.* 30. apr. 29. *Apr. in N. p. 468.* 30. apr 4. maii. 6. *Maii in N. p. 505.* 24. maii. 31. maii. 31. maii. 1. iun 1. iun. 1. iun. 3. iun. 3. iun. 5. iun. *in N. 13. Iun. p. 593.* 10. iul. *in N. 20. Iulii p. 674. in N. 22. Iulii p. 676.* 8. *Aug. in Notis p. 740.* 9. *Aug. in N. p. 743.* 27. *Sept. in N. p. 878.* 26. *Nou. in N. p. 970.* 24. iul. 1. *Aug. in N. p. 696.* 31. aug. 1. *Sept. in N. p. 798.* 4. sept. 8. sept. 9. *Sept. in N. p. 819.* 10. sept. 10. sept. 31. oct. 31. oct. *in N. 5. Nou. p. 952.* 9. dec.
Siluanianus 20. apr.
Siluester Epiſc. 31. dec.
Siluianus 28. feb. 12. mar. 20. apr.
Siluius 15. mar. 23. mar. 23. apr. 23. apr. 23. apr. 2. iun. 15. *Iun. in N. p. 596.* 11. *Iul. in N. p. 652.* 19. *Aug. in N. p. 761.*
Siluina 18. feb.
Siluinus 2. iun. 10. sept.
Simeon in N. 25. Maii p. 531.
Simſonus 7. aug.
Simia 26. apr.
Smilinus 26. iun.
Simirus 28. iun.
Simon 23. feb. *in Notis 19. Apr. p. 448.*
Simphorianus 31. dec. 22. aug.
Simphoronus 28. mar.
Simphroniana 25. dec.
Simphronianus in N. 25. Dec. p. 1083.
Simphronius 7. nou. *in N. 14. Apr. p. 435.* 8. nou.
Simplicianus in N. 31. Dec. p. 1
Simplicius 26. apr. Epiſc. 22. feb. *in N. 13. Febr. p. 314.* 7. maii. 24. iun. 29. iul. 14. oct. Epiſc. 19. nou. 17. dec. 18. dec. 15. maii. 1. nou. 13. dec.
Simponius 14. apr. 18. iul 9. nou.
Sinerius 23. feb.
Sinidus 28. iun.
Sinigia 31. apr.
Sippionus 31. maii.
Sirgius 24. feb.
Sirianus 23. dec.
Siricianus in N. 19. Apr. p. 448.
Siricius 8. maii. 24. *Nou. in N. p. 997.* Epiſc. 26. nou.
Sirilla 22. apr.
Siſinna 10. iul.
Siſinnius 3. mar. 4. mar. 4. mar. 29. maii. 11. iul. 19. iul. 9. *Sept. in N. p. 820.* 21. nou. 1. sept.
Siſiona 20. iul.
Siſta 16. nou.
Siſtus, vide infra Xiſtus 28. dec.
Sixti baſ. dedicatio 2. nou.
Sinarapdus 12. mar. 8. aug.
Socii Martyres Vide inter Anonymos.
Socrates 17. oct. 17. *Sept. in N. p. 838. & 20. p. 847.*
Sodalis 27. apr. 27. apr.
Sodera in N. 5. Iul. p. 645.
Sodonus 25. ian.
Solechanus 17. Maii in N. p. 536.
Solanus 23. dec.
Solus 3. mar.
Solutus 23. apr.
Solutor 26. mar. 6. apr. 8. apr. 18. nou. 20. nou.
Sopatrus 23. dec.
Sophius 21. iul.
Sophia in N. 23. Iun. p. 622.
Sorentius 19. mar.
Soretis. 24. mar.
Sorothedis 31. feb.
Sofius 29. sept. 23. *Sept. in N. p. 855.*
Sotheris 12. maii. Virgo 6. feb.
Sotyris 19. feb.
Specioſa 21. iul.
Spes 1. oct.
Sperata 17. iul. 16. sept.
Speratus 28. iul.
Sperus 8. iul.
Spesina in N. 8. Iun. p. 585.
Speuſippus 17. ian.
Spica 30. apr.
Spicus 8. maii.
Spina 8. iun.
Spinellus 27. iun.
Spinua 28. dec.
Spiſina 7. iun.
Sprerus 20. iul.
Staćte 28. sept.
Staſius 21. nou.
Statheus 27 iun.
Statianus 7. feb. 24. iul.
Statulianus 3. ian.
Stanius Epiſc. in notis 6. Maii p. 506.
Stephana 8. maii.
Stephanus 30. dec. 31. dec. 1. ian. 2. ian. 3. ian. Epiſc. 13. feb. 1. apr. Epiſc. 29. apr. 27. *Apr. in notis p. 462.* 11. iul. 2. aug. 3. aug. 9. aug. 17. *sept. in notis p. 838.* 21. nou. 3. dec. Diac. 27. aug. Diac. 28. aug. Protom. 26. dec. Protom. 2. aug.

2. aug. Protom. 3. aug.
Srercatus 24. iul.
Scerceus 25. iul.
Stercia 8. maii.
Sterconius 21. iul.
Stercorius 25. iul. 13. dec.
Stercula 28. feb.
Stertheus 21. iul. *in N.* 28. *Sept. p.* 882.
Stertia 21. iun.
Stuale 8. maii.
Stialitertius 31. maii.
Sticianus 25. iul.
Stracinus 2. ian.
Strategus 3. iul. 3. iul.
Stration 25. aug.
Straton 5. iul. 8. iul. 21. *Sept. p.* 824. *in N.* 8. iul.
Stratonicus in N. 2. *Ian. p.* 220.
Stratorius 25. sept.
Stria 24. maii.
Stupon 16. feb.
Suanius 25. *Iul. in N.* 681.
Subitana 24. feb.
Succesſa 27. mar.
Succesſus 14. ian. 18. ian. 19. ian. 22. ian. 4. apr. 5. apr. 6. apr. 8. apr. 10. apr. 9. dec. Epiſc. 8. dec.
Sucensus 13. dec.
Sucunda 7. mar.
Suffronisianus 28. oct.
Sullitus 7. maii.
Sulpicius Epiſc. 17. ian. Ep. 7. ian.
Summiſta 6. apr.
Surdida 1. iun.
Suſanna 12. feb. 13. aug. 17. *Aug. in N. p.* 757.
Suſſus 16. oct. 19. oct 5. dec.
Suſſimus 20. oct. 20. oct.
Suſtratus 3. iul. 8. iul.
Syagrius Epiſc. 27. aug. Ep. 2. ſept.
Sycus 21. mar.
Sylominus 28. maii.
Sylon 21. apr.
Symeon 5. ian. Proph. 3. ian. 27. iul. 27. iul.
Symon Ap. 29. iun. Chan. 1. iul. Chan. 28. oct.
Synereus 3. iun.
Synodius Epiſc. 23. aug.
Syrapion 16. mar. Presbyt. 18. maii.
Syrgus 31. aug.
Syrus 11. ſept. *in N.* 25. *Apr. p.* 441. 12. ſept.
Syricus 21. feb. 21. feb. 23. feb. 18. apr. 26. apr. 3. ſept.
Syridon Epiſc. 2. ian.
Syria 5. mar. 25. apr. 27. nou.
Syrma 25. dec.
Syrmonius 9. apr.

T

TAllus in N. 1. *Ian. p.* 228.
Talicius in N. 14. *Febr. p.* 318.
Tampus 8. maii.
Tanaſius Presbyt. 21. oct.
Taracus 5. apr. 13. maii. 27. ſept. 9. oct 10. oct.
Taritonus 3. ſept.
Tarſeus 27. oct.
Tarſicus 31. ian.
Taſianus 16. mar.
Taſcius 1. ſept.
Taſſia in N. 19. *Oct. p.* 927.
Taſſus 6. maii.
Tatiana in N. 18. *Aug p.* 758.
Tauctus in N. 20. *Apr. p.* 448.
Tautinus 5. ſept. 5. ſept.
Taxis 18. oct.
Tebellius 22. iul.
Tecla 10. maii. Virgo 26. feb. 31. maii. 1. iun. 13. iun. 12. ſept. Virgo 23. ſept. Virgo 17. nou. 17. nou. 20. dec.
Tecuſa 17. ian.
Tegentius 13. ian.
Telipta 28. ian.
Teliſforus 30. apr. 31. maii.
Tellianus 28. ian.
Telurus in N. 12. *Apr. p.* 428.
Teofolus 8. ſept.
Teonia 9. feb.
Tecentius 30. apr. 10. *Apr. in N. p.* 417.
Terentia 10. aug.
Terentianus in N. 26. *iun. p.* 626.
Terrentianus Epiſc. 1. ſept.
Terridus Epiſc. 3. feb.
Tertia 12. apr. 15. apr.
Tertius 12. apr. 16. apr. 1. iun. 2. iun. 20. iul.
Tertula 31. maii. 31. maii. 1. iun.
Tertulus 19. ian. 8. maii. 3. iun.
Tertulla 12. apr. 1. iun. 2. iun. 2. iun.
Terturius 18. dec.
Tetradius Epiſc. 16. feb.
Teucoſia 14. ian.
Teudorus 4. ian.
Thaddeus 21. maii.
Thamatus 2. iun.
Thaxis 7. mar.
Thecla in N. 17. *Aug. p.* 757.
Theclacia 10. maii.
Thedra 21. feb.
Thegulianus 6. apr.
Thelerianus 18. ian.
Thelesforus 30. apr. *in N.* 6. *Ian. p.* 240.
Thelius 23. dec.
Themedius 26. maii.
Themous 4. feb.
Theodiſius 16. iul.
Theodola 25. mar.
Theodolus 15. mar. 4. apr. 15. iun. 20. iul. 9. *Sept. in N. p.* 810. Epiſc. 13. ſept. 28. nou. 2. dec.
Theodon Epiſc. in N. 23. *Nou. p.* 993.
Theodora 13. mar. 16. apr. 17. apr. 23. apr. Virg. 29. apr.
Theodorus 14. dec. Presbyt. 19. mar. Epiſc. 19. mar. Presbyt. 23. mar. Presbyt. 29. mar. Presbyt. 10. apr. Epiſc. 26. mar. Ep. 6. apr. 23. apr. 28. iun. 2. ſept. 9. nou.
Theodoſius Epiſc. 17. iul.
Theodoſia 22. dec. Virgo 3. apr.
Theodota 2. aug. 14. nou. *in N.* 5. *Iul. p.* 645.
Theodorus 5. iul. *in N.* 10. *Apr. p.* 429. 10. iul. 12. iul. 16. iul. 17. *Aug. in N. p.* 742. 15. nou.
Theodulus 30. nou.
Theoſilus 15. mar. 12. *Sept. in N. p.* 825. 3. nou. 12. nou.
Theoſolius 12. f. b.
Theogones in N. 3. *Ian. p.* 221.
Theona 23. apr. 24. apr.
Theon 14. feb. 18. *Iun. in Nip* 601. 28. iun. 16. iul. 26. feb. Presbyt. 24. apr.
Theophilus 28. feb. 28. iul. 30. oct.
Theora 2. ſept.
Theozon 24. iul.
Therapius 16. feb.
Therentius 30. apr.
Theucuſa 27. ian.
Theudeſtia 24. apr.
Theudolus 2. apr. 14. iun. 11. iul. 18. aug. 14. dec. Diac. 17 mar.
Theudorus 10. iul. 18. dec.
Theugenis 25. ian. 26. ian.
Theuſera 13. mar.
Theurinius 24. dec.
Thigrinus 20. mar.
Thima 27. apr.
Thimiſtius 24. dec.
Thimorus 8. apr.
Thiomolus 23. mar.
Thiophilus 26. feb.
Thomas 3. apr. 10. iun. 3. iul. Ap. 9. maii. Ap. 9. feb. Ap. 3. iun.
Thomæ Apoſt. tranſl. 28. dec. 3. iul. 21. dec.
Thomus 18. iun. 5. iul.
Thomocus 2. iun.
Thonaliclos in N. 5. *Sept. p.* 809.
Thudolus 3. maii.
Thugenius 2. oct.
Thuinthus 10. maii.
Thymogrates 21. iul.
Tiburtius 9. aug. Vide infra Tyburtius.
Ticianus 17. mar. 27. maii. 23. dec.
Tilius 8. ian.
Tilina 28. iun.
Timedus 25. dec.
Timidus 25. maii.
Timinus 24. maii. *in N.* 5. *Iun. p.* 580.
Timotheus 2. ian. 8. ian. 18. mar. 26. mar. 6. apr. 6. apr. 7. apr. 3. iul. 2. ſept. Vide infra Thymotheus.
Tinninus in N. 19. *Iul. p.* 671.
Tinnus 10. maii. 27. iun. *in N.* 16. *Oct. p.* 913. 18. dec.
Tirſus 15. ian.
Titus 21. feb. 2. iun.

Titiana

Titiana 17. iul. 18. iul.
Titianus 17. feb. 22. apr.
Titorus 13. dec.
Titulus 14. apr. 14. aug.
Tobia 2. ian.
Tolle in N. 17. *Nou. p.* 973.
Tomon 14. feb.
Tomunus 25. maii.
Tominus 9. dec.
Tonnion in N. 14. *Febr. p.* 328.
Topphius 14. feb.
Torquatus 19. iul.
Trabia 13. mar.
Tracia 29. sept.
Traianus 21. aug. 23. dec.
Transfiguratio Domini in N. 6. *Aug. p.* 736.
Trason 10. dec.
Traxon 11. dec.
Tredentheus 29. maii.
Trifina in N. 5. *Iul. p.* 545.
Trifon 4. ian. *in N.* 5. *Maii. p.* 502.
Triphonius 3. iul.
Triphon 3. iul. 5. iul.
Triplana in N. 19. *Dec. p.* 1037.
Trofius 19. sept.
Trofina 2. ian. Virg. 13. iul.
Trofinus 18. sept.
Trogus Epis. 19. sept.
Troianus Epis. 10. feb.
Tromedius 10. iul.
Tronus 30. maii.
Trophimus 5. dec.
Tropimeus 13. iul.
Tropomus 28. nou.
Tuia 10. maii.
Tullianus 14. feb.
Tullianus 13. feb.
Tumulus 23. feb.
Tunianus 8. maii.
Tunnidus 7. maii.
Tunnius 2. iun.
Turbantus 28. iun.
Turbinus 28. iun.
Turdianus 22. apr.
Turemonius 18. apr.
Turmerius in N. 11. *Iul. p.* 616.
Tuscus 27. iun. 2. sept. 10. sept. *in N.* 17. *Nou. p.* 972.
Turella 3. mar.
Tutius 26. oct. 21. nou.
Tyballus 28. apr.
Tybarianus 19. ian.
Tyberianys 9. aug.
Tyberianus 19. ian.
Tyburtius 14. apr. 22. apr. 11. aug. 9. sept. 22. nou.
Tyburcius 9. aug.
Tycus 22. ian.
Tymotheus 9. maii. 15. maii. 21. maii. Diac. 22. maii. 22. maii. 23. maii. 1. iun. 30. iun. 10. iul. 18. aug. 23. aug. 8. sept. 13. sept. Discip. 22. aug.
Tyria 26. apr.
Tyrion 30. nou.
Tyronia 26. maii.
Tyrsus 18. ian. 20. ian. 25. ian. 31. ian. 9. feb. 3. iul. 16. sept. 24. sept.
Tyrsonius 13. dec.
Tysicus 23. iul. 31. iul.
Tytirus 28. iun.
Tytorius 3. iun.

V

VAlens 10. iul. 18. ian. *in N.* 9. *Sept. p.* 810. 1. sept. Diac. 16. feb.
Valentia 2. iun. 9. *Dec. in N. p.* 1014.
Valentina 6. maii 2. iun.
Valentinus 14. feb. 14. feb. 26. mar. 14. apr. 29. apr. 21. iul. 26. iul. 21. aug. Epis. 29. aug. 2. sept. *in N.* 9. *Sept. p.* 821. 20. sept. 11. nou. 13. nou. 27. nou. 9. dec. 23. dec. 16. dec.
Valentinianus 20. aug.
Valeriana 17. iun.
Valerianus 14. apr. 14. apr. 21. apr. 24. apr. 20. iul. 9. aug. 22. aug. 19. sep. 27. sept. 15. nou. 16. nou. 22. nou. Epis. 26. nou.
Valeria 31. mar. 24. apr. 6. maii. 26. maii. 3. iun. 3. iun. 16. iun. 19. iun. 7. aug. 24. sept.
Valerius 22. feb. Epis. 21. ian. Ep. 29. ian. *Epis. in N.* 30. *Ian. p.* 290. 11. mar. 2. apr. 22. apr. 23. apr. 24. apr. Epis. 6. maii. Præsbyt. 21. maii. 14. iun. 15. sept. 15. sept. 22. *Oct. in N. p.* 930. 3. oct. 16. nou. 23. dec. *in N.* 23. *Nou. p.* 998.
Varianus in N. 1. *Ian. p.* 566.
Varicus 15. nou.
Varicius 22. apr.
Varia 28. sept.
Vedastus 1. oct. Epis. 6. feb.
Vallesius 20. maii
Venansius 22. oct.
Veneuria 17. ian.
Venerus 27. oct.
Veneria 27. ian. 28. feb. 28. feb. 6. maii. 3. iun. 3. iun. 22. aug. 6. nou.
Venerius 7. aug.
Venusta 10. maii. 2. iun.
Venustus 22. apr. 22. apr. 22. apr. 22. apr. 23. apr. 6. maii. 22. maii. 29. maii. 29. maii. 28. iun. 10. oct.
Veranus 3. iun. Epis. 13. nou.
Verecunda 22. apr.
Verecundus 22. apr.
Verus 22. nou. 2. dec.
Vericus 2. iun.
Verocianus 22. nou. 23. nou.
Verola 22. feb.
Veronica 22. iul.
Verulus 24. mar.
Vestina in N. 17. *iul. p.* 667.
Verthus 2. iun.
Vetusa 28. iul.
Veuericinus 6. nou.
Viator 30. apr. 14. *Sept. in N. p.* 831. 21. oct. Epis. 14. dec.
Vibianus in N. 4. *Maii p.* 498.
Vicicianus in N. 18. *Dec. p.* 1034.
Victia 28. maii.
Victorinus 28. feb. 22. apr. 24. apr. 30. apr. Epis. 7. maii. 7. maii. 7. maii. 7. maii. 7. maii. 7. maii. 8. maii. 10. maii. 23. maii. 25. maii. 26. maii. 27. maii. 29. maii. 5. iun. 7. iun. 10. iun. 10. dec. 3. dec. 4. dec. 9. dec. 10. dec. 18. dec. 31. oct. 2. dec. 9. dec. *in N.* 19. *Dec. p.* 1037. 13. dec.
Victoriana 25. dec.
Victorianus 19. ian. 6. maii. 14. maii. 16. maii. 3. iun. 11. iun. 18. aug. 11. dec. 17. dec.
Victoricus 24. feb. 20. mar. 17. apr. 18. apr. 23. maii. 18. oct. 11. dec. 18. dec.
Victorices 18. oct.
Victoria 29. dec. 2. feb. *in N.* 6. *Febr. p.* 302. 17. feb. 6. maii. 7. maii. 8. maii. 10. maii. 13. maii. 20. maii. 21. maii. 25. maii. 31. maii. 1. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 2. iun. 3. iun. 3. iun. 3. iun. 10. iul. 24. sept. 28. sept. 17. oct. 17. oct. 24. oct. *in N.* 31. *Oct. p.* 941. 11. nou. *in N.* 28. *Nou. p.* 976. 15. dec. 17. dec. 18. dec. 25. dec.
Victorianus in N. 21. *Apr. p.* 450.
Victorina 25. mar. 6. maii. 10. maii. 10. maii 11. maii. 11. iun. 3. iun. 26. nou.
Victorinus 14. ian. 18. ian. 28. ian. 11. feb. 24. feb. 28. feb. 4. mar. 13. mar. 20. *Mart. in N. p.* 390. 24. mar. 29. mar. 18. apr. 23. apr. 24. apr. 27. apr. 6. maii. 31. maii. 3. iun. 24. iul. 8. aug. 4. oct. 18. oct. 31. oct. 31. oct. 1. nou. 4. nou. 9. nou. 11. nou. 27. nou. 2. dec. *in N.* 20. *Dec. p.* 1018. 7. *Dec. in N. p.* 1013. 13. dec. 28. dec.
Victor 28. dec. 1. ian. 1. ian. 11. ian. 17. ian. 19. ian. 21. ian. 27. ian. 28. ian. 29. ian. 31. ian. 1. feb. 2. feb. 2. feb. 2. feb. 12. feb. 15. feb. 17. feb. 17. feb. 20. feb. 24. feb. 24. feb. 5. mar. 6. mar. 18. mar. 28. mar. 26. mar. 30. mar. 1. apr. 1. apr. 21. apr. 2. apr. 4. apr. 6. apr. 6. apr. 7. apr. 12. apr. 12. apr. 12. apr. 18. apr. Epis. 20. apr. 21. apr. 24. apr. 26. apr. 27. apr. 30. apr. 6. maii. 6. maii. 6. maii. 7. maii. 7. maii. 8. maii. 8. maii. 8. maii. 8. maii. 10. maii. 13. maii.

13. maii. 14. maii. 14. maii. 15. maii. 15. maii. 17. maii. 17. maii. 18. maii. 31. maii 3. iun. 11. iun. 1. iul. 20. iul. 21. iul. 23. iul. 24. iul. 26. aug. 26. aug. Epiſc. 1. ſept. 16. ſept. 16. ſept. 21. ſept. 22. ſept. 22. *Sept. in N. p.* 852. 24. ſept. 28. ſept. 2. oct. 10. oct. 18. oct. 24. oct. 24. oct. 30. oct. 1. nou. 2. nou. 4. nou. 7. nou. *in N.* 11. *Nou. p.* 963. 13. nou. 16. nou. 16. nou. 17. nou. 17. nou. 18. nou. 20. nou. 25. nou. 3. dec. 5. dec. 17. dec. 18. dec. 18. dec. 23. dec.

Victoris Baſilicæ dedic. 27. ian.
Tranſlatio 30. ſept.

Victuria in N. 12. *Febr. p.* 312.

Victurius 29. dec. 1. mar. 4. *Martii in N. p.* 361. 6. mar. 23. apr. 26. apr.

Victuricus 17. ian.

Victuria 17. ian. 2. feb. 22. feb. 12. apr.

Victurina 22. feb. 7. mar. 17. mar.

Victurinus 12. feb. *in N.* 15. *Febr p.* 350. 6. mar. 12. apr. 18. *Apr. in N. p.* 446. 18. apr. 29. apr.

Victur 11. feb. 15. feb.

Viduæ. Vide inter anonymos.

Victus 27. oct.

Vigilius in N. 25. *Iun. p.* 625.

Vincentius 11. ian. 13. ian. 17. ian. 21. ian. 27. ian. 12. feb. 14. feb. 16. feb. 16. feb. 16. apr. 19. apr. 16. maii. 24. maii. 25. maii. 25. maii. 1. iun. *Epiſc.* 7. *Iunii in N. p.* 588. 23. iul. 21. aug. 31. aug. 31. oct. *Diac. in N.* 31. *Oct. p.* 942. 11. nou. *in N. p.* 963. 17. dec. 18. dec. 2. iun. *in N.* 9. *Ian. p.* 244. Diac. 22. ian. *Epiſc. in N.* 14. *Febr. p.* 318.

Vincentia 24. ian. 28. ian. 1. feb 20. *Apr. in N. p.* 448. 14. aug. 16. nou.

Vindeus 26. apr.

Vindemialis 1. feb.

Vingeloſus 12. mar.

Vippia 28. maii.

Virgines. Vide inter anonymos.

Virianus 3. iun.

Vironica 15. apr. 15. apr.

Virtuma 6. maii.

Vitalianus 10. ian. *in N.* 14. *Febr. p.* 317.

Vitalica 2. iun.

Vitalianus in N. 3. *Sept. p.* 807.

Vitalicus 7. maii. 31. aug. 31. aug. 4. ſept.

Vitalis 2. ian. 2. ian. 9. ian. 19. ian. 21. feb. 14. feb. 14. feb. 12. apr. 21. apr. 23. apr. 23. apr. 28. apr. 29. apr. 8. maii. 2. iun. 19. iun. 20. iun. 9. iul. 22. ſept. 10. oct. 24. oct. 25. oct. 30. oct. 31. oct. 1. nou. PP. 2. nou. 3. nou. 16. nou. 16. nou. 19. nou. 23. nou. 25. nou. 27. nou. 10. dec.

Vitatilis 9. iul.

Vitus 21. ian. 27. ian. 27. apr. 21. maii. 21. maii. 15. iun.

Viticus 8. iun.

Viuentiolus Epiſc. 12. iul.

Viuiana, ſeu Bibiana in N. 2. *Dec. p.* 1017.

Viuianus Epiſc. 28. aug.

Vlpius 2. iun.

Vmbicius 3. Dec.

Vmbonus 6. dec.

Vogonuetius 18. mar.

Voloſianus 21. mar.

Voneta 19. mar.

Vranius 4. mar. Præsbyt 8. dec.

Vrbana 22. feb. 1. iun. 1. iun. 1. iun. 1. iun. 2. iun. 2. iun.

Vranus 22. ian. 2. feb. 24. feb. 2. apr. 6. *Apr. in Notis p.* 403. 24. apr. 29. apr. 2. maii. 4. maii. Epiſcop. 25. maii. 3. iun. 9. aug. 2. oct. 30. oct. 9. dec. 9. dec. 10. dec. 13. dec. 18. *Dec. in N. p.* 1034. 23. dec.

Vrſatius in N. 17. *Aug. p.* 756.

Vrſa in N. 26. *Oct. p.* 935.

Vrſus 20. ian. 23. apr. Epiſc. 30. iul. 22. *Sept. in notis p.* 852.

Vrſicinus 19. iun.

Vrſinus 31. ian.

Vruria 1. iun.

Vſoria 28. maii.

Vtus 24. mar.

Vvandonus Præsbyt. 19. apr.

Vvandont tranſl. 31. mar.

Vuandregiſelus 22. iul.

Vuſrammus Epiſc. 20. mar.

Vvſrammi Epiſc. tranſl. 31. mar.

Vvneptius 18. mar.

Vxor Martyr. inter anonymos.

X

Xanthius in notis 9. *Sept. p.* 810.

Xiſtus 31. dec. 15. feb. 6. apr. 6. apr. 6. aug. 9. aug. 9. aug. 23. aug. 28. ſept. 23. dec. 23. dec.

Y

Yllia in notis 23. *nou. p.* 995.

Ypolitus 19. iun. 13. iul. 13. aug. 12. ſept. Vide etiam Hippolitum.

Yſac 12. apr.

Yſicius 10. iul. Epiſc. 17. ſept.

Yſitianus 16. oct.

Ysorianus in notis 17. *Oct. p.* 923.

Z

ZAbinus 11. iun.

Zabullius 21. ian.

Zacharia 10. iun. Præsbyt. 2. iun.

Zacheus 10. iul. 17. nou.

Zaderus 8. maii.

Zaeangelus in notis 21. *Aug. p.* 766.

Zacyus 13. ian.

Zebberia 16. maii.

Zebellus 24. maii.

Zeddonus Præsbyt. 16. mar.

Zeferinus 23. dec.

Zelorus 19. nou.

Zelus 1. iul. 20. aug.

Zelotus 6. dec.

Zeltula 10. maii.

Zeminus 11. ian.

Zenobius 24. aug.

Zenonius 27. apr. 9. maii.

Zenon 15. feb. 23. feb. 23. feb. 20. *Apr. in notis p.* 427. 10. maii. maii. 13. iul. 15. iul. 2. ſept.

Zenotus 24. dec.

Zeon 30. apr.

Zepherinus Epiſc. 20. dec.

Zeppirius 21. nou.

Zeſimus 18. ian.

Zeſonius 20. iul.

Zeſon 18. ian.

Zetus 6. iul. 14. ſept. 22. nou. 22. nou.

Zetolus 28. maii.

Zetula 8. maii. 3. iun.

Zizcus 17. aug.

Zidſinus 27. iun.

Zidiacus in notis 17. *Oct. p.* 923.

Ziricius 3. iun.

Zocius Præsbyt. 15. feb.

Zoelus 24. maii. 24. maii. 5. iun. 1. iul. 1. iul.

Zoilus 27. iun.

Zonus Epiſc. 12. mar.

Zoniſus 2. apr.

Zoſimus 19. ian. 15. feb. *in notis* 3. *Mart. p.* 538. 10. mart. 11. mart. Præsbyt. 12. mar. 13. mar. 1. iun. 2. iun. 20. oct. 21. dec. 14. dec. 19. dec. 21. dec.

Zoſoma 15. iul.

Zotica 24. apr.

Zoticus 12. ian. 12. ian. 13. ian. 21. ian. 1. feb. 9. feb. 10. feb. 11. feb. 27. apr. 27. maii. 2. iun. 4. iun. 6. iun. 8. iun. 30. iun. 6. iul. 28. iul. 21. aug. 21. oct. 25. *Oct. in notis p.* 934.

Erra-

Erratorum, & emendationum Mantissa.

pag.			
	1.	tempore *lege*	tempora.
	6.	vitaret	vetaret.
	8.	festos	festi.
		Presbiteris	Presbyteris.
		Cartaginensis	Carthaginiẽsis, seu potius Carthaginensis.
	10.	emulatur	æmulatur.
	11.	exibuit	exhibuit.
	16.	proterea	propterea.
	19.	preterm isit	prætermisit.
	20.	euagemus	euagemur.
	25.	fulcitum	fulctum.
	26.	quam breuitati	quæ breuitati.
		in titulo capitis,	autographis. apographis.
	27.	apud Bedæ	apud Bedam.
	30.	caracteres ignauimus.	charactere signauimus.
	31.	Edibus	Ædibus,
		octauum sæculum	nonum sæculum.
		& post eũ Rabanus	& ante eũ Rabanus
		& Notkerus	& post eũ Notkerus
	32.	Vvandragesili	Vvandregisili.
		qui septimo sæculo	qui octauo sæculo.
		Vvandrigi filius	Vvandregisilus.
		Brigida	Br igitta.
	34.	Parisius	Parisijs.
	39.	ritum	ritnum.
	40.	Educensco	Educensi.
		qui nono sæculo vixit.	qui vndecimo sæculo vixit.
	43.	per Christo	pro Christo.
	49.	iuter	inter.
		Iudaci	Iudaici.
	50.	Eccleſast.	Eccles ast.
	52.	diuotio	deuotio.
	53.	Antistites	Anustes.
		dum tam	dum tamen.
		Qnadragasimali	Quadragesimali.
		indicatur	indicitur.
	57.	ADNOTATIONES	ANNOTATIONES.
		vetussimi	vetustissimi.
		sectiones	lectiones.
	55.	alibi quouis	alibi quouis modo.
		vt equa lance	æqua lance.
	58.	antiquum	antiquus.
	59.	monimus	monuimus.
		Conciliabolo	Conciliabulo.
	61.	vendicatione	vindicatione.
		statuereut	statuerent.
	64.	Sabbathum	Sabbathum.
	67.	dedimus pones, quem.	dedimus, penes quem.
	68.	vt scilicet Doctor	vt scilicet S. Doctor.
	69.	anno nono	anno nouo,
		diem Calendas	Calendas.
		eidem Sancti	eidem Sancto.
	71.	Samosetanum	Sampsatenum.
			& ita corrige vbique amanuensis errorem.
		Cesarienſibus	Cæsarienſibus.
		Cesaree	Cæsareæ bis diphtõgum restitue.
	73.	appareat	apparet.
	74.	existimatus	æstimatus.
	75.	Subscripserit	subscripserit.
	77.	Cesarientem	Cæsarienſem.

pag.			
	78.	extructam *lege*	astructam.
	79.	bracchio	brachio.
	80.	incolumen	incolumem.
	81.	questio	quæstio.
		Pamphilis	Pamphili.
	85.	se gere	se gerere.
	86.	vt catholicum	vt ad catholicum astruendum.
	87.	& non fidei.	& non fidei exitisse.
		cicatrice Inuta	cicatrice iusta.
	88.	tollerauerat	tolerauerat &
	93.	duo extra	duæ extra.
	95.	cæteribus	cæteris.
	96.	Ab Ecclesia	Ecclesiæ.
	99.	Iacobus	Iacobos
	111.	sub Lini nomine. bis	per errorem repetitum auferatur.
	113.	apparitibus	apparentibus.
		extruant	extruanis.
		per latum, Brundam.	perlatum Brundam,
		volatum	volatũ spoponderat.
		quadrigao	quadrigas.
	114.	estimarem	existimarem.
	116.	Dorothæus	Dorotheus, & ita alibi scribendum.
	118.	octaui sæculi	noni sæculi.
	120.	restituta lacuna	impleta lacuna.
		mntatam	mutatam,
		deberet	deberet.
		Aprilem, vel Augustũ.	Martium, vel Iuliũ.
		ex Iacobi Apostolis.	ex Iacobis Apostolis
		octauum Calendas.	octauus Calendas.
		octauo Calendas Apr.	octauum Calendas Apr.
	122.	ad illus	ad illius.
	125.	Celestino	Cælestino.
	126	edito	edito.
		ad diem septimo Cal.	ad diẽ septimũ Cal.
	128	præciosa	preciosa, & ita deinceps sine diphtõgo
		Celestinus	Cœlestinus.
		quarelas	querelas.
	129	rediuus	rediuiuus.
		de Sanctorum	de Sanctis.
		penes meo	penes me.
	130	memine	nemine.
		Nessels	Hessels.
	137	Laodiciæ	Laodicia.
		potius	positus.
	139	Victorinus	Victorius.
		adstruendam	astruendam.
		desptis	disertus.
	140	à Scythis	à Scythis
	145	Nunzianzeni	Nazianzeni.
	148	Ethiopes	Æthiopes.
	150	in A'c	in As.
		in AF	in Af.
	151	antiquibus	antiquis.
	155	sed noticia	seu noticia.
		Matheus Alphæi duo.	Matthæus. Alphæi.
		inquam publicam.	duo publicani.
	159	existimet	existimat.
		in sinops	in synopsi.
	161	supecinducto	superinducto.
		scnctor	scriptor.

163 omnibus

pag.		
163	omnibus apprimè fuisse notũ, & carũ.	omnibus apprimè] notus, & carus.
	Simone à Iuda	Simonem à Iuda:
165	qui socium docent	quia socium. docent.
168	consobrini fratrem paruelem.	consobrinum fratrem patruelem.
169	referent opere prætium	referente. operæ pretium.
174	mictam	mittam.
179	Scaligerus	Scaliger.
181	detractauit	detrectauit.
	vt à multis	vt multis.
183	transmicteretur	transmitteretur.
186	de diuinis officii	de diuinis officijs.
187	in Dionysiano	in Dionysiana.
191	quæ non facimus	quæ nos facimus.
206	Verbam adducere	verba adducere.
209	locus depositionis	locum depositionis.
211	flauus	flaccus
	intes eas	inter eas.
214	Hoy insula	videnda ea quæ notã- tur ad diẽ 27. Iulij.
219	etate	ætate.
220	famosetano	famosatano.
226	Nazianchenis	Nazianzeni
	sed instigante diabolo.	sed instigante Iudæos diabolo
227	in Corbeiense	in Corbeiensi, quod alibi passim emendandũ amanuensis vitio.
230	Origenes Homel.	Origenes Homilia.
232	cum tum nihil	cum tamen nihil.
234	probabiſſimum	probatiſſimum.
236	naturum	naſciturum.
241	memoriæ	memoria.
242	Samosetani	Samosatenũ.
246	fæculo nono	fæculo decimo.
247	nuda	ex nuda.
248	fuisse M. S.	fuisse Sanctos.
250	notissimum	notissimum.
251	in Eos, & Quorum.	in Enoũ, & Quorũ
	In S. Paoli	In S. Pauli.
252	depositio B. Eufrasi Episcopi.	scribendum esset inclinato charactere.
254	enixè postlando	enixè postulando.
255	paruus	paruas
259	Dagiberti	Dagoberti.
260	Molonienses	Colonienses.
267	sapiunt	sapiunt.
271	oscitanter diuisit calcographus in columnas primas lineas.	
275	Aruernis depositio B. Auiti Episcopi.	Debuisset scribi charactere Italico.
276	Dungalẽ. Ase nostro	Dungalense à nostro
	Aruenorum	Aruernorum.
	Aruensis	Aruernensis.
281	martyrologij	martyrologij.
288	quo maius	quo maior.
290	Valesium	Valerium.
298	suppotias	suppetias.
304	emẽdãdus esset	numerus paginarũ ad 312 sequenti anni
309	originibur	originibus.
312	die peragitur	die memoria peragitur.
316	recentione	recensione.
320	Corbeiense	Corbeiensi.
	Henschennius	Henschenius.
321	Antuerpiense	Antuerpiensi. & ita bis in eadẽ pagina, & 325

pag.		
	Hieronymanum	Hieronymianum.
326	glorioſori Christũ.	glorioſorum Christi.
328	Vetustissimus	Vetustissimum.
339	nostri	nostris.
	nulos	nullos.
336	Valerius lib. 1.	Valerius max. lib. 1.
340	accideri	acciderit.
	Græca	Græcè.
341	summus Martyris.	summus Martyr.
343	debachatus	debacchatus.
349	ad vestius	ad vetustius.
	referant	referunt.
352	falange	phalange.
355	Adrianum inter.	Adrianus inter.
356	dici	diei.
361	martyris	martyrij.
361	obiuos	obuios.
361	recenseretur	recensentur.
368	puellã, superuisente.	superuisentẽ puellã.
371	mancos	mancos.
376	nuncupaitur	nuncupatur.
377	in fronte pagine	Februarius, scribe MARTIVS.
	Cõcilij Clouechouiẽsis.	Cõcilij Clouesho- uiensis, bis eadem pagina.
378	Matricia Corbeiẽsi	Patricia Antuerpiensi,
	Matricia Corbeiensi:	Patricia Antuerpiensi,
382	tam Carthagini	tam Carthagine.
385	Martii in fronte pagine	MARTIVS.
391	qui accuratius	quòd accuratius.
399	in Titulo exercitationis	addendus numerus VII.
401	in summa pagina	MARTII. MARTIVS.
	Homel.	Homil.
	computam	computum.
404	omnes fatè	omnes ferè.
407	deprauitis	depraitatis.
408	Belliniam	Bellinum.
	ex alij	ex alijs.
409	Corbeiense	Corbeiensi.
	ita difficile	ita difficilis.
	reliquat	relinquat.
417	he verbam	he verbum.
418	cotur, icum	codicum.
417	quorum Martyrũ	quorũ martyrium.
431	quia fatetur	qui fatetur.
433	Chalcedonia martyre	Chalcedonensi martyre.
437	fine impostura	fine impostura.
440	Lupercus pro Luperco	Lubercus pro Luperco.
441	*Maÿ in Coriuto.*	*Maÿ. in Coriuto.*
453	& Pontificalis anulus	& Pontificalem anulum.
	coeua inscriptione	coeua inscriptione.
	D. Cypriani suo	D. Cypriani ætate.
472	pro Saturnino	pro Saturnino.
474	inemendabilis vnius error.	paginæ numeralis
	eius memorie	eius memoriam.
477	vsu est	vsa est.
478	Exercitatio VII.	legendum VIII.
488	die; præcipuus	dies præcipuus.
490	in Vetustissimo vero.	in Vetustissimo verò
493	inductum esse	inductam esse.
496	cum Alessandro	cum Alexandro.
	Tiburi translatum	Tibur translatam.
497	meteretur	mererentur.
498	sacrum Senecti.	sacrum Senesij.

pag.		
504	primitiæ martyrum legimus	Primitias martyrum legimus.
505	in M. Antuerpiense alioquin LX. anonymis martyribus supra reliqua redundante.	in M. Antuerpiensi, quod aliquin LX. anonymis martyribus supra reliqua MM. redundat.
510	canibus laniando	canibus Laniandos.
511	aliquot dies	aliquot dies.
513	Acatis	Acati.
514	tantũ codices nostris.	tantũ codices nostri.
516	S. Pallachri Episcopi martyrem turma	S. Pallachij Epiſcopi. Martyrum turma.
517	Requæ componenda. Medialano	Reliqua cõponẽda. Mediolano.
	Hogiologium	Hagiologium.
520	paulo autem triumphum	paulo ante triumphum.
521	mones Antuerpiẽse.	monet Antuerpiense.
524	Malu hic. labiorem aliquod impendiſſe	Malu hic labores aliquid impendiſſe.
525	Se Notkerum	ſed Notkerum.
527	Pnolentia	Ponſentius.
539	curius vxoris	cuius vxoris.
540	natio	natio.
543	Vetuſtiſſimum eius	ve iuſtiſſimum eius.
547	Ac de	Ado
548	de Sanctis Hiſtriæ	de Sanctis Hiſtriæ.
550	Galeſinus	Galeſinius, ita & alibi paſſim ſcribendum.
551	in Antuerpienſe	in Antuerpienſi.
	erante Polycratem legendum eſſet	eſt ante Polycratem legendum eſſet.
552	meq; accipitem	meq; ancipitem.
558	Maximianus	Maximinus.
559	differentiam Martyrij	differentia martyrij.
561	Ex Actis §. Felicula. Paulo poſt	ex Actis §. Felicula. paulò poſt
	verſpilatæ immiſcetur	venuſtate immiſcuis.
568	interponit	interponunt.
570	die natalis	dies natalis.
573	diem quarto quo omnium ſimul triumphaſſe	diem quartum, quo die omnia ſimul triumphaſſe,
574	Facilius in eam ſententiam propenderem non reponendeat exhebimus Siſcientem;	facilius in eam ſententiam propendenem. non reſpondeat. exhibemus. Siſcensem.
582	Pro quatuor incuriosè repetitis lineis nõ longè ab initio cõ- ſequentia. Superadditam eſſe vocem *Nouellum* ab antiquario Gallico conſecutus Rabanus, dum ita dicit.	
583	VII. Kal. Iunij legendum putat	VII. Idus Iunij. legendum putat.
585	Saluianianum	Siluanianum.
586	pro Sueſſone deinde Tornacenſi	pro Sueſſone. deinde Tornacenſis.
	IXVIII. Iunij.	XVIII. Iulij.
	IVNII. 14.	IVNII 14.
594	Ianuarius & Siluanus	Ianuarij & Siluani.
595	in M. Corbeienſe Afreiani	in M. Corbeienſi. Africani.
	XVII. Kal. Iunij	XVII. Kal. Iulij.

pag.		
	Andiani	Aniani.
	Vficin.	Vficum.
596	aducta	adducta.
597	Sanctorũ Martyres.	SS. Martyres.
598	Homeliam	Homiliam.
599	XV. Kal. Iunij	XV. kal. Iulij.
602	XIII. kal. Iunij	XIII. kal. Iulij.
603	in Homelia	Homilia.
604	XII. Kal. Iunij	XII. Kal. Iulij.
604	Fontanellenſis	Fontanellenſis.
606	remouendum	remouendum.
	Euſebium Samoſe- tanum	Euſebiũ Samoſatenũ
	& infra Samoſetani.	Samoſateni.
	receperit, nimis tamen.	receperit, nequit hic aptari, nimis enim.
607	vel infirmari, ſed malè de ipſo	vel infirmari valeant. ſed nõ benè de ipſo.
609	minus quidam iuſtus erat	minus quidem. iuſtum erat.
610	Catholicam Euſebij gregem.	Catholicum Euſebij
612	fugam meditauit, vitæ	& fugàm meditatus vitæ.
614	per ſe ipſe exiſtuat	per ſe ipſum exæſtuat.
	promumq; opere	prompumq; in opere.
615	prima quo; tẽpore deſcendiſſet	primo quoq; tẽpore deſcendiſſe.
	pars eſt	par eſt
616	recenſedis	recenſendis.
	ſed quòd *manifeſtè* exhalauarit	ſed quòd *manifeſtè* exhalauerit.
617	eximia pietate prædictum.	eximia pietate prædium.
618	doctrina in Eccleſia	doctrina, & Eccleſiæ.
619	tollere	attollere.
	Synodos ſpiratales.	ſynodos ſpirituales.
	ſed cæterum ipſum	Cæterum ipſum Eu-
	Euſebium, ita laudat.	ſebium ita laudat.
	ſed Samoſetanum	Samoſatenum.
	depoſitio S. memoriæ Nicæi Epiſc.	ſcribi debuerat cha- ritatis Italico.
	ex recentioribus	ex recentioribus.
620	Opido	Oppido.
623	Sichem Samariæ notas Epiſt. 27.	Sichem Samariæ. notas Epiſt. 27.
	antiquorum Homelijs	antiquorum. Homilijs, & infra Homilias.
625	& Alexandrino	& Alexandrinis.
626	Aquitanicis Oceani	Aquitanici Oceani.
633	Antuerpiẽſe, & Cor- beienſe.	Antuerpiẽſi, & Corbeienſi.
636	ibi Eiconis	ibi Basonius.
637	Gagi Papæ	Romæ Gagi Papæ.
643	in fronte paginæ IVNIVS	IVLIVS.
644	alibi annotauimus	alibi annotauimus.
651	numerus expleat	numerum expleat.
654	quinum eſt	quinus eſt.
	ſancta Virginis	ſanctæ Virginis.
656	quos tam libri noſtri quam Corbeienſis prætercunt	quos communiter tã libri noſtri, quã Corbeienſis prætercunt, & ſeiunctim tantùm Eutucium recolunt.

pag. 657	Floriaccum	Floriacum.
659	rudum Pontis	rudera Pontis.
	Laudenti	Laudensi.
663	S. Episcus	S. Episcopus.
668	Homeliam	Homiliam.
670	dicendum potens,	dicendum potius.
671	Fulbei Episcopi.	Falbei, & Falbeus infra
673	Victor Thebanus	Victor Thebeus.
674	librarorum	librariorum.
675	non Corona	non Coronam.
679	laterculi initium	laterculi initium.
	solo equatum	solo æquatum.
	quam Victorini	quam de Victorino.
680	frigmentum	figmentum.
	Acentius martyr	Acontius martyr.
	Corbeiensis marty-rologio	Corbeiensis, marty-rologij,
682	aliqua ex his martyri-bus	aliqui ex his, mar-tyribus ijdem vi-deantur.
	Ex reliquorum	ex reliquorum tamen.
	S. Petrus de Natalibus.	Petrus de Natalibus
	IVLII 29.	IVLII 26.
	In Phrigiæ Pacatianæ, seu magnæ	In Phrigiæ Pacatia-næ, seu Magnæ re-gione.
683	illius dici	illius diei.
685	suadnet	suadet.
686	sacra cimerlia	sacra cimelia.
	Mediolanensis	Mediolanensibus.
687	Sanctorum martyrê.	Sanctorum martyrum
688	sepultum etiam	sepultam etiam.
692	vocatum esset	vocatum esse.
696	diemillamanortis	diem illum mortis
	futuram	futurum.
697	in vetustioris Marty-logij	vetustioris Martyro-logij.
	dedicationum S. Petri ad Vincula	dedicationem S. Pe tri ad Vincula.
699	assistente gentium Doctores	attestante gentium Doctore.
703	ad fidelium custodiam	ad fidelium custodiã, domũ elegisse
704	& Praxedis	& Praxedes.
	& vigesimum excessisse	& vigesimum excessisset.
706	non ad Ecclesia	non ad Ecclesiam.
713	tunc venerationem.	tunc veneratione.
714	& Salnator Domino.	& Salvatori Domino
716	Ecclesiam inscribit.	Ecclesiam inscribi.
716	Cæsarienem	Cæsarien sem.
728	variet a libris	variat à libris.
	Nicomedia Ifali	*Nicomedia Isalia*
	mutato in Itali,	mutato in Italiæ
725	in Gallia	in Gallias.
726	nihil prorsus	mihi prorsus.
728	nonnulla distincti	nulla distincti
	tanum anno	tanum anni.
	solo equari	solo æquari.
730	dedicari potuerit	dedicari potuerit.
736	Augustensi	Augustensi.
737	narrantur	narrantur.
	scribitur, Reginolfũ Abbatem	scribitur; ibi enim pro-stat Reginolfũ Abbatẽ.
738	Basilica Mediolensis	Basilica Mediolanẽsis.
740	aut Siluanus, aut Felix sunt	Aut Siluanus, aut Felix, aut Magnus sunt.
	facile potest	facile potest etiam sequenti die.

pag. 742	& Bonino, Mombritio.	ex Bonino Mõbritio.
743	quam magis sapiunt	magis sapiunt, quam
	Orientalium	Orientalium.
	strictissime confessor	& strictissimè Con-fessor.
745	Deur	Deus.
749	neque Iuliani	neq; alterius Iuliani.
750	Equilino diebus	Equilino diuersis die-bus.
753	re vera ijsdẽ nõ essent	re vera ijdem non essent.
756	habet Martyroli Ro-mano	habet Martyrol. Ro-manum.
759	Theodoro, & Rufinæ	Theodoto, & Rufinæ
761	Vetustissictum	Vetustissimum.
763	*Depositio Philiberti*	*Depositio Philiberti.*
	pro illi prouincia	pro illa prouincia.
765	inter se permittit	inter se permissis.
767	Alius Romæ cum Laurentio	Alius Romæ legitur cum Lauren tio.
	Idus Septembris, cer-tos nos reddunt	Idus Septembris hi certos nos reddunt.
776	VIII. kal. Septembris	VIII. kal. Septẽbris.
777	ecolunt has die	recolunt hac die.
780	pro additione Vetu-stissimo nostro	pro additione in Ve-tustiori nostro.
	an Abbatij	an Abbatis.
781	antesignandum	antesignanum.
782	seiunctim clericu	seiunctim clericus.
783	In Territorio Aruernis &c.	scribenda sunt vt sequentia Italico charactere.
	in libri Pontificali	in libro Pontificali.
785	Basilissam per Basilla,	Basilissam pro Basilla.
787	Saluianus	Salvanus.
788	vel Herodi ex cõdicto	ex Herodis cõdicto
	absconditum reliquũ verò	absconditum: reli-quum verò.
789	torquentur	torquerentur.
	decennium	decessum.
790	Terræ ante	Terræ Sanctæ.
793	Herodiades resurre-xisse	Herodiades incipie-bat resurrexisse.
	transmisset	transmisisset.
795	an Sicilia	an in Sicilia.
	Prefecti	Præfecto
	prætermictunt	prætermittunt.
	doceant	docent.
797	disiungandus	disiungendus.
798	producuntur	producantur.
801	eylio	exilio.
802	in libris nostri	in libris nostris.
804	omictit	omittit.
806	omictuntur	omittuntur.
809	tomina	nomina.
810	enerrans tosius	narrans fusius.
812	omictitur	omittitur.
813	Eugebium	Eugenium.
814	videtur	videtur.
815	prætermictatur	prætermittatur.
	& vbique emendandus confimilis error, siue manuensis, siue Typographi.	
818	addit, ex Adone	auget, dum ex Adone
	epteembris	Septembris.
	patarem	pugarem.
821	SEPTEMBRIS 19.	SEPTEMBRIS 30.
	De aliquas nominum.	Vt aliquas nominum.
828	Nectunus	Nectarus.
830	Theodorus Prodroma.	Theodorus Prodro-mus.

831 Meta-

pag. 831	Metapràstis	Methafràstis.
834	tratorius	Stratorius.
	deinde viui comburio.	addunt, uno comburio.
	memoratur	memoratus
	simul; cum	simul cum.
836	Byfanti	Byfantij.
837	Bafies Felix & Victor,	delenda hęc nomina.
847	martyres cœlites	martyres
	venerantur	veneratur.
891	robere	robore.
813	ingẽni faxo	ingẽnti faxo.
856	acciperat	acceperat.
857	prophetat	prophetat, & infra etiam.
858	compartire	impertiri.
860	quicumque	quocumque.
861	discreparet	discrepare.
	vt ea huic	vt ea huc.
	& ob etiam capi cum ex omni parte	*& ob id etiam capi cum ex vnius parte.*
863	siue tempore	siue tempore.
	eis Iordanum	eis Iordanem.
866	trans Iordanum	trans Iordanem.
	indicate	indicari.
	sub nomine	sub montem.
	Dethabora	De thabara.
868	tum in vetustioribus	tam in vetustioribus.
872	Bibli appolita	Bibliothecæ appolita.
873	ficcitas	ficcitatis.
	futurum	futuram.
880	extate gregium	extat egregium.
882	Apostolo	Apostolum.
885	Tatacia	Tracia.
891	ex hoc est	hoc est
	Sirmundi, de Iaunyum & alijs præcipue Barouium	Sirmũdus Iaunyus, & alij præcipue Baronius.
892	Bomæ	Romæ.
895	in Appendice	in Appendice.
898	in Addori	in Auctore.
	coniectatur	coniectat.
899	ad xiclam Balbinam	ad Siculam Balbinam.
	pridie non	pridie nonas.
	Bibliotheca	Bibliotheca.
900	Martyrologio Corbeiense	Martyrologium Corbeiense.
904	nostris nostris	nostris.
907	fistionem	fistionem.
909	Galliæ christianæ celeberrima	Galliæ Christianæ celeberrimæ
	Vetustioris	Vetustioris.
	deputationis	disputationis.
	& Antuerpiensis	& Antuerpiense
	Priminatu	M. Priminam.
	extrgere	exsurgere.
913	Fifinnus	Firminus.
914	martyres	martyribus,
	venetatis	veneratis.
916	aliquor diebus	aliquibus diebus.
	historiam nõ scribet	historiã nõ scriberet
917	veneratiõem	veneratiõnem.
918	estant	extant.
	Brittaniæ	Britanniæ.
919	diuisas	diuisos.
922	hoc esse	Eos esse.
	ac alij vetusti codices.	ac alios vetustos codices.
923	Martyr. Corbeiensis	Martyr. Corbeiense.

pag. 926	dixeri	dixeris.
928	explicit	desinit.
	post *XII. Kal. Nouembr.* lin. 5. notarum addenda sunt. *In Nicomedia Dafeionetis, Zotici, Gai, & XII. Militum.*	
932	alia latinorum	alium latinorum.
933	tumulatus	tumulatos.
940	Tuscię post Populoniam	Tusciæ sit post Populoniam.
944	proferat	profert.
945	Eusebius Monachus & Felix presbyter	Eusebium Monachum & Felicem presbyterũ.
946	martyrum Menandus	martyrem. Menandus.
949	& Petrus de Natal.	& Petrum de Natal.
953	alibi incerti loco	incerto loco.
959	videntur tribu	videntur tribui.
960	& cum nostro Georgium non Euxorgiũ	& Euxorbium cum nostro non Georgium
963	Saturninum refert	Saturninam refert.
964	ita additur	deme ita.
	Cæsarien si	Cæsarien si.
965	in libris nostrse	in libris nostris.
	cõfirmãte	confirmare.
968	sine Episcopum	siue Episcopum.
973	repetio	repetitio.
976	queretur	loqueretur.
	athlearam	athletam.
	quidam docet	quidem docet.
979	coronatũm	coronatarum.
980	Philippense	Philippenses.
981	secunda	secundæ.
	alie electiuæ	aliæ electiuæ.
	bone actæ	benè actæ.
987	in clericali ordini	in clericali ordine.
990	Richenouiensis	Richenouiense.
	precipitatum	præcipitatum.
992	scriptore	scriptores.
995	in eadẽ Ecclesia quiescentiũ S. Marcianus an nõ signatis nominibus numeratur	in eadem Ecclesia signatis nominibus quiescentium S. Marcianus non numeratur.
1000	antiquiõria	antiquiora.
1001	ex Deo prouidentia	ex Dei ptouidentia.
	nafritiæ	vafritie.
1003	percubit	perculit.
	Sicicio	Siricio.
	dum Ro-esset	dum Romæ esset.
	hæc adnotauit Rodulphus his verbis anno 1147.	hæc annotauit anno 1147. Rodulphus his verbis. dele reliqua
	emulis	æmulis.
1004	quantum Siricius ipsius Baronius	quanti Siricius ipsius Baronij.
	Periarchita	Periarchi ita.
1008	Siricius etiam Ribbũ.	dele, etiam.
1009	datum esse dicatur	datus esse dicatur.
1010	An-erpensis	Antuerpiensis.
1011	vbi præsidente.	quo præsidente
	Aquileinsi	Aquileiensi.
1013	ĩtam quidem	ita quidem.
1014	emendatiusq;	emendatiusq;
1024	Corbeiense	Corbeiensi.
	Antuerpiense	Antuerpiensi.
1035	Pammosius	Pammorius.
	Artesius	Artesium.
1047	persecutionem	persecutionis.
	regola	regula.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

HIERONYMO CARDINALI BONVISIO, EPISCOPO LVCENSI,

VETVSTIORIS MARTYROLOGII TVTELARI

AVTHORIS DEVOTISSIMI VOTVM.

Veteranas in Regno CLEMENTIAE
Sacrorum Militum acies
Paratas iterùm ne timeant imbelles animæ.
Ad sæculorum pacem naſcenti Domino
Cœleſtis quoquè aſtitit multitudo militiæ.
Nemo ex vberrimo Martyrum cenſu
Maximianos adhùc, vel Maximinos regnare
Expaueſcat improuidus.
CLEMENS regnat, & MAXIMVS.
Ad militantis Eccleſiæ Panopliam
Sanctos olim Bellatores inſtruxit
Sanctus, & purpuratus Bethlehemita HIERONYMVS.
Emeritos, quid mirandum, nobiles ſtationarios,
Frementibus vndiquè bellis,
Excitatos à claſsico?
Iam Principi ſacrorum fœderati,
Vel Feciales velit, vel Auxiliares
Concurrunt ad ſigna.
Sed honeſtata cruore nomina

Ru-

Rubro quærunt charactere signari.
Purpurati Cœlites adhuc Purpuram amant,
Et antiqui ducis cognominem
HIERONYMVM CARDINALEM BONVISIVM
Coccinea chlamide decoratum
Seligunt in Ductorem.
Nonne ex Natalibus suis verè Porphyrogenitos
Nouam lucem aspicere decebat in Ostro?
Vtiquè Cœlesti quodam distributi Signifero,
Dum nouum sibi Solem expectant oriri,
Purpurascere gaudent Auroram.
Pręluceat aliquando illis CLEMENTISSIMI Solis radius;
Superinductas interim Authoris tenebras
Primæ magnitudinis SYDVS illustret.